D. D. EMANUELIS GONZALEZ TELLEZ,

IN INCLYTA SALMANTICENSI ACADEMIA

Collegii Majoris Conchensis Alumni, & antiquioris Vespertinæ sacrorum Canonum Cathedræ proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ Inquisitionis Tribunali Inquisitoris Apostolici, & in supremo S. Inquisitionis Senatu Consiliarij;

COMMENTARIA PERPETUA

In singulos Textus quinque Librorum

DECRETALIUM GREGORII IX.

TOMUS QUINTUS,

COMPLECTENS LIBRUM QUINTUM,

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia.

Editio Veneta, iuxta editionem Lugdunensem ab ipsomet Authore recognita, & emendata; cum Additionibus, tum prioribus suis locis restitutis, tum etiam aliquot recentioribus.

VENETIIS, MDC XCIX.

Apud Nicolaum Pezzana.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

Digitized by Google

TABELLA
TITULOS OMNES
Libri quinti Decretalium Gregorij IX. ordine Alphabetico indicans.

Prior numerus Titulum, postremus verò paginam Libri indicat.

A

ACcusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus. 1.1
Adulterijs, & stupro. 16.219
Apostatis, & reiterantibus baptisma. 9.165

C

CAlumniatoribus. 2.45
Clerico per saltum promoto. 29 328
Clericis pugnantibus in duello. 14. 214
Clerico venatore. 24.294
Clerico percussore.. 25.300
Clericis maledicis. 26.302
Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante. 27.305
Clerico non ordinato ministrante. 28. 322
Collusione detegenda. 22.288
Crimine falsi. 20.271

D

DElictis puerorum. 23.291

E

EO, qui furtiuè ordinem suscepit. 30.330
Excessibus Prælatorum in subditos, vel contrà. 31.332

F

FVrtis. 18.244

H

HÆreticis. 7.120
His, qui filios occiderunt. 10.175
Homicidio voluntario, vel casuali. 12. 181

I

INfantibus, & languidis expositis. 11. 178
Iniurijs, & damno dato. 36.397
Iudæis, & Sarracenis, & eorum seruis. 6.100

M

MAgistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi. 5.95

N

NE Prælati vices suas, vel Ecclesias alijs sub annuo pretio concedant. 4.93
Noui operis nunciatione. 32.345

P

POEnis. 37.401
Pœnitentijs,& remiſſionibus. 38.403
Priuilegijs, & exceſſibus priuilegiatorum. 33.353
Purgatione canonica. 34.383
Purgatione vulgari. 35.393

R

RAptoribus, prædonibus, incendiarijs, & violatoribus Eccleſiarum. 17.231
Regulis iuris. 41.475

S

SAgittarijs. 15.218
Schiſmaticis,& ordinatis ab eis, & alienationibus factis. 8.161
Sententia excommunicationis. 39.422
Simonia,& ne aliquid pro ſpirituali exigatur, vel promittatur. 3.51
Sortilegijs. 21.280

T

TOrneamentis. 13.211

V

VErborum ſignificatione. 40.455
Vſuris. 19.253

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITULORUM OMNIUM,

Quæ in quinto Libro Decretalium Gregorij IX. continentur.

Prior numerus titulo adiunctus ordinem capituli, secundus titulum, tertius tandem paginam designat.

ABbate, *de verbor. signif.* 25 — 40.468
Absolutos, *de haeretic.* 16 — 7.159
Accedens, *de accus.* 23 — 1.38
Accedens, *de raptor.* 7 — 17.241
Accedens, *de crimine falsi.* 8 — 30.280
Accedens, *de purgat. canonic.* 14 — 34.388
Accedentibus, *de excess. Prælat.* 12 — 31.342
Accedentibus, *de priuil.* 15 — 33.371
Accusasti, *de accus.* 8 — 1.14
Ad abolendam, *de hæreticis.* 9 — 7.135
Ad Apostolatus nostri, *de simon.* 41 — 3.89
Ad audientiam, *de homicid. vol. vel cas.* 12 — 12.197
Ad audientiam, *de torneament.* 2 — 13.211
Ad audientiam, *de crimine fals.* 3 — 20.272
Ad aures, *de simon.* 23 — 3.76
Ad aures, *de excessib. Prælator.* 3 — 31.333
Ad aures, *de pœn.* 10 — 37.406
Ad eminentiam, *de sent. excom.* 20 — 39.432
Ad explendum, *de verb. signif.* 8 — 40.456
Ad falsariorum, *de crimine fals.* 7 — 20.436
Ad hæc, *de excessib. Præl.* 2 — 31.332
Ad hæc, *de sent. excom.* 12 — 39.426
Ad hoc præsentium, *de Iudæis.* 8 — 6.108
Ad hoc, *de priuil.* 5 — 33.358
Ad liberandam, *de Iud.* 17 — 6.119
Ad nostram, *de simon.* 20 — 3.74
Ad petitionem, *de accus.* 22 — 1.36
A nobis, *de apostat.* 5 — 9.172
A nobis, *de sentent. excommun.* 21 — 39.432
A nobis, *de sentent. excommun.* 28 — 39.435
Antiqua, *de priuil.* 23 — 33.375
Antiquam, *de simon.* 1 — 3.51
Apostolicæ, *de cleric. excommun.* 9 — 27.313
Artem illam, *de sagitt.* 1 — 15.218
Audiuimus, *de simon.* 49 — 3.89
Audiuimus, *de collus. deteg.* 3 — 22.288

C

CAlumniam, *de pœn.* 4 — 37.403
Canonica, *de sentent. excom.* 50 — 39.451
Causa Carpensis, *de verb. signific.* 13 — 40.458
Clericis autem, *de cleric. excommun.* 3 — 27.467
Clerici, *de excessib. Prælat.* 4 — 31.333
Conquesti, *de sentent. excommun.* 22 — 39.433
Conquestus, *de vsur.* 8 — 19.262
Constitutus, *de purgat. canonic.* 9 — 34.386
Constitutus, *de pœn.* 7 — 37.404
Consultationi, *de apost.* 6 — 9.173
Consultationi, *de priuil.* 33 — 33.382
Consulere, *de simon.* 37 — 3.87
Consuluit, *de Iud.* 7 — 6.108
Consuluit, *de vsur.* 10 — 19.262
Continebatur, *de homicid. vol. vel cas.* 8 — 12.191
Continentia, *de cleric. percussor.* 4 — 25.301
Contingit, *de sent. excomm.* 36 — 39.441
Contingit, *de sent. excomm.* 45 — 39.448
Crimina, *de collusione detegend.* 2 — 22.288
Cùm ad quorundam, *de excessib. Prælat.* 7 — 31.337
Cùm Capella, *de priuileg.* 16 — 33.371
Cùm causam, *de raptor.* 6 — 17.241
Cùm clerici, *de verb. signific.* 19 — 40.405
Cùm de iniuncto, *de noui oper. nunc.* 2 — 32.346
Cùm desideres, *de sent. excom.* 15 — 39.427
Cùm dilectus, *de accus.* 18 — 1.30
Cùm dilectus, *de accus.* 20 — 1.32
Cùm dilectus, *de calumniatorib.* 2 — 2.50
Cùm dilectus, *de purgat. canonic.* 11 — 34.388
Cùm dilectus, *de purgat. canonic.* 15 — 34.387
Cùm essent, *de simon.* 11 — 3.63
Cùm & plantare, *de priuileg.* 3 — 33.357
Cùm ex eo, *de pœnit.* 14 — 38.419
Cùm ex iniuncto, *de hæreticis,* 12 — 7.147
Cùm fortiùs, *de calumniatorib.* 1 — 2.45
Cùm H. *de eo qui furt. ordin. susc.* 2 — 30.330
Cùm illorum, *de sent. excomm.* 32 — 39.438
Cùm in diœcesi, *de vsur.* 15 — 19.266
Cùm in Ecclesiæ, *de simonia,* 8 — 3.58
Cùm infirmitas, *de pœnitent. & rem.* 13 — 38.418
Cùm in iuuentute, *de purgat. can.* 12 — 34.387
Cùm in partibus, *de verb. signif.* 17 — 40.404
Cùm inter, *de verb. signif.* 29 — 40.472
Cùm iuramento, *de homicid. vol. vel cas.* 4 — 12.186
Cùm non ab homine, *de sent. excom.* 14 — 39.427
Cùm olim, *de priuil.* 12 — 33.367
Cùm olim, *de priuil.* 14 — 33.368
Cùm olim, *de verb. significat.* 24 — 40.467
Cùm oporteat, *de accus.* 19 — 1.31
Cùm P. Manconella, *de accusat.* 10 — 1.18
Cùm P. Manconella, *de purg. can.* 7 — 34.385
Cùm pro causa, *de sentent. excom.* 27 — 39.435
Cùm sit nimis, *de Iud.* 16 — 6.115
Cùm sit Romana, *de simonia,* 9 — 3.60
Cùm tibi, *de verb. significat.* 18 — 40.405
Cùm tu, *de vsur.* 5 — 19.258
Cùm voluntate, *de sententia excom.* 54 — 39.453
Cura suscepti, *de purgat. vulgar.* 1 — 35.393

D

DE cætero, *de homicid. vol. vel cas.* 11 — 12.192
De cætero, *de sentent. excomm.* 11 — 39.426
Defleat, *de reg. iur.* 9 — 41.477
De his, *de purg. can.* 4 — 34.384
De hoc autem, *de simon.* 10 — 3.60
De ijs, *de accus.* 6 — 1.12
De illis, *de raptor.* 1 — 17.231
De infantibus, *de his qui fil. occid.* 3 — 10.176
De monialibus, *de sent. excommun.* 33 — 39.439
De qua re, *de hæret.* 2 — 7.123
De regularibus, *de simonia,* 24 — 3.76
Desiderij nostri, *de collus. detegend.* 1 — 22.288
De simoniacè, *de simon.* 21 — 3.75
De testibus, *de purgat. canonic.* 13 — 34.388
Deus, qui Ecclesiam, *de pœnitent.* 8 — 38.413
Dilecta, *de excessibus Prælat.* 14 — 31.343
Dilecti filij, *de priuil.* 4 — 33.358

Di-

Digitized by Google

Si læſerit, *de iniur.*4 36.398
Sicut nobis, *de ſimon.*32 3.84
Sicut nobis, *de ſentent.excommun.*39 39.442
Sicut olim, *de accuſ.*25 1.41
Sicut pro certo, *de ſimonia*, 38 3.88
Sicut vnire, *de exceſſib.Prælator.*8 34.337
Si de terra, *de priuil.*6 33.358
Si egreſſus ignis comprehenderit, *de iniur.*5 36.398
Significantibus, *de noui oper.nunc.*3 32.350
Significantibus, *de purgat.vulg.*2 35.393
Significaſti, *de homicid.vol.vel caſ.*16 12.200
Significaſti, *de homicid.vol.vel caſ.*18 12.202
Significaſti, *de adult.*5 16.228
Significauit, *de Iud.*11 6.113
Significauit, *de pœnit.*3 38.411
Significauit, *de ſentent.excom.*18 39.429
Si perfodiens, *de homicid.vol.vel caſ.*3 12.183
Si quem, *de ſentent. excommun.*59 39.454
Si quis, *de ſimon.*44 3.92
Si quis, *de homicid.volunt.vel caſ.*1 12.81
Si quis, *de furt.* 3 18.248
Si quis, *de clerico percuſſore*, 1 25.300
Si quis, *de cleric.non ordinat.min.*2 28.322
Si quis aperuerit, *de iniurijs*, 2 36.398
Si quis domum, *de iniurijs*, *&c.*6 36.399
Si quis Epiſcopus, *de cleric.excom.*1 27.305
Si quis presbyter, *de cleric.excom.*2 27.307
Si quis presbyter, *de purgat.can.*2 34.383
Si quis presbyter, *de pœnitent.*2 37.401
Si rixati, *de iniur.*1 36.397
Si ſeduxerit, *de adult.*1 16.219
Si verè vos, *de ſentent.excommun.*34 39.439
Si verò aliquis, *de ſent.excom.*3 39.423
Si verò aliquis, *de ſentent.excom.*4 39.424
Si vir ſciens, *de adult.*3 16.223
Statuimus, *de clerico maledic.*2 26.304
Stephanus, *de reg.iur.*7 41.477
Suam ad nos, *de pœn.*9 37.405
Suam nobis, *de ſimon.*28 3.78
Super eo, *de raptor.*2 17.231
Super eo, *de vſur.*4 19.257
Super eo, *de crimin.falſi*, 2 20.272
Super eo, *de ſentent.excommun.*1 39.422
Super eo, *de ſentent.excommun.*51 39.451
Super his, *de accuſ.*16 1.26
Super his, *de pœn.*8 37.405
Super quibuſdam, *de verb.ſign.*26 40.469
Super ſpecula, *de magiſtr.*5 5.99
Super ſpecula, *de priuil.* 28 33.380
Suſcepimus, *de homicid.vol.vel caſ.*10 12.192

T

Tanta eſt labes huius, *de ſimon.*6 3.57
Tanta eſt, *de exceſſib.Prælat.*18 31.245
Tranſmiſſæ, *de verbor.ſignificat.*33 40.474
Tribunal, *de cleric.percuſſorib.*2 25.300
Tuæ diſcretionis, *de pœnitent.*6 37.404
Tuæ fraternitati, *de apoſtatis*, *&c.*3 9.170
Tuæ nobis, *de cleric.per ſalt.prom.*1 29.328
Tua fraternitas, *de adulterio*, 7 16.229
Tua nobis, *de verbor.ſignific.*32 40.474
Tua nos, *de ſimon.*33 3.85
Tua nos, *de vſur.*9 19.262
Tua nos, *de homicid.vol.vel caſ.*19 12.205
Tua nos, *de ſentent.excommun.*19 39.431
Tuarum, *de priuil.*11 33.366
Tuas dudum, *de vſur.*13 19.266

V

Venerabili, *de ſentent.excomm.*52 39.452
Venerabili, *de verb.ſignific.*22 40.466
Veniens, *de accuſ.*15 1.25
Veniens, *de ſimon.*18 3.71
Veniens, *de his, qui fil.occiderunt*, 1 10.175
Veniens, *de eo, qui furt.ordin.ſuſc.*1 30.331
Veniens, *de ſentent.excommun.*16 39.428
Vergentis, *de hæret.*10 7.141
Vniuerſitatis, *de ſentent.excom.*24 39.434
Vt famæ, *de ſentent.excommun.*35 39.441
Vt illæ, *de purgatione canonic.*3 34.384
Vt nemo, *de ſimon.*13 3.67
Vt priuilegia, *de priuilegijs*, 24 33.378

D.D.EMA-

D. D. EMANVELIS GONZALEZ TELLEZ COMMENTARIA

In Librum Quintum DECRETALIVM GREGORII IX.

TITVLVS PRIMVS

De accusationibus, inquisitionibus, & denunciationibus.

CAPVT PRIMVM.

a Felix Papa.

QVoties Episcopus super certis accusatur criminibus, si tales fuerint accusatores, qui iustè, & canonicè recipi debeant, legitima in *b* Synodo suo in tempore congregata, ab omnibus canonicè audiatur, qui sunt in prouincijs Episcopis. Quod si *c* legitimi non fuerint accusatores, non fatigetur Episcopus, quia sacerdotes ad sacrificandum vacare debent, non ad litigandum. Nec illi, qui throni Dei vocantur, prauorum hominum insidijs turbari debent, sed liberè Christo Domino famulari.

NOTÆ.

1 a FElix.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. c.*1. & ex ipsa epistola Felicis II. ad Episcopos in Alexandrina Synodo congregatos, citatur textus hic à Carnotensi *p.* 5. *Decreti*, *cap.*279. Burchardo *lib.*1. *Decreti*, *cap* 169. & verba in præsenti textu relata, extant in eadem epistola 1. Felicis Papæ II. *cap* 17. *tom.*1. *Concilior. Binij*, & apud Luitprandum in eius vita: ex qua restituo litteram huius textus, vt etiam fecit Antonius August. *in notis ad hunc textum*. Sed licèt tot in collectionibus tribuatur textus hic Felici II. non tamen immeritò de eius fide dubitauit Baronius *anno* 357. *num.*53. siquidem temporibus Felicis II. Athanasio in eremo latitante nullus planè locus, nec vllum tempus opportunum congregandi Synodum potuit esse; vnde quomodo poterat Felix ad Episcopos in Synodo congregatos rescribere? Sed vt ad Felicem II. reuertamur, sciendum est, Liberio Summo Pontifice in exilium misso à Constantio Imperatore, quia Arrianis subscribere, nec communicare volebat, Romanum Clerum iureiurando promisisse, nullum se alium Pontificem admissurum superstite Liberio: sed postea opera Arrianorum, ac præcipuè Acacij Cæsareensis Episcopi Felix Diaconus Romanus Pontifex creatus fuit. Rufinus *lib.*10. *histor. cap.*22. Theodoretus *lib.*2. *hist. c.*17. Sozomenus *lib.*4. *hist. cap.*10. Hieronymus *in catal. in Acacio*: qui licèt Arrianus non esset, liberè tamen cum Arrianis communicabat, ideòque eo tempore nullus Catholicorum cum eo communicabat: sed post biennium cùm Liberius per vim & minas Concilio Smirnensi subscripsisset, cum Arrianisque communicasset, atque Athanasium condemnasset, Romanus Clerus, abrogata Liberio Pontificia dignitate, ad Felicem se contulit, quem Catholicum esse sciebat, & ex eo tempore cœpit Felix vt legitimus Pontifex Ecclesiam regere, cùm Liberius tanquam hæreticus deiectus esset: sed Felix iam verus Papa agnoscens Ecclesiæ, & fidei periculum, non solùm recessit ab Arrianorum communione, verùm etiam coacto Concilio declarauit, Imperatorem Constantium, & Episcopus Vrsacium, & Valentem, cum quibus Liberius pacem fecerat, verè hæreticos esse, & propter hanc damnationem Constantij, Coræ in Latio obtruncatione capitis martyrio coronatus est, vt habetur *in Martyrol. Romano*, *die* 29. *Iulij*. Sed cùm eius ingressus iniquus creditus esset, & de ipsius obitu pugnantia scriptorum testimonia reperirentur, temporibus Gregorij XII. cùm de emendatione Martyrologij Romani ageretur, non leuis disceptatio fuit, an ex eo expungendus esset Felix, necne? Et tunc accidit planè

veluti diuino miraculo, vt cùm in Diaconia Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani in foro ad templum Pacis posita, quidam homines malè consulti, sed non sine diuina prouidentia, clam altare vnum à dextris positum suffoderent, vt thesaurum quærerent, quem audierant ibi esse reconditum, in marmoream arcam inciderunt, in cuius altero latere lapideæ tabulæ interstitio ab altero distincto repositæ inuentæ fuerunt reliquiæ Sanctorum Martyrum Marci, atque Marcellini, & Tranquilliani: in altero verò arcæ latere corpus Sancti Felicis, de quo agimus, vnà cum lapideo laterculo intus posito hisce litteris exarato: *Corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui damnauit Constantium*. Refert Baronius *d. anno* 357. qui huic præclaro Pontifici rescripsisse Constantium Imper. *in l.* 14. *C. Theodos. de Episc. & Cler.* refert, in cuius epigraphe legitur, *Constantius Imperat. Aug. & Iulianus Cæsar, Felici Episcopo*: quo tempore adhuc Liberium restitutum non fuisse doctè probat Gothofredus, & Sanctum hunc ab iniustis calumnijs defendunt Bellarminus *lib.* 4. *de Romano Pontifice, cap.* 9. Theophilus Raynaud. *de calumnia cap.* 25. *fol.* 445. Seuerinus Binius *in notis ad eius vitam*, Fr. Ant. Perez *In Pentat. fidei, de R. P. cap.* 3.

b *Synodo.*] Prouinciali videlicet, iuxta tradita *in cap.* 1. *de iudicijs*.

2 c *Legitimi.*] Legitimum in iure generaliter dicitur quicquid est iustum, & legi consonum, quasi secundùm legem, aut per legem receptum, *l. legitima* 6. *ff. de pactis, cap. legitima, de appellat. lib.* 6. *l. lege obuenire, ff. de V. S.* vbi Gedeus, Gentilis, & Forner. Vnde accusatores legitimi in præsenti dicuntur omnes illi, qui iustè, & secundùm leges ad accusandum idonei proponuntur, vt satis deducitur ex illis verbis huius textus, ibi: *Si tales fuerunt accusatores, qui iustè, & canonicè recipi debeant*.

COMMENTARIVM.

3 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio. *Ad petitionem illegitimi accusatoris reus in iudicio fatigandus non est*. Probant eam textus *in cap.* 2. *c. cùm P. cap. repellantur, c. meminimus* 13. *c. cùm oportet* 19. *c. cùm dilectus* 20. *cap. accedens, hoc tit. c. nihil* 2. *q.* 1. *c. in primis, §. sed,* 3. *quæst.* 9. *c. dignum* 6. *q.* 6. *cap. si qui sunt* 17. *cum sequent.* 2. *q.* 3. *cap. qui sub* 3. *cap. postulasti* 6. 3. *quæst.* 6. *c. probibentur* 1. *q.* 1. *cap. constituimus* 3. *quæst.* 5. *cap. qui crimen* 2. *q.* 1. *cap. canonicæ, cap. similiter, cum sequent.* 3. *q.* 5. *cap. cùm in tua, de sponsal.* cum alijs congestis ab Anton. August. *in epit. lib.* 30. *tit.* 4. in quibus docetur, illegitimum accusatorem admittendum in iudicio non esse, *l. qui accusare, ff. de accusat. l. crimini, l. ignorat, C. qui accusare, l.* 2. *tit.* 1. *part.* 7. Illustrant vltra congestos à Barb. *hic*, Petrus Gregor. *lib.* 5. *partit. tit* 9. *cap.* 3. & *lib.* 2. *syntagm. cap.* 12. Sotus *lib.* 5. *de iustit. q.* 4. *art.* 3. Vighel. *in method. iuris Pont. fol.* 33. Simancas *de Catholicis, lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 49. Fragoso *de regim. Christ. Reip. part.* 1. *lib.* 5. *disput.* 12. §. 2. Decianus *lib.* 3. *tract. crimin. cap.* 3. Anton. Matthæus *de crimin. ad tit. de accusat. cap.* 3. plures congesti à Carleuallio *de iudicijs tom.* 2. *disput.* 4. *num.* 26. Fornerius *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 24. & 25.

4 Traditur dubitandi ratio. Sed in hanc assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo: Reus licèt ab illegitimo accusatore impetitus, omninò iudicio comparere cogitur, saltem ad proponendum, & allegandum priuilegium suum; immò etsi non compareat, tanquam contumax puniri valet, *c. veniens* 15. *hoc tit. l. si eximendi, §. fin. ff. ne quis eum qui in ius vocatus, l. si reus, ff. iudicatum solui, l. ex quacunque* 32. *ff. si quis in ius vocatus, l. si quis ex aliena* 5. *ff. de iudicijs*: & interim dum exceptio accusatoris discutitur, debet etiam quæri de vita accusati, *cap. quærendum* 2. *quæst.* 7. Igitur propter illegitimum accusatorem fatigatur accusatus. Accedit, nam etsi illegitimus sit accusator, tamen reo accusato indicenda est purgatio canonica, vt docetur *in c. veniens, c. cùm P. hoc tit. cap. cùm P. de purgatione*. Igitur quia fatigatur accusatus, etiam cùm illegitimus est accusator. Augetur etiam, nam plerumque quis punitur sine accusatore à Magistratu qui reos inquirit, *l.* 1. *§. quies, ff. de offic. Præfect. vrb. l.* 4. *ff. ad leg. Iul. pecul. l. congruit, ff. de offic. Præfect. l.* 1. *C. de custod. reorum*. Igitur faciliùs sine accusatore legitimo.

5 Accusatio quid. Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, pro cuius expositione sciendum est, accusare dici quasi causari, à causa, *cap. forus, §. accusator, de V. S.* post Hostiensem notauit Anton. Matthæus *ad tit. de accusat. cap.* 1. & licèt accusare variè accipiatur, vt notaui *in cap.* 1. *qui matrimonia accusare*: tamen in hoc titulo Digestorum, & Codicis *de accusat.* accipitur pro delatione, qua quis apud iudicem reus criminis postulatur. Dicitur criminatio *in l.* 5. *C. Theodos. hoc tit.* actio criminis *in l.* 5. *eod. C. & tit.* criminalis causa *in l.* 1. *eod. Cod. & tit.* contestatio *in l.* 8 *C. Theodos. de fam. libell.* quemadmodum defensio accusationi contraria importat criminis obiecti dissolutionem, vt ex Aristotele *Rhetoricorum cap.* 4. notat Decian. *lib.* 3. *tract. crimin. cap.* 1. *num.* 2. iuxta quam acceptionem accusatio variè diffinitur, vt post Azonem *ad tit. C. de accusat.* Hostiensem *ad hunc titul.* Gregorium Lopez *in l.* 1. *tit.* 1. *partit.* 7. Iulium Clarum *cap. fin. §.* 12. *num.* 1. Duarenum *lib.* 1. *disput. cap.* 38. & *ad tit. ff. de accusat.* tradit Cuiac. *ad eundem tit.* Decian. *vbi suprà, nu.* 2. & communiter ita diffinitur, vt sit *Delatio criminis in iudicium ad publicam vindictam, cum legitima subscriptione*. Ità Iulius Clarus, Decianus, & Ant. Matthæus *vbi suprà*. Sed hæc definitio difficilis redditur ex sequentibus principijs; nam in hac diffinitione videtur definiri accusatio, prout est quid facti, & ita actio illa, seu factum, dum quis accusatur; non verò prout est quid iuris, in quo sensu definiri debuit, prout definitur actio à Iustiniano *in princip. Instit. de act.* vt sit, *Ius persequendi in iudicio, &c.* vt docuerunt Marianus, & Beroius *in præsenti rubric. num.* 21. & 26. Decianus *d. cap.* 1. *num.* 2. & 4. Deinde quia ex proprietate verbi, quæ attendi debet, *l. non aliter, ff. de legat.* 3. crimen simpliciter prolatum verificatur tantùm in peccatis quibusdam grauissimis, non verò in leuibus, *cap.* 1. 81. *distinct.* Glossa *in cap. peccatum, de pœnit. distinct.* vbi post D. Thomam docet Nauarrus, & Beroius *in præsenti, numero* 24. Decian. *suprà, cap.* 2. *num.* 2. & *cap.* 7. *in princip.* Et tamen constat, accusationem in leuibus delictis etiam admitti, *l. leuia* 6. *ff. hoc tit.* Tertiò quia per accusationem non crimina, sed magis criminosi, & rei criminum deferuntur, & delatio criminis per se non videtur importare accusationem, vt patet in testibus Synodalibus, qui dum crimina, & non criminum reos deferunt, non accusant, nec accusationem instituere dicuntur. Quartò quia multoties in iure crimen accipitur pro ipsa accusatione, *l. sicut* 7. *l. vlt. §.* 1. *ff. hoc tit. l. nullum* 110. *ff. de R. I. l.* 1. *C. de his qui ad Eccles. confug.* docent Glossa *in l.* 2. *Cod. de general. abolit.* & ex Cicerone tradit Decian. *suprà, cap.* 9. *num.* 6. & *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 16. Igitur accusatio non debet definiri per delationem criminis, siquidem definitur idem per idem. Tandem, quod licèt inscriptio, seu subscriptio ad pœnam talionis regulariter exigatur, vt dicemus infrà *in cap. super his*; non tamen requiritur ad substantiam, seu essentiam accusationis, quod in definitione exprimatur; quia accusatio ex se, & ex sua natura, vel essentia, non inducit, seu includit subscriptionem huiusmodi, licèt ea spectet ad accidentalia, & solemnitates in accusatione necessarias; & dantur plures casus, in quibus subscriptio non est necessaria. Glos. 2. *in d. cap. super his*: in quibus nemo negauit dari veram accusationem, vt contingit hodie, cùm generali consuetudine talis subscriptio non adhibetur.

Aliter accusationem definiunt Marianus Socinus, & Beroius *in præsenti rubric.* & Duarenus suprà, videlicet, vt sit ius deferendi, vel vlciscendi, seu prosequendi in iudicio delictum: sed ex eorum & aliorum mente dicendum est, accusationem aliquando considerari, & accipi prout denotat factum, & actionem illam qua reus criminis ad iudicium defertur, & in causam criminalem trahitur; iuxtaque hunc sensum potest procedere communis definitio, paucis mutatis, ita quod accusatio sit *Delatio rei criminis in iudicium, ad publicam vindictam solemniter facta*. Et verbum *delatio*, ponatur loco generis, cætera verò constituant differentiam inter hanc, & alias delationes, quæ accusationem non continent. Aliquando verò consideratur, & accipitur accusatio non pro facto, sed quatenus continet quid iuris; & tunc ad similitudinem actionis ciuilis definiri potest, quod sit ius *deferendi reum criminis solemniter in iudicio ad publicam vindictam*. Ponitur *ius* loco generis, cætera verò loco differentiæ. Dixi, *reum criminis*, ad vitandam vnam, & alteram difficultatem, quam superiori numero adduxi. Dixi, *in iudicio*, tum ad explicandam naturam accusationis, per quam reus in iudicium, & causam trahitur: tum etiam ad excludendam delationem, seu ius quod non in iudicium, vel ad causam, sed ad supplicium pro sententiæ executione deducitur, *l. non tamen* 6. 6 Accusationis diffinitio.

ibi:

ibi: *Ad supplicium ducitur*, *ff. de appellat. l. addictos 7. C. de Episcop. audient.* Dixi etiam, *ad publicam vindictam*: quia propriè loquendo in hac tantùm consistit, & ad hanc solam pertinet accusatio, de qua agitur in hoc titulo; non verò ad satisfactionem læsionis, vel vtilitatem priuatam, seu pœnam parti applicandam, quæ magis per actionem, quam per accusationem petitur, *princip. Instit. de public. iudic.* Quare accusatio dicitur actio, *l. cùm ex vno, ff. de O. & A. l. 5. & 14. C. Theodos. eod. tit. l. si maritus, ff. ad leg. Iul. de adult.* Tandem adieci *solemniter*, tum ad explicandam solemnitatem præscriptam *in l. libellorum, ff. de accus.* tum etiam ad constituendam differentiam inter accusationem, & denunciationem, & inquisitionem, in quibus nulla desideratur solemnitas, *cap. super ijs, hoc tit. l. ea quidem, Cod. eod.* Nec tunc obstant iuris principia contra communem definitionem suprà expensa. Non primum, nam respondetur, in communi definitione considerari accusationem, prout significat actionem ipsam, per quam reus defertur in iudicium; & propterea non definitur accusatio per ius, sicut in simili vsucapio, vel præscriptio non definitur, quod sit ius, sed potiùs addictio dominij, &c. *l. 3. ff. de vsucap.* Quod verò Berolus vbi suprà obijcit, per verbum *delatio*, significari accusationem, sicut & verbum *deferre*, accipitur pro *accusare*, & delator pro *accusatore*, *l. ita tamen 10. in fin. l. mulierem 13. ff. eod.* & ita videtur definiri accusatio vt idem per idem, facilè refellitur, si supponamus, non esse inconueniens, quod accusatio in specie, prout accipitur in hoc titulo, definiatur per delationem, siue accusationem, tanquam per genus comprehendens hanc, & alias accusationes: quemadmodum rescriptum in specie, de quo *in tit. de rescriptis*, & adoptio in specie, & sententia in specie definiri potest, quod sit rescriptum, &c. adoptio, &c. sententia, &c. accipiendo rescriptum, adoptionem, & sententiam pro genere proximo, adiectis deinde alijs verbis differentiam constituentibus. Etiam dici potest verbum *delatio*, in communi definitione non accipi pro accusatione, sed pro adductione, seu deductione in iudicium, quæ est propria acceptio verbi *deferre*, quod per translationem significat accusare: & huic acceptioni magis consonat etymologia Diui Isidori adducta *in d. c. forus, vers. Accusator*, dum docet, accusatorem dici qui ad causam vocat, idest trahit, seu defert. Accedit lex *qui de crimine 9. C. hoc tit.* ibi: *In accusationem deductus est*, *l. penult. C. qui accusare*, ibi: *Delator, atque accusator*: & *l. indicasse 197. ff. de V. S.* vbi Iurisconsultus constituit discrimen inter detulisse, & accusasse, vt sub verbo *iudicasse*, primum gradum constituat, qui detulit; secundum, qui arguit; tertium, qui accusauit; vltimum, qui conuicit, vt explicat Decianus *d. lib. 3. cap. 2. nu. 4.* Nec etiam obstat difficultas expensa ex verbo *criminis*; iuncto *d. cap. 1. 81. dist.* nam differentia inter crimen, & peccatum, non procedit attento communi vsu loquendi, vt ea pluribus iuribus probant Nauarrus, & Berolus *vbi suprà*, iuxta quem loquendi vsum, qui verborum proprietati præfertur, *cap. ex litteris 7.* ibi: *Ad communem verborum intelligentiam, de sponsalibus*, & *l. librarum, §. quod autem, vers. nam &, ff. de legat. 3.* intelligi potest particula *criminis*, in dicta definitione: tum quia *in d. l. leuia*, dicuntur crimina leuia per comparationem ad alia grauiora, seu grauia; verumtamen adhuc illa leuia, eo ipso, quod crimina sunt, secundùm sermonis proprietatem sunt in se grauia peccata. Nec tandem vltima difficultas obstat, quia respondetur fatendo inscriptionem, vel subscriptionem non esse de essentia, aut substantia accusationis, & in aliquibus casibus non requiri; & propterea in dicta definitione, quam probamus, non fit mentio inscriptionis, aut subscriptionis; & loco illius apponitur particula *solemniter*, quæ refertur ad omnia solemnia in accusationibus necessaria, quæ licèt non pertineant ad essentiam accusationis, pertinent tamen ad eius formam, & ordinem, ad constituendam differentiam, per quam accusatio ab inquisitione, & denunciatione distinguatur.

De hac igitur accusatione hoc modo accepta, & defini-
7 De personis, qui accusare possunt. ta agitur in præsenti titulo; sed cùm in qualibet materia prius de personis agendum sit, ideò in hoc textu, & sequentibus, de accusatoribus, & quinam legitimi sint, tractatur: circa quos sciendum est, omnes regulariter legitimos credi accusatores, nisi specialiter accusare prohibeantur legibus. Hincmarus *epist. 7. cap. 4. Si quis autem scire desiderat, quales accusatores ac testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quid de accusatore faciendum sit, plenitèr in canonibus & legibus, quibus vnà cùm sacris canonibus sancta moderatur Ecclesia, poterit reperire.* Et Hadrianus Papa *in c. placuit, 2. q. 7.* ait: *Placuit eorum accusandi sacerdotes, & testificandi in eos vocem obstruere, quos non humanis, sed diuinis vocibus mortuos esse scimus, quia vocem funestam interdici potiùs, quàm audiri oportet.* Vocem funestam criminosum dixit Hadrianus, vt etiam Melchiades Papa, & Pelagius II. transcripti à Gratiano *in c. 2. 3. q. 5. c. 54. 2. q. 7.* explicat & illustrat Ant. Aug. *in notis ad can. 29. Hadriani Papæ.* Quare si cognouerimus, quæ istæ personæ sunt, simul agnoscimus cæteras personas, quibus accusandi facultas competit, vt aiebat Marcellus *in l. qui accusare 8. ff. hoc tit.* Faciunt textus *in l. qui accusare, C. hoc tit. cap. prohibetur, 2. q. 1.* & ita edictum hoc est prohibitorium, vt docuerunt Iul. Clarus *lib. 5. senteut. q. 14. §. fin. n. 1.* Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 6.* Duarenus *ad tit. de accus. c. 3.* Ant. Gomez *lib. 3. var. cap. 1. num. 31.* Et primò propter sexum accusare prohibentur fœminæ, *c. prohibetur 2. q. 1. c. de crimine 15. q. 3. d. l. 8. d. l. qui accusare, l. 5. ad leg. Fab. C.* nisi suam, suorumue iniuriam prosequantur, idest eorum, in quos ex lege testimonium inuitæ non dicunt, *l. 1. & 2. ff. hoc tit. l. 4. 5. 9. & 14. l. qui accusare, l. etsi 19. C. ad leg. Corn. de falsis, l. 4. l. 12. vers. nisi certis, C. qui accusare.* Audiuntur etiam in crimine læsæ Maiestatis, *l. in quæstionibus 8. ff. ad leg. Iul. Maiest.* vbi pro *iudicium*, legendum esse *indicium*, probat Gothofredus *in l. 3. C. Theodos. hoc tit. cap. sanè, §. vnde 15. q. 3.* annonæ fraudatæ, *l. mulierem 13. ff. hoc tit. l. fin. §. fin. ff. ad leg. Iul. de annon.* suspecti tutoris, *l. 1. § consequens, ff. de suspect. tutor.* hæresis, sacrilegij, & simoniæ, quia hæc delicta in pluribus æquiparantur læsæ maiestati, *l. 4. C. de hæret. l. si quis in hac 10. l. si quemquam 31. C. de Episc. & cleric.* Et licèt ad crimen falsi hoc extendat Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 7. nu. 18.* rectiùs tamen contrarium probat Ant. Matthæus *ad tit. de accusat. cap. 1. n. 2.* Secundò propter ætatem ab accusatione arcentur pupilli, adeò vt nec popularem actionem intendere possint, *d. l. qui accusare, l. mulieri & pupillo, ff. de popul. action.* nisi suam, vel suorum iniuriam persequantur, *l. 2. l. 8. l. 11. ff. hoc tit. can. 6. Synodi CP.* ibi: *Sed tamen omnibus, quibus accusatio denegatur, in causis proprijs accusandi licentia non neganda.* Fornerius *lib. 4. rer. quotid. c. 5.* Vnde apud Apuleium *in apolog.* Licinius Vitricum Apuleium capitali iudicio accusauit, idest magicarum artium, & maleficiorum, propter matrem suam, quam Apuleius magicis artibus ad sui maleficia pellexisse asserebat, vt exponit Gentil. *ad ipsam apolog. num. 39.* Etiam possunt pupilli de testamento patris adulterato, & de vitiato instrumento accusationem instituere, *l. 2. §. 1. l. 8. ff. hoc tit. l. 5. C. qui accusare.* In læsæ etiam Maiestatis diuinæ, & humanæ accusatione pupillos admitti, non malè docet Ant. Matthæus; siquidem alij, qui ius accusandi non habent, eo casu audiuntur, *l. famosi 7. l. in quæstionibus, ff. ad leg. Iul. Maiest.* Et licèt his casibus, quibus permissum est pupillis accusare, consilium tamen tutoris interuenire debere inuui videatur *in l. hi tamen 11. ff. hoc tit.* apud Paulum *lib. 5. sentent. tit. 12.* veriùs tamen est eo verbo auctoritatem simul intelligi, *ex l. 4. C. de auct. præstand.* Quod ad puberes, minores videlicet 25. annis attinet, lex Iulia de adulterijs specialiter eis vetat illius delicti accusationem; vnde à contrario deducitur, in alijs admittendos esse, *l. si maritus 15. §. lex Iulia, ff. ad leg. Iul. de adult.* immò & minorem accusare posse, si 17. annos habeat, & curatorem in iudicio, probatur *ex l. 1. ff. de postul. l. 4. C. de auct. præstand.* Et licèt in accusatore eosdem 20. annos, qui in teste desiderantur ad testimonium perhibendum in causa criminali, *ex l. in testimonium 20. ff. de testibus*, petant Decian *lib. 3. tract. crim. cap. 12.* Iul. Clarus *libro 5. sent. §. fin. quæst. 24. num. 7.* Farinac. *in praxi, quæst. 12. num. 15.* meritò tamen contrarium tenuit Ant. Matthæus *vbi suprà*, quia non vt ex fide testis, ita ex fide accusatoris salus rei pendet.

Ob conditionem suam accusare non possunt serui, 8 Referuntur alij qui accusare nequeunt.
capite canonica, vers. Aut libertos, capite accusatores, §. fin. capite nullus 3. quæst. 5. l. 26. Codice ad leg. de adult. nisi in criminibus læsæ Maiestatis diuinæ, aut humanæ, fraudatæ annonæ, falsæ monetæ, fraudati census, in quibus serui etiam contra Dominos audiuntur, *l. vix certès 53. ff. de iudicijs, l. 7. §. serui, ff. ad leg. Iul. maiest.* Licèt etiam seruo deferre interfectorem domini sui, *l. 1. Codice de precibus Imper.* & dominum accusare de suppressis tabulis, in quibus liber esse iussus erat,

Digitized by Google

d. l. vix 53. l. 7. ad leg. Corn. de falſ. Sed hoc emendatum credit Ant. Matthæus *d. c. 1. nu. 4. in l. penult. C. qui accuſare*, vbi tantùm in crimine læſæ Maieſtatis ſeruos audiri contra dominos, Arcadius, & Honorius ſanxerunt, licèt *in l. vnic. C. Theodoſ. ne propter crimina ſerui*, vbi ea conſtitutio reperitur, deſit taxatiua *tantùm*, circa filios exiſtentes in ſacris paternis; licèt enim legitimam perſonam habeant ſtandi in iudicio, *l. non 44. §. 1. l. licet 56. ff. de iudicijs, l. 6. & 7. C. eod. tit.* verius tamen eſt, niſi conſentiente patre accuſare non poſſe, *l. ſed vnius 17. §. filio, ff. de iniurijs*, excepto adulterij crimine propter vindictam proprij doloris, *l. inter 6. §. penult. l. filium 37. ff. ad l. Iul. de adult.* Etiam propter ſacramentum in ingreſſu militiæ præſtitum accuſare non poſſunt milites, ne occaſione hac diſcedant à caſtris, niſi ſuam, vel ſuorum iniuriam proſequantur, aut in criminibus legis Iuliæ Maieſtatis, vel fraudatę annonæ, *l. 8. l. ſi tamen 11. ff. hoc titulo, l. & ſi crimen, C. qui accuſare, l. famoſi 7. §. 1. ff. ad leg. Iul. Maieſt.* Ad veteranos extra caſtra degentes hæc prohibitio non extenditur, quia non militant, etſi delatores eſſe prohibeantur, *l. deferre 18. §. veteranis, ff. de iure fiſci.* Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 16.* Etiam Magiſtratus illi, qui imperium exercent, accuſare non poſſunt, quia & ipſi ratione officij accuſare nequeunt, *d. cap. prohibetur, d. l. 8. ff. hoc tit.* niſi Magiſtratus minor ſit, qui imperium non obtinet, qui & accuſare, & accuſari valet, *l. nec Magiſtratibus 32. de iniurijs.* Propter crimen plures accuſare nequeunt, veluti Hæretici, Pagani, *cap. alium*, cum ſequentibus, *cap. 1. & 2. cap. ſuſpectos, c. canonica, cap. nullus, 4. quæſt. 1.* inceſtuoſi, *cap. conſanguineum, 3. quæſt. 4.* ſortilegi, ſeu magi, *cap. fin. 2. quæſt. 8. c. conſtitutus, 3. quæſt. 5.* aut ſimili grauiori crimine implicitì, *cap. cùm dilecti, hoc titul. cap. ſuperſunt, c. quærendum, 2. quæſt 7.* quia iniquum eſt rationem vitæ ab alio repoſcere, qui non poſſit ſuæ reddere. Eleganter Cicero *de diuinatione*, ibi: *Nulla ſalus Reipublicæ maior eſt, quàm eos, qui alterum accuſant, non minùs de laude, de honore, de fama ſua, quàm illos, qui accuſantur, de capite, ac fortunis pertimeſcere.* Itaque ſemper ij diligentiſſimè, laborioſiſſimeque accuſarunt, qui ſe ipſos in diſcrimen exiſtimationis venire arbitrati ſunt: ideò accuſare nequeunt, qui in reatu ſunt, donec abſoluti fuerint, vel condemnati; ſalua tamen ciuitate, & exiſtimatione, *l. 4. ff. hoc tit. l. neganda, C. qui accuſare, l. 5. de public. iudic.* nam infames infamia iuris omninò ab accuſando arcentur, *l. 4. & 8. ff. hoc titulo, l. crimini 15. C. qui accuſare, l. 1. §. quorum, ff. ad Turpil. l. ob hæc 20. ff. de his qui notant. infamia.* Decianus *lib. 2. tract crimin. c. 17. & 24.* Ob paupertatem accuſare nequeunt, qui minùs quàm 50. aureos in bonis habent, *l. nonnulli 10. ff. hoc titul.* quæ extat *in c. prohibetur, §. nonnulli, 2. quæſt. 1. cap. in primis, §. ſed de perſonis, ead. quæſt.* Decianus *d. lib. 3. c. 22. nu 19.* Iul. Clarus *d. §. fin. quæſt. 14. nu. 20.* Farinac. *q. 14. nu. 48.* & meritò, cùm credantur præmij dumtaxat cauſa ad accuſationem accedere, eandemque ad diuitias aſſequendas viam affectaturos, qua Hiſpo graſſatus eſt, de quo Tacitus *lib. 1. annal.* ibi: *Formam vitæ inijt, quam poſtea celebrem miſeriæ temporum, & audaciæ hominum fecerunt; nam egens, ignotus, inquies, dum occultis libellis ſæuitiæ Principis adrepit, mox clariſſimo cuique periculum faceſſit, potentiam apud vnum, odium apud omnes adeptus, dedit exemplum, quod ſequuti, ex pauperibus diuites, ex contemptis metuendi, perniciem alijs, ac poſtremùm ſibi inuenere.* Denique idcircò pauper, etſi probus videatur, ad accuſandum non admittitur, quoniam talio eſt calumniæ pœna, *l. non priùs 7. l. vlt. ff. de calumn.* & eam pauper pati non poteſt, qui bona non habet, etſi infami litera deterreri poſſit, vt aiebat Plinius *in Panegyr.* relatus ab Ant. Matthæo *d. c. 1. nu. 10.* Inde quia quæſtus gratia accuſat, non auditur, *cap. ſignificante 5. qui matrimonia accuſare.* Etiam non admittitur ad accuſandum, qui in duos reos eodem tempore iam inſcripſit, etſi diuerſorum criminum; nam quo minus ſucceſſiuè plures reos quis faciat, aut eiuſdem criminis plures quis eodem tempore accuſet, ius non impedit, *d. l. 8. ff. hoc tit. l. cùm rationibus 16. C. qui accuſare, l. 2. C. ſi reus.* Nec contrarium probatur *in l. hos accuſare 12. §. lege, ff. hoc tit.* nam ibi pro *duobus*, legendum eſſe *tribus*, iam notauit Cuiac. *lib. 6. obſer. cap. 12.* Item accuſare non poſſunt inimici, vt dicemus infrà *in c. meminimus.* Tandem ſunt alij, qui accuſare poſſunt, ſed non omnes; nam liberti, alumni, & familiares perſonæ non poſſunt accuſare parentes, patronoſue ſuos, quia ciuiliter de eis tantùm queri debent ſui patrimonij defendendi cauſa, *l. 8. §. vlt. l. 11. §. 1. ff. hoc tit. l. iniquum 17. §. penult. C. qui accuſare, l. 9. C. ad leg. Cornel. de falſ. l. 2. & 5. C. ad leg. Cornel. de falſis.* Inde inferior ſuperiorem, vel minor maiorem accuſare non poteſt, *cap. qualis, §. final. c. ſequent. c. maiorem, c. quærendum, c. in ſancta, 2. quæſt. 7.* exponit Vighel. *in methodo iuris can. lib. 1. cap. 6 fol. 35.* etiam ob cognationem frater aduerſus fratrem non auditur in criminibus grauioribus, *l. ſi magnum 13. l. ſi ſororem 18. C. qui accuſare*: reliquorum cognatorum nulla habetur ratio. Nec contrarium probat textus *in l. tutor 9. ff. de ſuſpect. tutor.* non enim ibi prohibetur cognatos, & affines accuſare, ſi aliquod grauius delictum admiſerint; ſed vetatur cum nota, & infamia eos remouere, ſi quid leuius admiſerint, ita vt ſuſpiciones magis, & mores, quàm crimina ſuſpectos fecerint. Proſequuntur alias perſonas, quæ accuſare nequeunt, Lancellotus, & Conradus *in praxi crimin. tit. de accuſat. nu. 9.* Iulius Clarus *d. §. finali, quæſt. 14. per totam*, vbi latè Baiardus, Farin. & Decianus *vbi ſuprà.*

His ſuppoſitis apparet ratio præſentis textus; nam cùm illegitimi accuſatores in iudicio ad accuſandum non admittantur, ad eorum petitionem non debet fatigari, aut moleſtari accuſatus, immò potiùs accuſator repellitur à iudicio, & ipſe accuſatus abſoluitur à iudicij inſtantia; ſicut enim Reipublicæ intereſt delicta detegi, in iudicium quę deduci ad publicam vindictam, ne ipſa maneant impunita, *cap. ſi omnia 6. quæſt. 1. l. illud, ff. ad leg. Aquil.* ita etiam illi expedit, ne ab omnibus propoſita accuſatione fatigetur accuſatus, alioquin eueniet ſæpe ſæpius priuato odio innocentes iniqua accuſatione fatigari, & aliquando nocentes pœnam euadere præuaricatione, ſeu tergiuerſatione aduerſatij, iuxta textum *in cap. ſi qui 2. quæſt. 4.* contingeretque criminis reum accuſare crimininoſum, vitam alienam arguendo, qui propriam emendare nolebat, cùm ille qui trabem geſtat in oculo, feſtucam de oculo fratris eruere non poſſit, vt Chriſtus Dominus aiebat apud Lucam *cap. 6.* relatus *in cap. ſi crimen 6. quæſt. 1.* Vnde in criminali iudicio priùs agendum eſſe de legitimatione accuſatoris, docetur *in cap. in primis, 2. quæſt. 1. l. ſi quæramus, ff. de teſtam.* Meritò ergo Felix II. in præſenti docet, fatigandum non eſſe accuſatum, ſi legitimus non ſit accuſator. Et licèt Felix tantùm agat de Epiſcopo accuſato, accipiendus tamen eſt iuxta generalem litteram, quæ reperitur in hac ſexta collectione, de quocunque accuſato, & quocumque accuſatore, in iudicio publico, ſiue priuato; quia in quocunque iudicio criminali legitimus eſſe debet accuſator. Quo verò caſu tempore legitimari debeat perſona accuſatoris, exponit Carleual *tom. 2. de iudic. tit. 1. diſp. 4.* 9 Traditur dubitandi ratio.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, pro cuius ſolutione diſcrimen conſtituendum eſt inter eum caſum, in quo notorium eſt, ſeu iudici conſtat, vel ex libello, ſeu forma accuſationis, accuſatorem illegitimum eſſe; & inter eum caſum, in quo illegitimitas accuſatoris ante citationem iudici notoria non erat, ſed poſtea apparuit. Primo caſu ad petitionem illegitimi accuſatotis fatigari reus minimè debet, nec in iudicio cogitur comparere, *cap. placuit, §. liberti 4. quæſt. 3. cap. ſi Epiſcopus 8. 3. quæſt. 1. cap. bonæ 36. in fin. de elect.* quoniam tunc iudex ex officiò ſuo illegitimum accuſatorem à iudicio repellere debet, licèt reus de eius illegitimitate non excipiat; quia etſi iudex officium ſuum impartiri non debeat propter priuatum commodum, *cap. ad noſtram, de iureiur. l. 4. §. hoc autem, de damno infect.* tamen hoc in caſu ex officio proprio accuſatorem à iudicio repellit, quia hæc illegitimitatis exceptio non ſolùm reſpicit priuatum commodum, ſed honorem iudicij, & publicam vtilitatem, argumento textus *in cap. ſi qui ſunt, cap. quærendum, 2 q. 7. cap. 1. cap. exceptionem, de except. l. vlt. ff. de petit. hæredit.* notat Gloſſa verbo *Repellere, in cap. nulli, hoc tit.* Socinus *hic, num. 15.* Butrius *num. 13.* qui hoc caſu accipiunt præſentem Felicis ſententiam. Secundò verò caſu, quando iudici accuſatorem illegitimum eſſe conſtat, reus ab eo impetitus comparere tenetur; & ſi non compareat, vt contumax puniri poteſt; & ſi poſtea appareat accuſatorem illegitimum eſſe in proſequutione iudicij, reus abſoluitur, nec fatigatur. Quo caſu procedit textus *in d. cap. veniens, hoc tit.* in cuius ſpecie Epiſcopus accuſatus comparere iubetur ad purgandam contumaciam; quia licèt illegitimus eſſet accuſator, hoc tamen Pontifici non conſtabat ante citationem, ſed poſtea apparuit; ideòque comparere debebat Epiſcopus, ſaltem exceptionem illegitimitatis allegatu- 10 Diſſoluitur dubitandi ratio.

gaturus, ne Pontificis auctoritas illudi videretur, contra textus *in l. ex quacunque, ff. de in ius vocand. l. 5. ff. de iudicijs*: quo modo exponit textus *in cap. si duobus, cap. cùm parati, de appell.* Socinus *in d. cap. veniens, nu.* 11. Ex qua doctrina deducitur, quod si reus fuerit citatus ad petitionem illegitimi accusatoris, de cuius illegitimitate iudici ante actionem non constiterat, & ipse exceptionem illegitimitatis non opposuit, iudicium valet, *l. qui accusare, l. hos accusare, ff. hoc tit.* Docent Butrius *hic, nu.* 5. Bartol. *in l.* 1. *§. accusatoris, ff. ad Turpil.* Et similiter si cùm accusationem instituit, legitimus, & idoneus erat, sed post causam inchoatam, in ipsius prosequutione illegitimus reddatur, propter superuenientem illegitimitatem à iudicio repelli non debet, quia licèt accusationem de nouo proponere non possit, tamen prosequi eam valet rectè, *l. si quis reus, ff. de public. iudic.* vbi condemnatus, & etiam deportatus, prosequitur iudicium inchoatum, quod propter bonum publicum, & iudiciariam auctoritatem procedit, *l. si quis, ff. ad leg. Iul. de adult.* Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum *ex d. cap. cùm P.* cui respondendum est, non posse reum ad petitionem illegitimi accusatoris fatigari, adeò vt reo accusato purgatio canonica indicenda non sit, propter infamiam insurgentem ex calumniosa, & minus solemni accusatione, vt probat textus *in c. qualiter, el* 2 *hoc tit. c. cùm insinuatione, de præsumpt. c. cùm in iuuentute, de purgat. canonic. cap. auditum* 2. *quæst.* 6. *c. in cunctis* 11. *q.* 3. in quibus purgare se reus non debet ab infamia criminis, quæ originem habuit ab inimicis, & illegitimis accusatoribus, vt docent Hostiensis *in d. cap. veniens, nu.* 5. Morla *in empor. tit. de iurisd. num.* 121. quia quando infamia non nascitur ex probabilibus coniecturis, quoad iuris effectum infamia non dicitur, sed tantùm sunt vanæ populi voces, de quibus curandum non est, *c. Osius* 2. *de elect. l. Decurionum, C. de pœnis.* Nec contrarium probant textus *in d. cap. cum P. cap. veniens*, quia in eorum specie ad instantiam illegitimi accusatoris non iniungitur purgatio propter infamiam à tali accusatione prouenientem, sed propter publicam infamiam, qua reus notatus erat ante accusationem, ob quam indicta fuit purgatio, vt docet Morla *vbi suprà, num* 121.

11 Dissoluitur vltimum augmentum difficultatis. Nec obstat vltimum augmentum difficultatis, pro cuius solutione sciendum est, dubium esse apud Interpretes, an aliquis sine accusatore damnari possit. In qua quæstione communem opinionem sequutus negat Corrasius *lib. singul. epistolic. qq.* pro qua sententia faciunt textus *in l.* 6. *§. rescripto*, & *§. si quis accusatorem, ff. de muner. & honor.* vbi docetur eum, qui non habet accusatorem, honoribus interim non esse prohibendum. Marcus Tul. *in oratione pro Roscio Amerino*, vbi ait, *nocentem, nisi fuerit accusatus, damnari non posse.* Et *lib.* 2. *de officijs*, omne iudicium accusatione, & defensione constare scribit. Suffragantur DD. qui in omni iudicio has personas necessarias esse tradiderunt, accusatorem, reum, & iudicem, *cap. forus* 10. *de V. S. cap.* 1. 4. *q.* 4. & accusatorem in primis requiri, constat ex D. Ambros. *epist. ad Siagrium*, ibi: *Si leges publicas interrogemus, accusatorem exigunt.* Ex Marci rescripto de Auidio Cassio apud Vulcacium Gallianum, ibi: *Adde quod non possumus reum facere, quem nullus accusat.* Hinc Christus Dominus, cuius omnis actio est instructio, Iudam, etsi furem esse compertum haberet, non abiecit, eo quòd a nullo esset accusatus, vt expendebat D. Ambrosius *in cap. si quis potestatem*, 23. *quæst.* 4. & cùm adulteram mulierem deprehensam nemo accusaret, dixit: *Nec ego te condemno*, apud Ioannem *cap.* 8. Eoque pertinet quod in actis Apostolorum legimus, Romanis morem non esse hominem vllum ad necem condemnare priùs quàm reus præsentes habuisset accusatores. Contrariam tamen sententiam tenuit Duarenus *lib.* 1. *disp. cap.* 38. Sed placet in hac Doctorum varietate media sententia, quam sequitur Fornerius *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 24. qui ait, neminem sine accusatore esse damnandum, vel eo qui accusatoris vice fungatur, veluti denunciatio, delatio, publica fama: quandoque enim priuati, quandoque ex officio, vt stationarij, curiosi, vel similes, crimina notoria deferunt, vt post eiusmodi denunciationem iudex contra reum delatum in crimen inquirat, *d. l.* 6. *§. nunciatores, ff. ad Turpil. l. ea quidem, C. de accusat. l.* 1. *C. de curiosis, lib.* 12. Quo casu nuntiator loco accusatoris est, vt de publica fama probabimus infrà *in cap. euidentia*: & hoc sensu legimus Claudium Gotgum lenocinij absque accusatore damnatum, *l.* 1. *§. vnde quæri, ff. ad leg. Iul. de adult.* & Iulium Cæsarem capitali supplicio affecisse libertum, alioqui sibi gratissimum (quamuis nullo accusante) eo quòd Equitis Romani vxorem adulterasset, apud Suetonium *in Iul. cap.* 48. Vnde intelligitur lex 1. *C. de custod. reor.* in illis verbis: *Siue accusator existat, siue eum publicæ solicitudinis cura produxerit.* Vbi per publicæ solicitudinis curam intelliguntur officiales, stationarij, milites, seu hierarchæ, de quibus Tertul. *in apolog.* ait: *Latronibus inuestigandis per vniuersas prouincias militaris statio sortitur.* Fornerius *lib.* 1. *disput. cap.* 38. Reuardus *lib.* 4. *variar. cap.* 11. Duarenus *vbi suprà*.

12 Exponitur cap. nulli 4. hoc tit. Sed suprà traditæ assertioni primò obstat textus *in cap. nulli* 4. *hoc tit.* vbi cùm quidam familiares cuiusdam Episcopi ipsum de quodam crimine accusarent, ipse exceptionem illegitimitatis opposuit, asserens eos criminosos esse, malæ famæ, & vilis opinionis: cùmque quæreretur, an accusatores essent audiendi, respondit Paschalis, non licere Episcopo à sua accusatione repellere, quos à sua communi familiaritate neglexit separare, antequam ipsum accusarent. Ex quo textu deducitur, criminosos ad accusandum Episcopum admitti, nec etiam opposita criminis exceptione eos repelli: igitur etiamsi illegitimus sit accusator, reus vexatur. Agnouit difficultatem Glossa in eo textu, & eam soluere intendit duplici modo. Primò asserit, criminosos accusatores in huius textus specie admissos fuisse, quia Episcopus de exceptis criminibus publicè infamatus erat, in quibus illegitimi etiam, & minus idonei accusatores admittuntur, *cap. per tuas, de simonia*, & suprà probaui. Quam Glossæ sententiam plures tenuisse asserit Hostiensis *ibi, nu.* 3. Sed quia hæc solutio verbis textus non congruit, siquidem in eo non agitur de criminibus exceptis, ideò ab ea recedit Glossa, & veriùs docet, quod licèt criminosi legitimi accusatores non sint, iuxta suprà tradita; tamen cùm Episcopus accusatur à suis familiaribus, non potest eos vt criminosos repellere, cùm priùs deberet eos à sua familiaritate abijcere, aliàs non creditur homines malæ famæ, & vilis opinionis in sua familiaritate retinuisse, vt in eo textu dicemus.

13 Exponitur l. 3. §. præterea, ff. de suspect. tutor. Secundò suprà traditis obstat textus *in l.* 3. *§. præterea, ff. de suspect. tutor.* in illis verbis: *Præterea videndum est, an & sine accusatore possit suspectus repelli? Et magis est, vt repelli debeat.* Ex quibus apertè constat, posse quem sine accusatore damnari: ergo multò faciliùs cum illegitimo accusatore. Nec dici potest, in eo textu iudicem per inquisitionem processisse; quia ad vtilitatem priuatam officio suo iudex crimen inquirere non potest, vt ibi notauit Gothofred. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est; quod licèt regulariter nemo damnetur sine accusatore, tamen iure singulari receptum est, quod si Prætori liqueat argumentis euidentissimis tutorem suspectum esse, & malè versari in tutela, vel cura, eum remouere possit, quod specialiter inductum fuit pupillorum fauore, & ob publicam vtilitatem, quoniam negotia pupillaria pertinent ad publicam curam, *l.* 10. *§. vlt. ff. de testam. tutel. l.* 1. *ff. de excus. tut. l.* 2. *ff. qui petant tutor. l.* 2. *§. tractari, ff. ad Tertyl. l.* 19. *Codice Theod. de curat.* vt expressè docetur *in d. §. præterea*, & notauit Cuiac. *ad tit. Cod. de suspect. tutor.*

Etiam præsenti assertioni opponi potest textus *in c. quàm graui, de excessibus Prælat.* cuius interpretationem dedi *in c.* 2. *de confess. c. Porrò, de diuortijs*: & eius interpretationem in eius notis adduxi.

C A P V T II.

a Felix.

HÆc sunt quæ deinceps propter malorum hominum insidias, qui in Ecclesiam & in ecclesiasticos sæuiunt viros indifferenter, conseruari firmissimè volumus in sæcula. Si quis Episcopus ab illis *b* accusatoribus, qui *c* recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab

eis *d* charitatiuè conuentus fuerit, vt ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad Summos *e* Primates causa eius canonicè deferatur, qui in congruo loco intra ipsam prouinciam, tempore congruo, idest autumnali, vel æstiuo, Concilium regulariter conuocare debebunt, ita vt ab omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis inibi audiatur. Quò & ipse regulariter conuocatus, si eum aut infirmitas, aut alia grauis necessitas non detinuerit, adesse debebit; quia vltra prouinciæ terminos accusandi antè licentia non est, quàm audientia *f* rogetur.

NOTÆ.

1 a FElix.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.8.* in hac autem sexta collectione legitur *idem*, quasi idem auctor sit huius textus, & antecedentis: sed Felicem II. auctorem esse illius textus, iam probaui; præsentem verò textum esse Felicis I. constat ex eius epistola 2. quæ extat *tom.2. Concilior.* ex qua transcripsi litteram huius textus, etiam neglecta temporum serie. Concius vtrumque caput eiusdem Felicis esse arbitratur. Burchardus *lib.1. Decreti, cap.169. & 174.* Carnotensis *lib.5. Decreti, cap.271. & 292.* ex Felice illum citant. Etiam reperitur textus hic in collectione canonum Hadriani notis illustrata ab Ant. Augustino *tom.1. Concilior. Binij*, & 18. Regiæ editionis, *canon.5.* Huius thematis sententia refertur tum ab Athanasio, & Alexand. Synodo, tum ab eodem Felice minore *capit.2. & 3. epist.1. ad eundem Athanasium*, qui testis est, hoc etiam fuisse sumptum ex Nicæna Synodo: sed ante eam Synodum eadem fuit sententia tam primi Felicis, quàm Stephani *epist.2.* & posteà reperitur *in addit. c. lib.7. c.143.* Felix primus electus fuit vltimo die anni 172. & martyrio coronatus die 30. Maij, anno 275. vt post Baronium in eo anno, & in Martyrol. die 30. referunt Binius *d. tom.1. Concil.* Ciaconius *tom.1. de vit. Pontific.* Carolus à sancto Paulo *in Biblioth. Pontific. littera F.*

2 b *Accusatoribus.*] Glossa, Abbas, & repetentes in præsenti anxiè quærunt, quomodo plures accusatores admittantur in hoc casu, cùm non possint plures vnum simul accusare, quando agitur ad publicam vindictam, *l. si plures 16. ff. boc tit. l.2. in fine, l.29. §. penult. ff. ad leg. Iul. de adult. l.4. C. hoc titul. l.3. in princip. & §. si ad plures, ff. de sepulchr. violat. l.13. tit.1. part.7.* latè docent Ant. Matthæus *ad tit. de accusat. cap.2.* Ant. Gomez *lib.3. variar. c.1. num.35.* Iul. Clarus *§. vlt. q.13 num.1.* Decianus *lib.3. tract. crimin. c.32. à princip.* ex quibus sunt qui affirment, principium hoc procedere tantùm in accusatione, non verò in denunciatione, de qua in præsenti agitur. Sed hanc solutionem reijciunt Abbas hic, *nu.2.* Felinus *nu.1.* quia ratio, qua nititur Consultus *in d. l. si plures*, æquè viget in denunciatione, ac in accusatione, nec in hac parte inter eas vllum datur discrimen. Quare ea solutione omissa, communiter placuit, Felicem in præsenti agere de pluribus accusatoribus; non quia plures simul admitti debeant, iuxta textus proximè adductos; sed quia si fuerint admissi, & accusatus non opponat, processus sustinetur. Ità docuerunt Glossa 1. *per textum ibi, in d. l.4. C. boc tit.* Abbas, & alij repetentes *in præsenti*, Ant. Gomez, & Iul. Clarus *vbi suprà*. Verùm hæc interpretatio admitti nequit, quia credi non potest, sanctum Felicem agere de pluribus accusatoribus, qui attento iure communi admitti non possunt, etiamsi ijsdem admissis processus sustineatur, parte non opponente. Alij discrimen constituunt inter eum casum, in quo plures aliquem accusare volunt ad vindictam tantùm publicam, nullum interesse ex accusatione capientes, nec suam, suorumue iniuriam prosequentes; & inter eum casum, in quo interesse ad accusandum procedunt; quando enim nullius accusantium interesse versatur, ex accusatoribus vnus eligitur, qui sit magis idoneus, *d. l. si plures*, cum similibus. Secundo verò casu quando omnium accusantium interesse versatur, omnes admitti debent, *cap. olim, boc tit. l.3. §. si plures, ff. de sepulchro violato:* docent Salicetus *in d. l.4. C. boc tit.* Anania *in cap.1. nu.3. de colluf. deteg.* Iul. Clarus *d. §. fin.* Greg. Lopez *in d. l.3. partit.* quo casu accipiunt præsentem textum; nam cùm subditi Episcopum suum de criminibus deferunt, post admonitionem causam suam prosequuntur, & pro suo interesse Episcopi crimina coram legitimo iudice deferunt; nam cuiuslibet eorum interest bonum habere Prælatum bonis moribus præditum; vnde meritò omnes accusatores admissi fuerunt. Sed veriùs dicendum est, in præsenti textu Pontificem non agere de vno, vel pluribus accusatoribus vnius delicti, vel Episcopi; sed tantùm regulam generalem tradere seruandam in accusationibus Episcoporum: vnde supponit Pontifex, eos tantùm admittendos esse, qui de iure possint admitti; siquidem signanter ait, *qui recipiendi sunt*. Per quæ posteriora verba non tantùm explicantur, verùm etiam restringuntur præcedentia, quæ de pluribus agunt, ita vt non comprehendant omnes cuiuscunque qualitatis, sed illos, qui recipiendi sunt, & ita legitimos, iuxta tradita superiori commentario: & deinde non semper, nec indistinctè admittantur omnes in quibuscunque casibus, sed illi qui in ijsdem recipiendi sunt, idest in casibus, in quibus iure possunt recipi, prout contingit vbi plures non de vno, sed de pluribus criminibus aliquem accusant, vt innuit Pontifex in illis verbis: *Causa eius ad Primates canonicè deferatur*; significans non vnam, sed plures causas criminum contra Episcopum proponi, veluti plures ratione vnius officij, veluti tutoris; vel vnum repræsentantes, *cap. licèt, cap. penult. hoc eodem titulo*; pro suo commodo, & in causam propriam, veluti cohæredes, aut consortes eiusdem litis: vel ratione iniuriæ communis plures vnum de vnico crimine accusantes, iuxta tradita per Bartolum *in d. l. si plures*; vel cùm plures inter se ita conueniunt, quo casu etiam in iudicijs publicis plures admittendos esse docuerunt Duarenus *lib.1. disp. cap.39.* Ant. Matthæus *ad tit. de accusat. cap.2.* vnde Felix in præsenti generalem tradit doctrinam seruandam in accusatione Episcoporum, iuxta principia iuris, non quia specialiter consultus fuisset de Episcopo à pluribus accusato.

c *Qui recipiendi sunt.*] Idest non criminosi, & infames, 3
vt posteà exposuit in eadem epistola Pontifex *in cap. infamis persona 3. q.7. cap. si accusatorum 3. quæst.10.* & alij similes. Nec obstat textus *in cap. oues 2. quæst.7.* vbi docetur, quod subditi Prælatum suum accusare non possunt, nisi à recta fide deuiauerit: ergo in præsenti textu non rectè supponit Felix, Episcopum à proprijs subditis fuisse accusatum. Augetur hæc difficultas *ex cap. clericus, ead. quæst.* vbi apertè docetur, sacerdotes aduersùs Episcopum nec accusationem proponere, nec testimonium proferre posse; quod latiùs probant Baronius *anno 112. num.10. & 199. nu.6.* Turrianus *lib.3. pro canon. c.12. & 13.* Pro cuius difficultatis solutione discrimen est constituendum inter subditos bonos, & criminosos; & inter accusationem ex affectu fraternæ charitatis propositam, & inter eam, quam prauo, & maligno animo proponunt. Primò casu prohibentur criminosi, & etiam illi, qui malo affectu, non ex charitate, sed ex prauitate vitam superiorum infamare & reprehendere intendunt. Vnde Euaristus *in c. si qui sunt 17. 2. q.7.* prohibet ne opinione indiscussâ audiantur accusatores Episcoporum. Illustrat Ant. August. *in notis ad can. Hadriani V. Concilior. fol.569.* secundo verò casu Episcopi ab honestis, & probis subditis ex affectu charitatis accusari valent: vnde D. Augustin. ait *in cap. præsumunt, 2. q.7. Præsumunt Prælati non debere se reprehendi, vel accusari pro eo, quod canones passim non constituerunt eos accusandos: quod tantùm negatur solis criminosis, cùm de se reprehendendo Veritas ipsa testetur: Si malè locutus sum, perbibe testimonium de malo.* Facit Damianus P. in quadam epistola ad Alex. Pap. *Quis est bic arrogantiæ tumor, quis elationis fastus, vt quod insolenter excessum est, à suis subditis dedignentur audire? Nec bis allegationibus vtendum est, vt dicant, se non debere ab bis accusari, ne videantur suis excessibus velamen obtendere.* Et in *c. quærendum, ead. 2. q.7.* dicitur quod qui non sunt rectæ fidei, & conuersationis, & quorum vita est accusabilis, non possunt maiores natu accusare; & hoc casu intelligendi sunt textus *in d. c. oues, c. qualis, c. maiorum, c. sententia, 2. q.7.* in quibus prohiberi videtur talis accusatio: at verò subditi probi, & aliàs ad accusandum idonei, possunt suos Prælatos accusare, vt probat textus sic intelligendus *in cap. sicut 46 2. quæst.7.* & hoc casu procedit præsens textus, vbi statuit Felix Episcopum non à quibuslibet posse accusari, sed ab illis tantùm, qui recipiendi sunt; hoc est, à subditis probis, & honestis, & ex affectu charitatis accusationem proponentibus. Nec huic solutioni obstat textus *in d. cap. oues,*

oues, in illis verbis: *Niſi à fide exorbitauerit*. Ex quibus deducitur, ſacris canonibus eſſe definitum, & præſcriptum caſum, in quo ſubditi poſſunt accuſare ſuos Prælatos: igitur in nullo alio caſu Prælati accuſatio ſubditis eſt permittenda: nam huic difficultati facilè ex ſuprà dictis reſpondetur; ea enim verba ſic intelligi debent, quod ſubditi, criminoſi, & infames Paſtorem ſuum accuſare non poſſunt, niſi à fide exorbitauerit: cæterùm ſi à fide diſceſſerit, tanta eſt huius criminis labes, vt etiam criminoſi ad eius accuſationem admittantur, *cap. in fidei fauorem, de hæret. in 6.* docuit Turriſcremata *in d. cap. oues, num. 2. & 3.* nec etiam obſtat textus *in d. cap. clericus*, cui omiſſa Gloſſæ duplici ſolutione ibi, *verbo Laicus*, reſpondendum eſt, textum illum procedere in clericis in minori gradu conſtitutis, qui maiorum crimina deferunt, non gratia correctionis, ſed ex prauo animo: qui merito ab accuſatione repelluntur, cum non ex affectu charitatis proſiliant; vt ibi notauit Turriſcremata.

4 d *Charitatiuè conuentus.*] Ideſt monitus, vt poſt Gloſſam exponunt omnes repetentes in præſenti. Sed tunc obſtat, quod Felix in præſenti agit de accuſatione, vt conſtat ex illis verbis, *accuſatoribus*, & *accuſatus*: at in accuſatione nulla requiritur monitio charitatiua, *cap. veniens, cap. licèt, hoc tit.* quia monitio tantùm deſideratur ad denunciationem euangelicam, quæ ad pœnitentiam, & emendationem dirigitur, iuxta caput *nouit, de iudicijs* & probatur *in c. qualiter 24. in fine*, ibi: *Denunciationem charitatiua monitio, hoc tit.* In accuſatione verò, per quam ad vindictam publicam agitur, à qua reus per pœnitentiam, & emendationem non liberatur, *l. qui ea 67. verſ. nemo, ff. de furtis*, ea monitio non eſt neceſſaria, nec effectum habere poteſt, vt ſatis colligitur *ex d. c. qualiter*, ad finem, vbi conſtituitur differentia inter denunciationem, in qua monitio charitatiua deſideratur, & accuſationem, in qua non monitio, ſed inſcriptio requiritur. Quam difficultatem vt effugiant omnes repetentes hic, præſentem textum accipiunt non de accuſatione, ſed de denunciatione; & verba illa, *accuſatoribus*, & *accuſatus*, pro denunciatoribus & denunciato accipit Gloſſa 1. *in præſenti*, & *in c. licèt Heli, hoc tit.* quam communiter ſequuntur omnes, vt refert Felinus *hic, num. 2.* Sed hæc communis interpretatio ſuſtineri non poteſt, ſiquidem expreſſè repugnat verbis textus. Deinde quia ex illis verbis, *cauſam emendet, & eam corrigere noluerit*, ſatis deducitur, Pontificem agere de accuſatione, per quam Epiſcopus impetebatur; quia damnum datum accuſatori non emendabat, partique læſæ non ſatisfaciebat: vnde alij putarunt, præſentem textum ſpecialiter procedere in Epiſcopo, qui accuſari nequit, niſi præmiſſa monitione: quem intellectum reijcit Abbas *hic, nu. penult. ex d. cap. veniens, d. cap. licèt*, qui fruſtra ſatisfacere intendit Beroius *hic, num. vlt. verſ. Circa ſecundum*. Quibus omiſſis dicendum eſt, ſanctum Felicem in præſenti agere de ſubditis accuſantibus Epiſcopum ciuiliter de crimine aliquo ad propriam vtilitatem, & emendationem damni ab eo dati, vt innuunt verba proximè expenſa: quo caſu neceſſaria eſt præcedens monitio, ideſt interpellatio extraiudicialis, *cap. ſi quis erga, 2. quæſt. 7.* cuius textus verba mirè conueniunt cum verbis præſentis textus; de qua etiam accuſatione ad priuatum commodum, ſeu propter damnum priuato illatum emendandum, loquuntur textus *in c. accuſatio 15. in fine 2. q. 7.* Alexander *epiſt. 1. poſt princip.* ibi: *De his clericis, & laicis, qui Epiſcopos, vel reliquos Sacerdotes priùs tam ad Primates eorum, quàm ad reliquos accuſant iudices, quàm auribus eorum, à quibus ſe læſos exiſtimant, inculcant, vt abeat, aut ius ſuum, aut iuſtam recipiant apologiam, &c.* Stephanus *epiſt. 2.* ibi: *Nec aliquis eorum* (Epiſcoporum) *aut Eccleſiarum actorum, vel defenſorum ad aliquos priùs accuſari debet, quàm ipſe charitatiuè bis, aut ter ab eis, qui ſe læſos exiſtimant, vel eos pro aliquibus erratibus corripere cupiunt, conueniantur, vt ab eis aut familiarem emendationem, aut iuſtam recipiant excuſationem.* Athanaſius ex Synodo Nicæna relatus ab Ant. Auguſt. *in epit. lib. 30. tit. 2.* ibi: *Si erga Epiſcopum, vel actores Eccleſiæ quiſquam cauſam habuerit, eos cum charitate manſuetè conueniat, vt ab eis vulnus rectè ſanetur, aut ipſe, ſi ſecus egerit, accuſator excommunicetur.* Vnde rectè iuxta antiquorum PP. ſententiam Felix in præſenti ſtatuit in accuſatione Epiſcopi procedi debere ad emendationem, quia agebatur de iniuria priuato illata. Facit textus *in l. quidam Hiberus 12 ff. de ſeruit. vrbanor.* iunctis Oſualdo *lib. 17 Donelli, cap. 1. littera B*, Meril. *lib. 3. obſeru. cap. 8.*

5 e *Primates.*] Quamuis inſpecto iure ciuili, & apud bonæ notæ auctores Primates paſſim dicantur, qui alios auctoritate, dignitate, vel officio antecellunt, & primum locum obtinentes, à reliquis diſtinguuntur, *l. ſciendum 4. verſ. Sed & ſi*, ibi: *Primatibus, ff. de legationibus, l. vlt. C. de offic. diuerſ. iudic. l. 1.* iuncta rubrica, *C. de Alexandriæ Primatibus, lib. 11. c. 1. de pace firmand. in vſib. feudor.* Tiraquel. *de nobilit. c. 37. nu. 36.* in iure tamen canonico Primas dicitur is, qui apud eccleſiaſticos in prouincia, regno, vel natione aliqua primam ſedis dignitatem habet: in quo ſenſu Primates appellantur Patriarchæ, quaſi Principes Patrum; qui Patriarchæ à Primatibus potiùs nomine, quàm re, dignitate, aut officio differre dicuntur *in cap. duo ſimul, de officio ordinarij, c. antiquæ, de priuileg.* docent plures laudati à Cenedo *ad Decret. collect. 58. nu. 1.* Cæſare *de eccleſiaſt. hierarch. diſp. 4. §. 3.* Iuxta hanc ergo acceptionem probat textus hic, cauſam in qua Epiſcopus accuſatur, deferendam eſſe ad Primates, ſeu Patriarchas: quod etiam probatur *in c. Primates 2. q. 1. cap. 1. in princip. 4. q. 5.* ibi: *Ad Primates prouinciæ.* Sed obſtat quod huiuſmodi cauſæ Epiſcoporum non ad Primates, ſeu Patriarchas, ſed ad Archiepiſcopos, vel Metropolitanos deferri debent, *authent. de ſanctiſſimis Epiſcop. §. ſi quis verò, verſ. Si autem*: ſeu ad Concilium prouinciale, ſeu nationale, *cap. 2. cap. accuſatus, cum ſequenti, 3. q. 6. c. ſi clericus, verſ. & ſi, 11. q. 1.* Trident. *ſeſſ. 24 de reform. cap. 1.* vel tandem ad Summum Pontificem, qui in grauioribus Epiſcoporum cauſis adeundus eſt, *d. c. accuſatus*. Cui difficultati vt ſatisfaciant Abbas *hic, nu. 3.* Barb. *de poteſtate Epiſcopi, allegat. 112.* accipiunt Primates in hoc textu pro Archiepiſcopis & Metropolitanis, qui etiam Primates dicuntur, *c. ſanè, de foro competenti*. Illuſtrant Boſquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epiſt. 5.* ſed cùm in præſenti de Primatibus maioribus agatur, neceſſariò per eos intelligendi ſunt Patriarchæ, iuxta tradita per Cæſarem *de Eccleſ. hierarch. d. diſp. 4. §. 2.* Quare hac ſolutione omiſſa diſtinguendum eſt cum Duareno *lib. 1. de ſacris Eccleſ. miniſtris*, inter ius antiquum Pontificium, & nouum; nam veteri iure canonico inſpecto non ſolùm diſcuſſio cauſarum criminalium Epiſcoporum, verum & ſententia ad Synodum prouincialem, vel Primates ſpectabat, vt probant textus ita accipiendi *in c. vltimo 3. q. 6 c. 1 & 2 6. q. 4. c. Epiſc. 65. 11 q. 3.* Nouiori tamen iure circa cauſas grauiores Epiſcoporum aliter cautum fuit, ita vt in illis ſola diſcuſſio Concilio Prouinciali, ſeu Primatibus permitteretur, Pontifici ſententia reſeruata, iuxta textus *in d. cap. accuſatus, cap. diſcutere, cap. quamuis, cap. multi, 3. quæſt. 6.* Nec contrarium probatur in hoc textu; nam vt rectè notauit Felinus hic, *num. 2. notab. 1.* Felix in hoc textu non docet cauſas criminales Epiſcoporum ad Primates eſſe deferendas, vt ab eis ſententia terminentur, ſed vt de eis iudicialiter cognoſcat; & ſi cauſa leuis eſt, quia Epiſcopus ciuiliter accuſatur, eam decidat; aliàs cauſa diſcuſſa Romani Pontificis ſententia expectetur. Proſequitur latiùs Marcha *in concordia Sacerdotij, & Imperij, lib. 3. cap. 16. cum ſequent.* vbi diſputat tam ex veteri, quam nouo iure, Epiſcoporum cauſæ à quo ſint terminandæ?

6 f *Refertur.*] Sequuntur in ipſa epiſtola alia verba, quæ extant *in cap. ſi Epiſcopus, 3. q. 2. cap. ſi ægrotans 5. q. 3. cap. infamis 3. q. 7. cap. peregrina 3. q. 6. cap. abſente 3. q. 9. cap. ſi accuſatorum 3. q. 10.*

C A P V T III.

Gregorius a *Guidiſcalco Duci Campaniæ.*

ILla *b* Præpoſitorum ſolicitudo vtilis, illa eſt cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, & furor ſibi nihil vendicat. Reſtringenda ergo ſub ratione poteſtas eſt, nec quidquam agendum priùs quàm concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore

iuſtum omne putat ira quod fecerit. Peruenit itaque ad nos, magnitudinem tuam vſque ad hoc eſſe impetu furoris impulſam, vt non ſolùm frangi ianuas monaſterij ſancti Archangeli, verùm etiam diripi exinde quod ibi inuentum eſt, feceris. Inſuper autem ſic contra Abbatem eiuſdem monaſterij diceris exarſiſſe, vt niſi occultans ſe, iracundiæ tuæ tempore latuiſſet, non leue diſcrimen incurriſſet: denique vt metu tuo perterritus, de domo, in qua ſe olim receperat, exire nunc vſque non audeat. Quod ne fruſtra feciſſe forſitan videreris, fugam monachi ipſius, qui ad hoſtes *c* abijt, ad eius, quantùm ad nos perlatum eſt, crimen impingis, aſſerens quod cum ipſius voluntate fugerit. Quod ſi ita eſt, contriſtamur, & valdè veſtram ſapientiam miramur. Nam ſi licitum putatis, vt aliorum culpa alijs ſit nociua, multi huic poſſunt crimini ſubiacere. Diuerſorum enim mobilium ſerui, multarum Eccleſiarum clerici, diuerſorum monaſteriorum monachi, multorum iudicum homines ſæpè ſe hoſtibus tradiderunt. Ergo ſi hoc creditur, ſeruorum vtique Domini, clericorum Epiſcopi, monachorum Abbates, diuerſorum fugitiuorum iudices, omnes ſub culpa ſunt & crimine conſtituti. Nunquid & diebus Magnitudinis tuæ multi de ciuitate, in qua conſiſtis, & ad *d* Longobardos milites fuga non lapſi ſunt? Et quis tantæ indiſcretionis, tantæque poſſit ſtultitiæ reperiri, vt eorum iniquitatem tibi æſtimet applicandam? Hæc itaque ſolicitè penſa, atque ex te aliorum cauſas æſtima, vt in quorundam aduerſitates falſis ſuſpicionibus non ducaris. Si verò eſt aliquis, qui de prædicti monaſterij Abbate poſſit aliquid dicere, quod ad *e* culpam, reatumque eius pertineat, nos hoc non negligi, ſed magis vnà quidem cum eis, quorum intereſt, cauſam omninò diſtrictè & ſolicite volumus perſcrutari, vt aut feriat vindicta culpabilem, aut abſoluat veritas innocentem. Si autem nullus inueniri potuerit, qui contra eum hoc, quod ſolus ipſe perhibes, aſſerat; hortamur, magnifice fili, vt à memorati monaſterij, Abbatiſque ipſius te aduerſitate contineas, & potiùs tuitionem illis, & propter Deum charitatem impendas. Et ſi quid eſt vnde animi veſtri fortaſſis offenſi ſunt, pro noſtra eis interuentione remittite & ita vos, ſicut Chriſtianos conuenit & prudentes, in eorum magis iuuamine commendate, quatenus & nos vobis gratias referamus, & ante omnipotentem Dominum mercedem pro impenſis ſeruis eius beneficijs, ac ſolatijs, acquiratis. Dat. menſe Februarij, ind. iij.

N O T Æ.

a GRegorius.] Ità etiam legitur in prima collectione,
1 *ſub hoc tit. c.5.* & reperitur textus in ipſis epiſtolis D. Gregorij *lib.8. indict.3.epiſt.12* ex quo regeſtro reſtituo integram huius textus. Campania ab vrbe Romana vſque ad Siler Lucaniæ fluuium perducitur, in qua opulentiſſimæ vrbes Capua, Neapolis, & Salernus conſtitutæ ſunt: quæ ideo Campania appellata eſt, propter vberrimam Capuæ planitiem, vt referunt Italiæ ſcriptores. Guidiſcalco huius prouinciæ Duci reſcribit Gregorius *in præſenti*.

b *Illa.*] Verba quæ ſequuntur vſque ad verbum *fecerit*,
2 extant *in cap. illa, 11. quæſt. 3.*

c *Abijt.*] Forſan vt transfuga, vt hoſtibus faueret.

d *Longobardos.*] Abbas in præſenti, *num.* 3. Felinus
3 *num.* 2. Beroius *num.* 4. docent duo hæc differre in eo, quod per culpam intelligitur delictum ex negligentia proueniens; per reatum verò peccatum ex malitia, ſeu dolo procedens: quo ſenſu culpa in ſpecie, & dolus differunt, & vt diuerſa proponuntur *in l. contractus, ff. de R. I. l. de ætate, §. qui iuſto*, ibi: *Sine dolo malo, culpa tamen; ff. de interrog. act.* Reatus etſi plerunque accipiatur pro delicto, *cap. teſtimonium 44. de teſtibus, cap. vlt. 30. q. 2. l. 1. C. de iudicijs*; tamen frequentiùs accipitur pro obligatione ad pœnam propter peccatum contractam: in quo ſenſu peccatum actu tranſire, & reatum manere, docet D. Thomas *in 4. art. 5. & 6.* & *1. 2. q. 86. art. 1. & q. 87. art. 6.* Illuſtrant Budeus *in l. veſtem, ff. de iniurijs*, Corraſius *lib 2. miſcel. cap. 20.* Rebuffus *in l. iudicaſſe, column. 4. ff. de V. S.* Couarr. *lib. 2. variar. cap. 9. num. 2.* Gomez *in l. 76. Tauri, num. 6.* Tiraquel. *de pœn. temper. cauſ. 29. à princip.* qui exponunt textus *in l. ſi diutino 25. ff. de pœnis, l. vlt. ff. ad leg. Iul. maieſt. l. vlt. verſ. Fraudis, ff. de bon. damn.* Poteſt ergo in præſenti per culpam accipi generaliter peccatum adhuc manens, ſeu perſeuerans, de cuius pœnitentia non conſtat; per reatum verò pœna, ſeu obligatio ad pœnam ex peccato & culpa proueniens: quæ pœna, ſeu obligatio per pœnitentiam, ſeu emendationem non editur, præſertim quoad vindictam in foro exteriori, *l. qui ea mente, ff. de furtis*.

Varia ex hoc textu deducunt repetentes de accuſatione contra ſuperiorem ab inferiore proponenda, vel non; & de perſonis, quibus præſentibus iudicium criminale agitandum eſt. Sed quàm aliena à mente Gregorij, facilè agnoſcet qui præſentem epiſtolam ſedulò legerit, perlegeritque.

C A P V T IV.

Gregorius a *Conſtantina Auguſta*.

OMnipotens. *Et infrà*: *b* Salonitanæ verò ciuitatis Epiſcopus me, ac reſponſali meo neſciente *c* ordinatus eſt, & facta res eſt, quæ ſub nullis anterioribus Principibus euenit. Quod ego audiens, ad eundem præuaricatorem, qui inordinatè ordinatus eſt, protinus miſi, vt omninò Miſſarum ſolemnia celebrare nullo modo præſumeret, niſi priùs à Sereniſſimis Dominis cognoſcerem, ſi hoc fieri ipſi iuſſiſſent: quod ei ſub excommunicationis interpoſitione mandaui. Et contempto me, atque deſpecto, in audaciam quorundam ſæcularium hominum, quibus denudata ſua Eccleſia præmia multa præbere dicitur, nunc vſque Miſſas facere præſumit, atque ad me venire ſecundùm iuſſionem Dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me neſciente ordinatus eſt, hoc quod in ordinatione ſua me, vel reſponſalem meum prætermittere præſumpſit, ita ex corde laxaui, ac ſi me auctore fuiſſet ordinatus. Alia verò peruerſa illius, ſcilicet mala corporalia, quæ cognoui, vel quia cum pecunijs *d* eſt electus, vel quia excommunicatus Miſſas facere *e* præſumpſit, propter Deum irrequiſita præterire non poſſum. Sed opto, & Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his quæ dicta ſunt, valeat inueniri, & ſine periculo animæ meæ cauſa ipſius terminetur. Priùs tamen quàm hæc cognoſcantur, Sereniſſimus Dominus diſcurrente iuſſione præcepit, vt eum venientem cum honore ſuſcipiam. Et valdè graue eſt, vt vir, de quo tanta, & talia nunciantur, cum antè requiri & diſcuti debeat, honoretur. Et ſi Epiſcoporum cauſæ mihi commiſſorum apud pijſſi-

pijssimos Dominos aliorum patrocinijs disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed vt Episcopi mei me despiciant, & contra me refugium ad sæculares iudices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breuiter suggero, quia aliquantulum expecto: & si ad me diù venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam pijssimis Dominis vitam tribuet, & nobis sub manu vestra, non secundùm peccata nostra, sed secundùm gratiæ suæ dona disponet. Hæc ergo tranquillissimæ Dominæ suggero, quia integerrima Serenitatis eius conscientia quanto moueatur zelo rectitudinis, atque iustitiæ, non ignoro.

N O T Æ.

1 a *Constantinæ*.]Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 6 & *lib.* 4. *epistolar. D. Gregorij*, *epist.* 34. & *in cap. Salonitanæ*, 63. *dist. cap. vlt.* 21. *quæst.* 5. in quibus omnibus pro *Constantinæ*, legendum est *Constantiæ*: Constantia enim vxor fuit Mauricij Imperatoris, cui etiam rescribit idem Gregorius *lib.* 3. *epist.* 30. & 32. In priori parte huius epistolæ agit Pontifex de superba elatione Ioannis Archiepiscopi CP. qui ausus fuit tempore Pelagij prædecessoris nostri Gregorij in Synodo CP. ad causam Gregorij Episcopi Antiocheni celebrata nomen Patriarchæ Oecumenici sibi arrogare; quod cùm Pelagius sciret, cuncta Synodi gesta præter sententiam pro Gregorio latam irritauit, vt ex ipsius Pelagij epistola refert Baronius *anno* 587. Sed cùm postea anno 6. Pontificatus Gregorij Magni eo arrogantius, & insolentius prosequutus esset, vt in litteris Romam missis se Oecumenicum Patriarcham nominaret, ideò Pontifex, qui Ioannem aberrantem summa patientia tolerauerat, anno Christi 595. illum litteris sui corripuit *lib.* 4. *epist.* 38. Sabinianumque Apocrisiarium Constantinopoli agentem admonuit, ne vllo modo cum illo communicaret, ne eius videretur superbiæ fauere, *lib.* 4. *epist.* 39. Etiam contra ipsum scripsit Mauricio Imperatori, & eius vxori, & Episcopis Alexandrino, & Antiocheno, *lib.* 4. *epist* 32. 36. & 38. quibus omnibus cùm plura inculcet in detestationem superbi illius nominis, tandem addidit, ei consentire nihil aliud esse, quàm fidem perdere, quia cùm à Christo Domino vni Petro præfectura fuerit gregis vniuersalis credita, siquis eiusmodi stabilitam violauerit hierarchiam, aliter sentire videretur, quàm ipse Dominus sentiendum præcepit; ideòque *lib.* 6. *epist.* 30. Gregorius Mauricio Imperatori ostendit esse præcursorem Antichristi, qui superbum illud sibi nomen vsurpat. De nomine vniuersalis Patriarchæ, seu Oecumenici Episcopi tantum Summo Pontifici competenti, plura congesserunt Brissonius *d. anno* 595. Martha *de iurisdict. p.* 1. *cap.* 10. Barb. *de potest. Episc. p.* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. & *de iure Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 27. Sauarus *ad Sidonium lib.* 4. *epist.* 25. Mendoza *q.* 4. *scholast. nu.* 3. Turrianus *lib.* 3. *pro canonibus Apost. cap.* 2. Coriolan. *in notis ad can.* 35. *Concil. Carthag.* 3. & in Breuiario anno 132. Iustel. *in notis ad can.* 39. *Eccles. Afric.* Coqueus contra Morneum *p.* 1. *fol.* 210. Hanc priorem epistolæ partem omisimus, quia parum facit ad præsentis textus expositionem: in secunda parte ipsius epistolę agit Gregorius de Maximo, qui Salonitanam Ecclesiam inuasit ope Mauricij Imperatoris, inconsulto ipso Pontifice, & per simoniacam labem Cathedram illam occupasse ferebatur: quare ipsum acriter increpauit Gregorius. Verùm anno Christi 595. Mauricius Imperator Maximum in Ecclesiam Salonitanam intrusum, à Gregorio censuris eiectum, per suos ministros in Ecclesia illa Episcopum retinuit: & cùm Gregorius iussisset, vt causam dicturus Romam accederet, Imperator rescripsit Gregorio, vt ipsum honorificè reciperet: qua de re Pontifex in præsenti Imperatrici Augustæ rescribit, multaque insuper Imperatori insinuanda Sabiniano Apocrisiario suo scribens *lib.* 7. *epist.* 1. contestatus est, se paratiorem esse mori, quàm B. Petri Ecclesiam suis diebus degenerare. Tandem concessit, vt idem Maximus Rauennam se conferret, vbi delegatum à Sede Apostolica iudicem haberet Marinianum Episcopum, apud quem cùm Maximus iuramento præstito super corpus S. Apollinaris se purgasset de simoniaca labe, ipsi imposita pœnitentia de inobedientia erga Sedem Apostolicam, Salonam permissus est redire, cui expetenti pallium Gregorius misit, vt constat *ex lib.* 7. *epist.* 79. cum duabus sequentibus.

2 b *Salonitanæ*.] Salona est vrbs, Metropolisque Dalmatiæ, olim Colonia Romanorum, teste Ptolomeo *lib.* 2. *cap.* 16. hodie dicitur *Saldon*. Habuit Ecclesiam Cathedralem iam à primis Ecclesiæ sęculis: eius Episcopi Glicerij mentio extat apud Euagrium *lib.* 2. *cap.* 16.

c *Nesciente*.] Cùm confirmatio Episcoporum, etiam cùm eorum præsentatio ad Reges, supremosque Monarchas spectat, Romano Pontifici competat, vt probaui *in cap.* 3. *de elect.* 3

d *Pecunijs esset electus*.] Vnde deponendus erat, *cap. de hoc*, vbi dicemus, *de simonia*.

e *Præsumpsit*.] Vnde suspensus, seu vt alij volunt, irregularis manebat, *cap. si celebrat, de cleric. excommunicat.*

C O M M E N T A R I V M.

EX fragmento huius epistolæ à Raymundo in præsenti transcripto sequens communiter venit assertio: *Accusatus, vel denunciatus de crimine, pendente accusatione, vel denunciatione nouis dignitatibus decorandus non est*. Probant eam textus *in cap. tantis*, 81. *dist. cap. accusatum* 24. 2. *q.* 5. *cap. fin. de testibus*, *cap. accedens*, *hoc tit. l. libertas* 17. §. *in quæstionibus*, *l. Lucius*, §. *idem*, *ff. ad municip. l. rescripto*, §. *accusationis*, *ff. de muneribus*, *l. qui statu*, *l. qui metu*, *ff. de re milit. l. reum*, *Cod. de precibus*, *l. vnic. C. de reis postulat. l. qui de libertate*, *ff. de liberali causa*, *l. si vt proponis*, *Cod. quando prouocare*, *l. si interueniente*, *l. penult. ff. ad Turpil. l.* 10. *ff. de iure patron. l. si diutino*, *ff. de pœnis*, *l. ex iudiciorum*, *ff. de accusat. l. vlt. ff. ad leg. Iul. maiest. l.* 15. §. *præscriptiones*, *ff. ad leg. Iul. de adult.* Illustrant vltra congestos à Barb. *in præsenti*, Petrus Greg. *de elect. cap.* 9. *num.* 2. Duarenus *lib.* 4. *de sacris Ecclesiæ*, *cap.* 1. Hotbomanus *lib.* 3. *obseru. cap.* 7. *n.* 4. Carballo *resol. crimin. cap.* 121. Tamburinus *de iure Abbat. tom.* 1. *disp.* 4. *num. fin.* 4 Conclusio traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Omnis præsumitur bonus, nisi probetur malus, *cap. vnic. de scrutinio in ordine*, *cap. vlt. de præsumpt. l. testamento*, *ff. de manumiss. testam.* Sed per accusationem in iudicio propositam non probatur quis malus: ergo non est arcendus ab honoribus, donec talis probetur. Accedit, nam lite pendente nihil est innouandum, vt probaui *in cap.* 1. *vt lite pendente*, nec interim priuatur quis iuribus antea sibi competentibus, *cap.* 1. & 2. *vt lite pendent. cap.* 1. *eod. tit. lib.* 6. ergo non debet quis priuari iure adipiscendi nouos honores, præcipuè cùm sæpe accusationes ex calumnia, & prauo animo opponantur: vnde absurdum est, per accusationem tantùm in iudicio propositam priuari accusatum iure adipiscendi nouam dignitatem. Quare Panormitanus *in præsenti*, *num.* 5. probat, quod accusatus quando non præcessit infamia, quamuis non possit promoueri, potest tamen eligi ea ratione, quia aliàs facile posset impediri quælibet electio, cùm agnoscens electionem celebrandam esse, posset in continenti aliquem accusare, & ita illum pro ea vice inhabilem reddere ad eam electionem. 5 Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens decisio, cuius rationem communiter Doctores ex eo assignant, quia videlicet per huiusmodi accusationem, seu denunciationem criminis læsa est fama, seu existimatio accusati, vel denunciati apud probos, & honestos viros; ac proinde incurrit ille infamiam facti, *ex l.* 2. ibi: *Re tamen ipsa, & opinione hominum non effugient infamiæ notam*, *ff. de obsequijs præstand. l. ea quæ*, *C. ex quibus causis infam.* & per consequens tanquam infamis infamia facti, non potest ad nouos honores, vel dignitates ascendere ex vulgari regula, infamibus portas dignitatum non patere, *l. infamia*, *C. de decur. lib.* 10. *l. infames*, *C. de infamibus*, *eod. lib.* 1. vbi plura Amaya, *l.* 2. *C. de dignit. lib.* 12. *l.* 1. §. *nisi Prætor*, *ff. de postul. l. cum Prætor*, §. *non autem*, *ff. de iudicijs*. Ita docuerunt Glossa, & communiter repetentes *in præsenti*; & hanc esse communem rationem, dixerunt Couarr. *d. lib.* 1. *var. c.* 16. Nauarr. *ad hunc tit.* 6 Refertur communis ratio huius decisionis.

tit. consil. 2. qui inde deducunt, præsentem decisionem non procedere, quando per accusationem, seu denunciationem non est læsa existimatio accusati apud probos, & honestos viros, nec vlla facti infamia orta est, veluti si à maleuolis quis accusatus, vel denunciatus sit. Verùm hęc communis ratio defendi non potest: tum quia Gregorius in præsenti nullam requirit infamiam, nec eius mentionem facit, quia verbum *nuntiantur*, referri debet ad accusationem, denunciationem, vel inquisitionem, idest ad aliquem modum procedendi ex tribus, de quibus in præsenti rubrica; cui nisi ita accipiatur, non conuenit: tum quia *in d. l. reum*, *l.* 1. *C. de reis postulatis*, *lib.* 10. simpliciter, & absolutè expenditur sola delatio, seu accusatio rei, qui de crimine postulatur, & ob eam prohibent Imperatores ipsum ad nouos honores admitti; nec vllam mentionem faciunt notæ, aut infamiæ ex accusatione insurgentis apud probos, & graues viros; pręsertim quia attentis circumstantijs accusati, & accusatoris, non semper ex accusatione insurgit talis nota, seu infamia, vt agnouerunt Innocentius, & alij *in cap. accusatum*, *de simonia*, Beroius *hic*, *n.* 2. Pacianus *de prob. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 139. qui differentiam constituunt inter accusatum, & inter inquisitum, quia in isto semper supponitur infamia, quæ inquisitionem præcedere debet, *cap. qualiter*, *el* 2. *hoc tit.* quæ tamen non supponitur, nec requiritur, nec semper inuenitur in accusatione, vel denunciatione; & tamen Imperatores in dictis legibus semper, & indistinctè prohibent, ne accusatus accusatione pendente ad nouos honores admittatur. Accedit quia si textus hic, & similes supponerent infamiam, seu potiùs illam requirerent, vtique ea per se sufficiens erat, iuxta regulam *infamibus*, *de R. I. lib.* 6. *l.* 2. *Cod. de dignit. lib.* 12. & ita frustra desideratur accusatio à Gregorio in præsenti, & Imperatoribus in dictis iuribus, cùm sola infamia absque accusatione, seu denunciatione sufficiat.

7 *Traditur vera sententia.* Vnde verius credo in hac parte distinguendam esse accusationem, seu denunciationem, aut inquisitionem criminalem, ab infamia etiam facti; ita quod reus accusatus, vel denunciatus, accusatione, vel denunciatione pendente, ad nouos honores non admittatur, licèt nulla ex accusatione, vel denunciatione proponatur orta infamia, & per contrarium sola facti infamia sufficiat, vt eiusmodi reus ad nouos honores non ascendat, quantumcumque nulla accusatio, vel denunciatio præcedat. De priori casu in præsenti agitur, & docetur, ne reus de crimine accusatus, vel denuntiatus, ad nouos honores admittatur. Cuius prohibitionis ratio ea est, quia licèt lex definitiuè non præsumat eiusmodi reum delatum esse nocentem, & crimen illud, de quo accusatur, perpetrasse, *cap. nonne* 1. 8. *q.* 4. *cap. fin.* 15. *q. vlt.* ibi: *Non statim qui accusatur, reus est; sed qui conuincitur criminosus*; & deducitur ex dicta lege *reo*, *ff. de solut.* nihilominus tamen, quia per litem res dubia efficitur, dubiusque est illius euentus, *l. quod debetur* 52. *ff. de peculio*, *l. nemo* 10. *in fine*, *ff. de acquir. possess.* dubitat, & putat possibile crimen admissum esse; vnde ne contingat eundem reum criminosum existere, & talem per sententiam declarari, & consequenter indignum admitti ad honores, & dignitates, quæ velut virtutis præmia non nisi probis, & idoneis deferri debent, satis prudenter agens præsumptione quadam supponit, fieri & contingere posse, quod accusatus, seu denunciatus, verè reus, & criminosus appareat per sententiam, ac proinde vetat, ne is accusatione, vel denunciatione pendente ad huiusmodi honores nouos, vel dignitates ascendat; & eo pertinere videntur illa verba huius textus, *valdè graue*, idest periculosum, & præiudiciale est: & licèt huiusmodi ratio per se non sufficeret ad arcendos reos postulatos à nouis honoribus absque lege id disponente, sufficit tamen vt in ea fundetur, & pro ea iustificetur præsens prohibitio, vt docuit Acuña *in cap. tantis*, 81. *distinct.* *n.* 1. Ideòque Catilinam pecuniarum repetendarum reum à Consulatus petitione amotum fuisse, refert Salustius *in coniur. Catilinæ*, & ex eo Forner. *lib.* 3. *rer. quotid. cap.* 1. & Paulus Manucius *in epist. ad Atticum*, scribit legem fuisse, vt ne in comitijs, & petitione Magistratuum, eorum ratio haberetur, qui rei postulati essent.

8 *Ampliatur præsens doctrina.* Ex qua ratione prouenit, vt præsens prohibitio procedat in quibusuis honoribus, vel dignitatibus, quæ iure vel consuetudine in republica tales creduntur, & vt tales deferuntur, vt satis colligitur ex generalibus verbis dictæ legis *reus*, dictæ legis 1. & ex hoc textu, ibi, *honoretur*. Vnde non poterit reus criminis accusatione pendente ad Ordines promoueri, *d. cap. tantis*, 81. *dist.* nec nomen militiæ dare, *l. qui status* 8. *l. vlt. ff. de re milit.* & quia testimonium ferre in causa criminali honorem præsefert, & ad fidem, & integritatem personæ testificantis spectat, *cap. præceptum* 32. *q.* 5. notant Glossa 2. & DD. *in cap. testimonium* 54. *de test.* ideò non potest reus de crimine delatus in causa criminali, præterquam in exceptis, testimonium ferre, *l. in testimonium* 20. *ff. de testibus*, *cap. fin. eod. tit.* docuerunt Campeius *de testibus*, *reg.* 105. Rebuffus *de reprob. testium*, *à n.* 27. Procedit etiam præsens assertio, tam in reo accusato, vel denunciato ad vindictam, vel inquisito specialiter, quia in quocumque ex eis viget ratio suprà tradita, & probatur ex illo verbo *Nunciantur*, huius textus; & ex dicta lege 1. *C. de reis postulatis*. Probarunt Abbas, & Felinus *in d. cap. fin. de testibus*, Nauarrus *ad hunc tit. consil.* 3. *n.* 4. Etiam procedit præsens assertio pendente appellatione à definitiua sententia prolata, etiam absolutoria; adhuc enim reus ad nouos honores ascendere non potest. Glossa finalis, & DD. *in d. cap. vlt.* Nauarr. *d. consil.* 3. *n.* 1. Couarruu. *lib.* 1. *var. cap.* 16. *n.* 11. & suadetur, quia cùm per appellationem suspendatur pronunciatio, *l.* 1. *§. vlt. ff. ad Turpil.* interim dum ea pendet, dicitur lis, & accusatio pendere, nec adhuc censetur reus absolutus per eam sententiam, sicut nec condemnatus quoad iuris effectus per condemnatoriam, *d. l.* 1. *§. vlt. l.* 2 *§. fin. ff. de pœnis*: ac proinde pendente interim accusatione locum habet præsens assertio. Et dum Iurisconsultus *in leg.* 1. *vers. Integer*, *ff. nihil innouari*, docet pendente appellatione integrum esse statum appellantis, seu litigantis, intelligitur de integritate, quam habebat ante sententiam, dum accusatio pendebat; nam in eo statu, quicumque is fuerit ante sententiam, lite, vel accusatione pendente, in eodem quoad iuris effectus existit post sententiam definitiuam, quamdiu appellatio pendet, & ita sententia appellatione pendente non operatur plures effectus, quàm accusatio, vel lis ante prolatam sententiam. Sed nihilominus per eandem sententiam, & appellationem interpositam non tolluntur effectus illi, quos lis, vel accusatio pendens ante sententiam operabatur, *d. l.* 1. *§. vlt. ff. ad Turpil.* Nec obstat quod pendente appellatione potest reus postulatus honoribus fungi, *d. l.* 1. *vers. Ergo*, *ff. nihil innouari*; id enim procedit in honoribus obtentis ante litem, vel accusationem criminis, quibus sicut lite, & accusatione pendente frui poterat, *l. libertus* 17. *§. vlt ff. ad municip. d. l.* 1. *C. de reis postulat.* ita etiam post sententiam appellatione pendente, eisdem fungi non prohibetur. Contrarium verò procedit in nouis honoribus, quos sicut accusatione pendente ante sententiam, ita post sententiam, dum appellatio pendet, assequi non potest. Aliqui etiam protrahunt præsentem textum ad reum conuentum in causa ciuili, in qua agitur de omnibus bonis, vel maiori eorum parte, quia eiusmodi causa æquiparatur causæ criminali, *l. propter litem* 24. *ff. de excusat. tut.* & ita sicut reus postulatus in causa criminali arcetur à nouis honoribus; ita etiam conuentus iudicio ciuili, in quo de omnibus eius bonis agitur. Ita tenuerunt Glossa *in d. l.* 1. *C. de reis postulatis*, Tiraquel. *de nobilit. cap.* 31. *n.* 379. Sed hęc sententia iuris principijs inspectis sustineri non potest; nam tam Gregorius in præsenti, quàm textus *in d. l. reus*, *d. l.* 1. specialiter agunt de reis crimine postulatis; vnde eorum prohibitio non debet extendi ad reos conuentos in causis ciuilibus, iuxta regulam *Odia*, *de R. I. lib.* 6. Tum quia in eis cessat ratio suprà adducta; quantumcunque enim lis vertatur super omnibus, vel maiori parte bonorum, & reus succumbat, non ex eo efficitur indignus, aut apparet malus, seu non idoneus ad honores illos, à quibus lex pauperes, qua tales sunt, absolutè tanquam inhabiles non repellit, quamuis diuites regulariter pauperibus præferantur, *l. ad subeunda* 46. *C. de Decurionibus*, *lib.* 10. Tiraquel. *de nobilit. cap.* 3. *à n.* 19.

Ampliatur etiam, & explicatur præsens assertio, vt promotio, collatio, vel assequutio noui honoris, seu dignitatis in proposito vim non habeat, nec conualescat, quantumcunque postea per definitiuam sententiam absoluatur, & innocens appareat is, qui reus postulatus, ac accusatione pendente promotus, & nouos honores fuerat assequutus, *l. qui de libertate* 29. *vers. & licèt*, *ff. de liber. caus.* Præpositus, & Acuña *in d. cap. tantis*: & suadetur, quia huiusmodi promotio, seu collatio, accusatione pendente fit directò, & principaliter, contra textus 9 *Prosequuntur aliæ ampliationes.*

in d. l. reus, ibi: *Principalibus constitutionibus*; & *l. 1. C. de reis postulatis*: ac proinde non valet ipso iure, *ex l. non dubium, C. de legibus, cap. quæ contra, de R. I. lib. 6.* Vnde cùm talis promotio, seu collatio noui honoris nulla fuerit à principio, postea conualescere nequit, etiamsi tollatur impedimentum, appareatque reum postulatum innocentem esse; quia superueniens habilitas non sufficit, nec confirmat collationem inutilem, iuxta textum *in cap. si eo tempore, de rescript. lib. 6. l. 1. §. si filius, ff. de legat. 3.* docet Acuña *vbi suprà, n. 3.* Hæc tamen ampliatio non procedit in honoribus, & dignitatibus, quæ per legem humanam annullari nequeunt, vt est promotio ad sacros ordines; quia licèt eius exercitium impediti posset lege humana, quo sensu & aliquando irritari dicitur, *cap. 1. & 2. de schismat. cap. Sanctorum, 70. dist.* tamen effectus characteris impediri nequit lege humana, siquidem est effectus inseparabilis ipsius ordinationis.

10 Limitationes huius textus.

Hucusque tradita nonnullas patiuntur limitationes. Prima enim est, quia procedunt tantùm in eo, qui de graui crimine reus postulatus est, vt facilè probatur ex præsenti textu, ibi: *De quo tanta, & talia*; quin immò & desiderari delationem criminis capitalis, colligitur *ex d. l. libertus 17. ad finem*, ibi: *Capitalium criminum reos*, & *l. Lucius 22. §. penult.* ibi: *Accusatorem criminum capitalium, ff. ad municip.* docet Acuña *vbi suprà, n. 5.* Secundò limitatur præsens assertio, vt tantummodo procedat intra annum à die propositę accusationis: nã eo elapso, si adhuc lis per sententiam definita non sit, potest reus nouos assequi honores, nisi per eum steterit, quominus intra annum finiatur causa, *d. l. reus*: docet Glossa 2 *in d. cap. tantis*, Ant. Mattheus *vbi suprà*; nam criminalis causa super crimine mota olim anno terminabatur; quo elapso statim reus absoluebatur, nisi per eum stetisset, *l. 1. & 4. C. Theodos. vt intra certum tempus*; idque obseruatum fuit vsque ad Iustin. vt patet *ex l. vlt. C. Iustin. eod. tit.* vnde quia post annum non pendebat, sed extincta, & finita credebatur accusatio, cessabat etiam prohibitio iuris, quia iam non erat reus de crimine delatus, ac proinde poterat nouos assequi honores, quemadmodum potest accusatore aliàs desistente, & ab accusatione cessante, *l. rescripto 6. §. si quis, in princip. ff. de muner. & honor.* aut non petente per temporis legitimum spatium, *l. Lucius, §. idem respondit, l. in Senatusconsulto, §. qui post, ff. ad Turpil.* vel abolitionem priuatim petente, *l. aut priuatim 10. ff. ad Turpil.* An verò hodie post dictam legem vltimam, per quam lis, & accusatio criminalis non terminatur anno, sed biennio, procedat textus *in dicta lege reus*, & accusatus anno elapso nouos honores assequi possit, vel expectari debeat biennium, disputat Cuiac. *lib. 1. obs. cap. 87.* vbi non sine ratione contra alios resoluit, biennium expectandum esse; attenta tamen generali consuetudine, tam in foro sæculari, quàm ecclesiastico, non seruatur huiusmodi præfinitio biennij in criminalibus, sicut nec triennij in ciuilibus, *ex l. properandum, C. de iudicijs*, vt notaui *in cap. 4. de officio delegat.* Vnde iuxta hodiernam praxim præsens limitatio locum non habet: illud tamen certum est, hanc prohibitionem locum non habere, cùm ex coniecturis constat, accusationem proponi, & reum deferri per fraudem, & calumniam, vt is honores, aut dignitates assequi non valeat; tunc enim perinde ac si nulla pendeat accusatio, admittendus est, *l. qui de libertate 29. vers. Qui verò, ff. de liberal. caus.* Præpositus *in d. cap. tantis, num. 3.* Nauarrus *d. consil. 3. n. 7.* Acuña *suprà, n. 4.* Faciunt textus *in cap. sedes 15.* ibi: *Eorum malitijs obuiare, de rescript. l. ab bicta 8. §. 1. vers. Amplius, ff. de excus. tut. cap. 2.* vbi DD. *de renunc. lib. 6. l. 1. §. penult. ff. de quæst. l. in summa 65. vers. sin autem, ff. de condict. indebit.* per quam receptum est, quod quando per fraudem, & calumniam mouetur lis, ea non attenditur quoad iuris effectus, & sic non efficit rem, de qua agitur, litigiosam.

11 Dissoluitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; pro cuius solutione dicendum est, regulam illam, *lite pendente nihil innouari*, procedere respectu iuris quæsiti, & exercitij illius; non verò quoad honores nouiter acquirendos, quos accusatus in iudicio assequi non potest: honoribus verò iam obtentis vti non prohibetur, *d. l. libertus, §. vlt. ff. ad municip.* ibi: *Dignitatem pristinam interim retinet*; & *l. 1. C. de reis postulatis*, ibi: *Nouos honores*; & *cap. nonne*, vbi Glossa 8. *q. 4.* Couarr. *lib. 2. var. c. 8. nu. 4.* Menchaca *illustr. controu. cap. 84. n. 26.* quia in amittendis honoribus, seu dignitatibus antea obtentis, & illarum vsu viget diuersa ratio, & longè maius vertitur præiudicium, quàm in his, quæ de nouo deferuntur assequendis; vnde meritò plus requiritur vt dignitates antea obtentæ amittantur, quàm vt nouiter obtinendæ impediantur; siquidem in illis de damno, & pœna; in his verò de lucro agitur, argumento legis vltimæ, *C. de codicillis*, iuncta lege *Titio 70. §. 1. ff. de condit. & demonstr.* Vnde licèt aliàs in pœnam criminis commissi repellatur quis ab honoribus assequendis, nisi ex verbis legis, aut alijs coniecturis contrarium appareat, non ideò priuatur, aut repellitur ab obtentis, seu illarum vsu, & administratione, *cap. postulasti, de cler. excommunic.* resoluit Couarr. *vbi suprà*: ita etiam, etsi reus accusatus post latam sententiam condemnatoriam, à qua appellauit, nequeat nouos assequi honores; tamen obtentis ante accusationem non priuatur, nec illorum vsu, seu exercitio. Nec huic solutioni obstat textus *in cap. accusatum 4. de simonia*, dum in eo probatur, simoniacum accusatione pendente non posse Missarum solemnia celebrare: igitur quia accusatus de crimine, non solùm repellitur à nouis honoribus assequendis, verùm etiam & vsu, ac exercitio dignitatis obtentæ priuatur. Nam huic difficultati communiter respondetur, textum illum procedere in reo accusato, & insuper infamato, qui per delationem criminis infamiam facti contraxit, & eius existimatio apud bonos, & graues viros læsa est; siquidem hi suspenduntur interim à Missarum celebratione, *cap. presbyter si à plebe 2. qu. 4.* Verum hæc solutio non satisfacit: tum quia diuinatoria est, siquidem nullum extat verbum *in d. cap. accusatum*, vnde infamia colligi possit; immò tantùm expeditur accusatio, quæ infamiam omninò non supponit: tum quia etsi infamia supponeretur, adhuc inhæremus in eadem difficultate, quare videlicet propter infamiam accusatione tantùm pendente reus vsu, & exercitio dignitatis iam obtentæ priuetur? contra huc vsque tradita. Quare hac, & alijs solutionibus omissis, traditis ab Archidiacono *in cap. quia res 11. q. 1.* Menochio *remed. 1. recuperand. possess. num. 134. & 336.* & *remed. vlt. nu. 42.* dicendum est, textum *in d. cap. accusatum*, cum sequenti, specialiter procedere in reo accusato de crimine simoniæ in ordinum susceptione commisso; nam ita ordinato infligitur suspensio ipso iure, *cap. tanta, vers. item, de simonia, extrauag. 2. post princip. eod. tit.* docent Nauarr. *in manual. cap. 23. nu. 111.* Bernard. Diaz *in praxi, cap. 91.* Henriq. *2. p. summæ, tit. de excommun. c. 37. n. 35.* & in eo textu probabimus. Nec obstat, quod per hanc prohibitionem ad nouos honores datur occasio improbis hominibus excludendi ab honoribus homines probos, & dignos. Nam respondetur, hanc occasionem tolli per inscriptionem, per quam ad pœnam talionis obligatur accusator, *cap. super his*, vbi dicemus, *hoc tit.* Deinde quia si ex coniecturis probabiliter appareat reum per calumniam, & fraudem deferri ad effectum vt delatus à nouis honoribus arceatur; non tamen procedit, nec locum habet præsens prohibitio, *l. qui de libertate 29. vers. qui verò, ff. de liberali causa, l. 2. §. penult. ff. de quæst.* & ita non facilè ob calumniosam accusationem eueniet, reum accusatum à nouis honoribus arceri.

12 Exponitur c. meminimus, hoc tit.

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. meminimus 13. hoc tit.* vbi cùm Abbatissa esset de grauissimo simoniæ crimine accusata, nihilominus iubet Pontifex, vt ab Episcopo benedicatur, adhuc accusatione pendente. Igitur quia reus criminis postulatus non impeditur nouos honores assequi. Pro cuius textus expositione varia adduxerunt repetentes *ibi*, Hostiens. *in eo textu*, Felinus *nu. 2.* Menchaca *illustr. cap. 87. n. 25.* qui accipiunt præsentem assertionem, quando ex accusatione læsa est existimatio accusati; at verò textum *in d. cap. meminimus*, casu quo nulla ex accusatione Abbatissæ infamia orta fuit. Alij textum accipiunt illum specialiter in casu proprio, quia in eius specie nulla contra Abbatissam pendebat accusatio, vel denunciatio; quia licèt Henricus proponeret se accusare velle eandem Abbatissam, non tamen eam de facto accusauit. Ita docuerunt Abbas *ibi, num. 9.* Anania *num. 2.* Nauarr. *d. consil. 3. num 7.* verùm his solutionibus omissis dicendum est, textum *in d. cap. meminimus*, procedere in ea accusatione, quæ saltem iuris præsumptione fiebat malo animo; & sic per fraudem, & calumniam, attenta qualitate accusatoris, qui erat inimicus Abbatissæ, contra quam testimonium dixerat. Vnde non obstante accusatione de simoniæ labe ab ipso Henrico proposita, rectè iubet Pontifex benedictionem illi impendi.

Digitized by Google

CAPVT V.

a Paschalis Papa.

NVlli Episcoporum ab accusatione sua repellere liceat, quos antequam ab eis se impetendos cognoscerent, à sua communi familiaritate neglexerint *b* separare.

NOTÆ.

1 a Paschalis Papa.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 3. & apud Gratianum *in cap. nulli* 14.3.*q*.5. nullibi tamen exprimitur, cuius Paschalis hic textus sit, nec inter epistolas, tam primi, quàm secundi, reperiuntur verba huius textus.

2 b. *Separare.*] Consonant textus *in l. si vxor* 13. §. *fin. ff. ad leg. Iul. de adult. c. in præsentia* 46. *de sententia excom.* & regulariter, quem quis semel approbauit, postea reprobare non potest, *cap. accepimus* 13. *de ætat. & qualit. l. vt gradatim*, §. *sed reprobari*, *ff. de muner. & bonor. l. Pomponius*, *ff. de negot. gest.* non tamen in præsenti casu potuit Episcopus retinendo familiarem criminosum, reddere habilem ad accusationem contra alios in iudicio proponendam, quià cùm hæc inhabilitas à iure proueniat, priuata approbatione tolli non poterat, vt probat Balboa *in cap.* 2. *de except. n.* 118. Contra ipsum tamen Episcopum talis familiaris criminosus auditur in pœnam ipsius Episcopi, quia in sua familiaritate retinuit hominem criminosum, quem repellere debebat, vt probaui *in cap.* 1. *boc tit.* vbi textum hunc exposui.

CAPVT VI.

Ex Concilio a *Magoc.*

DE ijs criminibus, de quibus absolutus est accusatus, non potest accusatio replicari.

NOTÆ.

1 a Magoc.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.*4. in hac sexta, & apud Burchardum *lib.* 16. *Decreti*, *cap.* 9. legitur *Maguntin.* Carnotensis *p.* 16. *Decreti*, *cap.* 319. citat textum hunc ex capitulis Caroli, *lib.* 7. *cap.* 291. Et licèt in eo non reperiantur verba huius textus, extat tamen sententia cap. 351. in hæc verba: *Flagitari iudicium non debet de causa, quæ definita, vel iudicata est.* Vnde credo in præsenti referri canonem alicuius Concilij Maguntini nondum excusi, de quo idem notaui *in c.* 2. *de empt. & vendit.*

COMMENTARIVM.

2 *Conclusio traditur & probatur.* EX hoc textu communiter talis deducitur assertio: *Accusatus de vno crimine, iterum de eodem accusari nequit.* Probant eam textus *in cap. si illi*, 23. *q.*4. *cap. veniens*, 35. *q.*9. *cap. si quem* 8 *cap. notandum*, 2. *q.* 3. *c. diuina*, *de pœnit. dist.* 3. Heraldus Episcopus Turon. *in suis cap. can.* 119. *Vt definita crimina nullus refricare audeat.* Et *l. si cui*, §. *ijsdem*, *l. Senatus* 14. *ff. de accusat. l. accusationem* 6. *l. si quis homicidij* 11. *l. qui de crimine*, *C. eod. tit. l.* 4. §. *fin. ff. ad leg. Iul. de adult. l. sepulcbri*, *ff. de sepulcbro violat. l. in delictis*, §. *si detracta*, *ff. de noxal. act. l. fin. C. de custod. reor. l.* 2. *C. de except. rei iudic. l.* 1. *C. quando prouocare*, *l. penult.* §. *fin. ff. nautæ, caupon. l.* 3. §. *si plures* 12. *ff. de homine libero exbib. l.* 3. *ff. de popular. action. l.* 12. *tit.* 1. *partit.* 7. Illustrant vltra congestos à Barb. *in præsenti*, Cou. *lib.* 2. *var. c.* 10. P. Gregor. *lib.* 5 *partit. tit.* 9. *c.* 6. Peregrinus *de fideicomm. art.* 53. *n.* 41. Caballo *resol. crimin. casu* 93. plures quos congerit Ayllon *ad Ant. Gomez lib.* 3. *var. c.* 1. *n.* 27. Forner. *lib.* 5 *rer. quotid. cap.* 18. Cuiac. *in l.* 9. *C. de accusat.* Barbosa *in l.* 1. *art.* 14. *ff. de iudicijs*, Aug. Barb. *in cap. felicis*, *de pœn. in* 6. Desider. Herald. *lib.* 1. *de auctorit. rei iudic. cap.* 1. *n.* 11. Vighel. *in method. iuris can. fol.* 32. Valenzuela *consil.* 145. *ex num.* 1. Tiber. Decianus *lib.* 3. *tract. crimin. cap.* 30. Salgado *de protect. reg.* 4. *p. cap.* 8. *ex n.* 322. & *cap.* 12. *n.* 79. Ant. Mattheus *de crimin. ad tit. de accusat. cap.* 3. *num.* 4. Bobadilla *lib.* 3. *polit. cap.* 15 *num.* 99. & *cap.* 21. *num.* 34.

3 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Res iudicata tantummodò locum habet inter eos, inter quos actum, vel iudicatum est; alij verò, sicut nec illis prodest, nec nocet res iudicata, iterum eandem actionem intendere possunt, *l.* 1. *l. & an eandem*, *in princip. ff. de except. rei iudic. l.* 1. *per totam*, *C. res inter alios*, *l.* 1. *C. quibus res iudicata*; & ne quis dicat hoc procedere in causis ciuilibus, apertius in criminalibus idem statutum est *in l.* 3. *C. quibus res iudic.* quæ est pars legis 9. *C. de accusat.* vt ex inscriptione apparet, & in ea Imperatores Diocles & Maxim. aiunt, iuris manifestissimi esse in accusationibus, his qui congressi in iudicio non sunt, officere non posse, si quid fortè præiudicij videatur oblatum. Igitur etsi quis de aliquo delicto sit à Titio accusatus, & absolutus eua serit, vel condemnatus fuerit, poterit iterum à Sempronio de eodem crimine accusari.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, tam apud Consultos, quàm apud Rhetores vexatam quæstionem esse, an qui alicuius criminis accusatus, & absolutus contradictorio iudicio fuerat, ab alio repeti, siue de nouo accusari possit, vt constat ex Quintiliano *lib.* 7. *instit. c* 6. ibi: *Solet & illud quæri, quo referatur quod scriptum est, Bis de eadem re ne sit actio; idest, hoc bis, an ad rem, an ad actionem*: id est, an excludatur tantùm qui egit, & superatus est, an verò quilibet eandem accusationem repetere volens; siue, vt ita dicam, an absolutio personalis sit, an realis. Et placuit rei iudicatæ exceptione omnes submoueri, & cum, qui ab alio ex vno delicto in iudicium delatus est, ab alio super eodem deferri non posse, *l. bi tamen* 11. §. *vlt. ff. boc tit.* Et apud Græcos legem fuisse bis de eadem re aduersus eundem iudicium non dari, aut rationes bis exigi, aut suffragia ferri, constat ex Andocide de vsu fori Attici in oratione contra Alcibiadem, quem ita latinè vertit Desid. Heraldus *d. lib.* 1. *c.* 1. *De odio autem aduersus populum, quem me insimulant, deque factionum studio, non est quod multis verbis agam; si enim hęc criminatio nondum esset in iudicium deducta, & iudicata, sanè & accusatores bis de criminibus dicentes audiendi essent, & ego necesse haberem ea diluere. Quoniam autem quater accusatus, toties absolutus sum, de bis rebus nihil amplius dicendum existimo. Siquidem antequam de aliquo iudicium feratur, criminationes quæ ei obijciuntur, veræ sint, necne, non est facilè iudicare. Eo autem absoluto, aut damnato, controuersia finita est; & quid eorum verum sit, aut falsum, constitutum. Quare durum existimo, eos contra quos sententia datur, vno suffragio morti adijci, & eorum bona publicari; eos autem, qui liberati sunt, & absoluti, eisdem accusationibus expositos esse; & iudicibus perdendorum, atque exterminandorum hominum potestatem datam, non etiam seruandorum; maximè cùm leges velint ne bis eadem de re cum eodem in iudicio agatur; vos autem ex præscripto legum ius dicturos iurауeritis.* Eandem legem ex Cicerone Sopatro, Rhetore Græco, & Quintiliano *declamat.* 266. probat Rodulf. Forner. *lib.* 5. *rer. quot. cap.* 18. Cæterùm si non de eodem crimine agatur, veluti si plura crimina quis admiserit, singulorum nomine accusari poterit, adeò vt si ex eodem facto plura crimina nascantur, & vnius nomine fuerit delatus, possit & alterius ab alio reus accusari, *l. qui de crimine* 9. *C. boc titulo.* Quo casu procedunt textus *in l. qui cœtu*, §. *qui vas autem*, *ff. ad leg. Iul. de vi*, *l.* 3. §. *si mater*, *ff. de Carbon.* veluti contumeliæ causa seruum Titij occidisti, & iniuria est, & cædes: vitiasti sororem alij nuptam, & incestus est, & adulterium; vtriusq; igitur criminis reus à diuersis accusatoribus fieri potes, 4 *Semel accusatus, an iterum accusetur*

potes, *l. 2. ff. de priuat. delict.* Diuersa enim crimina, non tam numero factorum, quàm ratione & qualitate æstimantur: itaque & ex eodem facto plura nascuntur crimina; & contra, licèt plura sint facta, vnum tamen intelligitur crimen, vnaque accusatio; vt si plura conuitia eidem eodem tempore dixeris, si plures plagas, si varia vulnera inflixeris: quo casu, si de singulis separatim agatur, exceptio obstat, *l.7.§. si plures, ff. de iniurijs, l. illud 32.§. 1. ff. ad leg. Aquil.* & si vnum crimen pluribus legibus vindicetur, non nisi ex vna reum fieri Senatus permittit, *l. Senatus 24. ff. hoc tit.* quod Accursius & repetentes ibi accipiunt, ita vt si idem crimen pluribus vindicetur legibus, & actum fuerit ex leuiori, possit ex duriori agi in id, quod in ea plus est, argumento legis *1. ff. de vi bonor. rapt. l. qui seruum 34. l. quotiens 41. §. 1. ff. de V. & A.* Verùm ea interpretatio menti Senatus aduersatur; nam Senatus voluit succurrere reis aduersus delatorum improbitatem; idcircò non nisi ex vna lege reum fieri voluit, siue leuior, siue durior esset, vt liquet ex Suetonio *in vita Titi*, ibi: *Inter aduersa temporum, & delatores, mandatoresque erant ex licentia veteri: hos assiduè in foro flagellis, ac fustibus cæsos, ac nouissimè traductos per amphiteatri arenam, partim subijci in seruos, ac venire imperauit; partim in asperrimas insularum auehi: vtque etiam similia quandoque ausuros perpetuò coerceret, vetuit inter cætera de eadem re pluribus legibus agi.*

5 Traditur ratio decidendi. His suppositis, ratio ob quam semel legitimè accusatus, & definitiuè absolutus, non possit ampliùs de eodem crimine reus fieri, prouenit ex eo, quia sententia cum legitimo accusatore lata omnibus alijs de populo obstat, quia in qualibet re respiciente publicum interesse, quilibet de populo est legitimus accusator, vnde sententia cum eo prolata omnibus alijs præiudicat, & vt ait Donel. *in l. sæpè, ff. de re iudic.* posterioribus nulla superest actio, postquam primus victus fuit, quia competit accusatio omnibus collectiuè, non vt singulis: quare qui præoccupat, totum ius populi in iudicium deducit, quo superato, nihil ceteris manet vt experiantur. Exemplum affert Alexander *in d. l. sæpe, n.33.* veluti si Dominus vnius litis plures constituat procuratores in solidum, quorum vno defendente victus sit, non est dubium, quin sententia noceat domino perinde ac si omnes succubuissent, *l. pluribus 31. ff. de procurat. cap. si duo 6. eod. tit. lib. 6.* Pichardus *ad tit. Instit. de his, per quos agere.* Similiter enim in popularibus actionibus quilibet agendo, seu accusando consumit ius aliorum, & facultatem accusandi, quia cùm in fauorem publicum, & ad publicam vindictam quilibet de populo admittatur accusator, sententia criminis absolutoria lata cum priore, sicut Reipublicæ preiudicat, ita etiam omnibus pro eadem, & ad publicam vindictam accusantibus, qui in his terminis non attenduntur, nec alij censentur, sed tanquam ijdem cum prioribus Rempublicam, seu populum repræsentantes. Faciunt textus *in l. eum qui 30. §. in popularibus, ff. de iureiur. l. 3. ff. de popul. action.* cum traditis per Glossam penultimam *in cap. cùm dilectus 32. de elect.*

6 Ampliatur, & explicatur præsens textus. Hucusque tradita ampliantur, vt procedant non solùm vbi semel accusatus ab eodem accusatore, verùm etiam vbi ab alio iterù accusatur, siquidem nec is nouus admittitur, ex ratione proximè adducta, & probat præsens textus, qui prout habetur in hac sexta collectione, absolutè, & indistinctè ait, accusationem non posse replicari, licèt apud Carnotensem in prima collectione, legatur *ab eodem*. Faciunt textus *in d. l. si quis homicidij, l 12. partit 7.* ibi: *No lo podria accusar otro ninguno.* Ergo generaliter, tam in eodem, quàm in alio quocumque accusatore locum habet præsens assertio. Nec obstat textus *in cap. cum P. hoc tit.* quem in contrarium expendit Glossa 2. *in cap. habet 2. q. 5.* quia procedit in terminis longè diuersis, nec agit de reo semel absoluto, & iterum de eodem crimine accusato. Ampliatur deinde præsens assertio, vt locum habeat non tantùm vbi reus criminis fuit absolutus in iudicio, & per viam accusationis, verùm & per viam inquisitionis; tunc enim post absolutionem non potest de eodem crimine accusari, vt docuerunt in præsenti Abbas *n. 7.* Beroius *n. 20.* Couarr. *suprà, n. 5.* Iul. Clarus *d. §. fin. q. 97. n. 7.* Licèt autem nonnulli, quorum sententiam immeritò communem dicit Couarr. *d. n. 5.* hanc ampliationem admittant attento iure ciuili, non verò canonico, quia ex iure ciuili eadem pœna imponitur quomodocumque delictum apparuerit, *l. 4. C. de sepulchro violat. l. 2. §. si publico, ff. ad leg. Iul. de adult.* ex iure verò canonico mitior pœna imponitur, cùm per inquisitionem proceditur, *cap. inquisitionis 27.* vbi dicemus, *hoc tit.* & ita adhuc hoc iure attento locum esse accusationi, vt per eam pœna integra, & ordinaria imponatur, argumento capitis *felicis, vers. Per hoc, de pœnis in 6.* iunctis traditis à Couarruu. *vbi suprà, nu. 6.* Veriùs nihilominus est, hanc ampliationem procedere etiam iuxta sacros Canones, etiam in casibus, in quibus minor pœna per inquisitionem imponitur, vt probat Abbas hic, *num. 7.* quia quamuis dum reus condemnatur mitiori pœnæ per inquisitionem, possit dubitari, an postea ad integrandam pœnam ordinariam agi possit; tamen cùm in præsenti agamus de reo absoluto, nihil interest, an per viam inquisitionis, an accusationis fuerit absolutus, cùm vtroque casu eadem militet ratio, & de accusati innocentia constet; codemque modo ratiocinandum est de reo per viam denunciationis absoluto. Rursus ampliatur præsens assertio, vt procedat siue reus absolutus sit per viam iustitiæ, siue per modum gratiæ, ex indulgentia Principis, vt docent Iul. Clarus *suprà*, Couarr. *n. 2.* & suadetur ex *l. licèt, ff. nautæ, caupones:* & ex eo, quia aliter indulgentia, & gratia esset inutilis, cùm non esset perpetua, contra regulam *Decet, de R. I. lib. 6.* quæ doctrina procedit quando absolutio ex indulgentia fit indistinctè, non verò si ad tempus, vel cum aliqua modificatione, quia tunc ex vulgari regula, *Limitata causa, &c. l. in agris 16. ff. de acquir. rer. domin.* limitatum producit effectum. Deinde ampliatur præsens assertio, vt procedat non solùm vbi reus absolutus est, verum & condemnatus; nam contra illum de eodem crimine agi nequit, iuxta mentem præsentis textus, & eius rationem suprà illustratam. Quæ ampliatio adeò vera est, vt semel condemnatus ex aliquo crimine, & iterum de eodem accusatus, si in limine iudicij exceptionem rei iudicatæ opponat, non audiatur accusator antequam eadem exceptio discutiatur. Bartolus per textum ibi, *in l. Senatus, ff. hoc tit.* quia iuxta suprà traditam rationem, eo casu nullam actionem habet nouus accusator: quare non tenetur reus respondere, aut litem super accusatione contestari.

Deinde sciendum est, præsentem assertionem nonnullas pati limitationes. Prima, cùm reus definitiuè non fuerit absolutus, sed interlocutoriè, seu ab obseruatione iudicij, propter defectum accusantis, qui legitimus non est, propter libelli ve defectum, aut similem causam; quia tunc reus potiùs eximitur pœna, quàm crimine; & ita eo casu reus repeti potest ab alio, vel ab eodem accusatore. Eximitur etiam nomen ex reis interueniente publica abolitione, & indulgentia criminis, quæ nunquam est perpetua, sed temporalis, propter ferias aliquas, aut publicam lætitiam. Cæterùm finitis ferijs potest reus repeti ab eodem, vel ab alio, *l. aut priuati, ff. ad Turpil.* Paulus *lib. 5. sent. tit. de abolit. intra 30. dies;* aliàs tempore elapso, ab eo repeti non potest, ab alio repeti valet, *l. 3. §. vlt. ff. eodem:* nisi ex speciali Principis permissu, *l. 1. C. de abolit.* Etiam hoc casu, cùm absolutus est reus ab obseruatione iudicij, accusari potest ab alio, non verò ab ipso, qui semel ipsum accusauit; nam post primam accusationem superest inter vtrumque inimicitia, quæ nouam accusationem impedit, iuxta caput *cùm P*, infrà *hoc tit.* Etiam limitatur præsens assertio, vbi reus ritè, & legitimè absolutus non est, veluti si per collusionem, præuaricationem, seu fraudem; nam tunc accusatio iterari potest, *l. 3. ff. de præuaric. l. eum qui 30. §. in popularibus*, ibi: *Si non per collusionem actum sit, ff. de iureiur.* Docent Couarr. *vbi suprà, n. 1.* Gamma *decis. 53. ad finem.* Quo casu accipio Hermogenem relatum ab Heraldo *d. cap. 1.* in hæc verba: *Veluti bis de eadem re ne sit actio. Quidam cædis accusatus absolutus est, postea cum Apollinem consuleret, respondit: Homicidis oraculum non edo. Et hic rursus accusatus est.* Et quod de Domitiano refert Suetonius *in eo*, his verbis: *Corneliam virginem maximam absolutam olim, & hinc longo interuallo repetitam, atque conuictam defodi imperauit.* Et quod de Tiberio tradit Diocassius *lib. 58.* his verbis: *Permulti quoque eorum, qui superioribus temporibus causa dicta absoluti fuerant, tunc in iudicio retracti sunt, tanquam qui antea Seiani gratia condemnationem effugissent.* Etiam limitatur præsens assertio vt locum non habeat, vbi reus primò absolutus est in iudicio, in quo ciuiliter super crimine actio intenditur; adhuc enim potest de eodem criminaliter accusari, ex regula legis vnicæ, *C. quando ciuilis actio*, cum traditis per Barbosam *in l. 2. in princip. nu. 138. ff. solut. matrim.* docuerunt

Margin (right, beside "Deinde sciendum est"): 7 Referuntur variæ limitationes huius textus.

runt in præsenti Abbas *n.6.* Felinus *n.8.* Beroius *n.21.* Barbosa *vbi proximè*, Iul Clarus *in praxi*, *§.vlt.q.2.* qui rectè docent, hoc non procedere vbi vtraque pœna, ciuilis scilicet, & criminalis, tendit ad vindictam publicam; quia tunc absolutus in vno iudicio, non potest vlterius accusari, *leg. quod Senatus 6.* cum sequenti, *§. 1. ff. de iniurijs*. Etiam limitatur præsens assertio, vt procedat quando reus semel absolutus iterum de eodem crimine accusatur ad vindictam publicam, secus verò si per eum, qui suam, vel suorum iniuriam prosequitur, ignorans priorem accusationem, & causam in iudicio agitatam, *l. sicuti*, *§. 1. l.4. §. maritus*, *ff. ad leg. Iul. de adult.* Paulus *lib. 1. sentent. tit. 6. §. vlt.* vt *in l. cogendum 45. §. qui ita*, *ff. de procurat.* veluti si actum sit ab vno de populo, ex lege Iulia de vi publica contra aliquem, quia homines armatos coegit, & vim alij intulit; postea que superueniat ille ipse, cui vis illata fuit, & hoc casu permittitur ei priuatam iniuriam in iudicium deducere. Facit textus *in d.l.12.tit.1.p.7.* Item limitatur cùm aduersus eundem proceditur per viam accusationis, aut inquisitionis pro alio delicto: quo casu procedit textus *in cap. finali, de celebratione Missarum*.

8 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, deducta ex illo principio, *Res inter alios acta, &c.* Nam omissa sententia Glossæ verbo. *Item in publicis, in l. 2. Cod. res inter alios*, quæ asserit regulam illam limitari in causis criminalibus, cùm reus per sententiam est absolutus, dicendum est in præsenti casu, vt suprà in ratione decidendi probaui, de eadem re iterum agi, eandemque causam disceptari, & inter easdem personas; siquidem accusatio cùm omnibus de populo competit, illis non competit vt singulis, & ita vnus ius omnium consumit agendo. Nec obstat textus *in d. l. 2. C. quando res inter alios*; nam eius textus sententia accipienda est iuxta casus proximè relatos, videlicet si de prioris accusatoris perfidia, seu collusione, aut præuaricatione constiterit; tunc enim alius accusator admittitur, vt cautum fuit lege Iulia *de iudic. public. l.7. ff. de præuaricat. l.3. §. si tamen*, *ff. de libero homine*, *l. 1. C. qui accusare*. Vel si constet iudicem pecunia corruptum sententiam dixisse, Cironius *in parat. ad hunc tit.* quo casu & ab ipso accusatore accusatio repeti potest, argumento legis 1. *C. de pœn. iudic. qui malè iudic.* docuit Cuiac. *in l. 9. C. de accusationibus*.

9 Exponitur c. felicis, de pœnis in 6. Sed adhuc suprà traditis obstat textus *in cap. felicis*, *§. per hoc*, *de pœnis in 6.* in illis verbis: *Per hoc quoque sæcularibus Potestatibus non adimimus facultatem vtendi legibus contra tales, quas aduersus sacrilegos Catholici Principes ediderunt*. Ex quibus deducitur, condemnatum in vno iudicio posse accusari, & condemnari in alio, sæculari videlicet: ergo quia accusatus, & condemnatus ex eodem delicto iterum accusari potest. Pro cuius textus expositione sciendum est, satis controuersum esse inter DD. vtrum in delictis mixti fori accusatus, & condemnatus coram iudice ecclesiastico possit denuò puniri à iudice ecclesiastico, vel è contra? & puniri non posse, probarunt Abbas, Felinus, Barbatia, Alciatus, Couarr. Gomez & Gutierrez congesti à Barbosa *in collect. ad d.c. felicis*, *num.37.* plures congesti à Valenzuela *conf. 131. nu. 11.* Agia *de exhib. auxilijs*, *fundam. 25.* Cancerius *lib. 3. var. cap. 19. à num. 61.* Pereyra *de manu Regia*, *part. 2. cap. 10. num. 12.* D. Ioseph. Vela *in c. 1. part. 2. de offic. ordin. num. 135.* qui mouentur ex eo textu, & *ex cap. 2. de maledic. l. placet 4. Cod. de sacros. Eccles.* & ex eo, quia si ob delictum mixti fori pœna capitalis imponenda est, iudex ecclesiasticus non potest talem sententiam ferre, *cap. sententiam*, *ne clerici*, *vel monachi*. Vnde vt debitè, & condignè puniatur talis reus, debet adiri iudex sæcularis, *ex l. si quidem 13. ff. de officio Proconsul. l. 3. ff. de officio Præfect. Vigil. l. 2. C. de sportul.* vbi docetur, quod quando ex defectu iurisdictionis non potest vnus iudex certam pœnam imponere, recurritur ad alium, qui eam imponere valeat. Contrarium tamen, immò præsentem assertionem procedere etiam in delictis mixti fori, docent Glossa *in d. vers. ex hoc*, Beroius *hic*, *nu. 23.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 17. n. 98.* Suarez de Paz, & alij apud Barbos. *in d. cap. felicis*, *nu. 38.* Pro qua sententia faciunt generalia verba præsentis textus, *in d.l. licèt*, *ff. nautæ*, *caupones*. Deinde quia in criminibus mixti fori vterque iudex, tam Ecclesiasticus, quàm sæcularis, competens est, ita vt locus sit præuentioni, vt probat D. Ioseph. Vela *in cap. 1. de offic. ordin.* Igitur sententia prolata à quolibet ex eis, efficax est. Sed placet media sententia, quam sequitur D. Ioan. Vela *vbi suprà*, vt videlicet in delictis atrocioribus, in quibus sanguinis pœna imposita est, laicus condemnatus à iudice ecclesiastico, à sæculari puniri possit: de quo delicto exaudiendus est textus *in d. cap. felicis*: & si ad delictum etiam graue referre nolis textus *in d. cap. de maledicis*, dici potest, textum illum non agere absolutè de pœna ad publicam criminis vindictam, sed magis de pœnitentia ad satisfactionem diuinæ Maiestatis imponenda, quæ ibi nunc pœna, nunc pœnitentia dicitur. Et si textus accipiatur de pœna publica fori exterioris, respondetur, *in vers. extemporalem*, agi de temporali potestate, cuius auxilium iudex ecclesiasticus implorare valet, non vt iudicet, aut cognoscat de ipsa causa, sed vt exequatur sententiam à Iudice ecclesiastico prolatam, iuxta tradita *in cap. 1. de offic. ordin.* Minus obstat textus *in d. l. placet*; nam si iuxta communem sententiam accipias verbum illud, *Acrimonia*, pro excommunicatione, respondetur excommunicationem non esse pœnam ordinariam criminis ad publicam vindictam, sed magis censuram medecinalem ad correctionem, & emendationem, *cap. 1. de sentent. excommunic. in 6.* ac proinde per eam nec tollitur, nec impeditur accusatio criminis ad vindictam publicam. Deinde (quod & probabilius videtur,) in eo textu per acrimoniam non intelligitur excommunicatio, sed pœna quæcumque imposita à sæculari iudice, vt post alios notauit Tiraquel *de retract. tit. 1. §. 1. gloss. 8. num. 281.* & ita sensus est, quod reus, de quo illic agitur, vltra aliam pœnam, quæ sacrilegis imponitur, subijciatur etiam exilio perpetuo; sed in quo iudicio, non exprimitur, & consequenter intelligi debet in iudicio competenti, in quo sacrilegus ille iudicari, & condemnari potest, vt docuerunt relati à Cenedo *in collect. 113. ad Decretal.*

CAPVT VI.

a Stephanus Papa.

REpellantur ab accusatione cohabitantes inimicis, quia infestationes blasphemiæ affectio amicitiæ incitare solet.

NOTÆ.

1 a STephanus.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 7.* & ex epistolis Stephani citantur hæc verba à Carnotensi *p. 6. Decreti*, & reperitur in secunda epistola ipsius Pontificis omnibus Episcopis missa: & quia diffusa est, & pro maiori parte reperitur apud Gratianum transcripta *in c. accusatores*, *3. q. 5. c. nullus anathema*, *3. q. 4. cap. scripta*, *3. q. 8. cap. vrbes*, *80. dist. cap. vltra*, *3. q. 6. c. neganda*, *3. q. 11. c. clericus*, *3. q. 4. c. quærendum*, *2. q. 7. c. accusatorum*, *1. q. 4.* eam non transcribo: extat cum alijs ipsius Pontificis *tom. 2. Concil. Binij*. Stephanus hic electus fuit in Summum Pontificem die 7. April. anno 257. & martyrio coronatus Romæ die 2. Augusti, anno 260. de quo plura Baronius tam in Martyrol. quàm *tom. 2. annal.* Pamelius *in notis ad D. Cyprianum*, qui de quæstione habita inter ipsum & Cyprianum latè agunt.

COMMENTARIVM.

IVre ciuili, etsi inimici capitales à testimonio dicendo repellantur, *l. 3. ff. de testibus*, *authent. dicatur*, aliàs *si testis*, *C. eod. tit.* non tamen ab accusando reperitur prohibitus *in l. qui accusare*, *ff. de accusat. l. qui iudicio*, *C. qui accusare*, vbi aliæ personæ, quæ ab accusando arcentur, referuntur. Nec valet argumentum à teste ad accusatorem; quoniam non vt ex fide testis, ita ex fide accusatoris salus rei pendet; immò plerumque eodem iure attento, infensissimus 2

simus accusator erat, vt ex Tullio *de diuinatione*, probat Anton. Matthæus *de crimin. ad tit. de accusat. cap. 1. num. 11.* attentis verò sacris canonibus inimicus repellitur ab accusando, *cap. 2. 3. & 4. 3. quæst. 5. cap. cùm P. cap. cùm oporteat, cap. meminimus, hoc tit.* quia crediderunt Ecclesiæ Patres, inimicos malo animo, & potiùs propriæ vindictæ causa, quàm lucrandi fratris gratia, aut eius emendationis causa, ad iudicium venire, vt latè probarunt Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 25. per totum*, Farinac. *in praxi, q. 12. n. 38.* Iul. Clarus *recept. sentent. §. fin. q. 14. n. 17.* quæ prohibitio extenditur etiam ad habitantes cum inimicis, *cap. 3. 3. q. 5.* ibi: *Vel de inimici domo prodeuntibus, vel qui cum inimicis morantur*. Et *cap. 5. 3. q. 3.* & *lib. 7. cap. Caroli, cap. 132.* ibi: *Non sunt illi testes recipiendi, nec accusatores, qui cum inimicis morantur, vel quos ipsi de domo produxerint*. Et *in addit. tit. 3. cap. 7.* ibi: *Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non est credendum*. Synodus Nicæna *can. 23.* & *can. 25.* ibi: *Nec accusatoribus suspectis, & de inimicorum domo prodeuntibus est credendum*. Quia facilè ipsi infesti creduntur, & eiusdem animi, & voluntatis, ac inimici, cùm quibus habitant. Faciunt textus *in l. liberi, C. de inofficios. testam. l. 1. cùm patronus, ff. de officio Præfecti vrb.* Ob quam etiam rationem, si aduocatus partis aduersæ sit familiaris iudicis, rectè recusatur, *cap. 1.* vbi latè probaui, *de offic. iudic.* Qui autem dicantur inimici, vt ab accusando repelli possint, latè prosequuntur Decian. Farin. & Iul. Clarus *vbi suprà*.

C A P V T VIII.

a *Brochardico lib. XLIII.*

ACcusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace hoc feceris, xl. dies in pane & aqua (quod *b* carena vocatur) cum septem *c* sequentibus annis pœniteas. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, per *d* tres debes quadragesimas *e* pœnitere.

N O T Æ.

1 a BRocardico.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 9.* sed legendum est, *ex Burchardo lib. 19.* vbi textus ita legitur: *Accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, quadraginta dies in pane & aqua, quod carenam vocant, cum septem sequentibus annis pœnitere debes. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, tres quadragesimas per legitimas ferias pœnitere debes*. Quem textum cum alijs illius libri transcripsit Burchardus ex Pœnit. Romano, *cap. 25.* vbi ita habetur: *Accusasti aliquem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, quadraginta dies in pane & aqua, cum septem sequentibus annis pœnitere debes. Si autem per tuam delaturam debilitatus est, tres quadragesimas pœnitere debes per legitimas ferias*. Quæ verba si rectè conferantur cum suprà relatis à Raymundo, facilè constabit, ea verba, *hoc feceris*, deesse in alijs codicibus, & etiam deesse vltima illa verba, *per legitimas ferias*. De hoc decreto Burchardi, & eius authoritate nonnulla adduxi in apparatu ad hæc commentaria, & de Pœnit. Romano, & eius vtilitate iam nonnulla notaui *in cap. 3. de furtis*. Et licèt hodie non sint in vsu canones illi pœnitentiales, adhuc tamen eorum notitia non est inutilis, aut otiosa, vt docuerunt Ioannes Andreas *in cap. 2. de emption. & vendit.* Ant. August. *in hoc texta*, qui asseruit præsenti capite sine magno dispendio nos carere potuisse: à quo accepit Gentilis *de libris iur. canonici, fol. 40.* nam confessarijs valdè vtilis est notitia horum canonum, vt agnoscant peccatorum grauitatem, & pro arbitrio sibi relicto pœnitentiam salutiferam illis imponant, vt obseruarunt Panormitanus *in fine de pœnit.* Nauarrus *in manuali, cap. 26. num. 19.* Et in Concilijs Coloniensi & Mediolanensi sub D. Carolo, *p. 1. tit. 9.* valdè confessarijs commendatur istorum canonum notitia.

b *Carena.*] Huius vocis etymon, & significationem adduxi *in cap. 2. de sponsa duorum*.

2 c *Sequentibus annis.*] Non intelligas annos continuos, vt per singulos dies pœnitentia agi debeat, sed per quosdam dies in vnaquaque hebdomada, qui vulgò legitimæ feriæ dicebantur, vt feria 2. 4. & 6. iuxta caput *de illis 11. q. 5.* vbi Glossa *cap. 1.* iuncta Glossa verbo *Legitimas, 22. q. 5.* Couarruu. *lib. 4. var. cap. 20. n. 8.* Soto, & alij congesti à Cenedo *collect. 9. ad Decretales, n. 4.* iuxta quorum sententiam canones omnes, qui agunt de pœnitentia per annos, aut dies peragenda, nec modum exprimunt, quo adimpleri debeat, intelligendi sunt de pęnitentia per ieiunia, aut similia opera certis hebdomadæ diebus confessoris arbitrio adimplenda.

3 d *Tres quadragesimas.*] Non intelligas quadragesimas trium annorum, quasi singulæ ad singulos annos referantur, vt hodie in vsu sunt, *ex cap. quadragesima, de consecr. dist. 5.* sed accipiuntur pro tribus quadragesimis in singulis annis, prout olim obseruabantur, scilicet vna ante Natiuitatem Domini, alia ante Resurrectionem, tertia ante festum D. Ioannis Baptistæ, vt notauit post Iul. Lauorum Barb. *in præsenti*: de quibus quadragesimis egi *in cap. conquestus, de ferijs*.

e *Pœnitere.*] Licèt pœnitentiæ pro foro interiori non sint hodie in iure pro singulis peccatis præscriptæ, sed omnes relinquantur arbitrio prudentis confessarij, iuxta eorum grauitatem, personarum qualitates, & alias circumstantias, *cap. Deus, cap. omnis, de pœn. & remiss.* & post D. Thomam docet Nauarr. *in manuali, cap. 26 n. 17.* pluribus relatis Cenedo *d. collect. 9. n. 5.* & colligitur ex Trident. *sess. 14. cap. 7.* primis tamen Ecclesiæ temporibus per canones pœnitentiales quibusdam criminibus certa & præscripta erat pœnitentia, vt constat ex pœnitentialibus Rom. Bedæ, & alijs compilatis, & notis illustratis ab Ant. Augustino ad calcem epitomes iuris Pontificij. Et licet vulgò tradi soleat, per canones illos pro quouis peccato mortali impositam fuisse pęnitentiam septem annorum, vt docuit Glossa penultima *in cap. vlt. 22. q. 1.* quam communiter receptam esse constat ex Nauarr. *vbi suprà, n. 17.* Cenedo *d. collect. 9. n. 4.* pro quibus expenditur id, quod habetur *lib. 2. Regum, c. 12.* & refertur *in cap. hoc ipsum, 33. q. 3.* & quod habetur *c. 4. Danielis*: id tamen non satis probatur aliquo canone, nec verum esse, post D. Thomam probat Nauarr. *vbi proximè*, pro quo expendi potest præsens textus, qui vt suprà notaui, deductus est ex dicto Pęnitent. Romano, agitque de peccato mortali; & tamen non imponit pœnitentiam septem annorum, sed maiorem, vt in priori casu; vel minorem, vt in posteriori. Nec tunc obstat textus *in d. c. hoc ipsum, vers. hinc etiam*; quia in eo agitur non de quocumque peccato mortali, sed de vitijs, aut criminibus grauioribus, vt sunt periurium, adulterium, & similia, iuxta caput *Apostolus, 81. dist.* pro alijs enim, etsi mortalia sint, non imponebatur septennij pœnitentia, vt aduertunt Sotus & alij congesti à Cenedo *vbi proximè*. 4

COMMENTARIVM.

OMnes de accusationibus scribentes, & alij plures Moralistæ disputant, licitumne, an honestum sit accusatorum officium? Et an in vtroque foro impunè liceat reum criminis accusare? Et licitum ac honestum esse reum criminis in iudicium deferre ad vindictam publicam, probatur ex eo, quia dum ita criminosi accusati coercentur, virtutis actus exercetur, quies, & bonum Reipublicæ intenditur, & conseruatur, dum crimina vitantur; & cùm criminosi pęnis afficiuntur, reliqui ciues meliores redduntur, vt latè probaui *in cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. sententiam, ne clerici vel monachi*: faciunt textus diserti *in l. si quis in hoc genus 10.* ibi: *Sitque cunctis laudabile*: & *l. nulli 38.* ibi: *Tam laude, quàm honestate, ac pariter pietate non careat; C. de Episc. & cleric. cap. & qui emendat, 45. dist. cap. quapropter, 2. q. 7. cap. si quis per capillum, 22. q. 1. cap. si is qui Prælatus, 23. q. 4. cap. si quis contristatus, 90. dist. l. 1. C. de famosis libellis, l. cum qui 18. vers. peccata, ff. de iniurijs*: docet D. Thomas 2. 2 *q. 68. art. 1.* & communem dicit Sotus *de tegendo secreto, membro 2. q. 5.* & *lib. 5. de iust. q. 5 art. 1.* Paz *in praxi, tom. 1. p. 4. c. 3. n. 1. vsque ad 6.* Gibalinus *de negotiatione, tom. 2. lib. 6. c. 3. art. 5.* Gomez *de delict. lib. 3. c. 1. n. 9.* Couarr. *lib. 1. variar. c. 10. nu. vlt.* & *lib. 2. c. 11. n. 7.* Decianus *tract. crimin. lib. 3. c. 4.* & constat, quia plerumque in iure præmia accusatoribus præstantur, *l. 1. §. accusa-* 5

cusa-

Digitized by Google

cusatoribus, C. de falsa moneta, l. non omnes, iu fine, ff. de re milit. l. edicto, §. hæredes, ff. de iure fisci, & alijs. Contraria tamen sententia, videlicet accusatorum munus iniutiosum, ac exitiosum esse, maximè fidelibus Christianis, suadetur *ex cap. si quis Episcopus 2. q. 7* vbi accusatio dicitur genus illaudabilis intentionis. Et quod accusans plus inuidiæ quàm charitatis stimulis incitetur, refertur *in capite si omnia 6. q. 1.* Deinde quia accusator per accusationem fit Inimicus, *cap. accusatores 3. q. 5. §. item propter, Instit. de excus. tut.* & insuper accusator exponit se periculo sustinendi pœnam talionis, cuius ratione accusationi subscribit, *c. super his, hoc tit.* Deinde passim in iure clerici, & aliæ personæ repelluntur ab accusatione, *c. 1. cum sequent. 2. q. 7.* & si accusatio licita, honestaque esset, nullus ab ea repelleretur. Tandem quia alienum videtur à perfectione christiana, alium fortasse iam emendatum de crimine accusare, contra illud Matthæi *c. 5. Ego autem dico vobis, non resistere, &c.* & *c. 6.* ibi: *Si non dimiseritis, &c.* & Pauli *ad Romanos cap.* 12. ibi: *Non vos defendentes, aliàs vindicantes charissimi; sed date locum iræ.* Tandem facit præsens textus, vbi grauis pœnitentia imponitur accusatoribus, si pœna capitalis sequuta sit; modò leuior, si pœna non ita grauis sequuta sit. Faciunt alia, quæ adduxi *in can. 70. Concil. Illiber.* quæ hic consultò non repeto.

6 Sed adhuc prior sententia retinenda est, pro cuius expositione notari oportet, quod licèt accusatio ex parte accusatoris censeatur periculosa, eo quod non facilè fit vbi, & quando, & vt oportet; tum quia, vt aduertit Soto *d. conclus. 2.* accusator raró habet animi rectitudinem ad zelum iustitiæ, & plerumque mouetur odio; tum etiam quia in multis alijs difficilè est seruare omnes debitas circumstantias, tam ratione personarum, quæ accusant, & accusantur, quàm respectu temporis, loci, & similium: quam ob causam cautè procedere debent accusatores, ne ad iudicium prosiliant nisi bono animo, & seruatis seruandis, vt quamcumque effugiant sinistram suspicionem. Tamen hac sententia retenta, non obstant fundamenta contrariæ. Non primum deductum *ex d. c. si quis Episcopus, cap. simonia.* Nam textus illi procedunt in accusatione absque debitis circumstantijs proposita. Quo casu accusatio iniusta est, non quia illicitum est accusare, sed propter malitiam accusantis, & eius improbum animum. Nec obstat, accusatorem Inimicum manere; nam id non prouenit ex eo, quia accusator inimicus verè sit, sed quia plerumque, & attenta hominum opinione solent ex accusatione præsertim graui, inimicitiæ & discordiæ oriri inter accusatorem, & accusatum, quemadmodum ex eadem ratione quoad plures iuris effectus censentur inimici, qui super omnibus bonis, vel maiori eorum parte ciuiliter litigant, *d. §. item propter.* Quam æquiparationem probant disertè textus *in auth. at si testis, vers. si verò, C. de testibus, cap. 1. de restit. spol. lib. 6 in fine princip.* Et tamen nemo negat, iustum, & licitum esse ciuiliter agere, & litigare super omnibus bonis, vel maiori eorum parte, dummodo iustè fiat. Nec obstat, quod clericis, & alijs personis prohibetur accusare; nam id non prouenit ex eo, quia iniustum sit, sed quia similibus personis indecens est, vt etiam alia illis prohibentur *in cap. 1. de fideiuss. cap. 1. & per totum, ne cleric. vel monachi*: quæ ab alijs personis non inhonestè exercentur.

7 Præsentis textus varia interpretationes.

Nec tandem obstat præsens textus, quem accipiunt Glossa, & communiter repetentes de accusatione non vera, sed calumniosa; & de accusatore, qui falsò accusauit. Quæ interpretatio conuincitur, tum quia ex textu non constat de tali calumnia, quæ in dubio præsumenda non est, præsertim in eo, qui crimen, de quo accusauit, adeó plenè in iudicio probauit, vt reus capitali sententia damnari meruisset, vt considerat Mascardus *de probat. conclus. 254. n. 12.* tum etiam, quia in illis verbis, *nisi pro pace*, excusatur talis accusator, si pro pace, & publico bono fecit; & tamen si per calumniam accusasset innocentem, etiamsi pro pace, & bono publico, grauiter peccasset, vt probat D. Thomas *2. 2. q. 64. art. 6.* Sotus *lib. 5. de iustit. quæst. 1. art. 7.* Alij autem, quos refert, & sequitur Couarr. *in Clement. si furiosus, p. 2 §. 5. n. 4.* accipiunt textum hunc tantum in clericis accusantibus. Verum hæc interpretatio eodem diuinationis vitio laborat, cum generaliter agatur in hoc textu de quolibet accusatore, nulla clerici, vel laici facta mentione. Accedit, quia clericus præmissa protestatione, de qua *in cap. 2. de homicid. lib. 6.* ritè reum criminis in iudicium defert: vnde textus hic ad clericos tantum referri non potest. Quare his omissis placet communis interpretatio eorum, qui canonem hunc accipiunt de eo accusatore, qui iure reum criminis accusat, & per veras probationes conuincit, sed prauo animo, ex rancore, & odio, vt se vlciscatur ex priuata vindicta, & damnum inferat accusato, quem interfici, vel debilitari ex odio procurat; & ita accusat, non vt Reipublicæ, & eius paci consulat per publicam vindictam, qui propter finem lethaliter malum grauiter peccat, *cap. ea vindicta, 23 quæst. 4. cap. cùm minister, 23. q. 5.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 68. art. 1.* docet Decianus *lib. 3. tract. crimin. cap. 4. nu. 5.* expendens illa verba Platonis in Euthyphro: *Sanctum est in iudicium trahere eum, qui iniustè aliquid egit, vel circa cædes, vel sacrilegia, siue pater, siue mater, seu quiuis deliquerit, modò id faciat, vt patriam quis velut peste quadam liberet.* Meritò ergo in præsenti sic ex odio, & prauo animo accusans, ad mortem, seu membri debilitationem, vt grauiter delinquens, punitur.

Nec obstat si dicas, interpretationem hanc in idem vitium incidere, ac superior Glossæ intellectus: tum quia sicut calumnia non præsumitur, ita nec prauus animus, odium aut priuatæ vindictæ zelus præsumi debet: tum etiam quia similiter verba illa *pro pace*, innuunt accusatorem, de quo in præsenti, pro bono pacis accusantem, nulla pœna esse afficiendum; & tamen si prauo animo, & odio, quamuis pro pace accusauerit, grauiter peccat; quia malum, seu malè facit, dum prauo animo, & odio, & ad finem priuatæ vindictæ, pacem, & bonum reipublicæ intendens accusat, vt ex D. Thoma, & alijs probat Couarru. *lib. 2. var. cap. 10. nu. 7.* Licèt enim non sufficiat, quod finis sit bonus, vt ipse quoque actus bonus dicatur, *cap. fortè, cap. denique 14. quæst. 5.* sufficit tamen finem esse malum, vt etiam actus, quamuis aliàs bonus, malus sit, vt probant Boerius *in præsenti*, Nauarr. *in d. cap. denique*. Nam adhuc defendenda est communis interpretatio, pro cuius expositione sciendum est, pacem in præsenti non accipi pro ea, quæ opponitur bello, de qua egi *in c. 1. de treug. & pace*: sed pro tranquillitate, seu quiete communi, & ita pro bono publico, iuxta Aretinum, & omnes repetentes *in præsenti*. Deinde notandum est, dictionem *nisi*, non tam accipi in præsenti exceptiuè ad denotandam exceptionem pro *præterquam*; verùm etiam pro *si non*, vt *in l. fœmina 8.* vbi Glossa *2. ff. de Senator. l. 2. C. si mancipium*. Tradunt Albericus *in dictionar. verbo Nisi*, Barbosa *de dict. eod. verbo*. Et in ipso pœnitentiali Romano accipitur pro *& non*, dum *in cap. 5. de contemptu ieiunij*, ita legitur: *Soluisti ieiunium in quadragesima, antequam vespertinum celebraretur officium, nisi propter infirmitatem, si fecisti, pro vnoquoque die, &c.* His præmissis dum textus hic ait: *Accusasti hominem, & per tuam accusationem occisus est, nisi pro pace, idest pro quiete, & bono communi; vel si non pro quiete, & bono communi; vel & non pro quiete, & bono communi*; perinde est ac si dicat, accusasti hominem, & per tuam accusationem occisus est, si malo animo, & ex odio accusasti, &c. nam quando principaliter accusat ad mortem, vel debilitationem, & sic ad pœnam publicam, non pro pace, & bono communi, nec ad publicam vtilitatem, cùm nequeat ad suum commodum propriè accusare, quamuis ciuiliter agere valeat, necessarió accusat ex odio, & prauo animo, ad priuatam vindictam, non veró ad vtilitatem publicam: & ita verba illa, *nisi pro pace*, non limitant decisionem huius textus, sed qualificant verbum *Accusasti*, & accusationem de qua hic, ac proinde continent requisitum, & qualitatem omninò: & in hunc sensum verba illa, *nisi pro pace*, non ponuntur in fine textus post præscriptam pœnitentiam, sed in principio, vt ita significetur, per canonem hunc imponi pœnitentiam accusanti, non pro pace, aut animo pacis, sed pro odio; & consequenter textum hunc non limitari in eo, qui pro pace, & bono animo accusat, sed in eo tantum procedere, qui non pro pace, & bono zelo, sed è conuerso accusat: & ita defenditur communis interpretatio, & cessat vtraque difficultas suprà expensa; siquidem ex prædictis verbis, *nisi pro pace*, rectè intellectis, colligitur textum hunc agere tantùm de eo, qui prauo animo accusat; & per ea verba non limitari eius sanctionem, sed concludi, illam in eo casu procedere. Etsi Vincentius Abbas *n. 1.* Aretinus *n. 2.* aliter accipiant verba illa, *pro pace*, referendo non ad verbum *accusasti*, sed ad sequentia ibi, *pœnitere debes*, quasi in hoc textu non agatur de eo qui pro pace accusauit, sed de illo,

8 Defenditur vera interpretatio.

qui

Digitized by Google

qui pro pace pœnitere non debet; & ita sensus sit: Pœnitere debes, nisi pro pace, id est pro componenda pace, vel sedando scandalo pœnitentiam omittas; inde inferentes pœnitentiam aliàs necessariam omitti posse pro pace componenda, & scandalo sedando, quemadmodum ex eadem causa plura alia omittuntur, *cap. nisi. vers. pro grauis, de renunciat. cap.* 2 vbi notaui, *de præscript. cap.* 2. *de desponsi. impub.* Sed intellectus hic facilè refellitur ex verbis illis, *nisi pro pace hoc feceris*; quæ necessariò referenda sunt ad accusationem, nec referri possunt ad pœnitentiam omissam; quia si adhuc referrentur, diceret textus, *nisi pro pace non feceris*. Vnde infertur, textum hunc non procedere, vbi quis principaliter pro pace & bono communi accusat; & tamen secundariò, & minùs principaliter, & per humanam fragilitatem habet qualemqualem prauum animum nocendi accusato ex vindicta priuata; nam is animus qui non mortale, sed veniale tantummodò peccatum gignit, vt resoluunt Couarr *vbi supra*, Nauarr. *in manuali, cap.* 25. *nu.* 31. non meretur grauissimam pœnitentiam, de qua hic, imponendam tantummodo ei, qui principaliter, non pro pace, & bono communi, sed per contrarium accusat; idque satis significant verba illa, *nisi pro pace*, quæ sunt intelligenda principaliter, argumento legis 1. §. 1. iuncta Glossa *verbo Singulorum, ff. de iustit. & iur. l. de vnoquoque* 37. iuncta Glossa 2. *ff. de re iudicata*. Nec obstat, quod iuxta hunc communem intellectum, si textus hic agit de eo, qui odio, & prauo animo accusauit, frustra expenditur, quod per huiusmodi accusationem reus capite damnatus, vel debilitatus sit: quia licèt neutrum ex his duobus contingat, immò etsi reus absolutus sit, adhuc accusator, vtpotè mortaliter peccans, pœnitentiam subire debet. Nam respondetur fatendo, pœnitentiam esse imponendam accusanti ex prauo animo, etsi reus absolutus sit; non tamen eam, quam præsens textus præscribit accusanti ex prauo animo, cum sententia capitalis sequuta est.

C A P V T IX.

Augustinus a *super Genesim de morte Abel.*

EVidentia perpetrati sceleris non indiget clamore accusatoris.

N O T Æ.

1 a **A***Vgustinus.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 11. Et licèt verba huius textus non reperiantur inter opera D. Augustini, extant tamen in Glossa interlineari *in cap.* 4. *Genesis*, ad illa verba: *Vox sanguinis clamat ad me terra*. In quorum verborum scholio leguntur verba in præsenti relata, forsan quia Glossa interlinearis deprompta est ex operibus D. August. vt iam notaui *in cap.* 3. *de constit.* Inde constat ex indicijs ad euidentiam perueniri posse; nam cùm in præsenti casu tantùm adessent indicia, quia videlicet ambo fratres coniuncti foris exierunt, & Cain arma deferebat, maiorque erat quàm Abel, euidens fuit illum fratrem occidisse ex indicijs indubitatis, de quibus *in l. fin. Cod. de probat.* & notarunt Iul. Clarus *§. fin. q.* 4. *num.* 3. Regens Sanfelicius 1. *p. decis.* 28. *num.* 2.

COMMENTARIVM.

2 Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Super notorio procedit iudex nemine accusante*. Probant eam textus *in c. manifesta, c. quæ Lotharius, c. de manifesta, cap. penult. §. fin. cum cap. sequenti, 2. quæst.* 1. *cap. nullus, §. aliquando*, 4 *q.* 4. *cap. bonæ* 23. *§. porrò, de elect. cap. ad nostram* 31. *de iureiur. c. tua, de cohabit. cleric. c.* 3. *de eo qui cognouit consanguin. cap. penult. de purgat. vulgar. cap.* 1. *de offic. deleg. in* 6. *Clement. Pastoralis, de re iudic. cap. Deus* 2. *quæst.* 1. *cap. de illicita* 24. *quæst.* 1. *cap. vnic. vt ecclesiastica beneficia*. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Antonius Gomez *lib.* 3. *var. cap.* 1. *num.* 41. vbi plures Ayllon, Balboa *in cap.* 1. *de caus. possess. num.* 87. & *in cap. cùm speciali* 61. *de appellat. num.* 35. Vighel. *in method. iur. can. fol.* 84. Frances *in pastorali, q.* 2. *num.* 14. Cuiac *ad tit. de testib. cogend.* Leon contra Vuaramundum *cap. vlt.* Hunnius *in encyclop. part.* 2. *tit.* 45. plures, quos congerit Salgado *de Regia protect. part.* 3. *cap.* 14 *num* 47.

3 Impugnatur tradita assertio.

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo. Sine legitimo accusatore non est aliquis puniendus, *cap.* 1. vbi latè probaui, *hoc tit.* ergo etsi detur euidentia criminis, nemine accusante, non est reus puniendus. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam in notorijs adhuc citatio desideratur, *cap. Deus omnipotens*, 2. *q.* 1. *cap. de illicita*, 24. *q.* 4. Gomez *d. cap.* 1. *num.* 46. Balboa *in d. cap.* 1. *de caus. possess. & propriet. num.* 87. & sententia est proferenda, *d. cap. de manifesta, cap. cùm sit Romana, de appellat. cap. penult. de purgat. canon.* Ergo etiamsi per euidentiam facti constet de crimine, adhuc ordo iudiciarius seruandus est; & per consequens accusatio desideratur.

4 Manifestum, seu notorium quid dicatur.

Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens Augustini sententia, pro cuius expositione sciendum est, quod licèt manifestum aliquando accipiatur pro eo, quod opponitur tam publico, quàm occulto, & sic pro manifestabili, *l. ciues* 11. iuncta Glossa 2. *C. de appellat. l. iubemus* 29. *in princip. C. de testam.* frequentiùs tamen accipitur pro eo, quod est publicum, euidens, seu notorium, *l. manifesta, ff. de iureiur. cap. manifesta* 2. *quæst.* 1. *cap. vestra, de cohabit. cleric. cap. Romana, §. fin autem, de appellat. lib.* 6. probant Abbas, & Ioannes Quintinus *in c. cùm olim, de V. S.* & ita notorium, manifestum, publicum, euidens, patens, & indubitatum synonyma sunt, idemque important, vt constat *ex d. cap. de manifesta, d. cap. ad nostram, de iureiur. cap. cùm olim* 13. *cap. super eo* 31. *de V. S. cap. si fortè* 11. *de elect. lib.* 6. *iuncto cap.* 2. *de V. S. eod. lib.* docent Mascardus *de probat. conclus.* 1105. Farinacius *in praxi crimin. quæst.* 21. Villadiego *in l.* 3. *numero* 9. *tit.* 1. *lib.* 6. *fori*, Moneta *de conseruat. cap.* 7. *numero* 109. Nec contrarium probat textus *in l. quoniam, C. de iure delib.* ibi: *Manifestum ac euidens est antequam, &c.* per quam plus esse *euidens*, quàm *manifestum*, notauit Rebuffus *in l. natura, verbo Euidenter, ff. de V. S.* Quia respondetur manifestum in eo textu accipi pro manifestabili, & quod probari potest; non verò pro publico, seu notorio: licèt iuxta etymologiam verbi, & strictè loquendo euidens dicatur, quod oculis videri potest, & visui patet. Nam euidens percipitur per sensum visus, quia vt aiebat Poeta:

Segniùs irritant sensus demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.

Et subiacet sensui nostro, vt cùm dies est media, euidens est esse diem. Notorium autem adhuc subiacet iudicio intellectus; nam tam in notorio iuris, veluti post rem iudicatam; quàm in notorio facti, veluti cùm clericus habet domi concubinam, & ex ea filios suspicit, adhuc aliquis dubitare potest de facto, & ita notorietas à re ipsa separari valet, quod in euidenti non procedit: & ita valdè differt euidens à notorio; in quo sensu id quod euidens est, multò certiùs, & clariùs habetur, & probatio per euidentiam cæteris præfertur, *l. si irruptione* 8. *in fine, ff. finium regund. l. periculis* 34. *§. Nerutius, ff. de auro & argent.* Illustrant Caldas *in l. si curatorem, verbo Minoribus, num.* 8. Mascardus *de probat. in princip. q.* 8. *num.* 3. inde inferentes legem excludentem probationem in aliquo casu, nunquam excludere eam, quæ fit per euidentiam, & per aspectum: nihilominus tamen lato modo etiam euidens dicitur, quod clarum, & certum est, ac si oculis cerneretur: sic euidens Ecclesiæ vtilitas dicitur *in cap.* 2. *de cleric. non resid. lib* 6. & *in cap.* 1. *de rebus Eccles. eod. lib. l.* 2. *ff. de constit. Principum*: euidens calliditas *in l. & eleganter, §. vlt. ff. de dolo*: euidens exceptio *in l.* 3. *§. ibidem, ff. ad exhibendum*. Sicut etiam ea quæ apparent ex coniecturis admodum perspicuis, & iure probatis, de quibus moraliter dubitari nequit, euidentia dicuntur *in l. pluribus* 33. *l. licèt* 74. *§. si non sit, ff. de legatis* 1. Vulteius *volum.* 4. *consil.* 25. *nu.* 116. Menochius *lib.* 2. *de præs. quæst.* 45. cum alijs congestis à Tiraq. *in l. si vnquam, verbo Donatione, nu.* 158. *C. de renoc.* Molin. *de primog. lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 39. P. Barb. *in l. si constante* 24. *nu.* 64. *ff. solut. matrim.*

Deinde sciendum est, notorium, publicum, seu euidens, aut manifestum, prout vnum est, & vnum importat, 5

Manifesti, seu notorij diuisio.

frequentius diuidi in notorium iuris, quod subdiuidi solet in notorium probationis, & fidei, vel dispositionis, ac præsumptionis, seu fictionis; & in notorium facti, quod rursus subdiuiditur in notorium facti permanentis, seu existentis; & facti transeuntis, seu momentanei; & denique facti interpolati, quod non est permanens, nec continuum, nec absolutè transiens, sed interpolatum, ac proinde inter duo priora velut medium: quas species, seu membra explicant Mascardus, & Farinac. *vbi suprà*. Illud tamen summè notandum est, quod vt aliquid notorium publicum, seu euidens dicatur, necessariò requiritur certitudo, & sic scientia, per quam illud omnibus, vel pluribus certum sit; nec sufficit existere famam publicam ea de re apud omnes, vel plures; siquidem talis fama non facit, rem, de qua agitur, publicam, aut notoriam. Desideratur ergo vt aliquid notorium, seu euidens dicatur, quod omnibus, vel pluribus notum sit, ita vt populus, vicinia, vel maior eius pars testis existat, *d. c. quæ Lotharius*, ibi: *Oculis omnium*: & *cap. si qui*, ibi: *Omnes enim*: & *cap. vlt.* ibi: *Omnibus*, *2. q. 1.* Dubium tamen est, quotnam personæ desiderentur, vt multitudinem constituant ad notorium, seu publicum efficiendum? Et communiter placuit, quod cùm id à iure præfinitum non sit, succedit regula legis primæ, *ff. de iure delib. cap. de causis 4. §. 1 de offic. delegat.* iuxta quam totum relinquitur arbitrio iudicis, qui perpensis circunstantijs loci magni, vel exigui, & personarum, numerum necessarium declarabit, vt pluribus relatis resoluunt Menochius *de arbitrar. casu 166. nu. 7.* Mascard. *conclus.* 1101. Farinac. *in praxi, q. 18. ex n.* 104. Ayllon *ad A. Gomez, d. cap. 1. n. 42.* Illud tamen summè notandum est, quod cùm multa dicantur notoria, quæ non sunt, *cap. consuluit 14. de appel.* vbi propter dubium, seu negationem necessaria fuerit probatio, per quam appareat aliquod factum esse publicum, seu notorium, quamuis fama non sufficiat, sufficit tamen testimonium duorum legitimè deponentium, qui affirmant factum esse notorium, reddentes rationem concludentem, quia coram omnibus, maioriue parte factum sit. Nec desideratur, quod testificentur omnes illi, qui ad notorium efficiendum requiruntur. Glossa penultima *in d. cap. Deus 2. q. 1.* Iul. Clarus *d. § vlt. quæst. 9. nu. 6.* Mascard. *conclus.* 1109. vt etiam ad probandam famam publicam sufficit testimonium duorum, qui deponant ab omnibus, vel maiori parte famam constituentibus se audiuisse. Glossa *verbo fama, in cap. vlt. 2. q. 3.* & *in leg. 3. §. eiusdem, verbo Confirmat, de testibus*.

6 Traditur ratio decidendi.

His animaduersis, ratio præsentis assertionis prouenit ex eo, nam ideo in iudicio criminali legitimus accusator desideratur, vt delictum commissum probetur, & tandem pro meritis reus puniatur, omnisque occasio fraudis, puniendi innocentem, aut absoluendi nocentem amoueatur, iuxta tradita suprà *in cap. 1.* at verò vbi res euidens est, nullum datur periculum calumniæ, aut tergiuersationis, nec opus est diligentia, aut industria accusatoris: igitur tunc frustra desideraretur. Deinde quia delicti euidentia longè magis respublica offenditur; vnde non oportet vel dissimulare diutius, vel expectare moram accusatoris; sed statim ad iustam vindictam procedendum est, præcipuè cùm ideò in notorijs iuris ordo sit ordinem non seruare, *c. peruenit, de testibus, c. consuluit, de appellat. c. olim, el 1. de restit. spol. cap. super eo, de testib. cog.* varijs ampliationibus, & limitationibus illustrat Salgado *d. 3. p. c. 14.* faciunt Appius apud Liuium *lib. 39.* ibi: *Rem euidentem pro dubia non esse quærendam*, M. Tullius *in Academ.* ibi: *Nihil clarius, aut illustrius ipsa euidentia esse potest*. Vnde rectè in præsenti docetur, euidentiam patrati sceleris non indigere clamore accusatoris.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, cui facilè respondetur asserendo, neminem damnari sine accusatore, 7
vel aliquo, qui loco accusatoris habeatur a iure, qualis est hoc casu infamia publica, seu euidentia patrati sceleris. D. Thomas 2. 2. *q. 67. art. 3.* Vnde rectè per æquipollens adimpletur, necessitas accusatoris. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, nam licèt in notorijs iuris ordo non sit obseruandus, tamen adhuc in eis aliqua iuris requisita desiderantur, veluti citatio, quæ requiritur, ex traditis *in c. 1. de causa possess.* & intercessisse supponitur *in c. dudum 22. de elect.* & in facto Apostoli relato *in c. cùm sit Romana, §. fin. de appel.* vt docuit Balboa *in d. cap. 1. de caus. possess. nu. 88.* Etiam desideratur aliqua probatio notorietatis, ex suprà traditis. Et tandem sententia, iuxta textus *in c. nos in quemquam 2. quæst. 1. c. 15. de purg. canon.* Docent Turrifcrem. *in d. cap. de manifesta*, Ant. Gomez *d. cap. 1. nu. 43.* vbi plures Ayllon: non tamen desiderantur litis contestatio, probatio ordinaria, & similia: nec iudex potest recusari, aut à tali sententia appellari valet, vt probat Salgado *d. cap. 14. ferè per totum*.

Dissoluitur dubitandi ratio.

Sed suprà traditis obstat textus *in capite de hoc 11. de simonia*, in illis verbis: *Si verò manifestum est, nec tamen inde* 8
conuicti, vel confessi fuerint, & tamen publica laborant infamia, eis canonica purgatio debet indici. Ex quibus expressè deducitur, quod etsi crimen manifestum sit, adhuc pœna ordinaria infligi non potest, sed tantùm purgatio canonica, quæ ob infamiam tantùm indicitur. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, eam differentiam versari inter notorium & manifestum, quod aduersus notorium, maximè facti permanentis, non admittitur vlla probatio, vt latè illustrat Mascard. *conclus.* 1108. Ripol. *variar. resol. cap. 1. n. 66.* Gratianus *discept. forens. cap. 312. n. 18.* Carleual. *tom. 2. de iudicijs, lib. 1. tit. 2. disp. 2. n. 46.* at in manifestis contrarium procedit, quia adhuc probationes aduersus eas admittuntur, & his deficientibus, coniecturæ, & indicia semiprobant. Mascard. *conclus.* 1017. Vnde *in d. c. de hoc*, cùm crimen simoniæ manifestum tantùm esset, non verò notorium, ideo purgatio tantùm canonica indicitur. Nec obstabit si instes, in verbis antecedentibus decreuisse Alex. III. quod si manifestum esset delictum simoniæ, aut ipsi simoniaci conuicti, aut confessi fuissent, deponerentur; quo in casu necessariò manifestum accipiendũ est pro notorio, siquidem vtitur Pontifex disiunctiua *aut*, inter casum, in quo manifestum est crimen, & cùm ipsi sunt in iure confessi, vel conuicti: ergo in eodem sensu Alexander manifestũ dixit in sequenti clausula suprà transcripta. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxit quidam Neothericus in noua interpretatione ipsius textus: sed, ni fallor, vera mens Alex. III. est, vt si delictum esset manifestum, non notoriũ, quia tantùm fama, & rumore manifestum erat, & *exinde*, vt legitur in prima collectione, ipsi confessi fuerint, vel conuicti, deponerentur qui confessi, aut conuicti fuerant; si autem tantùm manifestum erat, quia publica laborabant infamia, sed conuicti, aut confessi non fuerant, purgatio canonica illis indicatur: & ita tam in primo, quàm secundo casu ipsius textus nunquam manifestum accipitur pro notorio, sed tantùm pro publico ex fama, aut rumore, quod adhuc probationibus indiget, vt suprà dixi.

Exponitur c. de hoc, de simonia.

C A P V T X.

Alex. III. a *Galetano electo*.

CVm P. Manconella, & Bonus Cocci presbyteri, & Ioannes Bonus Cocci laicus in nostra essent præsentia constituti, eundem I. quoniam laicus erat, in iamdicti P. accusationem nequaquam admisimus. Cumque præfatus B. eundem P. super crimen simoniæ constantiùs accusaret, noseum, quoniam ad *b* testimonium illius causæ fuit adductus, & quia frater eius, I. scilicet, iamdictum P. coram te accusauerat, repulimus ab accusatione; præsertim cùm frater P. Bonum Cocci antea de causa consimili accusaret. Vnde quoniam vnus post alterum prædictum instanti vicissitudine accusabat, neutrum ad eius accusationem admisimus, sed vtrisque de obiectis criminibus purgationem duximus indicendam. Inde *c* siquidem est, quod d. t. per A. f. p. m. quat. vtrumque illorum se cum tribus sacerdotibus facias infrà xxx. dies post harum susceptionem litterarum purgare. Purgatores verò illius honestatis, & opinionis esse volumus, quod verisimile sit eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ deierare. Vt autem idonei appareant, necesse est, vt eius, quam purgare debent, vitam & conuersationem

Digitized by Google

tionem agnoscant: quod si vterque illorum, vel alter in purgatione defecerint, tu deficientem omni officio & beneficio ecclesiastico priues, tibi modis omnibus præcauens, quod si qui memorato P. in sua voluerint purgatione assistere, nullam eis maleuolentiam, vel indignationem ostendas, nec eos aliquo modo impedias, vel ab alijs, quantùm in te est, impediri permittas.

N O T Æ.

1 a *Galetano.*] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 10. in hac verò sexta legitur, *Gaget*: post Concil. verò Lateran *part.* 59. *cap.* 14. habetur *Galacensi electo*, quam lectionem restituendam esse credit Anton. August. in notis ad hunc textum, quia hodie est vrbs patua in Campania huius nominis: sed cùm nulla Galacia, sed potiùs Calacia, vulgò *Calazo* dicta, reperiatur, & quæ Cathedra Episcopali decorata est iam à septimo Ecclesiæ sæculo, vt refert Carolus à Sancto Paulo *lib.* 1. *Geograph. sacræ, fol.* 55. credo legendum esse *Calaciensi*, in præsenti, & *in cap. cùm P. de purgat. canonic.*

2 b *Ad testimonium illius.*] Vnde deducunt DD. inimicitiam contrahi tecum, si contra me testimonium dicas in causa capitali. Pro qua sententia expendi potest textus *in l. produci* 23. *ff. de testibus*, vbi ait Venuleius: Produci testis is non potest, qui antè in eum reum testimonium dixit. Quam doctrinam exponemus infrà *in cap. meminimus*.

c *Inde siquidem.*] Verba quæ sequuntur extant *in cap. P. de purgat. canonic.*

C O M M E N T A R I V M.

3 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens deducitur assertio: *Inimici, vel laici clericos accusare non possunt*. Probant priorem partem de inimicis repellendis ab accusatione, textus *in cap. suspectos, cap. canonica, cap. nullus, vers. Nullus qui inimicitijs, cap. accusatores, cap. accusatoribus, cap. nulli, §. quod verò, c. vlt. §. fin.* 3. *quæst.* 5. *cap. ea vindicta, §. sed huic vindictæ, cap. vlt.* 23. *quæst.* 4. *cap.* 1. *de hæretic.* in integra, quam ibi dabimus, *cap.* 5. 3 *quæstione* 3. Pontianus *epist.* 1. *in princip.* ibi: *Accusandi non sunt sacerdotes Domini ab infamibus, aut sceleratis, vel inimicis.* Ioannes Papa *epist.* 1. *circa med.* apud Anton. August. *lib.* 30. *epitom. tit.* 10. ibi: *Inimicis accusatoribus, vel de inimici domo prodeuntibus, seu qui cum inimicis morantur, non credatur, ne irati nocere cupiant, ac læsi se velint vlcisci.* Syluester *epist.* 1. *ad medium*, ibi: *SS. PP. roborantes decreta statuimus, licèt sæpissimè iam statutum fuerit, nec falsos, nec inimicos, suspectos accusatores, vel testes vnquam super Episcopos suspici.* Secundam partem de laicis non admittendis contra clericos, probant textus *in cap. beatus, cap. sacerdotes, cap. sunt plurimi, cap. quiescite,* 6. *quæst.* 1. *cap. nullus, cap. laico, cap. in sancta, cap. laicos, cap. sicut, cap. laici,* 2. *quæst.* 7. *cap. de cætero* 14. *de testibus*. Vtramque partem probat Marcel. Papa *epist.* 2. *ad medium*, ibi: *Quod laici, aut suspecti Episcopos non debeant accusare, nec accusatoribus de inimici domo prodeuntibus credendum sit, & à Beato Clemente ipsis eum instruentibus Apostolis legimus definitum, & nos eadem firmamus.* Illustrant vltra congestos à Barb. *in præsenti*, & infrà *in cap. meminimus*, Ant. August. *in epit. iuris, lib.* 30. *tit.* 1. Vighel. *in method. iuris Pontif. lib.* 1. *cap.* 6. Petrus Greg. *lib.* 5. *partit. tit.* 9. *cap* 3. Fragoso *cap.* 1. *de regimine, lib.* 5. *disput.* 11. §. 3. Ant. August. *in notis ad can.* 68. *Hadriani, tom.* 5. *Concil.*

4 *Traditur dubitandi ratio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Omnes admittuntur ad accusandum, qui non prohibentur, quia edictum hoc est prohibitorium, vt probaui *in cap.* 1. *hoc tit.* & sacri canones eos remouent ab accusandi munere, quos leges reijciunt, *cap. accusatores* 7. & 8. 3. *q.* 5. Synodus Romana sub Symmacho *ante medium*, ibi: *Cùm Patrum statuta sanxissent, quos ad accusationem leges sæculi non admittunt, his dicendi in cognatione, vel accusandi aliquem denegandam esse licentiam.* Sed non reperitur in legibus ciuilibus inimicus exclusus ab accusando, vt constat *ex l. qui accusare, ff. de accusat. toto tit. C. qui accusare non possunt.* Vbi cùm referantur omnes, qui accusare non possunt, inimici inter eos non recensentur; immò ex Cicerone constat, accusatorem quam maximè infensum reo desiderari, vt ex fide accuset, nec præuaricetur. Ideò Q. Cælius Quæstor C. Verris, cùm in accusando Ciceroni præferri vellet, inimicum se Verri simulauit. Fictas autem inimicitias exagitat Tullius *in diuin.* his verbis: *Deinde accusatorem verum, firmumque esse oportet. Eum ego si te putem cupere esse, facilè intelligo esse non posse. Nec ea dico, quæ si dicam, tamen infirmare non possis, te antequam de Sicilia decesseris, in gratiam rediisse cum Verre. Potamonem scribam, & familiarem tuum retentum esse à Verre in prouincia, cùm tu decederes: M. Cælium fratrem tuum lectissimum, atque ornatissimum adolescentem, non modò non adesse, neque tecum tuas iniurias persequi, sed esse cum Verre, cum illo familiarissimè, atque amicissimè viuere. Sunt hæc, & alia in te falsi accusatoris signa permulta, quibus ego nunc non vtor.* Igitur inimici non repelluntur ab accusatione. Accedit, nam vnicuique de populo licet Reipublicæ bonum procurare: at accusare est crimen deferre ob publicum bonum ad vindictam publicam, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Igitur etiam inimicis licet reos criminum deferre. In secundam partem etiam assertionis sic insurgo. Licèt laici non admittantur ad accusandos clericos, tamen in crimine simoniæ rectè illos audiri posse, probatur *ex cap. tanta, de simonia*: sed in præsenti casu agebatur de simoniæ crimine: igitur etiam laici, vt accusatores contra clericum admitti poterant.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, verum est, inimicos ad accusandum admitti non posse, vt varijs ampliationibus, & limitationibus exornant Iul. Clarus *lib.* 5. *sentent. §. fin. quæst.* 14. *num* 17. Farinac. *in praxi, quæst.* 12. *num* 38 Decianus *lib.* 3. *tract. crimin cap.* 25. *per totum*. Nam licèt iure ciuili attento admitterentur, tamen per sacros canones arceantur ab accusando. Quod discrimen vtriusque iuris agnouerunt Panorm. & Felinus *hic*, Beroius *in cap.* 1. *hoc tit. num.* 47. Turriscrem. *in cap. in primis, numero* 8. 2. *quæst.* 1. Ant. Matthæus *de crimin. ad tit. de accusat. cap* 1. *numero* 11. Ratio huius prohibitionis Pontificiæ ex eo prouenit, quia cùm accusatio sit delatio criminis ad publicam vindictam, vt probaui suprà *in cap.* 1. præsumitur non amore iustitiæ, ac zelo, sed odio id efficere ad priuatam vindictam: & similiter ius præsumit propter odium accusantis aduersus accusatum inimicum mentiri, ob quam causam inimicus non admittitur ad ferendum testimonium contra inimicum, *l.* 3. *ff. de testibus, l. si quis testibus, Cod. eod. tit.* & quia laici clericorum inimici creduntur, cùm eis valdè sint infesti, *cap. laicos,* 2. *quæst.* 7. *cap. clericis, de censibus lib.* 6. propter disparem professionem, ideò ab accusatione clericorum laici arceantur. Accedit quia laici eos vt patres reuereri debent, *cap. oues* 2. *quæst.* 7. vnde non decet clericos à laicis accusari. Quod primum tantùm circa Episcopos cautum fuisse, non cæteros clericos, ab Anacleto, constat *ex c. laici,* 2. *q.* 7. & deinde traductum fuit ad omnes sacerdotes, & omnes clericos, vt indicat Fabianus *epist.* 2. *ad Orientales Episcopos*, relatus *in cap. sicut,* 2. *q.* 7. Et licèt hoc apud Græcos non inualuisset, vt liquet *ex can.* 75. *Apostol. & can.* 6. Synodi Constantinop. Conc. Chalcedon. *can.* 21. & hæc prohibitio regulariter procedat, nisi laici suam, vel suorum iniuriam prosequantur, *d. cap. laici,* 2. *quæst.* 7. & etiam in criminibus exceptis admittantur, veluti in crimine læsæ Maiestatis diuinæ, aut humanæ, vel simoniæ, *cap. sacerdotes,* 2 *quest.* 7. *cap. tanta, de simonia*: tamen in his casibus, & similibus admittuntur laici, si bono zelo, & non ex odio procedant; quia tunc nec in dictis criminibus ad accusandum, vel testificandum admittuntur, *cap. licèt Heli, cap. per tuas, de simonia*, etsi bonæ famæ sint; nam si improbæ famæ, seu viles personæ reperiantur, distinguendum est, an clericus sit infamatus de eo delicto, & tunc laici etiam malæ opinionis admittuntur; si verò clerici existimatio læsa non est, laici vilis opinionis non arceantur, *d. cap. tanta, cap. per tuas, de simon. c. in primis,* 2. *q.* 1. iuxta quam distinctionem accipiendus est canon 24. Concilij Epaun. vbi ita aiunt Patres: *Laicis contra cuiuslibet gradus clericum, si quid criminale parant obijcere, dummodo vera suggerant, proponendi permittimus potestatem.* Quare cùm in præsenti specie Petrum duo fratres diuersis temporibus vicissim accusarent, inimici credebantur ipsius Petri, quia ex lite præsertim criminali oriuntur inimicitiæ inter litigatores, & eorum consanguineos, vt probant Decian. *d. cap.* 25. & iam notaui

5 *Traditur decidendi ratio.*

notaui *in cap.1. verbo Aduersarius, de iudicijs*: & ideò amoti, & repulsi fuerunt ab accusatione, licèt propter scandalum, & infamiam ortam purgatio canonica Petro iniungeretur.

6 Dissoluitur ratio dubitandi. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam verum est, quod licèt legibus Romanorum inimici non repeˉriantur prohibiti ab accusatione, vt iam notaui *in cap. repellantur, hoc tit.* tamen per sacros canones reperiuntur exclusi. Nec interest, quod sacri canones eos ab accusatione repellunt, quos leges iam remouerant: nam non solùm ipsos, verùm & alios, quos suprà *in cap.1.* recensui, Ecclesiæ PP. prohibuerunt accusare: vnde textus pro dubitandi ratione adducti non sunt ità accipiendi, vt tantùm remoueant ab accusatione illos, quos ius ciuile ab accusando reiecit; verùm vt omnes illi arceantur, & insuper alij per antiquos canones ab accusatione remoti. Nec obstat alia difficultas adducta *ex capite tanta, de simon.* nam licèt verum sit, laicos etiam vilis existimationis admitti in criminibus exceptis ad clericos accusandos; tamen cùm ipsi reperiuntur inimici, nec in criminibus exceptis contra clericum audiuntur, *cap. si testes 4. quæst.2.* Vnde cùm in præsenti textu agatur de inimicis clericum accusantibus; ideò etiam in crimine simoniæ non audiuntur.

CAPVT XI.

Idem a *Vuigor. Episcopo.*

EX parte tua nobis huiusmodi quæstio fuit proposita, vtrum monachi in accusatione Abbatum suorum sint aliquatenus audiendi? Super quo vtique prudentiæ tuæ respondemus, quod nisi alia rationabilis causa præpediat, eo quòd monachi de obedientia, & subiectione Abbatis esse noscuntur, ab eius accusatione non sunt vllatenus repellendi, licèt alios accusare non possint: quibus siquidem, cùm proprium non habeant, de rebus monasterij expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari.

NOTÆ.

1 a VVigoriensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. fin.* & *in c. de confirmationibus 2. de confirm. vtili*, vbi extat secunda pars huius textus. De Vuigoriensi diœcesi nonnulla notaui *in cap.9. de elect.*

COMMENTARIVM.

2 LIcèt monachi regulariter ad accusandum in iudicio non admittantur, *cap. monachi, 16. q.1. cap. quapropter 2. quæst.7.* quia mortui sæculo sunt, *cap. placuit 16. quæst.1. l. Deo nobis, C. de Episc. & cleric.* tamen proprium Abbatem accusare possunt, *cap. Euphemium 2. q.4. cap. illa 16. q.7.* quia ad talem accusationem quilibet admittitur, cuius interesse versatur, *d. cap. illa, cap. filijs, 16. q.7.* quare cùm intersit monasterij non habere lupum pro pastore, *cap. nos 2. q.7.* ideò quilibet de monasterio admittitur ad accusandum Abbatem. Nec obstat subditum Prælatum, vel Magistratum suum accusare non posse, *c. 1. c. sacerdotes, c. qualis, c. sententia, cap. oues, c. sunt nonnulli, c. si hæreticus, §. item quod dicitur, 2. q.7. c. hi qui 3. q.4. cap. oues, c. deteriora, 6. q.1. c. vlt. in fine, 8. q.2.* nam cùm Prælatus criminosus est, accusator autem vir probus, Prælatus nomine tantùm, non re est, *c. vereor, 8. q 1.* nec obedientia Abbati promissa monachum à denunciatione repellit, aut prohibet, *d. c. illa, c. non semper, c. Iulianus, 11. q.3. c. dilecti, in fine, de maiorit. & obed. c. quapropter 2. q.7.* quia dispensatio conceditur obedientiæ ipso iure, *cap. olim 26. hoc tit.* & quia cùm monachus accusat Abbatem, vtilitatem procurat monasterij, ideò expensæ a monasterio illi præstandæ sunt, argumento legis finalis, *Cod. de ordin. cognit.* & similiter Abbati vsque ad finem litis sunt expensæ præstandæ, argumento legis *si instituta, ff. de inoffic. testam.* docent Petrus Gregor. *lib.5. part. tit.9. cap.3.* Genuensis *practicabil. quæst.576.*

CAPVT XII.

a Cœlestinus III.

SI constiterit, quod sæpedicto D. præscripta Ecclesia non fuerit perpetuò concessa, sed ad tempus *b* commendata, &c. *Et infra*: De *c* violentia, & quod in *d* taberna pernoctauerit, ita quod altera die nulla *e* præmissa dormitione Missam cantasset, &c. *Et infra*: Sed etiam si de hoc rationabiliter fuerit conuictus in iudicio ante Episcopum, vel Archiepiscopum, siue accusatus, vel ad rationem positus, sine coactione coram pluribus fuerit confessus, ei nullius appellatione obstante super eadem Ecclesia perpetuum *f* silentium imponatis, & ipsum ab impetitione G. desistere compellatis. Cæterùm si idem D. fuit Ecclesia ipsa canonicè concessa, & tradita, & posteà de crimine aliquo non fuit conuictus, propter quod debuit de iure *g* spoliari; vel post appellationem, sicut aliquando allegauit, Ecclesia illa fuerit spoliatus, ipsam facias ei restitui, & in pace dimitti.

NOTÆ.

1 a COElestinus III.] Ità legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap 1.* alibi legitur *Clemens III.* alibi *Alex. III.* quam inscriptionem retinendam credo, cùm tam textus antecedens, quàm sequens sint ipsius Pontificis; vnde in hac sexta collectione tantùm habetur, *Idem*, idest Alex. III. Theophilus *tom.16. in Heteroclit. spirit. sect.1. fol.14* dum huius casus meminit, supponit epistolam hanc esse Alex. III. & in ea scribere Ambianensi Episcopo, & Abbati sancti Remigij, in eaque agere de Dauide presbytero oppidi Gandaui deposito à suo Episcopo Tornacensi. Integra epistola caremus, & magno cum dispendio; siquidem ex hoc fragmento non constat, quo iudicij ordine contra Dauidem sacerdotem procederetur: vnde in hac parte tot sunt ferè sententiæ, quot Expositores.

b *Commendata.*] De commendatione Ecclesiarum, & an talis commendatio habeatur pro beneficio, egi *in cap. de multa, de præb.*

b *Violentiæ.*] Credo legendum, *vinolentiæ*, vt habetur in hac sexta collectione, & ita conueniat verbis sequentibus.

d *Taberna pernoctasset.*] Quando ingredi tantùm in ea clericis prohibitum est, vt probaui *in cap. clerici de officia, de vita & honest. cleric.*

e *Præmissa dormitione.*] Glossa *in cap. nihil, verbo minimum, 7. quæst.1.* licèt huius textus immemor, docuit non ieiunum quoad celebrandum, seu communicandum eum iudicandum, qui post duodecimam horam noctis præteritæ cibi indigestione laborat, & ipsius eructationes patitur, quasi eo die traiectus cibus credatur, quo indigestus in stomacho durat. Quam sententiam & alios tenuisse refert Bernardus Diaz *in praxi, cap.34.* Leander *part. 2. de Sacram. tract.7. disput.5.* Sed contrarium, immò eum, qui post cœnam, nulla interiecta dormitione pernoctauit, rectè sequenti die Missæ sacrificium offerre, aut Eucharistiam sumere, tenuerunt post D. Thomam *3. part. quæst.80. art.8. ad 5.* Nauarr. *in manuali, cap.21. nu. 53.* Suarez *de sacram. disp.68. sect.4.* Bonac. *tom.1. disp.4. part.6. punct.2. num.11.* Fagundez *in præcep.3. Decalogi, lib.3.* 2

lib.3. cap.5. Leander *vbi suprà*, Narbon. *in horograph. hora 12. num.74.* & suadetur; nam aliàs plures, qui stomachi debilitatem patiuntur, & huiusmodi cruditates sequenti die retinent, prohiberentur Missam celebrare: cuius contrarium receptum videmus. Nec tunc obstat præsens textus, vbi necessariò videtur requiri dormitio ad digestionem, vt clericus possit Missam celebrare. Nam respondetur in præsenti casu D. Sacerdotem puniri, quia pernoctauit in taberna; quod significat per totam noctem in ea fuisse, *l. vrbana*, *§. pernoctare*, *ff. de V.S.* & illum ingurgitationibus deditum ipsa die Missam celebrasse, & per consequens non ieiunum; non quia in somno cibum, & vinum non decoqueret: nam vt probat Laurentius Ioubertus *decad.1. paradox. 8.* vigilans plus ciborum concoquit sex horis, quàm dormiens horis duodecim. Docuit Theophilus *sect.16. fol.15.* Sed quia non ieiunus celebrauit contra tot canones congestos suprà *in cap. ex parte, de celebr. Miss.*

f *Perpetuum silentium.*] Hæc verba exposui *in cap. à crapula, de vita & honestat. clericorum.*

g *Spoliari.*] Hanc vltimam textus partem exposui *in cap.4. de restit. spol.*

CAPVT XIII.

a Alexander III.

MEminimus iam pridem tibi præcipiendo mandasse, vt dilectæ filiæ N. Cassiotæ Abbatissæ monasterij sancti Zachariæ, cuius electionem *b* confirmauimus *c* munus benedictionis impenderes: sed quia Henricus pro altera parte ad nostram præsentiam accessit, & à te exinde ad nostram audientiam appellauit, proponens quod eam accusaret de simonia; ideò mandatum nostrum distulisti effectui *d* mancipare; quia verò non decet te in hac parte appellationi eiusdem H. deferre, cùm non liceat laicis contra clericos, & monachos testimonium ferre, & cùm idem H fuerit memoratæ Cassiotæ manifestus inimicus, & *e* contra eam testimonium tulerit; nos, si bene meminimus, eandem Abbatissam benedici mandauimus, & adhuc ap. cess. mandamus, quatenus cùm inde fueris requisitus, præfatæ Abbatissæ, contradictione, & appellatione cessante, munus benedictionis non differas impertiri.

NOTÆ.

1 a ALex. III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.2.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Alexander: vnde cognosci non potest, de quo monasterio monialium in præsenti agatur, aut vbi monasterium S. Zachariæ fuerit.

2 b *Confirmauimus.*] Inde cognoscitur, monasterium hoc esse immediatè subiectum Romanæ Sedi; nam ad Apostolicam Sedem spectat confirmatio Abbatissarum, quæ illi immediatè subsunt, *cap. si Abbatem, de elect. in 6.* Tamburinus *de iure Abbatiss. disput.29. quæsit.1.*

3 c *Munus benedictionis.*] Quæ benedictio solet dici ordinatio, & consecratio. D. Gregor. *lib.6. epist.12.* ibi: *Constituentes, vt obeunte antedicti monasterij Abbatissa, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit, ordinetur; quam tamen si digna huic monasterio iudicata fuerit, eiusdem loci Episcopus ordinet.* S. Radegundis Patribus Concil. Turon.2. *tom.1. Concil. Galliæ* scribit, Agnetem sui monasterij Abbatissam, Beatissimi Germani, præsentibus fratribus, benedictione consecratam: de qua benedictione agitur *in Clement. attendentes, §. statuimus, de statu monach.* & tractant Tambur. *de iure Abbat. disp 29. per totam*, Cellotius *de Eccles. Hierarch. cap.11. in fine.*

d *Mancipare.*] Quia videbatur, pendente accusatione ipsam non esse honorandam, iuxta textum *in cap.3 hoc tit.* vbi hæc verba exposui.

e *Et contra eam testimonium tulerit.*] Coniunxit simul Alexander, quod ipse inimicus fuerat, & quod contra ipsam testimonium dixerat, nam ex depositione tantùm suspectus fiebat, non verò inimicus, vt probat Donel. *lib.15. comment. c.2.* Mancinus *lib.1. genial. c.42.* Qui autem testimonium dixit contra me in causa criminali, iterum quasi inimicus contra me non auditur, *l. antepenult. ff. de testibus*: quam contra Cuiacium explicat Forner. *lib.2. select. c.10.* 4

Commentarium huius textus dedi suprà *in cap. cùm P.*

CAPVT XIV.

a *Bisuntino Archiepiscopo.*

LIcèt in Beato Petro Apostolorum principe ligandi, atque soluendi à nobis Domino sit attributa facultas, quam in subiectos, iuxta suorum exigentiam meritorum exercere liberè debeamus; exemplo tamen illius, qui omnes saluat, & neminem vult perire, libentiùs intendimus ad soluendum, quàm ligandum, etsi nonnullæ sunt culpæ, in quibus est culpa relaxare vindictam. Sanè cùm olim ex litteris B. Decani sancti Stephani, & G. Cantoris, I. T. I. O. & N. Canonicorum Ecclesiæ Bisuntinæ ad Ap. Sedis audientiam peruenisset, te varia crimina commisisse, ac ab eis fuisses per easdem litteras super periurio, crimine simoniæ, & incestu delatus, fel. rec. Cœl. Pp. præced. n. seruata iudiciaria grauitate, tibi certum terminum assignauit, quo responsurus obiectis, Apostolico te conspectui præsentares. Cùm autem tu iuxta tenorem factæ tibi citationis ad Sedem Apostolicam accessisses, te, & dil. fil. & I. & O. Archid. apud Sed. Apostolicam constitutis, expectauimus aliquandiu, si qui forsan contra te procederent, & quæ de te litteris intimarunt, proponerent inscribendo. Cæterùm cùm nec vnus appareret, qui te impeteret de prædictis, ne aliquid de contingentibus prætermittere videremur, à prædictis, I. & O. Archid. in nostra, & fratrum nostrorum præsentia constitutis quæsiuimus diligenter, & si quid super præmissis aduersus te pro se vel alijs proponere vellent, & quod scripserant, legitimè demonstrare. Ipsi autem, quod non proposito accusandi hæc scripserant, responderunt; sed quia tu super quibusdam incorrigibilis videbaris, quædam de te Sedi Ap. duxerunt intimanda: sed nuntius, qui pro litteris impetrandis accessit, mandati formam præsumpsit excedere. Nos igitur famæ tuæ consulere cupientes, dictis Canonicis contra te super prædictis silentium duximus imponendum, ne te de cætero his super ipsis accusare liceat, vel infamare, illius sequentes exemplum, qui cùm mulieri dixisset: Quis te condemnauit mulier? Et illa: *b* Nemo Domine. Nec ego, inquit, te condemnabo: vade, iam amplius noli peccare. Quia verò prædicti Canonici circa vinculum *c* inscriptionis desistere voluerunt, eis de iuris

permissione id non duximus imputandum. Ne autem in absolutione tua minùs canonicè procedere videamur, quamuis potiùs in odore bonæ opinionis nostrorum Coepiscoporum, quàm eorum infamia delectemur, ven. f. n. Cabilon Episcopo, & dil. fil. *d* Abbati de Firmitate inquisitionem famæ tuæ duximus committendam. Datum Romæ, &c. IV. Idus Iunij.

NOTÆ.

1 a BIsuntino.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*1. & in epistolis ipsius Pontificis editis Coloniæ, *fol.*121. Bisuntium, seu Besuntium, vulgò *Bezunçon*, amplissima est vrbs Galliæ in Comitatu Burgundiæ, cuius meminerunt Cæsar *lib.*1. *de bello Gallico, c.* 9 Marcellinus *lib.*15. Tacitus *lib.*20. *annal.* quos referunt fratres Sarmath. *tom.*1. *Galliæ Christ. folio* 118. Aliquando Imperialia iura nouit, teste Crantzio *lib.*13. *Saxon. cap.*15. Dicitur & Chrysopolis, estque Metropolis maxima Sequanorum, quæ quinta Lugdunensis dicitur, vt probat Idumay *in notis ad Innoc. III. epist.*164 De Amadeo eius Præsule in præsenti agitur. Cùm enim Amadeus delatus esset coram Cœlestino III. à Canonicis & Archidiaconis suis de periurio, simonia, & incestu, in Curia Romana ad diem dictum stetit: sed defuncto Cœlestino, nullo accusatore se inscribente, Innocentius III. eius famæ inquisitionem commisit Cabilonensi Episcopo & Abbati de Firmitate. Dum pendebat hæc inquisitio, Humbertus, Stephanus, & Petrus Bisuntinæ diœcesis Amadeum iterum Innocentio deferunt, qui causam commisit Bernardo Gebenensi Episcopo *lib.*2. *regestr.*14. *epist.*124. & tandem inquisitione peracta, purgatio canonica iniuncta fuit ipsi Archiepiscopo ab Innocentio III. in epistola missa Episcopo Lingonensi, & Abbati Morismundi, *lib.*4. *regestr.* 16. *epist.*63. in hæc verba: *Auditis & intellectis, quæ super inquisitione facta contra venerabilem F. N. Archiepiscopum Bisuntin. fuere proposita coram nobis; quia per depositiones testium constitit euidenter, ipsum clericos, cùm eos promouebat ad ordines, fecisse promittere data fide, quod eum per Sedem Apostolicam, vel per alium super obtinendo beneficio non vexarent: vt puniatur in quo deliquit, eundem à collatione ordinum duximus suspendendum, & quandiu nobis placuerit, volumus manere suspensum. Interim autem per aliquem de suffraganeis Ecclesiæ Bisuntinæ, cùm necessitas postulauerit, clericis Bisuntinæ Diœcesis ordines conferri mandamus. Cæterùm quoniam idem Archiepiscopus super vitio simoniæ, ac lapsu carnis, necnon venditione iustitiæ dignoscitur infamatus, super ijs ei purgationem cum tertia manu Episcoporum suæ prouinciæ, vel etiam vicinarum, & trium Abbatum Bisuntinæ diœcesis bonæ opinionis, & vitæ, qui de conuersatione eius cognouerint, indicentes, discretioni vestræ per Apost. scrip. mandamus, quatenus ab eo infra tres menses præfixos à nobis huiusmodi purgatione recepta, ipsum super illis articulis boni testimonij publicè nuntietis. Quod si fortè in purgatione defecerit, ipsum à pastorali regimine amouentes, faciatis Ecclesiæ Bisuntinæ de persona idonea prouideri. Vos denique, Frater Episcope, & Filij Abbas, &c. Datum Laterani ix. Cal. Iunij, Pont. N. anno xvi.* Et cùm circa formam ipsius purgationis Amadeus ad Innocentium III. appellasset, eisdem iudicibus formam in purgatione seruandam præscripsit *in cap. fin. de purgat. canon.* An verò in ea defecisset, non constat. Fratres Sarmath. *vbi suprà*, referunt eum priuatum Episcopatu decessisse.

b *Nemo te condemnauit.*] Verba sunt Christi Domini apud Ioannem *cap.*8.

c *Inscriptionis.*] De qua agemus infrà, *in c. super his.*

2 d *N. Abbati.*] Odoni videlicet, vt refert Manrique *tom.* 1 *annal. Cisterc. in serie Abbatum de Firmis. an.* 8. De quo monasterio nonnulla notaui *in c. ex litteris, de constitut.*

COMMENTARIVM.

3 EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Dicens se aliquem accusaturum siue pœna, potest desistere ab accusatione ante inscriptionem, & sic desistenti silentium perpetuum imponitur.* Priorem partem; videlicet ante inscriptionem licere accusatori desistere, probant textus *in l. quæsitum* 5. *ff. ad Turpil. l.* 17. *Cod. ad leg. Iul. de adult.* & argumento legis *quamuis* 11. legis *libertus* 10. *ff. de in ius vocando.* Secundam partem, scilicet desistenti ab accusatione imponendum esse perpetuum silentium, probant textus *in l.*2. *ff. ad Turpil. l.* 3. *ff. de præuaric. l.* 2. §. 1. *l. si maritus* 15. §. *si negauerit, ff. ad leg. Iul. de adult. l. accusationem, Cod. qui accusare, l. quæritur* 14. §. *si venditor* 9. *ff. de ædilit. edict.* Paulus *lib.*1. *sent. tit.*5. §. 2. Illustrant Baldus, & Salicet. *in d. l. accusationem*, Padilla *in l. transigere, à num.*91. Tiraquel. *de retract. tit.*1. *ad fin.* Petrus Greg. *lib.* 32. *syntag. cap.*22.

4 *Traditur dubitandi ratio.* Sed pro dubitandi ratione sic argumentor: Accusator desistens ab accusatione, punitur ex Senatusconsulto Turpilliano varijs pœnis, vt statim dicemus; & principaliter *ex l.* 1. *vers. Si quis autem*, quæ extat *in cap. vlt. vers. si quis*, 2. *quæst.*3 Sed in præsenti casu iam accusarunt Episcopum Bisuntinum de incestu, & simonia, ipseque citatus Romam venerat: igitur impunè non poterant desistere ab accusatione, præcipuè quia per citationem pendet accusatio, seu lis, quæ incipit ab ipsa citatione, argumento §. vltimi, *Instit. de pœnis temer. litigant. Clement.* 2 *vt lit. pend.* Accedit, quia ratio boni publici, qua nititur Senatusconsultum, vt statim videbimus, viget etiam in hoc casu, cum primum facta est citatio. Deinde difficilis est secunda pars assertionis, vbi docetur in præsenti specie canonis desistentibus ab accusatione impositum fuisse silentium perpetuum; nam vbi accusator impunè, licitèque desistit ab accusatione, non prohibetur iterum accusare, si postea pœnitentia doctus, velit accusationem repetere, dummodo res integra sit, & nulli inferatur præiudicium. *l.* 3. *ad finem, vers. Si is cui, ff. de sepulchr. violat* argumento legis *mancipiorum* 6. *ff. de optione legat.* Sed in præsenti casu canonicos iure, & impunè omisisse accusationem, refert Innoc. III. igitur non erat illis silentium imponendum.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cuius decisiuam rationem vt agnoscamus, sciendum est, quod licèt nemo accusationem proponere, & exordiri cogatur, immò cuilibet liberum sit reum criminis deferre, vel non, *l. vnic. iuncta rubric. C. vt nemo inuitus accusare, vel agere cogatur*; tamen vbi quis iam accusauit, & accusationem in iudicio legitimè proposuit cum subscriptione, necessariò cogitur persequi, nec liberum est ei impunè desistere, *l. ab accusatione* 15. *l. res quæ* 22. §. *vlt. ff. de iure fisci*: quia publicè interest accusationem non intermitti, siue vera sit, vt delicta puniantur, *l. si ita* 52. *ff. ad leg. Aquil. l. congruit, ff. de offic. Præsid.* siue falsa, ne calumniatores impunè discedant.

5 *De desistente ab accusatione.* Quare desistens ab accusatione, ceu tergiuersator, publico iudicio instituto, in rempublicam peccat, cuius interest crimina publica vera in iudicium delata coerceri, & illorum publicam vindictam temerè, & sine causa non impediri. *l.* 3. *d. l. congruit, ff. de offic. Præsid. cap. vt famæ, de sent. excomm.* & insuper ne quis innocens temerè accusetur sub fiducia, & spe desistendi postea ad libitum. Nec nouum est eos, qui aliquid incipere, aut facere non coguntur, postquam cœperint negotium facere, cogi ad illud prosequendum, *l.* 3. §. 1. *ff. de arbitr. l. salarium* 7. *ff. mandati, l. sicut, Codice de O. & A. cap. licèt, de voto.* Ergo qui ab accusatione publici iudicij per se, nulla præcedente abolitione, omninò desistunt antequam lis finita sit, varijs pœnis plectuntur, ex Senatusconsulto Turpilliano Neronis tempore celebrato anno Christi 62. vrbis 813. vt probat Pancirola *lib.*2. *var. cap.*136. In primis puniuntur extraordinariè pœna quinque librarum auri fisco applicanda, *l.* 3. *ff. de præuaricat.* Deinde repelluntur omninò ab huiusmodi accusatione, ita vt licèt velint eam persequi, non audiantur, *l.* 2. & 3. *ff. ad Turpil. l.* 3. & 4. *Cod. eod. tit.* Insuper infamiam incurrunt, *l. spurij* 6. §. *qui iudicij, ff. de accusat. l.*2. *in fin. Cod. ad Turpil.* & in expensis, & damnis puniuntur, *l.* 3. *Cod. qui accusare, l. absentem* 5. *vers. In accusatore, ff. de pœnis.* Consonat lex 7. *tit.*1. *part.*7. docet D. Thomas 2. 2. *quæst.*68 *art.*3. *in corpore*, & *ad* 3. Sotus *lib.*5. *de iustit. quæst.*5. *art.*3 Bonifac. *de malefic. tit. de pœna desistentis*, Duarenus *ad tit. ff. ad Turpil.* ad quam Turpilliani partem spectant textus *in l. tutorem* 22. §. 1. *ff. de his quæ vt indign. l. miles* 11. §. 3. *ff. ad leg. Iul. de adult. l. iure* 6. *l. crimen* 11. *l. abolitionem* 16. *Codice eod. tit. l.* 14. §. 2. *ff. de bonis libert. l. vel iudicio* 20. *l. qui ergo*, §. *penult. ff. de his qui notant infam.*

iuncto

Digitized by Google

iuncto Donello *lib.* 18. *comment. cap.* 18. *vers. Nondum*: & *l. res* 22. *cum sequent. ff. de iure dot. l.* 8. *Cod. de his quæ vt indign. l. si quis* 7. §. 1. *ff. ad Turpil.* iunctis Salmasio *ad ius Atticum c.* 10. Marcel. Donat. *in notis ad Lamprid.* Ideò licèt reus possit transigere de delicto à se commisso omni tempore, *l. transigere*, *C. de transact.* tamen actori tantùm ante propositam accusationem id licet, vt docet Ant. Matthæus *de crimin. ad lib.* 48. *Pandect. tit.* 19. *cap.* 7. *nu.* 6. Excipiuntur tamen ab ijs pœnis fœmina, & minor, *l.* 1. *§. accusationem* 10. *ff. ad Turpil.* nam mulier si deserat accusationem, ad quam nimio feruore processit, excusatur, quia dum suorum iniuriam prosequitur, ignoscendum est illius dolori, ad quem sexus ratione facilius mouetur, nisi pacto, aut pretio accepto desistat, *l.* 5. *ff. eod. tit.* item excusantur illi, qui doli prorsus expertes, sola iuris, aut casus necessitate circumuenti accusationis peragendæ animum abijciunt, vel deponunt; & illi, quos sine vlla calumniæ suspicione iustus dolor creditur, aut falsa opinio in accusationem induxit.

6 De abolitionibus. Abolitione facta, licitè accusatorem accusationem deserere suprà dixi. Est autem abolitio, finis accusationis, qua reus à reorum numero eximitur, & abolетur accusationis memoria, *l. si interueniente* 12. *ff. ad Turpil.* Ea triplici modo contingit, licèt duplicem tantùm agnoscat Cuiacius *ad Paulum lib.* 5. *sent. tit.* 17. & *ad tit. C. de abolit.* Prima publica, cùm statutis temporibus feriarum, vel ob celebritatem Paschalem, vel extra ordinem, ob diem insignem, publicamue lætitiam, reorum nomina abolentur, & ipsi è carceribus in lucem prodeunt, *l.* 3. *Cod. de Episc. audient. l.* 8. 9. *&* 12. *ff. ad Turp. l.* 1. 2. *&* 3. *C. de gener. abolit. l. fin. C. Theodos. de indult. crimin.* ibi: *Liberata Republica tyrannidis iniuria omnium reos relaxare præcipimus.* Plura de hac abolitione congessit Altesserra *de Ducibus*, *lib.* 1. *cap.* 6 Secundò priuatim abolitio contingit, cùm accusator a iudice impetrat accusationis omittendæ licentiam ex iusta, & probabili causa, veluti propter errorem, militiam, cognationem, & similes, *l.* 10. *ff. ad Turpil. l.* 2. *Cod. de abolit. l. abdicationem* 16. *l. quamuis* 30. *ff. ad leg. Iul. de adulter. l. Senatus* 15. *ff. de iure fisci.* Tertia abolitio contingit cùm accusatore mortuo, aut iusta causa impedita, quo minus prosequi possit accusationem, reus petit nomen eius aboleri. Planè abolitiones huiusmodi, licèt in aliquibus conueniant, in alijs tamen differunt valdè. Conueniunt quidem in eo, quod quæcunque ex eis sufficit, vt accusator impunè desistere possit ab accusatione, *l* 1. *§. si quis autem*, *l. si interueniente*, *ff. ad Turpil. l.* 1. iuncta Glossa 1. *Cod. eod. tit.* in eo etiam conueniunt, tam prima, quàm secunda abolitio, quod vtraque locum habet cùm leuiora crimina obiecta sunt. Grauiorum verò criminum reis abolitio non prodest, *l. Domitianus* 16. cum lege sequenti, *ff. ad Turpil. l. vlt. C. de abolit. l.* 3. *C. de Episc. aud. l. penult. Cod. de calumn. l.* 29. *tit.* 1. *part.* 7. quia in his grauioribus delictis, si abolitio concederetur, potiùs contaminari gaudium, lætitiaque publica, quàm ostendi videretur, vt aiunt Imperatores *in l.* 4. *C. Theodos. de indulg. crimin.* quæ extat *in d. l.* 3. *C. de Episcop. iud.* & apud Iacob. Sirmundum *in append. C. Theodos.* ibi: *Quis enim sacrilego diebus feriatis indulgeat? quis stupri, incestiue reo tempore castitatis ignoscat? quis non raptorem virginis in summa quiete, communique gaudio non prosequatur instantiùs? Nullam sentiant vinculorum requiem ij, qui quiescere defunctos quadam sceleris immanitate non sinunt.* Nec obstat lex 1. *C. de general. abolit.* vbi ad vim illatam abolitio quoque produci videtur. Nam accipienda est de vi leuiori, non publica, & graui. Differunt tamen in eo præsertim, quod prima abolitio non nisi à Principe, vel Magistratu eiusdem auctoritatem habente conceditur, *l.* 2. ibi: *Indulgentia nostra*, *C. de gener. abolit. l. interueniente* 12. *ff. ad Turpil.* Secunda verò à Præside, seu iudice competente, apud quem agitur ex iusta causa, & de qua cognitio præcedere debet, *d. l.* 1. *vers. Abolitio*: licèt Plinius *lib* 7. *epist.* 6. *&* 10. hanc rem Cæsaris cognitioni reseruatam memoret. Differunt deinde in eo, quod prima regulariter non est ita perpetua, quin post triginta dies vtiles finitis ferijs, non solùm alius, verùm & ipse non possit repetere accusationem, *l. si quis* 7. *&* 12. *ff. ad Turp. l.* 1. *C. de gener. abolit.* cùm post alias abolitiones non possit accusator etiam post 30. dies accusationem repetere, nisi à Principe impetraret, *l.* 1. *C. de abolit. l.* 4. *ff. ad Turpil. l.* 3. *C. eod. l.* 11. *§. vlt. ff. de accusat.* Decianus *suprà*, *num.* 4. *&* 38. Cuiacius *de præscript. & termin. c.* 10. Ant. Matthæus *ad tit. de accusat. cap* 6. quamuis alius intra eiusmodi 30 dies possit eandem repetere accusationem, *d. l.* 3. *§. vlt. ff. ad Turpil. d. l. aut priuatim*, *vers. triginta*. Dixi regulariter, quia abolitio, quæ ob natalem Principis conceditur, perpetua est, de qua *in l.* 1. *Cod. Theodos. de indulg. crimin.* Corippus Africanus *lib.* 2. *de laudibus Iustini minoris*.

—Precibusque dolentum
Annuit, & solui cunctos à crimine iussit.
Et quasi Deus est, cui verbo competit vno
Iustificare malos, mediaque à morte leuare.

D. Chrysostomus *in Matthæum homil.* 3. *Solent Reges nato sibi filio indulgentiam regno suo donare.* Philo contra Flaccum, ibi: *Bonis, & rectè, non insolenter administrantibus mos est in neminem damnatorum animaduertere, donec solemnes celebritates, nataliaque Augustorum festa prætereant.* Greg. Turon. *lib.* 6. *Histor. Francor. cap.* 23. ibi: *Deinde post multa funera filiorum Chilperico Regi filius nascitur; ex hoc iubet Rex omnes custodias relaxari, victos absolui.* Apud nos talis obolitio statuta reperitur *in l.* 1. *tit* 32. *part.* 7. de qua plura Mastrillus *de indulto Regis Siciliæ*, Iul. Clarus *epist.* 59. vbi plura Baiardus, Borel. *de præstant. Reg. cap.* 38. *nu.* 85. Plaza *de delict. lib.* 1. *cap.* 38 D. Ioannes Larrea *dec.* 25. *Granat.* Zypeus *lib* 2. *de iurisd. cap.* 8.

Deinde sciendum est, valdè controuersum esse apud Interpretes, quando, seu quo tempore dicatur quis accusasse, seu accusationem instituisse ad effectum vt impunè eam deserere non possit? Et obtinuit communis sententia, videlicet secundùm verba & mentem Senatusconsulti Turpilliani non licere impunè desistere post litis contestationem, itaut ante eam etiam libello dato liceat accusatori discedere: quo modo accipiunt legem 1. *Cod. ad Turpil.* ibi: *Causa criminis ordinata*: legem *quæsitum*, *ff. eod. tit.* 7 Quo tempore liceat accusatori desistere. Verùm hæc sententia sustineri non potest: tum quia Consultus *d. l. quæsitum*, dum ait eum, de quo ibi, Senatusconsulti verbis non contineri, nunquam sensit de verbis quoad superficiem, sed verbis rectè, & iuxta proprium sensum acceptis; ac proinde iuxta mentem, & sententiam legislatoris, iuxta textum *in l. nominis* 6. *ff. de V. S.* Tum etiam, quia Pontifex in præsenti, nulla facta monitione litis contestationis, apertè docuit Canonicos ante inscriptionem factam in ipsa accusatione desistere potuisse. Quare verius est, litis contestationem nullatenus esse necessariam; desiderari tamen libellum solemnem, quo reus criminis in iudicium refertur, & contra illum accusatio instituitur, ita quod ante eiusmodi libellum possit, post eundem verò nequeat accusator impunè desistere, vt docuerunt Glossa, Cinus, & & Salicetus *in l.* 1. *C. ad Turpil.* quæ sententia suadetur *ex d. l. quæsitum*, ibi: *Si non obiecisset*, & per argumentum à contrario, *ex c. vlt.* ibi: *Inscriptionem fecisset*, iuncta Glossa, 2. *q.* 3. *l.* 1 *C. vt intra certum tempus*, ibi: *Accusator reum in iudicium sub inscriptione detulerit*: & ex præsenti textu, ibi: *Citra vinculum accusationis* Nam inscriptio, de qua in his iuribus, fiebat insimul cum libello accusatoris, *l.* 3. *in princip. ff. hoc tit.* quæ extat *in c. fin. vers. libellorum*, 2. *q. vlt.* In eo accusator cauebat se perseueraturum in accusatione vsque ad sententiam, & talionis pœnæ se subscribebat, aut inscribebat, *l. qui crimen* 7. *in princip. ff. hoc tit. l.* 3. *C qui accusare.* Dicemus infrà *in c. super his.* Post hunc ergo libellum, qui inscriptionis dicebatur, *d. l.* 3. *hoc tit.* non licebat desistere ab accusatione; antea verò licebat, cùm adhuc accusator ad persistendum non se obstringeret: & hoc innuitur dum docetur ante inscriptionem posse accusatorem impunè desistere *in d. l.* 1. *C. ad Turpil.* ibi: *Inscriptionibus depositis, & fideiussore de exercenda lite*: & *l.* 3. *C. qui accusare*; & in præsenti textu. Et quia in libello continenebatur inscriptio huiusmodi ad persistendum, paria sunt dicere accusatorem ante inscriptionem desistere posse, post illam verò non ita; ac dicere, posse, vel non posse eundem desistere ante, vel post libellum accusatorium solemniter editum, quo accusatio instituitur in iudicio, vt defendit Abbas *in præsenti*, *num.* 6 & ita conciliandi sunt D D. qui asserunt post libellum non posse accusatorem desistere, cum ijs qui docuerunt, post inscriptionem tantùm non posse desistere.

Nec pro communi sententia suprà adducta facit textus *in d. l.* 1. *C. ad Turpil.* in illis verbis: *Causa criminis ordinata*. Quæ accipienda sunt, non de ordinatione per litis contestationem, sed per libellum solemniter editum cum prædicta inscriptione; quia tunc dicitur causa criminis ordinata ex parte accusatoris, *d. l.* 3. *ff. hoc tit. l.* 3. *C. qui accusare*: licèt ex parte accusati non sit causa ordi- 8 Exponitur l. 1. C. ad Turpil. cum aliis.

ordinata vsquedum ille accusationi respondeat. Idque satis expressit Imperator *in d. l. 1.* vbi post illa verba, *Causa criminis ordinata*, se ipsum explicans subdit, idest, *inscriptionibus depositis, & fideiussore de lite prosequenda præstito*. Quæ verba satis ostendunt ordinationem, de qua ibi agitur, non consistere in contestatione, sed in inscriptione, & alijs, de quibus ibi. Quod verò Imperator annectit in illis verbis, *Eo qui accusatur, sub officij custodia facto*, non refertur ad requisita necessaria, vt accusatus impunè possit desistere ab accusatione; sed ad hoc, vt abolitio, de qua statim agitur, impetrari possit per accusatorem absque accusati consensu: etenim vbi accusatus carcerem sustinuit, non conceditur abolitio accusatori eam petenti absque eiusdem accusati consensu, *l. fin. vers. siu autem, Cod. de abolit. cap. vlt. in princip. 2. quæst. 3.* Quod si carceri non fuit mancipatus, sed sub officij, idest officialis custodia traditus, vt exponit Cuiac. *libro 8. obseruat. cap. 30.* potest accusator impetrare abolitionem ex iusta causa absque consensu accusati intra dies triginta ab eo, quo sic sub officij custodia est, *d. l. vlt.* Probat igitur Imperator *in d. l. 1.* in Turpilianum incidere eum, qui crimen publicum detulit, & ordinata causa, idest inscriptionibus depositis, & fideiussore de causa prosequenda præstito, & non impetrata abolitione, vbi reus sub officialis custodia traditus est, accusationem deseruit. Nec etiam fauent communi sententiæ textus *in d. l. quæsitum, ff. ad Turp. l. l. miles, §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult.* quia in vtroque textu, licèt accusator libellum obtulerit iactatorium, seu comminatorium futuræ accusationis, in quo asseruit se accusaturum; non tamen accusauit, nec libellum cum inscriptione solemniter proposuit, vt colligitur *ex d. l. quæsitum*, ibi: *Obiecturum minatus est*; & ibi, *si non obiecisset*. Quæ verba satis innuunt, aliud asserendum esse, si accusator iam obiecisset, & accuset. Similiter constat *ex d. l. milites, §. 1.* ibi: *Accusaturum, & testatus fuisset*; iuncta Glossa verbo *Fuisset*, dum dicit, socerum illic non obtulisse libellum, intelligi accusatorium de præsenti, licèt iactatorium, seu comminatorium obtulisset. Et cum Consultus, ait socerum destitisse ab accusatione, accipit Glossa de accusatione comminata in futurum, non verò instituta, aut proposita de præsenti. Glossam sequuntur Dinus, Bartol. & Angel. *ibi*, Abbas *in præsenti, nu. 4.* Anan. *num. 7.* Felious *num. 2.* iuxta quem sensum *in d. §. 1.* est textus singularis, quo probatur, non solum repelli ab accusatione eos qui desistunt ab ea quam de præsenti proposuerunt, verum etiam desistentes ab ea, quam comminati sunt in futurum, vt in præsenti textu etiam docet Innocentius. Inde deducitur, ad effectum vt accusator desistens incidat in Turpil. non sufficere quod accusatus sit, quia ante libellum cum subscriptione prædicta, etsi citatio præmissa sit, verum est dicere accusatorem desistere ante inscriptionem, & ante libellum solemniter editum, & antequam accusator obstrictus sit prosequi accusationem vsque ad finem. Quod & apertè probatur ex præsenti textu *in princip.* ibi, *Citationis*: in quibus refertur, Archiepiscopum post Canonicorum delationem fuisse citatum: & adhuc ait Pontifex, post eam citationem adhuc accusatores posse desistere.

Consequens est alia quæstio, quando, & quo tempore
9 desistere possit accusator impunè absque pœna Turpilliani in illis criminibus, in quibus attento iure inscriptio locum habet: quos referemus suprà *in cap. super his*. Et videtur, quod in illis possit in quacunque parte litis impunè desistere; quia semper verum est dicere, quod desistit ante inscriptionem. Sed verè dicendum est, in his casibus, in quibus inscriptio non desideratur, desiderari litis contestationem, seu actum proximum litis contestationi. Vnde hodie in praxi, cum prædicta inscriptio vsu recepta non sit, ideò impunè ante litis contestationem desistet, vt dicemus *in d. cap. super his*.

Quid de accusationibus, vbi inscriptio non requiritur.

10 Tandem sciendum est, accusatore quouis modo desistente ante causæ exitum, siue licitè, & impunè, veluti ante inscriptionem; siue post illam, interueniente abolitione, siue illicitè, vtpote post inscriptionem, nulla abolitione præcedente, causam criminalem non extingui omninò, nec reum absolui a crimine, immò adhuc contra ipsum procedi posse, non solum alio accusante, verùm etiam iudice ex officio prosequente, *l. 3. §. vlt.* vbi Bartol. *ff. hoc tit. l. penult. ff. de public. iudicijs, l. 2.* ibi: *Sed aduersus nocentem, C. de abolit. cap. 2. de calluf. deteg.* & satis expressit Innocentius in præsenti, in fine, dum ne minus canonicè procedere videatur, docet quod licèt accusatores desisterent, adhuc inquirendum esse contra Archiepiscopum, probarunt Iul. Clarus *d. §. vlt. q. 11. nu. 9.* Padilla *in l. transigere, nu. 46 C. de transact.* vt autem iudex ex officio procedere possit, accusatore desistente, desideratur vt causa criminalis eius naturæ sit, vt alias Iudex ad eius inquisitionem procedere possit, aliàs sicut nec à principio, ita nec desistente accusatore iod ex inquirere valet.

Desistenti ab accusatione silentium imponitur.

Quibus ita animaduersis apparet vera ratio præsentis 11
decisionis; nam cum Canonici Bisuntini in eius specie adhuc accusationem legitimè cum inscriptione non proposuissent coram Innocentio III. potuerunt impunè desistere ab Episcopi accusatione absque eo, quod tanquam tergiuersatores puniri possent: & quia interrogati à Pontifice, an vellent accusationem pro onere, aut haberent quid vnde conquererentur de prædicto Archiepiscopo, responderunt, nec causam habere, nec velle accusationem instituere, ideò illis perpetuum silentium imposuit: sed quia desistente accusatore, aut regulariter abolitione impetrata, crimen non extinguitur, sed tantum accusatio perimitur; ideò etsi Pontifex perpetuum silentium imponeret Canonicis, ne amplius Archiepiscopum accusare possent super eisdem criminibus, non propterea ab ijsdem delictis ipsum Archiepiscopum absoluit, nec prohibet de his per alios accusare: sicut Dominus noster, cuius exemplum Pontifex adducit, & habetur *Ioannis cap. 8* adulteram absoluit à crimine, vel accusatione, si postea legitimè accusaretur, quamuis tunc nullo existente accusatore, aut instituto iudicio, meritò abire permiserit. Vnde illa verba finalia huius textus, *nec tamen in absolutione tua*, non sunt intelligenda de absolutione à criminibus, vel simpliciter, & absolutè accusatione, vel inquisitione super eisdem criminibus, sed tantùm de absolutione ab accusatione proposita per Canonicos. Illud summè notandum est, Innocentium III. non committere inquisitionem contra Archiepiscopum Cabilonensi Episcopo. & Abbati de Fitinitate super criminibus, ad quam necessario præcedere debet infamia, *cap. qualiter 24 in princip. & in fine*, ibi: *Inquisitionem clamosa insinuatio*: *hoc tit.* sed tantummodò committere inquisitionem super fama Archiepiscopi, vt constat ex illis verbis: *Inquisitionem famæ tuæ*. Ad hanc enim inquisitionem sufficit modica diffamatio, nec desideratur infamia, cum in ipsa inquisitio fiat ad famam, vel infamiam inuestigandam; ita quod si infamia appareat, inquisitio fiat super crimine contra infamatum, iuxta textum *in d. cap. qualiter*: quem ex hoc textu exponunt, & limitant ibi Immola *in fine*, Abbas *num 4.* Felinus *nu. 3. vers. Opponitur vlteriùs*, Marianus *num. 16.* Dueñas *regul. 298 limit. 8.* Maranta *de ordin. iudic. cap. 6 nu. 26.* Iul. Clarus *d. §. vlt. quæst 6. num. 4.*

Traditur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, cui vt satis- 12
faciat Aretinus in præsenti, *num. 12* asserit Canonicos, de quibus in præsenti, non fuisse accusatores, nec tales ab Innocentio iudicari; sed tantummodò denuntiatores: & quia inscriptio attento iure canonico locum non habet in denunciatione, *cap. qualiter 24. ad fin. hoc tit.* verba illa huius textus, *citra vinculum inscriptionis*, quæ vulgò exponuntur, idest ante vinculum, ipse accipit præter, seu extra vinculum, quasi hoc casu inscriptioni locus non esset. Verum intellectus hic non solùm repugnat proprietati verborum, verùm menti ipsius Innocentij, qui intendit, & supponit Canonicos fuisse accusatores; aliter enim si essent tantùm denuntiatores, frustra se excusarent, eo quod nuntius mandatum excessisset accusando; & frustra Pontifex diceret eosdem destitisse ab accusatione, quod necessariò supponit eos accusare, *l. destitisse 10. ff. de iudic. l. non potest 209. de R. I.* & apertius refellitur Aretini sententia, si serio perpendatur integra huius textus in præsenti transcripta. Quare hac omissa solutione dicendum est, accusationem in præsenti casu legitimè cum inscriptione propositam non fuisse, & ita iuxta suprà tradita licitè, & impunè potuisse Canonicos desistere ab accusatione. Nec interest, quod citatio præcessisset, vnde videtur, Canonicos accusationem deseruisse. Nam respondetur in hac materia non attendi, nec considerari tantummodò quod accusatio pendeat, sed quod instituta sit per libellum in forma iuris, cum prædicta inscriptione; & consequenter sicut citatio non requiritur, ita nec sufficit per se, nisi præcedat solemnis inscriptio. Nec obstat, quod si accusator desistere possit post citationem, iam daretur eidem occasio vexandi aduersarium per citationem; & insuper infamandi

Dissoluitur dubitandi ratio.

cum

Digitized by Google

eum de crimine. Quia respondetur, quod licèt si post citationem desistens non incidat in pœnam Turpilliani, quæ ante inscriptionem non habet locum; nihilominus in expensis, & damnis ex citatione sequutis condemnandus est, iuxta dictam legem 3. *C. qui accusare*, legem *eum quem* 79. *in princip. ff. de iudicijs*, *cap. calumniam*, *de pœnis*: docet Glossa 2. *in præsenti*, *verbo Sed videtur*. Et etiam actione iniuriarum conueniri valet, iuxta textum *in l. item apud* 25. *§. ait*, *vers. Si quis libello*, *ff. de iniurijs*. Quod si instes, in præsenti casu Canonicos post citationem desistentes nullatenus condemnari, immò Innocentium asserere ea iuris permissione non esse illis imputandum, quod desistere voluerint, vt habetur *in d. vers. Quia verò*. Respondet Glossa, Canonicos excusari ab eiusmodi condemnatione, quia nuntius ab eis missus crimen deferendo excessit mandatum, cùm ipsi nunquam accusare intenderent. Quæ Glossæ solutio communiter refellitur ab Abbate *in præsenti*, *n.* 5. Anania *n.* 7. ex quorum mente dicendum est, Canonicos non fuisse condemnatos in expensis, quia Archiepiscopus ad eorum petitionem citatus non fuit, sed tantum a Cœlestino III. Innocentij prædecessore ea officio citatus: qua sententia admissa, cessat alia difficultas, cur videlicet Cœlestinus contra legem 2. *vers. ex longinquo*, *C. de exhib. reis*, Archiepiscopum citauerit antequam accusatores accusationi inscriberent. Cui difficultati non satisfaciunt Abbas *n.* 2. Aretinus *n.* 2. qui asserunt, dictum versiculum *ex longinquo*, non seruari in Curia Romana. Verius dicendum est, textum illum agere de citatione ad instantiam, & petitionem accusatoris, vt notat Glossa *ibi*, *verbo Assensus*; non verò de citatione facta officio iudicis. Nec tandem obstat textus *in Authent. qui semel*, *Cod. quomodo & quando*, vbi post citationem non licet actori desistere. Nam respondetur, textum illum tantùm procedere in causis ciuilibus, non verò in criminalibus, vt docuerunt Innocent. & Cardinalis in præsenti, quos sequitur Anania *n.* 8. Videndus Donel. *lib.* 22. *cap.* 5.

13 Dissoluitur secunda difficultas.

Nec obstat secunda difficultas suprà ea pensa, pro cuius solutione distinguendum est. Aut enim agitur de eo, qui accusare omittit, & non vult accusationem inchoare, qui pœnitentia ductus, re integra potest accusare, *d. l.* 3. *vers. si is cuius*. Idemque dicendum videtur in eo, qui post propositam accusationem, ante inscriptionem licitè desistit. Aut agitur de illo, qui post accusationem desistit eo tempore, quo desistere non potest, & tunc in Turpillianum incidens amplius accusare nequit, *d. l.* 2. *l. quæsitum*, *in fine*, *l. abolitionem* 16. *C. ad leg. Iul. de adult.* Si autem desistat licitè, idest post inscriptionem, sed præcedente abolitione publica, vel legali, poterit accusationem repetere, iuxta terminos legis 3. *§. vlt. in fine*, *ff. hoc tit. l. si cui* 7. *l. si interueniente*, *ff. ad Turpil.* secus verò si priuata præcedat abolitio, *l. mulier*, *§. vlt.* vbi Glossa, *ff. ad Turpil. l.* 1. *Cod. de abolit.* Vbi autem quis ante inscriptionem licitè desistit, & insuper legitimè interrogatus, an velit prosequi accusationem, noluit, vel dixit se vlterius non accusaturum, licèt postea etiam re integra accusare velit, non est audiendus. Quo casu procedit hic textus *in vers. Nos igitur*; siquidem in eius specie Canonici per Pontificem interrogati responderunt, accusare nolle. Sic etiam procedit textus *in d. l. accusatione*, si expendas verba illa: *A qua discedere te professus es*. Consonat regula legis *quæritur* 14. *vers. Remittentibus*, *ff. de ædilit. edict.* Sic planè non excluduntur in præsenti Canonici ab accusatione, nec silentium ijsdem perpetuum imponitur ex eo tantum, quod destiterunt; quia cùm ante inscriptionem, & per consequens illicitè fecerint, nihil erat eis imputandum, ac proinde nec excludendi erant. Arcentur ergo ab accusatione, quia interrogati per Pontificem dixerunt se accusare nolle: in quo sensu Innocentius dum *in vers. Nos igitur*, eos excludit, non expendit præcipuè desistentiam, de qua *in vers. sequenti*: sed interrogationem, & responsionem eorum; & sic non satis probat textus hic eam conclusionem, ad quam expenditur, & commendatur per Abbatem *n.* 4. & similiter dum Pontifex *in d. vers. Nos igitur*, Canonicos repellit, & perpetuum eisdem silentium imponit, non procedit specialiter in Romano Pontifice, vt existimabat Felinus *hic*.

C A P V T XV.

Idem a *Salesburgen. Archiepiscopo.*

VEniens ad Apostolicam Sedem venerabilis f. n. *b* Pragen. *c* Episcopus inter alia proposuit coram nobis, quod cùm esset filius *d* sacerdotis, in Ecclesiam Pragen. fuerat intrusus, & contra eiusdem Ecclesiæ *e* priuilegium Imperiali ei liberalitate concessum, & per Sed. Ap. confirmatum, homagium dil. f. n. Duci *f* Bohemiæ præstitit, ac regalia *g* recepit ab eo, sic subijciens Pragen. Ecclesiam seruituti. *Et infra*: Vnde nos prædictum Episcopum ad festum Resurrectionis Dominicæ proximò præteritum peremptoriè meminimus citauisse. Idem verò Episcopus per nuntios, & litteras ad suam excusationem viarum discrimina, *h* consecrationem chrismatis imminentem, & quod filius nobilis viri Bohemiæ Principis esset per ipsum baptizandus tunc temporis allegauit. Licèt autem excusationes huiusmodi, sicut erant, friuolas existimantes, ipsum reputauerimus contumacem, nec *i* procuratores eius in causa possemus recipere criminali: eis tamen dil. fil. n. G. sancti Angeli, & H. sancti Eustachij Diac. Card. concessimus auditores, vt si possent, illum aliquatenus excusarent. Cumque prędictus A. Coram eis repetijsset obiecta, ei fuit ex aduerso responsum, quod cùm olim super hoc ad ven. f. n. Magdeburgen. Archiepiscopum litteræ fuerint impetratæ, idem A. qui contra Episcopum solus agebat, in obiectorum se videns probatione deficere, depositis vestibus, & pedibus nudis, ad pedes eius humiliter se prosternens veniam postulauit, & quod aduersus eum calumniosè processerat, est confessus. Cæterùm cùm super hoc mandato stare eiusdem Archiepiscopi iurauisset, ipse præcepit eidem sub debito præstiti iuramenti, vt contra eundem Episcopum de cætero talia proponere non auderet. Nos igitur intellectis per Card. eosdem, quæ fuerunt hinc inde proposita, cùm nobis expressiùs ipsius A. confessione constaret, ipsum iuramentum præstitisse, ac tale recepisse mandatum, super impetitione dicti Episcopi silentium ei duximus imponendum: propter contumaciam tamen Episcopo citationem, & purgationem propter infamiam indicentes.

N O T Æ.

1 a SAlesburgen.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & præsens Decretalis missa est Adalberto Regi Bohemiæ, cuius tempore intrusi fuerunt in eadem Ecclesia Henricus Præpositus, & Conradus 3. vt refert Bucelinus *tom.* 1. *Germaniæ*, *fol.* 43. De hac Metropoli nonnulla notaui *in cap.* 1. *de caning. seruor.*

2 b *Pragensi.*] Pragensis ciuitas est Regni Bohemiæ, in qua primus Boleslaus II. cognométo Pius, Dux Bohemiæ, & Morauiæ, facultatem instituendi proprium Episcopũ à Pontifice Ioanne IX. & Othone I Imperatore impetrauit anno Christi 967. qui Metropolitano Maguntino subiectus, ab eo consecrationẽ acciperet, ab Imperatore verò regalia, vt referunt Agecius *in chron. Bohemiæ*, ibi: *Anno 966. in Quadragesima mittitur solemnis legatio à Boleslao Duce, & vniuerso Bohemorum Clero ad Othonem Imperatorem, ut Maiestatem eius nomine Ducis, & totius populi supplicent pro licentia Episcopi constituendi, & vt Maiestas eius velit*

consen-

consentire, vt Pragæ fiat residentia Episcopalis. Quo voto Boleslaus potius elegit Dethmarum in Episcopum natione Saxonem, vt testatur Dubrauius Olomucensis Episcopus, ibi: *Ioannes IX. Romanus Pontifex nominandi Pragæ Præsulis Boleslao potestatem faciebat, atque is Dethmarum quendam à Saxonia oriundum, de sententia omnium Sacerdotum primum in Bohemia Antistitem nominauit, curæque habuit, vt solemniter, & more aliorum in Germania Pontificum à Maguntino Præsule, tanquam suo Metropolite, inaugurararetur, vtque reg alia ab Othone Cæsare acciperet*. Referunt Aubertus Mireus *de rebus Bohemiæ cap.* 7. Goldastus *de Regibus Bohemiæ lib.* 5. *cap.* 4. notaui *in cap.9. de exceptionibus*.

3 c *Episcopum*.] Danielem videlicet, qui priùs fuerat Vladislai Regis Capellanus.

4 d *Filius sacerdotis*.] Et ita irregularis, & vt illegitimus, incapax erat Episcopatus, iuxta tradita *in cap. cùm in cunctis, de elect.*

e *Priuilegium*.] Episcopi enim Pragensis, Olomucensis, Vratislauiensis Regi Bohemiæ non præstant homagium, sed tantùm fidelitatem promittunt, ex pacto Calixti Papæ & Henrici V. Imperatoris, vt ex alijs narrat Goldastus *de Regibus Bohemiæ lib.* 5. *cap.* 3.

f *Ducis Bohemiæ*.] In alijs libris legitur *Regis*; & rectè, nam ab anno 1088. seu 1061. Vratislaus Dux Bohemiæ, ab Henrico IV. Imperatore Rex creatus fuit, licèt regius deinceps honor ad annos 60. interceptus fuerit: & postea Vladislaus II. à Friderico Barbarossa Imperatore Rex Bohemiæ creatus fuerit: sed post ipsum denuò interregnum fuit vsquedum an. 1197. Primislaus, dictus Othocarus, Vladislai Regis filius, à Philippo Imperatore manu propria coronatus Maguntiæ in conuentu Principum, tertius Rex Bohemiæ fuit, de quo agitur in præsenti, ex quo tempore regia dignitas in ea prouincia continuata est, vt refert Aubertus Mireus *c.* 2. *de rebus Bohemiæ*.

g *Regalia recepisset*.] Iuxta morem, quem retuli, & illustraui *in cap.* 1. *de elect.*

h *Consecratione chrismatis*.] Quæ necessariò facienda est ab Episcopo in feria quinta maioris hebdomadæ, vt probaui *in cap. quantò, de consuetud.*

i *Procuratore eius*.] Ad excusationem delicti; nam ad proponendas causas absentiæ etiam in iudicio criminali procurator admittitur, *l. seruum* 33 *ff. de procurat. l. reos, C. de accusat.* Salcedo *in praxi, cap.* 151. quod latè exposui *in cap. tuæ, de procurat.* & textum hunc illustraui *in cap. nimis, de iureiur.* 6

CAPVT XVI.

Idem *Sancti* a *Fridiani Priori, & Magistro B. Canonico Pisan.*

SVper his, de quibus nos consulere voluistis, inquisitioni vestræ breuiter respondemus, quod tribus modis valet crimen opponi, denunciando, excipiendo, & accusando. Quando crimen in modum denunciationis opponitur, ad denunciationem non est inscriptio necessaria: sed cùm in modum accusationis obijcitur, oportet inscribi, quoniam ad depositionem instituitur accusatio, sed ad b correctionem est denunciatio facienda. Cùm autem excipiendo fuerit crimen obiectum, distinguendum est, quare opponatur, & quando: si autem obijcitur vt ab accusatione, vel testificatione aliquis repellatur, non est inscribi necesse: sed cùm opponitur, vt quis à promotione officij, vel beneficij excludatur, si ante confirmationem obijcitur, non cogitur quisquam inscribere, quia crimen hoc modo probatum impedit promouendum, sed non deijcit iam promotum. Post confirmationem verò, cùm scilicet promouendus fuerit aliquis, aut consecrandus, quia ab obtinendo repellit, & deijcit ab obtento, ad extraordinariam quidem pœnam secundùm arbitrium discreti Iudicis, citra vinculum tamen inscriptionis est excipiens adstringendus, si defecerit in probando: pro eo, quod crimine sic probato, perdit quod per electionem, & confirmationem ei fuerat acquisitum, sed ob hoc priùs habitum non amittit: licet enim agatur de crimine, non est tamen huiusmodi quæstio criminalis. Vnde per c procuratorem potest ritè tractari. Clericus autem, qui pro eo, quod variauerat, & vacillauerat coram nobis, de mandato nostro captus est, & detentus, infamiam non incurrit. Cæterùm volumus, & præsentium vobis auctoritate mandamus, vt super inquisitionis articulis, tam de fama electi, quàm litteris contra eum sub nomine longè maioris, & sanioris partis Capituli destinatis cogatis testes, qui nominati fuerint, perhibere testimonium veritati.

NOTÆ.

a SAncti Fridiani.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & *in cap. super his, de pœnis, cap. super his, de test. cogend.* vbi extant aliæ partes huius textus. Eius historiam retuli *in cap. tam litteris, de testibus*.

1 b *Ad correctionem est denunciatio*.] Nam cùm per viam exceptionis crimen obijcitur in iudicio ciuili, vt *c. si constiterit* 12. *cap. ad petitionem* 22. *hoc tit. l. Papinianus, §. filius, ff. de inoffic. testam.* non agitur principaliter vt quis puniatur, sed vt à iudicio excludatur; quia exceptio est actionis exclusio, *l.* 2. *ff. de except. cap.* 2. *de ordin. cognit.* Nec tunc obstat textus *in cap. item cùm quis* 4. *de restit. spol.* vbi opponens exceptionem criminis contra agentem de spoliatione, non auditur, quia hoc modo criminaliter agi dicitur. Quia dicendum est, in eo textu crimen oppositum non fuisse per modum exceptionis, sed principaliter agendo per viam reconuentionis, & accusationis, vt constat ex illis verbis, *obijciendo crimen agere non potest*, vt docuit Beroius *in cap.* 1. *de iudicijs, num.* 73. Aliquando tamen & qui crimen opposuit per modum exceptionis, si in eius probatione defecerit, punitur, vt *in cap.* 1. *§. adijcientes, de elect. in* 6.

c *Procuratorem*.] Quia aliàs si iudicium esset criminale, non admitteretur, iuxta tradita *in cap. tua, de procurator*.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: 2 Conclusio traditur, & probatur.
Accusatus criminaliter ad vindictam, inscribere debet; denunciator verò non item. Probant eam textus *in cap. non probauerit, cap. mandasti* 10. 2. *q.* 5. *cap. quisquis, cap. qui crimen* 2. *q.* 8. *c.* 8. 3. *q.* 9. *cap. nullus, §. inscriptio*, 4. *q.* 4 *cap. qui calumniam* 5. *q.* 6. Synodus Constantinopol. *can.* 6. ibi: *Quam simili pœnæ accusatores inscribant, subituri eam, si quid per calumniam intendant*. Et *l.* 3. *l. si cui* 7 *ff. de accusat. l. si quis* 8. *C. eod. tit. l.* 2. *§. penult. ff. ad leg. Iul. de adult. l. vlt. ff. de furtis, l. si quis obrepserit* 99 *ff. ad leg. Cornel de falsis, l.* 1. *C. ad Turpil. l. vlt. C. de iniurijs, l.* 2. *C. de exhib. reis, l* 3. *C. de his qui accusare, l.* 4. *C. Theodos. de custod. reor. l.* 1. *C. Theodos. de accus.* ibi: *Nullus secundùm iuris præscriptum crimen, quod intendere proposuerit, exequatur, nisi subeat inscriptionis vinculum*. Et *l.* 8. 9. 14. *& fin. eod. tit. l.* 8. *eod. C. de famosis libellis*. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Ant. August. *in epit. iuris, lib.* 30. *tit.* 15. Fornerius *in notis ad Cassiodorum lib.* 6. *epistol.* 15. Ant. Matthæus *de crimin. ad tit. de accusat. cap* 6 *per totum*, Petrus Herod. *lib.* 1. *Pandect. tit.* 5. *c.* 12. Bignonius *in not. ad veteres formul. c.* 29. Paulus Idumay *in notis ad Innoc. III. lib.* 2. *epist.* 201. Scipio Gent. *ad Apulei. apolog. c.* 2. *fol.* 14. Vultcius *de iudic. lib.* 2. *c.* 4. *&* 5. *n.* 253. Ant. August. *in notis ad can. Hadriani, c.* 7. *tom.* 9. *Concil. Binij*, Reuardus *ad leges* 12. *Tabul. c.* 25. *in princ.* Cuiac. *in l.* 6. *C. de accusat.* Hunnius *ad Treutl. vol.* 1.

vol.1.disp.12.qu.56. D. Ioannes Vela *de modo procedendi*, c.5.n.26. P. Gregorius *lib.32.syntag.c.7.n.6.* & *lib.5.partit. tit.9.cap.4.n.3.* Osuald. *lib.18.Donel.cap.10. littera D*, D. Ioannes Suarez *de leg. Aquil. lib.1.cap.2.nu.20.* Brissonius *lib.1.select.cap.1*. Turturet. *differt.43.iurid.*

3 Traditur ratio dubitandi. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Valdè Reipublicæ interest, vt delicta non maneant impunita, & sint qui crimina deferant, reosque in iudicio accusent, *l.inde Neratius*, cum vulgatis, *ff.ad leg. Aquil.* Sed si accusator cogatur inscribere, & ita pœnæ talionis se subijcere, nemo audebit accusare, cùm facilè absque propria calumnia possit in accusatione deficere, aut quia non plenè probauit, propter repulsionem testium, aut imperitiam aduocati; vel quia testes à potentiori aduersario subornati verum non teneant: igitur ne delicta maneant impunita, cogi non debent accusatores ad inscribendum accusationi cum sui capitis aperto periculo. Deinde ea pars assertionis, vbi docetur, denunciatores inscribere non debere, diffici lis redditur; nam delatores criminum, si quos per calumniam denunciauerint, puniuntur, *l.2. in princip. §.D.Pius*, *l. Senatus 15.§.1. & 2. l. res quæ 22 §.vlt.* cum duabus legibus sequentibus, *ff. de iure fisci*: latè probat Amaya *in l. 1. C. de delat. num. 19.* Igitur in hac parte nulla est differentia inter delatorem, & accusatorem.

4 De inscriptione, & subscriptione. Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, iure ciuili Romanorum certam fuisse formam exercendorum iudiciorum publicorum, quam recenset eruditus Brissonius *lib.2.select.c 1.* licèt postea extraordinariè quæri de criminibus cœpisset, vt testantur Consulti *in l.ordo, ff.de public.iudic.l. in Senatusconsultum, §.1.ff.ad Turpil.l.1.§.vlt.l.hodie, ff. de pœnis*. Et primò, qui alium accusare volebat, deferebat ad Prætorem, vel eum qui iurisdictioni criminali præerat, nomen rei, petens vt inter reos reciperetur: & si præsens erat reus, vocabat, ducebatque eum ad Prætorem: si verò abesset, delato nomine, atque inscriptione facta, reus citabatur, exhibebaturue. Tacitus *lib.2.annal.* ibi: *Marcus Viuius nuntiauit Pisoni, vt Romam ad dicendam causam veniret: ille eludens respondit adfuturum, vbi Prætor, qui de veneficijs quæreret, reo, atque accusatoribus diem prædixisset.* Seneca *in apolog.col.: Ducit illum ad tribunal Æacij: is lege Cornelia, quæ de siccarijs lata est, quærebat: postulat nomen recipi, edit subscriptionem, occisos Senatores 30. Equites Romanos 315.* Cicero 4. in Verrem: *Hic tum repentè Pacilius quidam homo egenus, & leuis accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle. Iste verò, & licere, & fieri solere, & se recepturum.* Sequebatur inscriptio, quæ nihil aliud est, quàm professio accusatoris, qua profitetur se exempli gratia Titium deferre ex lege Aquilia; eumque reum à se peractum iri. Et licèt inter inscriptionem, & subscriptionem accusationis nihil interesse existimet Vulteius *de iudicijs lib.2.c.4.n.119.* quia subscriptio pro inscriptione ponitur *in l.si cui 7 ff.de accus.l.si obrepserit 29.ff.ad l. Cornel. de falsis, l si quis seruos, C.de accusat.* & promiscuè accipiantur *in l.vlt.ff.de priuat.delict.l.fin.ff. de furtis, l. Athales 24 ff.ad leg.Cornel.de falsis, l.2.C. ad Turpil.* Tamen verius est, multum interesse inter scribere, & subscribere. Inscribere dicitur accusator, cùm reum se aliquem facere alicuius criminis profitetur libello: quæ inscriptio libelli appellatur, & eius forma extat *in l. libellorum, ff. de accusat.* in Glossa Basilic. *lib.60. tit.42.* inter veteres formulas Marculfi *c.29.* apud Apuleium *in apolog. c.2.* & ex cuiusdam monachi schedis ita transcribit Brisson. *lib.5.formul. Ego ipse aduersum te in rationibus publicis adsisto: si te iniustè interpellauero, & victus exinde apparuero, eadem pœna, quam in te vindicare pulsaui, me constringo, atque conscribo partibus tuis esse damnãdum, & pro rei totius firmitate manu propria firmo, & bonorum virorum iudicio roborandum dabo.* Subscribere est confirmare inscriptionem, cùm is qui libellum dedit, vel alius pro eo, si litteras nesciat, subscribit se professum esse, vt *in d.l.3.* & hæc subscriptio est quasi vinculum, quo se accusator ad pœnam talionis obligat, si temerè, & falsò accusauerit, aut reum peregerit, *l.si cui crimen, ff.de accusat.l.11.C.Theod.de accusationib.l.8 C.Theod. de iurisd.* notauit Balsamon *in can.131.Synod.Carthag.* Ideò libellum hunc vinculum talionis dixit Carnot. *epist.51. & 138.* & ita idem est qui inscribit, & subscribit, licèt olim alius esset qui reum deferebat, & inscribebat, alius qui subscribebat; quales erant causidici, qui se accusatori iungebant, vel iurandi, vel obseruandi gratia, vt Asconius notat 1.in Verrem: *Subscriptores dicuntur, inquit, qui adiuuare accusatorem causidici solent, quos oportet summissius agere, quàm dicat ille, quem sequuntur. Nec solùm ebat tarum causa, atque iuuandi accusatoris adhiberi solent, sed etiam vt ne facilè corrumpatur.* De hoc subscriptore Cicero loquitur in epistola ad Q. Fratrem Gabinium: *De ambitu reum fecit P. Sylla, subscribente priuigno Memmio.* Tacitus *lib. 1. annal. Nec multò post Grannium Marcellum Prætorem Bithyniæ Quæstor ipsius Cepio Crispinus Maiestatis postulauit, subscribente Romano Hispone.* Idem Cicero 1. *Verr.* ibi: *Ipse nihil est, at venit paratus eum subscriptionibus exercitatis, & disertis: est tamen hoc aliquid, tametsi non est satis: omnibus enim in rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus & paratissimus esse debet.* Et mox: *Custodem*, inquit Cælius Tullio, *me apponite. Quid? mihi quammultis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non solùm, ne quid enunties, sed etiam, ne quid auferas, custodiendus sis.* Eleganter Symmachus *lib.1.epist.* ibi: *Quid sit conditionis inscriptio, nostis præ cæteris; prouisum est enim, ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se idem priùs pœnæ sponsione vinciret.* Ad quod respicit textus *in l. penult. C. de accusat.* in illis verbis: *In causis criminalibus dignum est, vt inscriptiones proponant, quæ videlicet magnitudinem sceleris, tempusque designent, vt alterutram partem digna secum tenere possit auctoritas.* Alterutram partem, inquiunt Imperatores, hoc est accusatorem, vel reum; accusatorem, si fefellerit; reum verò si accusator vera detulerit, *l.non priùs, C.de calumniat.* Cuius etiam inscriptionis singularis locus extat *in l. causas, Cod. Theod.de iurisd.* Et quia accusator sese inscribebat ad eandem pœnam, sese ad pœnam talionis adstringere dicebatur. Eleganter Festus Pompeius ibi: *Talionis mentionem fieri ait Verrius hoc modo: Si membrum rupserit, ni cum eo pacit, talio esto. Nec id quid significet, indicat: puto quia notum est; permittit enim lex parem vindictam.* Isidorus *lib. 5. etymol. c.27.* Gellius *lib.2 noct.c.1.* quo respexerunt Damasus Papa *epist.3.ad Stephanum Archiep.* Adrianus Papa *can.48.* ibi: *Qui crimen obijcit, scribat se probaturum reuera, vt ibi causam agat, vbi crimen admittit: vt qui non probauerit quod obiecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur.* Ex quo emendandus est Gratianus, qui falsò retulit canonem hunc *in c.fin.3.q.6.* per hæc verba: *Qui crimen obijcit, sciat se probaturum: reuera ibi causa agatur, vbi crimen admittit.* Cùm transcribere deberet pro verbo *sciat*, verbum *scribat*, vt notauit Ant. August. *in notis ad canonem 98. Hadriani Papæ*, & *lib.1.de emendatione Gratiani, dial. 14.* de qua talionis pęna accipere possumus celebre decretum Damasi Pontificis relatum inter eius decreta, *tom. 1. Concilior.p.1.pag.512.* in illis verbis: *Si quis Episcopum, aut presbyterum, aut diaconum falsis criminibus impetierit, vel accusauerit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.* Quę verba de adulterij crimine esse accipienda existimamus ideò, quia pœna hæc primis illis Ecclesiæ temporibus pro adulterio imponebatur, *can.7. Concil.Ancyrani.* D. Cyprianus *in epist. ad Antonium Episcopum, c.64. & 65.Concil.Illiber.* vbi probaui: notauit Scipio Gentil. *ad Apolog. Apuleij ind.c.2.* Etiam sciendum est, accusatorem in alia inscriptionis parte cauere debere se perseueraturum in iudicio vsque ad sententiam. Quæ cautio non per simplicem repromissionem datur, sed fideiussoribus præstitis, *l.7.§.1 ff. de accusat.l.3.* ibi: *Fideiussor de lite exercenda adhibitus fuerit; C. de accusat.l.1. & 2. C. ad Turpil.* atque huiusmodi fideiussoris meminit Paulus *in l. post legatum 5. §. sunt qui putant, ff. quod legat.* & hanc cautionem olim ante vocationem in ius, vna cùm inscriptione præstari solitam fuisse, constat *ex d. l. 1. C. ad Turpil.* Et licèt hæc cautio iam exoleuerit, optima tamen ratione olim inducta fuit, vt temeritas accusatoris etiam damno pecuniario coerceretur. Habebat enim hæc cautio aliam partem, de custodia videlicet rei accusati, seu eius modo, quam prosequitur Vulteius *de iudicijs lib. 2. cap. 5. num. 142.*

Sunt tamen certi casus, in quibus inscribere accusator non cogitur. Et primò in leuioribus delictis, quia audiuntur, & discutiuntur de plano, absolutis videlicet reis, seu fustibus castigatis; seruis verò flagello verberatis, *l. leuia 6.ff. de accusat. l. vnius 18. §. vlt.ff. de quæst. l. nequaquam 9. §. de plano, ff. de officio Proconsul.* in grauioribus verò, quia de vita, & fortunis hominum agitur, ideò maior obseruatio solemnium desideratur: leuiora autem, quæ non ita magni præiudicij sunt, de plano discuti debent. 5 Exceptiones præcitis textus.

bent. Deinde cessat inscriptio cùm mulier suam, suorumue iniuriam prosequitur, *l. de crimine 12. C. qui accusare:* quod & in delatoribus obseruatur qui suam, suorumue iniuriam prosequuntur, *l. deferre 18. §. sed si communem, l. filius 38. §. fin. l. delator 44. ff. de iure fisci, l. ex libertate 26. ff. de liberal. causa*. Vel si parentes mortem liberorum, aut contra liberi necem parentum exequantur; cùm enim eo casu cesset calumnia, Senatusconsultique Turpiliani pœna, *l. 2. & 4. C. de calumn. l. vlt. ff. de public. iudic. l. in Senatusconsulto 15. 1. eos, ff. ad Turpil.* ad quid inscriptio? De marito accusante adulteram, dicemus *in cap. maritis, de adulterijs*. Item cessat inscriptio, cùm quis crimen in aduersarium retorquet, quia quamuis eo ipso actoris partes sustinere videatur, inscriptione tamen non oneratur, argumento legis 2. § *si publico, & sequent. ff. ad leg. Iul. de adult. l. qui cùm maior 14. §. libertus, ff. de bonis libert.* & expressè in hoc textu ab Innocentio docetur, quia non verè accusat, qui retorquet crimen, cùm innocentiæ dumtaxat defendendæ gratia faciat. Quintilianus *lib. 7. instit. c. 3.* ibi: *Sed si quando in partibus laborabimus, vniuersitate pugnandum est, siue inuicem accusant, siue crimen reus vltra accusationem in aduersarium restituit, vt Roscius in accusatores suos, quamuis reus, non fecisset; non enim tunc est accusatio, sed defensio*. Quare cùm Senatusconsulto Syllaniano præmium præstetur ei, qui ex familia seruorum cædem domini indicauerit, vel accusauerit, *l. in lege 25. ff. ad Syllan.* non videtur accusare, vt præmium consequatur, qui in alium, cùm argueretur, crimen detorsit, *l. 3. §. vtrum 14. ff. ad Syllan.* vbi pro *vindicasse*, legendum esse *iudicasse*, notarunt Ant. August *lib. 2. emend. c. 19.* Cuiac. *lib. 18. obseru. cap. 22.* cuius textus argumento docet ex alijs Amaya *ad tit. de dilat. num. 32.* quod si præmium ex statuto proponatur occidenti bannitum, & aliquis eum occiderit, non vltrò, sed defendendo, non assequitur præmium, quia lex non considerat quod casu euenit, sed quod principaliter fit, *l. si quis nec causam, ff. si certum petatur, l. qui iniuria 53. ff. de furtis:* nec lex voluit præmio afficere illum, qui non vt illi pareret, sed potiùs ob propriam defensionem id efficit, *l. vnum 67. §. si de Falcidia, ff. de legat. 2. l. 2. ff. de condit. & demonst.* Alias quoque exceptiones aliqui deducunt *ex l. ne quis 6. C. de Iudæis, l. 4. C. de apostatis, l. 4. C. de hæretic. l. ea quidem 7. C. de accusat.* sed non rectè, vt probat Ant. Matthæus *ad tit. de accusat. c. 6 in fin.* Illud tamen notandum est, tantùm hanc inscriptionem locum habere in iudicijs criminalibus, siue ordinarijs, siue extraordinarijs: in iudicio autem ciuili, quamuis de crimine agatur, non cogitur accusator in crimen subscribere; quoniam in eo pecuniariter agitur, *l. vlt. ff. de priuat. delict. l. fin. de furtis, l. is cui 4. §. si verò, Cod. de sportul.* quamuis Bignonius *in notis ad veter. formul. cap. 20.* ex eo prodiet, etiam in causis ciuilibus pro expensis subscriptionem desiderari.

6. *Traditur decidendi ratio.* Ratio autem cur ita diligenter hęc inscriptio in accusatione desideretur, ex eo prouenit; nam cùm graue sit aliquem in iudicio criminali, in quo plerumque de vita agitur, accusari, compescenda erat accusatorum iniuria, siue vt loquitur Vlpianus *in l. fin. ff. de furtis*, temeritas agentium coercenda, vt ita non facilè quis prosiliat ad accusationem, cùm sciat inultam sibi accusationem non futuram, *l. si cui 7. ff. de accusat.* Siquidem per hanc inscriptionem obligat se fideiussoribus datis ad prosequendum iudicium, *l. qui crimen, C. qui accusare, l. 2. §. ex iniquo, Cod. de exhibend. reis*. Et etiam profitetur se probaturum crimen delatum, aliàs pœnam eandem, quam meretur crimen illud, subiturum, *cap. quisquis, cap. qui crimen 2. q. 3. c. nullus, §. inscriptio 4. q. 4. d. l. 2. C. de exhib. reis*. Ad quam Theodosij constitutionem respexit Symmachus *lib. 10. epist. 63. ad Theodos.* ibi: *Quid habeat conditionis inscriptio, nostis præ cæteris: prouisum est enim, ne quis temerè in alieni capitis discrimen irrueret, nisi se idem priùs pœnæ sponsione vinciret*. Quod autem scripsit Theodosius *in d. l. 2.* accusatorem videlicet subscriptione facta, *se vincire reciprocæ pœnæ*, ita accipiendum est, quod subijciat se talioni, & simili supplicio, vt idem Theodosius expressit *in l. vlt. C. de calumn. l. vlt. C. de accusat.* notauit D. Ioan. Suarez *ad l. Aquil. in apparat. cap. 2. n. 22.* Gothofr. *in l. 5. C. Theodos. de accusat.* Sic ergo cùm hoc periculo capitis sui accusator facilè à falsa accusatione retrahetur, & ea quæ probare non poterit, in alterum non conijciet, potiusque in priuatis delictis eliget agere ciuiliter (in quo iudicio non exigitur inscriptio,) quàm criminaliter; vnde meritò Innocentius in præsenti docet, accusatorem debere in accusatione inscribere, quia agit ad pœnam, & vindictam; denunciatorem verò non teneri subscribere, quia tantùm correctionem intendit: nec eum, qui retorquet crimen, quia potiùs excipiendo, vt se defendat, quàm vt accuset, facit.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, quæ adeò efficax est, vt ab hac inscriptionis solemnitate, atque pœna talionis recessum sit hodie generali consuetudine, vt probant Scaccia *de iudicijs c. 15. n. 14.* Anguianus *lib. 2. de legibus, c. 7. n. 24.* quod ea potissimum ratione factum ait Gaillus *lib. 1. de pace publ. c. 9. n. 3.* ne metu propriæ salutis quis ab executione criminis, id est ab accusatione, desistat, & sic etiam sceleratissimi impuniti remaneant. Sed licèt iure prætorio pœnam talionis abrogatam fuisse censeant Gaillus *d. cap. 9 n. 3.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. quæst. 79. nu. 5.* per textum *in §. pœna, Instit. de iniurijs*; meritò eos refellit Vulteius *de iudic. lib. 2. cap. 4.* Constat tamen huius inscriptionis necessitatem aliquando remissam fuisse *ex l. 5. C. Theodos. de accusat.* idque Antonini Imperatoris rescripto cautum fuisse testantur Valens, Gratianus, & Valentin. *in l. fin. C. Theodos. ad leg. Cornel. de falsis*; tametsi Iustin. eo ipso quod hæc rescripta in suum Codicem non retulit, necessitatem pristinam huius inscriptionis restituisse videatur. Et licèt generali consuetudine hodie hæc inscriptio ab vsu forensi desijsset, non tamen ideò impunitus remaneat, qui per calumniam accusauit, immò extra ordinem arbitrio iudicis punitur vsque ad pœnam talionis in causis grauioribus, vt dicemus *in cap. 1. de calumn.* Nec obstat quod de delatoribus dicebamus; nam denunciatores, de quibus agit Innocentius in præsenti, ideò non inscribunt, quia ad correctionem tantùm reum criminis deferunt: delatores verò spe præmij, & lucri id faciunt, *l. 2. in princip. ff. de iure fisci*. Vnde valdè exosi semper delatores fuerunt. Apud probos Imperatores, humani generis inimici dicuntur *in l. 2. Cod. Theodos. de delatoribus:* immò & varijs pœnis afficiuntur, vt probaui *in can. 73. Concil. Illiber.* & illustrat Demsterus *ad Rosinum lib. 9. fol. 937.* 7 *Dissoluitur dubitandi ratio.*

Sed adhuc præsenti assertioni obstat textus *in cap. 2. de calumn.* vbi denunciator per calumniam pœna suspensionis punitur: ergo quia non tantùm accusator, verum & denunciator subscribere debet, cùm deficiens in probatione criminis illati æquali pœna puniatur. Cui difficultati vt satisfaciat Cardinalis ibi, docet denunciatorem in ea specie non ad correctionem, sed ad vindictam egisse: ideòque quia per calumniam detulit, à beneficio suspendi. Sed hæc solutio quia nimis restringit textum illum, communiter à Doctoribus refellitur: quare ea omissa, verius dicendum est, denunciatores non teneri inscribere, si ad correctionem tantum agant, ex præsenti textu, & *cap. licèt*, infrà *hoc tit.* Si autem se offerant probationi delictorum, ad eorumque instantiam procedatur ad inquisitionem, quia tunc quodammodo accusatorum partes sustinent, puniuntur propter calumniam. Accedit quia *in d. cap. 2.* agitur de calumnia commissa à subdito erga Prælatum, quæ omninò punienda est, cùm aliàs facilè subditi Prælatos suos, à quibus passim increpantur, obiurganturque, diffamarentur falsis illatis criminibus. Nec interest, quod delator non inscribit, quia non valet argumentum: Ergo non punitur; nam qui contra electum, & non confirmatum crimen excipit, non inscribit; quia ad pœnam non agit, ex præsenti textu: & tamen si in probatione deficiat, punitur, *cap. 1. de elect. in 6.* 8 *Exponitur cap. 1. de calumniat.*

Deinde præsenti assertioni obstat textus *in can. 41. Concil. Altissiod.* in illis verbis: *Non licèt presbytero, nec diacono quemquam inscribere, sed in vice sua, si causam habuerit, aut fratrem, aut quemcumque sæcularem roget*. Ex quibus deducitur, non solùm accusatorem non teneri inscribere, verùm nec licere illi inscribere. Pro cuius canonis expositione sciendum est, non licere sacerdotibus laicos accusare, *cap. sicut 6.* ibi: *Sicut sacerdotes, vel reliqui clerici à sæcularium laicorum excluduntur accusatione*, &c. nisi protestatione facta se pœnam sanguinis non intendere, *cap. 2. de homicid. in 6.* Illustrant Couarr. *in Clement. si furiosus, part. 2. §. 5.* Gomez *lib. 3. variar. cap. 1. num. 33.* Iranzo *de protest. fol. 268.* Vnde *in d. can. 41.* dum PP. asserunt, non licere presbytero, vel diacono quemquam inscribere, accipiendi sunt, idest quemquam accusare, & inter reos criminum deferre: sed si propriam presbyter prosequatur iniuriam, vice sua idest 9 *Exponitur can. 41. Concil. Altissiod.*

ideſt pro eo alius ſæcularis inſcribat, vt ita presbyter ab accuſatoris munere arceatur, & emendationem iniuriæ ſibi illatæ aſſequatur: non ergo in eo canone improbatur ſolemnitas inſcriptionis, ſed tantùm iuxta veteres canones prohibent PP. presbytero, aut diacono laicos accuſare.

C A P V T XVII.

Idem *Vercellen. Epiſcopo, & Abbati de* [a] *Cilicto.*

QValiter, & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum ſubditorum exceſſus, ex auctoritate noui, & veteris Teſtamenti colligitur euidenter, ex quibus poſtea ſuper hoc proceſſerunt canonicæ ſanctiones. Legitur enim in [b] Euangelio, quod ille villicus, qui diffamatus erat apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audiuit ab illo: Quid eſt hoc, quod audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam non poteris villicare. Et in [c] Geneſi Dominus ait: Deſcendam, & videbo, vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Ex quibus auctoritatibus manifeſtè probatur, quod non ſolùm cùm ſubditus, verum etiam cùm Prælatus excedit, ſi per clamorem, & [d] famam eius exceſſus ad aures ſuperioris peruenerit, non quidem à maleuolis, & maledicis, ſed à prouidis & honeſtis, nec ſemel tantùm, ſed ſæpe, quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat, debet coram Eccleſiæ ſenioribus veritatem diligentius perſcrutari, vt ſi rei popoſcerit qualitas, canonica diſtrictio culpam feriat delinquentis; non tanquam ſit actor, & iudex, ſed quaſi deferente fama, vel nuntiante clamore, officij ſui debitum exequatur. Licèt autem hoc ſit obſeruandum in ſubditis, diligentiùs tamen eſt obſeruandum in Prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad ſagittam: & quia non poſſunt omnibus complacere, cùm ex officio teneantur non ſolùm arguere, ſed etiam increpare, quin etiam interdum ſuſpendere, nonnunquam verò ligare; frequenter odium multorum incurrunt, & inſidias patiuntur: & ideò ſancti [e] Patres prouidè ſtatuerunt, vt accuſatio Prælatorum non facilè admitteretur, ne concuſſis columnis corruat ædificium, niſi diligens adhibeatur cautela, per quam non ſolùm falſæ, ſed & malignæ criminationis ianua præcludatur. Verùm ita voluerunt prouidere Prælatis, ne criminarentur iniuſtè, vt tamen cauerent ne delinquerent inſolenter, contra vtrumque morbum inuenientes congruam medicinam, vt videlicet accuſatio criminalis, quæ ad diminutionem capitis, ideſt ad degradationem intenditur, niſi legitima præcedat inquiſitio, nullatenus admittatur: ſed cùm ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, vt interim iam clamor aſcenderit, quod diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, nec ſine periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo ad inquirendum, & puniendum eius exceſſus, non ex odij fomite, ſed ex charitatis procedatur affectu. Quod ſi grauis fuerit exceſſus, etſi non degradetur ab ordine, ab adminiſtratione tamen amoueatur omninò: quod eſt ſecundùm Euangelicam veritatem, à villicatione villicum amoueri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere rationem. [f] Hunc igitur ordinem ſi circa ven. f. n. [g] Nouarien. Epiſcopum obſeruatis, intentionem & diſcretionem veſtram in Domino commendamus. ſi verò qualibet cauſa prætermiſiſtis eundem, ne per leue compendium ad graue diſpendium veniatur, adhuc ipſum ordinem tempore congruo volumus obſeruari, ne inde naſcantur iniuriæ vnde iura naſcuntur: & ideò diſc. veſtram rogamus attentius, & monemus, obſecrantes in Chriſto Ieſu, qui venturus eſt iudicare viuos, [h] & mortuos, quatenus ad conſcientiæ veſtræ iudicium recurrentes, ſi fortè contra præſcriptum ordinem, tanquam homines exceſſiſtis, non pudeat vos [i] errorem veſtrum corrigere, qui poſiti eſtis, vt aliorum corrigatis errores: quoniam apud diſtrictiſſimum iudicem, in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis; ita videlicet, vt inueniatis occaſionem aliquam congruentem, per quam ne veſtra vileſcat auctoritas, quantò cautius, vel prudentius poteritis, ſuperſedeatis ad præſens: quoniam ex ijs, quæ inordinatè ſunt acta, non poteſt ordinabiliter agi. Si verò præſcriptum ordinem cuſtodiſtis, volumus, & mandamus, quatenus omni gratia, & timore poſtpoſitis, Deum ſolùm habentes præ oculis, via Regia incedentes, ſine perſonarum acceptione in hoc negotio procedatis iuxta formam, quam vobis in alijs litteris duximus exprimendam: nec timeatis aliquem hominem contra Deum, ſed Deum potiùs contra omnem hominem metuatis. Formam verò iuramenti, quam à clericis Nouarien. ſuper inquiſitione facienda in hoc negotio recepiſtis, in ſimilibus volumus obſeruari, vt videlicet iurent clerici, quod ſuper ijs, quæ ſciunt, vel credunt in ſua Eccleſia reformanda, tam in capite, quàm in membris, exceptis occultis [k] criminibus, meram & plenam dicerent veritatem inquiſitionis. *Et infra:* Conſtitutiones verò quas ad correctionem exceſſuum, & reformationem morum vos non tam feciſſe, quàm innouaſſe cognouimus, approbamus, volentes vt eas faciatis à clericis laudabiliter exerceri, præcipientes ex parte noſtra Prælatis, vt laicis conquerentibus plenam faciant iuſtitiam exhiberi, non obſtantibus appellationibus fruſtatorijs, quas in eorum grauamen clerici frequenter opponunt, ne pro defectu iuſtitiæ clerici trahantur à laicis ad iudicium ſæculare, quod omninò non prohibemus: & vos ne fiat, prohibere omnibus modis ſatagatis. Cæterùm aduerſus hæreticorum fallacias ſollicitudinem veſtram vigilare oportet, monentes, & obſecrantes in Domino quatenus ad extirpandum de agro Dominico lolium hæreticæ prauitatis, prudenter, & efficaciter intendatis.

N O T Æ.

1 a Cilicto.] Ità legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. ſed legendum eſt, *Tilieto*, quod monaſterium eſt Ordinis Ciſtercienſis, dictum S. Mariæ de Tilieto, in diœceſi Aquenſi, prouinciæ Mediolanenſis, vt ex Manrique retuli *in cap. qualiter 17. de iudicijs*. Abbas hic electus fuit in locum Epiſcopi Nouarienſis, de quo in præſenti agitur, & illi electo tantùm reſcribit Innocentius *in cap.*

cap. ex litteris, de excess. Prælat. non tamen constat, an suffectus esset in eius locum, quia decessisset; an verò quia depositus fuisset virtute præsentis inquisitionis: & Vercellensis Episcopus, cui rescribit Innocentius in præsenti, postea translatus fuit ad Pisanam Ecclesiam, vt constat ex eodem capite *ex litteris*. De Vercellensi diœcesi egi *in cap. licèt, de foro competenti.*

b *Euangelio.*] *Lucæ cap. 16.*

c *Genesis.*] *Cap. 18.*

2 d *Et famam.*] Quæ plerumque à maleuolis procedit. D. Bernardus *de consider.* Mala fama parum obesse debet, cùm ex humana suspicione nascatur, quæ prona ad malum est, & crebriùs fallitur. D. Hieronymus *in epist. ad Rufinum:* Multum in vtramque partem fama mentitur, & tam de bonis mala, quàm de malis bona falso rumore concelebrat. Tertul. *in apolog. c. 8.* D. Isidor. *lib. 5. etymol. c. 27.* Quintilian. *lib. 3. institut. cap. 3. & declamat. 12. & 18.*

e *Sancti Patres.*] Relati suprà *in cap. 4.*

f *Rationem.*] Verba hucusque relata vsque ad vers. *Debet*, etiam reperiuntur *in cap. qualiter, infrà hoc tit.*

g *Nouariensem.*] Nouariensis Ecclesia est in Italia, suffraganea Archiepiscopi Mediolan. *de qua egi in cap. 2. de relig. dom.*

3 h *Viuos, & mortuos.*] Quibus verbis moti nonnulli PP. existimarunt, non omnes homines morituros esse. Sed licèt de fide non sit homines morituros fore, vt notat sanctus Thomas *in epist. 1. Pauli ad Corinth. cap. 15. lect. 8. & in 4. distinct. 44. q. 1. art. 4.* Ecclesia tamen contrariam sententiam tenet, quam probat & defendit P. Karrier. *tom. 1. Digesti fid. tract. 1. de carnis resurrect.*

4 i *Errorem vestrum corrigere.*] Sed certum est, eam differentiam versari inter iudicem delegatum, & ordinarium, quod delegatus prolata sententia, de eius nullitate cognoscere non potest: ordinarius verò de eius nullitate pronunciare valet, *l. si vt proponis 4. C. quomodo & quando, l. si Præses, eod. tit. leg. 1. C. de sentent. & interl. leg. 4. C. de accusat.* Bellonus *lib. 1. supput. c. 18. n. 1.* Tiraquel. *in leg. boues, §. hoc sermone, limitat. 1 n. 4. de V. S.* ergo iudices delegati in præsenti non poterant de nullitate sententiæ cognoscere, aut eam retractare. Cui difficultati respondendum est dicendo, in hoc textu iudices non protulisse sententiam definitiuam, vt patet ex verbis sequentibus, *in negotio procedatis;* sed tantùm per inquisitionis formam contra Episcopum Nouariensem processisse: vnde iubet Innocent. vt si ipsi inquisitionis formam per sacros canones præscriptam non obseruarunt, errorem iudicij corrigant, non autem sententiam, quam adhuc non protulerant, vt docuit Doctor Gabriel Henriquez *in lege à D. Pio, n. 12. de re iudic.* An iudex teneatur retractare sententiam, cuius errorem postea agnouit, latè & doctè disputat Theophilus Raynaud. *tom. 14. tract. 1. per totum.* Vt autem exponamus quando iudex possit mutare sententiam iam prolatam, notanda est differentia, quæ versatur inter sententiam interlocutoriam, & definitiuam; nam primam potest iudex ipse mutare, *l. quod iussit, ff. de re iudic.* etiam pluries. Gratianus *disput. 147. n. 20.* Scaccia *de appellation. q. 19. rem. 1. conclus. 6.* Secundam verò mutare non valet, postquam illam protulit; quia siue bene, siue malè iudicauit, functus est officio suo, *l. iudex 55. ff. de re iudic.* potest tamen eam declarare, dum nihil detrahat ex his quæ decreuit, *l. Paulus 42. ff. de re iudic.* vbi Cuiac. *lib. 6. respons. Pauli,* Donellus *lib. 29. comment. c. 3.* veluti si iudex condemnauit reum vt seruum Stichum restitueret, cùm plures huius nominis haberet, nec de quo senserit, liquidò possit ex actis constare; tunc enim declaratio nihil de nouo decernit, sed iam decretum manifestat, argumento *ex l. hæredes 21. §. 1. ff. qui testam. facere poss.* iuncta lege *adeò 7. vers. Videntur, ff. de acquir. rer. dom.* notarunt Bobadilla *lib. 3. polit. c. 8. n. 263.* Valenzuela *consil. 120. ex n. 19.* non autem est propria declaratio sententiæ, quando iudex, vt quotidie contingit, in se reseruat taxationem expensarum, vel liquidationem fructuum, in quibus reum condemnauit; tunc enim definitiuè super his pronuntiare potest, vt supponitur *in l. fin. §. Lucius 4. ff. de condict. indeb.* & docuerunt Baldus, & Salicetus *in l. 3. C. de fructibus & litium expensis,* Solorzanus *tom. 2. de iur. Indiar. lib. 2. c. 29. num. 41.* quod faciliùs procedit, quando fructus debentur æquè principaliter ac res petita, quia tunc de eis ferri potest noua sententia: textus disertus *in l. marito 31. §. vlt. ff. solut. matrim.* quem explicat Noguerol *alleg. 17. ex n. 33.*

Deinde notandum est, sententiam definitiuè prolatam tunc dici, quando prolata est, & nos dicimus, *despues de pronunciada ante escriuano:* nam antea nondum est sententia, & ita suppleri, emendari, immò & corrigi valet, *l. 41. tit. 5. lib. 2. recopil.* qui textus licèt loquatur in auditoribus Cancellariarum, viget in omnibus iudicibus, si supremum Concilium excipias, quod ex gratia potest emendare iudicatum, si viderit expedire. Textus expressus *in l. 3. tit. 21. part. 3.* prosequuntur Bobadilla *d. lib. 3. cap. 8. ex n. 263. vsque ad num. 269.* Mieres *de maiorat. 1. p. q. 44. num. 3.* in qua tota quæstione vbertim agit de his, qui potestatem habent declarandi suam sententiam. Gamma *decis. 110.* vbi *num. 38.* agit de potestate Principis, cui non solùm interpretari, verùm & mutare suam sententiam licet. Gratianus *regul. 421.* qui loquitur, quando in continenti iudex vult suam sententiam reformare sine vllo interuallo, & sine petitione partis: docetque posse, quia quæ statim fiunt, in ipso actu gesta videntur. Pichardus *in manuduct. 2. part. §. 3. ex num. 11.* ac remissiuè Carleu. *tom. 1. de iudic. disp. 16.* 5

k *Occultis criminibus.*] Quia quando per inquisitionem generalem proceditur, non possunt testes interrogari de occultis, sed de notorijs criminibus: testesque, si de occultis interrogentur, possunt vti restrictione mentali, respondendo se nescire, eo sensu intra se retento, scilicet vt alijs detegant, vt in hoc textu docetur, iuncto capite *erubescant, 31. distinct.* docuerunt Sotus *de ratione tegendi secret. memb. 3.* D. Ioannes Vela *de modo procedendi, cap. 3. num. 4.* Nec obstat, quod iuramentum accipi debet secundùm mentem, & intentionem eius, cui iuratur; non eius, qui iurat, *cap. in quacumque, 22. quæst. 5.* quia hoc intelligendum est, quando quis iustè, & seruato ordine iuris interrogatur; tunc enim palam, & sine æquiuocatione, aut restrictione respondere tenetur; secus autem si iniustè & tyrannicè interrogaret iudex, non seruato iuris ordine, quia sufficeret responsum verum esse ex verbis æquiuocis ad sensum interrogati, quamuis ad sensum interrogantis falsum esset, vt ex Nauarro, & Soto probant D. Ioseph. de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 3. num. 19.* — D. Ioannes Vela *vbi suprà,* 6

Textus hic spectat ad secundam partem huius rubricæ, & secundum modum procedendi in causis criminalibus, videlicet per inquisitionem, de quo agemus *in cap. inquisitionis, infrà hoc tit.*

C A P V T XVIII.

a Idem *Arelatensi Archiepiscopo, & Vallis* b *Magnæ Abbati.*

CVm dil. fil. Cisterciens. Abbas, & P. & R. fontis Frigidi, Sed. Ap. *c* L. ad *d* Agathen. Ecclesiam accessissent, vt in ea legationis officium exercerent, quia de ven. f. n. Agathen. Episcopo per frequentem clamorem multa sibi fuerant insinuata sinistra, noluerunt descendere, ac videre, si clamorem opere compleuisset. Ideòque tam Episcopum, quàm Canonicos iuramenti vinculo astrinxerunt, vt super statu Ecclesiæ sibi dicerent veritatem. *Et infrà:* Quia verò non constitit, sub qua forma coram prædictis Legatis præstitit *e* iuramentum, vtrum videlicet ita iurauerit, vt super statu Ecclesiæ plenam, & meram diceret veritatem; an ita, vt ad inquisita veraciter responderet: disc. v. per A. s. m. quat. eisdem Legatis ex parte nostra, in virtute obedientiæ districtè mandetis, vt sub qua forma iuramentum præstiterit, studeant fideliter intimare: & si secundùm responsionem eorum sub secunda forma iurauerit, aut ipse coram nobis sufficienter probauerit, se sub illa forma iurasse, per depositiones testium, quos produxerit apud Sedem Apostolicam constitutus,

stitutus, quas vobis sub bulla nostra mittimus interclusas; aut etiam aliorum, cùm nondum depositiones illæ fuerint publicatæ, nec ipse productioni testium renunciare curauerit, quoniam secundùm eandem non tenetur ex debito iuramenti, nisi ad inquisita solummodò respondere, vos excusationes illas, quas vobis sub bulla nostra mittimus interclusas, diligenter audire curetis, & si eas probauerit diligenter, cùm excusationes huiusmodi confessiones illas non exprimant, quæ tales sunt, vt ad bonum, & malum valeant retorqueri, & ideò iudicari debent ex causa, eum sub. ap. ob. penitus absoluatis: cùm etsi repertus fuerit culpabilis in quibusdam, ex labore tamen, & pudore punitus, quos propter hanc causam incurrit, huiusmodi leuis culpa leniter ei valeat indulgeri. Quod si excusationes illas super dilapidatione, naufragio, & simonia probare nequiuerit, aut si sub prima forma iurauit; cùm secundùm eandem veritatem *f* tacere, nec admiscere debuerit falsitatem, vos non obstantibus excusationibus illis, quas denuò proposuit coram nobis, cùm in confessionibus suis nullam omninò de illis fecerit mentionem, quamuis firmiter asserit, quod exceptiones plures ex illis prædictis Legatis exposuit, quas ipsi scribere non curauerunt, cùm hoc per se probare non posset, tanquam qui solus examinabatur ab illis, eum sublato cuiusque contradictionis, & appellationis obstaculo, ab administratione Agathensis Ecclesiæ remoueatis.

N O T Æ.

a A*Relatensi*.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* Michaeli videlicet Archiepiscopo Arelatensi: de qua Metropoli nonnulla adduxi *in cap. 16. de offic. deleg.*

1 b *Vallis magnæ*.] Vallis magna Cisterciensis Ordinis duplex est: altera Bituricensis diœcesis, alia in diœcesi Agathensi, de qua in libris Cameræ ita legitur: *Sexta filia Bonæuallis Viennensis, Vallisbona in lingua Occitana, diœcesis Agathensis*. Refert Manrique *tom. 2. annal. Cisterciens. anno 1150. cap. fin. n. 9.*

2 c *Ap. Sed. Legati*.] Videlicet S. Arnaldus, 17. Abbas Cisterciensis, & B. Petrus, & Radulfus, monachi monasterij Fontisfrigidi, Legati missi contra Albigenses ab Innocentio III. vt Albiensium prouinciam visitarent: & postea Sanctus Arnaldus creatus fuit Archiepiscopus Narbonensis, vt refert Manrique *tom. 1. in serie Abbatum Cisterc. numero 17.* De Cisterciensi Ordine, & Fontis Frigidi monasterio egi *in cap. cùm ordinem 6. de rescript. cap. ad petitionem, de elect. cap. litteras, de supplenda.*

d *Agathensem*.] Prouinciæ Narbonensis, de quo egi 2
in cap. 6. de his quæ vi.

e *Præstitit iuramentum*.] Episcopus videlicet Agathensis.

d *Tacere*.] Dubium est inter Doctores, an quotiescumque reus interrogatur à iudice iuridicè de proprio delicto, teneatur ipse proprium crimen fateri? Et explosis varijs sententijs teneri ipsum, etsi pœna capitali plectendus veniat, veritatem dicere, probant innumeri, quos referunt, & sequuntur Sanchez *lib. 6. summæ, cap. 3. dub. 29. per totam*, Gutierrez *lib. 1. de delictis, cap. 9. cum sequent.*

C A P V T XIX.

Idem *Archiepiscopo* a *Tarraconensi*, *&* *Abbati Sanctæ Mariæ de* b *Populeto*, *&* *Archidiacono* c *Barchinonensi*.

CVm oporteat Episcopum. *Et infrà:* Sanè venientibus ad Ap. Sed. d. l. fil. G. Grossi, & G. de *d* Monte Regali, multa grauia, & enormia contra ven. f. n. Vicen. Episcopum proponentibus coram nobis, quia illa non debebamus sub dissimulatione transire, vobis, frater Episcope, ac fili Archid. inquisitionem eorum duximus committendam, illius imitantes vestigia, qui cùm haberet villicum, & ille diffamatus fuisset apud eundem, quia dissipasset bona ipsius, cum eo posuit rationem. Verùm dictus Episcopus, antequam ad ipsum nostra citatio peruenisset, ad præsentiam nostram accedens, proposuit coram nobis, quod illi, qui enormia illa de ipso nobis suggesserant, typo malitiæ potiùs, quàm iustitiæ zelo ducti nobis huiusmodi nuntiauerint, cùm ipsi eius sint manifestissimi inimici, & cum eius hostibus conuersentur, consanguineosque suos, ac complices intendant ad *e* testificandum producere contra ipsum, qui ad denunciandum, seu ad testificandum admitti non debent aliqua ratione, vtpotè iuramenti præstiti transgressores, & alijs criminibus irretiti. Ne verò per leue compendium ad graue dispendium veniatur, disc. v. per A. s. m. quat. nisi super ijs, quæ nobis sunt proposita contra ipsum, *f* famam ipsius læsam esse noueritis, vos ad inquisitionem illorum non subitò procedatis. Quod si fuerit ad inquisitionem procedendum, prædictos, vel alios, quos ipsius esse constiterit inimicos, nec ad prosequendam inquisitionem, nec ad perhibendum testimonium contra ipsum Episcopum admittatis, sed per viros idoneos super ijs, quæ suggesta sunt, inquiratis solicitè veritatem: & si nihil graue probatum fuerit contra ipsum, vos ei purgationem canonicam indicatis.

N O T Æ.

a T*Arraconensi*.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* de Tarraconensi Metropoli egi *in cap. 1. de his quæ vi.*

b *Populeto*.] Populetum monasterium est percelebre
1 Populetum vbi. ordinis Cisterciensis, Tarraconensis diœcesis in Catalonia, ad radices montis Pradensis. Nomen loci ab arborum frequentia sunt qui deducant: alij à crescentis domus magnitudine, quasi oppidulum dictum, quod vernacula lingua Catalauni *Poblet* vocant. Sed rectiùs alij à sancto Eremita eiusdem nominis deriuant, qui locum illum ab aliquot annis inhabitabat, vt referunt latiùs prosequentes ipsius monasterij originem, & magnitudinem Yepes *in chronic. D. Benedicti, anno 1153.* Manrique *tom. 2. annal. Cisterc. eodem anno, fol. 250.* Petro IV. huius nominis Abbati ipsius monasterij missa est præsens decretalis, vt notauit idem Manrique *d. tom. 2. in serie Abbatum Populet.*

c *Barchinonensi*.] Barchino, seu Barchinona, 2
ciuitas est in agro Laletano sita, multis hinc inde oppidis conspicua, ideòque amœna à Rufo Festo appellatur.

Et Barchinonam amœnas sedes;
Nam pandit illic tuta portus brachia,
Viuitque semper dulcibus tellus aquis.

Circa cuius originem variæ sunt Historicorum opiniones: primam refert Rodericus Tolet. *lib. 1. hist. Generalis, cap. 5.* his verbis: *Verum Hercules ex radice montis Cacci, ex his, qui secum, & suis pedisequis (cæteris ad Galiciam appli-*

applicatis) noua ad litus applicuit Deltiberiæ, vbi ciuitatem ædificauit, & ex noua baren Barcinonam appellauit. Consentiunt Gerundensis *in Paralip. Hispaniæ, lib. 2. tit. de vrbibus ab Hercule conditis*, Florian. de Ocampo *lib. 1. cap. 17. & lib. 4. cap. 13.* Valer. *part. 2. histor. cap. 2.* Miedes *hist. Iacob. lib. 18. cap. 1.* Hieronymus Paulus *in sua Barcin. in princip.* Puiad. *hist. Catal. lib. 1. cap. 23.* Diaguf. *hist. Comitum Barcin. lib. 1. cap. 2.* Alij asserunt, quod Amilcar Dux Carthag. cognomento Barcino vrbem illam condidit, & à suo nomine Barcinonem appellauit: ita Tarraffa *de rebus Hispan. anno ante aduent. Christi 234.* Nonius *in Hispan. c. 88.* Sed has, & alias sententias, quas refert Tamayo *tom. 1. Martyrol. die 6. & 29. Ianuarij, 12. Februarij, & 6. Martij*, refellit Coronel. *in notis ad Gongoram, tom. 3. fol. 423.* & verè de huius vrbis initijs nihil hactenus certi liquet, nisi eam Carthaginensibus debere primordia sua, vt testatur Ausonius ad Paulinum his versibus.

Quid queror, eisque insector crimina monstri
Occiduime ripa Tagi, me Punica lædit
Barcino, me bimaris iuga ninguida Pyrenæi.

Eandem coloniam fuisse Romanorum, testis est Plinius *lib. 3.* ibi: *In ora autem colonia est Barcino cognominata.* Et probat Ant. August. *dialog. 7.* Iam à primis Ecclesiæ sæculis habuit Ecclesiam Cathedralem Tarraconensis suffraganeam, vt refert Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 77.* eius Archidiacono rescribit Innocentius in præsenti.

d *De monte regali.*] *Canonicis Vincent.* legitur in hac sexta collectione, & rectius, cùm Ecclesia Cathedralis Vicenensis sit etiam suffraganea Archiepiscopi, Tarracon. vt refert Bosquetus *vbi suprà*: Ecclesia autem montis Regalis sit in Sicilia, de qua plura D. Pirro *tom. 1. Siciliæ sacræ.* 3

e *Testificandum.*] Iuxta tradita *in cap. 17. de testib.*

f *Famam.*] Quæ necessaria est ad inquisitionem, vt dicemus infrà *in cap. inquisitionis*, vbi commentarium huius textus dabimus.

C A P V T XX.

a Idem.

CVm dil. fil. *Et infrà*: Inquitatis super præmissis diligentiùs veritatem, & si vobis constiterit, prædictos, quorum nomine sunt huiusmodi de prædicto Episcopo nunciata, publicè concubinarios tunc fuisse, propter quod in eos fuerit excommunicationis sententia *b* promulgata, vel præfatum Episcopum de iamdictis excessibus non fuisse præmonitum ab eisdem, vel ipsos conspirasse in eum, eos à denunciatione ipsa repellatis: alioquin auditis diligenter, quæ fuerint, &c. eidem Episcopo auctoritate nostra nihilominus prohibentes, ne super ijs, pro quibus ad audientiam nostram fuerit legitimè appellatum, præfatos clericos indebitè grauare præsumat, donec causa prædicta iuxta formam mandati nostri fuerit terminata.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ità etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 1.* nullibi tamen exprimitur, cui Prælato rescribat Pôtifex, nec de quo Episcopo in presenti agatur.

2 b *Promulgata.*] Et ita erant criminosi, & inimici, qui omninò prohibentur accusare, vt probaui suprà *in c. meminimus.* Consonat idem Innocentius *lib. 3. regestr. 15. epist. 201.* in hæc verba: *Dilectus filius I. Decanus Christianitatis Diuionensis in nostra proposuit præsentia constitutus, quod cùm olim L. I. & H. Canonicis Capellæ Ducis Diuionen. Lingonien. Diœces. non ad correctionem, sed potiùs ad infamationem ipsius, nobis quædam denunciantibus contra ipsum, venerab. f. N. Matisconen. Episcopo, & suis coniudicibus dederimus in mandatis, vt vocatis qui essent propter hoc euocandi, quod inuenirent super obiectis, per suas nobis litteras intimarent: partibus in ipsorum præsentia constitutis, & eodem inficiante Decano, quod denunciationem ipsam monitio charitatiua præcesserit, & firmiter asserente prædictos Canonicos factæ denunciationis tempore inimicos eius, & æmulos extitisse: tandem fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, cuius appellationis memorati iudices detulerunt. Idem verò Decanus quorundam religiosorum litteras repræsentans, qui de vita & conuersatione ipsius laudabile testimonium perhibebant, nobis humiliter supplicauit, vt occurrere aduersariorum suorum malitiæ, ac laboribus eius finem imponere dignaremur. Nolentes autem ipsum indebitè fatigari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si denunciatores præfati monitionem charitatiuam præmisisse super obiectis probare nequiuerint, aut Decanus ipse docuerit illos suos extitisse denunciationis tempore inimicos, eundem ab illorum denunciatione, sublato appellationis obstaculo absoluatis: alioquin in eodem negotio iuxta priorum continentiam litterarum, appellatione remota, ratione præuia procedatis. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Tu denique, fili Abbas, super teipso, &c. Datum Laterani idib. Ianuarij, Pontif. N. anno XV.*

C A P V T XXI.

Episcopo a *Genuensi, &* b *Viennensi Sacristæ.*

INquisitionis negotium, quam de venerabili fratre nostro Episcopo, & Canonicis *c* Valentin. vobis commisimus faciendam, sine conscientiæ scrupulo exequi cupientes, Apostolico petijstis oraculo edoceri, vtrum eorum publicanda sint dicta, & *d* nomina, quos interrogari contingit, prout de testibus in publicis causis fieri consueuit: an sola dicta eorundem publicari sufficiat, cùm idem Episcopus & Canonici manifestè sciant, qui fuerint inquisiti: & vtrum contra dicta eadem debeant exceptiones, seu replicationes admitti, cùm contra personas dicentium admittantur. Ad quod breuiter respondemus, non solùm dicta, sed etiam ipsa nomina, vt quid à quo sit dictum, appareat, publicanda; & exceptiones, seu replicationes legitimas admittendas: ne per suppressionem nominum, infamandi, per exceptionum verò exclusionem, deponendi falsum audacia prębeatur. Secundò quæsijstis, quid vobis sit statuendum, si contra quempiam per inquisitionem probatum fuerit tale crimen, quod deponeret accusatum criminaliter, & conuictum. In quo quidem duximus distinguendum, vtrum videlicet tale crimen contingat aduersus aliquem inueniri, quod ordinis executionem suscepti, aut retentionem beneficij etiam post peractam pœnitentiam impediret, putà si homicidium commisisset, vel adeptus esset ordinem, aut beneficium vitio simoniæ: quo casu erit sicut in accusationis iudicio procedendum. Alioquin secundùm personæ merita, & qualitatem excessus pęnam poterit iudicantis discretio moderari. Tertię dubitationis articulus cōtinebat, vtrum

cum

cùm duo, vel tres iurati affirmant alium crimen aliquod eisdem videntibus commisisse, de quo tamen aliqua infamia non laborat, aliquam illi pœnam infligere debeatis: & vtrum ad petitionem quorumdam *e* quasdam schedulas vobis occultè tradentium infamationem Episcopi continentes, sit ad inquisitionem eorum, quæ in ipsis continentur schedulis procedendum: & an fides eorum dictis debeat adhiberi, qui post iuramentum interrogati secretò, vtrum sint eorum, de quibus inquiritur, inimici respondent, quod non diligunt illos, vel directè *f* inimicos se asserunt eorumdem, aut etiam ante iuramentum id publicè confitentur, nullas tamen inimicitiarum causas probabiles ostendentes. Ad hæc autē pariter respondemus, nullum esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, sed clamosa insinuatio sola præcessit, propter dicta huiusmodi puniendum: quin imò super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cùm inquisitio fieri debeat solummodò super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt: nec ad petitionem eorum, qui libellum infamationis porrigunt in occulto, procedendum esse ad inquisitionem super contentis ibidem criminibus faciendam, aut etiam aduersus eos, contra quos fit inquisitio, fidem dictis adhibendam illorum, qui post iuramentum, vel ante, tacitè, vel expressè inimicos se asserunt eorumdem, nisi forsan ante iuramentum in fraudem id facere præsumantur Quæsistis præterea, quid statui debeat, si nihil per certam scientiam, sed tantùm per famam, & eorum qui fuerint inquisiti, credulitatem iuratam contigerit inueniri: vtrumne aliquis super eo crimine reputari debeat infamatus, de quo ipsum duo, vel tres, aut plures dixerint infamatum, licèt de ipso nihil sinistrum in publico audiatur. Ad quod est nostra responsio, quod propter famam & deponentium credulitatem dumtaxat, non erit ad depositionis sententiam procedendum, sed infamato canonica poterit indici purgatio secundùm arbitrium iudicantis, qui propter dicta paucorum eum infamatum reputare non debet, cuius apud bonos, & graues læsa opinio non existit. Tu denique, frater Episcope, super te ipso, & credito tibi grege taliter vigilare procures, extirpando vitia, & plantando virtutes, vt in nouissimo districti examinis die coram tremendo iudice, qui reddet vnicuique iuxta opera sua, dignam possis reddere rationem. Datum Laterani 13. Kal. Ian. Pont. N. anno quintodecimo.

N O T Æ.

1 a *GEnuen.*] Ità etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.2* & epistolis Innoc. editis à Bosqueto *lib.3. regestr.15. epist 189*. Sed legendum est *Geneuensi:* Geneua enim est vrbs Galliæ, in Metropoli Viennensi: inter oppida Allobrogum recensetur à Papirio Masonio in descriptione Galliæ, *fol.357*. De ea plura Fratres Sarmat. *lib.2. Galliæ Christ fol.595*. iam olim habuit Ecclesiam Cathedralem; sed cùm occupata esset ea vrbs ab hereticis, Sedes Episcopalis Annessium Sabaudię oppidum translata fuit. Alia dedimus de Ecclesia ipsa *in c.10. de voto*.

2 b *Viennensi.*] Vienna olim ita dicta, quia à Vienio constructa fuit: celebris Metropolis est Allobrogum, Romanorum colonia, teste Paulo *in leg fin ff. de censibus:* ad Rhodanum posita est, & eius meminerunt Cæsar *lib.7. c.2.* Plinius *lib.3. c.4.* Ptolomeus *lib.2. c.10.* quos & alios referunt Fratres Sarmath. *tom.1. Galliæ Christ. fol. 789.* eius Archiepiscopus Primatis nomen aliquando sibi vindicauit, vt refert Chenu *in serie Præsul. ipsius Ecclesiæ*.

3 c *Valentin.*] Valentia Romanorum Colonia, prænomine Iulia, teste Ptolomeo *lib 2. c.8.* ciuitas est Segalaunorum in Gallia, cuius mentio extat *in leg.22 C. Theodos. de annon. & tribut. leg.113. eod. C. de Decur.* sita est supra Rhodanum: habet Ecclesiam Cathredralem dicatam D. Apollinari, de qua agit Chenu *in serie Præsul. ipsius Ecclesiæ*.

4 d *Et nomina.*] In causis fidei reo edi nequeunt nomina, vel cognomina testium, vnde ipse possit venire in cognitionem eorum, *cap. fin. §. iubemus, de hæretic. in 6.* vbi ratio assignatur, non solùm quia periculum testibus imminet, verùm etiam vt faciliùs in negotijs fidei ipsi deponant: quam praxim in Tribunalibus sancti Officij receptam defendunt & probant Farinac. *de hæres. quæst.188. §.1. n 7.* Peña *ad Eymericum in Direct. comment.124.* Sousa *in aphorism. Inquisit lib.2. c 6. n.74.* Castropalao *in opere morali, part.1. tract.4. disp.8. punct.15 §.3. n.7.* Carena *de offic. Inquis. part.3. tit.7 § 9.* Vnde cùm non adsit eadem ratio in alijs delictis, & causis criminalibus, nomina testium eduntur, vt latè probant Guttierrez *de delictis lib.1 quæst.8.* Parexa *de instrument. edit. tit.7. resol.6.* licèt contrarium teneat Cuiacius *lib.22. obseru. c.15.*

5 e *Quasdam schedulas.*] Sine auctore, & ratione, iuxta illud Imperatoris Traiani apud Plinium *lib.1. epist.102.* ibi: *Sine auctore verò propositi libelli nulla crimina locum habere debent; nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est.* Et per huiusmodi schedulas, quæ dantur in occulto, non debere iudices ad inquisitionem procedere, docuerunt in præsenti Ioannes Andreas *num.6.* Butrius *num 22.* Abbas *notabil.2. num.4.* Ananias *num.62.* prosequuntur Ceuallos *lib.3. practic. quæst.821. num.20.* Solorzanus *de iure Indiar. lib.4. cap.8. num.37* & *lib.4. polit. cap.10.* Salcedo *ad leg.64. tit.4 lib.2. recopil. nu.2. & 17.* quod & in causis nobilitatis, & puritatis procedere probant Valenzuela *consil.110. num.5.* Escobar *de purit.2. part. quæst.2. per totam.* Sed cùm contrarium praxi receptum videamus in Collegijs, Regio Consilio Ordinum, & Tribunalibus Inquisitionis, alijsque communitatibus, quæ sanguinis puritatem exigunt, distinguendum credo inter schedulam datam sine auctore, vbi tantùm infectio alicuius exprimitur, simpliciter referendo descendere ex sanguine infecto; vel cùm in ipsa schedula ratio, & fundamentum ipsius infectionis exprimitur: primo casu existimo virtute talis schedulæ non posse ad exactorem inquisitionem procedi, ex præsenti textu. Secundo verò, cùm ratio, seu fundamentum assignatur, posse exactiorem inquisitionem fieri ad cognoscendum, an verum sit fundamentum infectionis in schedula expressum. Idem credo obseruandum esse à Iudicibus, Inquisitoribus, seu Visitatoribus, vt videlicet vi simplicis schedulæ, vbi absque auctore narratur aliquod visitati delictum, non possit Iudex ad inquisitionem illius delicti procedere, ex hoc textu, & traditis *in c.1. de consanguin.* Sed cùm fundamenta, & rationes præbentur, ac argumenta, quibus probetur dilatio illa, posse iudicem de illo crimine inquirere ad eruendam veritatem, quia si vera sunt fundamenta relata in ipsa schedula, iam visitatus laborat infamia, quæ iustam reddit ipsam inquisitionem.

f *Inimicos.*] Quia inimici ab accusatione, & denunciatione arcentur, iuxta tradita suprà *in cap. meminimus.*

C O M M E N T A R I V M.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Crimen probatum per inquisitionem regulariter pœna ordinaria non punitur; sed si impedit ordinis executionem, fit depositio, sicut per accusationem.* Probant eam textus *in cap. dilectus 30. cap. licèt Heli, de simonia, c.1. hoc tit. in 6.* Illustrant Suarez *de relig. tom.1. lib.4. c.58.* & *de censuris disp.40. sect.2.* Beroius *in cap. qualiter, nu.53.* suprà *hoc tit.* Anguianus *de legibus lib.2. controu.6.* Arellanus *lib.5. singul. antinom.1.* Barb. *in select. ad textum in c.2. de confessis, nu.4* Altesserra *hic.* 6 Conclusio tradita & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Pœnas pro delictis impositas, & incursas iudex augere, minuereue non valet, *cap. de causis 4. §. de illis, de offic. delegat.* vbi illustraui, & latè probat Anguianus *lib.2. de legibus, c.5.* Igitur siue crimen probatum sit in iudicio formato per viam accusationis, aut per viam 7 Impugnatur tradita assertio.

inqui-

nquisitionis, pœnæ a Iure statutæ minnendæ, mutandæue non sunt. Augetur hæc difficultas primò ex nonnullis iuris testimonijs, in quibus cùm extraordinariè, & per inquisitionem procederetur, pœna ordinaria infligitur, *leg.2. Cod. de abolit.* ibi: *Inquisitione facta competens pœna ingeratur*: & *leg.2. §. si publico ff. ad leg. Iul. de adult.* vbi extra ordinem, & sine accusatore fuit in causa processum; & tamen ordinaria lenocinij pęna imposita fuit. Id etiam probatur *ex leg.4. C. de sepulchro violato*, ibi: *Vel ad officium nunciauerit*, & *leg. ordo 8. ff. de public. iudic.* vbi etsi maximè extra ordinem crimina probentur, semper imponitur pœna ordinaria: igitur quia nihil interest, an per inqnisitionem, an per accusationem crimina in iudicio claruerint. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex præsenti textu *in vers. In quo*, vbi Innocentius III. homicidas, & simoniacos æqualiter pœna ordinaria puniendos esse docet, siue per inquisitionem, siue per accusationem procedatur. ergo quia nullum versatur discrimen inter iudicium formatum per accusationem, aut per inquisitionem.

8 Inquisitionis etymon, & definitio. Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio: pro cuius expositione sciendum est, inquisitionem dictam esse à verbo *inquiro*, idest intus quæro, seu valdè quæro, quasi particula *in*, augeat, vt *in leg. Gallus, §. in illo*, ibi: *Indifficilis, ff. de liberis & posthum. c.1.* ibi: *Inseruiens*, iuxta communem intellectum, *de fideiussor.* Et generaliter significat quamcumque, vel cuiuscumque rei indagationem, vel inuestigationem, *cap. inquisitionem 26. de elect. cap. vlt. §.1. de officio delegat. Clement.1.* ibi: *Per inquisitionem, eod. tit.* In præsenti tamen prout ad criminalia refertur inquisitio, denotat modum, qun de criminibus agitur, ab accusatione distinctum, vulgò *pesquisa*; in quo sensu variè definitur per Bartolum *in leg. transigere, n.15. Cod. de transact.* Felin. *in præsenti rubric. n.3.* Præpositum *n.39.* Didacum Perez *in leg. 24 tit.11. lib 4. ordin.* Gigantem *de crimine læsæ Maiest. p.1. q 8.* Sotum *de tegend. secreto, membr.2. q.6.* Christoph. à Paz *in leg.50. stili*, Gutierrez *de delictis, q 1. n.1.* à quibus ea definitio adducitur, vt inquisitio sit *criminis, vel criminosi per iudicem legitimè facta indagatio*. Quæ definitio colligitur *ex leg. congruit, ff de offic. Præsid. leg.4. vers. In mandatis, ff. ad leg. Iul. peculat. cap. qualiter 12. cap. cùm oporteat, hoc tit. c.1. cap. Deus, 20 q.1.* illis verbis: *Criminis, vel criminosi*; quibus includuntur omnes inquisitiones, tam generales, quàm speciales, quoad delicta & personas simul, vel quoad alterum illorum: & per eadem verba excluduntur inquisitiones aliæ, quæ non respiciunt crimina, & illorum punitionem, sed res diuersas, vt *in leg. si vacantia, Cod. de bonis vacant. lib.10. cap. per inquisitionem, de elect.* Sic etiam per illa verba, *facta indagatio*, agnoscitur differentia inter inquisitionem, & accusationem, quæ est delatio criminis, vt probaui *in c.1. hoc tit.* inquisitio autem est inuestigatio: & sicut delatio differt ab inuestigatione, qua crimen, vel persona non defertur, sed inquiritur; ita accusatio differt ab inquisitione. Deinde accusatio, seu delatio, quamuis fiat in iudicio, non tamen fit per iudicem, quippe qui non defert, nec ei competit ius deferendi, sed accusatori. Contrà verò inuestigatio, quæ in inquisitione continetur, per iudicem fit, ita vt ei competat inuestigatio, seu ius inquirendi, *d. leg. congruit*, ibi: *Eos conquirat*; & *cap. cùm dilecti 18 in princip. cap. qualiter 24* ibi: *Prælatus procedere ad inquirendum, hoc tit.* Alias differentias prosequitur Beroius *in d. cap. qualiter, n.5.*

9 De iustitia inquisitionis. Sed antequam diuisiones inquisitionis referamus examinanda est iustitia inquisitionis, & probandus vsus procedendi per inquisitionem; nam videtur iniustus hic procedendi modus, cùm in hoc iudicio nullus actor appareat, & ita formale iudicium dici non posset, iuxta D. Isidorum relatum *in cap. forus, de V.S.* ibi: *In omni quoque negotio hæ personæ quærantur, iudex, reus, & tres testes.* Et sine accusatore neminem esse damnandum, vulgò probatur *ex l. rescripto 6. §. si quis accusatorem, ff. de muner. & honor. leg. vlt. Cod. de accusat. cap. de manifesta 17. vers. iudicis, 2. q.1. c.1. vers. Præterea, vt eccles. benefic.* quod & diuino iure satis expressum legimus in Euangelio Ioannis *c. 8. vers.10.* in illis verbis: *Mulier, vbi sunt qui te accusabant: si nemo te accusot, nec ego te condemno.* Et Actuū Apostol. *c.25.* vbi Festus prouinciæ Præses ad Agrippam Regem, cùm aduersus Apostolum Paulum tota se effudisset Iudæorum rabies, ait: *Ad quos respondi, quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prius quàm is qui accusatur, presentes habeat accusatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Facit D. Ambrosius relatus *in d. cap. de manifesta*, ibi: *Quia & Dominus Iudam, quem furem esse sciebat, sed cùm non esset accusatus, minimè abiecit.* Et ideò non esse inquirendum in facinorosos, quia medicus nisi accersitus morbos non inquirit, docet Canonherius *in aphorism. polit. tom.1. pag.379.* Sed adhuc dicendum est, omni iuri consonum esse modum procedendi per inquisitionem; quia cùm adest diffamatio, clamor ipse vicem accusatoris gerit. Vnde legimus in sacris litteris, ob clamorem hunc inquisita crimina, veluti fratricidij, *Genes. c.4.* ibi: *Vox sanguinis clamat ad me de terra, quid fecisti?* Sodomorum, *Genes. c 19.* ibi: *Clamor Sodomorum.* Oppressionis, *Exodi cap.2. Ascenditque clamor.* Et *c.3.* ibi: *Clamorē audiui fraudatæ mercedis.* Iure etiam ciuili inquisita legimus delicta lenocinij *in leg.2. §. si publico ff. ad leg. Iul de adult.* Suspecti instrumenti *in leg. iubemus, Cod. de probat.* Suspecti tutoris *in leg.3. §. præterea ff. de suspect. tutor.* Fraudulosi, aut falsi testis *in leg. nullum, Cod. de calum.* & generaliter Præsidibus delicta inquirere iubetur *in leg. congruit, ff. de offic. Præs. leg.4. §. mandati. ff. ad leg. Iul. pecul. leg.1. §. quies, ff. de offic. Præfect. vrb. leg.3. §. vlt. ff. ad leg. Iul de annon.* Ordo autem Inquisitionis apud Romanos talis erat. Irenarchæ, curiosi, seu stationarij, latrones, sacrilegos, & alios criminum reos in prouincijs conquirebant, de socijsque & receptatoribus interrogabant, interrogationesque litteris inclusas & obsignatas ad cognitionem Magistratus mittebant, reique missi cum elogio ex integro audiebantur, non tantùm si quis accusator esset, verùm etsi accusator nō appareret, *leg. ea quidem 7. Cod. de accusat. leg. Diuus 6. ff. de custod. reor. leg.1. Cod. eodem, leg.1. Cod. de curiosis, & stat. leg. 6. § mulcatores, ff. ad Turpil.* de quibus Irenarchis agitur *in leg.6. §. Irenarchæ, leg. munerum, ff. de muneribus, leg.1. & per totum Cod. de Irenarch. Nouel.8. Iustin.* D. August. *epist. 159 Irenarcharum, ad quos tuendæ publicæ pacis vigilantia pertineat.* Et *epist.160.* Plura de eis Aloix *ad vitam S. Polycarpi*, Simanchas *de repub. lib.8. c.25* P. Gregor. *lib.31. syntagm. c.4. n.1.* Lipsius *epist. qq. c.18.* Gutherus *de offic domus lib.3. c 13* Cuiac *lib.8. obseru. c 29.* Fornerius *lib.1. rer. quotid. cap 4.* Ramirez de Prado *in thessera legum, ad leg. super creandis*, Solorzanus *tom.2. de iure Ind. lib.1. c.26. n.7.* Gibalin *tom.2 de negot. lib.6. c.3. art.4 n.7.* notaui *in c.1. suprà, n. fin.* vbi probaui in hoc iudicio diffamationem ipsam vicem accusatoris gerere. In iure etiam nostro canonico variæ sunt compilatæ decretales de hac inquisitione sub præsenti titulo *de accusat. & inquisitionibus*: vt textus *in cap. qualiter 17. cap qualiter 24.* & alij. Iure etiam regio talis inquisitio commendatur *in leg 1. & 6. tit 1. lib. 8. recopil.* & probant latè hunc procedendi modum Bobadilla *lib 2. polit c 13 per totum*, Zypæus *de magistr. lib.3. c.9.* plures congesti à Solorzano *2. tom. de iure Indiar. lib. 4. c.5. n.6.* & *emblemat 70.*

Deinde sciendum est, inqnisitionem hanc aliam dici generalissimam, per textum *in cap. sicut olim, hoc tit. cap. Romana, de censibus in 6* quando fit ex mero officio Pon- 10 Inquisitionu diuisio.
tificis, in generali Concilio Primatis, seu Metropolitani; in Concilio nationali, seu prouinciali: alia dicitur generalis quoad delicta, & quoad personas, vt cùm Præses inquirit in sua prouincia reos diuersorum delictorum, *leg. congruit, ff. de officio Præsid.* vel generalis, quoad personas criminosas; specialis verò quoad delictum, vt cùm iudex inquirit super homicidio, furto, aut simili delicto speciali, *leg.3. §. si tibi iudicium. ff. de condict. ob turp.* seu generalis quoad delicta, specialis quoad personas, vt in præsenti textu, quando visitator inquirit in certa Ecclesia ad inuestigādum aliquod delictum; seu specialis, tam quoad delicta, quàm quoad personas, vt cùm de certo, & speciali delicto Præses inquirit contra limitatam, & certam personam, iuxta textus *in leg. ea quidem, Cod. de accusat leg.2. §. publico. ff. ad leg. Iul. de adult.* prosequuntur Amadeus *in tract. de syndicatu, ex n 6.* Maranta *de ordine iudic. 6 part. tit.1. de inquisit.* Gregor. Lopez *in proœmio, tit.17. part 3* Paz *in praxi, p.1. n.7.* & *5. p c.1. num.1.* D. Ioannes Vela *de modo proced. c.3 num 2.* Farinac *tom.1. praxis crimin. tit. de inquisit. q.1. num.4.* Morla *in empor. tit.2. q.3. n.45* Pereyra *de manu Regia, p.1. c.10. à n.20.* & *2. p. cap 56 à num.9.* Gutierrez *de delictis lib.1. cap.1.* Fragoso *p.1. de regim. lib.5. disp. 12. §. 6.* Omnes tamen suprà relatæ inquisitiones ad duas frequenter redu-

Digitized by Google

reducuntur ſpecies, generalem ſcilicet, & ſpecialem: generalis eſt in qua ad inueſtiganda delicta, & eorum reos, in genere agitur, de qua *in d. leg. congruit, cap. placuit 22.* 2c. *quæſt. 1. cap. 1. cap. irrefragabili, de offic. ordin. cap. ſicut olim 25. hoc tit. cap. 1. §. ſanè, de cenſib. lib. 6.* Trident. *ſeſſ. 14. de reform. cap. 4.* quæ apud nos lege Regia prohibita eſt, *l. 1. 2. & 4. tit. 1. lib. 8. recopil. l. 8. tit. 12. cod. libro:* ſiue etiam ad inquirendos criminoſos, cùm de delicto conſtat, *l. idem 4. §. vlt. ff. de condict. ob turp. cauſ. l. ciuile 5. Cod. de furtis.* Specialis verò eſt quæ fit contra aliquam, vel aliquos ſpecialiter nominatos ſuper certo crimine, quod commiſſum fuiſſe conſtat. Docuerunt D. Ioſeph. Vela *in cap. 1. de offic. Ordin. p. 2 nu. 163.* Sanchez *lib. 6. conſil. cap. 3. dub. 16.* Lantdmeter *lib. 2. de veteri monach. cap. 108.* Pichardus *in manudact. ad prax. p. 3. §. 2.* Inter inquiſitionem autem generalem, & ſpecialem magnum verſatur diſcrimen; nam in generali non eſt neceſſaria infamia præcedens, ſed poteſt iudex ex officio abſque accuſatore, vel denunciatore inquirere, an ſciant de aliquibus delictis, & criminum reis, de quibus poſſint ſecundùm ius denunciare, aut teſtificari: in inquiſitione verò ſpeciali omninò deſideratur infamia, vel vt vehemens aliqua ſuſpicio præcedat, qualis ex generali inquiſitione oriri ſolet, *cap. qualiter 17. & 24. hoc tit. cap. licèt Heli, de ſimonia*, latè probat Valenzuela *conſil. 161. ex num. 20.* quia cùm in hoc iudicio non adſit verus accuſator, neceſſe eſt vt intercedat aliquid, ſaltem quod in eius locum ſubrogetur, nempe fama, quæ loco accuſatoris habetur, *d. cap. qualiter 17.* ibi: *Non tanquam idem ſit accuſator, & iudex; ſed quaſi denunciante fama, vel deferente clamore, iudicium peragatur.* Mancinus *lib 2. genial. c. 103.* propter ſcandalum enim ex tali diffamatione reſultans totus populus videtur accuſare, argumento capitis *Presbyter, cap. ſi à plebe 13. cap. ſi mala fama 16. 2. q. 4.* D. Thomas 2. 2 *q. 68. art. 3.* Sotus *de tegend. ſecret. memb. 2. c. 6.* Acuña *in cap. de Petro, 47. diſt.* Guazinus *in defenſ. reor. deſ. caſ. 9. c. 1.* Certos tamen caſus, in quibus nec hæc diffamatio neceſſaria eſt, refert Sanchez *d. c. 3. dub. 19 per totum;* & quænam argumenta ſufficiant ad hanc diffamationem, explicant Fachineus *lib 9. controuerſ. c. 15.* Paz *in d. l. 50 ſili,* Gutier. *de delictis, d. quæſt. 1.*

11 Traditur decidendi ratio. His ſuppoſitis apparet ratio præſentis aſſertionis; nam cùm in hoc inquiſitionis iudicio procedat iudex ex officio proprio virtute diffamationis, non verò ad petitionem partis, poterit pro arbitrio augere, vel minuere pœnam impoſitam pro tali delicto: & cùm hoc iudicium ſit extraordinarium, *cap. quoniam, de probat.* Beroius *in rubric. de iudicijs, n. 54.* Decius ibi, *nu. 7.* Boſſius *in praxi, tit. de inquiſit. num. 16.* vtpotè in quo non adeſt accuſator proprius, qui agat, teſteſque ante litis conteſtationem recipiantur, contra dicta *in c. 1. vt lite non conteſt.* & alia extra ordinem iudiciorum adhibeantur, meritò ei extraordinaria pœna imponenda eſt pro arbitrio iudicis. Hodie tamen cùm adeò iudicium hoc per inquiſitionem vſitatum ſit, vt penè ordinarium ratione conſuetudinis dici poſſit, imponitur pœna ordinaria etiam à iudice procedente per viam inquiſitionis, ac ſi procedat interpellatus ab accuſatore, vt notat Anguianus *de legibus lib. 2. c. 6. num. fin.*

12 Diſſoluitur dubitandi ratio. Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam verum eſt, iudicem in cauſa criminali, vbi adeſt accuſator, & ordinario modo proceditur, non habere arbitrium, ſeu facultatem augendi, minuendiue pœnam delicto impoſitam; at verò in præſenti agimus de iudicio extraordinario, in quo iudex extra ordinem procedit. quo caſu non ordinaria pœna, ſed extraordinaria imponenda eſt, iuxta ſuprà tradita. Nec obſtat augmentum primum ipſius difficultatis, deductum *ex d. leg. 1. ff. ad leg. Iul. de adult. leg. 2 Cod. de abolit.* cum alijs. pro cuius ſolutione Abbas *hic nu. 8* Felinus *nu 3.* quos refert, & ſequitur Tiraq. *de pœn. temper. cauſ. 53 n. 2.* diſcrimen aſſignarunt inter ius canonicum, & ciuile, vt hoc cùm ſit gratia, & miſericordia plenum, finemque tantùm ſupernaturalem intendat, mitiores & leuiores pœnas ſemper iniungat, quoties ſine accuſatore proceditur, & negotium criminale per viam inquiſitionis agitatur; ius verò ciuile, vtpote ſtrictius, & profanum, eandem ordinariam infligendam pœnam eſſe decreuit, ſiue procedatur per inquiſitionem, ſiue per accuſationem. Sed meritò eos refellit Anguianus *lib. 2. de legibus, c. 6. n. 8.* nam æquè hoc iudicium inquiſitionis extraordinarium eſt iure canonico, ac iure ciuili; vnde ſi iure Pontificio attentò, quia in eo iudicio extraordinariè proceditur ſine accuſatore, pœna extraordinaria imponitur, etiam iure ciuili, quia extraordinariè per inquiſitionem iudex cognoſcit, extraordinariæ pœnæ locus eſſe debet. Quare hac ſententia omiſſa dicendum eſt, nullum in hac parte verſari diſcrimen inter ius canonicum, & ciuile; & vt difficultati ſatisfaciamus, textus in ea adducti ſigillatim explicandi ſunt; non enim obſtat textus *in d. l. 2. §. ex publico;* nam in eo Vlpianus tantùm refert Imperatorem Seuerum damnaſſe Claudium Equitem illuſtrem pęna lenocinij, quia vxorem in adulterio deprehenſam retinuerat; non tamen exprimitur, an pęna ordinaria, vel extraordinaria; immò facilè ex ipſa facti ſerie deducitur, pœna extraordinaria ipſum affectum fuiſſe, vt notauit Anguianus ſuprà, *n. 24* Similiter dum *in l. 2 Cod. de abolit.* in iudicio extraordinario competens pœna iniungi præcipitur, per pœnam competentem ſatis innuitur, non ordinariam, ſed extraordinariam imponendam eſſe. Nec etiam obſtat dicta lex *4. C. de ſepulchro viol.* nam facilè ex illis verbis, *quæ penè priſcæ ſeueritati accedit*, apertè deducitur, pœnam ibi impoſitam, non eſſe ordinariam & propriam criminis ſepulchri violati, ſed potiùs illi accedere. Nec etiam obſtat textus *in d. l. ordo 8.* nam in eo Paulus non agit de iudicio inquiſitionis, ſed tantùm aſſerit delicta eſſe punienda, etſi extraordinariè probentur, hoc eſt abrogatis ſcrupuloſis formulis iudiciorum, quia eo tempore iam omnia iudicia extraordinaria erant. Nec obſtat aliud augmentum dubitandi rationis, deductum ex præſenti textu, cui vt ſatisfaciat Anguianus *d. c. 6 n. penult.* ex Abbate, & Innoc. in præſenti, affirmat ea verba *ſicut in accuſationis iudicio*, eſſe accipienda de modo procedendi in illis caſibus, videlicet vt proceſſus formetur, ſicut cùm proceditur per viam accuſationis; non verò quia ibi affirmet Pontifex, pœnam eſſe infligendam, cùm proceditur per accuſationem, ac ſi per inquiſitionem procederetur. Verùm hæc ſolutio ſatis refellitur ex ipſo dubio, cui ſatisfacere intendebat Pontifex; conſultus enim Innocentius fuerat, an in delictis, quæ per inquiſitionem claruerant, imponenda eſſet pęna extraordinaria; & tunc reſpondet ſub ea diſtinctione, vt in caſibus homicidij, & ſimoniæ eadem pœna imponatur, ac infligitur cùm per accuſationem proceditur; in alijs verò delictis poſſe iudicem pœnas pro arbitrio moderari: quare ea ſententia omiſſa, verius dicendum eſt, quod licèt cùm proceditur per inquiſitionem imponenda ſit pœna extraordinaria; tamen cùm delictum commiſſum fuit homicidium, vel ſimonia, ordinaria imponenda eſt. Ratio huius diſcriminis ex eo prouenit, nam in his duobus delictis pœna ſuſpenſionis ipſo iure incurritur, ita vt neceſſaria ſit ſententia declaratoria, vt beneficium pro vacante habeatur, vt probat Suarez *vbi ſuprà;* tamen ipſo iure reus ſuſpenditur ab officio, & pęnam in vtroque delicto incurrit, adeò vt ſi poſtea pęnituerit, nihilominus Miſſam celebrare non poſſit, vt de homicida probatur *in cap. fin. de temper. ordin. cap. ſicut dignum, de homicid. cap. in quibuſdam, de pœnit, cap. miror, 50. diſt.* de ſimoniaco *in cap. accuſatum 4. cap. quotiens 5. de ſimon.* Vnde cùm in eis caſibus, ſiue procedatur per accuſationem, ſiue per inquiſitionem, vel ſententia tantùm ſit declaratoria pœnæ incurſæ ob homicidium, vel ob ſimoniam; ideò iudex nullam habet facultatem moderandi, minuendiue pœnam iam incurſam, vt docuit Luna, & Arellanus *lib. 5. ſingul. antinom. 1.* Nec tunc obſtat caput *dilectus 30. de ſimon.* vbi delictum ſimonię diuerſo modo punitur, ſi per inquiſitionem, ac ſi per accuſationem in iudicium deducatur; nam eius verã interpretationem dabimus in eius cõmentario.

Ex qua doctrina exponendus eſt textus *in c. 2. de confeſſis*, qui contra præſentem aſſertionem communiter expendi ſolet. In eius ſpecie Canonicus Bethlehemitanus, qui ſimoniam perpetrauerat, abſque accuſatore, & extraordinariè detectus punitur pęna ordinaria ſimoniaci: igitur quia in iudicio extraordinario inquiſitionis pęna ordinaria imponenda eſt. Pro cuius textus expoſitione varia adduxit Anguianus *d. lib. 2. de legibus, c 6. n. 22.* quibus omiſſis dicendum eſt, quod cùm delictum, quod in eo textu incidenter claruerat, eſſet ſimonia, & in hoc delicto, etſi per inquiſitionem procedatur, imponenda ſit pœna ordinaria, iuxta ſuprà tradita, & docent Halier *de ſacris elect. ſect. 7. art. 3. §. 4.* Beroius *in cap. qualiter 24. nu. 53. hoc tit.* ideò in ea ſpecie pœna ordinaria imponitur, ſeu potiùs declaratur, pœnam ſuſpenſionis ab officio, & de- 13 Expenditur cap. 2. de confeſſis.

Digitized by Google

positionis à beneficiô ipsum Canonicum contraxisse. cedit quod in eo textu processum fuit per viam notorij, mediante confessione io iure facta, vnde necessariò imponenda erat pœna ordinaria, vt *in cap. tuæ, de pœnis, cap. cùm non ab homine, de iudicijs*.

14 Explicatur cap. final. de celebrat. missarum.

Secundò opponi solet presenti assertiooi textus *in cap. fin. de celebratione Missar.* vbi cùm per inquisitionem ageretur contra clericum, & constasset ipsum in pane fermentato, & scypho ligneo, sine igne, & aqua celebrasse, depooitur ab officio, & beneficio: qua pœna afficiendus erat, si per accusationem io iudicium deferretur. igitur quia cum proceditur per modum inquisitioois, mitior pœna imponenda est. Cui difficultati communiter respondetur, in eo textu presbyterum ipsum crimen illud coofessum fuisse in iudicio, & ita ob propriam confessionem in iudicio factam pœna ordinaria ipsum affici: ita Beroius *in d. cap. qualiter 24. num. 54.* Sed hæc solutio facilè conuincitur ex eo, nam etsi clericus in ea specie fateretur delictum, tamen per modum inquisitionis procedebatur; vnde iuxta præsentem textum pœna ordinaria imponenda non erat. Quare ea solutione omissa, & alia Beroij, qui depositionem illam accipit pro depositione non ab ordine sacro, sed ab officio ecclesiastico, dicendum est, pro crimioibus à presbytero in ea specie admissis, oon vnam pœnam, sed varias à iure constitutas esse, vt ex canonibus in eius commentario congestis apparet: vnde Summus Pontifex, vt eum debitè puniret pro tantis excessibus ex malitia, vel nimia ignorantia admissis, eum deponendum esse ab officio, & beneficio iussit, quia Pontifex potest illam, vel aliam maiorem pœnam impooere, *c. 1. 81. distinct.*

Ex suprà traditis accipit lucem textus *in cap. ex tuarum, de excess. Prælat.* vbi cùm per viam inquisitionis procederetur contra Episcopum, eo quòd furem suspendere iussisset, indicta illi priùs purgatione vulgari ferri candentis, ait Pontifex, qood cùm ita grauiter deliquerit, officio illum esse priuandum; & quia sine officio beneficium retineri non potest, ipsum ab officio esse remouendum. Ex quo textu deducitur, quod etiam cùm proceditur per inquisitionem, pœna ordinaria imponenda est; siquidem eo casu ob suspensionem furis eadem pœna erat afficiendus Episcopus, ex traditis *in cap. sententiam, ne cleric. vel monach.* Sed eius textus vera ratio ex præsenti textu & suprà traditis prouenit; nam cùm in eo textu agatur de pœna homicidij ob defectum leuitatis admissi, propter quod etiam pœoitentia facta, Episcopus non poterat retinere officium; ideò docet Pootifex pœnam ordinariam locum habere, & ipsum Episcopum ab officio suspensum, etiam ab Episcopatu esse amouendum, cùm eo casu etiam pœnitentia facta semper Episcopus maneret irregularis, & per consequeos cùm celebrare non posset, nec Episcopatum retinere valebat. 15 Exponitur cap. ex tuarum, de excessib. prælator.

CAPVT XXII.

a *Siluanectensi Episcopo, & Abbati* b *Latiniacensi, Parisiensis Diœcesis, & Decano Siluanectensi.*

AD petitionem Vualteri quondam monasterij *c* Corbeiensis Abbatis, dilecto filio Magistro Scholarum, & Magistris R. de *d* Corzon, & P. Canonicis *e* Nouiomensibus eiusdem loci, à nobis dudum correctione commissa, ipsi bis ad idem monasterium accedentes, quibusdam correctis, ibidem nonnulla, quæ statuenda fuerant, statuerunt, inquisitionis instantiam quorundam impediente malitia retardando. Ad quorum contumaciam reprimendam sæculare intendebant brachium *f* inuocare. Verùm dilectus filius noster G. *g* sanctæ Mariæ in Porticu Diaconus Cardinalis, tunc Apostolicæ Sedis Legatus, interim ad idem veniens monasterium, supradicto Vualtero præsente, nec reclamante, super statu monasterij memorati cœpit inquirere diligenter: & cùm inquisitione finita prædictum Vu. Parisios euocasset, propositurum contra inquisitionem eandem, si quid rationabiliter duceret proponendum, idem Vu. præsentiam eius adiens allegauit, quod in monasterij correctione procedere non valebat, quæ prædictis iudicibus priùs fuerat auctoritate nostra commissa: & Cardinalem ipsum ex iustis causis se asserens habere suspectum, vocem ad nos appellationis emisit. Porrò Cardinalis inspectis his, quæ probata fuerant contra eum, de consilio peritorum ipsum amouit à regimine Abbatiæ, dando *h* fratribus eiusdem loci liberam facultatem alium eligendi. Qui dilectum filium Ioannem Abbatem Corbeiensem, tunc Priorem de *i* Argentolio, virum prouidum, & honestum elegerunt concorditer in Abbatem. Cùm autem dictus Vu. postmodùm ad Sedem Apostolicam accessisset, asserens se per Cardinalem ipsum quorundam falsis suggestionibus circumuentum, ab Abbatia sine rationabili causa remotum: Nos eiusdem cœnobij tranquillitati paterna solicitudine prouidere volentes, venerabilibus fratribus nostris *i* Archiepiscopo Rhemensi, & *k* Atrebatensi Episcopo dedimus in mandatis, vt ad *l* compositionem inter eundem Vu. & substitutum ei, darent studium & operam efficacem. Alioquin tam per iamdictum Legatum, quàm per alios inquirerent diligentiùs veritatem, & eam nobis vsque ad Festum S. Remigij proximò tunc venturum, fideliter intimarent, vt per eorum relationem certiores effecti, procederemus in eodem negotio prout procedendum vtiliùs videremus. Qui cùm super reformatione pacis proficere nequiuissent, sicut ex litteris eorum accepimus, processerunt ad inquirendum super præmissis omnibus veritatem, testibus ab vtraque parte receptis; & ea quæ tam per se, quàm per Cardinalis inquisitionem inuenerant, nobis sub sigillis proprijs transmiserunt. Nuper autem præfatis Vu. atque I. in nostra propter hoc presentia constitutis, idem Vu. quod à Legato post appellationem ad nos interpositam factum fuerat, petijt reuocari, allegans quod cùm correctio monasterij fuerit iudicibus memoratis iniuncta, & ipsi quibusdam correctis, & nonnullis statutis ibidem, aliorum correctionem ex causa duxerint, rationabili differendam, Cardinalis interim de iure non potuit procedere ad eandem, cùm generale mandatum non *m* deroget speciali. Ad quod fuit ex aduerso responsum, quod cùm Vu. præsente, nec reclamante, ad inquisitionem processerit Cardinalis, idem Vu. videtur in hoc tacitè consensisse, vt inquisitione facta corrigeret Cardinalis, quæ corrigenda videret. Contra quod idem Vu. taliter proponebat, quod licèt statim vt cœpit inquirere Cardinalis, non duxerit reclamandum, credens eum nolle procedere contra ipsum, sed absque sui grauamine aliquid in Ecclesia vtiliter ordinare; postquam tamen euocatus ab ipso cognouit, quod aduersus eum procedere intendebat, eius declinauit examen, ad nostram audientiam appellando. Proposuit insuper pars aduersa, quod cùm prædicti iudices omisissent in monasterij correctione

rectione procedere, & periculum traheret ad femora, Cardinalis ipse, ad quem spectabat ex iniuncto sibi legationis officio cura eius, ad reformationem ipsius loci interponere potuit partes suas. Cùm enim secundùm iuris ciuilis auctoritatem, in illis etiam casibus, in quibus solemnis ordo iudiciarius obseruatur, in criminali causa *n* vltra bienniumà contestatione litis non sit eius instantia protrahenda; & nos *o* quoque consulti, quamdiù delegatus à nobis, qui sententiam tulerat, iurisdictionem suam interponere valeat, vt sententiæ pareatur, respondisse noscamur, quod vsque ad annum integrum iurisdictionem sibi commissam ad exequendum sententiam valeat exercere: dictis iudicibus differentibus in correctione procedere, cùm iam decem & septem essent menses elapsi, ex quo noscuntur mandatum Apostolicum recepisse, ac de criminibus inquirere, licèt non criminaliter ageretur, correctioni non immeritò Cardin. insistere potuit memoratæ. Sed ad hoc altera pars respondit, quod hoc colorem excusationis haberet, si prædicti iudices à Legato commoniti ad correctionem procedere neglexissent. In quo casu eorum fortè defectus per diligentiam potuisset Legati suppleri, sicut de Metropolitano in canonibus legitur, quod tunc demùm ea potest facere, quæ ad Suffraganeos pertinent, cùm illa Suffraganei *p* negligunt adimplere. His igitur, & alijs quæ vtraque pars proponere curauit, auditis, & inquisitione vtraque, Cardinalis videlicet, & Archiepiscopi prædictorum diligenter inspecta, intelleximus ex depositionibus iuratorum, quod cùm tempore promotionis ipsius Vu. octo millium librarum monasterium grauaretur, & non multo tempore post idem debitum vsque ad duo milla librarum fuerit diminutum, nunc tamen vsque ad sex millium librarum summam excreuit; cùm sicut priùs contigerat, de prouentibus monasterij debitum potiùs diminui debuerit, quàm augeri, nisi Rectoris incuria obstitisset. Et quamuis ad excusationem suam proposuerit idem Vu. quod propter expensas factas in causa, quam contra Cluniacense monasterium habuit, in qua quendam Prioratum euicit, idem fuerat debitum augmentatum; fuit tamen ei ex aduerso responsum, quod propter expensas illas debitum interim augmentari non debuit, cùm propter hoc possessiones quasdam eiusdem obligauerit Prioratus, maximè cùm in eiusdem prosecutione negotij vix expensæ fuerint mille libræ. Adiecit etiam dictus Vu. quod occasione cuiusdam domus, quam in villa Corbeiæ de nouo construxerat, debitum supradictum excreuit. Ad quod pars aduersa respondit, quod ex prouentibus monasterij expensas huiusmodi facere potuit absque onere debitorum; præsertim cùm propter hoc non modicum auxilium à *q* Burgensibus fuerit eidem impensum. Præterea cùm ex confessione ipsius constiterit, quod in Capitulo præstiterat iuramentum, ne debitum de nouo contraheret: ac postea contraxerit debitum, contra iuramentum proprium veniendo, sicut testes deponunt, argui de periurio videbatur. Ad quod idem Vu. hoc modo respondit, quod etsi primò huiusmodi præstiterit iuramentum, postea tamen quoddam factum fuit in Capitulo constitutum, per quod iuramentum ipsum extitit relaxatum. Sed contra hoc pars altera replicauit, quia cùm non constiterit, quod per tale statutum reuocatum fuerit iuramentum, & appareat eundem Vu. non solummodo iuramentum de debito non contrahendo præstitisse, sed venisse postea contra illud; manifestè liquebat, ipsum reatum periurij incurrisse: sed & ipsius insufficientia & negligentia dissoluta videbantur manifestè probari. Et quamquam aliqui testium eum, quantùm in se, dixerint esse bonum, nulli tamen deposuerunt expresse, quod vtilis esset eius prouisio monasterio sæpedicto. Cùm ergo nobis de talibus fuerit sufficiens in tali negotio facta fides, propter quæ præfatus Vu. erat meritò amouendus, etsi restituendus foret propter iudiciarium ordinem non seruatum, ob causas tamen prædictas ipsum prouidimus manere priuatum regimine Abbatiæ; Ioannem nihilominus supradictum, quem pro eo, quod præfato Vu. propter iuris ordinem non seruatum quodammodo inordinatè remoto, intelleximus ob eandem causam per consequentiam minùs legitimè substitutum, per sententiam amouentes: quem quia non propter personæ vitium, vel defectum, sed propter iuris *r* solemnitatem, sicut præmissum est, prętermissam amouimus, ipsum postmodùm restituimus in Abbatem: & memorato Vu. in loco, qui dicitur Guidoc, cum pertinentijs suis in Imperio constitutis, iussimus prouideri. Ita videlicet, quod ibi cum vno Corbeiensi monacho commoretur, & censum quinque marcharum ad pondus Coloniense, in festo Purificationis Beatæ Virginis, Abbati & successoribus suis annuatim persoluat: & personatibus, ac Ecclesijs eiusdem Balliuæ, iamdicti Abbatis & successorum suorum donationi liberæ reseruatis, eisdem fidelitates, & homagia liberorum hominum eorumdem locorum debeant exhiberi. Ac in iuramento fidelitatis, quod eisdem fuerit præstitum, exprimetur, quod ijdem homines supradictum Vu. super suæ prouisionis prouentibus nullatenus damnificare præsumant, ita videlicet, quod & ipse Vu. super indemnitate prædictæ Balliuæ, ne ipsam dilapidet, corporale præbeat iuramentum. Si quid autem post sententiam nostram super vtriusque amotione prolatam, circa electionem Abbatis, quam in prolatione ipsius sententiæ nostræ duximus prouidentiæ reseruandam, à Corbeiensibus monachis, vel quolibet alio, in eiusdem Abbatis præiudicium fuerit attentatum, id decernimus non valere. Quocirca discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod à nobis est pro ipsius Monasterij vtilitate prouisum, faciatis appellatione remota inuiolabiliter obseruari, corrigentes circa Priorem, & Monachos, & Prioratus Monasterij memorati, cum consilio Abbatis ipsius, quæ secundùm Deum, & B. Benedicti regulam fuerint corrigenda: & statuentes ibidem quod regulare fuerit, & honestum: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Quod si non omnes, &c. duo vestrum ea nihilominus exequantur. Datum Laterani 7. Kal. Martij, Pontificatus nostri anno tertiodecimo.

N O T Æ.

1 a *Syluanectensi.*] Ità restituo inscriptionem, & integram epistolam ex epistolis Innocentij III. editis à Bosqueto *lib. 1. regestr. 13. epist. 1.* Syluanectensis ciuitas Galliæ ita dicta à Sylua Regia, quæ illam circumdabat, habet Ecclesiam Cathedralem suffraganeam Archiepiscopi Rhemensis, cui sanctus Dionysius Areopagita sanctum Regulum eius discipulum primum Episcopum designauit: notatur *in cap. ex parte, de rescriptis.* In præsenti rescribit Innocentius Gaufrido eius Præsuli 51. de quo hæc Rigordus ad annum 1213. *Gaufridus Syluanectensis Episcopus sentiens se tam ætate, quàm corpulentia ponderosa insufficientem oneri, quod iam per triginta annos portauerat, impetrata à summo Pontifice, sicut in iure cautum est, licentia, renunciauit Episcopatui, & transtulit se ad monachos Caroli loci Cisterc. Ordinis.*

2 b *Latiniacensi.*] Latiniacum percelebre monasterium est Ordinis D. Benedicti, in diœcesi Parisiensi, constructum à sancto Furseo eius primo Abbas Dynasta dicitur, vt referunt Yepes *tom. 2. Chron. D. Benedicti, anno 648. c. 2* Chopinus *lib. 1. de sacr. Pol. tit. 4. n 17.* Cartham fundationis referunt Sarmath. *tom. 4. Galliæ Christ. verbo Latiniocum.*

3 c *Corbeienses.*] Duplex est monasteriom Corbeiense Ordinis D. Benedicti: aliud nouum in Saxia, de quo egi *in cap. cùm venerabilis, de constit.* aliud vetus in Francia, in diœcesi Ambianensi, fundatum à sancta Batilde vidua Clodouei II. Christianissimi Regis, sub titulo Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, dictum Corbeiense à pagn, in quo ædificatum fuit: olim opulentissimum fuerat, & ab omni iurisdictione exemptum per nostrum Innocentium III. cuius exemptionis litteras refert Yepes *tom 2. Chron. D. Benedicti, in appendice*, qui plura de eodem monasterio adducit *anno 662.*

d *R. de Corzon.*] Robertus videlicet, qui Canonicus Patisiensis, creatus fuit Cardinalis tituli sancti Stephani in Cœlio monte, vt constat ex epistola 150. Innoc. III. *lib. regestr. 13.*

e *Nouiomensibus.*] De Nouiomensi Belgarum diœcesi egi *in c. 1. de delictis puer.*

4 f *Inuocare.*] Iuxta tradita *in c. 1. de offic. iudic.*

g *G. sanctæ Mariæ in Porticu.*] Hic est Guallus, de quo Rigordus in vita Philippi Augusti, anno 1208. ait: *Innocentius Papa III misit Legatum in Franciam Guallum sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem, iuris peritum, bonis moribus ornatum, omnium Ecclesiarum visitatorem diligentissimum.* Postea foit creatus presbyter Cardinalis tituli sancti Martini, vt notauit Bosquetus *in præsenti.*

h *Fratribus eiusdem loci.*] Quibus competebat electio Abbatis ipsius monasterii, vt constat ex epistola Nicolai Pontificis, quam refert Yepes *tom. 3. chron. D. Benedicti, in appendice.*

i *Argentolij.*] De qun Prioratu egi *in c. 1. de exceptionibus.*

j *Archiepiscopo.*] Guidoni videlicet. De Rhemensi Metrnpoli nonnulla notaui *in c. 2. de appellat.*

k *Atrebatensi.*] Rodulfo videlicet, de quo, & ea diœcesi egi *in c. 13. de arbitris.*

l *Compositionem.*] Ad quam non solùm iudices ecclesiastici partes debent inducere, verùm & aliquando cogere, vt *in c. 16. de electione*, vbi probaui.

m *Non deroget speciali.*] *Cap. studuisti 2. de offic. delegat.* immò è contrà speciale derogat generali, vt probaui *in c. 1. de rescript.*

n *Vltra biennium.*] Vt probaui *in cap. de causis 4. de offic. deleg.*

o *Nos quoque consulti.*] *In cap. quærenti 26. de offic. deleg.*

p *Negligunt adimplere.* Iuxta tradita *in cap. Pastoralis, de offic. Ordin.*

q *Burgensibus.*] Burgenses qui dicantur, exposui *in cap. Abbas, de his quæ vi, metusue causa fiunt.*

r *Propter iuris solemnitatem.*] Et ita rectè poterat iterum eligi, iuxta tradita *in cap. super eo, de elect.*

C O M M E N T A R I V M.

CVm de huius textus integra parum curassent repetentes, varia, & prorsus aliena ab Innocentij mente in præsenti docuerunt; illudque eis præcipuè in hac Decretali difficile visum est, quomodo videlicet Pontifex, qui tenetur ordinem iudiciorum seruare, *cap. in causis 19. de re iudic.* confirmauit sententiam priuationis Abbatis Corbeiensis, impositæ à Cardinali Legato, iudiciario ordine non seruato: & etiam confirmauit electionem Ioannis, qui non potuit in locum Vv. substitui, si ille deiectus fuit iuris ordine prætermisso. Quod autem iuris ordo seruatus non fuit, patet; nam Cardinalis Legatus, de quo in hoc textu, non erat iudex competens ad depositionem Abbatis. Primò, quia inquisitio fuerat specialiter commissa Canonicis Nouiodun. vnde Legatus in ea procedere non potuit, *ex cap. studuisti 2. de offic. deleg.* Secundò, quia fuerat tanquam suspectus recusatus, & simul appellatio ab eodem interposita, ob quas causas suspenditur iudicis potestas, *cap. si quis 4. de foro compet. cap cùm speciali 61. in princip. de appellat.* Ex actis verò coram iudice incompetenti non potest ferri sententia per alium iudicem, ad quem causæ cognitio pertinet, *cap. at si clerici, de iudicijs* Cui difficultati vt satisfaciant Glossa *in præsenti, verbo Prouidimus*, Anania *n. 2.* Pereyra *de manu reg. part. 1. c. 4. n. 7.* docent Pontificem de plenitudine potestatis posse iudicare sola veritate attenta, & omisso iudiciorum ordine. Sed hæc sententia conuincitur tum *ex d. cap. in causis*, tum quia Princeps non debet iudiciorum ordinem prætermittere, & eorum solemnitatem relaxare, nisi ex iusta & necessaria caosa. Butrius *in præsenti, n 24.* docet sententiam Innocentij in præsenti iustificari ex actis gestis ante recusationem, & appellationem. Sed hæc sententia præterquam quod diuinatoria est, conuincitur, quia per præuentionem factam à iudicibus delegatis incompetens effectus fuit Cardinalis Legatus; & ideò de causa agnoscens iuris ordinem prætermisit, *l. iuris ordinem, Cod. de iurisdict.* Quare his omissis sententijs dicendum est, Innocentium io præsenti casu iudiciarium ordinem seruasse, & per legitimos tramites approbasse sententiam priuationis, quam tulerat Cardinalis Legatus, quia in ipsa instantia appellationis coram ipso fides facta foit criminum, & excessuum, quæ coram Cardinali obiecta, & probata fuerant contra Abbatem spoliatum, vt constat ex versiculo *cùm igitur*, huius textus. Vnde non imponitur pœna priuationis, nec confirmatur electio secundi Abbatis, propter acta gesta prætermisso iudiciorum ordine, sed propter acta legitimè ordinata in Instantia appellationis: quam praxim agnouerunt, & probarunt Bartol. *in l. 1. n. 12. Cod. quando prouocare*, Alex. *lib. 6 consil. 181. num. 14.* Valascus *de part. c. 39. n. 74.* & eadem ratione, sicut confirmatur ab Innocentio depositio prioris Abbatis, ita etiam approbatur noua electio secundi; quia licèt in principio ordinatè facta fuisset, prætermisso legitimo iudiciorum ordine; tamen in plenario appellationis iudicio Pontifex ex nouis actis depositionem vnius, & electionem alterius confirmauit. 5

C A P V T XXIII.

a Innoc. III. *In registro.*

ACcedens ad præsentiam nostram G. *b* nepos quondam Subd. n. H. sua nobis quæstione monstrauit, quod cùm dil. fil. noster H. Subd. apud Sed. Ap. viam vniuersæ carnis ingressus fuisset, præbendam, quam decedens habuerat in Ecclesia *c* Crem. ei duximus *d* conferendam, ven. f. n. H. Episcopo & dilectis f. Capitulo Ecclesiæ Cremon. iniungentes vt eum in fratrem reciperent, & tam *e* stallum in Choro, quàm locum in Capitulo, & præbendam eamdem

ipsi

Digitized by Google

ipsi sine difficultate aliqua assignarent: tibi etiam, fili Archid. & dil. fil. Præposito sanctæ Agathæ dedimus in mandatis, vt si Episcopus, & Canonici mandatum Ap. non implerent, vos illud sublato appellationis obstaculo exequi curaretis, contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione remota compescentes. Cumque tu, & idem Propositus, sicut ex litteris vestris accepimus, monuissetis Episcopum, & Canonicos Cremon. ad mandatum Ap. exequendum, ipsi asseruerunt nostras litteras per veri suppressionem obtentas, cùm viuente adhuc Subd. prædicto, filium cuiusdam nobilis ciuis Crem. in Canonicum recepissent, & promisissent proximam præbendam vacaturam. Adiecerunt etiam, quod ante receptionem litterarum nostrarum nuntium suum ad Sed. Ap. destinarunt; & ideò ne procederetis vlteriùs, ad audientiam nostram appellarunt. Iuuenis etiam, cui per Episcopum, & Canonicos eadem fuerat præbenda concessa, duxit ad audientiam nostram proclamandum, vnde vos non processistis vlteriùs, sed quæ acta fuerant, per vestras nobis litteras intimastis. Igitur petebat memoratus G. vt ex eo, quod Canonici contra *f* Later. Concil. fecerant, impediri non pateremur nostræ concessionis effectum, sed præbendam ipsam faceremus eum pacificè possidere, quæ si fuisset etiam iuueni memorato concessa, debebat tamen nostra concessio, quæ præcesserat, præualere. Verùm dil. fil. Bonus Ioannes prædictorum Canonicorum & Episcopi nuntius, proposuit, quod priùs quàm ad eos mandatum Ap. emanasset, præbendam ipsam iuueni concesserant memorato; & subiunxit, quod dictus G. super homicidio, & periurio infamia publica laborabat: vnde non solùm admittendus non erat ad Crem. Ecclesiam, sed eijciendus potiùs, etiam dum fuisset *g* admissus. Episcopus quoque per suas nobis litteras intimauit, quod cùm pro eodem G. litteras Ap. recepisset, ei consuluit, vt etsi conscientia salua posset, tamen saltem de periurio & homicidio se purgaret, nisi contra eum appareat *h* legitimus accusator: sed ipse purgationem præstare noluit, nec offerre. Nos igitur attendentes, quod si filius nobilis memorati, sicut Episcopi, & Canonicorum Crem & executorum nostrorum litteræ attestabantur, fuit contra Later. Concilium ad proximam vacaturam admissus, vt postmodùm acceperunt, non vacantem, cùm priùs quàm de morte Subd. ad Crem. certus nuntius peruenire potuisset, prædictam præbendam concesserimus prædicto G. d. v. per Ap. sc. mandamus quatenus quod de præmisso iuuene factum est, denuntiatis irritum & inane, ac nisi præfatus clericus super prædictis criminibus publicè fuerit infamatus, concessionem nostram sibi factam per cens. eccl. ap. rem. executioni mandetis. Demùm si legitimus accusator apparuerit, auditis quæ fuerint hinc inde *i* proposita, etsi prædicta crimina, vel eorum aliquod legitimè fuerint probata, ipsis super eadem præbenda perpetuum silentium ap. postposita imponatis. Quod si probare nequiuerint, eam sibi auctoritate Ap. confirmetis: si verò contra eum legitimus non apparuerit accusator, si ipse super prædictis criminibus dignoscitur fama respersus, purgationem ei canonicam indicatis, in qua si fortè defecerit, perpetuum silentium ei imponere curetis. si autem præstiterit ipsam, contradictores ab eius molestia compescatis, & eos, qui nisi sunt eum impedire, in expensis ipsi legitimis condemnetis.

NOTÆ.

1 a IDem.] In quarta collectione, *sub tit. de concess. præbend. cap.* 3. reperitur textus hic, prout in præsenti transcribitur, sub hac inscriptione: *Innoc. III. in regestr.* Sed etsi sedulò legas regestrum epistolarum ipsius Pontificis editum Coloniæ, & correctum à Cardinali Sirleto, & editum à Bosqueto, non reperies præsentem epistolam, quia spectat ad libros regestri, qui adhuc non prodierunt: quare cognosci non potest cui Archidiacono rescribat Pontifex, licèt ex textus serie facilè deducatur, rescribere Archidiacono.

2 b *Nepos*.] Idest filius fratris, qui non prohibetur in beneficio patrui virtute nouæ electionis succedere, *c. 2. de arbitris, cap. ex parte, de offic. deleg.* vbi notaui.

c *Cremon.*] De Cremonensi Ecclesia egi *in cap. 2. de presb. non bapt.*

d *Conferendum*.] Quia omnia beneficia vacantia in Curia, iam olim conferebantur à Romano Pontifice, vt hodie conferuntur virtute regulæ Cancellariæ, quam exponit Gonzalez *gloss. 51. ad regul. 8.* 3

e *Stallum*.] De stallo egi *in c. 2. de renunciat.*

f *Lateran. Concilium*.] Relatum *in cap. 2. de concess. præbend.*

g *Admissus*.] Quia tam homicida, quàm periurus priuantur beneficijs iam obtentis, vt probaui *in c. 2. de rescript.*

h *Legitimus accusator.*] Quinam ille sit, exposui *in c. 1. hoc tit.*

i *Proposita*.] Quia in præsenti G. agebat remedio adipiscendæ possessionis; vnde huiusmodi exceptiones admittuntur, quia infamatus de his delictis dicebatur, *cap. constitutus, de appel.* 4

CAPVT XXIV.

Idem *in Concilio* a *Generali*.

QVaLiter, & quando debeat Prælatus procedere ad inquirendum, & puniendum subditorum excessus, ex auctoritatibus veteris, & noui Testamenti colligitur euidenter, ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones, sicut olim apertè *b* distinximus, & nunc sacri approbatione Concilij confirmamus. Legitur enim in Euangelio, quod villicus ille, qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audiuit ab illo: Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ, iam enim non poteris amplius villicare. Et in Genesi Dominus ait: Descendam, videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. Ex quibus auctoritatibus manifestè probatur, quod non solùm cùm subditus, verùm etiam cùm Prælatus excedit, si per clamorem, & famam ad aures superioris peruenerit, non quidem à *c* maleuolis, & maledicis, sed à prouidis & honestis, non semel tantùm, sed sæpè, quod clamor innuit, & diffamatio manifestat, debet coram Ecclesiæ *d* senioribus veritatem diligentiùs perscrutari, vt (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis: non tanquam idem sit accusator & iudex, sed quasi denunciante fama, vel deferente clamore officij debitum exequatur. Licèt autem hoc sit obseruandum in subditis, diligentiùs tamen est obseruan-

tum exequatur. Licèt autem hoc sit obseruandum in subditis, diligentiùs tamen est obseruandum in Prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam: & quia non possunt omnibus complacere, cùm ex officio suo teneantur non solùm arguere, sed etiam increpare; quinetiam interdum suspendere, nonnunquam verò ligare, frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Et ideò sancti Patres prouidè statuerunt, vt accusatio Prælatorum non facilè admittatur, ne concussis columnis, corruat ædificium, nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solùm falsæ, sed etiam malignæ criminationi ianua præcludatur. Verùm ita voluerunt prouidere Prælatis, ne criminarentur iniustè, vt tamen cauerent, ne delinquerent insolenter, contra morbum vtrumque inuenientes medicinam congruam, videlicet vt criminalis accusatio, quæ ad diminutionem capitis, idest degradationem, intenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus admittatur. Sed cùm super excessibus suis quisquam fuerit infamatus, vt iam clamor ascendat, qui diutiùs sine scandalo dissimulari non possit, vel sine periculo tolerari, absque dubitationis scrupulo ad inquirendum, & puniendum eius excessus, non ex odij fomite, sed charitatis procedatur affectu; quatenus si fuerit grauis excessus, etsi non degradetur ab ordine, ab administratione tamen amoueatur omninò: quod est secundùm sententiam euangelicam à villicatione villicum amoueri, qui non potest villicationis suæ dignam reddere rationem. Debet igitur esse præsens is, e contra quem facienda est inquisitio, nisi se per f contumaciam absentauerit: & exponenda sunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, vt facultatem habeat defendendi seipsum: & non solùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (vt quid, & à quo sit dictum, appareat) g publicanda, necnon exceptiones & replicationes legitimæ admittendæ, ne per suppressionem nominum, infamandi; per exceptionum verò exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur. Ad corrigendos itaque subditorum excessus, tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas desereret incorrectas. Contra quos, vt de notorijs excessibus taceatur, etsi tribus modis possit procedi, per accusationem videlicet, denunciationem, & inquisitionem ipsorum: vt tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne fortè per leue compendium ad graue dispendium veniatur, sicut accusationem legitima debet præcedere h inscriptio, sic & denunciationem i charitatiua monitio, & inquisitionem k clamosa insinuatio præuenire: illo semper adhibito moderamine, vt iuxta formam iudicij sententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum; quæ (cùm causa requirit) faciliùs, & liberiùs à suis possunt administrationibus amoueri.

NOTÆ.

a *Generali.*] Lateranensi videlicet celebrato sub In-
1 nocentio III. *c.* 8. vbi reperitur textus hic, & in
quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 4. De hoc Concilio non-
nulla notaui *in c.* 1. *de Summa Trinit.*

b *Distinximus*] *In c. qualiter, hoc tit.* vbi extant priora
verba huius textus vsque ad *§ Debet.*

c *Maleuolis.*] Quæ diffamatio debet esse apud probos
2 & honestos viros, *c. cùm inter* 12 *de purgat. canonic.* Nec
tunc obstat textus *in c. cùm in iuuentute* 15. *de præsumpt.*
vbi etsi constabat diffamationem Episcopi à maleuolis,
& improbis hominibus initium habuisse, adhuc ad in-
quisitionem contra ipsum processum fuit; quia distin-
guendum est cum Henrico Boic. *ibi*, & Abbate *num.* 2.
inter inquisitionem, quæ fit ad punitionem delicti, ad
quam procedi non potest, si diffamatio ab improbis ho-
minibus originem duxit; & inter eam, quæ fit vt con-
ster, an ipsa diffamatio à maleuolis orta fuerit: hæc se-
cunda omni casu fieri potest; prima verò non nisi præce-
dente diffamatione apud probos viros.

d *Senioribus.*] Quamuis potestas inquirendi, corri-
3 gendi, & puniendi subditorum excessus primò & princi-
paliter ad Episcopos spectet, illam tamen de iure anti-
quo soli per se exercere non poterant, sed insimul senio-
rum, siue clericorum suorum debent consensum, seu
consilium adhibere: quod primum statutum legitur in
Concil. Carth. 4. *can.* 23. ibi: *Vt Episcopus nullius causam
audiat absque præsentia clericorum suorum, alioquin irrita
erit sententia Episcopi, nisi clericorum præsentia confirme-
tur.* Quem retulit Gratianus *in c. Episcopus*, 15 *q.* 7. quod
rectè statuerunt PP. ne quis fortè dum ab vno iudicare-
tur, non auctoritate canonica, sed potiùs tyrannica pote-
state indiscussus opprimeretur: quam rationem expressit
Concil. Hispal. 2. *can.* 6. in illis verbis: *Vt iuxta priscorum
PP. Synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilij exa-
mine quemlibet Presbyterum, vel Diaconum deijcere audeat;
nam multi sunt, qui indiscussos potestate tyrannica, non au-
ctoritate canonica damnant.* Extat *in c.* 1. 15. *q.* 7. Quid autē
per illa verba, *absque præsentia suorum clericorum*, in Cō-
cil. Carthag. significetur, exponendum est. Duarenus *lib.*
1. *de sacris, c.* 12 existimauit, clericorum nomine Episco-
pos comprehendi, qui Synodi causa quotannis conuo-
cabantur, iuxta tradita suprà *in c. sicut olim*. Sed veriùs
credo, per illa verba Capitulum, seu Canonicos ipsius

Ecclesiæ significari: quod mihi probat D. Hieronymus *ad Rusticum*, cuius fragmentum extat *in c. Ecclesia*, 16. *quæst.* 1. vbi de Capitulo, seu Canonicis agens, presbyteros suos vocat, quemadmodum & Concilium Carthaginense clericos suos. Verba Hieronymi sunt: *Ecclesia habet Senatum, cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Roboam filius Salomonis ideò perdidit Regnum, quia noluit audire presbyteros suos. Senatum quoque Romani habebant, cuius consilio cuncta agebantur: & nos habemus Senatum nostrum, cœtum presbyterorum.* Hoc etiam Concilij Carthag. statutum firmarunt subsequentes Pontifices. D. Gregorius scribens Ioanni Episcopo Panormit. *lib* 11 *epist* 49 cuius fragmentum extat *in cap. si quid verò*, 86. *dist.* & postea repetitum *in cap. si quid verò* 15 *q.* 7. ibi: *Si quid verò de quocunque clerico ad aures tuas peruenerit, quod te iustè possit offendere, facilè non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita, sed præsentibus senioribus Ecclesiæ suæ est veritas perscrutanda; & tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpā feriat delinquentis.* Vbi quid significent illa verba, *præsentibus senioribus*, non constat apud Interpretes. Glossa verbo *Ecclesię, in d. c. si quod.* existimauit, seniorum nomine in eo textu Episcopos suffraganeos significari, ideò quia epistola illa missa est Ioanni Panormit. Præsuli, qui Archiepiscopus erat Corinthiorum, & ita suffraganeos sub se habebat. Glossam sequitur Turriscremata *ibi, §. 3 dicitur* Aliter ea verba accipit Duarenus *lib.* 1. *de sacris Ecclesiæ, c.* 7 scilicet de presbyteris propriæ Ecclesiæ, seu de Capitulo. Quasi dicat Gregorius, non posse Episcopum sine capituli consensu procedere ad inquisitionem, siue vindictam criminis in clerico. Quam explicationem magis probasse videtur Innoc. 3. in pręsenti, & *in c. Licèt, de simonia*, in illis verbis: *Sed coram Ecclesię senioribus diligenter est veritas perscrutanda.* Vbi dum ijsdem verbis Gregorij vtitur Innocentius, verba illa *senioribus*, de presbyteris intelligit, non de Episcopis. Ego vtramque expositionem admitto pro temporum varietate, & iuxta sæculum Gregorij primam veriorem credo, namque seniorum nomine non tantùm Episcopi, verùm & presbyteri significantur, quia vt inquit D. Isidorus relatus *in cap. cleros, §. presbyter*, Gręcè presbyter, Latinè senior interpretatur: vnde D. Gregorius non tam de capitulo accipiendus est, quàm de Concilio, quod quotannis Episcopi celebrabant; nam cùm loqua-

Digitized by Google

loquatur de clerico damnando, vt constat ex illis verbis, *De quocunque clerico*; necessariò accipiendus est de Concilio, siquidem eo tempore clerici non à proprijs Episcopis, & Capitulo damnabantur, sed potiùs in Concilio Episcoporum, vt constat ex Concilio Hispalensi 2. *can.6* ibi: *Sexta actione comperimus, Fragitanum Cordubensis Ecclesiæ presbyterum iniustè olim à Pontifice suo deiectum.* Et infrà: *Decreuimus, vt iuxta priscorum Patrum synodalem sententiam nullus nostrum sine Concilij examine quemlibet presbyterum, vel diaconũ deijcere audeat.* Conc. Carthag.2.*can.*10 Carthag.3.*can.*8.& si corrigendus erat Abbas, certum Abbatum numerum Episcopus adhibere debebat, *c.si quis Abbas* 18.*q.*2.*c. in ordinatione*, 61.*dist.* sed postquam modus ille cognoscendi de clericis in Concilio inualuit, præsentia verba, *de senioribus Ecclesiæ*, accipienda sunt de Canonicis ipsius Capituli, vt *in d. c. Heli, de simonia.*

4 e *Is contra quem.*] Consonat textus *in c. absente* 8. 3. *quæst* 9 *c.*2.8.*quæst.*9.*cap.*4.3. *q.*9. & alij congesti ab Ant. Augustino *lib.*3.*epit. iur. tit.*17. Consonat lex 12.*tit.*15. *part.*3. Illustrat Parexa *de instrum.edit. tit.*2.*fol.*90.

5 f *Contumaciam.*] Quia tunc etiam absens damnari potest, *can.*74. *Apostol. cap.*4. *de præsumpt.* Felix Papa II. in Synodo Romana *epist.*1.*cap.*8. ibi: *Nec à communione prohibeantur accusatus, nisi ad electorum iudicium canonicè conuocatus, infra tres, aut sex, vel plures menses pro suis rationem redditurus venire distulerit.* Refert Ant. Augustin. *in epit. lib.*30.*tit.*18.

6 g *Publicanda.*] *Cap. inquisitionis officium, hoc tit.* nec est cur hæc verba tantùm exaudiamus de Episcopo, de cuius vita inquiritur, vt voluit Cuiac. *lib.*22. *obs. c.*25. nam in quolibet priuato, contra quem proceditur per inquisitionem, idem obseruatur, *d.c.inquisitioni*, *hoc tit.* vbi notaui, verbo *Nomina.*

h *Inscriptio.*] Iuxta tradita *in c.super his, hoc tit.*

i *Charitatiua monitio.*] Vt probaui *in c.* 4. *hoc tit.*

k *Clamosa insinuatio.*] Id est diffamatio, iuxta tradita *in cap.inquisitionis, hoc tit.*

C A P V T XXV.

Idem a *in Concil. Later.*

SIcut olim à sanctis Patribus noscitur institutum, Metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis prouincialia non omittant Concilia celebrare, in quibus de corrigendis excessibus, ac moribus *b* reformandis, præsertim in Clero, diligenter habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, maximè quæ statutæ sunt in hoc generali Concilio, *c* relegentes, vt eas faciant obseruari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Vt autem id valeat efficaciùs adimpleri, per singulas diœceses statuant *d* personas idoneas, prouidas videlicet, & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano, absque vlla iurisdictione solicitè inuestigent quæ correctione, vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad Metropolitanum, & Suffraganeos, & alios in Concilio subsequenti, vt super his, & alijs (prout vtilitati, & honestati congruerit) prouida deliberatione procedant, & quæ statuerint, faciant obseruari, publicaturi ea in Episcopalibus Synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, à sui executione officij suspendatur.

N O T Æ.

a IDem.] Concil. videlicet Generali Lateranensi celebrato sub Innocentio III. vbi reperiuntur verba huius textus *in cap.6.* & etiam extant in quarta collectione, *sub hoc tit.cap.5.*

1 b *Reformandis.*] In his etiam Concilijs Prouincialibus olim de causis Episcoporum, & eorum excessibus agebatur, vt latè probat Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imperij, lib.7. ferè per totum*, & notaui *in c.*1.*de iudicijs:* & querelæ, atque accusationes contra ecclesiasticos iudices, ac posteriores laicos audiebantur. Leo I. *epist.* 82.*ad Anastasium*, relatus *in c.de Concilijs*, 18.*dist.* Concil. Tolet.4.*can.*3. ibi: *Omnes autem, qui causas aduersus Episcopos, ac potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrant, vt quæcunque examine synodali à quibuslibet prauè vsurpata inueniuntur, Regis executore instante, iustissimè his, quibus iura sunt, reformentur.* Grauiores autem quęstiones, veluti de fide, Sacramentis, & similes, in his Concilijs tractari nequeunt absque Romani Pontificis auctoritate, vel eius Legati præsentia, *c. Concilia* 9. 17. *dist.* probant latè Thomasius *de Concil.prouinc.* P.Marcha *lib.6.concord.Sacerd. & Imp. capite* 13.

2 c *Relegentes.*] Consonant Concil. Tolet.4. *in Decret. de reform.Concil.* ibi: *Diaconus alba indutus codicem canonum in medium proferens, capitula de agendis Concilijs pronunciet.* Brachar.1. *Relecti canones veterum, qui ad instructionem clericalis disciplinæ pertinent.* Magunt. sub Rabano: *In vna turma resederunt Episcopi cum quibusdam notarijs, legentes, atque perscrutantes sanctum Euangelium, necnon epistolas, & actus Apostolorum, canones quoque, ac diuersa sanctorum Patrum opuscula.* Vt ita faciliùs obseruentur, & contraria consuetudo, seu præscriptio contra eos intendi non possit. Et quia per iteratam lectionem legum faciliùs ipsę percipiuntur, & memoria retinentur. Vnde in Concilio Matiscon.1.*can.*9. cauetur, vt durante ieiunio S. Martini legantur canones, quibus leges de disciplina sanciuntur: & in Concil. Cabilon. sub Leone III. *c.*37. ita statuitur: *Cùm omnia Concilia canonum, quæ recipiuntur, sint à sacerdotibus legenda, & intelligenda, ac per ea sit eis viuendum, & prædicandum, necessarium duximus, vt ea quæ ad fidem pertinent, & vbi de extirpandis vitijs, ac plantandis virtutibus scribitur, hoc ab eis retrò legatur, ac bene intelligatur.* Inde in monasterijs sæpe sępiùs legitur regula, sub qua monachi degunt, iuxta Concil. Aquisgran. *can.*123. *Quotidie ad collationem veniant, vnde & hanc instructionem, & aliarum scripturarum sanctarum perlegant.* Ac Sanctus Augustinus in sua regula, *c.vlt.* iussit, *ne quid per obliuionem negligatur, semel in septimana legatur.* Faciunt textus *in c.*1.*de locato, c.quoniã* 40.*de simon.*

3 d *Personas.*] Testes synodales exponit Glossa in præsenti, nec malè, de quibus, & eorum officio egi *in c. præterea, de testibus cog.* Etiam pro his personis intelligi possunt visitatores, de quibus D. Gregorius *lib.* 3. *epist.*2.*ad Maximian.Siracus.Episcopum*, agit his verbis: *Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui cum ipsis per non suæ ciuitatis parœcias fatigantur, aliquod laboris sui capiant, te disponente, subsidium.* Ioannes II. R. Pontifex *epist.* 3. *ad Episcopos Galliæ.* In Ecclesia Orientali dicuntur Periodeutæ, seu circuitores. Synod. Laodic. relata *in c. non de his*, 80.*dist.* in cuius scholijs ait Balsamon: *Præsens canon iubet fieri Periodeutas, & non Episcopos, ne dignitas Episcopi vilis, & contempta euadat. Sunt autem Periodeutæ qui hodie ab Episcopis promouentur exarchi. Hi enim circumcursant, & delicta spiritualia obseruant, & fideles perficiunt.* Illi subscripserunt Zonaras, & Iustel. *in eo canone*, Heraldus *lib.*2.*de auctorit.rei iudic. c.*15.

COMMENTARIVM.

4 EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Singulis annis est celebrandum Concilium Prouinciale pro moribus, & excessibus corrigendis.* Probant eam textus *in can.*38.*Apostol.c.habeatur, c.seruetur*, & ferè *per totam* 18.*dist.c.peruenit*, 18.*dist.c.placuit, de consecr. dist.*3. Anaclet.I. *epist.*1. Concil. Nicæn.1.*can.*5. ibi: *Placuit autem annis singulis per vnamquamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter simul omnibus Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones.* Antiochen.1. sub Iul.*can.*20. Carthag.3.*can.*2. Hipponense *can.*8. Rhegiense *can.*7. Agathense *can.*1. & 71. Aurel. 3.*can.*1. ibi: *Vnusquisque Metropolitanus in prouincia sua cum prouincialibus suis singulis annis synodale debeat opor-*

Conclusio traditur, & probatur.

portuno tempore habere Concilium. Aurel. 4. *can*. 37. Aurel. 5. *can*. 18. & 22. Turon. 2. *can*. 10. Tolet. 3. *can*. 18. Tolet. 4. *can*. 3. Tolet. 11. *can*. 15. Tolet. 12. *can*. 12. Synodus 6. Constantin. *can*. 8. Synodus 8. *can*. 4. Parif. 3. *lib*. 1. *c*. 26. Lateran. sub Leone X. *seß*. 10. Ratisbon. *can*. 26. Arausic. 1 *can*. 29. Diuus Gregorius *lib*. 2. *epist*. 110. ibi: *Et quidem, quia de habendo bis in anno Concilio Patrum sit regulis statutum, non latet: sed ne aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel saltem sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut expectatione Concilij nihil prauum, nihil præsumatur illicitum*. Meldense anno 845. *can*. 2. *Ut Principes iuxta decreta canonum per singulas prouincias saltem bis, aut semel in anno à Metropolitanis, & diœcesanis Episcopis synodicè conuenire concedant*. Synodus Trull. *can*. 8 Nicæna 2. *can*. 6. Trid. *seß*. 24. *de reform*. *c*. 2. Palent. anno 1322. *can*. 1. *Ut Metropolitani cum suffraganeis suis annis singulis prouincialia celebrare Concilia non omittant*. Tolet. anni 1473 *can*. 1. *Canonum institutis sancitum nouimus ab antiquo per Metropolitanos Antistites cũ suis suffraganeis prouincialia Concilia debere celebrari*. Tullense parte ult. *c*. 7. Suessionense sub Pipino: Nouel. 123. Iustin. alia iuris testimonia congessit Crespetius *in summa*, *verbo Concilium*. Illustrant Ant. August. *lib*. 5. *tit*. 30. Petrus Marcha *in concord. Sacerd. & Imper. lib*. 6. *c*. 13. Vighel. *in method. iuris Pontif. fol*. 497. Thomasius de Concil. Prouinc. *fol*. 79. Paulus Idumay *in notis ad Innoc. III. lib*. 2. *epist*. 45. Coriolan. *in can*. 38 *Apost*. Lantdmeter. *lib*. 2. *de veteri cler*. *c*. 104. Balsamon *in can*. 71. *Synod. Carthag*. Iustelus *in can*. 8. *Ecclesiæ Afric*. Viuar *in Marc. Max. anno* 531 Cuiac. *in c. graue, de præb* Cresolius *lib*. 3. *mystag*. *c*. 40. Duarenus *lib*. 1. *de sacris Eccles*. *c*. 11. Moneta *de commut*. *c*. 5. *num*. 16. Cironius *ad tit. de his quæ fiunt à Prælat*. I. Dartis *ad Decret. dist* 15. Cellotius *de hierarch. lib*. 5. *cap*. 11. *§. vnic*. Hallierius *eod. tract. fol* 484 Bellarm. *tom* 2. *controu. lib*. 1. *cap*. 4. Azor. 2. *tom. institut. lib*. 5. *cap*. 18. Turrianus *lib*. 1. *pro canonib. cap*. 10. Besoldus *tom*. 1. *polit. de maiest. cap*. 5. Ant. Perez *in Pentat. fidei, cap* 6 *de Concilijs*, Solorzanus *tom*. 2. *de iure Indiar. lib*. 3. *cap*. 7. *num*. 39 Altesserra *hic*.

5 *Impugnatur tradita assertio*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Non solùm iniusta, verùm & superflua videtur præsens constitutio. Iniusta ex eo, nam Metropolitanus non potest de causis subditorum suffraganeorum primò & in prima instantia cognoscere, aut in eos propter excessus commissos animaduertere, *c. pastoralis*, vbi probaui, *de offic. Ordin*. ergo nec in Concil. Prouinciali singulis annis celebrando potest de eisdem causis cognoscere Superflua etiam apparet præsens constitutio ex eo, quia Episcopi tenentur quotannis diœcesim propriam visitare, *cap. cùm Apostolus*, vbi probaui, *de censibus*; & Archiepiscopus etiam quotannis, vel quoties potuerit, *cap. cùm Romana*, *eod. tit. lib*. 6. Igitur cùm tunc possint tam Episcopi, quàm Metropolitani excessus corrigere, & mores reformare, frustra desideratur, vt quotannis omnes Episcopi vnius Prouinciæ cum suo Metropolitano conueniant ad eosdem excessus corrigendos, cum magno ouium dispendio, propter Pastorum absentiam; necnon ipsorum Prælatorum incommodo & expensis.

6 *Concil. etymon, & diuisio*

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, Concilium præter etymologiam D. Isidori *in cap. canones*, *§. Synodus*, 15. *dist*. dici à concalando, idest conuocando, vt inquit Festus Pomp. iuxta illud Virgilij:

Conciliumque vocat Diuum Pater, atque hominum Rex. Illustrant Polletus *lib*. 5. *hist*. *cap*. 13. Beyerlinch *in theatr. vitæ hum. tom*. 2. *verbo Concilium*. Non est quæuis populi, aut Patrum congregatio, sed ea dumtaxat, quæ à magistratu, vel Sacerdote per publicum ministrum legitimè fit. Sunt qui morem indicendi & celebrandi Concilia repetant à Romanis, qui tam Romæ, quàm in Prouincijs hyemis tempore quo militiam exercere nequibant, iuri dicundo vacabant, locum, & tempus designantes ad lites decidendas, & causas peragendas: hoc erat apud illos conuentus agere, vt probant Festus Pompeius, & Theophil. *in §. eadem, Instit. ex quib. caus. maior*. ibi: *Concilium est consessus certorum virorum, statis annis, & diebus coeuntium*. Hinc dicitur Concilium *in l*. 1. *C. de vind. libert*. Illustrat Georg. Amb. *ad Tertul. de ieiunijs*, *c*. 13. *obseru*. 5. Hęc Conciliorum origo placuit nonnullis: sed certè Concilia nostra altiorem originem præseferunt; siquidem eorum sacrum vsum legimus obumbrátum *Deuteron*. *c*. 17. in illis verbis: *Si difficile, & ambiguum*, &c. à Christo Domino indicatum in casu relato *Matthæi cap*. 6. *Marc*. 8. *Lucæ* 9. ibi: *Venit Iesus in partes*, &c. vt notauit Baronius *tom*. 1. *anno* 35. *n*. 11. & commendatum apud Matthæum *c*. 18. ibi: *Si duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo*, &c. quę verba de Concilijs esse accipienda decreuit Synodus Chalced. *in epist. ad Ioannem*, & docuit Innoc. Papa *in c. de quibus*, 20. *dist*. Illustrant Fr. Ant. Perez *in Pent. fidei, tract. de Concil. c*. 2 Carrier. *to*. 2. *digest. fidei, tit*. 36 *de Conc*. Conrad. Kling. *lib*. 3. *disput. cap*. 23. Cabassutius *in not. Concil.* Christ. Lupus *ad can. Concil. Nicæni*. Deinde sciendum est, quatuor esse Conciliorum genera. Primum est Conciliorum generalium, cùm Concilium totius orbis, ex omnibus videlicet prouincijs, & diœcesibus, tam Orientis, quàm Occidentis celebratur, quod ideò dicitur græcè œcumenicum ab œcumene, quod significat vniuersum terrarum orbem: quo etiam nomine Romanum Imperium apud Grecos, Latinosque scriptores significari planum est. Sic Sanctus Lucas de descriptione Imperij Romani ab Augusto imperata loquens ait: *Prodijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*. Illustrat Iustel. *in notis ad canones Eccles. Afric. can*. 85. Oecumenicæ autem Synodi, non nisi ex grauissimis hæresibus, quæ maximam partem peruaserint, conuocantur, & tantùm auctoritate Romani Pontificis. Roussel. *lib*. 3. *hist. iurisd. Pont. c*. 2. & 3. pluribus relatis Valenzuela *contra Venetos par*. 6. *ex n*. 1. de quorum auctoritate, necessitate, & infallibilitate, latè agunt Coriolanus *in summa Concil. in præludijs*, Iacobatius *de Concilijs*, Bellarminus *lib*. 1. *controu. integr. tract. de Concilijs*, Ioannes Dartis *in* 15. *dist*. vbi refert, omnia Concilia generalia hucusque in Ecclesia celebrata. Et an Concilium generale sit supra Pontificem, exposui *in c*. 4. *de elect*. Secundum genus est Conciliorum, quæ vel Primates, vel Patriarchæ conuocant ex Metropolitanis, quod nationale dici potest, ex omnibus prouincijs vnius nationis, seu regni. Illud Conciliũ maiorem Synodum Episcoporum dixerunt Patres Synodi Antioch. *can*. 91. ibi: *Maiorem Synodum Episcoporum*. Constantinop. 1. *can*. 169 ibi: *Maiorem Synodum Episcoporum vniuscuiusque diœceseos*. Turonensis celebratæ anno 567. In Matiscon. *can*. 9. & 20 dicitur generale Concilium, & vniuersale. Dicitur & Synodus plenaria in Concil. Carthag. *can*. 38. & Possidonius in vita sancti Augustini, *c*. 8. Hipponense Concilium, plenarium totius Africę appellat. Huius generis plurima reperiuntur Concilia in tomis Conciliorum, ex diœcesibus, seu nationibus celebrata, veluti Antiochensia ex diœcesi Orientis; Romana ex diœcesi vrbis Romę; Aquileiensia ex diœcesi Italię; Gallicana ex diœcesi Galliarum; Toletana ex diœcesi Hispaniarum; Africana, seu Carthaginensia ex diœcesi Africæ. Ea notione Conciliũ vniuersale pro Synodo diœceseos Galliarum accipitur in canone 20. Concil. Matiscon. 2. sub Patriarcha Lugdunensi celebrati. P. Marcha *lib*. 6. *concord*. *c*. 21. Simili loquutione Concilia Toletana vniuersalia, & generalia vocantur. Concil. Tolet. 3. *can*. 18 ibi: *Præcipit hæc sancta, & vniuersalis Synodus*. Tolet. 4. in exordio: *Quoniam Concilium generale agimus*: & *can*. 3. *Si fidei causa est, aut qualibet alia Ecclesiæ communis, generalis totius Hispaniæ, & Galiciæ Synodus conuocetur: si verò nec de fide, nec de communi Ecclesiæ vtilitate tractabitur, speciale erit Concilium vniuscuiusque prouinciæ, vbi Metropolitanus elegerit, peragendum*. Et Tolet. 5 *can*. 2. 3. & 6. & Tolet. 4. Vniuersalis Synodus nominatur *in can*. 7. ibi: *Vt in omni Concilio Episcoporum Hispaniæ vniuersalis Concilij decretum, quod propter Principum nostrorum salutem est constitutum, in Synodo publica voce debeat pronunciari*. Leo I. R. P. *epist*. 93. *ad Turibium Episcopum Asturicensem*, *c*. 17. *Habetur ergo apud vos Episcopale Conciliũ; ad eum locum, qui omnibus opportunus sit, vicinarum prouinciarum conueniant sacerdotes*. Et paulò post: *Dedimus litteras ad fratres & Coepiscopos nostros Tarraconenses, Carthaginenses, Lusitanos, atque Gallæcos, eisque Conciliũ Synodi generalis indiximus. Si autem aliquid obstiterit, quominus possit celebrari Generale Concilium Galleciæ, saltem in vnum conueniant Sacerdotes, quo citiùs vel prouinciali conuentu remedium tantis vulneribus afferatur*. Notarunt Filesacus *in c. irrefragabili* 13. *§*. 1. *de offic. ordin*. Iustel. *in c*. 85 *Eccles. Afric*.

Tertium Concilium prouinciale est, quod à Metropolitano ex Episcopis suæ prouinciæ congregatur ad vtilitatem prouincię, ad causas Episcoporum dirimendas: & dicitur perfecta Synodus in Concil. Antioch. *can*. 16. & 7 *De alijs Concilij.*

17. ibi:

17.ibi: *Sit autem illa perfecta Synodus, cui quoque vnà adest Metropolitanus*. Integrum Concilium vocatur in eadem Synodo, *can.16*.apud Burchardum *lib.1.cap.39*.Synodus plenaria dicitur ab Innoc. I Pontificale Concilium à Sidonio *lib.4. epist.24*. vbi notauit Sauarus. Quæ Concilia prouincilia dicuntur celebrari cum Episcopis ab Hincmaro Rhemensi *in commonit. ad Ludouicum Germaniæ Regem, cap.7.* ibi: *Vt temporibus à sacris regulis constitutis comprouinciales Synodos cum Episcopis, & speciales cum presbyteris*. Concilij prouincialis origo repetenda est à temporibus Apostolorum; nam in ipsorum actis legitur Paulum Miletum conuocasse omnes Ephesinę prouincię maiores natu: vbi Vuaidensis *lib.2. doctrinæ fidei, art.2.quæst.27* formam Concilij prouincialis inesse arbitratur, & maiores natu fuisse Episcopos, ex Trident. *sess. 23 cap.4*.probat Cellotius *lib.4. de Ecclesiast. hierarch cap 11*. Vltima Synodus est diœcesana, idest proprij Episcopi, quæ appellatur Synodus Episcopalis *in cap.2 38.dist.* Episcopi Concilium, in Concilio Vernensi *can.8*. Diœcesis Synodus *in l.13. C. Theodos. de Episc. & Cleric.* ibi: *Qui mos est causarum ciuilium, idem in negotijs ecclesiasticis obseruandus est, vt si qua sint, ex quibusdam dissensionibus, leuibusque delictis ad religionis obseruantiam pertinentia, locis suis, & suę diœceseos Synodis audiantur*. Ad quod venire tenentur Abbates. Concil. Altissiod. *can.7*. & monachi, qui Ecclesias Parochiales regunt. Synodus Magunt. sub Rabano *can.14*. Dicitur etiam specialis Synodus cum presbyteris habita ab Hincmaro *d.c.7*. Appellatur & ciuile Concilium ab Hadriano Papa *epist.13*. quam nomenclaturam illustrat Dartis *in d.15.dist pag.52*. originem Synodi diœcesanæ repetit à Sancto Iacobo Cellotius *d. lib.4. c.6*. Celebrabatur olim singulis annis ante dies Quadragesimæ, *c. habeatur 3. dist.18*. Illustrat Iuretus *in notis ad epist.61. Iuonis*.

8 *De Concilio prouinciali.* Sed vt ad Concilium prouinciale, de quo in præsenti agitur, disputationem contrahamus, sciendum est, bis in anno celebrandum esse, ex præcepto Apostolorum relato *in can.38*.ibi: *Bis in anno Episcoporum Concilia celebrētur, & inter se inuicem dogmata pietatis explorent, & emergentes ecclesiasticas contentiones amoueant, semel quidem septimana quarta Pentecostes: secundò 12. die mensis Hiperberei*, quem Octobrem dicimus. A Dionysio verò, Burchardo, & Iuone dum refertur canon hic, dicitur Idibus Octobris, vt notant Romani correctores *in can.4.dist. 18* vbi monent, non conuenire Latinorum menses cum Græcis; nam Idus Octobris sunt die 15. non 12. Alciatus *lib.1. Parerg. c.47* Eandem sanctionem firmarunt Synodus Antioch. *can.20*. vbi ait: *Rectè haberi, quod in singulis prouincijs bis quoquo anno Concilia habeantur*. Nicæna *can.5. Visum est bene habere, vt bis per vnamquamque prouinciam singulis annis concilia habeantur*. Vbi refertur, & approbatur vsus hic celebrandi Concilia; non autem nouiter statuitur, cùm ex traditione Apostolorum iam vsus hic inualuisset. Facit Tertul. *lib. de ieiunio*, ibi: *Aguntur pręcepta per Gręcias illas certis in locis Concilia*. Quē contra Magdeburgenses rectè expendit Turrianus *lib.1. pro canonibus Apost. c.10*. Leo Mag. *in c. de Concil.18. dist.* Patres Concilij Antioch. *in c.14.18.dist*. Chalced. *can.19. in c. 6. ead. dist* Regiensis *can.8*. Vernensis *can.4*. Sed postea id mutari cœpit ex iustis causis in diuersis prouincijs: in Ecclesia Orientali, canone 8. Synodi Trullanę ita cautum fuit: *Quoniā autē propter aliquas barbarorū incursiones, & quasdam alias incidentes causas non possunt, qui Ecclesijs president, Synodos bis in anno facere, visum est vt omninò semel in anno fiant*. Quod firmatū fuit in septima Synodo relata *in can.7. dist 18*. & Hilarius Papa Episcopis Gallię scribens, *epist.8*. ait: *Per annos singulos ex prouincijs, quibus potuerit congregari, habeatur Episcopale Conciliū*. Firmarunt etiam D. Gregor. *lib.7. epist.112*. Hormisdas I *epist.4. ad Episcopos Hispaniæ*, vbi *cap.3.* ita scribit: *Si verò temporum necessitates, aut emergentes causæ hoc non patiantur impleri, semel saltem, quamuis non licuerit, sine vlla excusatione præcipimus conuenire*. Idem cautum fuit in Concilio Suession. *can.2*. Tolet. *3. can. 18*. Turon. *2. can.1*. Postquam autem præscriptum fuit, vt semel in anno celebrarentur Concilia prouincialia, tempus eorum definitū fuit à Paschatis festo vsque ad finem Octobris, vt legitur *in d. can.8 Synodi Trul.* Tandem Concilijs Matiscon. *2. can.20*. Later. sub Leone *sess.10*. & Trident. *sess.24. de reformatione, cap.1*. tempus hoc ad triennium protractum fuit: & quia iam à tempore Concilij Chalcedonensis Concilia prouincialia celebrari desierant, ex causis, quas refert P. Marcha *d. cap.1*. ideò præsenti canone Concilij Lateran eorum vsus restituitur. Conuocabantur autem ad has Synodos Episcopi per epistolas Metropolitani. Concil. Agathense *cap.35. cap.1. & per tot. dist.18. c. si Episcopus, 27. dist.* Quaranta *in Summa, verbo Archiep.* & *Concil. Prouinciale*. Vnde dicuntur vocari in Concilio Laodic. *c.40*. & refertur *can.20 Concilij Antiocheni*: & refertur *dicto can.4. dist.18*. monebantur autem per epistolas, quæ dicebantur tractoriæ, D. Augustinus *epist. 15. Tractoria ad me denuò idibus Nouembris venit*. Et deinceps, vbi vocat epistolam tractoriam: & in libro post collationem contra Donatist. *cap.24. A Primate suo per tractoriam sunt euocati*. Et Constantinus epistola, qua scribit, vt Cæcilianus, & accusatores eius ad Concilium Arelatense primò pergant, & conueniant, mandat Ablauio, vt singulis Episcopis singulas tractorias tribuat, vt ipsi ad supradictum locum intra diem Kalendarum Augustarum possint peruenire: & tractorię erant sigillo roboratę, & dabant auctoritatem conueniendi ministros Reipublicę, vel Ecclesiæ, vt ab eis auxilium, vel victum peterent, quod colligitur ex Synodo Meldensi *c.71. Vt auctoritatē sigillo Regio roboratam more tractorię Christianissimus Princeps singulis daret Episcopis, quam quisque Episcoporum penes se haberet, vt quando ei necesse fuerit, per eandem auctoritatem Reipublicę ministros conueniat, vt ipsi in quibuscunque ciuili indiguerint auditorio, Reipublicæ Ministris concurrentibus, suum, immò possint diuinum ritè peragere ministerium*. De quibus tractorijs egi *in c.1. de officio Ordin.* Et Episcopi ita vocati venire tenentur, aut Legatum mittere, *c.9.18.dist*. Concil. Arelatense *2. can.18*. Agathense *can.35*. Tarracon. *can.13* Aurelian. *can.2*. Vasion. *can.29*. quę & alia congessit Hallier *de hierarch. lib.4 art.1. in fine*: & hoc est, quod *in c.10. dist.18*. dicitur *excusationes suas litteratoriè conscribere*. Ita enim legendum est, non *tractoriè*, vt notauit Dartis *in d.15.dist.* aliàs excommunicantur, *c.12 13 & 14 dist.18*. Vocantur etiam Parochi, & Abbates, *c. Hadrianus, el 2 63. dist. c. ex ore, de priuil.* Concil. Altissiod. *d. c.7*. & priuati laici, vt retuli in Concil. Illib. *lib.1. c.8*. vbi de forma celebrandi Concilij, & ordine subscribendi in eo egi. Tandem sciendum est, Concilia prouincialia in Ecclesia celebrari, primò ad extirpandas hæreses pullulantes; secundò ad ecclesiasticorum canonum conseruationem. Vnde Concilia hæc de Gentilium tyrannide triumpharunt ecclesiasticam disciplinam stabiliendo, vt constat ex Concilijs Illiberit. Neocæsar. Laodic. & similibus. Olim etiam de Episcoporum electione & consecratione, si qua erat Ecclesia vacans, agebatur: & de excessibus Episcoporum cognoscebatur, quia vetitum erat ab Hadriano *c. 5.* ne vllus Metropolitanus Episcopus absque cæterorum omnium comprouincialium Episcoporum præsentia eorum causas audiret: notaui *in c.1. de iudicijs*: & ea Concilia confirmabantur per Pontificem, vel tacitè, vel expressè, *c. de libellis, 15 dist.* vt varijs exemplis probat Cellotius *d. c.11. ad finem*.

His suppositis apparet ratio pręsentis assertionis; nam cùm Concilia prouincialia iam à temporibus Apostolorum in Ecclesia vsitata negligerentur, & rarò, aut nunquam Metropolitanus in vita sua Concilium prouinciale celebraret; ideò veteres Ecclesiæ sanctiones Patres Concilij Lateran. in præsenti renouantes rectè sanxerunt, quotannis esse Concilium prouinciale à Metropolitano celebrandum, iuxta veteres canones. Accedunt rationes, ob quas Concilia hæc ita frequenter celebrari debent, quas refert Baronius anno 257 *num.12*. Prima, vt agnoscatur, quomodo Episcopi in suo munere exercendo se gerant, & suæ villicationis rationem reddant, vt exprimitur in Concil. Trident. *sess.23. de reform. c.5*. & defectus emendentur, prout innuitur *in c. quapropter, dist.18*. & *sess.24. de reform. c.18*. vbi præcipitur, vt defectus in Concilijs prouincialibus proponantur. Secundò, vt decreta Pontificia relegantur, ne obliuione transgredi possint, vt notaui suprà, verbo *relegentes*. Tertia, quia hæreses facilè pullulant, si Concilia non celebrentur: pręcipua enim causa, quare in Anglia, Scotia, Belgio, & alijs nationibus hęc maxima pestis serpsit, fuit quia Metropolitani ab his Concilijs ineundis cassauere, prout deplorat Anastasius Constantinop. *epist.2*. his verbis: *Si assiduè ea celebrentur, reformationem Ecclesiæ causabunt, & hæreses extirpabuntur; ipsa autem continuè celebrata* 9 *Traditur decidendi ratio.*

brata nascentes hæreses statim, & breuiter extirpabunt: quę si per aliquod tempus dissimulantur, sumptis viribus difficilè destruentur. Concilia ergo prouincialia sunt sæpe congreganda, vt necessitatibus Ecclesiæ subueniatur, necnon mores praui corrigantur: nam vt ait Victoria *in relect. de potestate Papę*, ab eo tempore, quo propter nouas opiniones DD. Pontifices cœperunt timere Concilia, Ecclesia manet, & manebit cum magna calamitate, & religionis pernicie. Vtilitatem, & necessitatē Concilij Prouincialis satis expresserunt PP. Concilij Paris. 1. *can. 26.* his verbis: *Quoniam si hęc Concilia semel in anno per vnamquamque prouinciam celebrata fuerint, & honos ecclesiasticus vires ordinis sui continebit, & impudentiam quorundam superborum clericorum, qui passim auctoritate canonica calcata, auribus Imperialibus molestiam ingerunt, cessabit; & impunitas diuersorum flagitiorum, quæ locum delitescendi nunc habet, non habebit, & alia multa, quæ hactenus secus quàm ecclesiastica disciplina docet, incesserunt, ordinem suum Domino auxiliante seruabunt.* Prosequitur alias rationes Coriolanus *in notis ad can. 38. Apost.* 10

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam ex huc usque traditis facilè apparet, iniustam non esse præsentem Concilij Lateran. constitutionem; nam si Archiepiscopus dum visitat prouinciam suam, potest cognoscere de subditis suffraganeorum suorum, & eorum excessus emendare, quantò magis in Concilijs cum Episcopis suffraganeis ad audiendas similes causas conuocatis. Nec obstat quod dicebamus, posse Episcopos, vel Archiepiscopum, dum visitant diœceses proprias, eas causas decidere, ac terminare; nam sunt plura negotia quæ ob eorum grauitatem debent tractari, & decidi in conuentu Episcoporum comprouincialium, præcipuè quia leges pro restauranda Ecclesiæ disciplina collapsa, ipsi per se facere non possunt; & in Concilio prouinciali vtiles, & salubres canones ad id eduntur, & aliqua statuuntur, quę in minori conuentu definiri non valent, vt suprà retuli; & ita valdè necessaria, vtiliaq; in Ecclesia esse Cōcilia hęc, latè probat Coriolanus *in pręl. ad summā in Conc.*

Dissoluitur dubitandi ratio.

CAPVT XXVI.

Gregorius IX. a *Archiepiscopo, & Priori* b *S. Mariæ Rhotomagensis.*

OLim I.V. & P. Ordinis c Tironensis. *Et infrà:* Ne igitur reformatio monasterij valeat retardari, mandamus quatenus relaxatis excommunicationum, seu suspensionum sententijs, si quas idem Abbas protulerit, vel per quoscumque iudices promulgari fecit, post inceptū negotiū in eos, & adhærentes eisdē, ac eis restitutis, quos idem Abbas negotio pendente contra iustitiam spoliauit, in negotio de plano, & absque iudiciorum strepitu procedentes (cùm talibus maximè in hoc casu non deceat Dei seruos inuolui) inquiratis quæ circa personas, & obseruantias regulares videritis inquirenda: corrigentes, & reformantes, tam in capite, quàm in membris, quę correctionis & reformationis officio noueritis indigere: iuramentis, si qua de tacenda veritate Abbas extorserit, relaxatis, prouiso vt negotio ipso pendente præfati monachi eidem Abbati obediant, & intendant; ita tamen, quod per hoc prosequutio negotij non valeat impediri. Si verò testes contra eundem Abbatem producti fuerint, dictorum ipsorum ei copiam dari faciatis. Prædictis autem monachis expensas facta propter hoc, & tribus, vel quatuor ex istis, vel alijs, quos idoneos ad dictum negotium prosequendum duxeritis assumendos, faciatis de bonis eiusdem monasterij; & faciendas expensas ad prosecutionem ipsius negotij necessarias, computatis, si qua propter hoc receperunt de bonis monasterij, cùm proprium non habeant, d ministrari: contradictores, &c.

NOTÆ.

1 a ARchiepiscopo.] Mauricio videlicet, qui antea fuerat Saiensis Episcopus, & postea Cenomanensis, & tandem decessit Rhotomagensis anno 1232. vt refert Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ.*

2 b *Priore sanctę Marię.*] In ipsa vrbe Rhotomag. est monasterium canonicorum regularium Sanctæ Mariæ, Ordinis D. Augustini, de quo Pennotus *lib. 2. canonic. regul. c. 34. n. 18.* cuius Priori in præsenti rescribit Gregorius.

3 c *Tiron.*] Alibi legitur *Turon*, alibi *Cisterc.* vt emendat Glossa marginalis: & legendum credo *Tironensis*. Tironense enim monasterium est Ordinis Cisterciensis, de cuius reformatione scripsit epistolam 31. Gregorius IX. in hæc verba: *Quatenus aduocatis vniuersis Abbatibus, & Prioribus sibi subiectis, infra festum omnium Sanctorum proximè venturum corrigeret, & reformaret, tam in monasterio Tironensi, quàm in membris ipsius, & cæteris ei subiectis.* De eo Manrique *tom. 4. annal. Cisterc. anno 1231. cap. 6. num. 9.*

d *Ministrari.*] Iuxta tradita supra *in c. ex parte 11.*

CAPVT XXVII.

Idem *Episcopo* a *Cisterc. & de Alde, & de* b *Salen. Abbatibus.*

PRælatorum excessus. *Et infrà:* Sanè dilecti filij C. & quatuor alij Canonici c Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigien. Episcopus bona sui Episcopatus (quem, vt dicunt, fuit minùs canonicè assequutus) adeò grauiter dilapidat, & consumit, quod (nisi celeriter adhibeatur remedium) Episcopatus idem per eum ad irreparabile dissolutionis opprobrium deducetur: nec solummodò rerum, verùm etiam famæ suæ prodigus, & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infrà:* Discr. v. mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis solicitè veritatem, & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem Episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus potestate d vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona ipsius Ecclesiæ, interim eidem penitus interdicta.

NOTÆ.

1 a CIsterc.] Rectè in margine emendatur *Cistr.* cùm in præsenti scribat Gregorius Cistrensi Episcopo, de qua diœcesi egi *in c. 2. de corpore vitiat.*

2 b *Salen*] Salen, seu Salo Salomonis, vulgò *Salmens-Veiler*, celeberrimum Cisterciensis Ordinis cœnobium est in Alemania, Constantiensis diœceseos: primùm à Guntrano Barone constructū anno 1134. deinde à Conrado, & Friderico primo Imperatoribus, & à Burchardo Archiepiscopo Salisburg. liberalissimè ditatum, vt refert Bucelinus *Germaniæ sacræ part. 2. fol. 78*

c *Frisigien.*] Geraldus videlicet, qui præfuit ipsi Ecclesiæ per vndecim annos, vt refert Bucelinus *tom. 1. German. in serie Episcop. ipsius Ecclesiæ.*

d *Vendendi.*] Etiam cum solemnitate præscripta *in c. nulli, de rebus Ecclesiæ:* nam hoc speciale est in crimine dilapidationis, vt lite adhuc pendente, Prælatus suspectus de dilapidatione, ab Ecclesia amoueatur, *c. licèt Heli, de simon.* probat Bernardus Diaz *in praxi, c. 71.* 3

TITV-

TITVLVS II.

De calumniatoribus.

CAPVT I.

Gregorius a *Anthemio Subdiacono Campaniæ*.

CVm fortiùs punienda sint crimina, quæ insontibus, & magis sacratis *b* hominibus ingeruntur, quàm sitis culpabiles omnes, qui in causa Ioannis resedistis, attendite, vt Hilarium criminatorem ipsius nulla ex diffinitione vestra pœna conueniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi iudicare volentibus, solus frater, & Coepiscopus noster Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, faciliùs vni à multis rationabiliter suaderi, quàm multi ab vno poterant sine causa deferri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet vltione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, vt eundem Hilarium priùs Subdiaconatus, quo indignus fungitur, priuet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in *c* exilium deportari, vt vnius pœna multorum possit esse correctio. Cuius si fortè lenitatem Diaconi sui adhuc opinio lacerata non commouet, & in hoc, quod non credimus, torpens extiterit, experientia tua hæc quæ diximus, faciat, & de illius nobis neglectu renuntiet. Hortandus præterea idem frater ex nostro mandato est, vt se in omnibus vigilantem exhibeat, & Ecclesiæ suæ amplius disciplinam non negligat, ne & peccatum de his, qui ei commissi sunt, sustineat, & nos contra se vehementer stimulet, si in officij sui cura, quod non optamus, incautus, vel lentus extiterit. *d* Volumus autem vt memoratus frater noster Paschasius, & vicedominum sibi ordinet, & maiorem domus: quatenus possit vel hospitibus superuenientibus, vel causis, quæ eueniunt, idoneus, & paratus existere: si verò & negligentem eum prospicis; & ea quæ diximus, implere differentem, omnis Clerus eius adhiberi debet, vt communi consilio ipsi eligant, quorum personæ ad ea, quæ prædiximus, valeant ordinari.

NOTÆ.

1 a ANthemio.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub titul. de accusationibus*, c. 2. & habetur textus hic in ipso regestro Gregorij, *lib. 9. epist. 66.* ex quo integram huius textus transcribo, & ex ipso D. Gregorio citarunt textum hunc Burchardus *lib. 2. Decreti, c. 201.* Carnotensis *par. 2. Decreti, c. 274.* De hoc Anthemio nonnulla notaui *in c. 1. de testamentis*.

2 b *Hominibus inferuntur*.] Facit Idem Gregorius *lib. 15 Moral. c. 15.* ibi: *Grauius est, si quis iustis potiùs, quàm peccatoribus noceat; vnde & per Prophetam dicitur: Sanguis eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, vt possit operiri puluere: per terram videlicet, & puluerem peccatores; per petram verò limpidissimam iustum signans, qui grauibus peccatorum contagijs non exasperatur. Sanguis ergo super limpidissimam petram effunditur, quando malitia cruentæ mentis in afflictione iustæ animæ grassatur* Vnde quo quis est iustior, ac proinde dignior veneratione, ideò indignius est illum impeti falsis probris, & calumnijs.

3 c *Exilium deportari.*] Quæ phrasis apud scriptores inferioris sæculi recepta, & vsitata fuit, in specie à Sixto III. P. M. epistola vnica, ante medium, ibi: *Si quis circa eiusmodi personas non probanda detulerit, intelligat se iacturam infamiæ sustinere, & sub magna excommunicatione exilio deportari*. Ita in constitutione Honorij, & Theodosij, quæ est ordine 15. in appendice Codicis Theodos. edita à Sirmundo: & de Manichæis Anastasius *epist. 1. c. 3.* ita scribit: *Subditi legibus secundùm Christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos iudices perpetuo sunt exilio relegati*. Et *c. 13. 17. q. 1.* Illustrant D. Nicolaus Anton *de exilio lib. 2. c. 1. n. 8.* D. Ioseph. de Retes *lib. 1. de interdict. c. 1. in notis*.

4 d *Volumus.*] Verba quæ sequuntur, extant *in c. volumus, 89. dist.* in qua distinctione intendit Gratianus exponere, quod sit officium vicedomini. Et sciendum est, vicedominum in sacris canonibus accipi pro eo, qui ab Episcopo administrationi rerum suarum præpositus est, & pro hospitibus recipiendis, & eleemosynis elargiendis, & vt absolutè prouideat rebus omnibus, quæ domi prouidendæ sunt; ideò dicitur maior domus *in c. Saluator, 1. qu. 3. c. diaconum, 89. dist.* & eum vice Episcopi causas iudicasse constat ex præsenti epistola, & *ex lib. 3. capit. c. 26. Mandet Comes vel Abbati, vel Vicedomino, vel illi: quicunque locum Episcopi, vel Abbatis tenuerit, vt reddat ei reum.* Et *lib. 5. c. 120.* Concil. Magunt. sub Carolo *c. 50.* tria velut hominum genera memorat, quibus omnis ecclesiastica res qualisqualis commissa est; omnibus Episcopis, Abbatibus, cunctoque Clero; & ait: *Omnino præcipimus vicedominos, & præpositos, aduocatos, siue defensores bonos habere, non malos, non crudeles, non cupidos, non periuros, non falsitatem amantes, sed Deum timentes, & in omnibus iustitiam diligentes.* Et *cap. consulere 38. de simon.* Alia de vicedominis adducunt Ioannes Vossius *lib. 3. de vitijs sermon. c. 55.* I. Filesacus *in c. 4. de Offic. ordin.* P. Gregor. *lib. 2. part. tit. 9. c. 5 nu. 11.* & *lib. 15. syntag. cap. 40. nu. 3.* Sebast. Cæsar *de Eccles. Hierarch. q. 2. proœmiali, §. 5. n. 13.* Manrique *tom. 1. annal. Cisterc. anno 1134. c. 1. in fine*, I. Dartis *ad Decret. in dist. 89.* Vnde D. Gregorius in præsenti prædicta vicedomini munia complectens iubet, vt Paschasius Episcopus eligat Vicedominum pro hospitibus recipiendis, & simul causis, quę emergunt, decidēdis.

COMMENTARIVM.

EX fragmento huius epistolæ à Raymundo in præsenti transcripto, talis communiter deducitur assertio: *Subdiaconus calumniosè accusans, gradu ipso priuatur, & verberibus afficitur, ac in exilium mittitur*. Quæ assertio probari potest *ex c. Deus 7. 2. q. 1. cap. qui crimen 2. q. 8. c. 1. & vlt. 3. q. 6. c. quisquis 3. 2. quæst. 8. c. si quis Episcopus 50. 2. quæst. 7. c. Epiphanium 4 5. quæst. 6. cap. 4. 2. quæst. 3. cap. fin. 1. q. 6. cap. 1. § adijcitur, de elect. in 6. cap. 1. 2. q. 4.* Sixtus III. suprà relatus, Hadrianus Papa ad Episcopos Mediomat. *cap. 58.* in quibus omnibus variæ pœnæ contra calumniatores statuuntur: referunt ea, & alia iuris testimonia Ant. August. *in epit. lib. 30. tit 11.* & *lib. 37. tit. 57.* Crespetius *in summa, verbo Accusator falsus*. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Guazinus *de defens. reor. c. 13. defens. 3.* Alfarus *de offic. Fiscal. gloss. 17.* Giurba *cons. 47.* Valenzuela *cons. 170 ex n. 1* & *consil. 171. n. 47.* Petrus Greg. *lib. 4. partit. tit. 15. c. 4.* Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 12.* de Bellis *de delictis quæst. 8.* Mancinus *genial. cent. 2. cap. 45.* & *sacri iuris controuers. tit. 7.* & *de triplici iuris collat. c. 129. & 217.* Salcedo *in praxi, cap. 65.* Martha *de iurisdict. part. 1. cap. 48. num. 21.* Rousselius *lib. 4. hist. iurisd. Pontif. cap. 5. n. 12.* Coruinus *lib. 4. aphorism. iuris canon. tit. 30.* Turturetus *in Paral. cap. 43.* Ant. Matthæus *de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 17. cap. 3.*

5 Conclusio traditur, & probatur.

c.3 fol.813. Theophilus Raynaud. in oploebec de calumn. sect.1 c.4. Turriscremata in c.calumniator, 2. quæst.3. Castillo tom.3.controu.lib.3.cap 21.

6 Imponentur tradita assertio. Sed hæc assertio difficilis redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima nascitur ex eo; nam in principio cuiusque litis, ciuilis, seu criminalis, iurat actor, se calumniæ causa accusationem, actionemue non proponere, princip. Instit. de pœna temerè: sed postquam iuratum est, non calumniæ causa iudicium intendi, ampliùs quæri non potest, an fuerit calumniatus actor, l.3. §.vnde, ff. de iureiur. quia post iuramentum tantùm quæri potest, an iuratum sit, §. item si quis 44. de action. vbi plura Pichardus. Igitur nunquam calumniator in iudicio propter calumniam damnari potest. Secunda nascitur ex eo, nam calumniatorum pœna talio est, idest vt eandem subeat pœnam accusator, quam accusatum pati intendebat, c.qui crimen 2.quæst.8. ibi: *Et qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulerit, ipse patiatur.* Et c.3.2. q.8. ibi: *Cùm calumniantes ad vindictam poscant, similitudo supplicij*, &c. c.calumniator, 2.quæst.3.& 4 quæst.4 ibi: *Calumniator talionem recipiat.* Heraldus Episcopus Turon. can.80. *Quod eandem pœnam passurus sit accusator, si conuincere non potest, quam reus, si victus fuerit.* Probaui in c. insuper 16. de accusat. Igitur si in præsenti casu Subdiaconus Diaconum per calumniam accusauerat, eadem pœna afficiendus erat, non verò diuersis à Gregorio statutis. Tertia oritur ex eo, nam pœna verberum, quam imponit Gregorius, non conuenit nec ipsi Subdiacono, cui imponitur, nec iudici ecclesiastico, à quo infligitur. Non ipsi Subdiacono, quia liberi homines, & ciues Romani verberibus non afficiuntur, sed tantùm serui, & viles personæ, vt probaui in con.3 Concil. Illiber. qui inde infames manebant, l.ictus 22.ff. de his qui notant. infam. l.in seruorum 10.fin. l. capitalium 28. §.penult.ff.de pœnis, l.nullum, C.ex quibus caus.infam. l.12. C de decur. l. penult. §.instituitur, ff.de varijs & extraordin. l.fin. de iniurijs, l 6.§.quid, de iniusto, l.1.&c ff quando appellat. l.4.ff. de incendio, l. Lucius, ff.de accusat. Osualdus lib.18. Donel. cap.8. littera I, Tiraq. de nobilit. cap. 20. Amaya in l.66. C.de decur.lib.10. Et sacri Canones pœnarum delectum, & distinctionem semper obseruarunt, ita vt licèt ob grauiora crimina laicos pœnitentiæ solenni manciparent, tamen Clericos, & Ecclesiæ ministros nunquam ad statum illum redegerunt, propter infamiæ notam, qua solemniter pœnitentes inurebantur, c.pœnitentes, c.illud, 50.dist. Concil.Carthag.5.can.11. probaui latè in c.1.de bigam.non ordin. Ergo propter eandem rationem, infamiæ videlicet notam, quæ ex verberibus, & flagris prouenit, non potuit Subdiaconus in præsenti specie verberibus castigari. Nec iudici ecclesiastico consona est hæc pœna, cùm iudices ecclesiastici pœnam sanguinis proferre non possint, c.sententiam, ne clerici, vel monachi: sed verbera sanguinem eliciunt, & ideò à iudice ecclesiastico imponi non posse. docetur in c.qui Archiepiscopatu, de raptor. Ergo non rectè in præsenti talis pœna in Subdiaconum calumniatorem statuitur. Eodem modo arguendum est de pœna exilij, seu deportationis in præsenti statuta; nam exilij pœna capitalis est, l.capitalium, ff.de pœnis, l. 3 ff.si quis cautionibus, l.hos accusare 12.§.omnes, ff.de accusat. latè probat D Nicolaus Antonius de exilio lib. 2.c. 3 per totum, Salgado de protectione Regia, part.2.c.4. num. 164. Carleual. de iudicijs lib.1.disp.2.q.7. sect.1. n.751. D. Ioseph de Retes de interdictis, in l.cùm Vlpianus, & lib.3. excursu 2 Vnde Ecclesia eam non imponit, sed iudex sæcularis ad requisitionem iudicis ecclesiastici, c. 2. de cleric. excom. ibi: *Et Episcopus minimè emendare potuerit, Regis iudicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur.* Probat Cironius lib.1 obseruat.c.1. Igitur minùs congrua in præsenti exilij pœna à Gregorio Subdiacono calumniatori imponitur

7 Calumnia quid? Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, calumniæ varias esse acceptiones: in bonam partem nonnunquam sumi, constat ex Carnot. epist. 17. vbi de Philippi Regis nuptijs cum Bertrada, cui ipse iure contradixerat, sic loquitur: *Qui nuptijs eius dicto & scripto calumniam, quam debuit, fecit.* Quo sensu dixit deinde epist 45. coniugium calumniosum Aliàs calumnia sumitur pro iurgio forensi, vel lite, vt sæpiùs apud eundem Iuonem epist.66.179.219.229 & 268. Et Arnulfus Episc. Lexou. epist. 32. ait: *Nunciatur verò nobis, te in Anglia nihil lites, & calumnias texuisse.* Quare calumniatorem pro actore, & petitore vsurpat Iuo epist.212.& 241. Notarunt Iuretus in ad epist. 17. Gibalinus de negot.tom.2.lib.6.c.7. art 2. Beyerlinch in theatr.tom.2.verbo Calumnia. Sed plerumque malè calumnia sonat, pro callidaque & malitiosa iuris interpretatione accipitur in l.ad exhibendum 19.ff.ad exhibendum, ibi: *Non oportere ius ciuile calumniari, nec verba captari, sed qua mente quid dicitur, animaduertere conuenire.* Probat Laurentius Valla lib 6 elegant.c.50. Pro dolo malo vsurpatur in titulo ff.si mulier ventris nomine in possessionem calumniæ causa, l.2.C.de iureiur.propter calumniam: quam acceptionem latè illustrat Bargalius lib.5.de dolo, c.15. In præsenti titulo pro falsa criminis accusatione sumitur, & definitur iuxta Marcianum in l.1 ff.ad Turpil. vt calumniari sit falsa crimina intendere; ac proinde nihil aliud est, quàm falsi criminis impactio. Quam definitionem explicat Theophilus Raynaud de calumn. q. 2. & Nonius Marcel.c.4.n.74. ait: *Calumnia est malitiosa, & mendax infamatio.* Et Beda lib.de orthographia: *Calumnia*, inquit, *est crimen falsum, cùm nobis aduersarius, aut malum, quod non fecimus, obijcit; aut bonum, quod fecisse probamur, in contrariam vertit.* Cassiodorus in Psalmũ 117. *Calumnia* (ait) *est commentum aliquod periculosæ falsitatis obiectum.* Inde calumniatores dicti, seu calumniosi, iuxta Paulum in l.3. ff.ad Turpil. qui improbè, & ex impostura accusatoris officio vtuntur: Græcè dicuntur sycophantæ, eo quòd furta ficuum apud Athenienses capitalia essent, teste Festo Pompeio. Probant Franciscus Poiletus lib.4. histor. fori Romani, c.5. Alciatus lib.2.Parerg.c.4. & expressit Suidas verbo Sycophantein, quē latinè vertit Hieronymus Bolsius in hæc verba: *Si ficu arbore primùm inuenta, vetuisse creduntur Athenienses, ne ficus exportarentur; qui autem deferebant, qui exportabant, sycophantę quasi ficuum dicebantur, inde translatum nomen ad quasuis calumnias.* Nec sunt aliena à proposito, quę in Paulo Festi Epitomaste leguntur lib. 17. ibi: *Sycophantas appellatos hac de causa dicunt Atticos, quosdam iuuenes solitos in hortos irrumpere, ficusque deligere: quam ob causam est constitutum lege, vt qui id fecisset, capite truncaretur: quam pœnam qui persequeretur ob paruula detrimenta, sycophantas appellatos.* Prosequuntur Budeus ad Pandect. Rhodiginus lib.18.antiquar.lect.c. 9. Demsterus ad Rosinum lib.9. licèt aliam huius vocis originem adducat Athenæus lib. 3. dipnosoph.c. 3. P. Faber lib.1.semestr. pag. 25. & 163. Lipsius in orat.de calumnia, Couarr.lib.2 var.c.9.n.1. Petrus Greg lib.32.syntag. cap 4. Alfaro de offic.fisc.gloss.17. Calumnia ergo propriè consistit in impostura: quare non sufficit ad calumniã, vt alicui quomodocunque tribuatur falsum probrum, sed necesse est interuenire malitiam tribuentis. Vnde si per errorem, aut hallucinationem contingat falsum crimen tribui noxio, non inde vera dabitur calumnia, vt probat Raynaud.d.sect.1.c.1. qui in sequentibus malignitatem huius sceleris latè probat: quod argumentum luculenter tractauit C.I.V Iustus Lipsius cent 5. epist. ad finem, in oratione de calumnia: & Leuco Tyrannus Ponticus apud Athenæum lib. 6.c.6. cùm hominem quendam calumniantem vidisset: *Interemissem te* (inquit) *per Deos, nisi tyranni malis hominibus indigerent.*

Deinde sciendum est, calumniatores varijs pœnis, tam 8 De pœnis calumniatorum
iure ciuili diuersarum gentium, quàm sacris Ecclesię canonibus puniri. Charondas apud Diodorum lib.12. calũniatorem myrica coronatum per vrbem circumduci iubet. Vide Lucianum dialogo de non temerè credendo calumniæ. Iure ciuili Romanorum ex edicto Prætoris infamiam incurrunt, l.non priùs 7. l.vlt C.de calumn. l.2 ff.de his qui notant. infam. non tamen ipso iure notatur calumniator, sed ita si calumniæ causa damnatus sit, l.4 § calumniator, ff de his qui notant.infamia; idcirco verba iudicis diligenter attendenda sunt: si dixerit, *sycophantas*, idest calumniatus est, intelligitur notasse: quod si dixerit, *non probasti*, non notatur. Nec enim qui non probat quod intendit, illicò calumniator intelligitur, sed qui dolo malo falsum crimen obijcit, l.1.§.sed non vtique, & § sequenti, ff.ad Turpil. l.fustibus 16 ff. ex quibus causis infam.irrog. l.3.C.de calumn. Cicero pro Roscio: *Innocens est quispiam; suspicione tamen non caret: ei qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere Cùm enim aliquid habeat, quod possit criminosè, ac suspiciosè dicere, apertè ludificari, & calumniari sciens non videtur.* Et mox: *Vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui mereantur. Deinde si voletis, etiam tum, cùm verisimile erit, aliquem commisisse, in su-*

sp ci-

Digitized by Google

spicione latratore: id quoque concedi potest. Sin autem sic agitis, vt arguatis quidem aliquem patrem occidisse, possitis; aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet, &c. Hactenus Cicero. Idem iudicandum de hac formula: *Lucium Titius temerè accusasse videtur.* Temeritas enim facilitatis veniam continet, & ob id nullam pœnam Titius subijt, *l.1.ff. quæri, ff. ad SC.Turpil.* Quid autem si iudex ita pronunciauerit: *Callido commento videris accusationis instigator fuisse.* An tanquam calumniatorem notasse videtur? Papinianus *in l. ob hæc verba 20. ff. de his qui notant. infam.* respondit ob hæc verba pudorem potiùs onerari, quàm ignominiam irrogari; nec enim mandatorem esse eum, qui exhortatur. At contrà Marcianus *in l. 1. ff. incidit, ff. ad SC.Turpil.* docet hunc quoque, qui instigauit ad accusandum, calumniæ pœna teneri. Pro huius antimoniæ solutione Antonius Matthæus *de criminibus, ad lib.48. Pandect. tit.18. c.3* ait, verbis quidem SC. non teneri eum qui instigauit, sed ex mente & sententia teneri, quia SC. de mandatore loquitur, & qui instigat, non est propriè mandator; sed quia non longè à mandatore abest, eum sententia SC. teneri Sed aliter ea iura componit Osualdus *lib.18. Donel. c.8. lit. X*, discrimen constituendo inter sententiam definitiuam, & interloquutoriam. Etiã ante SC. Turpilianum fuit constituta pœna Talionis, quam ad leges 12. Tabularum refert Polletus *lib 4. histor. fori, c.5.* & postea idem cautum fuit lege Rhemia, seu vt alij volunt, Memia: quæ pœna exoleuerat temporibus Imperatoris Augusti; quare inter alia ipsius Principis præclara gesta recensetur à Suetonio, quod diuturnorũ reorũ nomina aboleuerit conditione proposita, vt si quis quem repetere vellet, par periculum pœnę subiret: & postea per SC. Turpilianũ instaurata ea pœna fuit, & tandem Imperatores Honorius, & Theodosius *in l. vlt. C. hoc tit.* ita sanxerunt: *Quisquis crimen intendit, non impunitam fore nouerit licentiam mentiendi, cùm calumniantes poscat ad vindictam similitudo supplicij.* Extat *in c. quisquis, 2 q.8.* Quæ pœna talionis diuino iure posita uo statuta fuerat, *c.19. Deuter.* ibi: *Si steterit testis mendax contra hominem, accusans eum præuaricationis, stabunt ambo, quorum causa est, ante Dominum in conspectu sacerdotum, & iudicum, qui fuerint in diebus illis: cùmque diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit; & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri, timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere: non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.* Hęc est pœna talionis, qua scilicet tale rependitur, quale illatum est, vel inferendum fuit calumniam passo. Aristot. *lib. 5. Ethicorum, c.5.* appellat pœnam hanc *Contrapassum.* Probant pœnæ huius iustitiam Sotus *lib.5 de iustitia, quæst.5. art.4.* Lælius Mancinus *de triplici iuris collat. lib.1. c.129.* & *centur.2. c.143.* Demsterus *ad Rosinum lib.9. fol.940.* Hodie tamen, attenta generali consuetudine pœnam hanc talionis exoleuisse ex ratione per nos adducta *in c. super his, de accusat.* testantur Farinac. *in praxi, quæst. 16. n.3.* Iul. Clarus *§. fin. q.81. n.3.* Theophilus *de calumn. sect.1. c.4.*

9 De pœna lex is themis. In eadem etiam lege Rhemia statuta fuit pœna inustionis frontis, inscripta littera K. quæ est prima calumniatoris. Cicero pro Roscio: *Ita tamen Erucij quæstus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere.* Et mox: *Crura quidem vobis nemo suffringet: sed si ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque eo inimici estis, vt etiam eas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigam, vt postea neminẽ alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.* Eoque spectat Papinianus *in l. quæsitum 13. ff. de testibus*, dum hominem calumniæ damnatum, opponit homini integræ frontis. Illustrant Theoph. Raynaud. *in tract. de stygmatismo, sect. 3. c.3.* Cuiac. *ad Digesta, in l. is cui, ff. qui testamenta*, Petrus Pitheus *in collat. legum Mosaic. tit.4. §. fine calumnia*, Forn. *lib.6 rer. quotid. c. 29.* Et licèt Cassiodorus *in Psal 71.* hoc accipiat de nuda condemnatione, quia apud antiquos litteram K. iudices apponere solebant in signum condemnationis: hęc tamen sententia sustineri non potest, quia ea damnandi nota communis erat omnibus condemnationibus, vt videre est apud Poletum, Sigonium, & alios de iudicijs agentes. Ex quibus Hermannus Hugo *lib. De prima scribendi origine, c.22.* quod est de notis iudiciarijs, ad K. ait: *Calumniatorum fronti affixum, erat peculiare eorum supplicium, quo frontes eorum ferro candenti forma litteræ K, inurebantur.* Duplex KK. eo ferro impressum volunt Petrus Diaconus *de notis*, & Aldus Manucius *libello eiusdem argumenti*, ita exponentes illud K.K. vel K.C. vt sonet, *calumniæ causa.* Olim quippe vox *calumniæ* exarabatur per K. probarunt Lipsius *lib.2 electorum, c.15.* Pitheus *vbi suprà. fol 145.* Primarius noster Magister Correa *in orthograph. Castel.* Etiam aliquando apud Romanos calumniator deijciebatur è saxo Tarpeio, vt refert Gellius *lib.20 noctium, c.1.* & in exilium mittebatur, vt constat ex Tacito *lib.5. annal. l 3. §. idem Diuus, ff. de testibus.* Iustinianus *nouel.6.* eum qui electum Episcopum cuiuslibet criminis insimulauit, pelli iubet à societate fidelium: & *in nouel.123. c.2.* & *137 c.3.* iubet eum, qui falsi criminis Episcopum reum egit, à prouincia exulare, in qua commorabatur. Etiam extraordinaria pœna punitur *in l.27. ff. si liber 5 ff. ad leg. Iul. de adult.* Apud Græcos vsitatam fuisse talionis pœnam constat ex Diodoro *lib. 4.* & apud Vuisigothos eandem talionis pœnam statutam fuisse, apparet *ex l.5. tit. de iudicio furti, lib. 7. legum Vuisigoth.* notauit Gregor. Lopez *in l.1. tit.1. part.7. l 27. & fin. tit.17. part.3.* Alias diuersarum gentium pœnas circa calumniatores refert Theoph. Raynaud. *de calumn. sect. 1. c.4.* Hæc autem procedunt in calumnia in delictis publicis admissa; nam in priuatis aliud obseruatur, quia qui in illis calumniatur, violat Iusiurandum, quod concepit de calumnia, soluitque impensas litis, & nonnunquam infamis fit, cùm olim veteri de calumnia actione in partem decimam litis actor multaretur, *§. hoc autem, Instit. de pœna temerè:* notaui *in tit. de iuram. calum.*

Vt ad Ecclesiæ leges perueniamus sciendum est, Ecclesiæ Patres non mitiùs in calumniatores insurrexisse, 10 De pœnis ex iure Pontif.
nam eos infamia notatos declararunt; beneficio, officioque, si quod habebant priuarunt; exilio, verberibusque afficiendos esse sanxerunt *in c. qui in alterius, cap. quidam maligni, 23. q.4. c. deteriora 6 q.1. c. Episcopum, ead. qu.* Pœnam talionis sanxerunt, *in c. qui crimen, 2. q.8. c. calumniator 2. q 3. c. 32. q.8.* Communione etiam priuantur: & si Episcopos, aut clericos falsò accusauerint, nec in fine illis conceditur communio. Concil. Illiber. *can. 75.* ibi: *Si quis Episcopum, Presbyterum, vel Diaconum falsis criminibus appetierit, & probare non potuerit, nec in fine dandam ei esse communionem.* Licèt postea mitiùs cum eis actum sit, communione in fine concessa. Concil. Arelat.1. *can. 14.* ibi: *Qui falsò accusant fratres suos, vsque ad exitum non communicent.* Arelat.2. *can.24. Eos qui falsa fratribus capitalia obiecisse conuicti fuerint, placuit vsque ad exitum non communicare, sicut magna Synodus antea constituit.* Notaui *in c.75. Concil. Illiber.* Hadrianus Pontifex in *cap. delatori 5. q. 6.* lingnam capulandam esse calumniatori sanxit: quæ constitutio etiam refertur *lib.7. c. tit. 277.* & ab Hincmaro Rhemensi *lib. contra Hincmarum Laudun. de sententijs Engelramno Metensium Episcopo datis*, his verbis: *Quàm diuersæ à sacris canonibus, & quàm discrepantes in quibusdam ab ecclesiasticis iudicijs habeantur, vt hic, quædam de plurimis pœnæ, euidenter manifestatur. Delatori, inquit, aut lingua capuletur, aut conuicto caput amputetur.* Capulare verò truncare est, vel exscindere, vt in lege Salica, *tit.31. ff.2. Si quis pedem alterius capulauerit. Et ibi, Mancatus remanserit.* ex veteri glossario Petri Pithei notauit Bignon. *ad Marculf. fol.623.* Similis ferè fuit lex Constantini, qua strangulari eos, & linguam ipsis radicitus amputari iubet, *l.2. C. Theodosf. de petit.* Apud Longobardos non lingua, sed nasus præcidebatur, vt refert Lindembrog. *in glossario, verbo Capulare.* Dixit Hadrianus capulare, quod est truncare, vt probant Lindembrog. *suprà:* Vossius *de vitijs serm. lib.4. c.3.* Pius V. sua constitutione innouauit in calumniatorem pœnam talionis, vt refert Farinac. *in praxi, q.16. n.5.* & iam à primo Ecclesię sæculo *lib.2. constit. c.42. & 43.* in calumniatores ita constituit: *Vos Pastores cum Diaconis cognoscetis eum, qui proximũ suum per calumniã mendacis testimonij accusauit, & ostendetis eum esse calumniatorem, inuidum, interfectorẽ, suis repugnantijs perturbantem vt malitiosum, sermone inconstantem, dictis suis contrarium, & oris sui verbis captũ. Fuerunt enim ei laqueus fortis labia sua, quem tu postquam falsitas testimonij eius conuicta fuerit, iudica rigidè, & gladio ignis trade, faeque ei quod ipse proximo suo scelere machinatus est. Quantum enim in eo fuit, fratrem occidit, aures iudicis occupando, &c. Itaque eijcite eum ex Ecclesia tanquam fratris interfectorem. Deinde interuallo temporis, si*

dixe-

dixerit pœnitere se, præmittite eum ieiunijs, ac postea per manns impositionem recipite, cauentes tamen illi, ne quem iteram turbet. Quod si rursus ingressus similiter seditionem, & discordiam concitarit, neque desinat turbare, & conuicia facere fratri, vituperationibns & contentionibus æquiter studens, eijcite eam tanquam pestilentem, ne Ecclesiam Dei vitiet, & fœdet. Qui enim huiusmodi est, turbas conflat ciuitatibas: idemque, tametsi intra Ecclesiam est, tamen quia Ecclesiam dedecorat, superuacuus, & inanis est, qui quidem quantùm in se est, corpus Christi sordidat.

11 De his qui in calumniatores non tenentur. Deinde sciendum est, iudicem reum absoluentem improbè accusatum, statim cognoscere, ac pronunciare de calumoia, *l.1.C.hoc tit.l.inter 10.ff.de public.iudic.* statim, idest eadem die, vel sequenti, si eadem non potuerit: argumento est locus Asconij in oratione pro Marco Scauro, ibi: *Cato Prætor cùm vellet de accusatoribus in consilium mittere, multique è populo manus in accusatores intenderent, cessit imperitè multitudini, ac postero die in consiliu de calumnia accusatorem misit.* Etiam notandum est, non omnes accusatores in probatione deficientes, pœnis calumoiæ puniri; nam tutores, curatoresque non facilè illis afficiuntur, nisi euidens eorum calumnia sit, *l.2. C.de his quibus vt indign.l.8.C.de calumniator* explicat Gothofredus *in l.2 C.Theodos eod tit.l.14.§.si libertus, de bonis libert.l.22.de his quę vt indig.* Similiter eos, qui prosequuntur necem liberorum, & parentum, pœna calumnię non teneri, statuitur *in l.1.& 4.C.hoc tit.l.vlt.ff.de public.iudic.* & *in l.2.C.hoc tit.* docetur, non teneri extraneum hærede, quia aliquem iussu testatoris veneficij accusauit: & fœminis suam, suorumue iniuriam persequentibus, & omnibus illis, quibus inscriptionis necessitas remittitur, quos retuli *in c.super his, de accusat.* calumniæ pœna remittitur. Etiam maritus, qui intra dies 60. iure mariti vxorem accusat de adulterio, nisi ob euidentem calumniam, non tenetur calumniæ pœnis, *l.si cuius 14 §.vlt.ff. ad leg.Iul. de adult. l.6.& 30.C.eod. l.auxilium 37.§.1. de minoribus.* Pater autem accusando adulterium filiæ ex calumnia, damnatur, *l.pater 30.ff.eod.tit.* quia talis accusatio odiosa est, cùm per eam matrimonia fœdari videantur, *l.quamuis 30.C.eod. tit de adult.* Item fiscus à calumniæ pœna immunis est, cùm ex quadam necessitate accuset, nisi cum euidenti calumnia agat, *l.penult. C.de aduocat.Fisci, l.5.l.vniuersi 9.C.vbi causæ fiscales.* Suetonius *in Domitiano*, ibi: *Fiscales calumnias magna calumniantium pœna repressit.* Similiter etiam delatores ex officio, vt curiosi, & stationarij, non puniuntur, nisi ob euidentem calumniam, *l.ea quidem, C.de accusat.l.1.C.de curiosis, l.10.l.6.§.nunciatores, ff.ad Turpil.l.Diuus 6.ff. de custod.reorum.* Probat Amaya *ad tit.de delatoribus, lib.10.* & plures de curiosis congesserunt Petrus Gregor. *lib.47.syntag.c.38.n 9.* Cuiac. *ad tit. C.de irenarchis,* & *tit C.quæ res pignori:* & *in l.9.C.de iure fisci,* & *lib.1.obs.c 33.* Reuardus *lib.4.var.c.11* Pancirola *in notit.Imper Orient c.47.* & *Occid.c.18.* & *lib.2 var.c.26.* Bulenger *lib 7 de Imper. Roman. c.22* Bobadilla *lib.2.polit. c.13. n.61.* & *c.21 num.10.* alias causas, ob quas calumniator excusatur à calumniæ pœnis, refert Menochius *lib.2.de arbitrar.cent.4.*

12 Traditur ratio decidendi. His suppositis iam apparet ratio præsentis decisionis; nam cùm calumnia adeò sit graue scelus, vt peccatum diabolicum appellent sanctus Athanasius *in apolog. ad Constantiam*, ibi: *Calumniari est vti diaboli moribus.* Origenes *homil.3.in Exodum;* quia ait, falsis detractionibus, & testimonijs, ac calumnijs grauantes proximum, os apertum à diabolo habere: Cyrillus monachus *in actis sancti Sabæ*, D. Chrysostomus *homil 79. in Matthæum*, cuius nomenclaturæ rationem assignat & illustrat Theophil. Raynaud *de calumnia q.2.* & D. Athanas. *in dicta apolog.de strage, quam infert calumniator*, ait: *Qui lapide feritur, quærit medicum; ictus autem calumniæ grauius quàm lapides feriunt.* Est enim calumnia claua, & gladius & iaculum incurabile, vt dixit Salomon; & si in personam Deo sacratã infertur, grauior calumnia, est suprà probaui: inde cũ in pręsenti Hilarius falsò, & ex calumnia accusasset Ioannem Diaconũ, iustè Gregorius decreuit, vt ipse officio Subdiaconi, quo fungebatur, à proprio Episcopo suspenderetur, verberibusque afficeretur, ac in exiliũ mitteretur, vt ita alij à simili calumnia terrerentur, ne fratres Ecclesię ęque ministros falsò accusent; nã vt aiebat Aristotel. *lib.6.Polit.c 5.* in bene instituta Republica grauiter calumniatores sunt puniendi, quoniã non populares in iudicium vocare consueuerunt, sed nobiles.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta *ex d.l.1.ff.de iureiur.* nam quod ex ea expendebamus, procedit in iuramento decisorio parti à parte delato; nam tunc postquã delatum est, nihil quæritur, nisi an iuratum sit: at verò in iuramento ab actore, vel reo prolato, sine vlla delatione adhuc superest cognitio causæ principalis, *d.l.3.in princip.* & propter calumniam, tam in ciuili, quàm criminali iudicio, pœna, vt probaui *in c.1.de iuram. calumn.* & ita hac pœna calumniæ non liberari accusantem, etiamsi tempore accusationis propositæ iuret de calumnia, docuerunt Iul. Clarus *d.§.fin.q.61.* Salcedo *in praxi, c.5.* Martha *de iurisd.par.1.q.58.* 13 Dissoluitur dubitandi ratio.

Nec obstat, quod de pœna talionis adducebamus, cui difficultati vt satisfaciant Antonius, & Abbas *in præsenti*, quos sequitur Bernard. Diaz *in praxi, c.65* affirmant, quod in præsenti casu pœna imponenda Ioanni Diacono, si crimen probatum esset, non erat proportionata Hilario Subdiacono, ideòque diuersam pœnam à sancto Gregor. impositam fuisse: sed cùm non constet, quænam pœna in præsenti casu imponenda esset Ioanni, certò deduci non potest, an eadem pœna imponi possit Ioanni Subdiacono; quare verius credo, quod licèt pœna talionis in calumniatorem vtroque iure imposita reperiatur, ea locum habet in delictis ordinariè puniendis, non verò extraordinariè; vnde cùm in præsenti non fuisset certa pœna imposita pro delicto, quo accusabatur Ioannes Diaconus, & ipse esset in sacris ordinibus constitutus, ideò tam acerbis pœnis plectitur calumniator. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, pro cuius partis solutione dicendum est, quod licèt illa fustium, & verberum differentia iure ciuili Romanorum agnosceretur, vsitataque esset, vt probaui *in can.4. Concilij Illiber.* in iure tamen canonico nullum discrimen versatur inter flagella, & verba: quare promiscuè in sacris canonibus rei iubentur fustibus cædi, & verberibus affici *in c.cùm Beatus, 45.dist.c.nullus clericus 55. quæst 3 c.quidam 5.q 1 c.quia iusta 5.quæst.6 c.his à quibus 23.quæst.vlt. c.in Archiepiscopatu, de raptor.* & Gennadius Patriarcha CP. delatum ei ob scelera Charisium permisit etiam paternu, & ecclesiastica censura flagellari. Nicephorus *lib.15.histor.Eccles c.13.* Sophron. *in prato spirit. c.145.* Similia de Pechamo Cantuariensi Archiepiscopo refert Nicolaus Aasperfei. *historiæ Anglicæ ad sæculum decimumtertium, cap. 23.* & ita in præsenti casu Subdiaconum verberibus affici iubet Gregorius iuxta mentem sacrorum canonum, secundùm quam nullum datur discrimen inter flagella, verbera, loras, & fustium cæsionem. Nec obstat, quod ex hac pœna infamia incurritur; nam cùm ex ipso calumniæ delicto infamia contrahatur, vt probaui, non iniustè Gregorius Subdiaconũ in hoc casu vt infamem verberibus afficiendum esse decreuit. Nec obstat alia pars ipsius augmenti, videlicet pœnam hanc sanguinem effundere, vt constat *ex lib. 2. feudor.tit.27.§ si quis aliquem:* quare Horatius horribile flagellum vocauit, inquiens:

Nec scutica dignum horribile sectero flagellum.

Et Virgilius sanguineum dixit *lib.8.Æneid.*

Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.

Item Iuuenalis *satyr. 6.*

—— Hinc frangit ferulas, rubet ille flagellis.

Et in sacra pagina *Ecclesiastici c. 8.* ibi: *Flagelli plaga liuorem fecit.* Nam licèt Ecclesia olim vteretur flagris, flagellisue pro emendandis peccatoribus, vt constat ex iuribus proximè adductis, & ex Concilio Matiscon. 2.c.1. vbi iubetur rusticum, vel seruum, qui diem Dominicam violarit, grauioribus fustium ictibus verberari, Concil. Aquisgran. *can 134. c.super eo, de sentent excomm. c.vniuersitatis, eodem tit.in 6.* Concil. Narbon. sub Recaredo, *can.12.* ibi: *Presbyteri increpentur, vt redeant, Diaconos & execrandos, & stipendio priuandos; reliquos flagris coercendos.* Concil. Agath. Præside Cæsario, *can.38.* ibi: *Clericum, aut monachum sine commendatitijs vagam, si verborum increpatione non emendetur, etiam verberibus statuimus coerceri.* Turon 2 *can.20.* ibi: *Qui ex septem Diaconis, lectoribus, aut laicis ad Archipresbyterum obseruandum concessit, si septimanam cum eo facere distulerit, fustigetur.* Synodus Francica sub Bonifacio V. *Clericus, vel monachus in fornicationem lapsus, post tertiam verberationem in carcerem missus, ibi pœnitentiam agat.* Carnotensis *parte 14.Decreti, c.115.* Tamen semper curarunt Ecclesiæ Patres, ne flagellatio ad sanguinis effusionem perueniret; quare pro vna vice triginta nouem ictus tantùm pręscri-

scripserunt. Concil. Matiscon. 1. *can.*8. vbi iubetur, vt clericus iunior, qui alterum clericum ad iudicem sæcularem traxerit, vno minùs de quadraginta, ictus accipiat. Refertur *in c. nullus* 6. 11. *q.*1. *& in* 1. *collect. sub tit. de foro compet. c.*4. D. Cyprian. *in vita S. Cæsarij*, *apud Surium die* 27. *Augusti*, ait illum nunquam hunc numerum excessisse, sed potiùs vt iterum reus vapularetur, permittebat, ibi: *Solebat vir sanctus id accuratè obseruare, vt nemo ex illis, qui ipsi parebant, si pro culpa sua flagellandi essent, amplius trigintanouem ictibus ferirentur; ita tamen, vt si quis in graui culpa esset deprehensus, permitteret vt post dies paucos vapularet iterum*. In regula S. Aureliani *cap.* 41. pro qualibet culpa, si necesse est flagelli accipere disciplinam, nunquam numerus legitimus excedit, idest triginta, & nouem. Quo sensu accipiunt aliqui, quod habetur in Pœnitent. S. Columbani, vbi quinquaginta, & centum, immò & ducentæ plagæ imperantur; non enim simul, & semel infligebantur, sed iteratis vicibus, quem numerum ictuum acceperunt Patres à lege veteri, in qua cauebatur *Deuteron. c.*25. ita: *Pro mensura peccati erit, & plagarum modum, ita dumtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus*. Et D. Paulus 2. *ad Corinth. c.*11. inquit: *A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi*. Illustrant Nouarinus *lib.*1. *schediasm. c.*21. Menard. *ad concord. regul. c.*30. §. 4. Iudæi enim veriti, ne si quadragenarium numerum complerent, obliuione forsan, vel impetu animi quandoque excederent, in more habebant non nisi trigintanouem ictus infligere, teste Iosepho *lib.*4. *antiquit. c.*8. Oleastro *in d. c.*25. *Deuteron.* ibi: *Solent etiam Hebræi ex ratione trigintanouem verbera incutere, ne fortè excederent vno*. Vnde Apostolus se accepisse gloriatur quinquies quadragenas vna minus. Rationem huius legis expresserunt S. Chrysost. *homil.* 25. *in epist.*2. *ad Corinth.* per hæc verba: *Quare vna minùs prisca lege sancitum erat, vt si quis plus quàm quadraginta verberum ictus accepisset, infamis apud ipsos esset; itaque ne verberantis impetus hunc numerum in infligenda pœna excedens, ignominiæ notam reo inureret, præscriptum est ab illis, vt ei qui vapularet, vnde quadraginta tantùm plagæ inurerentur*. Theodoretus *q.*30. *in c.*25. *Deuter. Quare cùm Deus præceperit delinquentem vapulare quadraginta plagis, Iudæi vna minùs inferunt, quia maior numerus vapulantem infamat: si ceciderint eum pluribus, deformis abibit frater tuus in conspectu tuo. In eo transgredi legem permittunt, vt exactum obseruantes numerum, etiam nolentes vapulantem infament pluribus plagis illatis*. Quare Ecclesia illum morem retinuit, ne ad sanguinis effusionem perueniretur. Vnde iuxta hunc morem accipienda est pœna verberum imposita à Gregorio in præsenti. E contrà idem Gregor. *lib.*2. *epist.*52. succensuit Episcopo Constantinopolitano ob monachum in Ecclesia CP. fustibus cæsum. Et *epist.*83. Andream Tarent. Episcopum ab administratione sacrorum per duos menses suspendit, quòd mulierem cædi fustibus iussisset crudeliter. Illud tamen obseruandum est, etiam in casibus à iure permissis clericos non esse verberandos propria manu ab Episcopo, vt cautum fuit *in c.*27. *Apostol.* Synodo Nicæna 2. *can.*3. Concil. Agath. relato *in c. non liceat*, 86. *dist.* à D. Gregor. *in cap. quid autem, cum seq.* 45. *dist.* Iustiniano *Nouel.*123. ibi: *Proprijs aliquem manibus verberare Episcopo non licere; hoc enim à sacerdotibus alienum est*. Iulian. Patric. *nouel.* 115. *c.*42. Phocius *in nomocan. tit.*6. *cap.*26. Sauarus *ad Sidon. lib.*3. *epist.*12.

14 *De pœna exilij.* Nec obstat vltima difficultas, pro cuius solutione sciendum est, Ecclesiæ, ecclesiasticisque iudicibus competere facultatem relegandi, ita vt cùm per excommunicationem, ac alias pœnas ecclesiasticas rei criminosi emendari nequeunt, in exilium mittantur, vt discretè probatur *in c. in Synodo* 23. *dist.* 63. *cap. attendendum* 13. 17. *q.*4. ibi: *Aut ex illo perpetuæ deportationis feruentur: & c. accedens*, 50. *dist. c. hi qui* 3. *q.*4. ibi: *Et exilio digni iudicantur finitimo: & c. cùm beatus*, 45. ibi: *Et exilij sententiam sustinebunt, & c. ad audientiam, de crimine falsi, c. penult. de pœnis*, Concil. Tolet. 12. *can.*11. ibi: *Quod si ingenuorum personæ his erroribus fuerint implicatæ, & perpetua excommunicationis sententia feriantur, & arctiori exilio vlciscantur*. Concil. Aurel. 4. *can.*29. ibi: *Si quæ mulieres fuerint in adulterio cum Clericis deprehensæ, de clericis distinctione habita, mulieres ipsæ, prout sacerdoti visum fuerit, districtioni subiaceant, & à ciuitatibus, vt sacerdos præceperit, repellantur*. Gregor. *in Pœnitent. c.*11. Docuerunt plures congesti a Barbosa *de potest. Episc. par.*1. *tit.*4. etsi negent Roussell. *lib.*4. *hist. Pontif. c.*7. *n.*5. Petr. Greg. *lib.*4. *partit. tit.*15. *c.*4. quia pœna capitalis duplex est, vna sanguinis, quæ mortem ingerit, *l.*3. *ff. de pœnis*; altera sine sanguine, vt est deportatio: & ita cùm non sit corporalis hæc pœna, vt expresse docetur *in c. ad audientiam de crim. falsi*, & probat D. Nicol. Antonius *lib.*2. *de exilio, c.*31. *n.*7. potest à iudice ecclesiastico infligi. Baron. *anno* 263. *n.*29. Chopinus *lib.*3. *de sacra polit. tit.*2. *n.*11. Circa effectus verò ipsius pœnæ notandum est, Pontificem posse à tota sua ditione relegare, & in terris Ecclesiæ subiectis quoad temporalia, omnibus iuribus regni, & ciuitatis exules priuare. Similiter Archiepiscopi à tota sua prouincia, & subditos Suffraganeorum suorum punire valent, iuxta tradita in *cap. pastoralis, de offic. ordin.* Episcopi à sua diœcesi, *ex d. c.*29. *Concil. Aurel.* non autem regno integro possunt relegare, nec iura ciuitatis, seu natalium regni illis adimere, quia sæcularis; quia tunc ipse iudex sæcularis videtur sententiam proferre, ipsumque reum in exilium mittere, *cap. de Liguribus* 42. 23. *q.*5. *c. si quis* 17. *cum seq.* 18. *q.*1. *c. ne liceat*, 17. *dist.* ideòque vt exilium perfectum sit, *in d. c.*2. *de clerico excomm.* iubetur vt ad requisitionem Ecclesiæ Iudex sæcularis decernat exilium: & in Concilio Tridentin. *sess.*24. *de reform. c.*8. de concubinarijs contumacibus cauetur, vt ita grauiter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum, vel diœcesim, si eisdem Ordinarijs videbitur, inuocato, si opus fuerit, brachio sæculari eijciantur. Latiùs prosequitur D. Nicolaus Anton. *d. lib.*2. *c.*32. Vnde exilium, de quo in præsenti, perfectum quoad omnes effectus fuit; siquidem per Anthemium iudicem Ecclesiæ Romanæ in Campania, vbi temporalem Pontifex exercebat iurisdictionem, sub Gregorio Magno inflictum fuit: quare Hilarius omninò quoad iura regni, seu natalium Prouinciæ Campaniæ exul haberi debebat.

Sed suprà traditis obstat canon 9. Concil. Constantinop. 1. in illis verbis: *Cùm Apostolicus canon Sacerdotes, qui verberare aggrediuntur vel fideles, qui peccarunt; vel infideles, qui iniuriam fecerunt, depositioni subijciat, ij qui suæ iræ mederi moliuntur, & Apostolicas constitutiones detorquent, eos intellexerunt, qui sua manu verberant, nec canone tale quid significante, nec retractione hoc intelligere permittente: est enim reuera ineptum, & valdè lubricum, vt qui sua quidem manu ter, vel quater percusserint, deponantur: data autem facultate iussu verberandi, eum qui immaniter, & vsque ad mortem supplicium inflicturus est, impunè id ferre negligi: quamobrem canone ipsum verberare absolutè puniente, nos quoque simul eo ita decernimus. Oportet enim Dei sacerdotem doctrinis, & admonitionibus, nonnunquam autem & pœnis canonicis eum, qui se immodestè, & insolenter gerit, instituere; sed non flagellis, & verberibus in hominum corpora insultare. Si qui autem sunt morem omninò non gerentes, & pœnam correctioni non cedentes, eos per vocationem ad eius loci Magistratus nemo castigari prohibet. Antiochenæ enim Synodi canon quintus eos, qui tumultus excitant, & seditiones in Ecclesia introducunt, per manum externam conuerti oportere statuit*. Ex quibus expressè deducitur, non licere iudici Ecclesiastico manu propria, nec per alium quemquam verberare: ergo non rectè in præsenti iubet Gregorius calumniatorem verberibus affici. Pro cuius canonis expositione sciendum est, dubium esse, an Sacerdotes, cæterique ministri sacris ordinibus initiati propter grauiora delicta verberibus affici possint publicè, ad vocem, fastidiumque præconis, iuxta veterem, hodiernumque ritum, de quo in *l. fustibus cæsum, C. ex quibus causis infam. l. si duo* 13. *§. si quis, ff. de iureiur.* Horatium Epod. *eod.*4. ibi: — 15 *Exponitur can. 9. Concil. Constantinopolit.*

Sectus flagellis hic triumuiralibus
Præco is ad fastidium.

Iunctis congestis à Cuiac. *lib.*8. *obseru. c.*7. Gothofredo *in d. l. fustibus*, Langleo *lib.*11. *semestr. c.*1. Et dicendum est, sacerdotes, sacrosque Ecclesiæ ministros priuatis verberibus pœnas delictorum suorum luisse, præcipuè in Ecclesijs Canonicorum Regularium, vt hodie in monasterijs obseruatur, & probat Gibalin. *de clausur. regul. disquis.*2. *c.*4. *n.*41. tamen sacris ordinibus fulgentes, quemadmodum propter honoris fastigium quocunque demùm scelere adstringerentur, publicæ, & solemni pœnitentiæ mancipari nequibant; ita nisi degradati publicè flagellis, aut verberibus cædi non poterant: quis enim ferret, vt qui Apo-

Apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus (vt aiebat D. Hieronymus ad Heliodorum) qui claues Regni cœlorum habentes, quodam modo ante diem iudicij iudicant, qui sponsam Domini sobria castitate conseruant, fustium ictus publicè subirent, quibus humiliores personas, infimæque notæ homines tantummodò affici debere, disciplina Romanorum iudicauit. Vtebantur ergo Episcopi olim verberibus in laicos, clericos, & monachos malæ frugis; sed cum delectu: ob leuiora crimina priuatis fustibus cædebantur, ob grauiora verò publicis præmissa degradatione: quemadmodum & Pontifices Summi apud Romanos virgarum supplicio in Vestales virgines criminosas vtebantur, vt probat Roussel. *vbi suprà*, quantumuis sacratas, & sacerdotio fungentes, vt constat ex Dionysio *lib.9.* Liuio *lib.28.* Nec tunc obstat textus *in d. can.9.* qui vt ex verbis relatis constat, intelligendus est de verberatione immoderata per sacros canones improbata; non verò de illa, quæ seruato iuris ordine, & disciplinæ ecclesiasticæ norma imponitur: de qua etiam iniuriosa fustigatione accipiendi sunt textus in Synodo Nicæna 2. *act.3.* vbi Patres qualemcumque Episcopum verbera, aut plagas, Deum præsertim timentibus, & persecutionem patientibus inferentem, quasi persequutorem flagellationibus grassantem, Episcopatu indignum censuerunt. Et D. Gregorius *lib.2. epist.83. & 84.* qui Andream Tarenti Episcopum, quòd mulierem de matriculis contra sacerdotij, & propositi sui ordinem crudeliter fustibus cædi deputasset, ab officio suspendit. Poterit ergo Episcopus in subditum nequam pœnam verberum exercere; at verò verbera iniuriosa ad mortem tendentia, vel ad sanguinis enormem effusionem, neque per se, neque per alium Episcopus, aut Iudex Ecclesiasticus infligere valet, vt probat Bobadilla *lib.2. polit. cap.15. n.29.* Roussell. *lib.4.*

C A P V T II.

a Innoc. III. b *Zamorensi*, c *Segouiensi*, & d *Abulensi Episcopis*.

CVm dil. fil. Magister Schol. *e* Palentinus ad Sed. Ap. accessisset, & nobis de ven. f. n. quondam Episcopo *f* Legionen. nunc Archiepiscopo Compostellano, excessus varios nunciasset, dil. fil. de *g* Vallebona, & de *h* Matiplana Abbatibus Placentin. Diœces. examinationem commisimus excessuum obiectorum. *Et infra*: Cùm autem processum negotij, & dicta testium examinauerimus diligenter, nec intelligere potuerimus, probatum esse sufficienter aliquid de prædictis, eundem Episcopum de consilio fratrum n. absoluendum decreuimus ab obiectis per A. s. m. quat. memoratum Magistrum Schol. donec canonicè suam *i* purgauerit innocentiam, scilicet quod non calumniandi animo ad huiusmodi crimina proponenda processit, ab officio, & beneficio suspendatis, vt cæteri simili pœna perterriti, ad infamiam suorum facilè non prosiliant *k* Prælatorum.

N O T Æ.

1 a INnocent.] Ità legitur in tertia collectione, *sub tit. de accusat. cap.7.* ex quo textum transcribo; sed legendum est, vt habetur in hac sexta collectione, *Zamorensi, Segouiensi, & Abulensi Episcopis*: nec est cur textus hic tribuatur Honorio III. vt aliqui voluerunt, cùm non reperiatur in eius quinta compilatione, & extet in tertia collectione epistolarum Innocentij III.

b *Zamorensi*.] D. Petro videlicet, qui his prioribus annis Innocentij II. floruit: de qua diœcesi egi *in cap.5. de supplenda neglig.*

2 c *Segouiensi*.] D. Petro videlicet, qui etiam à suis clericis fuit falsò accusatus, vt refert Ægidius Gonzalez *in theatro ipsius Ecclesiæ, in eius vita*. De hac Ecclesia egi *in cap.6. de in integr. restit.*

d *Abulensi*.] Benedicto I. huius nominis. De hac diœcesi egi *in d. cap.5. de supplenda neglig.*

3 e *Palentino*.] D. Alderico videlicet, qui floruit in Ecclesia eximijs virtutibus præditus vsque ad annum 1208. adeòque sanctimonia claruit, vt in ipsa Ecclesia reuerentet seruentur sandalia ipsius, cum hoc titulo: *Sandalia S. Alderici*, vt refert Ægidius Gonzalez *in theatro ipsius Ecclesiæ*. De ea Ecclesia egi *in cap 6. de in integrum restitut.*

4 f *Legion.*] D. Petro Muñiz, qui postea fuit Compostellanus Præsul, vt in histor. ipsius Ecclesiæ Compostel. refert Ægidius Gonzalez *fol.93.* De ea Ecclesia egi *in cap.6. de in integrum restit.*

5 g *Vallebona*.] Vallisbonæ, vulgò *Valbuena*, monasterium est Ordinis Cisterciensis in diœcesi Palentina, sexto lapide ab Vrbe Vallis Oleti, quàm fundauit Comitissa Stephania, sub cura Episcopi Placentini: eius originem, & progressum refert Manrique *tom.2. annal. Cisterc. anno 1151. cap.11.*

6 h *Matiplana*.] Legendum est *Mataplana*, quod monasterium vulgo dictum Matallana, est Ordinis Cisterciensis in Diœcesi Palentina, quinto lapide à Val-lis. Oleto, tertio ab Emerita Augusta; vulgò *Medina de Rioseco*, constructum anno 1171. cuius historiam latè refert Manrique *tom.3. annal. anno 1174. cap.6.*

7 i *Purgauerit*.] Conuincitur quis de calumnia secundùm quosdam, eo ipso quod non probat quod intendit, vt doceri videtur *in cap. calumniator, cap. qui non probat, 2. quæst.3. l.1. C. de aduocat. diuers. iudic. l.3. §. idem Diuus, de testibus, leg.1. in fine, C. de famosis libell. leg. si quis ad se, Cod. ad leg. Iul. de vi, l. non ignoret, Cod. de fructibus, & litt. expens.* Sed non est ita, quia non protinus calumniari videtur, qui non probat quod intendit; vnde eius rei inquisitio fieri debet, qua mente ductus ad accusationem processit, & tunc condemnabit eum iudex, vel absoluet, ex traditis proximo commentario. Quatenus autem in præsenti denunciator ob calumniam puniatur, cùm regulariter ipse subscribere non teneatur, exposui *in cap. super his de accusat.*

8 k *Prælatorum*.] Ideòque licèt tantummodò delator esset, punitur ob calumniam. Facit Theodoricus Rex apud Cassiodor *lib.1. variar. epist.9.* ibi: *Tuta est conditio subiectorum, vbi viuitur sub æquitate regnantium: nec dubio decet rumore trahi, à quo debent non mutanda constitui: fidem siquidem rerum à ratione colligimus (quæ nunquam desiderantibus absconditur, si suis vestigijs perquiratur;) atque ideò, quod Beatitudini vestræ grauissimum esse confidimus, præsenti tenore declaramus, Augustanæ ciuitatis Episcopum proditionis patriæ falsis criminationibus accusatum: qui à nobis honori pristino restitutus ius habeat Episcopatus omne quod habuit; nihil enim in tali honore temeraria cogitatione præsumendum est, vbi si proposito creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur. Manifesta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem (quicquid autem ex inuidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores eius legitima pœna percellere: sed quoniam ipsi Clericatus nomine fungebantur ad Sanctitatis vestræ iudicium cuncta transmittimus ordinanda, cuius est & æquitatis moribus talibus imponere, quam nouimus traditionem ecclesiasticam custodire.*

TITVLVS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spirituali exigatur, vel promittatur.

CAPVT PRIMVM.

a Gregorius *Generali Synodo præsidens.*

ANtiquam Patrum regulam sequens, nihil vnquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex *b* datione pallij, neque *c* ex traditione chartarum, nec ex ea, quam noua per ambitionem simulatio inuenit, appellatione *d* pastelli. Quia enim ordinando Episcopo *e* Pontifex manum imponit, Euangelicam verò lectionem minister legit, confirmationis autem eius epistolam *f* notarius scribit, sicut Pontificem non decet, manum quam imponit, vendere: ita minister, vel notarius non debet in ordinatione eius vocem suam, vel calamum venundare. Pro ordinatione verò, vel pallio, seu chartis, atque pastello, eundem qui ordinandus, vel ordinatus est, omninò aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus, si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere, vel deferre fortè præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatui subiacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus post acceptas chartas, & *g* pallium aliquid cuilibet ex Clero gratiæ tantummodò causa dare voluerit, hoc accipi *h* nullo modo prohibemus; quia eius oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.

NOTÆ.

1 a GRegorius.] Itâ etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 1 Gratian. *in c.* 3. 1. *q.* 2. tribuit textum hunc Vrbano Hallier. *de sacrit elect. sect.* 7. *art.* 7. §. 5. ait deductum esse ex Synodo Romana celebrata à Gregorio VII. sed verus auctor huius textus est Gregorius Magnus in Synodo Romana, anno 5. Pontificatus ipsius celebrata, tempore Mauricij, Tiberij, & Theodosij Imperatorum, vbi *can.* 5. reperitur textus hic prout eum transcribo ex ipso Concilio. Etiam reperitur inter opera ipsius Gregorij *lib.* 4. *epist.* 44. occasionemque huius canonis ita narrat Ioannes Diaconus *in vita sancti Gregorij*, *lib.* 3. *cap.* 5. *Cùm verò quosdam cognosceret ad euitanda Simoniacæ hæresis crimina pestiferæ negociationis munera pastellaticum calliné vocitasse, ac huiusmodi mutato nomine suæ cupiditatis auaritiam velle contegere, prudentissimus Doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui Pontificatus coram Synodo promulgauerat, iteratò protulit, dicens: Antiquam, &c.* Hæc prior Gregorij constitutio extat *lib.* 4. *Regestr. epist.* 55. *& in cap.* 3. 100. *dist.* & iuxta eam varijs Prælatis scripsit idem Gregorius *lib.* 4. *epist.* 51. 53. 55. & 56 *lib.* 5. *epist.* 1. *lib* 7. *c.* 5. 113. 114. *lib.* 9. *epist.* 40. 51. 53. 54. *lib.* 11. *epist* 46.

2 b *Datione pallij.*] Idem Gregorius *lib.* 4. *epist.* 55. *ad Ioannem Episcopum Corinthiorum*, relatus *in cap. nouit*, 100 *dist* expresè prohibet aliquid accipere pro pallio: notauit Coqueus *in antimorn. p.* 1. *ad pag.* 31. *fol.* 114. Vnde cùm sanctus Bonifacius in Concilio Liptinensi celebrato anno 743 falso nuncio accepisset, quod pro pallijs concedendis duobus Archiepiscopis Germaniæ pecuniam Zacharias Pontifex accepisset, statim litteris suis ipsum Pontificem redarguit simoniacæ labis: sed ei mitissimè respondens Zacharias *epist* 8. asserit, nihil tale se cogitasse, cum nec etiam pro ipsis rescriptis, ac diplomatibus, quæ ab eius scrinio procederent, consueuisset aliquid exigi, quin potius anathematizasse se omnes quicunque ausi essent donum Spiritus sancti vendere. Refert Baronius *d. ann.* 743. Leo II. sedens anno 682. constitutionem edidit, quam Anastasius scribit Archiuo inclusam esse, vt qui ordinatus esset Archiepiscopus, nihil pro vsu pallij persolueret. Alia tradit Roussell. *lib.* 5. *hist. Pont. iurisd. c.* 3.

3 c *Traditione chartarum.*] Idest pro expeditione litterarum ordinationis, quas Presbyteri à suis ordinatoribus accipiebant, iuxta Concil. Afric. *cap.* 89. *Deinde placuit, vt quicunque deinceps ab Episcopis ordinantur, per prouincias Africanas litteras accipiant ab ordinatoribus suis manu eorum subscriptas, continentes Consulem, & diem, vt nulla altercatio de posterioribus, vel anterioribus oriatur.*

4 d *Pastelli.*] Temporibus Gregorij Magni, cùm tot Ecclesiæ legibus, & ab ipso Pontifice specialiter prohibitum esset pro ordinibus conferendis aliquid ministrum ordinantem ab ordinatis recipere, cœpit introduci consuetudo, vt nomine pastus, seu pastelli ordinatores ab ordinandis aliquid exigerent: quam consuetudinem Simoniæ labem continentem, & ex radice auaritiæ ortam damnauit Gregorius *in præsenti canone*, & postea eundem morem improbarunt Paschalis *in cap. si quis obiecerit* 10. *q.* 3. ibi: *Nequis pastum, vel pastillum ante, vel post ordinationem, beneficijve ecclesiastici possessionem soluat.* Innocent. II. *in c. fin.* 1. *q.* 3. ibi: *Nec pro pastu, nec sub obtentu alicuius consuetudinis ante, vel post à quoquam aliquid exigatur, vel ipse ordinatus dare præsumat, quoniam Simoniacum est.* Et ita pastelli appellatione in præsenti comprehenditur omne, quod prætextu pastus ordinator ab ordinato exigit, vt exponitur Hallier. *de sacrit elect. sect.* 7. *art.* 6. Vossius *de vitiis sermonum*, *lib.* 3. *cap.* 33.

5 e *Pontifex manum imponit.*] Raymundus posuit *Episcopus*; vt ita generaliorem faceret præsentem prohibitionem ad omnem ordinationem; cùm Gregorius ageret tantum de consecratione Episcopi, in qua Pontifex, vel Episcopus consecrator manum imponit super caput consecrandi, vt probant Hallier. *de sacrit elect. cap.* 9. §. 3. *n.* 6. Diana *p.* 12. *de consecr. Episcopor. resol* 18. qui varias rationes huius manus impositionis adducunt, & in ea consistere materiam consecrationis Episcopalis pluribus relatis post Hilarium defendit Diana, vbi suprà, *resol.* 18.

6 f *Vel notarius.*] Consonant Zacharias suprà citatus *epist.* 8. ibi: *Cùm nec pro rescriptis, nec pro diplomatibus, quæ ab eius scrinio procederent, aliquid exigi consueuisset.* Concil. Bituricense *can.* 3. apud Lemouic. *act.* 2. ibi: *Episcopi de sacris ordinibus munus non accipiant, nec aliquis loco eorum, nec aliquis de subiectis eorum, sicut pro scribendis nominibus ordinandorum solebant scriptores pretium accipere.* Sed circa notarios litteras dimissorias, & testimoniales scribentes, iam communiter placuit distinguendum esse, an salarium habeant publicè constitutum ab Ecclesia, seu ab Episcopo, vel nullum salarium habeant. Vt primo casu nihil recipere possint pro huiusmodi chartis, secundo verò casu saltem per modum stipendij, non pretij (nam actiones istæ, vtpotè spiritualibus annexæ, vendi non possunt) moderatam quandam pecuniæ summam exigere valeant, quam taxarunt Concilia Rauennat. 2. temporibus Clement. V. *rubr.* 32. ibi: *Item, quòd indebitæ exactiones à notarijs, & sigilliferis Dominorum Episcoporum taxentur, & moderentur in omnibus, præsertim in ordinationibus, vt vltra duos venetos non possint accipere pro scriptura, charta, schedula, cera, & sigillo: & si querela super hoc in medium prodierit, ipse notarius officialis suspendatur in dicta Curia Episcopali vsque ad aliud prouinciale ab officio suo.* Rauennat. 4. sub Ioanne XXII *rub.* 24. In Concil. Palentino à Guillelmo A. S. Legato celebrato temporibus Ioannis XXII. ibi: *Ordinati, si post receptionem ordinis pro scriptura, labore, charta, & cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi minimè prohibetur; ita tamen, quod gratuita oblatio summum quinque maraaedi-*

norum vsualis monetæ aliquatenus non excedat; à pauperibus autem, aut nihil, aut minùs recipiat pro prædictis. Et paulò post: *Nec notarius, seu scriptor quicquam, nisi moderatum, exigat pro collationis littera, & sigillo.* Toletano sub Clemente VI. *tit. de Simonia.* Toletano sub Sixto IV. ibi: *Notarij verò pro litteris ordinum decem tantùm marapetinos recipere debeant, & si contrà fecerint, quod receperint, duplicatum restituant, sequenti Concilio applicandum.* Trident. *sess.21. de refor. c.1.* Et ità cùm tot Concilijs concessum sit notarijs salarium non habentibus aliquid recipere pro prædictis litteris, vllam Simoniam in tali receptione non committunt. Docuerunt Suar. *lib.4. de Simon. to.1. de relig. c.10.* Binsfeld. *in præsenti, q.2.* Gibal. *de Simonia, q.14. consectar.12.* qui etiam resoluunt, non teneri Episcopum constituere salarium suo notario, sed posse iuxta consuetudinem receptam in ea diœcesi illi permittere prædictum stipendium: & etiam docent, quod quando notarius accipit plus pro testimonialibus Presbyteratus, quàm Diaconatus, Simoniam committit. Ratio est, quia tunc taxatur, & venditur dignitas ordinum, quæ vendi taxative non potest; notario verò nihil competit, nisi ratione laboris, qui æqualis est respectu omnium ordinum.

7 g *Pallio.*] Archiepiscopis tradendo à Pontifice, iuxta adducta *in c.1. de auctorit. & vsu pallij*; vnde deducitur, Rom. Pontificem Simoniam committere, si rem spiritualem, vel ex sua natura, vel ex diuina, aut ecclesiastica institutione sacram vendat, licèt pœnis Simoniaci non teneatur, vt probat Gibalin. *de Simonia, q.4. consect.5.* & distinctione adducta inter casum, in quo Simonia committitur à iure diuino, & cùm tantùm à iure ecclesiastico, exponit Binsfeldius *in præsenti, q.1.*

8 h *Nullo modo probibemus.*] Consonat textus *in c. etsi quæstionis, hoc tit. c. quicquid 1. q.1. c. vt eulogias, 19. dist.* Idem D. Gregor. *lib.4. regestr. epist.44.* Concil. Bracharen. *2. can.7.* vbi PP. permittunt, quod parentes infantium baptizandorum voluntariè offerant pro suo voto, *c. dilectus, 2. de Simonia*, ibi: *Illud gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Et *cap. tua nos, hoc tit.* Hinc D. Hier. relatus *in c. indices, 1. q.1.* Samuelem quamuis ob acceptum prophetic um oraculum Saul illi quartam partem sicli donauerit, à Simoniæ labe excusat, eò quòd cùm modici valoris esset illa pecunia, in grati animi significationem dari, & in memoriam gratitudinis accipi solùm videretur; quæ enim post ordinationem dantur, nullo præcedente pacto, nulla turpi conuentione præmissa, iudicium eligentis, seu ordinantis nullatenus corrumpere potuerunt; ideòque gratitudinis, & honorarij videntur esse testimonia, non pretij pro ordinatione dati augmenta. Si autem munus quodcunque ante ordinationem persoluatur, facilè Simonia præsumitur, quia vt ait Innoc. III. *in c. in tantùm, hoc tit.* expressitis exprimit venditionis speciem, qui prius recipit pretium, quàm rem conferat pretiosam: quę suspicio cessat cùm post ordinationem modicum munus accipitur. Quam doctrinam confirmat Cyril. Alex. *lib.12. de adorat. in spiritu*, qui asserit sacerdotes nihil accipere debere nisi post sacramenti collationem. Quod Mosaicæ legis præcepto relato *Leuit. c.7.* significari docet, vtpotè quo sacerdotes non nisi ex reliquijs sacrificij epulari iubebantur, ideòque filij Heli, vt habetur *lib.1. Reg. c.2.* grauiter peccasse dicuntur, quòd carnes caperent, antequam Domino offerrentur. Nec contrarium docuit D. Basil. in Epist. canonica ad Episcopos sibi subditos, apud Balsam. & habetur *to.2. operum eius*, ibi: *Quod est eorum artificium, dicam; existimant enim se non peccare, quòd neque simul accipiant, sed post ordinationem captant. Capere autem quandocunque est capere.* Eadem ijsdem ferè verbis habentur in Epistola Tharasij Constantinopolitani ad Hadrianum Summum Pontificem; quorum quidem sententiæ de muneribus alicuius momenti videntur mihi intelligendæ. Certum enim est, in praxi valdè differre, vt probauimus, aliquid modici valoris accipere post ordinationem, & aliquid ante ordinationem, quod sit alicuius momenti, accipere; in hoc siquidem Simoniæ suspicionem iure fundari, semperque mali speciem delitescere; in illo secus apparet: magni tamen valoris munera, etsi post ordinationem spōtè oblata sint, non tamen spontè oblata præsumi, sed suspicionem inducere, quasi antea oblata fuerint, experientia docet. Vnde in ijs, siue ante, siue post ordinationem dentur, licèt quoad rem sit differentia, tamen quoad suspicionem vix aliquam reperiri, verisimile est. Vel etiam dici potest, quòd cùm aliquid modicum datur gratuitò, attendenda est intentio, an principaliter referatur ad ordinis collationem, ita vt tanquam pretium ipsius detur; an verò nulla habita relatione ad ordinationem: nam primo casu Simonia committitur, & procedunt Basilius, & Tharasius suprà relati. Quæ Tharasij auctoritas extat *in c. eos, 1. q.1.* Quare in hac ambiguitate, & vt omnis penitus Simoniæ species vitaretur, prohibitum fuit etiam post ordinationem aliquid ab ordinatis recipi, *c. si quis obiecerit, 1. q.3.* Innoc. II. in Synodo Romana *can.2.* Conc. Tolet. sub Sixto IV. celebratum anno 1473. ibi: *Ordinationum collatio gratiosè à sanctis Episcopis est concedenda, cùm præcipuè ordo sit sacramentum spirituale. Præcipimus igitur vniuersis Episcopis nostræ prouinciæ, vt pro conferendis ordinibus quibuscumque nihil penitus ante, vel post, seu cùm ijdem ordines celebrant, exigant, seu recipiant.* Trident. *sess.25. de refor. c.1.* prosequuntur Hallier. *de sacris elect. d. sect.7. art.5.* Binsfeld. *in cap. etsi quæstionis hoc tit.* Gibalin. *de Simon. q.18. consect.2.*

COMMENTARIVM.

9 Licèt in præsenti Epistola agat B. Gregor. de consecr. Episcopi, tamen ex ea, prout iacet in hac sexta collectione, DD. deducunt Episcopum nihil pro ordinatione recipere posse, nec ministros aliquid temporale exigere. *Conclusio traditur, & probatur.* Sed iuxta Gregorij mentem conclusionem ita deducimus. *Pro ordine conferendo minister, vel eius notarij nihil temporale exigere possunt.* Probant eam textus *in can.21.* aliàs *28. Apost. c. qui studet, c. reperiuntur*, cum alijs quamplurimis compilatis à Gratiano *in caus.1. q.1. c.1. 1. q.5.* Synodus Nicæna *2. can.5. Qui donatione auri ordinauerunt, in Ecclesia vltimum gradum habeant, & sui ordinis, si perseuerant, pœnis corrigantur.* Et *can.19. Episcopus, Præpositus, Clericus vel cessent à Simonia in datione ordinum, vel susceptione monachorum; vel deponantur.* Aurel. *2. can.3. Ne quis Episcopus pro quibuslibet causis, vel Episcoporum ordinationibus, ceterorumque præsumat clericorum aliquid accipere, quia sacerdotem nefas est cupiditatis venalitate corrumpi.* Turon. *2. can. vlt. Nullus Episcoporum de ordinationibus clericorum præmia præsumat.* Cabil. sub Carolo *can.16. Statuimus, vt sicut pro dedicandis basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, &c.* Aquisgran. 2. sub Ludou. Pio, *p.1. c.5.* ibi: *Nullus Episcoporum, vel ministrorum ipsorum deinceps pro distributione sacrorum ordinum, &c. aliquid exigere præsumat.* Bituric. apud Lemouic. *act.3. Episcopi de sacris ordinibus munus non accipiant.* Pictau. *can.4. Nullus Episcopus pro sacris ordinibus, vel pro Ecclesiarum benedictionibus munus accipiat.* Brach. *2. can.3. De ordinatione clericorum Episcopi munera nulla accipiant.* Barchin. *2. can.1.* Tolet. *6. can.4.* Brachar. *3. can.7.* Forojul. *can.9.* Meld. *can 45.* Tolet. *8. can 3.* Vrban. II. in Conc. Placent. *can.8.* Synodus Romana sub Gregorio II. Synodus Romana sub Nicolao II. Synodus Romana sub Innoc. II. sexta Synodus Trul. *can.6.* quorum canonum, & aliorum verba refert Ant. August. *lib.4. tit.52. & lib.6. tit.47. & 48. & lib.8. tit.36. & lib.28. tit.31.* Salegustad. *can.3. Item vt Episcopi de sacris ordinibus munus non accipiant, neq; aliquis de subiectis eorum, sicut pro scribendis nominibus ordinandorum solebant scriptores pretium accipere.* Coloniens. anno 1536. *cap.28. Nolumus, vt ab initiatis quidquam vel sigilli nomine à vicarijs nostris in Pontificalibus exigatur; sed tantùm scribę earum litterarum, quæ formatæ appellantur, vnus albus soluatur.* Romanum sub Benedicto, quod edidit Petrus Balluzius *ad P. Marcham lib.6. c.10.* Gennad. *in epist. missa ad omnes Metropol.* quem refert Quintanaduẽñas *Eccles. lib.2. n.20.* Consonat Trident. *sess.25. de refor. c.1.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & Summistas *verb. Simonia*, Binsfeld. *ad hunc text.* Decian. *lib.5. tract. crimin. cap.85.* Hunnius *in encyclop. canon. tit.4.* Cresolius *lib.4. mystag. c.32. sect.2.* Mancin. *dissert.28.* Balsamon *in nomocan. tit.27 & 34.* Roussel. *lib.5. histor. iuris Pontif. c.4.* Lemaistre *de iurib. Episcopor. lib.2. c.5.* Araujo *in qq. moral. disput.14. per totam.* Hallierius *de sacris elect. sect.7. art.7.* Fragoso *de regim. p.1. lib.2. disp.4. §.23.* Scortia *in select. epit.3. theorem.4.* Barb. *lib.1. iuris Eccles. c.33. n.199.* Vighel. *in method. iur. cau. fol.108.* Victoria *in relect. de Simonia*, Gibalinus *eod. tract. q.6. consect.17.* Lantdmeter. *de veteri monacho, lib.2. c.32. & 33.* Petrus Gregorius *lib.1. partit. tit.3. c.5.* Duarenus *de sacris Eccles. lib.6. c.2.* P. Marcha *lib.6. concord. cap.10.*

Sed hæc assertio difficilis redditur ex praxi Ecclesiæ recepta, 10

cepta, moribuſque iamdiu vſitatis, tam in conſecratione Pontificis, quàm in Epiſcoporum conſecratione. Nam conſtat iam ante tempora D. Gregorij Imperatores à Summo Pontifice a uri aliquam ſummam pro confirmatione electionis diutiùs exegiſſe, nec ſummum Pontificem priùs ordinari, quàm pecuniam perſolueret, *cap. Agathoſa, 63. diſtinct.* & eam pecuniam perſoluiſſe ſanctum Gregorium pro ſua ordinatione, refert Ioannes Diaconus *in vita ipſius Gregorij, lib.*1. Ipſeque Gregorius exponens Pſalmum 4. Pœnitent. idem narrat. Quæ conſuetudo diutiùs durauit in Imperio Orientali; nam Imperatoribus Græcis mos erat, vt Patriarchas vel ipſi eligerent, vel ſaltem ex tribus electis, quem vellent, alijs præferrent, qui honorarium, ſeu tributum aliquod pro inſtitutione ſua perſoluebat, vt referunt Cantacuzenus *lib.*4. *hiſt. cap.*37. Codinus *de offic. domus Auguſt. cap.*20. quod tributi genus Turcæ proſequuti fuerunt, à Patriarchis exigentes duplicem penſitationem: primam appellant *Peſceſion*, quam pro ſacerdotio ineundo Patriarcha pendit; alteram dicunt *Charatcion*, quam ſingulis annis Imperatori ſoluunt. Vtriuſque tributi meminerunt Zigomalas *in Turco-Græc. chron.* Conſtantin. Malaxias *in hiſt. Patriarch. CP.* Et cùm tributum charatcion eſſet tantùm bis mille ducatorum, auctum eſt ſubinde Patriarcharum ambitione Sultano fœdiſſimè adulantium, vſque ad ſummam centum & quatuor mille ducatorum, vt referunt ex Græcis Hiſtoricis Hallierius *de ſacris elect. ſect.*7. *art.*3. Lemaiſtre *de iuribus Epiſc. lib.*2. *cap.*5. Etiam Imperatores à nouis Epiſcopis pecunias exegiſſe pro confirmatione, ſeu inauguratione, legimus: quare Anaſtaſio Synaitæ infenſum fuiſſe Iuſtinum, eò quòd pecuniam noluiſſet præſtare nomine dignitatis recenter acquiſitæ, narrat Euagrius *lib.*5. *cap.*5. Et pro electione S. Galli Aruernos ad Regem Theodoricum munera pro confirmatione electionis detuliſſe, tanquam rem vulgò vſitatam, narrat Gregor. Turon. *de vitis Patrum, cap.*6. Et æuo Iuſtiniani inualuerat conſuetudo, quam ipſe Princeps in nouella 123. *cap.*3. confirmat, vt Epiſcopi pro inthronizatione ſua certam pecuniæ ſummam darent: quod explicat P. Marcha *lib.*6. *concord. cap.*10. Ergo alienum non eſt à diſciplina Eccleſiaſtica pecuniam pendere pro inauguratione, ſeu conſecratione miniſtrorum Eccleſiæ. Accedit, nam Curia Romana debet eſſe cæterarum inferiorum exemplar, *cap. in cauſis, de re iudic. cap. ſignificaſti, de elect.* Sed in ea magna argenti ſumma penditur pro confirmatione Epiſcoporum, vt latè probant Rouſſell. *lib.*5. *hiſtor. Pontif. iuriſdict. cap.*4. P. Marcha *d. cap.*10. & pro vitanda frequenti Epiſcoporum translatione, Magno noſtro Monarchæ fusè propoſuit Magiſtèr Fr. Ioannes Martinez *diſcurſ.*1. *polit. moral.* Ergo & in alijs Curijs Epiſcoporum licitè pecunia exigitur pro ordinatione, aut litteris dimiſſorijs, ſeu teſtimonialibus, à notarijs Epiſcoporum, ad exemplum Abbreuiatorum, & Plumbatorum Cur. Rom.

Traditur dubitandi ratio.

11 Simoniæ etymon. Qua dubitandi ratione ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſcire oportet, Simonem Magum primum hæreticum, non ſolùm ſe Deum eſſe aſſeruiſſe, & ita Romanam ciuitatem ſeduxiſſe adeò, vt Imperator Claudius ei ſtatuam erexiſſet in amne Tyberis, inter duos pontes, cum hac inſcriptione, *Simoni Deo Sancto*, vt referunt Iuſtinus Martyr *apolog.*2. Aloix *in vita ipſius Sancti, cap.*5. Tertul. *in apolog.* verùm & animum habuiſſe emendi donum conferendi Spiritum ſanctum à D. Petro, id eſt ſacram ordinationem, vt ipſe alijs eam venderet, credens pecunia donum Dei poſſideri poſſe, vt refert Actuum Apoſt. *cap.* 8. & expreſſit Caſſiodorus *lib.*9. *variar. cap.*15. ibi: *Recolatur, & timeatur Simonis iuſta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem.* Vnde tale crimen perpetrantes Simoniaci, tanquam Simonis diſcipuli, dicti fuerunt, *cap. qui ſtudet, cap. Saluator, cap. reperiuntur,* 1. *q.*7. *c. quidam, §. Simoniaci,* 24. *q.*3. *l.*1. *tit.*27. *p.*1. docuerunt D. Ambroſius *de pœnit. c.*4. D. Thom. 2.2. *q.*100. *& in* 4. *diſt.*25. *& quodlib.*2. *&* 18. Redoanus *de Simonia,* 1. *par. quæſt.*1. Leſſius *de iuſt. lib.*2. *c.*35. Suarez *de relig. tom.*1. *tract.*4. *de Simon. cap.*51. omnes Summiſtæ *verbo Simonia*, Arauio *in qq. moral. diſput.*4. *p.*2. *art.*1. Nam licèt ante ipſum Baalam ſuas locauerit operas, vt populum Dei benediceret, *Num. cap.*21. & refertur *in c. ſicut* 3. 2. *q.*7. & ſacra pagina *lib.*4. *Regum c.*5. refert Giezi à Naam Principe Aſſyriorum, quem Eliſeus à lepra mundauerat, duo talenta accepiſſe: & de Ieroboam *lib.*3. *Regum, cap.*13. ſcribitur, quod quicunque implebat manum ſuam, fiebat ſacerdos; & quod propter hanc cauſam peccauit domus Ieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ: & ſimiliter de Iaſone refertur *lib.*2. *Machab. cap.*4. Oniæ ſummi Pontificis fratre, quod Antiochum Regem adijt, eique argenti trecenta ſexaginta talenta, vt ſummum adipiſceretur Sacerdotium, promiſit; tamen à Simone Simonia nomen accepit: tum quia illi verè Simoniaci non fuerunt, vt probat Gibalinus *de Simonia q.*6. *conſect.*4. *&* 16. tum quia ipſe Simon non ſolùm emere, verùm & vendere gratiam Spiritus ſancti intendebat, vt latè probat P. Suarez vbi ſuprà; & quia ipſe adhuc neophytus, ſtatim ac baptizatus fuit à Philippo Diacono in Samaria, donum Spiritus ſancti emere propoſuit, ideò & Simoniaci neophyti dicuntur, *cap. quiſquis* 5. *q.*1. proſequuntur latiùs Simoniæ etymologiam Binſfeldius *in præſenti rubr.* & Suarez *vbi ſuprà*, Lotherius *de re benef. lib.*3. *q.*29. *& lib.*4. *q.*1. *num.*3.

Deinde ſciendum eſt, Simoniam ob eius grauitatem 12 Simoniæ grauitas.
varijs nominibus à Sanctis Patribus appellari: dicitur abſolutè labes, *cap. ſicut, cap. tanta, hoc tit.* cuius vocis rationem illuſtrat Petrus Andreas Gamaro *in extrauagant. Iulij VI. n.*177. *tom.*5. *repetit.* lepra *in cap. cùm ordinarent,* 11. *quæſt.*1. peculiare flagitium *in cap. quiſquis, ead. quæſt.* vulnus cancroſum *in cap. reperiantur,* 1. *quæſt.*1. ſacrilegium *in cap.*1. 1. *q.*3. cùm reuerà ſit profanatio rei ſacræ per voluntariam commutationem, vt explicat Gibalin. *de Simon. q.*4. *conſect.*1. rabies *in cap.*3. *hoc tit.* horribile crimen *in cap. in Eccleſia, hoc tit.* & hæreſis; ac Simoniaci hæretici dicuntur *in cap. Presbyter,* 1. *q.*1. quod malè ex regeſtro Sancti Gregorij citat Gratianus, cùm in eo non reperiatur, ſed apud Gregorium VII. *lib.*6. *regeſtr.* in indice Concilij tunc habiti, *in cap. liqueat* 13. *cap.*21. *&* 107. 1. *q.*1. *cap.*3. *& fin.* 1. *q.*7. Concil. Meldenſ. *canon.*42. Turonenſe ſub Carolo *can.*15. Rhemenſe *can.*21. Maguntin. ſub Rabano *can.* 12. Magunt. ſub Arnulfo *can.*6. non vt docet Gerſon *tract. de Simon. conſider.*7. quia Simoniaca labes per ſe ſit hæreſis; nam conſtat aliquem eſſe Simoniacum ex ſola deprauatione affectus per auaritiam, remanente iudicio recto intellectus; ſed præſumptione iuris, vel operis, quia cùm putent ſpiritualia eſſe venalia, in fide ſuſpecti habentur, vt explicant Hallier. *d. ſect.*7. *art.*2. *§.*2. Menochius *lib.*5. *de præſumptionib. præſumpt.*7. *n.*30. Simanchas *de Catholicis, tit.*31. Sotus *lib.*5. *de iuſtit. quæſt.*9. *art.*1. quia perinde ſe gerunt, ac ſi de fide malè ſentirent, vt animaduertit D. Gregorius *lib.*9. *epiſt.*53. *ad Theodoric. Regem.* Nec ſolùm hæreſim Simoniam eſſe, verùm & damnabiliorem hæreſim quàm hæreſim Macedonianam, dixit Tharaſius relatus *in cap. eos* 1. *q.*1. explicat D. Thomas *d. quæſt.*100. *art.*1. *ad* 1. & hæreſim, teterrimamque eſſe docet Goſtridus Vindocinenſis *in opuſcul. de Simonia,* & omnium hæreſeon prodromam eſſe, docet Gregorius VII. *lib.*11. *epiſt.*34. ibi: *Hanc hæreſim ante omnes alias, radice peſtifera in Eccleſiam irrepſiſſe, atque in ipſo portu Apoſtolico, maledictionis telo eſſe damnatam.* Et idololatriam Simoniam eſſe, docuit Gregorius noſter *lib.*9. *ep.*53. rationem reddens his verbis: *Cùm enim omnis auaritia idolorum ſit ſeruitus, quiſquis hanc, & maximè in dandis Eccleſiaſticis honoribus, vigilanter non præcauet, infidelitatis proditioni ſubijcitur, etiamſi tenere fidem, quam negligit, videatur.* Tandem Simoniam crimen eſſe omnibus maius, dixerunt Paſchalis II. *in cap. fin.* 1. *q. vlt.* ibi: *Simoniaci primi, & præcipui ſunt hæretici, omnia etiam crimina ad comparationem ſimoniacæ hæreſis, quaſi pro nihilo reputantur.* Lucius III. *in cap. Simoniaca,* Innoc. III. *in cap. per tuas, hoc tit.* cuius dicti ratio peti poteſt ex D. Ambroſio relato *in cap. citò,* 1. *q.*1. & explicat Hallier. *d. ſect.*7. *art.*2. & quia peccatum hoc propriè eſt contra Spiritum ſanctum, hinc refert P. Damian. *ep.*1. *c.*7. Simoniacum quendam ſcelus ſuum paruipendentem, iuſſum pronunciare dorologiam S. Trinitatis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto,* nequiuiſſe dicere, *& Spiritui ſancto,* ſed tantùm, *Gloria Patri, & Filio,* etiamſi ſecundò, & tertiò idem iterando conatus fuiſſet addere, *& Spiritui ſancto*; ſed fruſtrà. Nam vt ſubijcit Damianus: *Meritò Spiritum ſanctum dum emit, amiſit, vt qui excluſus erat ab anima, procul etiam conſequenter eſſet à lingua.* Hinc rurſum Henric. II. Imperator anno Domini 1047. ob Simoniæ labem ab Spiritu ſancto deſertus, profeſſus eſt ſe toto triduo dæmones infeſtos vidiſſe, flammam in ſe per fiſtulā

iaculantes ad eò pertinacem, vt noster ignis in comparatione illius jocus putetur, & nihil calere; sed liberatum fuisse à iuuene semistulato, scilicet à sancto Laurentio, cuius Ecclesiam restaurauerat. Ità ex Vuillelmo Malmesburiensi, & Matthæo Vvestmonasteriensi refert Baronius *tom.11. anno Christi* 1047. *&* 1063. quæ, & alia horribilia exempla refert Vilaroel. *p.1. regim Eccles. q.1. art.13.* Beyerlinch *in theatro, verbo Simonia*: & latè grauitatem simoniæ expendit Theophilus *tom 12. tract. mala è bonis Eccles. lib.2. sect. 1. cap.3. per totum.*

13 Simoniæ definitio. Deinceps sciendum est, Simoniam variè definiri ab Interpretibus: ea tamen receptior, communiorque definitio est, vt Simonia sit *studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Quam sequuntur Theologi scholastici cum D. Thoma *in 4. dist.* 25. Decretistæ *in causa* 1. pluribus relatis Binsfeldius *in præsenti rubric. notabili* 7. Gibalinus *de Simon. q.1.* Conradus Kling. *lib.3. disp. cap.*49. Redoanus *eod. tract. 1. p. c.2.* & probari videtur *ex l.1. tit.17. p.1.* vbi Gregor. *verb. Voluntas, cap. quicunque studet, cap. qui studet, 1. q.1.* Sed aduersus eam nonnulla præiacit Marianus Socinus, illud præcipuè, quod in ea solum mentalis Simonia videatur definiri, quæ pœnis Ecclesiæ non punitur, vt dicemus infrà *in cap. fin. hoc tit.* Nec etiam voluntas emendi spirituale dicitur Simonia, sed voluntas Simoniaca: & tandem quia cætera crimina non definiuntur per verba *studiosa voluntas*: quare Glossa *in d. cap. quicunque, capite qui studet*, prædictæ definitioni addebat, *cum effectu*, vt sic actualem Simoniam comprehenderet. Alij addunt, *opere subsequuto*, vt Abbas *in cap. nemo, hoc tit.* Hostiensis, *in cap. tua nos, hoc tit.* Henricus *in cap. fin. hoc tit.* Richardus *in 4. dist.25. q.1.* Sed huic sententiæ repugnant illa verba, *studiosa voluntas*; vnde Palacios *lib.2. de contract. cap.7.* Simoniam definit, vt sit commutatio rei spiritualis pro temporali. Sed adhuc defendenda est communis definitio, nec per illa verba, *studiosa voluntas*, Simonia mentalis definitur, vt vulgò receptum est, sed actualis etiam, quæ per dationem rei temporalis pro spirituali, vel è contrà committitur; quia vt docet D. Thomas *d. q.* 100. *art.1*, quem sequitur Sotus *lib. 9. de iustit. quæst.3. art.2.* tribus rationibus spiritualia nec emi, nec vendi possunt. Prima, quia nullo pretio æstimari valent: secunda, quia nemo etiam Pontifex est illorum dominus, sed tantum dispensator, iuxta D. Paulum *ad Corinth. cap.4.* tertia, quia talis venditio spiritualium naturæ repugnat, iuxta illud D. Matthæi capite 10. *Gratis accepistis, gratis date*, Vnde iure ciuili similium rerum nulla est emptio, *ex leg. sed & Celsus, leg. hanc legem, ff. de contrahen. emption.* nam cùm in nullius bonis sint, earum rerum nullum est commercium, *l. in tantùm, §. sacræ, ff. de rer. diuis. l. inter 83. §. sacram, ff. de V. O.* Quare quantumuis ille, qui pretium dat pro rebus spiritualibus, studiosè eas emere procuret; tamen verè eas non emit, quia cum earum nullum sit commercium, nulla item est emptio, nec venditio, quia materia non est vendibilis, & ea ratione Simonia actualis, quæ dato pretio committitur, non definitur vt sit emptio, vel venditio rei spiritualis, sed studiosa voluntas emendi, vel vendendi: quia per pretium studiosè procuratur aliquid emi; verè tamen nihil emitur: quod apertè colligitur *ex d. cap. quicunque, dict. cap. qui studet*, in quibus verè agitur de Simonia actuali, cùm in eis imponatur pœna in foro exteriori, & tamen dicitur, quod pretij datione non emunt, sed student emere. Quod & satis innuunt textus *in d. cap. reperiuntur, ead. quæst.* ibi: *Mercari velle gratiam Spiritus sancti, dum vile pretium donant & cap. si quis Episcopus*, ibi, *Gratiam, quæ vendi non potest.* Ex quibus patet, illa verba, *studiosa voluntas* aliter accipienda esse, quàm existimarunt DD. communiter, quos refert & sequitur Nauarrus *in manuali, cap.23. num.*100.

14 Explicatur dicta definitio. Dicitur etiam in dicta definitione, *aliquid spirituale, vel spirituali annexum*: pro quorum verborum explicatione præmittendum est, nomen hoc, *Spiritus*, propriè significare anhelitum, id est aerem ipsum, quem spirando attrahimus. Cicero *lib.2. de natura Deorum*, ibi: *Tribus rebus animalium vita continetur, cibo, potione, & spiritu.* Significat etiam ventum, iuxta illud Vergilij *Æneid.*12.

Ac velut Edoni Boreæ cùm spiritus alto
Insonat Ægeo.

Sed quia & ventus, & anhelitus subtilia quædam corpora sunt, & inuisibilia, translatum fuit nomen ab scriptoribus ecclesiasticis ad significandas res omninò incorporeas, vt Deus, Anima, & Angelus; & etiam illa, quæ illis accedunt, vt virtutes, & scientiæ. Hæc verò spiritualia quædam procedunt ab spiritu creato, prout sunt scientiæ acquisitæ, & virtutes, quæ parantur raro studio, atque labore. Quædam procedunt ab spiritu increato, vt gratia gratum faciens, & virtutes infusæ, quæ supernaturaliter à nobis acquiruntur, & reliqua omnia, quæ ad salutem animarum supernaturaliter sunt instituta, vel ab Ipso Deo, vel ab Ecclesia per potestatem sibi à Christo datam, vt optimè explicauit Nauarr. *in manuali, c.23. n.99.* Hæc verò spiritualia quædam sunt per essentiam, vt gratia, virtutes, & gratia Spiritus sancti: quædam per causam, vt sacramenta Ecclesiæ, quæ efficiunt, & causant gratiam; quædam sunt spiritualia per effectum, vt sunt Sacramentorum administrationes, diuinorum officiorum celebratio, donum prophetiæ, & miraculorum; quia descendunt ex gratia, vel ad illam disponunt. Alia verò sunt spiritualibus annexa; quod etiam dupliciter contingit, vel antecedenter, vel consequenter: antecedenter sunt Ecclesiæ altaria, vestes, & cætera ornamenta, & iuspatronatus; quæ omnia antecedunt Sacramentorum administrationem, & diuinorum celebrationem, & ad illa ordinantur; consequenter verò spiritualibus annexa illa dicuntur, quæ spiritualia præsupponunt, & ab illis dependent, vt beneficia, & decimæ, & alia, quæ sequuntur vel ex potestate ordinis, vel iurisdictionis, ad quæ principia reducenda sunt, quæ latè docent D. Thomas 2.2. *q.*100. *art.4.* Arragon: *in ead. quæst. art.1.* Tiber. Decian. *tom.1. tract. crimin. lib.5. cap.79.* Redoanus *de Simon. 3. part. q.13.* Gibalinus *eod. tract. quæst.3.* Binsfeldius *in præsenti rubric. notabili 7.*

Rursus sciendum est, Simoniam committi in emptione rei spiritualis supernaturalis, procedentis ab Spiritu increato, prout sunt dona Spiritus sancti, & similia supra relata, quæ & referuntur à D. Paulo *ad Corinth. cap.*12. *& ad Ephesios cap.*4. De his enim agens Christus Dominus *Matthæi cap.*10. dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Committitur etiam in emptione eorum, quæ spectant ad animæ salutem, licèt ab Ecclesia iure humano fuerint statuta, quia illa omnia vel sunt spiritualia, vel supernaturalia, vel eis annexa, iuxta tradita suprà à Soto, & Aragon. Committitur etiam Simonia in baptismo, *cap. etiam corde, cap. non nocet, cap. emendari, 1. q.1.* in Sacramento Pœnitentiæ, *cap. remissionem 1. q.1. cap. nemo, infra hoc tit.* in Eucharistia, *cap. nullus, 1. q.1.* si pretium detur pro chrismate, *cap. dictum est. ead. q.1. cap. ea quæ, cap. ad nostram, cap. in tantum, hoc tit.* pro dedicandis Ecclesijs, *cap. statuimus*, 106. *1. q.1.* pro consecratione Ecclesiarum, *cap. placuit 1. q.1. cap. cùm sit Romana, hoc tit.* pro altaribus dedicandis, *cap. altare, 1. q.3* pro beneficijs consequendis, *cap. si quis præbenda, 1. q.3. cap. cùm essent* 12. *cap. querelam* 15. *hoc tit.* pro alijs honoribus Ecclesiasticis assequendis, *cap. cùm omnis* 20. *1. q.1.* pro exercendo quocunque ministerio Ecclesiastico, *cap. quàm pio 1. q.2. cap. ad nostram* 21. *hoc tit.* pro oleo sancto, *cap. si quis, 1. q.1.* pro quacunque re sacra, *cap. si quis constiterit 1. q.1.* pro ingressu monasterij, *cap. nullus Abbas 1. q.2. cap. non satis* 8. *cap. quoniam* 40. *hoc tit.* pro sepultura, *cap. cùm Ecclesia, hoc tit.* pro exequijs defunctorum, *cap. ad Apostolicam, hoc tit.* pro benedictionibus nubentium, *cap. suam, hoc titul.* pro absolutione excommunicati, *cap. ad aures* 24. *hoc tit.* pro reconciliatione pœnitentis, aut tegendo peccatore, *cap. nemo, hoc tit.* pro iurepatronatus, *cap. præterea, de transact. cap. veniens* 10. *de testibus*: pro præsentatione ad beneficium, *cap. ex tuæ, hoc tit.* de quibus omnibus suis locis agemus, quia in præsenti textu tantum damnatur Simonia, quæ committitur circa ordinationem, seu consecrationem ministrorum Ecclesiæ. Impropriè etiam alia bona censentur Simoniæ materia, vt iustitia, cuius venditionem Petrus Blesensis *epist.95.* & Petrus Damianus *opusc.35. c.4.* insimulant Simoniæ; & quidem propriæ dictæ, iuxta Buscum *ad eum Blesens. epist.* sed malè, vt docuit Theoph. *tract. mala è bonis, lib 2. sect.1. cap.1.* 15 In quibus rebus Simonia committatur.

Vnde apparet ratio præsentis assertionis; nam cùm pro eis, quæ data sunt, vt gratis dentur, non possit aliquid exigi, & spiritualis potestas ratione ordinis competens ordinatoribus illis data sit, vt gratis conferant, non possunt pro ordinatione aliquid pretio æstimabile exigere. Vnde in Simonia commissa pro collatione ordinum peccatur contra religionem, iustitiam, & pietatem; 16 Traditur ratio decidendi.

religio

Digitized by Google

religio enim violatur tum contemptu diuini numinis, cuius maiestas contemnitur, cùm non meliores, qui ei gratissimi sunt, sed opulentiores in sacerdotes ordinantur; cuius cultus negligitur quoties ad eum procurandum non aptiores eliguntur, sed qui pecuniam offerunt: tum etiam clericali statui, cui iniuria infertur, cùm pecunia eius gradus æstimatur: nam quis non vile putet esse quod venditur? innuit Hormisdas *in epist. ad Episcopos Hispaniæ, cap.2.* Iustitiæ etiam ordinatio simoniaca opponitur; tum quòd turpi ista sacrarum ordinationum nundinatione doctiores, ac sanctiores, qui dignitatum minùs cupidi esse solent, indoctioribus, ac minùs probis ad eas conuolantibus, ecclesiasticarum sanctionum, officiorumque distributione, quæ secundùm iustitiæ distributiuæ leges sapientioribus, ac melioribus debentur, soleant prætermitti: tum quòd iniquum sit, & contra iustitiæ commutatiuæ regulas, vt proximè dicebam, pretio commutare quod pretio commutari non potest; & vendere quod gratis acceptum est, contra illud Christi Domini præceptum, *gratis accepistis, gratis date.* Quod ita ad rem expendit Gennadius *in epist. encyclica*, ita latine versa: *A me*, inquit, *accepistis dignitatem sacerdotij; si mihi pro ipsa parum quid, vel magnum soluistis, & hoc à me venditum est, hoc quoque ipsum alijs vendite; sin autem gratis accepistis, vos quoque gratis date.* Tandem simonia in ordinatione ministrorum Ecclesiæ repugnat pietati, quia talis ordinatio offenderet piorum animos, & pauperes à sacramentorum perceptione retraheret, quod obseruat Gelasius *in epist.1. ad Episcopos Lucaniæ, cap.7.* adeòque abhorruit Ecclesia ordinationes simoniacas, vt cautè eius constitutiones legi debeant, cùm in eis videatur doceri, similes ordinationes nullas esse. D. Gregorius *lib.7. epist.112.* ibi: *Quicunque studet per pretij ordinationem sacrum ordinem suscipere, Sacerdos non est, sed inaniter tantummodò dici concupiscit.* Paschalis II. *epist. ad Mediolan.* cuius verba perperam Gratianus tribuit *in cap. quicunque 1. q.1.* D. Ambrosio *in cap. cùm ordinaretur, ead. caus. & quæst.* qui omnes PP. accipiendi sunt de ordinatione nulla quoad exercitium, non verò quoad effectum characteris. Apud Gentiles verò vsum inoleuisse dandi aliquid pro sacerdotio, constat *ex l.1. §. sed an id, ff. de collat. bonor. l.11. ff. de pollic. l.1. vers. Non tamen, de extraord. cognit. l.1. §.1. ff. ad leg. Iul. de ambitu.*

17 Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam pecuniam illam Pontifex Imperatori soluebat coactus, non verò voluntariè, donec sexto sæculo Ecclesiæ, postulante Agathone, Ecclesia Romana ab hac pensitatione per Constantinum Pogonatum exempta est, quamuis nec tunc quidem ius confirmandi Romanum Pontificem Imperator remiserit: sed postea Benedicto II. omninò cessit, & illam exactionem vt simoniacam accusauit Gregorius Magnus *in psalm.4. pœnitent.* & ita tam ipse, quàm eius prædecessores renuenter persoluebant, iniustam vexationem redimentes; nec emebant dignitatem, sed moram suæ consecrationis Ecclesiæ nociuam data pecunia redimebant, vt ita Imperatoriam gratiam sibi conciliarent. Sic etiam alij Episcopi, qui proprijs principibus aliquam pecuniæ summam tempore suæ consecrationis persoluebant, coacti, & inuiti eam pendebant, vt ita confirmationem iuxta eorum temporum corruptelam impetrarent; & illam improbam consuetudinem damnari in præsenti docet P. Marcha *cap.10.* Nec obstat, quod de stylo Curiæ Romanæ expendebamus; nam omissis Redoano *de Simonia, 1. p. cap.20. num.2.* Garaña *eadem tract.* qui asserunt præsentem prohibitionem non exigendi aliquid à notarijs pro chartis, litterisve dimissorijs, seu testimonialibus, tantùm à iure positiuo prouenire, & ideò locum non habere in Curia Romana, cùm R. Pontifex sit supra ius positiuum; sicut receptum est, legem Iuliam de ambitu locum non habere in Curia Principis, quo modo ipsi accipiunt legem 1. *ff. ad leg. Iul. de ambitu*; dicendum est, notarios, abbreuiatores, & plumbatores pro stipendio proprij laboris pecuniam exigere, non pro pretio ipsius confirmationis, vt latiùs prosequitur Rousselius, *d. cap.5. per totum*, vbi de annatarum, & similium præstationum origine agit.

Dissoluitur dubitandi ratio.

Sed superiori assertioni opponi potest textus *in capite constitutus, de relig. domib.* vbi certa pensio annuatim persoluenda promissa fuit à quibusdam monachis pro ordinibus recipiendis: ergo quia in Sacramento Ordinis interuenire potest nummaria præstatio. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu pensionem non fuisse promissam à monachis proprio Episcopo pro ordinibus recipiendis, sed in recognitionem subiectionis, vt liceret à quocunque Antistite catholico ordines recipere; quæ conuentio auctoritate Sedis Apostolicæ fuit confirmata, aliàs nulla esset, vt probaui *in cap. fin. de pactis*, vbi alia, quæ ad eius textus expositionem spectant, adduxi. 18

Exponitur c. constitutus, de Relig. dom.

CAPVT III.

Ex Concilio a Magunt.

QVicumque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omni modo deponatur, quòd contra ecclesiasticæ regulæ disciplinam agere dignoscitur, qui alium Presbyterum legitimè ad Ecclesiam ordinatum, per pecuniam expulerit, eamque sibi taliter vindicauerit: quod vitium latè diffusum, summo studio emendandum est. Itaque interdicendum videtur clericis siue laicis, ne quis cuilibet Presbytero præsumat dare Ecclesiam sine licentia & *b* consensu Episcopi sui.

NOTÆ.

1 a MAgunt.] Ex Concilio Maguntino, seu Magontiensi citatur canon hic à Burchardo *lib.3. Decreti, cap.110.* Iuone *p.3. cap.86.* Papiensi *in 1. collect. sub hoc tit. cap.2.* & extat ferè eisdem verbis in Concilio Magunt. sub Rabano *can.12.* Magunt. sub Arnulfo *can.5.* sub Carolo *can.15.* ex quibus illum transcribo. Ita autem repetita fuit eadem sanctio in tribus Concilijs, quia his temporibus inoleuerat in Gallia magna corruptela circa beneficia ecclesiastica, quæ laici præcipuè potentiores, vt Duces, Comitesque, propria auctoritate conferebant, & plerumque auferebant, vt alijs conferrent, vt constat ex Concilio Magontino sub Arnulfo, *cap.29.* ibi: *Vt laici Presbyteros non eijciant de Ecclesijs, nec constituant sine consensu Episcoporum suorum.* Concil. Cabilon. *can.42.* ibi: *Inuentum est, quod multi arbitrij sui temeritate, & quod est grauiùs, ducti cupiditate, Presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt: vnde oportet, vt canonica regula seruata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero Ecclesiam det, quam si iustè adeptus fuerit, hanc nisi culpa graui, & coram Episcopo canonica seueritate amittat.* Concil. Magunt. *can.30. Vt nullus omninò munera exigat à Presbyteris propter commendationem Ecclesiæ.* Rhotomag. *can.5.* ibi: *Sancitum est, atque omnimodis prohibitum, vt si quis Presbyter inuentus fuerit alicui clerico, aut laico munera dare, aut dedisse, aut aliquam pecuniam tribuere, vt alterius Presbyteri Ecclesiam surripiat, aut Ecclesiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate, seu rapina, seu præsumptione turpis lucri gratia, deijciatur à Clero, & alienus existat à Clero.* De qua corruptela accipiendi sunt PP. in præsenti, dum aiunt, vitium hoc latè diffusum summo studio emendandum esse, ita repetitis legibus huiusmodi abusum improbarunt, damnaruntque. Commentarium huius textus dabimus infrà *in cap.13.*

De Conc. Magunt.

b *Consensu Episcopi.*] Iuxta tradita suprà *in c.4. de iurep.*

C A P V T III.

a Deodatus Papa.

SI Dominus, & Magister omnium, qui sine peccato fuit, accusandi licentiam *b* vni dederit, quantò magis vnius assertione conuincendus est, qui simoniæ labe dignoscitur esse pollutus: non igitur & in tali negotio quilibet catholicus est respuendus, sed vt veritatem asserat, ad pellendam simoniacam rabiem, magnis precibus exorandus est.

N O T Æ.

1 a DEodatus.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.*3. Glossa marginalis legit *Adeodatus*; in nullius tamen Epistolis reperitur textus hic; nam Adeodatus Monachus D. Benedicti electus Summus Pontifex die 9. Aprilis, anno 669. vnam tantùm Epistolam pro priuilegijs Abbatiæ S. Martini Turonensis scripsit, quam referunt Baronius *tom.*8. *d. anno* 669. Binius *tom.*4. *Concil. pag.*813. in quibus epistolis iam excusis non extant verba huius textus: quare existimabam textum hunc, & textus *in cap. seq. & in cap. tanta, hoc tit.* transcriptos fuisse ex Decreto, quod ea diuersis Canonibus, & SS. PP. sententijs edidit Cardinalis Deusdedit tituli Apostolorum in Eudogia: in quo librum contra inuasores, & simoniacos compilauit, vt referunt Baronius *tom.*1. *anno* 187. Antonius Aug. *tom.* 2. *epitom. iuris Pontif. in tract. de collectoribus canonum.* Vnde credo, ex eo decreto Cardinalis Deusdedit transcriptum fuisse textum hunc; & cùm ipso decreto careamus, cognosci nequit, ex quo Concilio, aut Ecclesiæ Patre verba hæc compilasset ipse Cardinalis.

2 b *Vni dederit.*] *Vni dedit*, legit Antonius Augustin. quod contigit dum Dominus dixit ad Iudæos: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et dum post alapam patientissimè acceptam dixit: *Si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo*, vt refertur *cap.*15. *Matthæi, capite* 18. *Ioannis, vers.*18. quo argumento ad idem probandum vsus fuit Gratianus *in cap. nos, §. ecce,* 2. *q.*7.

COMMENTARIVM.

CVm quæsitum esset à Romano Pontifice, an quilibet Catholicus admittendus esset ad accusationem simoniaci: respondit, quemlibet admittendum esse. Cuius responsi ratio prouenit ea grauitate huius delicti; ob eius enim atrocitatem non proceditur in eius punitione iuxta iuris ordinem in alijs delictis seruatum; quia in hoc proceditur ad instar publici delicti, & læsæ maiestatis, ex constitutione Leonis, & Anthemij *in l. si quemadmodum, C. de Episc. & cler. cap. sanè* 25. *q.*5. Facit textus *in cap. per tuas, hoc tit.* Vnde cùm ex legibus ciuilibus in ordinario crimine persequendo serui aduersus Dominum non audiantur, nec vt accusatores, nec vt testes, *l.*20. *l. vlt. C. de his qui accusare, leg.*3. 8. & 12. *ff. de testib.* tamen quia in crimine læsæ maiestatis ad accusandum & testificandum contra Dominos admittuntur, *d. l.*20. *l.* 2. *ff. ad l. Iul. maiest.* etiam in crimine simoniæ detegendo admittuntur, *cap. tanta, hoc tit.* Carnotensis *epist.*27. vbi de simoniacis agens ait: *Ad insimulationem talium etiam infames personæ admittuntur.* Similiter licèt mulieres, & infames ab accusatione arceantur, *l.*4. & 8. *ff. de accusat. l.*1. *l.*15. *C. qui accusare*; tamen quia in crimine læsæ maiestatis admittuntur, *l.*7. *§.*1. *l.*8. *ff. ad leg. Iul. maiest. l.*4. *C. eodem*; etiam in crimine simoniæ admittuntur, *dict. cap. tanta, cap. si Dominus, cap. licèt Heli, hoc tit.* probat Hallier. *de sacris elect. sect.*7. *cap.*1. *§.*4. *fol.*271. & ita rectè in præsenti docetur, quemlibet Catholicum admitti ad detegendum simoniæ crimen. Iudæi autem, & hæretici non admittuntur nisi simonia habeat adiunctam hæresim; ita quod simoniacus crederet cum pertinacia, spiritualia, aut spiritualibus annexa posse comparari, aut pretio acquiri; nam tunc etiam qui catholici non sunt, admittuntur vt accusatores, vel vt testes, argumento capitis *contra, de hæretic. in* 6. docet Binsfeldius *in præsenti, num.*2.

C A P V T IV.

a Gregorius *Max.* b *Præsumptori Ecclesiæ Salonij*.

QVotiens contra Ecclesiasticam quid gestum dicitur disciplinam, ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. Peruenit itaque ad nos, quod per simoniacam hæresim fueris *c* ordinatus: sed & alia de te multa hic dicta sunt, de quibus vnum quam maximè fuit, propter quod necesse habuimus te summoperè per scripta nostra prohibere, ne Missarum solemnia celebrare debuisses, donec quid esset veriùs, potuissemus addiscere. Ne ergo, fili, Ecclesiæ diù videantur non habere Pastorem, & ne per hæc quæ dicuntur, si indiscussa remanserint, huiusmodi se vitium tendat in plurimos, hortamur vt ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus seruata iustitia, hæc & cognoscere, & finire secundùm canonica instituta, Christo reuelante possimus. Ita autem fac, vt ad veniendum ampliùs iam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his, quæ dicuntur, assignet: & nos in te hæc res, non solùm propter dicta crimina, quæ purgare subterfugis; sed etiam propter inobedientiæ culpam, duriùs, scilicet vt in contumacem, cogat ex concilio ferre iudicium.

N O T Æ.

1 a GRegorius.] Textus hic tribuitur Deodato in prima collectione, *sub hoc tit. cap.*4. Gratianus autem *in cap. accusatum*, 2. *q.*4. eum citat ex Syluestro; sed inter Epistolas Syluestri, aut Pontificis Deusdedit non reperitur textus hic; extat tamen in Epistola tertia, *lib.*5. *Regestr. D. Gregorij*; quam integram hic transcribo, vt cognoscatur, Cardinalem Deusdedit in suo Decreto compilasse textum hunc, & transcripsisse ex dicta Epistola 5. ac sine causa eam diuisisse.

2 b *Maximo præsumptori.*] Idest intruso, iniustèque ordinato in Episcopum, vt constat ea Epistolis ipsius Pontificis *lib.*3. *epist.*70. & *lib.*4. *epist.*34. Sed quia Maximus forsan se purgauit ab hoc delicto simoniæ, & alijs illi illatis, posteà *lib.*11. *epist.*13. illi scribit sub titulo Episcopi Salonitani. De Ecclesia Salonitana egi *in cap.*4. *de accusat.* vbi de hoc Maximo agitur.

c *Ordinatus.*] Et pecunia data electus, vt habetur *in d. epist.*34. cuius partem retuli *in cap. omnipotens, de accus.*

COMMENTARIVM.

CErtum est, ordinatum per simoniam, suspensum esse ipso iure ab ordine suscepto *cap. tanta, cap. ex tua, hoc tit.* nam dum aliqui sacri canones ordinationem per simoniam factam nullam, irritaque esse docent, vt Gregorius noster *lib.*7. *epist.*112. & alij Ecclesiæ PP. *in c. quicunque, c. cùm ordinat.* 1. *q.*1. accipiendi sunt, quoad exercitium, vt exponit Hallier. *de sacris elect. sect.*7. *art.*2. *ad fin.* 3

& Gi-

Digitized by Google

& Gibalin. *de simon. q.* 27. Et licèt reus accusatus de crimine, dum causa discutitur, non priuetur iuribus sibi competentibus, vt probaui *in cap.* 4. *de accusat.* tamen in hoc crimine simoniæ cùm aliquis est infamatus publicè de eo, etiam iudicio pendente suspenditur à Missarum celebratione, vt post Glossam *hic*, docuit Hallierius suprà, *fol.* 264. Vnde cùm Maximus, de quo in præsenti, publicè infamatus esset de crimine simoniæ, vt patet ex alijs epistolis eiusdem Gregorij; ideò Pontifex lite pendente, nec causa adhuc decisa, illi inhibuit ne Missam celebraret, vsquedum accederet ad Romanam Sedem, ibique legitimè ab hac diffamatione purgaretur.

C A P V T V.

a Lucius Papa.

SIcut enim simoniaca pestis sui magnitudine alios morbos vincit, ita sine dilatione, mox vt eius *b* signa per aliquam personam claruerint, de Ecclesia Dei debet eliminari, atque propelli. *c* Petrus enim primus Pastor Ecclesiæ, non alicuius hominis attestatione, sed S. Spiritus inspiratione Simonis interiora recognoscens, sine aliqua audientia, terribili eum, & repentina morte multauit.

N O T Æ.

1 a LVcius.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. nullibi tamen exprimitur, an primi, secundi, vel tertij Lucij sit textus hic, nec cui Prælato in eo Pontifex rescribat. Ex dicta autem prima collectione ita eum transcribo.

2 b *Signa.*] Licèt regulariter in criminibus probationes debeant esse luce meridiana clariores, *cap.* 1. *cum sequat.* 2. *qu.* 1. *l. vlt. C. de probat. l. qui sententiam* 16. *Cod. de pœnis*; nec ex suspicione sola vllus accusandus sit, *cap. multi*, 2. *q.* 1. D. Thomas 2. 2. *qu.* 60. *art.* 3. interdum tamen ob solam suspicionem proceditur, vt in casu hæresis, *ex l.* 2. *C. de hæreticis*: in casu adulterij, *l. quamuis* 30. *Cod. ad leg. Iul. de adult. l. vxor* 7. *C. de repudijs*. Quintil. *declamat.* 284. ibi: *Sed finge me ex suspicione egisse cum illo adulterij.* Probat Fornerius *lib.* 1. *rer. quotid. cap.* 2. & in crimine simoniæ, ex præsenti textu. Quibus autem modis probari debeat simonia, & quatenus in eius probatione locus sit indicijs & præsumptionibus, explicat Gibalinus *de simon. cap.* 30. *per totum.*

3 c *Petrus.*] Verba quæ sequuntur omisit Raymundus; & rectè ea omisisse notauit Anton. Augustin. vtpotè difficillima; siquidem D. Petrus, dum interiora Simonis recognoscens dixit ei: *Pecunia tua tecum sit in perditionem*; non illicò eum interemit: quare ipse perdoctus vir credidit potiùs per hæc verba Lucium respexisse ad casum Ananiæ, & Sapphiræ, qui ad vocem D. Petri subitò mortui ceciderunt, vt refertur *cap.* 5. *Actuum Apostol.* Sed cùm casus hic non ob simoniam ab Ipsis commissam, sed ob mendacium in retentione partis patrimonij contingeret; quid ad simoniæ detestationem, quam intendebat probare Lucius in præsenti? Credo ergo Pontificem sensisse de Simone Mago, cui dixit D. Petrus, *Cor tuum non est rectum coram Deo.* Actuum Apost. *cap.* 6. Et cùm posteà ipse de miraculis faciendis cum B Petro disceptaret, asseruit se in cęlum conscensurum: sed cùm sublatus à dæmonibus volaret sublimis, cuncto spectante populo, D. Petri precibus in terram prostratus, cruribus perfractis iacuit, & decessit, vt referunt D. Clemens *lib* 6. *constit. cap.* 9. Arnobius *aduersus Gentes lib.* 2. Cyrillus Hierosol. *catechesi* 6. Epiphan. *hæresi* 21. & alij SS. Patres, ex quibus idem narrat Baronius *anno* 68. de qua repentina morte sensit, ni fallor, Lucius *in præsenti.*

C O M M E N T A R I V M.

INter aliàs pęnas, quibus notorij simoniaci afficiuntur, præcipua est depositio à gradu clericali, *cap. qui studet*, *cap. Presbyter*, *cap. Sanctorum*, *cap. erga simoniacos*, 1. *qu.* 1. Concil. Tolet. 6 *can.* 4. *cap. cùm super, de confessis*, *lib.* 1. *Capitul. cap.* 97. quam pęnam etiam in ordinatores sanxerunt Apostoli *in can.* 20. aliàs 21. Ambros. & Gelasius *in c. baptizandis, c. reperiuntur*, 1. *q.* 1. PP. Concilij Chalcedon. *in c. si quis Episcopus* 1. *q.* 1. in 6. Synodo *can.* 22. in 7. *can.* 50. Alexander II. in Synodo Romana *can.* 3. Gregorius VII. in Synodo Romana *can.* 6. quę decreta iuxta hodiernam praxim debere intelligi de depositione à iudice infligenda, non de ea, quæ ipso facto incurritur, docuerunt Hallier. *de sacris elect. sect.* 7. *art.* 3. *§.* 1. Gibalinus *de simonia, q* 29. 4

C A P V T VI.

a Deusdedit.

TAnta est labes huius criminis, quod etiam serui *b* aduersùs dominos, & quilibet criminosi admittuntur ad accusationem. Item omnis peccator *c* Missam cantare potest præter simoniacum, quem etiam quilibet, vt ab ordine malè accepto remoueatur, accusare potest, etiam *d* meretrix.

N O T Æ.

1 a DEusdedit.] Ità etiam legitur in prima compilatione, *sub hoc tit. cap.* 15. Sed textum hunc transcriptum esse ex Decreto Cardinalis Deusdedit, iam notaui *in cap.* 3. *hoc tit.* Ex quo autem Concilio, aut sancti Patris decreto eum compilasset Cardinalis, non constat.

b *Serui aduersùs Dominos.*] Quia in hoc delicto proceditur ad instar criminis læsæ Maiestatis, vt probaui suprà *in cap.* 3.

2 c *Missam cantare.*] Quidam Præceptor nostræ Academiæ existimabat, in his verbis non agi de Presbytero celebrante Missæ sacrificium, sed de psalmista psallente in ipso sacrificio, iuxta morem receptum iam à tempore, in quo pax data fuit Ecclesiæ, cùm in vsu esse cępit schola cantorum, qui in eo gradu erant cooptati, vt psallerent in Ecclesia. Micrologus *in obs. eccles. cap.* 1. ibi: *Interim cantatur antiphona ad introitum, quæ ab introitu sacerdotis ad altare hoc nomen meruit habere.* Quem morem cantandi Missam illustrarunt Lantdmeter *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 17. Vicecomes *volum.* 1. *de ritibus Missæ*, *lib.* 5. *cap.* 37. & nos *in cap.* 1. *de celebrat. Missar.* Si accipiatur textus hic in secunda parte de Presbytero celebrante, difficilis valdè est; siquidem nullus peccator in peccato persistens potest Missam celebrare, cùm interim dum non agit pęnitentiam, sit suspensus quoad se, *cap. sacerdotes*, *cap. Sacramenta*, *cap. necesse*, 1. *q.* 1. & publici concubinarij quoad alios, *cap. nullus*, 32. *dist.* Sed adhuc potest, & debet accipi textus hic de sacerdote Missam celebrante, ita vt sensus sit, quod licèt alij peccatores non præcisi ab Ecclesia, post peractam pęnitentiam possint Missam celebrare; & si in maioribus gradibus non sint, ad eos ascendere, vt probaui *in cap. fin. de temporibus ordin.* tamen simoniaci, quia etiam post pęnitentiam non restituuntur ad gradum, à quo depositi fuerunt, non possunt vt cæteri peccatores pęnitentes Missam cantare, vt contingit in homicida ob irregularitatem contractam. Vnde notat Gratianus *post cap. erga, c. canem*, 1. *q.* 1. ex epistola Innocentij ad Episcopum

Digitized by Google

pum Macedon. quod etsi olim cum reuertentibus ab hæresi dispensatum fuerit, vt in susceptis ordinibus ministrarent, vix tamen dispensatum legitur cum his, qui vel scienter à simoniacis ordinati fuerint; vel si ignoranter, eis postcà liberè, ac lubenter adhæserint: & ita rectè in præsenti docetur, vt atrocitas, & grauitas simoniæ cognoscatur, eam tantam esse, vt omnis peccator ab Ecclesia non præcisus, vt homicida, post pœnitentiam Missam celebrare possit, præter simoniacum.

d *Meretrix.*] Iuxta tradita *in cap. 3. hoc tit.*

C A P V T VII.

Alexander III. *in Concilio* a *Turon.*

QVia non satis vtiliter auaritia in populo redarguitur, si ab ijs, qui in Clero constituti videntur, & præcipuè contempto sæculo, religiosorum nomen profitentur, regula modis omnibus non cauetur: prohibemus, ne ab eis, qui ad religionem transire voluerint, aliqua pecunia *b* requiratur; neue Prioratus, vel capellania quælibet monachorum, vel clericorum annua distractione *c* vendatur; neque ab eo, cui regimen ipsarum committitur, ex earum omissione pretium exigatur. Hoc simoniacum esse sanctorum Patrum auctoritas manifestè declarat. Vnde quisquis hoc de cætero attentare præsumpserit, tam qui dederit, quàm qui receperit, partem se cum Simone non dubitet habiturum. *d* Pro sepultura quidem, & chrismatis, *e* & olei perceptione, nulla alicuius pretij exactio intendatur, nec sub obtentu cuiusquam *f* consuetudinis reatum suum aliquis tueatur, quia diuturnitas temporis non minuit peccatum, sed auget.

N O T Æ.

1 a TVronensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 7.* & post Concil. Later. *part. 2. cap. 10.* Et licèt hæc verba non reperiantur in ipso Concilio Turon. sub Alex. III. celebrato, sententia tamen extat in Canone 5. ipsius Concilij, prout illum edidit Coriolanus; & omnia verba reperiuntur apud Guillelmum Neubrig. *lib. 2. histor. Angliæ, cap. 14.* De hoc Concilio nonnulla adduxi *in cap. nonnulli 27. de rescriptis.*

2 b *Requiratur.*] De simonia in ingressu Religionis non committenda, agemus *in cap. veniens 19 hoc tit.*

c *Vendatur.*] De simonia fugienda in beneficijs ecclesiasticis, agemus infrà *in cap. 13.*

d *Pro sepultura, & exequijs defunctorum.*] Vt probaui *in capite ad abolendam, de sepult.* & dicemus infrà *in capite suam.* 3

e *Chrismatis, & olei.*] Vt exponemus infrà *in capite ea quæ.*

f *Consuetudinis.*] Quatenus consuetudine introduci possit, vt aliquid recipi valeat pro Sacramentorum collatione, dicam proximo commentario. 4

C A P V T VIII.

Idem a *in Concilio Later.*

CVm in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod gratis receptum est, gratis impendi, horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesijs locum venalitas perhibetur habere, ita vt pro Episcopis, vel Abbatibus, seu quibuscumque personis ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis presbyteris in Ecclesiam, necnon pro sepulturis, *b* & exequijs mortuorum, & *c* benedictionibus nubentium, seu alijs *d* Sacramentis aliquid exigatur; & ille, qui indiget, non possit ista percipere, nisi manum implere curauerit largitoris. Putant autem plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de longa inualuisse consuetudine arbitrantur, non satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quod tantò *e* grauiora sunt crimina, quantò diutiùs animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, vel pro personis ecclesiasticis deducendis ad Sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aut sepeliendis mortuis, seu etiam nubentibus benedicendis, seu etiam alijs Sacramentis aliquid exigatur, districtiùs inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se nouerit habiturum, cuius factum exactione turpis muneris imitatur. *f* Prohibemus insuper, ne noui census ab Episcopis, vel Abbatibus, alijsue Prælatis imponantur Ecclesijs, nec veteres augeantur, nec partem redditΰum suis vsibus appropriare præsumant: sed libertates, quas sibi maiores desiderant conseruari, minoribus quoque suis bona voluntate conseruent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur.

N O T Æ.

1 a LAteran.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 8* & extat textus hic *in ipso Concil. Lateran. can. 7.* ex quo canonem hunc transcribo.

b *Sepulturis, & exequijs.*] Vt probaui *in capite abolendæ, de sepultur.* & dicam *infrà in cap. suam.*

c *Benedictionibus.*] De quibus latè egi *in cap. 1. de secundis nuptijs.*

d *Alijs Sacramentis.*] Non inde inferas, benedictionem nubentium esse sacramenta, cùm tantùm sint orationes Ecclesiæ, vt probaui *in cap. 1. de secundis nupt.* quia dictio *alijs*, non est semper repetitiua eiusdem casus, & qualitatis, vt probaui *in cap. 3. de clandest. despons.*

e *Grauiora.*] *Cap. nullus Episcoporum, 1. quæst. 1. capite flagitia 34. quæst. 7. cap. fin. de consuet.*

2 f *Imitatur.*] Vnde colligitur, Giezi quià Naamo pro reddita sibi sanitate ab Elisæo, nomine eiusdem Elisæi munera petijt, vt refertur *lib. 4. Regum, cap. 5.* simoniacum fuisse; quod & similiter supponere videntur nonnulli Ecclesiæ Patres, dum peccatorem simoniacum cum eo conferunt, vt D. Ambrosius *lib. 4. in Lucam*, Cyrillus *catechesi 16.* Tarasius *in epist. ad Hadrianum*. Quibus adhæserunt plures Theologi cum D. Thoma 2 2. *quæst. 100. art. 1. ad 4.* Abulensi *in d. cap. 5. Regum, quæst. 29.* licèt iuxta animum ipsius Giezi in petitione munerum, hoc æstimandum esse nouiter docuerit Gibalinus *de simon. quæst. 6. consect. 16.*

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Consuetudo vt pro Episcopis, Abbatibus, & alijs Prælatis ecclesiasticis ponendis in Sedem, seu exequijs mortuorum aliquid exigatur, obseruanda non est.* Probant eam textus *in cap. non satis, cap. in tantùm 36. cap. sicut 39. cap. Iacobus, hoc tit. cap. si quis obiecerit, 1. quæst. 3. cap. quæsta 13.* 3 Conclusio traditur, & probatur.

*sta 13.quæst.2.cap.2.de consuet.in 5.compil.*ibi: *Ad audientiam nostram noueritis peruenisse, quod prætextu cuiusdam consuetudinis, vt dicitur, iuramento firmatæ, à singulis quos in Ecclesia vestra canonicari contingit, vnum scyphum argenteum exigitis, & etiam extorquetis, eis fructus præbendarum suarum, nisi consuetudinem iamdictam adimpleant, denegando. Quia igitur consuetudo huiusmodi habere videtur speciem prauitatis, & continet turpitudinem manifestam, vniuersitati vestræ districtiùs iubemus, vt prædictam consuetudinem irritari faciatis de cætero, ne eius occasione aliquid exigatis, aut subtrahatis aliquibus suarum redditus præbendarum.* Concil. Londinense apud Matthæum Paris. *ad annum* 1237. Innocent. II. in Synodo Romana, *c.*2 Ioannes XXII *in extrauag. Suscepti, de elect.* Concil. Magunt. celebratum anno 1549. *c.*42. Mediolan. sub Carolo Borrom. *part.2.cap.*1 Lateran. sub Innocent. III. *cap.3.cap.penult.de sepult.* Gallo Cardinal. in suis constitutionibus, quæ extant *tom.26.Concil.can.2. Prohibemus etiam sub eadem excommunicatione, ne sacerdotes, vel clerici occasione alicuius consuetudinis pro baptismo, sepultura, benedictione, alijsue Sacramentis Ecclesiasticis aliquid exigere, vel extorquere præsumant, sed ea liberaliter, & sine difficultate studeant canonicè ministrare; moneantur tamen laici diligenter, ne quæ pro reuerentia Sacramentorum deuotio fidelium introduxit, ex auaritia velint aliquatenus reuocare.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Binsfeldius *ad hunc textum*, Hallier. *de sacris elect. sect.7. art.4. per totum*, Suarez *de simon. tom.1 lib.4.cap.6o.* Mancinus *sacri iuris controuers. cap.29.* Rousselius *lib.5. histor. Pontif. iurisd. cap.4* Sahagun *in cap. fin. de consuet. num.* 32. Petrus Gregor. *lib.3. partit. tit.20. cap.5.* Cironius *in notis ad textum in d. cap.2. de consuet.* Germonius *de sacror. immunit. lib.1 cap.3 num. fin.*

4 Impugnatur traditæ assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Consuetudinis non vilis auctoritas est, immò vsque adeò sui valitura momenti, vt legitimè præscripta iuri scripto deroget, *cap. quemadmodum, dist.8 cap. contra ius, cap. placuit, dist.32 cap. cùm venisset, de eo qui mittitur in possess. cap. super eo, de cognat. spirit. cap. adhæc consuetudo, de testibus, cap. ea noscitur, de his quæ fiunt à Prælatis.* Igitur etsi per sacros canones prohibitum sit aliquid recipere pro inthronizationis, seu institutionis titulo; tamen si consuetudo legitimè sit præscripta contra eosdem sacros canones, obseruari debet. Et talem consuetudinem legitimam, iustamque esse, probatur ex eo; nam quemadmodum apud Gentiles, quorum Respublicæ benè ordinatæ, morataeque erant, Magistratuum venalitas omni modo prohibebatur; tamen inthronistici nomine pecunia vltrò pendi solebat ab his, qui Magistratus inibant: cuius moris testis omni exceptione maior est Plinius *in Panegyrico ad Traianum*, ibi: *Superest vt ipse dispicias, an in omnibus ciuitatibus aliquid omnes, qui Buleutæ leguntur, debeant pro introitu dare.* Et *epist.116. & 121.* Symmachus *lib 4. epist.14.* & *lib.9. epist.96.* & *l.10. epist. fin.* Et Claudius, qui posteà Imperator, sestertios octoginta pro introitu noui Sacerdotij coactus fuit impendere. Suetonius *in eo, cap. 9.* Apuleius *lib.7. Metamor.* Germonius *d lib.1. cap.3. num. fin.* quod & Scæuolæ responso confirmatur *in l. his, ff. alumno, & §. idem testator*, ibi: *Pro introitu, ff. de legat.3.* quin & à Tullio in oratione pro Muræna, laudata est Candidatorum liberalitas, suffragatori populo munus edentium. Eundem Marcellus togatæ gentis morem obseruauit *in l. Publicis, ff. de condit. & demonstr.* immò & apud Romanos moris fuit, vt aliquid pro introitu Sacerdotij erogaretur, vt refert Suetonius suprà *cap.9.* & ex eo notauit Kochier *in sdce histor. cent.2. cap.7.* Accedunt Ecclesiæ canones, in quibus similes consuetudines iubentur obseruari. Stephanus Papa relatus *in cap. quia sancta, 63 dist. In electionibus pacta, pollicitationes, & iuramenta de aliquo præstando ita irritaret, vt tamen consuetudines antiquas ab his exciperet.* Innocent. III. *in cap. ad Apostolicam, hoc tit.* in conferendis Sacramentis prauas exactiones fieri prohibet, & pias consuetudines præcipit obseruari. Gallo Cardinalis, qui tempore Paschalis II. ab Episcopatu Bellouacensi ad Parisiensem translatus est, statuisse dicitur in eius statutis, *nu. 2.* ne sacerdotes, vel clerici occasione alicuius consuetudinis pro Sacramentis quippiam extorquerent: monerentur tamen laici, ne quod pro reuerentia Sacramentorum deuotio fidelium introduxit, velint aliquatenus reuocare. Odo (vt ait Blesensis *epist.127. & 128*) Henrici II. Anglorum Regis, & Regis Francorum consanguineus, qui Alexandri III. tempore Parisiensem rexit Ecclesiam, *in commun. præcept. Synod. cap.2.* consuetudines laudabiles pro sepulturis exigi permittit. Tandem Synodus Lingon. & aliæ relatæ ab Hallierio *de sacris elect. d. sect.7. art.4.* pias & laudabiles consuetudines in Sacramentorum receptione persolui solitas, exigi posse concedunt. Igitur & consuetudines obseruatæ pro Episcopis, & Abbatibus ponendis in Sede, recipi valent, & obseruari debent.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione præmittendum est, valdè controuersum esse apud DD. cui legi simonia opponatur, an videlicet diuinæ, vel tantùm ecclesiasticæ? Quam quæstionem latè disputant Victoria *in relect. de simonia, 1. part. à num.9.* Sotus *lib.9. de iustit. quæst.5.* Vasquez *in 1.2. D. Thomæ, disput.98. num.3.* Lessius *lib.2. de virtutib. cap.35.* Sayrus *lib.2. clau. cap.5. num.11.* Caietanus *tom.2. opusc. tract.9. quæst.1.* Arragon. *in 2.2. quæst.100. art.2.* Gregorius de Valent. *in ead. quæst. puncto 5.* Durandus *in 4. dist. 25. quæst.5.* Summistæ *verbo Simonia*, Binsfeldius *in præsenti rubric. notab.12.* Gibalinus *de simon. quæst.4.* & communiter placuit, omnem simoniam spiritualium bonorum repugnare iuri diuino, & naturali. Hadrianus *quodlibet. 9.* Sotus *vbi suprà*: quod apertè probatur ex præcepto Domini nostri apud Matthæum *cap.10. Gratis accepistis, gratis date.* Quæ verba ad hoc probandum communiter PP. expendunt, vt Gennadius Patriarcha, & PP. Synodi Constantinop. *in epist. in totum orbem missa*, his verbis: *Dominus noster, & Deus, & Saluator Iesus cùm discipulis suis, quos per vniuersum orbem hominum Doctores misit, Euangelij prædicationem præcepit manifestè, vt munus, quod ab se gratis accepissent, illud ipsi cæteris quoque mortalibus largirentur, proque illo neque æs, neque argentum, neque aurum, nec vllas alias facultates, aut materiale possiderent. Cælestibus enim, & spiritualibus gratijs terrena & caduca commutabilia non sunt.* Et statim: *Simplex, & manifestus huius mandati sermo est: nihil hic ambiguum, nihil suprà caput nostrum: nihil hic opus sophistica narratio. A me, inquit, accepistis sacerdotij dignitatem, pro qua, siue paruum, vel magnum quid dependistis, si hæc vendita est à me, venundate & vos eam alijs: quod si gratis accepistis, date & vos gratis.* Facit exemplum Christi Domini dum eiecit de templo vendentes & ementes columbas: quod factum Saluatoris nostri in præsenti materia expendunt D. Augustinus *tract.19. in Ioannem*, ibi: *Simon ille ideò volebat emere Spiritum sanctum, quia vendere volebat Spiritum sanctum, & putabat Apostolos mercatores esse, quales Dominus flagello eiecit; talis enim ipse erat, & quod venderet, emere volebat: de illis erat qui columbas vendebant, etenim in columba apparuit Spiritus sanctus.* D. Gregorius *homil. 39. in Euang.* Vrban. II. *in cap. Saluator*, Alex. II. *in cap. ex multis, 1. quæst.3.* Leo IV. *in cap. requiritis 1. qu.7.* Gregorius Nazianz. seu Tarasius, *in cap. qui studet 1. quæst.1.* Vnde simonia, quæ committitur in venditione beneficiorum ecclesiasticorum, est iure diuino prohibita, vt docuerunt Caietanus *in d. quæst.1. tract.9.* Victoria *suprà*, Sotus *d. lib. 9. quæst.7. cap.2.* & explicat Binsfeldius *in præsenti rubric.* Vendere verò officia merè temporalia pertinentia tantùm ad ministerium Ecclesiæ, vt officium Sacristæ, Procuratoris, & Aduocati, non est simonia à iure diuino prohibita, nec est propriè simonia; immò quædam irreligiositas, vt latè probat Gibalinus *de simon. quæst.4. consect.4. num.1.* Theophilus Raynaud. *tom 12. tract. mala è bonis, &c. lib. 2. sect.1. cap.1.* etiam simonia est à iure diuino prohibita emere, aut vendere ea, quæ habent ex dispositione iuris humani, quod sint spiritualia, vt vendere calicem, ornamenta Ecclesiæ, & aquam benedictam, quantùm ad id, quod est spirituale in eis, vt explicat Binsfeldius *in præsenti rubric. notab.12. quæst.4.*

5 Simonia quo iure damnetur.

Deinde sciendum est, quod cùm simonia iam à temporibus Apostolorum prohibita esset, cœperunt nonnullæ consuetudines, seu potiùs corruptelæ in Ecclesia introduci, per quas simonia palliata committebatur, sub eisque latebat ambitus, & mercimonium quoddam sacræ dignitatis sub nomine receptæ consuetudinis: ex quibus nonnullas referam in præsenti, & *in cap. sicut, cap. Iacobus, cap. tua nos, hoc tit.* Et primò olim Episcopi in consecratione sua pauperibus populi aliqua largiebantur; cuius moris testimonium extat apud Cassiodorum *l.9. epist.15.* in edicto Athalarici, in quo ad postulationem Ioannis II. pecuniæ illius distribuendæ summa definitur his verbis: *Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta, quæ* 6 De varijs corruptelis circa simoniam.

sta, quæ nimia sunt, cùm de Apostolici consecratione Pontificii intentio fortasse perueneris, & ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia solidorum, cum collectione chartarum censemus accipere: à quibus tamen omnes idoneos (idest diuites) *rei ipsius consideratione remouemus, quia de Ecclesiastico munere pauperibus est potiùs consulendum: alios verò Patriarchas* (idest Archiepiscopos, vt notauit Baronius anno 533.) *quando in comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus, atque personis intra duo millia solidorum iubemus expendere. In ciuitatibus autem satis tenuissimæ plebi non ampliùs quàm quingentos solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes, & edicti præsentis, & Senatusconsulti nuper habiti pæna constringat; sed & dantes canonum seueritas persequatur.* Vides sub ea eleemosyna latuisse ambitum, & mercimonium quoddam sacræ dignitatis: idcirco grauiter in ipsam inuehitur D. Gregorius *lib. 7. indict. 2. epist. 112.* ibi: *Plerumque ergo aduersarius animarum, dum non potest in his, quæ ad faciem sunt praua, surrepere, callidè specie quasi pietatis intecta nititur supplantare: suadetque, forsitan debere ab habentibus accipi, vt sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera eleemosynæ velata obumbratione transfundat, &c. Omnia ergo metuenda, & cauenda est hostis astutia, ne quos apertè nequit tentatione subuertere, latente telo sæuiùs valeat trucidare.* Etiam receptum fuit, vt Episcopi, Archidiaconi, Decani, vel alij, à quibus in possessionem mittebantur, munera quædam inthronistica, seu pro inuestitura persoluerent: de qua praua consuetudine, tanquam de simoniaca hæresi, reprehensus fuit Iuo Carnotensis à Richardo Albanensi S. A. L. vt ipse refert *epist. 33.* eo quòd pro consuetudine antiqua aliqua publicè exigerent Decanus, Cantor, & alij ministri ab his, qui Canonici fiebant: quam consuetudinem & suis temporibus vigere in Senonensi Metropoli testantur Hallier *vbi suprà*, Chopinus *lib. 1. sacræ polit. tit. 8.* quam improbarunt Alex. III. in præsenti, & Innoc. III. *in cap. ut tantùm, infrà hoc tit.*

7 Traditur ratio decidendi.

His ita animaduersis ratio præsentis assertionis ex eo prouenit, nam cùm per sacros canones non solum improbara sit consuetudo, quæ iuri diuino, vel naturali opponitur, verùm etiam quæ Sedis Apostolicæ auctoritati obsistit, vel canonicis obuiat institutis, *c. sacrosancta, 12. dist. c. consequens, dist. 8. cap. fin. de consuet.* & mala consuetudo, tanquam corruptela improbanda sit, *cap. quæ contra, cap. à veritate, cap. si consuetudinem, 8. dist. tact.* & iniustum, atque illicitum sit pro qualibet re spirituali, vt est inuestitura, seu institutio corporalis in Sede, pecuniam accipere, vt probaui suprà *in cap. 1.* ideo in præsenti Alexander quamcumque consuetudinem, per quam pecunia exigitur pro Episcopis, Abbatibus, vel alijs Prælatis ponendis in Sede, vt corruptelam improbat, ac condemnat.

Nec obstat dubitandi ratio, cui facilè respondetur ex suprà traditis; nam cùm simonia prohibita sit à iure diuino, vel ecclesiastico, iuxta distinctionem suprà adductam, & nulla possit legitima, ac rationabilis præscribi consuetudo contra ius diuinum, vel contra prædictam Ecclesiæ prohibitionem; ideò consuetudo, seu potius corruptela in præsenti ab Alexandro improbatur. Nec obstant iuris testimonia, Sanctorumque PP. sententiæ, in quibus consuetudo aliquid exigendi pro rebus spiritualibus laudabilia dicitur, & obseruari iubetur: pro quorum solutione, omissis varijs distinctionibus traditis à Luna, & Arellano *lib. 5. antimon. 3.* discrimen constituendum est inter consuetudinem, quæ initium habuit à gratuitis fidelium oblationibus ex mera eorum liberalitate; & inter eam, quæ ex potestate, & exactione originem trahit: priori casu consuetudo laudabilis obseruanda est, cùm non possit in ea considerari aliquo modo pretium rei spiritualis, & per consequens simonia: quo casu ea audiendus est canon 9. Concilij Exoniensis tempore Honorij III. ibi: *Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, vel etiam matrimonium contrahendum impediatur; quoniam si quid pia deuotione fidelium consueuerit erogari, semper hoc postmodùm volumus per ordinarium loci Ecclesiæ in custodium exhiberi.* Secundo verò casu consuetudo vt corruptela damnatur, cùm turpe lucrum contineat, siue ex obiecto suo, siue ex circumstantijs: & ita nec eius diuturnitas excusabit dantem à culpa, nec sufficiet vt iuri ipsam reprobanti derogetur, *cap. non satis, hoc tit.* Trident. *sess. 24. de reform. c. 14.* Etiam distinguendum est inter consuetudinem, quæ etsi habuit principium ab exactione, non tamen vt pretium rei spiritualis, sed in sustentationem ministrorum Ecclesiæ introducta fuit; & inter eam, quæ vt pretium ipsius officij, seu beneficij penditur. Primo casu consuetudo seruanda est, immò & cogendi erunt parochiani ad similes præstationes virtute consuetudinis præscriptæ, tam per iudices ecclesiasticos, quàm sæculares, si per viam violentiæ similis quæstio ad Regales Cancellarias deferatur, vt docuerunt Chopinus *vbi suprà*, Rebuffus *in concord. tit. de public. concubin. §. quia verò.* Secundo vero casu vt corruptela talis consuetudo omninò improbatur: iuxta quas distinctiones accipiunt iura, tam pro confirmatione præsentis assertionis, quam pro dubitandi ratione allata, Gibalinus *de simon. quæst. 18. conscct. 13. & sequentis*, Hallierius *d. sect. 7. art. 4.* quatenus tamen talis consuetudo ex actu facultatiuo præscribi possit, & parochiani ad eam obseruandam teneantur, exponit Binsfeldius *in cap. ad Apostolicam 42. hoc tit.*

8 Dissoluitur dubitandi ratio.

C A P V T IX.

Alexander III. a *Vigilien. Episcopo.*

CVm sit Romana Ecclesia, cui licèt immeriti præsidemus, mater Ecclesiarum omnium, & *b* magistra, cogimur ex debito suscepti regiminis, prout nobis Dominus ministrauerit, respondere consultationibus singulorum, vt dubiæ quæstiones Apostolicæ Sedis prouidentia penitus enodentur. Quæsiuisti autem, frater Episcope, tuæ fraternitati rescribi, vtrum pro Ecclesiarum *c* consecratione quidquam præter procurationem habere debeas. Et nos consult. tuæ taliter respondemus, quod nihil pro Ecclesiarum consecratione potes, vel debes præter *d* procurationem exigere: sed procurationem moderatam, cùm *e* Apostolus dicat: Nemo cogitur suis stipendijs militare, ab eadem Ecclesia exigere potes.

N O T Æ.

1 a VIgiliensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* & post Concil. Later. *part. 2. cap. 4.* De Vigiliensi Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. 8. de ætate & qualit.*

b *Magistra.*] Vt probaui *in cap. 2. de summa Trinitate.*

c *Consecratione.*] De qua, & eius cæremonijs egi *in c. 3. de consecr. Eccles.*

d *Procurationem.*] Procuratio quid sit, & cui debeatur, exposui *in cap. cùm Apostolus, de censibus.*

e *Apostolus.*] *Ad Corinth. cap. 9.*

C O M M E N T A R I V M.

EPiscopis ratione characteris Episcopalis competere facultatem consecrandi Ecclesias, probaui *in cap. 1. cap. aquam, de consecr. Eccles.* Circa expensas verò, & sumptus consecrationis, legimus in eius solemnitate pauperibus annonam erogatam fuisse. D. Gregorius *epist. 54.* ibi: *Quia cellę tenuitas exigit debere nos in ipsa diei festiuitate concurrere: propterea volumus, vt ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus in auro solidos decem, vini amphoras triginta, annonæ modios ducentos, olei orcas duas, verueces duodecim, gallinas centum, quę tuis possint rationibus imputari.* Immo Reges, ac Principes, Episcopis, ac Sacerdotibus quando ædes sacra ab eis 2

con-

Digitized by Google

construebatur, donaria impertiebantur, vt de Cinulpho Rege Merciorum refert Matthæus Vuestmonasteriens. *ad annum* 798. ibi: *In conuentu tredecim Episcoporum nullus largitatis passus est repulsam, dum singuli refectis marsupijs binc abibant.* Et statim: *Nam prӕter illa xenia, quӕ optimates susceperant inestimabilis pretij, & numeri, in vtensilibus, vestibus, equis lectissimis, omnibus qui agros non habebant, libram argenti, presbyteris marcam auri, monachis solidum vnum, & postremò multa vniuerso populo erogauit.* Quæ donaria, si non exigenda, oblata tamen respuenda non esse docuerunt PP. Concilij Brachar. 2. & Cabilon. relati *in cap. constituimus, 1. qu. 1. cap. placuit 1. qu. 2.* vnde ex ijs oblationibus pro consecratione Ecclesiarum factis Episcopum omnibus bonis ac facultatibus exutum victitasse legimus apud Hermoldum *in chron. Selauorum, lib. 3. cap. 21.* ibi: *Hartuicus Bremensis Episcopus, necessitate compulsus ministerialium redditus Episcopales per triennium abiurauit, vt infrà tempus illud omnia ex integro soluerentur: Episcopus verò ex bis, quӕ de cathedratico, vel consecratione altarium consequi poterat, victitabat.* Vnde in præsenti textu prohibet Alexander, ne Episcopus pro consecratione Ecclesiarum aliquid exigat, nisi procurationem, quæ stipendij, & sustentationis ratione penditur: de iuribus autem, quæ consequitur Episcopus in Ecclesia consecrata, eruditè agit Lemaistre *lib. 2. de iuribus Episc. cap. 4.*

CAPVT X.

Idem a *Toletano Archiepiscopo.*

DE hoc autem, quod Rex, & Principes sui à *b* Bernardo Exon. Episcopo pecuniam recepisse dicuntur, vt eius electioni præstarent assensum; & quod idem Episcopus Archidiacono Exon. beneficium certi redditus, & cuidam clerico antè electionem suam Prioratum dicitur promisisse, vt vterque illorũ, Archidiaconus videlicet, & clericus ei *c* consentirent: hoc tuæ prudentiæ duximus respondendum, quod si manifestum est, eundem *d* Archidiaconum, & clericum ob causam illam, tam iniquam, & detestabilem promissam rem recepisse; & si exinde confessi fuerint in iure, vel legitimè conuinci poterunt, ab altaris ministerio perpetuò sunt *e* deponendi. Si verò id *f* manifestum est, nec tamen conuicti, vel confessi fuerint; & tamen publica laborant infamia, eis canonica purgatio debet indici, in qua si defecerint, tanquam auctores tanti sceleris sunt *g* puniendi. Regem autem, & Principes suos solicitè monere debes, & diligenter inducere, vt si qua receperint à præfato Episcopo, vt eius electioni præstarent *h* assensum, *i* Ecclesiæ sine diminutione restituant, cùm ea sine graui suæ salutis *k* periculo retinere non possint.

NOTÆ.

1 a *Toletano.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 10.* idest D. Cerebruno, qui natione Gallus, patria Bituricensis, Archidiaconus Toletanus, Magister Regis Ildefonsi VII. Episcopus creatus fuit Seguntinus, à qua Ecclesia in Toletanam translatus fuit. Huic, & Gundisaluo Episcopo Segobiensi, & D. Iosfelino Episcopo Seguntino delegauit Alexander III. cognitionem præsentis simoniæ commissæ ab Episcopo Oxomensi, vt referunt Colmenares *in histor. Segobiensi, c. 17. §. 13.* his verbis: *Año de mil ciento y sessenta y seis ò acaso el siguiente: el Papa Alexandro III. escriuiò la epistola decretal, que oy es onze en el titulo de simonia, de las Decretales, al Arçobispo de Toledo D. Cerebruno, y à nuestro Obispo D. Gonzalo, y al Obispo de Siguenza, nombrado D. Iosfelmo, ò (como algunos quieren, D. Iosfelino) para que los tres Prelados iendo à Osma aueriguen si Bernardo su Obispo auia ocupado aquella Prelacia con medios simoniacos, como se bauia denunciado, prometiendo dignidades, y prӕbendas à los que votassen por el, y dineros, à los tutores de el Rey, porque auia sucedido en tiempo de sus tutorias, para que consentiessen en la elecion: obedecieron los Prelados, y aueriguando el echo conforme à la fama, le depusieron.* Ægidius Gonzalez in theatro Ecclesiæ Seguntinæ, in vita D. Cerebruni: & in theatro Ecclesiæ Segob. in vita D Gundisalui, ibi: *A este Prelado, y al Arçobispo de Toledo D. Cerebruno, y à Iosfelino Obispo de Siguenza, el Sanctissimo Pontifice Alexandro III. les cometiò como à iuezes Apostolicos, que aueriguassen la causa de Bernardo Obispo de Osma, que se le imputaua auia comprado el Obispado consto de la simonia, y fue priuado de la dignidad, que iniustamente tenia, y esta sentencia se pronunciò el año de* 1176. Huius delegationis litteras non habemus, sed facilè ex hoc colligitur, quòd cùm constaret de simonia, Episcopus depositus fuit à dignitate, & ad antiquam Prioris ipsius Ecclesiæ restitutus: cuius depositionis sententia referebatur in prima parte huius epistolę, quam compilatores omiserunt, vt patet ex illis prioribus verbis huius textus, *de hoc verò*; quæ satis innuunt, in præsenti deesse priorem partem epistolæ, in qua de prima parte huius simoniæ agebatur; siquidem statim descendit Alexander ad Regem, Principes, Priorem, & Clericum, qui in hac simoniaca electione interfuerunt: & ita constat, quod licèt cognitio huius causæ commissa fuisset illis tribus iudicibus; tamen executio sententiæ ab Alexandro latæ mandata fuit tantùm Archiepiscopo Toletano.

2 b *Bernardo Exon.*] *Certonensi* legitur post Concil. Later. *p. 2. c. 13.* Sed vt rectè notauit Ant. August. in præsenti, legendum est *Oxomensi.* Oxoma, seu Vxuma, est perantiqua Hispaniæ vrbs in antiquis Celtiberiæ partibus, in Arebacis sita, vulgò *Osma* dicta; cuius meminerunt Plinius *l. 3. hist. c. 3.* Ptolomeus *l. 2. c. 6.* Gerardus Mercator *in fabrica mundi.* Ex quibus, & alijs eius originem, ac clades retulerunt Hieronymus Zurita *in notis ad itinerarium Antonini, fol.* 585. D. Gasp. Loaysa *in notis ad Concil. apud Lucum, fol.* 157. *n.* 7. Tamayus à Salazar *in Martyrol. Hispan. die 6. Februarij, 11. Aprilis, & 20. Decembr.* Ambros. Morales *in antiquit. Hispan. c. 13. fol. 12. colum. 2.* Ab exordio nascentis Ecclesiæ Cathedra Episcopali decorata fuit, cuius Præsules vsque ad excidium Hispanicum honorificè perseuerarunt gloria doctrinæ, & sanctitatis: post Saracenorum stragem ipsam Pelagius Rex anno 728. recuperauit; inde Alfonsus Catholicus anno 757. Ecclesiam restituit Cathedralem; sed deinde occupata ab Almanzore Rege, iacuit donec Ordonius I. illam reædificauit anno 851. & varijs incursionibus dirutam ac desertam, tandem restituit Albarmudez, vt legitur *in chron. Cidis, c. 247.* seu Gundisaluus Tellez, vt refert Salazar à Mendoza *in origin. dignit. Hispan. cap. 14.* & Sedem Episcopalem restituit Bernardo Archiepiscopus Tolet. qui ei præfecit sanctum Petrum, patria Bituricensem: vnde dum *in chron. Cidis, c.* 128. legitur, *E de Burgos traio à san Pedro, que fue primero Arcediano de Toledo, è despues Obispo de Osma*; legendum est, *de Burdeos.* In hac perantiqua Ecclesia contigit casus in præsenti ab Alex. III. decisus; contigit enim per annum 1174. vt quidam Prior ipsius Ecclesiæ dictus Bernardus Tellez, ambiens Sedem Episcopalem ipsius Ecclesiæ, Prioratum suum cuidam clerico, beneficium verò Archidiacono promiserit, vt pro ipso suffragium præstarent; & quinque millia merapetinorum aureorum tutoribus Regis Alfonsi dedit, vt assensum electioni præstarent: & ita electus ac confirmatus à Rege & Principibus fuit, per bienniumque Cathedram Episcopalem occupauit. Sed cùm tantum facinus ad aures Alex. III. peruenisset, inquisitionem ipsius criminis commisit prædictis tribus Prælatis, & iuxta acta ipsius processus Alex. III. in præsenti epistola iussit ipsum Episcopum deponi, & similiter prædictos Priorem, & clericum ab altaris ministerio perpetuò deponi, si confessi fuissent in iudicio, aut conuicti, aut purgatione canonica illis indicta, in ea defecissent. Depositus fuit Bernardus ab Episcopatu, & ex misericordia ad Prioratum restitutus, ne in opprobrium Episcopalis dignitatis, quam per biennium obtinuerat, mendicare cogeretur. Ille tamen nec depositus ambitus fomitem deposuit, nec pœnitentiam de tanto crimine egit; & ita post aliquot annos decessit, sepultusque fuit in eodem loco, in quo

quo sanctus Petrus, & cæteri Episcopi requiescebant; sed eius miserabilem exitum satis ostendit perantiqua pictura, quæ hodie in ipsa Ecclesia cernitur, & ex libro MS. ipsius Ecclesiæ retulit D. Manuel de Villasuso in noua interpretatione huius textus.

3 c *Ei consentirent.*]Quia his temporibus ad Capitulum Ecclesiæ spectabat electio proprij Episcopi, iuxta tradita *in c.2.de elect.* beneficium Archidiacono promisit, quia id compatibile erat cum dignitate; & similiter clerico, hoc est Canonico ipsius Ecclesiæ, Prioratus dignitatem compatibilem cum ipsa præbenda promisit.

4 d *Eundem Archidiaconum.*] Sed si Episcopus fuit particeps sceleris, immò auctor simoniæ, quomodo etiam Alexand.III. non iubet ipsum deponi; nam si idem fuit horum trium crimen, par omnium debuit esse pœna, *l.si quemquam, C.de Episcop.& Cleric.* ibi: *Vt quos par facinus coinquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur.* Et verè, ac cum effectu ipsum Bernardum depositum fuisse ab Archiepiscopo Toletano, constat ex quodam codice MS. anonymi auctoris de vitis Episcoporum ipsius Ecclesiæ, vbi dum agitur de hoc misero Bernardo, ita legitur: *Y ansi lo hizo el de Toledo, que procediendo iuridicamente le priuò de la silla Episcopal.* Tradunt Colmenares, & Ægidius Gonzalez *vbi supr.* Et licèt in alio Codice MS. ipsius Ecclesiæ, in quo eius Episcopi recensentur, ita habeatur: *Post hunc fuit Bernaldus Prior Oxomensis, tempore Regis Aldefonsi, & consecratus à Domino Celebruno Archiepiscopo Toletano, Iocelmo Seguntino, Gonsaluo Segobiensi: iste fuit simoniacus, & ideò fuit depositus per Alexandrum Papam, & factus fuit Prior Oxomensis;* hæc contraria non sunt; nam cùm post causæ cognitionem Alex.III. commisisset Archiepiscopo Toletano ipsam depositionem, benè consonant, Archiepiscopum eum deposuisse virtute delegationis, & simul Alex.III. deposuisse, depositionem delegando; quia delegans, & delegatus pro vna persona habentur, *l.1.ff.quis, & à quo appelletur.* Vt hanc difficultatem dissoluat Villasuso in noua interpretatione huius textus, existimat verba suprà relata non esse coniunctim legenda, sed comma adiecto post verbum *eundem*, ita: *Eundem Archidiaconum, & clericum:* vt sensus sit, quod si manifestum esset, eundem Episcopum, Archidiaconum, & clericum simoniam commisisse, ipse omnes ab altaris ministerio deponeret, vt ita illa verba, *sunt perpetuò deponendi*, referantur ad Episcopum, Archidiaconum, & clericũ. Sed hæc subtilis interpretatio sustineri nequit. Primò quia repugnat illis verbis, quæ sequuntur: *Ob causam illam, tam iniquã, & detestabilem promissam rem accepisse.* Ex quibus expressè cõstat, Pontificem tantùm agere de Archidiacono, & clerico beneficia promissa recipiẽtibus, quę non cõueniunt Episcopo, qui ea promisit. Secundò quia Alex.III. ex actis confectis ab Archiepiscopo Toletano, & Prælatis Seguntino, & Segobiensi, quibus huius causę cognitio cõmissa erat, sententiam depositionis cõtra Episcopum protulit, cuius exequutionem tantùm Archiepiscopo Toletano in pręsenti mandauit. Vnde cùm ex actis confectis contra Episcopum pronunciasset, non poterat dicere, vt si manifestum esset, eũdem beneficia promisisse, quia id confessus esset, aut legitimè conuictus, cùm iam ex ipso processu appareret Episcopum conuictum esse de simonia; sed quia ex ipso etiam processu cõstabat eum Archidiacono beneficium, & clerico Prioratum promisisse, nõ tamen apparebat recepisse; ideò iubet Pontifex quoad eos conditionaliter, quod si confessi, aut cõuicti fuerint, ab altaris ministerio deponantur. Deinde, nam Episcopus, etsi fuit depositus ab Episcopatu, non tamen ab altaris ministerio, immò in ipso Prioratu permãsit: igitur verba illa, *ab altaris ministerio sunt perpetuò deponendi*, referri nõ possunt ab Episcopum. Quare hac omissa interpretatione verius credo, in præsenti epistola etiam depositionem Episcopi fuisse commissam; sed cùm eius prima parte careamus, vt suprà notaui, in ea parte committebatur Episcopi depositio, siquidem posteà descendit Alexander ad socios eiusdem criminis, videlicet Archidiaconum, & clericum.

5 e *Deponendi.*]Sed cùm collatio sacramentorum, & beneficiorum cum simoniaca labe facta ipso iure nulla sit, *c. Matthæus, c. sicut, hoc tit. c. ea quæ 1.q.3.* extrauaganti *detestabile, hoc tit.* ad quid necessaria est depositio; cùm ad hoc, quod quis deponatur, debeat habere aliquẽ dignitatis gradum, *l.aut damnum, ff.de pœnis*, iunctis traditis à Quintino *c nouimus, q.7.de V.S.* Farinac. *in praxi crimin.p.1 q.19. nu.49.* A quo enim dignitatis gradu deponendi erant, qui nullum fuerant adepti, *l.5.vers.& post defectum, ff. de iniusto rupto*, iuncto Duareno *l.8.de sacris Eccl.c.6.* Agnouit difficultatem Villasuso *in præsenti, n.32.* & docet, tam Episcopi, quàm collationem beneficiorum factam Archidiacono, & clerico nullam fuisse, atque ita depositionem hãc tantùm continere sententiam declaratoriam, qua declaratur, ipso iure nullam fuisse dictam collationem, vt *in l.sicut 8.§.sed si quæratur, ff.si seruitus vindicetur, l.adeò 7.vers. Cùm enim, ff.de acquir.rer.dom.* quia nouum nõ est, vt quod nullum fuit, rescindi dicatur, *l.quod vulgò 19.ff.de bonor. possess.contra tab.l.5.ff.qui, & à quibus;* saltẽ quoad ipsum factum argumento legis *inter cætera, ff.de liber. & posth.* Sed licèt hæc iuris principia vera sint, tamẽ prædicta solutio minimè necessaria est; nam in præsenti nõ agitur de depositione ab ipsis beneficijs, sed de depositione Archidiaconi, & clerici ab officio, ibi: *Ab altaris ministerio.* Quam depositionem ab officio simoniaci incurrunt, *c.ergo 10.1. q.1.c.2.c.sicut, hoc tit.c.2.de confessis.* Vnde iubet Alex. III. vt si constaret Archidiaconum, & clericum beneficia sibi promissa recepisse, ab altaris ministerio perpetuò Archiepiscopus eos deponat, idest officio in perpetuum priuet.

f *Manifestum est.*] *Manifestum non est*, alibi legi notauit Ant.August.ad hunc textum in præsenti: sed ea littera negatiua admissa, nullus esset sensus sequentium verborum, ibi: *Nec tamen inde conuicti, vel confessi fuerint;* cùm dictio *tamen*, semper casum discernat, *l. si tamen, ff.de test.tutel.* Illustrant Barb. *de diction. c.347.* Retenta ergo hac lectione affirmatiua, difficile est quomodo in casu manifesti criminis non imponitur pœna ordinaria, sed tantùm purgatio canonica indicitur. Verùm hanc difficultatem exposui *in c.euidentia, de accusat.* 6

g *Sunt puniendi.*]Pęna ordinaria, exponit Morla *in emporio, tit.12.q.1.n.13.* & discrimen constituit inter casum, in quo proceditur per accusationem, & quia crimen non legitimè probatũ fuit, purgatio canonica indicitur; & inter casum, in quo proceditur per inquisitionẽ, & similiter purgatio iniungitur. Primo casu affirmat, deficiẽti in purgatione pęnam ordinariam esse infligendam: secũdo verò casu extraordinariæ tantùm pęnæ locum esse: iuxta primũ casum accipit præsentem textum, iuxta secũdum verò textus *in c.insinuatum, hoc tit.c.inter, de purgat. canonic.* Sed cùm in præsenti specie non procederetur per accusationẽ contra Priorem & clericum, sed potiùs per inquisitionem, siquidem incidẽter apparuit eorum simonia, cùm de simonia ab Episcopo commissa principaliter ageretur, admitti non potest sententia Morlæ, nec iuxta eius sententiam pęna ordinaria in præsenti casu poterat imponi. Ex alio tamẽ capite pęna ordinaria hoc casu locum habet, quia crimen simoniæ, quomodocunque apparuerint, siue per accusationem, siue per inquisitionem, pęna ordinaria punitur, vt probaui *in c.inquisitionis, hoc tit.* 7

h *Præstarent assensum.*]Sed cùm tempore Alex III. Reges Hispaniæ electioni Episcoporum factæ à Capitulis Ecclesiarum præstarẽt assensum vsque ad tempora Bonifacij VIII. quo Reges ipsi cęperunt pręsentare Episcopos in Ecclesijs sui Regni, vt referunt, & probãt Bobadilla *l.2. Politicę n.216.* Barb. *de potest.Episc.3.p.c.3.n.27.* quomodo potuerunt Principes in præsenti casu pecuniam accipere, vt ipsi etiam consensum præstarent electioni Episcopi Oxomẽsis? Agnouit difficultatem Villasuso *in pręsenti?* Et primò in ea fuit sententia, vt existimaret, legẽdum esse, *pręstaret*, vt in vetustissimis libris legi notauit Ant.Aug. *in præsenti.* Sed præterquam quod tam in principio huius textus, quàm in verbis relatis tã in prima, quàm in hac sexta collectione, legitur *præstarent*, mendum hoc repugnat menti Pontificis; siquidem Alexãder affirmat, Principes pecuniã recepisse, eamque ipsos retinere non posse; vnde semper in plurali loquitur Pontifex. Quare ad singularem sine vitio contrahi non potest: quare re meliùs perpẽsa, ipse Villasuso existimat, huic electioni Bernardi consensum pręstitisse Principes, quia olim omnibus priuilegijs, & donationibus à Rege factis subscribebant Principes, hoc est Magnates, hodie dicimus *Grandes*, olim *ricos homes*, vt constat ex antiquis priuilegiorum, & donationũ chartis relatis ab Yepes *ad calcem chronici D.Bened.* quę antiquum Hispaniæ morẽ referunt Zurita *in annalibus Aragoniæ, l.2.c.3.* Garibay *l.10.hist.c.4.* Argote Molin. *de nobilit.l.1.c.62.* Colmenares *in hist.Segobiensi, l.1.c.17.§.9.in fin.* Moreno de Bargas *de Hispan.nobilit.disc.13.* Guardiola *in Hispan.nobilit.c.4.fol.mihi 112.* Salazar à Mendoza *de orig.dignit.l.1.c.9.in fin.* & *l.2.c.11.* Sed hæc interpretatio admitti nõ potest, primò quia 8

nullibi

nullibi legitur, Magnates Hispaniæ subscripsisse confirmationibus Regijs Episcoporum. Secundò, quia non solùm Magnates, verùm & Prælati Ecclesiastici subscribebāt priuilegijs illis, & donationibus, vt ex ipsis passim cōstat. Sed credi nō potest, Bernardum omnibus Principibus, & Prælatis Hispaniæ pecuniam dedisse, vt subscriberent, & consensum præstarēt ipsi electioni: ergo prædicta solutio sustineri nequit. Quare ea omissa vera interpretatio huius textus petenda est ex historia Regis Alfonsi IX. cuius tempore præsens casus cōtigit. Ildefonsus enim mortuo patre suo Sancio quatuor tantùm annos habebat, vnde pater illi testamento tutorē designauit D. Gutierrem Fernādez à Castro, iussitque vt Principes, & Magnates Hispaniæ castra, & oppida in sua ditione haberent, vsquedum ad quindecim annos peruenisset, qua ætate omnia illi restituerent: sed cū Castellæ Proceres, præcipuè D. Petrus, & D. Nuñus de Lara, iniquum putarent, vnius tantùm hominis, D. Gutierrez videlicet, arbitrio omnia Regni negotia disponi, ac gubernari, ideò fratres D. Petrus, D. Nuñus, & Manrique à Lara tutelam, ac educationem Ildefonsi susceperunt, vt referūt Mariana *l.*11 *hist.c.*8. vnde ipsis dedit Bernardus quinque millia marapetinorum aureorum, vt referunt Colmenares suprà relatus, & Anonymus, qui vitā ipsius Bernardi scripsit, cuius liber MS. seruatur in archiuis Ecclesiæ Oxomēsis: & ipse Rex Ildefonsus suo testamēto, quod condidit in villa vulgò dicta Fuentiduena, die 8. mensis Decembr. era 1242. refert D. Nuñum, & D. Petrum tutores suos recepisse quinque millia marapetinorum pro electione Episcopi Oxomensis, & iubet vt restituātur. Tradit Mariana *l.*11.*hist. Hispan.c.*10. vnde apertè constat, Principes D. Nuñum, & D. Petrum, nō vt Regni Magnates, sed vt tutores Regis cōsensum præstitisse electioni Oxomensis Episcopi. Præsensit Lambert. *de iurepatr.p.*3.*l.*2.*q.*6. Nec obstabit si dicas, præsentem casum cōtigisse anno 1174. vt refert Garibay *l.* 12. *hist.eod.anno*, in quo Alfonsus iam pubes erat. Nam respōdeo, quod licet Alfonsus anno 15. suæ ætatis iuxta dispositionem Sancij Patris sui, regni curam, regimenque habuisset; tamen adhuc tutorum suorum consilio: & auctoritate omnia disponebat: vnde ipsi potuerunt accipere eam quātitatem, vt electioni Bernardi simul cū Rege assēsum præstarent: nisi dicamus etiam eo tempore tutelam Regis non finiri pubertate, vt posteà cautum fuit *in l.*3.*tit.*15.*part.* 2. quam latè illustrat D. Ioseph. Vela *differt.*3. *Hispal.*

9 i *Ecclesiæ.*] Sed cur Ecclesiæ restituitur pretium simoniacè acceptum? Pater Laym. *l.*4.*mor.tr.*10.*c.vlt.§.*9.*n.*84. Gibal. *de simon.q.*22.*in fin.* existimarunt, in præsenti Bernardū dedisse Regi, & Principibus bona ipsius Ecclesiæ Oxomēsis, & ita illi restituenda esse sine vlla diminutione, quia ab ea profecta erant. Sed hæc solutio conuincitur ex eo, quia nulla Ecclesiæ bona dedit Bernardus, sed tantùm ex patrimonio suo quinque millia marapetinorum aureorum (de quorum valore vidēdi sunt Couarr. *de veterum numismat. collat.c.*5. Carranza *de monet.p.*1.*c.*3.) Villasuso in præsenti textu, ad finem ait, Bernardum quantitatem hanc dedisse ex fructibus perceptis ex Prioratu ipsius Ecclesiæ, quem ipse obtinebat; vnde cùm malè eos expendisset, ad restitutionem tenebatur, iuxta opinionem eorum, qui docuerūt, beneficiarium fructus sui beneficij malè cōsumentem teneri ad restitutionem, quam retuli *in c.cùm in officijs, de testam.* Sed nec solutio peccat in pluribus. Primò quia non agitur in præsenti de restitutione facienda ab ipso Priore fructus dissipante, sed à Principibus illud recipientibus ex causa simoniæ. Secundò, quia ea sententia vt beneficiarij malè absumentes fructus sui beneficij, teneantur ad restitutionem, vera nō est, vt probaui *in d.c.cùm in officijs*: & ea adhuc admissa, restitutio non erat facienda Ecclesiæ, sed pauperibus, qui fraudati fuerant in his fructibus malè cōsumptis, cùm in eos erogandi essent. Vnde his omissis sententijs dicēdum est, quod ille, qui pretium accepit pro spirituali, atque ita simoniam commisit, tenetur pretium restituere illi, cui iudex, qui de crimine cognoscit, iusserit. Vnde aliquando restituitur Ecclesiæ, aliquando pauperibus, *c.audiuimus, hoc tit. extrauag. Gregorij XIII. de simon.* docuerunt Sot. *l.*9.*de iust.q.*8.*art.*1. Victoria *in relect. de simon.*2.*p.n.*6. Nauarra *de restit.l.*4.*c.*2.*n.*147. Aragon. 2.2.*q.* 100.*art.*6. Binsfeldius *in c.*46.*hoc tit.q.*1. Gibal. *de simon.q.* 23 *nu.*9. Alexander autem in præsenti iussit, pecuniam à Principibus acceptam, ipsi Ecclesiæ Oxomensi, cui quodammodo iniuria illata fuerat, restitui, vt etiam Iustinianus constituit *in Nouell.*6.

k *Sine salutis periculo.*] Anceps quæstio est, an accipiēs pretium simoniacè, teneatur illud restituere in foro conscientiæ, etiam antè iudicis sententiam? Et affirmatiuam partem cum D. Thoma 2.2.*q.*32.*art.*7. tenuerunt ex Iuristis Couarr. *in regul.peccatum, p.*2.*§.*2.*n.*6. Nauarr. *ad hunc tit. conf* 15. Didacus Perez *in l.*3.*gloss.*3.*tit.*3.*l.*1. *Ordin.* Petrus Gregor. *l.*33.*syntag.c.*13.*n.*38. Azor. 3.*p. instit.moral. l.*12.*q.* 11. Less. *de iustit.l.*2.*c.*35.*dub.*31. Suar. *to.*1.*de relig.l.*4.*de simon.c.*60. Scottia *in select. Pontif. constit. epit.*32. *theorem.* 86. pluribus relatis Basseus *in floribus, verbo Simon.*7. Vincentius Candidus *to.*1.*disquisit.moral.disquisit.*18.*ar.*43.§. 3. Gibal. *de simon.q.*22.*n.*8. Cōtrariam verò sententiam tuetur Sot. *l.*9.*de iustit.q.*8.*ar.*7. Gutierr. *l.*2.*canonic.c.*23. *n.*19. Mol. *de iustit.tr.*2.*disp.*92. Dian. *p.*4. *tr.*4.*resol.*167. Thom. Sanch. *l.*2.*summæ, c.*33.*dub.*1. Villasuso *in præsenti*, *nu.*43. Sed placet prior sententia, videlicet antè nullā iudicis sententiam teneri simoniacum pretium restituere; nam cùm Ecclesia huiusmodi conuentionem, & pretij acceptionem omninò irritarit, sequitur necessariò, ex lege naturali non posse retineri pretium illud; siquidem per inualidam pactionem, & iure resistēte eius dominium transferri nō potuit *ex l.si non fortem, in princ.ff.de condict. indeb.l.cùm lex* 47.*ff.de fideiuss.l.contra* 28.*ff.de pactis.* Illustrant Vela *differt.*6.*n.*43. Asin. *in l.*2.*n.*7. *C.pro emptore.* Atque ita hæc obligatio restituendi pretium proximè oritur ex iure naturali, quod supponit lex ecclesiastica irritans omnē pactionem simoniacam circa beneficia, adeò vt ex tali cōuentione nec obligatio naturalis nascatur, *ex l.iuris gentium* 7.*§. sed cùm nullu, ff.de pactis*: nec dominium trāsferatur: quare rectè asserimus in præsenti casu, necessariā non esse iudicis sentētiā ad hāc obligationē incurrēdā; quæ enim obligant ex natura rei, omnem condemnationem præcedunt. In præsenti autem specie non tenebantur Principes pretium restituere Ecclesiæ, quia adhuc illi adiudicatum non erat

C A P V T XI.

Alexand. III. a *Ebor.ac. Archiepiscopo.*

CVm essent in præsentia nostra constituti R. clericus de *b* Pontefracto, & nobilis vir Vu quia moram diutiùs facere non poterat in recessu suo, dil filium nostrum Milonem, nuntium tuum pro se in causa illa sufficientem responsalem constituit. Cumque causæ cognitionem d.f. nostris M. presbytero tit. S. Luciæ, & V. S. Nicolai in Carcere Tulliano Diaconis Cardinalibus commisissemus, ipsi vtramque partem antè suam præsentiam conuocauerunt, & ab ore præfati R. intellexerunt, quod memoratus miles promiserat ei præscriptam *c* Ecclesiam, si quoddam *d* negotium eiusdem *e* militis posset in nostra Curia *f* promouere. Vnde cùm id nobis per eosdem Cardinales innotuisset, nos intelligētes promissionem ipsam simoniacam prauitatem continere, eidem R. super eadem Ecclesia *g* silentium imposuimus. Ideòque fraternitati tuæ per A.s.p.m. quat. memoratum militem occasione prædictæ controuersiæ à prænominato R. vel alijs super præscripta Ecclesia grauari nulla ratione permittas.

N O T Æ.

1 a *EBoracensi.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit.c.*11. & post Conc. Later. *p.*2.*c.*14. Ex quo Codice transcribo litteram huius textus. De Eboracensi Angliæ Metropoli nonnulla adduxi *in c.*4.*de rescriptis.*

2 b *Pontefracto.*] Pontifractum est oppidum citra Eboracum circiter 18. millia passuum, loco magis amœno, quàm à natura munito, vbi extat Castellum, & in eo aliqua vestigia templi, quod ibidem Claudio Cæsari dicatum fuerat, vt refert Polydor. Vergil. *l.*2.*hist. Angl.fol.*32.

c *Ecclesiam.*] Idest beneficium, vt *in cap.fin. de magistr.* Quare in Concilio Magunt. sub Arnulfo, *c.*5. & sub Rabano 3

bano *c.*12 acquirere Ecclesiam, & beneficium idem sunt: & in Concil. Turon. sub Carolo, *c.*15. & *c. presbyter*, 1. *q.*1.

d *Quoddam negotium.*] Et ita pro obsequio temporali promissum fuit beneficium, & per consequens simonia commissa; quia non minus obsequium temporale improbatur in traditione rei spiritualis, quàm pretium. Binsfeldius *in præsenti, q.*4. Gibalinus *de simonia, qu.*16. *consectar.* 13. *per totum.*

5 e *Militis.*]Quem priùs nobilem dixerat, non quia de sui natura miles nobilis sit, sed quia miles, de quo in præsenti, sanguine nobilis erat, vt docuit Carballo *in c. Raynuncius, part.*1. *num.*336. *de testam.*

f *Promouere.*] Clericus etsi non possit esse procurator laici, potest tamen eius negotia promouere, & curare, *cap. per venerabilem, qui filij sint legitimi:* notaui *in c.*2. *ne clerici, vel monachi.*

g *Silentium imposuimus*] Quia ipse R. petebat à milite præsentari ad illam Ecclesiã virtute prædictæ cõuentionis.

CAPVT XII.

Idem a *Cistren. Episcopo.*

INsinuatum est auribus nostris, quod dum Episcopatus tibi commissus vacaret, in Ecclesijs eius plurimi sunt clerici *b* constituti, qui per simoniam dicuntur habere ingressum, & inde infamia respergi. Vnde quoniam indignum est, vt in tali crimine, vel tam turpi suspicione remaneant, f.t. per A.s.p.m.quat. si qui fuerint in prædictis clericis, quos publicum sit, & *c* notorium simoniacè intrasse, eos ab Ecclesijs taliter acquisitis ap.cess. amoueas: illis autem, quorum crimen non est publicum, & notorium, si publica infamia laborant, cum quinta manu, vel sexta sui Ordinis, infrà quadraginta dies post harum susceptionem litterarum, purgationem indicas, in qua si defecerint, beneficijs Ecclesiarum sibi commissarum perpetuò priues, prouisurus attentiùs, vt tales personas ad eorum purgationem recipias, de quibus verisimile sit, quod non debeant alicuius obtentu deierare.

NOTÆ.

a *Cistrensi.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.*12 & post Concil. Later. *p.*2. *c.*15. De Cistrensi, seu Cicestrensi diœcesi Angliæ egi *in c.*14. *de offic. deleg.*

b *Instituti.*]Per capitulum, iuxta distinctionem adductam *in cap. illa, ne Sede vacante.*

c *Notorium.*]Quid dicatur notorium, & de eius effectibus, egi *in cap. euidentia, de accusat.*

COMMENTARIVM.

1 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens deducitur communiter assertio: *Obtinens beneficium simoniacè, pretio interueniente, ab eo remoueri debet.* Probant eam textus *in c.*1.2.3. *&* 5. *cap. si quis obiecerit, c. Saluator, c. ex multis, c. fin.* 1. *q.*1. *c.*1.2. *&* 3. *c. dilectissimis* 8. *q.*1. *c. non satis, c. cùm Ecclesia, c. tua, c. Iacobus, hoc tit. c.*2. *de confessis, c.*22. *&* 59. *de elect. extrauag.*2. *hoc tit. inter communes.* Concil. Rhemense *c.*21. *Quicunque Presbyter per pretium, gradum, aut Ecclesiam acquisierit, deponatur.* Turonẽse sub Carolo, *can.*15. *Quicunque Presbyter per pretium Ecclesiam fuerit adeptus, omnimodis deponatur.* Plura Ecclesiæ decreta referunt Ant. Augustin. *l.*6. *epit. tit.*47. *&* 48. Theoph. *to.*12. *tr. mala è bonis, l.*2. *sect.*1. *c.*2. Trid *sess.*24. *de reform. c.*15. Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa, Binsfeldius *hîc*, Suar. *tom.*1. *de relig. l.*4. *de simon. c.*39. Lotherius *de re benefic. l.*3. *c.*29. Valensis *eod. tr. l.*2. *tit.*1. Petrus Gregor. *eod. tr. c.*26. Arauio *in qq. moral. disp.*14. *p.*1. Scort. *in select. Pontificum constit. epit.*31. *theorem.*86. Borell. *in summ decis. tit.*20. *nu.*81. Raphael à Torre *ad D. Thom.*2.2. *q.*100. *art.*6. *disp* 5. Tamburin. *de iure Abbat. disp.*10. *q.*1. *&* 2. Baronius *anno* 44. *n.*88. & anno 52. *nu.*16. Duaren. *l.*6. *de sacris Eccles. c.*2. *&* 3. I. Dartis *de benef. sect.*5. *cap* 2.

2 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Per beneficium ecclesiasticum quis consequitur ius ad fructus temporales: sed quoties res quæ vẽditur, aliquid tẽporale habet, etsi spiritualibus sit annexa, nõ committitur simonia, vt cõtingit in vasibus sacris, quæ absque vlla labe simoniæ venduntur, vt probat Gibal. *de simon. q.*12. *consectar.*3. Igitur etsi detur pretium pro beneficio ecclesiastico, simonia non committitur. Augetur primò hæc dubitandi ratio *ex c. per laicos*, 16. *q.*7. vbi tãtùm prohibetur, ne clerici à laicis pretio beneficia accipiãt: ergo ab Episcopis, vel alijs Ecclesiasticis collatoribus id prohibitũ non est. Secundò argumentor ita: Licitè præstatur obsequium temporale pro beneficio ecclesiastico cõsequendo, vt cõtingit seruiẽtibus in Ecclesia nullo alio pretio, quàm ob spem consequẽdi beneficium, qui licitè illud possidẽt, *c. consuluit*, 74. *dist. c. in singulis*, 77. *dist.* & in specie textus *in c. de Syracusanæ*, 28. *dist.* vbi conuentio inita fuit in electione Syracusani Episcopi, vt non priùs eligeretur, quàm iuramẽto promitteret se seruaturum omnia bona ipsius Ecclesiæ, quod est obsequium temporale Idem contingit passim in præbendis, & beneficijs, quæ conferuntur cum onere docendi Grammaticam, aut medendi infirmos, quæ sunt obsequia temporalia, & pretio æstimabilia: ergo non rectè in præsenti textu, & antecedenti docetur, præstantem pretium, vel obsequium temporale pro beneficijs ecclesiasticis assequendis, ab eis esse amouendum.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quod cùm beneficium sit ius percipiendi fructus pro ministerio ecclesiastico, committitur in eius collatione simonia, si pretiũ, seu munus à manu, vel à lingua pro ea præstetur, vt fusè docent Lotherius, Gibalinus, & Valensis *suprà:* quæ simonia tripliciter contingit, & consideratur, videlicet realis, conuentionalis, & mentalis. D. Ioann. Vela *de delictis c.*32. *vers. Est autem*, Tiberius Decianus *l.*7. *tr. crimin. c* 82. Realis est cùm traditio intercessit ex vtraque parte, saltẽ quoad partem promissorum. Conuentionalis est, quæ tantùm in conuentionem deducta fuit, aut quæ propter conuẽtionem committitur, de qua egi *in c.*4. *de pactis.* Mentalis est, quæ tantùm mente concipitur, vt cùm quis aliquid spirituale, vel illi annexum animo recipiendi aliquid temporale, vel econtrà, dat; de qua agemus *in c. fin. hoc tit.* Vnde in præsenti tantùm est agendum de simonia reali circa beneficia commissa, & eius pœnis; & certum est, eam committi, quando præstatur pro beneficio ecclesiastico pretium, seu munus à manu, vel à lingua, *c. Saluator* 1. *q.*3. latè explicãt Lotherius, & Gibalinus *suprà*, fusè prosequitur modos, quibus simonia committitur in beneficijs, Theoph. *to* 12. *tr. mala è bonis, & c. l.*2. *sect.*1. *c.*2. & qui beneficium mediãte hac simonia acquirit, ipso iure maiori excommunicatione ligatur, extrauag. *Execrabile, de simonia:* quam pœnã latè explicant Hallierius *de sacr. elect. sect.*7. *c.*7. *art.*2. Gibalinus *de simonia, q.*25. *per totam:* & insuper prouisio, seu collatio ipsius beneficij nulla est, *c. ea quæ*, cum alijs, 1. *qu.*5. *c. cùm clericis, de pact. d. extrauag. cùm detestabile;* etiãsi ab alijs fuerit commissa simonia sciente, & non contradicente prouiso, *c. nouis, c. sicut ius, hoc tit.* immò etsi ipso ignorãte, vt docuerunt Abbas *in c. penult. de elect.* Less. *de iustit. l.*2. *c.*35. *n.*142. & patet *ex c. insinuatione, c. nobis*, ibi, *penitus reprobandæ, hoc tit.* nam dictio *penitus*, significat nullitatẽ ipso iure: & ex dicta extrauaganti *Cùm detestabile*, vbi statuitur absque dispensatione nõ posse illi pro ea vice beneficium conferri, idque in pœnam eorum, qui simoniacè illũ promouere voluerit, *d. c nobis, c. sicut hoc tit.* vbi dicemus. Si autem aduersarius occultè per fraudem pecuniam dederit eo animo, vt talis collatio beneficij nulla sit, subsistit, & valet, *d. c. nobis, c. sicut:* vel si eo expressè contradicẽte, alius pro eo pecuniam det, *d. c. sicut*, nisi postea consentiat approbando factum dãtis, vt ex D. Thoma, Panormit. & Nauarro probat Scortia *in select. Pontific. constit. epit.* 32. *theorem.* 86. Quod si non consentiat approbando factum, sed tantùm soluat quod eius gratia amicus dedit, ne illius causa damnum sentiat, non peccat, quia soluere ex gratitudine, ne amicus grauetur, non est approbare eius factum, nec per se malum, vt resoluit Scortia *vbi suprà*: obligantem autem se pacto aliquid temporale pro spirituali conferre ex gratitudine, & pretium dantem alicui,

3 *De simonia circa beneficium commissa.*

alicui, vt ipse intercedat apud tertium, qui intercedat pro beneficio sibi conferendo, simoniam committere resoluit P. Mendo *in statera*, *differt.*1. *quæst.*22. *&* 23.

4 Illud valdè difficile est, an post dictam extrauagantem non solùm priuetur simoniacus beneficijs, in quibus simoniam admisit, verùm & alijs iam obtentis Et ipso iure, absque vlla iudicis sententia, beneficijs etiam obtentis eum priuari docuerunt Bernard Diaz *in praxi*, *c.*91. Duarenus *de sacris Ecclef. ministr. lib.*8 *c.*6. Garcia *de benefic. p.* 8. *c.* 1. *nu.*40. plures referens Diana *p.*4. *tract.*4. *resol.*157. Bassæus *in floribus*, *verbo Simonia* 7. *num* 633. Sed meritò contrariam sententiam vt veriorem docuerunt P. Suarez *d. lib.* 4. *de simon. c.*58. Bonacina *de simon. disp.*1. *q.*7. *puncto* 2. *difficult.*1. Lotherius *lib.*3. *de re benefic. q.*29. *nu.*161. Candidus *tom.*2. *disquisit. moral. disquisit.*18. *art.*44. *dub.*4. Gibalinus *de simon. q.*25. *nu.*3. & probatur ex vulgari principio, quo docetur, neminem re sua priuari ante iudicis sententiam, etiamsi lex ipso iure pœnam priuationis imponat, dummodo speciale decretum irritans non habeat: quod probant Alexander *in l. si quis maior*, *C. de transact.* Mysinger. *centur.*6. *obseru* 77. Gaillus *lib.*2. *obseru.*51. *nu.*6. Quare cùm priuatio beneficij anteà obtenti contra simoniacum non contineat decretum irritans, ideò non contingit ipso iure: ex quo principio prouenit, suspensionis, & depositionis pœnas in dicta extrauaganti statutas, non irrogari ipso iure ante iudicis sententiam, vt docuerunt Suarez *d. lib.*4. *c.*56. *num.*19. Indeque quia specialiter in Concilio Lateranensi celebrato sub Leone X. *sess.*15. cauetur, vt Cardinales simoniaci in electione Summi Pontificis beneficijs priuentur, ibi: *Eo ipso absque alia declaratione priuatus existat*; ipso iure absque vlla iudicis sententia beneficijs priuantur, vt docent Lessius *de iustit. lib.*2. *cap.*35. *dub.*5. Scortia *in select. epist. Pontif. epit.*50. *theorem.* 135. Idem de examinatoribus simoniacis cauetur in Concilio Trident. *sess.*24. *cap.*18. & docuerunt Suarez *d. lib.*5. *cap.*9. *nu.* 17. Garcia *de benef. part.*9 *cap.*2. *nu.*368.

An simoniacus priuetur ipso iure beneficijs

5 Non minùs controuersum est apud Doctores, an noua constitutio Pauli II. in dicta extrauag. procedat in quacunque simonia, tam reali, quàm conuentionali; an verò in reali tantùm. Et solùm in simonia reali locum habere, constat in illis verbis ipsius extrauag. ibi, *dando*, *vel recipiendo*, præcipuè cùm in pœnis benignior sit interpretatio facienda, *l. interpretari*, *ff. de pœnis*, *l. cùm quidam*, *ff. de liber. & posth.* Deinde quia in dubio verba accipi debent cum effectu, *c. relatum*, *de cleric. non resid.* Facit etiam, quia minùs peccare videtur promittens, quàm dans, cùm faciliùs promittatur quàm donetur, *l. Titia* 134 *ff. de V.O. l. sciendum* 19. *ff. de ædilit. edict.* Et ideò minùs puniendus videbatur, *ex l. sancimus*, *C. de pœnis.* Tandem facit Curiæ Romanæ stilus, qui ius facit, *c. quàm graui*, *de crimine falsi*, *c. ex litteris*, *de constit.* iuxta quem tantùm simoniacus realis priuetur beneficijs iam obtentis, vt testantur sententiam hanc docentes Nauarr. *ad hunc tit. consil* 31. *& sequent.* Zerola *in praxi*, *p.*1. *verbo Simonia*, §.9. Valensis *de benefic. lib.*2. *tit.*1. *nu.* 19. Gibalinus *de simon. q.*24. *nu.*1. Verùm contraria sententia suadetur ex sequentibus principijs. Primò quia Paul. *in d. extrauag.* statuit pœnas generaliter contra simoniacos, vt constat ex eius principio, ex quo ratio finalis colligitur, *l. fin. ff. de hæredib. instituend. l.*2 *ff. ad Maced. l. Titia* 134. §. 1. *ff. de V.O.* Illustrat D. Ioseph de Retes *lib.*7. *opuscul. cap.*4. Sed per promissionem pretij, non minùs quàm per dationem, simonia committitur, argumento legis *& generaliter*, §.1. *ff. de calumn.* quia promissio, & datio parificantur, *l. fin. C. ad l. Falcid* & in terminis probant textus *in c. super hoc*, *de renunc. c.*2. *de confess. c. nobis*, *hoc tit.* Secundò quia iure communi contra omnes simoniacos, siue reales, siue conuentionales, procedebatur ad priuationem beneficiorum per sententiam, *d. c.*2. *de confessis*, *c. per inquisitionem*, *de elect. c. insinuante*, *hoc tit.* Sed omnes pœnæ iure communi statutæ innouatæ sunt per dictam extrauagantem. Igitur cùm Paulus in ea non distinguat inter realem, & conuentionalem simoniacum, de vtroque accipiendus est, argumento legis 1. §. *generaliter*, *ff. de legat. præstand.* Tertiò quia collatio beneficij per simoniam facta non potest esse in pendenti, cùm sit actus legitimus; sed statim debet subsistere, aut infirmari, *ex l. actus*, *ff. de R. I. c.*2. *de elect. in* 6. Penderet autem collatio purè facta cum pacto recipiendi pretium; nam si pecunia saluatur, postea collatio erit nulla, & collator excommunicatus manebit; si verò non soluatur, valida erit, nec manebit collator excommunicatus. Deinde quia emptio, & venditio contrahitur, etsi pretium promissum sit, non verò solutum, *princip. Instit. de emption. & vendit.* & per consequens simonia committitur tantùm per promissionem pretij, vt expresse docetur *in c. ea quæ* 1. *q.* 1. & hanc opinionem sequuntur Caietanus *in summa*, *verbo Simonia*, Sotus *lib.*9. *de iust. q.*8. *art.* 1. Nauarra *de restit. lib.* 2. *c.*2. *nu.*422. Palacios *de contract. lib.*2. *c.*7. *pag.*143. Aragon 2.2 *q.*100. *art.*6. Rebuffus *in praxi*, *tit. de simon.* 2. *p. c.* 10. *nu.*35. & 4. *p. c.*11. *nu.*32 In quo Interpretum dissidio credo discrimen esse constituendum inter pœnas statutas in dicta extrauaganti, ita vt quoad nullitatem collationis beneficij per simoniam factæ sufficiat simonia merè conuentionalis, nec desideretur realis ex altera parte, saltem impleta; quoad excommunicationem verò incurrendam Sedi Apostolicæ reseruatam desideretur omninò simonia realis, iuxta Curiæ Romanæ stilum, de quo testatur Cassadorus *decis* 5. *de constit.* Gomez *in regula de triennali*, *q.* 12. Scortia *d. epit* 32. *theorem.* 85. & ita quoad nullitatem collationis, & obligationem dimittendi beneficium per simoniam adeptum, & restituendi pretium, nulla datur differentia inter simoniacos reales, & conuentionales, vt facilè deducitur ex constitutione Pij IV. relata à Redoano *de simon.* 4. *part. c* 9. *nu.*8. & ex constitutione Pij V. relata à Flaminio *lib.*4 *de resign. q.*2. *num.*11. iuxta quam distinctionem facilè conciliantur, & explicantur fundamenta vtriusque sententiæ suprà adducta.

Dicta extrauagans an procedat in quacunque simonia.

Adeò autem verum est, collationem factam per simoniam, nullam esse, vt possessor talis beneficij etiam per vim spoliatus minimè restituatur; quia ad illud nullum ius acquisiuit, cùm nec habeat titulum saltem coloratum, qui desideratur ad restitutionem in beneficialibus, iuxta regulam capitis 1. *de eo qui mittitur*: & notatur *in c. in litteris*, *de restit. spol.* docuerunt Flaminius *de resign lib.*4. *quæst.*2. *nu.*20. Cassadorus *decis.*1. *de simonia.* Nec etiam defenditur regula de triennali possessore, cùm in eadem expresse exceptus sit, illis verbis, *absque simoniaco ingressu*, cum adductis ibi à Gomezio *q.* 12. Rebuff. *in praxi*, *tit. de pacif. possess. nu.* 198. nisi eo ignorante simonia ab alio commissa sit, quia tunc licèt teneatur dimittere beneficium, *c. penult. de elect. c. nobis*, *hoc tit.* tamen interim habet titulum coloratum, ideò spoliatus restituitur, & gaudet beneficio regulæ de triennali, vt resoluunt Flaminius *de confident. benefic. q.*21. *nu.*37. Redoanus *de simonia*, *part.*4. *c.*12. Ampliatur etiam præsens assertio, vt simoniacus non solùm teneatur dimittere beneficium per simoniam acquisitum, verùm etiam ad restitutionem omnium fructuum, vt docuerunt D. Thomas 2 2. *q.*100. *art.*6. *ad* 3. Couarr. Sotus, & Syluester relati à Gutierrez *lib.*2. *canonic. cap.*23. *nu.*12. Nec solùm fructus stantes, verùm & consumptos restituere tenetur; immò & eos, qui percipi potuerunt à quolibet possessore: nam cùm prædonis loco habeatur, *cap ordinationes* 1. *q* 1. semper dicitur esse in mora, & ad omnia damna tenetur, *l.* 1. *C. de his*, *quæ vi*, *l. fin. C. de condict. furtiu. l. subtracto*, *C. de furtis*, tanquam violentus inuasor, *c. grauis*, *de restit. spol. cap. si res* 14. *quæst.*6. & cum à principio nullum titulum acquisierit, tenetur ad omnes fructus, & ad omne lucrum perceptum, & percipiendum, *l. si nauis* 62. §. *generaliter*, *ff. de R. V. l. sed & partus*, *ff. quod metus causa*, *l. quemadmodum*, *C. de agricolis*, *lib.*12. probant latè Hostiensis in summa huius tituli, *num.*6 Redoanus *de simon.* 4. *part. num.*42. Tiberius Decianus *tract. crimin. lib.*5. *c.*87 *num.*5. ille verò qui per simoniam ab alio commissam beneficium obtinuit, illud cum suis fructibus à tempore sententiæ perceptis restituere tenetur, *cap. de regularibus*, *cap. ex insinuatione*, *cap. nobis*, *hoc tit.* perceptos verò ante sententiam restituere tenetur, si extent, consumptos minimè, quia bonæ fidei possessor extantes tantùm fructus restituit, *l certum*, *ff. de R. V.* Tenetur etiam simoniacus beneficium dimittere, & fructus restituere in foro conscientiæ, ante illam iudicis condemnationē, quia licèt pœna ipso iure imposita pro aliquo delicto non debeatur in foro conscientiæ ante iudicis declarationem, ex Glossa communiter recepta *in c. fraternitas*, 12. *q.*2. Cenedo *ad Decretum*, *collect.*2. *n.*3. Morla *in empor. tit.*1. *q.*2. tamen vbi à principio impeditur prima dominij, vel tituli translatio, vt in præsenti casu, non est necessaria iudicis declaratio, quia non est propriè pœna, sed effectus iniustæ acquisitionis. Aragon *in* 2. 2. *q.*110. *art.*6 Hi tamen fructus restitui debent futuro successori, ad quem fructus vacantis beneficij spectant, *cap. cùm vos*, *de offic. Ordin c. præsenti*, *eod. tit. in* 6. *cap. quia sæpè*, *de electione*, *eod. lib.* & ideò si simoniaco Summus Pontifex conferat idem 6

Ampliatur præsens assertio.

beneficium, poterit retinere eosdem fructus, quia sibi tanquam nouo successori debentur, vt probat Nauarrus *ad hunc tit. consil. 34. num. 5. & consil. 70. num. 5.*

7 *Traductur ratio decidendi.* Ratio cur tot Ecclesiæ canonibus damnata sit collatio beneficiorum, pretio accedente, ex eo prouenit; nam cum per beneficium ecclesiasticum concedatur ius percipiendi fructus propter ministerium spirituale, & ita res ecclesiastica sit, non potest vendi absque labe simoniæ, aut distrahi pretio accedente. Accedit, nam ad beneficia ecclesiastica illi admittendi sunt, qui litteris, & virtutibus pollent, *c. graue, de præbend.* sed si propter pretium beneficia conferantur, indigni, & quibus merita non suffragantur, tantùm ad ea admitterentur, vt docet D. Gregorius *lib. 7. epist.* 110. agens de beneficio obtento per simoniam, ibi: *Quid per hoc aliud agitur, nisi vt nulla de actu probatio, nulla sit debita discussio; sed ille solummodò dignus, qui pretium suffecerit, æstimaretur.* Vnde in omnibus bene concordatis Respublicis improbatum fuit præcipuè, officia publica pretio acquiri. Plato *lib. 8. de Republic.* aiebat, absurdam esse Reipublicæ constitutionem, in qua Principatus venduntur. Valerius Maximus *lib. 4. de paupertate*, aiebat, nihil eorum, quæ virtuti debentur, emere pecunia licere. Aristotel. *lib. 2. Polit. c. 9.* ibi: *Turpe est ministeria publica venalia facere.* Et de Nerone refert Tacitus *lib. 13. annal.* quod cùm optimæ spei iuuenis esset, curiam ingressus egregia multa facturum se esse promisit, & inter alia nihil in penatibus suis venale, aut ambitiosum esse permissurum. Nam si similia officia venalia fiant, ingentia mala Reipublicæ sequuntur. D. Chrysostomus *in epist. D. Pauli ad Ephesios, c. 6.* ibi: *Dignitates factæ sunt venales, mille hinc mala nascuntur.* Eleganter Lampridius *in vita Alex. Seueri*, ibi: *Honores iuris, gladijque nunquam vendi passus est, dicens: Necesse est, vt qui emit, vendat. Ego non patior mercatores potestatum; quod si patiar, damnare non possem. Erubesco enim punire eum hominem, qui emit, & vendit.* Venustè Seneca *de beneficijs c. 9. Prouincias spoliari, & numarium tribunal, audita vtrimque licitatione, alteri addici, non mirum, quando quæ emeris, vendere gentium ius est.* Senecam imitatus est Saluianus *lib. 4. de gubernat. Dei. Quid enim omnium aliud dignitas sublimium, quàm proscriptio ciuitatum. Ad hoc enim honor à paucis emitur, vt cunctorum vastatione soluatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatū pretia, quas non emunt. Commercium nesciunt, & solutionem sciunt.* Præcipuè enim virtus, & scientia negliguntur. D. Gregor. *lib. 7. epist.* 114. ibi: *Vbi non merita, sed pecuniæ suffragantur, restat vt nihil sibi grauitas, nihil sibi defendat industria; sed totum auri profanus amor obtineat.* Et licèt ipse, qui pretio beneficium, aut officium obtinuit, bonis moribus præditus sit; tamen semper perniciosa res est. Leo Magnus *epist. 87.* ibi: *Principatus, quem aut seditio extorsit, aut ambitus occupauit, etiamsi moribus, atque actibus non offendat, ipsius tamen initio sui est perniciosus exemplo, & difficilè est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Latè illustrant Solorzanus *de iure Indiarum tom. 2. lib. 5. c. 5. a.* 101. Osualdus *ad Donel. lib. 17. c. 7.* Petrus Gregorius *de Republic. lib. 4. c. 5. n. 27. & lib. 7. c. 13 & lib. 13. c. 16.* Simanchas *eod. tract. lib. 6. c. 16. & 17.* Iunius *qq. Politicar. q. 12.* Bobadilla *lib. 1. Polit. c. 14. n. 15.* Fragoso *de Regim. Christ. Reipub. part. 1. disp. 2. lib. 2. §. 2.* Anonymus *contra Machiauel. lib. 1. fol. 17.* Arauio *in qq. moral. tit. de statu ciuili, disp. 8.* Meritò ergo tot Ecclesiæ canonibus collatio beneficij pretio facta irritatur, & tam acerbis pœnis puniuntur, qui pretio, seu munere beneficium ecclesiasticum adepti fuerunt.

8 *Dissoluitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt per beneficium ecclesiasticum acquiratur ius ad fructus temporales acquirendos, non potest hoc ius separari à ministerio spirituali, à quo nascitur, & propter quod confertur: quare in eius venditione necessariò committitur simonia: vnde Pontifex, qui potest prouentus ipsos, vtpote eorum Dominus, ab officio spirituali separare, poterit ipsos sine beneficio retinere, aut cui voluerit, vendere, seu donare, vt probat Gibalinus *de simonia, q. 20. consect. 1.* qui inde infert, in capellanijs, hospitalibus, pensionibus, quæ non habentur pro beneficijs ecclesiasticis, quia nec per institutionem conferuntur, nec pro ministerio ecclesiastico dantur, simoniam non committi; quod etiam docuerunt Castropalao *in opere Moral. tract. 17. disp. 3. puncto 13. an 14.* Gonzalez *ad regul. 8. Cancel. glossa 5. nu. 25.* Idem resoluit Gibalinus *de commendis Ordin. militar.* quod & pluribus relatis probat P. Mendo *de ordinibus militaribus disp. 1. nu. 233.* etsi contrarium teneat Arauio *in qq. moral. tract. 1. q. 7. nu. 30.* Hoc etiam sensu vasa sacra vendi possunt absque labe simoniæ, quia non ita videtur coniungi sanctitas per consecrationem, vt separari nunquam possit; quia hæc omnia sunt antecedenter connexa spiritualibus, & illæ connexiones non adimunt æstimabilitatem, quam prius habebant, nec ex ipsorum venditione sequitur necessariò simul vendi consecrationem, aut aliquid sacrum, vt sacrum est reduplicatiuè, sicut contingit in his, quæ sunt vel concomitanter, vel consequenter spiritualibus connexa. Nec obstat textus *ex d. c. per laicos*; nam licèt ibi specialiter prohibeatur recipi beneficium à laico, non ideò infertur, ab ecclesiasticis licere; sed quia in eo de laicis tantùm agebatur, ideò nulla mentio fit collatoris ecclesiastici. Nec obstat augmentum deductum *ex d. c. consuluit, c. in singulis*, nam discrimen constituendum est inter seruitium temporale, & spirituale; nam ob seruitium spirituale Ecclesiæ impensum à clericis minoribus, licitè illis beneficium ecclesiasticum conceditur, *d. c. consuluit, cap. in singulis*; ob seruitium temporale Episcopo collatori, vel alij simili impensum, non ita beneficium ecclesiasticum conceditur, *cap. sunt qui 8. q. 1.* Qua distinctione accipiendi sunt textus *in c. quid proderit, cap. bene, 61. dist. c. si officia, c. hoc ad nos, 69. dist.* Nec obstat augmentum deductum *ex d. cap. de Syracusana*, cui obstare videtur textus *in cap. talia 8. q. 3.* vbi asseritur, simoniam committi exigendo ab electo talem cautionem de indemnitate rerum. Pro cuius difficultatis solutione discrimen constituendum est inter eam cautionem, ad quam præstandam tenetur eligendus; & inter illam, ad quam non tenetur. Primò namque casu, etiamsi cum iureiurando præstet cautionem illam, non committitur simonia, quia talis cautio annexa est ipsi electioni, & quotiens actus per se bonus est, non efficitur malus ex modo efficiendi: at verò si cautio præstari solita non est, nec ipsi electioni annexa iam reperitur, præstari non potest pro beneficio assequendo, *d. cap. talia 8. quæst. 1.* quo modo etiam respondendum est ijs, quæ expendebamus de beneficio alicui collato cum onere docendi Grammaticam, aut curandi infirmos: nam quoties tale obsequium temporale annexum est beneficio, non autem tempore collationis in pactionem deductum, nulla committitur simonia, quia tale onus, etsi temporale, annexum est beneficio: at verò si non est annexum, sed tempore electionis pactum initum est, vt accipiat beneficium, & teneatur Grammaticam docere, aut curare infirmos, simonia committitur, vt docent Victoria *in relect. de simon. num. 6.* Gibalinus *eod. tract. quæst. 16. consectar. 13.*

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. ad audientiam, el 2. de rescriptis*, in illis verbis: *Litteras venditas*; vbi cùm proponeretur Honorio III. Petrum litteras impetrasse ad præbendam in Ecclesia Bituricensi assequendam, & eas vendidisse pro pensione, ac demum ad Sedem Apostolicam accederet, vt nouum rescriptum impetraret, non facta mentione prioris pro alia præbenda in alia Ecclesia obtinenda, Pontifex improbat tale factum; non quia vendidit litteras pro pensione, sed potiùs quia mentionem non fecit prioris rescripti: igitur quia licitum est vendere beneficium, seu ius ad illud assequendum. Pro cuius expositione dicendum est cum Panormitano ibi, quem sequitur Gibalinus *de simonia, quæstione 14. consect. 7.* primò non constitisse Pontifici, quomodo fuisset illa pensio imposita, an ex pacto renunciandi litteris Apostolicis, an verò gratuitò ab Ecclesia, & Episcopo post renunciationem litterarum. Secundò satis improbare negotiationem illam Pontificem dum eam venditionem litterarum dicit omninò improbandam; & sic parum interest, quod non expresserit, simoniacam labem eo casu admissam esse. 9 *Exponitur c. ad audientiam de rescript.*

NO-

Digitized by Google

C A P V T XIII.

a Idem.

VT nemo presbyterorum *b* xenium, vel emolumentum quodlibet temporale, immò detrimentum ſpirituale à quocunque publicè peccante, vel inceſtuoſo accipiat, vt Epiſcopo, vel miniſtris eius peccatum illius celet, nec pro reſpectu cuiuſque perſonæ, aut conſanguinitatis, vel familiaritatis, alienis communicans peccatis, hoc Epiſcopo innoteſcere detrectet: nec à quoquam pœnitente; aut gratia, aut fauore, vel minùs dignè *c* pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat: vel quocunque liuore dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat; quia vtrumque ſimoniacum eſt.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ità etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c.*13. nec amplius in inſcriptione exprimitur, ſed in præſenti refertur capitulum 13. Hincmarij Rhemenſis Archiepiſcopi, quod extat inter eius capitula *tom.*21.*Conc.* in hæc verba: *Vt nemo Presbyterorum xenium, vel quodcunque emolamentum temporale, immò detrimentum ſpirituale à quocumque publicè peccante, vel inceſtuoſo accipiat, vt nobis, vel miniſtris noſtris peccatum illius reticeat; nec pro reſpectu cuiuſque perſonæ, aut conſanguinitatis, vel familiaritatis alienis peccatis communicans hoc nobis, vel miniſtris noſtris innoteſcere detrectet: nec à quocunque pœnitente, vel gratiam, vel fauorem, aut munus ſuſcipere præſumat, vt minùs dignè pœnitentem ad reconciliationem adducat, & ei teſtimonium reconciliationis ferat; & quocumque liuore alium quemlibet dignè pœnitentem à reconciliatione remoueat, quia hoc ſimoniacum, & Deo, & hominibus abominabile eſt.* Et idem Hincmarus in capitulis Archidiaconis datis anno 874. *can.*3. cauit: *Vt à Presbyteris xenia non accipiatis, quatenus eorum mala fama cooperiatur.* Et *can.*9. *Solicitè prouidete, ne vos, vel Presbyteri negligenter pœnitentes pro aliquo munere ad reconciliationem adducatis, vel poſt reconciliationem eos negligatis, quod ſimoniacum eſt.* Idem repetitum repetitur in Concil. Friſingenſi celebrato anno 1440. *can.*20.

b *Xenium.*] Ideſt donum, vt expoſui *in c.*1. *de cenſuet.*

2 c *Pœnitentem.*] A pœnitentia qualibet pretij acceptio aliena debet eſſe: tum quia ſacramentum eſt, tum quia ad inſtar iudicij habetur, & ſacerdotis manus puras eſſe oportet, ne clementiam, ac impunitatem ſcelerum vendere, & libertatem peccandi videatur ſubtrahere: legimus tamen aliquando impunè ab aliquibus redemptum pœnitentiæ, & interdictæ communionis ſpatium, vt apud Gregorium Turonenſem *lib.*5.*c.*36. *Nantinus Comes communione pulſus, ad eandem iterum redit, fauentibus Epiſcopis, quos præmijs, atque adulatione corruperat.* Ex *lib.*2 *Capitul. tit.*38. legitur, *quoſdam Epiſcopos ſacerdotum reatus ſolitos fuiſſe pecuniarum exactione vindicare, quod Imperator eò loci fieri prohibet.* Et in veteri canone falsò Conc. Illiberit. aſſignato à Burchardo *lib.*19. *Decreti, cap.*75. & ab Iuone *part.*15.*c.*88. ita legitur: *Qui in quadrageſima ante Paſcha cognouerit vxorem ſuam, & noluerit abſtinere ab ea, vnum annum pœniteat, aut pretium, videlicet* 25. *ſolidorum, ad Eccleſiam tribuat, aut pauperibus diuidat.*

COMMENTARIVM.

CIrca actum ſpiritualem omiſſum pro temporali pretio non conſentiunt Interpretes, an ſimonia ſit, vel non? 3
Et eo caſu ſimoniam committi, probari videtur in hoc textu, cuius auctoritate docuerunt, in pura omiſſione actus ſpiritualis, pretio, aut fauore, ſimoniam committi, Gloſſa, Panormit. & Felinus, Paludanus *in* 4. *diſt.*25 *q.*5. Contrariam verò ſententiam, videlicet non committi verè, ſed impropriè ſimoniam, ſecundùm quandam ſimilitudinem, exiſtimarunt Innocentius, Hoſtienſis, & Ioannes Andreas, Victoria *relect.*2. *de ſimon.* Aragon. 2. 2 *q.*100. *art.*1. Binsfeldius *in præſenti*, qui textum hunc accipiunt de ſimonia ſimilitudinaria, & impropria. Sed hanc quæſtionem varijs diſtinctionibus adductis explicant Barboſa *hic*, Gibalinus *de ſimon. quæſt.*6. *conſectar.*12. iuxta quorum doctrinam ſciendum eſt, Alexandrum in præſenti duas ſuæ deciſionis partes proponere. In priori parte duos decidit caſus. Primus videlicet, eſt quando presbyter, ideſt 4
parochus, aliquod emolumentum temporale recipit à publico peccatore, vt Epiſcopo, vel eius Vicario celet peccatum illius. Secundus, cùm ipſe propter conſanguinitatem, vel familiaritatem alicuius eius peccatum celat, ne innoteſcat. Quibus caſibus certum eſt, presbyterum peccare contra officium, iuſtitiam, & charitatem. Vnde turpiter accipi pretium pro ſure non reuelando, aut ſeruo fugitiuo non indicando, docetur *in l.*4. §. 1. *ff. de condict. ob turpem.* Attamen his duobus caſibus nulla propriè committitur ſimonia, niſi in tali occultatione vtatur parochus aliqua poteſtate ſpirituali. In ſecunda parte deciduntur ab Alexandro alij duo caſus. Primus eſt, cùm presbyter peccatorem non verè pœnitentem, propter gratiam, & fauorem ad reconciliationem admittit, vt ita teſtimonium reconciliationis ferat. Secundus cùm ipſe parochus propter fauorem, aut odium remouet à reconciliatione pœnitentem. Quibus duobus caſibus verè ſimonia committitur, cùm poteſtas ſpiritualis exerceatur, aut omittatur ob pretium, aut fauorem. Vnde illa verba Alexandri, *quia ſimoniacum ad vtrumque*, ad hos duos caſus in ſecunda parte relatos referunt Suarez *lib.*4. *de ſimonia, c.*22.*n.*14. Barboſa *hic, nu.*2. Et ſi adhuc inſtes, ad totam conſtitutionem referendam eſſe prædicta verba, ſupponendum eſt, prioribus caſibus vltra omiſſionem interceſſiſſe exercitium aliquod ſpiritualis poteſtatis, vt docuit Gibalinus *ſuprà, conſect.*3. qui inde infert reſolutionē ad varios caſus, in quibus propter omiſſionem actus ſpiritualis ſimonia committitur.

C A P V T XIV.

Idem *Venerabili fratri noſtro* a *Vuigorienſi Epiſcopo, & dilecto filio de Pateiar, Priori.*

QVerelam monachorum de *b* Alteia nobis tranſmiſſam accepimus, quod cùm ipſi quoddam *c* manerium, quod dicitur Vella, cum *d* pertinentijs ſuis, & Eccleſiam de Ganonum à monachis de *e* Cadonio ſub annuo cenſu xv. librarum fuiſſent adepti, & inde chartam ab ipſis monachis habuiſſent: quidam Prior eorum, Capitulo inconſulto præſcriptum manerium, Eccleſiam & chartam de Cadonio, accepta pecunia reſignauit. Vnde quia præfati monachi de Acra ſe conqueruntur iniuſtè grauatos, & nobis imminet corrigendum, ſi quid minùs rationabiliter attentatur, cauſam ipſam experientiæ veſtræ committimus, præſentium vobis auctoritate mandantes, quatenus partibus ante veſtram præſentiam conuocatis, quæ hinc inde propoſita fuerint, diligentiùs audiatis, & præſcriptam cauſam, ſublato appellationis remedio, concordia, vel iudicio terminetis, prouiſuri quod ſicut emi non potuerit, ita etiam nec *f* redimi. Si verò monachi de Cadonio legitimè citati ad præſentiam veſtram accedere, & iudicio veſtro ſtare contempſerint, vos prædictos monachos de Acra in poſſeſſionem eorum, de quibus controuerſia vertitur, contradictione, & ap. ceſſ. inducere minimè differatis, nec ipſos exinde permittatis abſque ordine *g* iudiciario moleſtari. Si verò vterque veſtrum his exequendis intereſſe non poterit, alter ea nihilominus exequatur.

N O T Æ.

a VIgoriensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 14. post Concil. autem Later. *part.* 2. *cap.* 12. habetur *Fratri R. & Vigoriensi Episcopo*. Sed retinenda est præsens inscriptio. De Vigoriensi Ecclesia egi *in cap.* 9. *de electione*.

1 b *Alteia.*] In hac sexta collectione legitur *de Acra*, sed malè; cùm causa hæc disceptaretur cum monachis de Acra. Vnde non poterat eorum Priori causa hæc committi: post Concilium Lateran. legitur *de Pautan*, & alibi legi *de Pauteria*, notauit Ant. August. *in præsenti*. Sed cùm nullibi reperissem monasterium huius nominis, credebam legendum esse de Pratelia. Pratelliense enim monasterium est in Neustria optimo loco situm, prope portum maris, & pontem Adimarij: de quo Ordericus Vitalis *lib.* 8. *hist. suæ Ecclesiæ*, *pag.* 709 Iuretus *in notis ad epist.* 143. *Iuonis*. Propter vicinitatem enim huius monasterij cum Cadumensi præsentis causæ cognitio potuit committi Priori illius monasterij.

2 Manerij quid. c *Manerium.*] Maneria, seu manerium, est habitatiò cum certa agri portione; quo modo accipitur apud Innocentium III. *lib.* 3. *epist.* 5. ibi: *Ciuitates, villas, castra, maneria, quæ ad dotalitium præfatæ Reginæ spectare noscuntur*. Apud Rogerium *tom.* 1. *annal.* in vita Guillelmi Senioris. *Et per easdem diuisas, quibus ipse, siue ante eum Testius, vel Sinardus ipsum manerium tenuerunt*. Apud alios Angliæ scriptores, quos refert Vossius *de vitijs sermonum lib.* 3. *cap.* 24.

d *Pertinentijs.*] Quatenus Ecclesia, seu iuspatronatus possit alienari cum vniuersitate bonorum, exposui *in cap. cùm Bertholdus, de iurepatron.*

3 e *Cadonio.*]Cadonium monasterium est Ordinis Cistercienfis in Sarlatensi diœcesi, de quo in præsenti agi nonnullos credidisse refert Manrique *tom.* 1. *annal. Cisterc. anno* 1120. *cap.* 1. *nu.* 2. à quibus rectè ipse discedit; nam quomodo Vigoriensi Prælato Angliæ poterat delegari cognitio causæ, quæ in Gallia vertebatur? Quare dicendum est, in præsenti agi de monasterio Cadomensi Normanniæ, cuius originem, & fundationis causam referunt Polydor. Vergil. *in histor. Angliæ*, Vuillelmus Gemeticen monachus *lib.* 7. *histor. Norman. cap.* 26. his verbis: *Vuillelmus Dux, dum à quibusdam religiosis sæpiùs redargueretur, eo quòd cognatam suam sibi in matrimonio copulasset, missis Legatis ad Romanum Papam super hac re consuluit. At ille sagaciter considerans, quod si diuortium fieri iuberet, fortè inter Flandrenses, & Normannos graue bellum exurgeret, maritum, & coniugem à reatu absoluit, eisque pœnitentiam iniunxit. Mandauit enim, vt ab eis duo cœnobia conderentur, in quibus pro ipsis ab vtroque sexu Deo sedulò preces offerrentur: quod illi gratanter opere compleuerunt; nam apud Cadomum vna constructa est Abbatia in honorem sanctæ Trinitatis; altera verò in honorem sancti Stephani Protomartyris.*

f *Redimi.*] De alia redemptione Ecclesiarum olim à monachis suscitata, egi *in cap.* 2. *de statu monach.*

g *Ordinario.*]Iuxta distinctionem, an transacto anno, vel
non, compareat, quam adduxi *in c. quoniam, vt lite non con-* 4
test. Præsenti decisioni consonat textus *in c. fin. hoc tit. in* 5. *compil.* vbi Honorius III. ita Pistoriensi Episcopo scribit: *Ad nostram noueris audientiā peruenisse, quod cùm olim inter conuentum monasterij sancti Bartholomæi Pistoriensis, ex parte vna; & Abbatem sancti Ioannis Parmensis ex altera, super eo, quod dictus Abbas præfatum monasterium sibi subesse dicebat, coram Archipresbytero, & coniudicibus suis, auctoritate Apostolica quæstio verteretur, nominatus Abbas pendente lite coram iudicibus memoratis, omne ius quod asserebat in prædicto monasterio se habere, ac idem monasterium tibi de facto, cùm de iure non posset, sicut conuenit, non attendens quod ecclesiastica, ac monasteria distrahi nequeant sine vitio simoniæ, tanquam vile, aliquid, pro certa vendidit pecuniæ quantitate, in ipsorum, & eius monasterij præiudicium non modicum, & grauamen. Postmodum verò tu, vnde miramur plurimùm, & mouemur, non considerans cum quanta seueritate Dominus de templo expulerit vendentes pariter, & ementes, occasione huiusmodi venditionis à præmisso conuentu iuratoriam, & fideiussoriam cautionem per violentiam extorsisti, vt venditionem ratam haberet eandem, & contra eam de cætero non veniret, in eos qui cōtra venditionem ipsam venirent, seu consilium, vel auxiliū super hoc conferrent eisdem, excommunicationis sententiam temeritate propria promulgando. Quare fuit nobis humiliter supplicatum, vt sicut venditionem sancti Thomæ Pistoriensis, sic & istam irritare misericorditer dignaremur. Nos ergo fraternitati tuæ deferre quantum cum Deo, & honestate possumus, cupientes, deuotioni tuæ mandamus, quatenus his, quæ per te minùs prouidè facta sunt, in hac parte reuocatis, prouidè per te ipsum sæpefatum conuentum à iuramentis, & fideiussores eorum à fideiussionibus, quas ab ipsis propter hoc diceris extorsisse, absoluens penitus, & præfatam excommunicationis sententiam sine qualibet dilatione, ac difficultate relaxans, ipsos occasione huiusmodi de cætero non molestes.*

C A P V T XV.

a Idem.

EA quæ de *b* auaritiæ, & cupiditatis radice proueniunt, & in speciem simoniacæ prauitatis erumpunt, sunt penitus extirpanda: & quæ de spinis & tribulis procedunt, falce Apostolici moderaminis sunt resecanda. Audiuimus quod nummos pro chrismate ab Ecclesijs extorquetis, quos nunc *c* cathedraticum, aliquando *d* paschalem præstationem, interdum Episcopalem consuetudinem appellatis. Quia verò hoc simoniacum esse cognoscitur, mandamus quatenus prætextu alicuius consuetudinis, vel prælationis præscriptos denarios nullatenus exigatis; pro certo scituri, quod si hoc præsumpseritis, periculum ordinis, & dignitatis poteritis non immeritò formidare.

N O T Æ.

a IDem.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 15. Sed tam littera, quàm inscriptio restituenda est *ex cap. ea noscitur, de censibus*, vt iam ibi notaui.

1 b *Auaritiæ.*] Quæ procul debet esse ab Ecclesiæ ministris, vt probant eruditè Æneas Robertus *lib.* 1. *rer. iudic. c.* 3. Sauarus *in notis ad Sidon lib.* 1. *epist.* 8. Monarc. *in l.* 1. & 3. *C. de sacros. Eccles.* I. Lucius *de arrestis, siue placitis Curiæ, lib.* 1. *tit.* 3. quam & in sacerdotibus Gentilium reprehendit Tert. *in apolog. c.* 13. in hæc verba: *Sed enim agri tributo honorabiliores; hominū capita stipendio censa ignobiliora: nam hæc sunt notę captiuitatis. Dij verò qui magis tributarij magis sancti; immò qui magis sancti, magis tributarij: maiestas quæstuaria efficitur, circuit cauponas religio mendicantis: exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu: sacris non licet Deos nosse gratis; venales sunt.* Etc. 44. *Non enim sufficimus, & hominibus, & Dijs vestris mendicantibus opem ferre.*

2 c *Cathedraticum.*] Alia est pensitatio dicta cathedraticum, quæ iustè exigitur à Prælatis Ecclesiæ, de qua egi *in cap. conquerente, de officio ordin.*

d *Paschalem præstationem.*] Mutantes nomen, vt simu-
lareot simoniacam exactionem; vt etiam Athenienses tri- 3
butorum exactionem mitiori voce temperantes, non tributum, sed regimen ciuitatis appellari voloerunt. Alex. ab Alex. *lib.* 3. *cap.* 5. & de vsurario aiebat Sanctus Maximus: *Erubescit nomen vsuræ, sed peccatum vsuræ non erubescit.*

COMMENTARIVM.

FEria quinta maioris Hebdomadæ chrisma conficien- 4
dum esse per Episcopos in proprijs Ecclesijs, probaui *in c. quantò, de consuet.* & tunc omnes Parochi debent illud recipere à proprio Episcopo, non ab alieno, *c. presbyteri*, 95. *dist. c. presbyteri, de consecrat. dist.* 4. Conc. Vormat. *can.* 60. Conc. Francicum, idest in Francia celebratum sub Carolo Magoo Principe, & Bonifacio I. Archiepiscopo Maguntino, & martyre, Legato Zachariæ Papæ: *In cœna*, ait, *Domini semper nouum chrisma Presbyter ab Episcopo quærat, vt Episcopus testis assistat castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.* Idem omninò Concilium Suessionense

apud

Digitized by Google

apud Quintum Medardum, sub Duce Francorum Pepino, & Childerico Rege, eiusdem est sententiæ, & Concil. Aquisgran. 2. cap. 8. Capitul 2. *Statuimus, vt semel in anno, idest in quinta feria, quæ est in cœna Domini, vnctio olei sancti, in quo salnatio infirmorum creditur, per omnes ciuitates ab Episcopis non negligatur, sicut nunc vsque neglecta est: sed omni deuotione iuxta traditionem Apostolicam, ac statuta Decretalium, in quibus de eadem præcipitur, peragatur, & illud reuerenter deferri ad proprias parochias.* Conc. Vasense 1. con. 3. ibi: *Chrisma in medio Quadragesimæ presbyteri debent petere, & reuerenter cum chrismario, & linteo, sicut reliquiæ Sanctorum, deportari debet.* Altissiodor. can. 6. Arelat. 4. sub Leone, can. 18 Illustrat Vicecomes *lib. 2. de ritib. Confirm. cap. 25.* nec ab alio contingi potest, quàm à Sacerdote. Concil. Arelat. 4. *dicto can. 18.* vbi ratio assignatur his verbis: *Genus enim sacramenti est, quod non ab alijs, nisi à sacerdotibus, contingi debet: quod si fecerint, honore priuentur.* Cùm ergo presbyteri ipsi acciperent chrisma ab Episcopis, vsu venire cœpit, vt à singulis sacerdotibus, qui chrismatis accipiendi causa ad Ecclesiam Cathedralem accedebant, tremisses exigerentur, seu aliqua quantitas pecuniæ pro expensis factis in oleo, & balsamo. Quam consuetudinem viguisse in Hispania, constat ex Concilio Brachar. 2. *can. 16.* ibi: *Placuit vt modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento per Ecclesias datur, quia à singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil vlteriùs exigatur, ne fortè quod pro salute animarum per inuocationem sancti Spiritus consecratur, sicut Simon Magus donum Dei pecunia voluit emere, ita nos venundare damnabiliter videamur.* In Gallicana Ecclesia eandem corruptelam irrepsisse constat ex priuilegio Landerici concesso presbyteris consistentibus intra territorium monasterij sancti Dionysij Paris. vbi ita legitur: *Si necessitas eis fuerit, ex nostro, & successorum nostrorum Episcopatu, sine pretio chrisma, & oleum suscipiant.* Et *lib. 1. veter. formul.* ita habetur: *Chrisma annis singulis, si voluerint, postulare, pro reuerentia loci sine pretio concedat.* In alio priuilegio relato à Bignonio *in notis ad ipsum, c. 1.* ita cauetur: *Ambianensis Ecclesiæ Episcopus in Dei nomine benedicat, & chrisma sacrum conficiat sine pretio, & annis singulis pro reuerentia Sanctorum sine vllo pretio muneris causa concedat.* Frustra autem hoc tot priuilegijs concederetur, nisi mos fuisset persoluendi aliquod pretium pro chrismate, vt considerat Lemaistre *lib 2 de iurib. Episc. cap. 5.* Vnde varijs canonibus Ecclesiæ PP. hanc corruptelam damnarunt, & aliquid recipi pro chrismate quolibet pretextu vetuerunt Conc Barcinon. sub Rechasredo *can. 2.* ibi: *Vt cùm chrisma presbyteris diœcesanis pro neophytis confirmandis datur, nihil pro liquoris pretio accipiatur.* Cabilon. sub Carolo *can. 16.* *Quidam fratres dixerunt, consuetudinis antiquæ esse in eorum Ecclesijs, vt pro balsamo emendo ad chrisma faciendum, siue pro luminaribus Ecclesiæ concinnandis, binos, vel quaternos denarios presbyteri darent. Vnde omnes statuimus, sicut pro dedicandis basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, siue luminaribus emendit, nihil presbyteri chrisma accepturi dent.* Meldense *can. 45* *Nemo Episcoporum, vel quilibet minister ecclesiasticus propter sacrũ chrisma aliquid muneris accipiat, nec denarios, vel quælibet munuscula, quæ per ministros Episcoporum inordinabiliter exigantur.* Aquisgran 2. sub Ludouico, *p. 1. c. 5.* Emeritense *can. 9* *Quisquis ab Episcopo sanctum in potestate presbyteris ad distribuendum tempore opportuno acceperit chrisma, nihil ab eis beneficij causa tollere, aut petere præsumat.* Oxoniense *can. 21.* *Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, &c. absurdum esse iudicantes, quod de cætero pro chrismate, vel oleo aliquid exigatur, cùm toties hoc prohibitum esse reperiatur.* Synodus Romana *in c. fin. 1. q. 3. cap. non satis, c. in tantùm, c. ad nostram, de simonia.* Illustrant Vicecomes *de ritibus baptismi, lib. 5. c. 5.* Bignonius *in notis ad d. c. 1. veterum formul.* Herrera *in orig. diuini officij, lib. 1. cap. 2.* Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. cap. 14.* Bosquetus *in notis ad Innoc. lib. 2. epist. 45.* Sed in hac pretij acceptione quærit Gibalinus *de simon. quæst. 12. consect. 1.* an simonia committatur. Et resoluit, propriè simoniam non dari, nec vt talem in præsenti improbati, sed tantùm ad tollendam auaritiæ, & simoniæ suspicionem id prohibuisse Alexandrum: & ita concludit, chrisma esse materiam tantùm simoniæ ecclesiasticæ. Sed cùm PP. dicti Concilij Brachar. expressè talem exactionem pretij vt simoniacam damnent; quia lato modo in chrismate contineri sacramentum dixerunt PP. Concilij Arelat. 4. *can. 18.* non auderem negare, simoniam propriè in præsenti dari, cùm vendatur res consecrata ad conferendam Spiritus sancti gratiam principaliter, vt docuerunt PP. dicti Concilij Brachar. 2. Nec obstabis si dicas, vasa consecrata ad diuina ministeria posse vendi absque labe simoniæ, vt notaui suprà *in cap. indicatum*; & probat Arauio *in qq. moralibus, disp. 14. part. 2. art. 3.* ergo similiter & chrisma, cùm tantùm contineat consecrationem ab Episcopo factam. Nam respondeo chrisma annexum esse spiritualibus in primo gradu; nam cùm consecratio etiam res inanimatas quodam modo afficiat virtute su[p]ernaturali, vt docent D. Thomas 1. *p. q. 83. art. 3. ad 3. & 4.* Turrisçremata *in c. Ecclesijs, de consecr. dist. 1. nu. 2.* Sotus *in 4. dist 13 q. 2. art. 3.* rectè fit, vt temporale illud balsamum, & oleum admixtum consecrationi, eo ipso censeatur annexum per confusionem, ac proinde nullo modo absque simonia vendi possit; in vasibus verò consecratis non est admixta consecratio ipsi argento, seu auro, sed tantùm formæ vasorum: & inde est, quod sublata forma euanescit consecratio. Syluester *in summa, verbo Calix.* Quocirca sicut argentum, & aurum est separabile à consecratione, ita eius venditio nullam inducit simoniam.

C A P V T XVI.

Alex. III. a *Breare Ricardo.*

EX diligenti tua relatione nobis innotuit, quod G. Cant. Archidiaconus te multis promissionibus illexit, & quorundam Magistrorum virorum commotione, ac solicitudine induxit, vt ei *b* hominium faceres, & fidelitatem præstares, ita quidem quod ipse tibi beneficium ecclesiasticum annis singulis exhibere deberet. Vnde quoniam huiusmodi obligatio illicita satis, & contra salutis tuæ, necnon, & suæ profectum existit, sicut tua discretio nequaquam ignorat, à nobis super hoc absolui instantiùs, & suppliciter postulasti, adijciens quod ab eo deinceps nihil omninò beneficio constituto acciperes. Quocirca nos tuam in hac parte petitionem honestam, & fauorabilem attendentes, te præfati *c* Archiepiscopi hominio & fidelitate, præsertim cùm hæc taliter præstita, *d* diuinis, & *e* humanis legibus contraire noscantur, ex Beati Petri, & nostra etiam auctoritate absoluimus, ita quod ab aliquo Episcopo, siue sacerdote discreto pœnitentiam inde condignam recipias, & Deo secundùm eius consilium studeas reconciliari. Verùm ne aliqua propter hæc nota, vel *f* infamia possis respergi, absolutionis nostræ litteras tibi duximus indulgendas, quibus contra latrantium morsus tutus, & præmunitus existas, & quas in testimonium indulgentiæ nostræ valeas demonstrare.

N O T Æ.

a BReare.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 19.* Sed legendum esse *Barensi Richardo*, iam notauit Ant. Augustin. in præsenti, & parum interest, quodnam ex his nominibus retineatur.

b *Hominium.*] Homagium legitur in hac sexta collectione: quid autem intersit inter hominium, & homagium, infrà dicemus.

c *Archiepiscopi.*] Legendum est, *Archidiaconi*, vt habetur in hac sexta collectione.

d *Diuinis.*] Quatenus simonia sit iure diuino prohibita,

bita, & quibus in casibus, exposui suprà *in cap. cùm in Ecclesia*.

e *Hamaais.*] *L. si quemquam, Codice de Episc. & cleric. authent. de sanctiss. Episcopis, circa principium, §. sed neque, collat. 9.*

1 f *Infamia.*] Infamiam incurrunt quicumque sacrilega præsumptione ad ordines, vel dignitates ecclesiasticas se promoueri procurant: quam infamiæ pœnam irrogarunt Imperatores *in l. si quemquam, Cod. de Episcop. & cleric.* quæ extat *in cap. sanè 25. quæst. 5.* vbi ita sanxerunt: *Sanè si quis hanc sanctam, & venerandam Antistitis Sedem pecuniæ interuentu subijsse, aut si quis vt alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & læsæ maiestatis accusatione proposita, à gradu sacerdotij retrahatur: nec hoc solùm deincepts honore priuari, sed perpetuæ quoque infamiæ damnari decernimus, vt eos, quos par facinus inquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur.* Eandem infamiæ notam statuit Innocentius II. relatus *in cap. si quis præbendas 1. quæst. 5.* quibus decretis seuerior videtur Athalarici constitutio apud Cassiodorum *lib 9. epist. 15.* quæ insuper addit, vt nota infamiæ superstites, idest filios, & hæredes inurat.

COMMENTARIVM.

2 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Pro spiritualibus assequendis homagium fieri non debet* Probant eam textus *in c. fin. de R. I. c. 2. c. nimis 30. de iureiur.* Synod. Claromont. sub Vrbano II. *can. 17. Ne Episcopus, vel Sacerdos Regi, vel alicui laicorum in manibus laicorum fidelitatem faciant.* Referunt Baronius *anno* 1095. Iuretus *ad epist. 190. Carnotens.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in *præsenti*, Cironius *ad tit. de feud.* & *in cap. ex parte, de cleric. non resid. in 5. compil.* Garcia *de beneficijs, part. 1. c. 2.* Boetius Epon. *tom. 1. qq. heroicarum, tit. de Regalibus, n. 96.* Binsfeldius *in præsenti*, Rnussellus *lib 2. hist. Pontif. iurisd. c. 5. nu. 26* P. Marcha *lib* 8. *concord. cap. 21.*

3 Impugnatur traditio assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Vt simonia committatur, debet dari aliquid pretio æstimabile pro re spirituali, vt pro diffinitionis expositione adduxi supra *in cap. 1.* sed homagium per se non est prætio æstimabile. Ergo etsi illud præstetur pro beneficio ecclesiastico assequendo, simonia non committitur. Probatur minor *ex c. fin. de hæreticis*, vbi propter crimen hæresis homagium factum, seu præstitum illi, qui in hæresim lapsus est, in fiscum non cadit, iuxta textum *in cap. vergentis, eod. tit.* igitur quia non continet quid pretio æstimabile. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam siue maiores Ecclesiæ dignitates, siue minores attendamus, inuenimus earum possessores Principibus, tam sæcularibus, quàm ecclesiasticis homagium facere, *cap. 2 de iureiur. c. fin. §. verùm, de statu regul. lib. 6. cap. Romana, §. debet, de appell. eod. lib. cap. grauem, de excessibus Prælat.* varijs historicorum auctoritatibus probaui *in d. cap. 2. cap. nimis 30. de iureiur.* & refert Roussellus *lib. 2. cap. 5 numer. 26.* Ergo non iniustè Archidiaconus Cantuariensis, cui de iure competebat institutionem corporalem, siue inuestituram in beneficijs ecclesiasticis dare, iuxta tradita *in c. ea noscitur, de instit.* exigebat homagium ab ipso clerico, cui beneficium conferebat.

4 De homagio, & hominio. Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, homagium esse adstrictionem seruitutis factam Domino per pactionem, promittente homine libero fidelitatem, vt varijs auctoritatibus probant Vossius *de vitijs serm. lib. 3. cap. 14.* Hothomanus, & Vertucius *de verbis feudalibus, verbo Homagiū,* Meursius *in Glossario, eod. verbo*, Pater Zerda *in aduers. c. 44.* Martha *de iurisd. p. 1 cap. 27.* Idumay *ad Innoc. III lib. 3. epist. 77.* Cuius homagij, seu hominij forma nota est apud scriptores mediæ ætatis, videlicet iuramento præstito per manum porrectionem, & osculum Domini: qua ritu Tassilo Dux Baioariorum se in fidem dedit Regi Pipino, vt refert Aymoinus *lib 4. cap. 64.* ibi: *Illuc & Tassilo Dux Baioariorum cum primoribus gentis suæ venit. & more Francico in manus Regis in vassaticum manibus semetipsum commendauit.* Sic etiam Boamundus Alexio Imperatori fidem exhibuit ad morem vassallorum. Vuillelmus Tirius *lib. 2. de bello sacro, cap 15.* Factus est Dominus Boamundus Imperatoris homo, fidelitate manualiter exhibita, & iuramento præstito corporaliter, quale solent fideles Dominis suis exhibere. Varias formas constituendi hominis ligij commemorant Lælius Bisciola *lib. 17. horarum succesiua. cap. 22.* Gregorius Lopez *in l. 25. tit. 16. part. 3. & l 26. tit. 11. ead. part.* Chopinus *de domanio Franc. pag* 240. Dorleans *ad Tacitum lib. 3. pag. 273. n. 3.* alij apud Solorzanum *tom. 2. lib. 2. c. 23 nu. 22.* Inde feudatarij homines per manus, & sacramentum dicuntur à Carnotensi *epist. 18.* ibi: *Igitur quamuis mei homines essent, & per manum, & per sacramentum, furiosè & clamosè sedem meam circumdederunt.* Homagium autem, seu hominium duplex est, ligium, & non ligium: ligium est, quod Regi, aut Imperatori nullo medio debetur, cuius meminerunt Continuator Aymoini *lib 4. cap. 54.* ibi: *Vnde Rex cum magno exercitu Normanniam aggrediens, manu forti eam cepit, quam Henrico filio Comitis Andegauorum reddidit, & eum pro eadem terra in hominem ligium accepit.* Quare in Clement. *Pastoralis, de re iudicata*, Rex Siciliæ dicitur homo ligius, & vassallus Ecclesiæ. Etiam hominium hoc ligium vocant fidei alligationem, seu ligantiam: Anselmus Cantuar. *in epist. ad Ernulfum, lib. 3. epist. 90.* ibi: *Si quis exigit ab aliquo monacho Ecclesiæ vestræ sacramentum, aut fidei alligationem.* Et *epist. 91. ad Gandulfum: Nullæ minæ, nulla promissio, nulla astutia à religione nostra extorqueat aut homagium, aut iurandum, aut fidei alligationem.* Guillelmus Neubrig. *lib 2. c. 37.* ibi: *Occurrit ei Rex Scotorum cum vniuersis Regni sui Nobilibus, qui omnes in Ecclesia Beatissimi Apostolorum Principis Regi Anglorum, tanquam principali Domino, hominium cum ligantia, idest solemni cautione standi cum eo, & pro eo contra omnes homines, Rege proprio præcipiente, fecerunt.* Et Matthæus Paris de Henrico III. Rege Anglorum, ait: *Gasconiam contulit Eduardo primogenito filio suo; tamen sibi retinuit principali dominio, scilicet ligantiam.* Hominium non ligium est quando fidelitas promittitur inferiori Principi sæculari, vel ecclesiastico, & excipitur persona Regis, vel alia similis. In vtroque tamen sub iureiurando promittuntur fidelitas, obsequium, & seruitium, vt probant Bosquetus *suprà*, Altesserra *de feud. capit* 8. Cironius *ad tit. de feud.* vbi & nos, & *in capit. 2. cap. nimis, de iureiur.* Besoldus *tom. 1. polit. dissert. 2. cap. 2.*

Vnde apparet iam ratio præsentis decisionis; nam cùm homagium contineat in se præstationem obsequij temporalis, & subiectionis quasi seruilis, ideò sine simoniæ labe pro assequendo beneficio ecclesiastico, seu alia re spirituali nullo modo fieri potest. Accedit, nam homagium promittitur, vt suprà probaui, in commodum, & vtilitatem eius, cui promittitur, cùm efficiatur promittens eius vassallus, obligeturque ad fidelitatem, obsequium, & seruitium. Vnde pro spiritualibus rebus acquirendis fieri non potest. quia munus, seu obsequium temporale pro spiritualibus dare, aut accipere, simoniacum est. Quare in præsenti specie clericus Archidiacono Cantuar. non tenetur ratione beneficij homagium præstare, & iniustè Archidiaconus eum adegit ad tale homagium faciendum pro beneficio assequendo; & ideò Alex. III. talem promissionem nullam esse declarauit, cùm simoniacam prauitatem contineret. 5 Traditur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta *ex cap. fin. de hæretic.* nam licèt homagium afferat commodum temporale domino, cui fit, aut promittitur; non tamen commodum hoc ad fiscum pertinet, propter crimen hæresis à domino commissum; immò potiùs ab eius obligatione vassalli liberantur in pœnam tanti sceleris. Si autem ius hoc in fiscum caderet, vassalli fierent deterioris conditionis, cùm fiscus nunquam moriatur; & ita perpetuò illius vassalli essent. Nec obstat quod expendebamus *ex d. cap. grauem*, cum similibus. Nam respondetur, quod etsi homagium, ac fidelitas promiscuè aliquando vsurpentur, diuersa tamen sunt; nam homagium est promissio obsequij, & seruitij temporalis, vt suprà probaui; fidelitas verò præstatur cùm quis promittit superiori seruare reuerentiam & fidelitatem à iure debitam, vt probaui *in cap. ego, de iureiur.* Vnde homagium pro spiritualibus rebus assequendis præstari non potest, fidelitatis autem iuramentum rectè exigi valet absque labe simoniæ, quia per eam promissor non obligatur ad munus, seu ad obsequium temporale præstandum, ad quod de iure non teneatur; & potiùs dignitati, quàm personæ promittitur: quod procedit quando hoc iuramentum præstatur pro dignitate, seu beneficio, pro quo talis fidelitas præstari solet; aliàs simonia committeretur, iuxta communem huius textus interpretationem; vt etiam committitur, si Prælatus collator beneficij nouas pactiones, aut grauamina 6 Respondetur dubitandi rationi.

addi-

addiderit, quibus iurantem grauare intendat, aut obligare valeat ad aliqua capitula, ad quæ nec iure, nec consuetudine recepta, approbataque teneretur; tunc enim sine dubio in præstatione fidelitatis simonia committitur. Hic annectenda sunt, quæ de inuestituris adduxi *in cap. quisquis, de elect.*

CAPVT XVII.

Idem a *Strigon. Episcopo.*

ETsi quæstiones tuas de feruore religionis exurgere, & ex intimæ deuotionis affectu, quem circa nos, & Ecclesiam habes, ad nostram cognitionem perferri nullatenus ignoremus; non tamen est tibi in his vltra, quàm oporteat, dubitandum: cùm *b* leges humanæ dicant, quod quidam tenui religione sacramenta etiam necessaria, & legitima exhibere contemnunt: tenuem enim vocant religionem, quæ in talibus hæsitat, vbi non est aliquatenus hæsitandum. Vnde *c* psalmista dicit: Trepidauerunt vbi non erat timor. In hoc autem, quod dilectus f. noster P. tituli S. Laurentij in Damaso presbyter Cardinalis, tunc verò sancti Eustachij diaconus, & Apostolicæ Sedis Legatus, pro electione tua, & vt pallium tibi deferret, ad partes illas accessit, & dilectus filius noster Alanus frater tuus, eius præsciens necessitatem, eidem Cardinali equum vnum, te penitus ignorante transmisit, quoniam per mare veniens nullas, aut paucas secum adduxerat equitaturas, te nullo modo timere oportet, cùm in accipiendis, vel dandis muneribus tria sint maximè *d* attendenda, personæ scilicet dantis, & recipientis, & muneris quantitas; qualitas personarum, & donationis tempus, vt à quo, & cui, videlicet an à paupere diuiti, vel è contrario, siue à diuite locupleti datum fuerit, solicitè consideremus. Æstimationem muneris, & donationis tempus attendimus, cùm magni, vel minoris pretij res data existat; & an instante necessitate, seu alio tempore conferatur, diligentiùs inspiciamus. Quibus siquidem studiosiùs inquisitis, in præscripta quæstione tua nihil reprehensione dignum inuenimus: quod solicitudini tuæ in sequentibus manifestiùs apparebit. Si enim prædictorum Cardinalis, & fratris tui personarum qualitatem certa consideratione pensamus, non fuit magnum ab eodem fratre tuo Cardinali equum vnum transmitti, quem etiam ioculatori non potenti vir tantus, & tam abundans donauit. Verùm si temporis necessitatem perpendimus, non alia intentione hoc constat factum fuisse, quàm vt Cardinali in tali articulo subueniretur. Quare super hoc in conscientia tua nullius vnquam debet scrupulus dubitationis emergere, cùm res data modici pretij, quantum ad personam dantis, vel accipientis extiterit, nec alteruter eorum aliquid in mente habuerit, quod tibi possit, vel debeat quamlibet, vel in modico læsionem inferre; etsi ante electionis examinationem, & pallij receptionem, & te nolente, & penitus ignorante sit factum, & equus necessitate instante transmissus fuerit, & collatus: nec etiam res tanti pretij reputetur, quæ accipientis animum multùm mouere debeat, aut ab honestatis proposito ad aliud declinare. Quod autem scriptum est: Beatus qui *e* excutit manus suas ab omni munere; de illis donis dictum est, quæ accipientis animum allicere, vel interuertere solent, quoniam si ipsa etiam persona electi ordinatori, vel consecratori suo electuarium, medicinas, aut de optimo vino, siue de alijs huiusmodi, quæ modici pretij fuerint, & quæ voluntatem recipientis inclinare, vel mouere non debeant, offerat; non tamen Ecclesia Romana accipientem, vel dantem in his delinquere, interpretari consueuit.

NOTÆ.

1 a STrigoniensi.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.*20. Sed rectiùs in sexta collectione legitur *Archiepiscopo*, quia his temporibus Strigoniensis Ecclesia Hungariæ Metropolis erat. Integra inscriptio desideratur post Concil. Lateran. *part.*50. *cap.*1. De Strigoniensi prouincia egi *in cap.*4. *de postulat. Prælat.*

2 b *Leges humanæ.*] Videlicet lex finalis, *§. fin autem*, ibi: *Cùm forsitan quidam subtili reuerentia tenti, nec verum sacramentum præstare putauerint; C. de fide instrum.* Et *l. quæ sub conditione* 8. *l. penult. ff. de condit. instit.* Vnde à Prætore remissa fuit conditio iurisiurandi adiecta in testamento, quia aliqui ita formidolosi erant, vt nec verum iurarent; alij ita faciles, vt omnia iurarent, *d. l.* 8. quam illustrat Fornerius *lib.*3. *rer. quotid. cap.*22. Donel. *lib.*6. *comment. cap.*18. Acosta *lib.*1. *select. cap.*10. in qua parte obseruandi sunt textus *in l.* 1. *§. sed ad eos, ff. ad leg. Falcid. l. facta* 63. *§.* 3. *ff. ad Trebel. l. libertus* 20. *ff. de bon. libert. l. municipibus, l. non dubitamus* 20. *ff. de condit. & demonstr. l. cùm pater* 77. *§.* 23. *ff. de acquir. hæredit. l. cùm quis decedens* 37. *§. Codicillis, ff. de legat.* 3. *l. conditiones* 14. *ff. de condit. instit.*

c *Psalmista.*] Psalmo 13. vbi Septuaginta legunt: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.*

d *Attendenda.*] Et rectè, si enim à paupere diuiti, aut à subdito superiori aliquid detur, vtrumque suspectum est; si autem à diuite pauperi, pium; si à diuite locupleti, humanum, nisi ex causæ corruptione, aut exterioribus signis aliud iudicium sumatur. Facit etiam, quod quamuis donatio regulariter non præsumatur, *l. Campanus, ff. de operibus libert.* fallit si donans diues est, aut nobilis: recipiens verò pauper, vt probat Tiraquel. *in tract. de nobilit. art. vlt. nu.*47. Facit textus *in cap.*1. *de donat.* vbi notaui: latiùs prosequuntur Binsfeldius *in præsenti*, Narbona *in l.* 31. *gloss.*6. *tit.*7. *lib.*1. *Recopil.* 3

e *Beatus qui excutit.*] Verba sunt Isaiæ *cap.*23. relata à Gratiano *in cap. sunt nonnulli*, 1. *quæst.*1. *cap. qui rectè* 11. *quæst.*3. Commentarium huius textus dedi *in cap.*1. *verbo prohibemus, hoc tit.*

C A P V T XVIII.

a Alexander III.

VEniens ad nos F. presbyter nobis supplici relatione proposuit, quod Abbas, & Fratres sancti R. noluerunt eum in monachum recipere, quousque illis pro monachatu triginta libras dare conuenit. Conuentione autem facta, statim eum sequenti die monasticum habitum induerunt. Idem verò monachi triginta *b* sol. Abbas verò lx. & familiæ xii. pro pastu, asserentes hoc esse de *c* consuetudine monasterij, postulauerunt. Quoniam ergo rei veritas nobis non constat, & factum huiusmodi perniciosum videtur, f. t. per A. s. m. p. quat. rei veritatem inquiras, & si ita inueneris esse, Abbatem, & monachos ad restituendam pecuniam *d* præfato F. tam indignè receptam, instanter admoneas, & cum omni districtione compellas, & Abbatem, & maiores personas monasterij, pro tantæ prauitatis excessu, ab officio sacerdotali *e* suspendas. Prædicto autem F. in alio *f* monasterio præcipias, vt in habitu monastico Domino studeat seruire.

N O T Æ.

a ALexander III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.*1. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex: vnde cognosci non potest, de quo monasterio in præsenti agatur, vbi similis corruptela inualuerat.

b *Solidos.*] De quorum valore sequenti capite agemus.

c *Consuetudine.*] Quæ vt corruptela meritò improbanda videtur, iuxta tradita suprà *in cap. cùm Ecclesia*.

1 d *Præfato F.*] Quia licet cùm simonia vera committitur, pretium interueniens non debeat restitui danti, sed potiùs Ecclesiæ; pauperibus, vel cui iudex assignauerit, iuxta tradita suprà *in cap. de hoc* 11. tamen quia in præsenti casu F. bona fide dedit per exactionem, non quia intenderet pretio illo emere habitum religionis, ideò ei iustè restituitur, vt docuit Couarr. *in regul. peccatum*, 2. *part.* §. 3. *de R. I. lib.6.*

e *Suspendas.*] Quæ suspensio pœna simoniaci est, vt probaui *in cap.*3 *hoc tit.*

2 f *Alio monasterio.*] Eiusdem ordinis, & professionis; quia professio à F. emissa valuit, & tenuit, quia tantùm ingressus respectu illius monasterij propter simoniam improbatur; nam cùm F. intenderet se obligare Deo, prauum Abbatis factum non potuit impedire professionis effectum, vt probat Luna, & Arellano *lib.*5. *singul. antinom.*1. vbi exponit textum *in cap. dilectus, el* 2. *hoc tit.* & si in præsenti casu F. particeps esset simoniæ, in aliud monasterium eiusdem Ordinis, & professionis, sed arctioris vitæ, esset detrudendus: quo casu procedit textus *in cap. quoniam, infrà hoc titul.*

COMMENTARIVM.

3 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Pretium recipere pro habitu monastico simoniacum est, & illud recipientes suspenduntur ab officio.* Probant eam textus *in cap. quàm pio* 1. *quæst.*2. *cap. non satis, cap. cùm in Ecclesia, cap. de regular. cap. dilectus, el* 2. *cap. quoniam, hoc tit.* Concil. Franeofordiense *can.*16. *Audiuimus enim, quod quidam Abbates cupiditate ducti præmia pro introeuntibus in monasterium requirunt: ideò placuit nobis, & sanctæ Synodo, vt pro suscipiendis in sancto ordine fratribus nequaquam pecunia requiratur.* Concilium Melfitanum *can.*7. *Nullus Abbas pretium exigere ab eis, qui ad conuersionem veniunt, aliqua placiti occasione præsumat.* Oxoniense temporibus Honorij III. *cap* 39. *Extrauag.* 1. *hoc tit.* Trident. *sess.*25. *de reform. cap.*3. & *de regul. cap.* 16. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Binsfeldius *in cap. non satis, hoc tit.* Arauio *in qq. Moral. disp.* 14. *part.*2. *art.*3. *num* 14. Suarez *de relig. lib.*4. *de simon. cap.*17. Castropalao *in opere moral. tract.*17. *disput.*3. *puncto* 9. *num.*4. alijs relatis Diana 3. *part. tract.*2. *resol.*100. Lessius *lib.*2. *de iustit. cap.*35. *dubit.*12. Azor *part.*1. *instit. lib.*13. *cap* 9. Tamburinus *de iure Abbatiss. disput.*5. *quæsito* 2. & 3. Gibalinus *de simon. q.*18. *consectar.*9. Christ. Lup. *in can.*19. *Synodi* 7.

4 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in hanc assertionem ita insurgo: Etsi sanctiora nascentis Ecclesiæ sæcula repetamus, inueniemus fideles ad monasticam vitam transeuntes, secum omnia bona sua offerre monasterio, in quo professionem emittebant, *cap. fin. de renunc. cap. in præsentia, de probat.* cum alijs ibi adductis. Igitur quia alienum non est à disciplina ecclesiastica de statu regulari, vt aliquod temporale offerant, qui volunt ad monasticam vitam transire. Sequentibus sæculis vsque ad nostra nihil vsitatius est, quàm vt moniales vitam religiosam eligentes secum dotem afferant, quam monasterio tradant pro sua sustentatione: quam consuetudinem varijs rationibus probarunt D. Thomas 2.2. *q.*100. *art.*3. vbi Aragon, & Caietanus; Victoria *in relect. de simonia*, 2. *part. num.*12. plures congesti à Barbosa *in cap. non satis, hoc tit.* Tamburinus, & Gibalinus *vbi suprà*. Augetur hæc difficultas ex eo, nam Equites Ordinum Militarium sancti Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ, esse veros religiosos, professionemque in religione approbata emittere, tenuerunt plures congesti à Ioanne Sanchez *in select. disput.*49. Diana 3. *part. tract.*2. *resolut.*64. sed habitus huiusmodi Ordinum posse pretio dato acquiri, probarunt latè Villalobos *tom.*2. *tit.*37. *difficult.*14. *num.*5. Diana *resolut.*64. Fagundez *lib* 3. *de contract. cap.*20. ergo licitum est pretium dare pro ingressu religionis.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cuius ratio prouenit ex eo; nam cùm status religionis sit res spiritualis, vt notum est, non potest pro eo aliquid temporale exigi, iuxta definitionem traditam *in cap.*1. *hoc tit.* quare ad euitandam hanc simoniæ speciem Carthusiensis Ordo districtum adhibuit statutum relatum à Dionysio Riehel. *lib.*1. *art.*16. in hunc modum: *A nouitijs nec aliquid exigatur; si Prius exegerit, sit extra sedem* 40. *diebus, & totidem faciat abstinentias sine misericordia infra sex menses. Si Procurator, vel alius exegerit, sit per* 40. *dies nouitius, & totidem in Capitulo recipiat disciplinas. Prioratum quoque Prior, & procurationem Procurator amittat, si eis scientibus exactio iam venerit ad effectum. Nullus etiam nostrum de rebus nouitij aliquid postulet, nec ad procurationem aliquam faciendam nouitius instruatur ab aliquo nostrum. Insuper probibemus Vicarijs, & Priorissis, atque conuentibus monialium de cætero, ne recipiant sorores, nisi quot de bonis monasterij poterunt sine penuria sustentari; nec aliquam sub cuiuscumque commodi velamine recipiant, donec locus vacauerit, nec propter munera, vel etiam promissa aliqua præsumant personam recipere, ne vitium committant simoniæ.* Memorabile est illud D. Hieronymi in sua regula adducta ab eodem Dionysio *d. art.*16. sic enim ait: *Detestabilem hæresim simoniæ, quam communi prauitate diaboli moniales assuetæ committunt, etiam in auditu horreat vestra societas. Giezi & Simonis vos terreat prauitas. Vox Petri Vicarij Christi nunquam exeat de auribus vestris: Pecunia tua tecum sit in perditionem, existimas enim donum Dei haberi pecunia. Communis mercatorum vsus habet, vt venditio commutetur in melius; asserit namque simoniacus pecuniam esse præstantiorem dono Dei, cùm illud commutat in ipsam. Ad vos venientes sorores, ad Christi suscipite nuptias gratis: præponatur sanctitas pecuniæ, exquiratur bonitas vitæ, non generositas carnis, non vtilitas mundi; nulla omninò pactio, nulla opinio, æstimatio, seu intentio de pecunia danda præueniat, & receptionem præcedat: quæ pactio, siue opinio, puritatem mentis perturbat.* Rectè ergo Alexander III. iuxta Sanctorum Patrum regulas in præsenti decreuit, ab officio suspendendos esse eos, qui pro ingressu religionis pretium temporale exigunt. 5 *Traditur ratio decidendi.*

Nec

Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta *ex d. cap. fin. de renunc. cap. in præsentia, de probat.* nam in eis & similibus agitur de ijs, qui voluntariè, & ex deuotione, cùm se Religioni offerebant, omnia bona sua secum deferebant: quod cùm ex pietate, & liberalitate fieret, non animo, vel studio emendi habitum, seu professionem monachalem, Ecclesia permisit, laudauitque: at præsens assertio procedit, quando conuentione facta, initoque pacto pretium accipitur pro ingressu Religionis; tunc enim cùm temporale, quod datur, habeat veram rationem pretij, simonia committitur. Nec obstat augmentum primum dubitandi rationis, pro cuius solutione sciendum est, dubium esse apud antiquos scriptores, an quando monasterium est ita tenue in redditibus, vt non sufficiat, nisi pro certo numero, vltra quem alij cupiunt in eo recipi, liceat ab eis exigere etiam ex pacto dotem pro sustentatione personæ. In qua quæstione negatiuam sententiam latè fundat, & contrariam impugnat Carthusianus *lib. 1. & 2. de simonia.* Sed affirmatiua sententia verior est, dum tamen expressè caueatur, pecuniam recipi pro sustentatione monialis, non verò pro ipso ingressu. Eam defendunt DD. laudati suprà pro illustratione conclusionis. Facitque pro ea validissima ratio; nam sustentatio est aliquid temporale, & distinguitur ab ipso ingressu; vbi autem pretium datur pro re temporali, nulla committitur simonia, quamuis spirituale cum temporali annexum sit, si contractus necessariò non misceantur, nec ex illa coniunctione necessariò sequatur, vendito temporali, vendi quoque spirituale ipsi annexum, vt fusè probat Gibalinus *de simon. q. 5. & 6.* Sustentationem autem in hoc casu separari posse ab ipso ingressu, probatur exemplo sacræ ordinationis, necnon & matrimonij; nam licèt pro ipsa ordinatione clericus non possit pretium temporale Ecclesiæ, vel Episcopo dare, vt probaui *in c. 1. hoc tit.* tamen si beneficium ecclesiasticum non habet, saltem patrimonium sufficiens ad sustentationem debet habere, vt probaui *in cap. 2. de præbend. & dignit.* & eius dominium retinet, quia onus sustentationis non incumbit Ecclesiæ. Cùm ergo in religioso onus sustentationis transeat in monasterium, & repugnet voto paupertatis, vt ipse retineat dominium patrimonij, rectè potest illud transferre in monasterium pro ipsius sustentatione. Hoc apertiùs probatur exemplo matrimonij, in quo etsi sacramentum sit, licitè dos marito traditur ad subleuanda eius onera, vt probaui *in cap. 2. de condit. apposit.* Igitur similiter in hoc connubio sacro personæ religiosæ potest dari aliqua dos monasterio, non pro ipso ingressu, sed pro sustentatione, vt considerat Gibalinus *de simon. q. 18. consectar.* 8. Similiter & pro ingressu in confraternitate, aut pro sodalitio, potest pecunia recipi, non in pretium admissionis ad pium cœtum, sed ad sustentationem onerum sodalitij, vel ad comparationem sacræ supellectilis. Angelus *in summa, verbo Simonia, n.* 27. Sà, *eod. verbo, n.* 2. Theophilus Raynaud. *tom. 16. in heterocl. spirit. p. 3. puncto* 4. *fol.* 515.

7 Exponuntur varia iura. Nec sententiam hanc euertunt primò textus *in cap. quoniam, hoc tit.* vbi PP. Concilij Lateran. sub grauissimis pœnis prohibent, ne paupertatis prætextu moniales aliquid exigant ab ijs, quas in sorores admittunt. Igitur nec pro sustentatione monialis, etsi monasterium tenue sit in redditibus, licet dotem recipere. Pro cuius interpretatione varia adduxerunt DD. Reginaldus, & alij apud Barbosam *in collect. ad illum textum*, asserunt ibi agi de paupertate simulata, vt ita simonia palliaretur, non quia verè monasterium tenue esset in redditibus. Nauarrus laudatus à Suarez *lib. 4. de simon. cap.* 17. accepit textum illum, quando moniales accipiunt plus quàm necessarium erat ad monialis sustentationem. Sed veriùs Azor 3. *p. instit. lib. 12. cap. 16. quæst.* 1. Gibalinus *d. consect. 9.* textum illum accipiunt, quando non pro sustentatione, sed verè pro ipso ingressu pretium exigitur; tunc enim nullo prætextu, etiam paupertatis, pretium recipi valet. Nec etiam obstat textus *in cap. tua nos, hoc tit.* vbi clericus, qui sua bona Ecclesiæ tradidit cum pacto, vt reciperetur in canonicum, simoniacus iudicatur: igitur similiter qui bona sua tradit monasterio, vt in eo recipiatur, simoniam committit; nam respondetur, in eo textu propter pactionem de temporalibus ad spiritualia simoniam committi, iuxta tradita *in c. 4. de pact.* Nec obstat extrauagans 1. *de simon.* vbi Vrbanus V. prohibet sub excommunicatione Apostolicæ Sedi reseruata, ne quid directè, vel indirectè petere, vel exigere pro ingressu religionis præsumatur. Igitur nec sub paupertatis prætextu licèt dotem à moniali exigere. Nam respondetur, Pontificem in eo textu nouum ius non statuere, sed tantùm veteres Ecclesiæ sanctiones innouare. Vnde cùm in eis nunquam prohibeatur aliquid recipi pro sustentatione monialis, nec Vrbanus talem dotis constitutionem prohibet, sed corruptelam contra antiquas Ecclesiæ leges introductam condemnat. Nec tandem obstant varij canones congesti *in cap. 1. de statu monachorum*, vbi cauetur, ne plures personæ admittantur, quàm ex redditibus monasterij ali possunt. Nam respondetur, in eis tantùm prohiberi, ne quando monasterium plures personas alere nequit, quàm intus habet, aliæ recipiantur alendæ expensis ipsius monasterij; non tamen in eis prohiberi, tunc congruam dotem recipere ab eis, qui petunt habitum in ipso monasterio, vt docuerunt Gutierrez *lib. 1. canonic. q. 32. n.* 83. Suarez *d. lib. 4. de simon. cap.* 17. Sanchez *lib. 7. summæ, cap.* 23. Binsfeldius *in cap. 9. hoc tit.* Gibalin. *d. consect. 9. num.* 3.

Nec obstat vltimum augmentum ipsius dubitandi rationis, cuius solutio pendet ex alia satis vexata quæstione, an videlicet Equites Ordinum militarium sint verè religiosi? Quam latè, & doctè nouissimè examinat P. Magister F. Ioannes Martinez *discurs. 9. politic. moral. per totum:* qui discursu sequenti amplectens sententiam Theologorum, qui eos religiosos esse negarunt, resoluit quæstionem illam nostris temporibus à magnis Theologis, & Iurisperitis disceptatam, præcipuè Arauio *in qq. moralibus, p. 1. disp. 6 per totam*, P. Andrea Mendo *de Ordinib. Milit. disput. 1. q.* 14. Ferro Manrique 2. *part. qq. mor. q.* 108. Marin. *lib. 1. resol. cap.* 318. an videlicet habitus Ordinum Militarium vendi possint? Et resoluit, quod etsi in tali venditione simonia non committatur, peccatum tamen, tam contra iustitiam distributiuam, quàm commutatiuam ipsarum Religionum Militarium admitti. Sed cùm iuxta sententiam Iuristarum, seu maioris partis eorum, Equites Ordinum Militarium religiosi credantur saltem quoad plures effectus, inde iuxta eorum sententiam credo in tali venditione simoniam committi. Pro qua sententia facit textus *in extrauag. 1. hoc tit.* vbi Vrbanus V. expressè statuens nihil esse recipiendum pro ingressu Religionis, addidit ea verba: *Quouis nomine nuncupatis, etiam ordinum militarium.* Et in constitutionibus ipsius Ordinis D. Iacobi, *tit. 15. cap.* 1. ita cauetur: *Establecemos, que el maestro no reciba dineros, ni precio por la encomienda: y si alguno acometiere a dar, ò le diere, pierda lo que le diere, y la encomienda, y el cauallo, y hagan penitencia por vn año.* Posse tamen huiusmodi habitus militares beneficiari, vt vulgò dicitur, rectè probat Martinez de Prado suprà. 8 De ordinibus militaribus

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. 2. de cond. apposit.* vbi refertur, quemdam Diaconum duobus seruis suis libertatem dedisse ea conditione, vt monachi fierent in ipso monasterio, in quo ipse degebat: quod factum adeò probauit Gregor. Magn. vt iusserit vni ex seruis illis, qui volebat tantùm in clericatu manere, vt detruderetur in monasterium, aut iterum seruituti subijceretur. Ex quo textu apertè constat, pro ingressu monasterij aliquid temporale dari posse. Cui difficultati varijs modis satisfacere intendunt Glossa, & repetentes *ibi*, quos referunt Barbosa *in collect. ad illum textum*, Gibalinus *de simonia, quæst. 6 consect.* 11. Quibus omissis dicendum est, in eo textu nihil temporale datum fuisse monasterio pro ingressu, sed tantùm dominium seruorum, vt eos inuitaret, alliceretque ad vitam religiosam, illis libertatem promisisse, si in ipso monasterio habitum suscepissent, remanerentque, nulla necessitate illis imposita profitendi vitam monasticam, sed tantùm optione illis data libertatis in præmium professionis religiosæ, aut permanendi in seruitute. Vnde sicut licèt infideli dare pecuniam, vt baptismum suscipiat, & reo capitalis criminis impunitatem concedere, vt religiosus fiat, vt probat Gibalinus *d. q. 6. consect.* 10. multò magis licebit seruo libertatem dare, si monasterium ingrediatur. 9 Exponitur cap. 2. de condit. apposit.

CAPVT

C A P V T XIX.

a Alexander III.

EX tuæ fraternitatis litteris, & *b* confessione sacerdotis præsentium latoris accepimus, quod cùm ad sacerdotis ordinem non aliter voluisset eum eius Archidiaconus *c* præsentare, vi. *d* sol. eidem Archidiacono soluit, & sic postea ordinem ipsum per eum præsentatus accepit. Vnde super eo, de quo nostrum consilium postulasti, tibi sic duximus respondendum, vt si hoc non est publicum, sed secretum, eundem sacerdotem secretò conuenias, monens, sine vlla tamen coactione, eum propensius, & inducens, vt ordinem alicuius Religionis assumat, & perpetuò ab officio, quod illicitè acquisiuit, abstineat. Si verò ad religionis ordinem obseruandum inducere eum fortè non poteris, studeas ei ad sustentationem suam aliquod *e* beneficium ecclesiasticum constituere, ad hoc vt à sacerdotio debeat in perpetuum abstinere. Alioquin non erit tutum, cùm sit secretus excessus, ipsum inuitum ab eodem officio coercere; sed tamen secretam pœnitentiam, secundùm quod tibi visum fuerit, iniungere non postponas.

N O T Æ.

1 a IDem.] Alex. III. videlicet, vt legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. nullibi tamen exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex.

b *Confessione.*] Secretò facta, tam Episcopo, quàm Pontifici; non verò sacramentali, vt notaui *in cap. 2. de offic. ordin.*

c *Archidiaconus præsentare.*] Iuxta morem illustratum *in cap. vnic. de scrutin. in ordin. faciend.*

2 d *Sex solidos.*] An grauis, paruaue esset hæc quantitas, petendum est ex valore solidorum; certum est enim, solidum monetam fuisse vsu receptam sub Hadriano Imperatore; eius enim mentio fit *in l. si verò Prætor, ff. de his qui effunderunt*: & sequentibus Imperij sæculis vsitata fuit, vt constat *ex Nouel. 123. Iustin. princip. Instit. de pœna temerè litig. l. 13. C. Theodos. de suscept. & arcarijs, l. vnic. eod. C. de oblat. votor.* Solidorum valor non idem semper fuit; nam antiquissimis temporibus ex vna auri vncia sex solidi fiebant, vnde solidus sextula dictus est, vt ait D. Isidorus *in origin.* & liquet ex illo versu Fani:

Sextula, quæ fertur, nam sex bis vncia constat.

Temporibus Constantini ex vna auri vncia cudebantur septem solidi; vnde libra auri continebat solidos octoginta, vt patet *ex l. 1. C. Theodos. de ponderat.* Verùm Valentiniani tempore cautum fuit, vt ex auri libra 72. solidi fierent. Sequentibus sæculis, tam in Hispania, quàm Gallia, varius fuit solidorum valor; modò valebant quatuor denarios, modò quadraginta denarios argenteos, vt constat *ex lib. 3. Capital. cap. 7. & lib. 4. tit. 25.* & in Concil. Brachar. 2. *can.* 2. statuitur, vt Episcopus diœcesim suam visitans, nihil vltra duos solidos à qualibet Ecclesia accipiat. Prosequuntur alia de solidorum valore Iacob. Gothofredus *in opuscul. de mutat. monetæ*, Lemaistre *lib. 2. de iuribus Episcop. cap.* 2. Hallier. *de sacris elect. cap. 7. art. 6.* §. 1. Vnde cognoscitur, non leuem summam fuisse ab Archidiacono in præsenti casu exactam.

e *Beneficium.*] Simplex videlicet, quod non peteret administrationem sacramentorum, aliàs frustra daretur illi, cui officium denegabatur, *cap. ex litteris, de excess. Prælat.* Commentarium huius textus dedi suprà *in cap.* 1. 3

C A P V T XX.

Alex. III. a *Hereforden. Archidiacono.*

AD nostram noueris audientiam peruenisse vnde, si verum est, plurimum admiramur, & aduersus vos iure mouemur, quod in Ecclesijs in vestra iurisdictione constitutis *b* vicarios, nisi ab eis extorta pecunia, nulla ratione ministrare permittitis, & *c* personas Ecclesiarum, quasi seruos, & censuarios, singulis annis indebitis exactionibus grauare præsumitis extorquendo ab eis pecuniam, & procurationes, *d* eas diuersis nominibus, aliquando auxilium Episcopi, interdum eiusdem Episcopi, & vestras *e* consuetudines nuncupantes: quas si vobis fortè reddere contendunt, vos easdem personas, & Ecclesiarum vicarios ab officio suspenditis, & in eorum Ecclesijs diuina prohibetis officia celebrari, & inter cætera denarium *f* chrismatis pro voluntate vestra ab eis in vestræ salutis periculum extorquere præsumitis, huiusmodi exactionem, vt eam liberius videamini exigere, quandoque consuetudinem Episcopalem, quandoque synodalia, quandoque paschales denarios appellantes. *Et infra*: Quia verò non decet vos clericos ita viliter, & inhonestè tractare, disc. v. per A. f. m. quat. ab eis pro ministerio ecclesiastico exercendo, siue pro vicarijs assignandis, seu pro chrismate nullatenus exigatis pecuniam, & eos indebitis exactionibus, aut procurationibus de cætero grauare, vel personas eorum, aut Ecclesias sine manifesta ratione, & rationabili causa nullatenus interdicto supponere præsumatis, &c. Alioquin si ad nos exinde iterata querela peruenerit, &c.

N O T Æ.

1 a HEreford.] Ità legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. ex qua transcribo textum hunc, etsi mutilum, & truncatum; nam tam ex prioribus, quàm medijs, & posterioribus verbis constat, in eo plures esse lacunas. De Herefordensi Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. 2. de tempor. ordin.*

b *Vicarios.*] Siue perpetuos, siue temporales, de quibus egi *in cap. 1. cap. ad hæc, de officio vicarij.*

c *Et personas.*] Parochos videlicet, & beneficiarios, iuxta tradita *in cap. 8. & 12. de rescript.*

d *Procurationes indebitas.*] Nam tempore visitationis, tam Episcopo, quàm Archidiacono procurationes à iure præscriptæ sunt soluendæ, vt probaui *in cap. cùm Apostol. de censibus.* 2

e *Consuetudines.*] Facit textus *in cap. licèt 3. de pœnis*, vbi etiam de diœcesi Conuentrensi Angliæ agitur.

f *Denarios chrismatis.*] De quibus egi suprà *in cap. ea 15.* vbi huius secundæ partis commentarium dedi: prioris autem partis commentarium inuenies *in cap. 1. ne Prælati.* 3

Digitized by Google

C A P V T XXI.

Lucius III. a *Spalaton. Archiepiscopo.*

DE simoniacè verò ordinatis iuxta postulationem tuam certum tibi non possumus dare responsum, nisi pleniùs nosceremus qualiter fuerint ordinati; cùm quidam, licèt secundùm quandam speciem, vt potè ignorantibus ordinatis, simoniacè ordinentur: in suis tamen possunt ordinibus remanere, quia simoniaci non sunt.

N O T Æ.

1 a SPalaton.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 18. vbi additur *pars capitis Super eo quod*: vnde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap. super eo, de bigamis*, vbi notaui.

COMMENTARIVM.

2 VArijs modis potest quis simoniacè ad ordines ascendere. Primò cùm ipse scienter pretium dedit Episcopo, vel alij ministro pro ipso gradu sacri ordinis assequendo, vt probaui *in c.* 1. *hoc tit* Secundò cùm per ignorantiam ordinatur simoniacè, quod duobus modis contingere potest: primò cùm ordinatur quis ignoranter ab Episcopo simoniaco, quia in alia Ordinum collatione peccauit, ideòque vt simoniacus suspensus erat ab Ordinum collatione, iuxta tradita suprà *in c.* 3. Secundò cùm ignorante ordinato, alius tertius eius consanguineus, vel amicus Episcopo, examinatori, vel alij ministro pretium dedit pro ipsa ordinatione. Primo casu, qui ordines suscepit ignoranter ab Episcopo simoniaco, suspensionem incurrit, & tantùm pro temporis, aut Ecclesiæ necessitate in ipso gradu conseruari iubetur *in c. statuimus, c. si quis simoniacis*, 1. *qu.* 1. Gregor. VII. *lib.* 6. *regestr. epist.* 39. ibi: *Eos tantum in Ecclesiæ ordine recipi permisit, si eorum vita irreprehensibilis probetur*. Alex. II. in Synodo Romana *can.* 3. apud Baronium *anno* 1063. Binium *tom.* 3. *Concil. p.* 2. ibi: *De his autem, qui non per pecuniam, sed gratis sunt à simoniacis ordinati, quia quæsita iam à longo tempore diutius ventilata est quæstio, omnem nodum dubietatis absoluimus, ita vt super hoc capitulo neminem deinceps ambigere permittamus. Quia igitur vsque adeò hæc venenata pernicies hactenus inoleuit, vt vix quælibet Ecclesia valeat reperiri, quæ hoc malo non sit aliqua ex parte corrupta, eos qui vsque modò gratis sunt à simoniacis ordinati, non tam obtentu iustitiæ, quàm intuitu misericordiæ in acceptis ordinibus manere permittimus, nisi fortè alia culpa ex vita eorum secundùm canones eis obsistat. Tanta quippè talium multitudo est, vt dum rigorem canonici vigoris super eos seruare non possumus, necesse sit in dispensatione ad piæ condescensionis studium nostros animos ad præsens inclinemus; ita tamen vt auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli omnimodis interdicamus, ne aliquis successorum nostrorum ex hac nostra permissione regulam sibi, vel alicui sumat, vel præfigat; quia non hanc aliquis sanctorum Patrum iubendo, aut obediendo promulgauit, sed temporis nimia necessitas permittendo à nobis extorsit*. Quod rectà ratione procedit, quia cùm regula iuris vtriusque sit, neminem posse dare quod non habet, *l. nemo, ff. de R. I. c. nemo, c. perfectionem*, 1 *q.* 1. *c. Daibertum* 1. *q.* 7. *c. solet, de consecr. dist.* 4. non immeritò is, qui à simoniaco, etsi non simoniacè, & absque sua vlla culpa ordinatur, eiusdem ordinis, tanquam ab illegitimo ministro, præter intentionem principalis agentis cooperante, accepti gradus executione priuatur. Circa secundùm casum non consentiunt DD. Et ignoranter ita per simoniam ordinatum, eandem suspensionem incurrere, docuerunt Anguianus *lib.* 4. *controu. c.* 6. Hallierius *de sacris elect. sect.* 7. *art.* 3. §. 2. Binsfeldius *in præsenti, vers. Quarta conclusio*. Quorum sententia probari videtur *ex cap. præsentium* 1. *q.* 5. *cap. per tuas* 3. *hoc tit.* ex præsenti textu, in quo dispensationem Pontificiam contineri, docuit Hallierius *vbi suprà*. Sed contrariam sententiam docuerunt meritò P. Suarez *de censur. disput.* 31. *sect.* 4. *n.* 41. Nauarr. *in Manuali, c.* 25. *nu.* 68. eo validissimo fundamento fulti, quod hæc suspensio in pœnam delicti imposita sit; & ideò cessante culpa per ignorantiam, cessat pœna, *cap. Apostolicæ, de cleric. excomm.* ibi: *Vos reddit ignorantia probabilis excusatos*: & *cap. vt animarum* 2. *de const. lib.* 6. Pro qua sententia facit textus præsens disertè in illis verbis: *Quia simoniaci non sunt*. Nec vlla indulgentiæ, aut dispensationis mentio fit. Nec obstat, quod in primo casu proximè relato ordinatus per ignorantiam ab Episcopo simoniaco suspensionem incurrit: ergo & in præsenti casu suspensus manet. Nam respondetur negando consequentiam, quia in hoc casu non ordinatur quis ab Episcopo iam suspenso, vt ob eam causam non recipiat ab illo ordinis exequutionem; sed per talem ordinationem efficitur ordinator suspensus, cùm antea non esset: ergo potuit dare exequutionem ordinis, quam habebat, quamuis simul ipse illam perdiderit sic ordinando. Vnde cùm aliàs ordinatus non committat crimen, ob quod priuetur tali exequutione, non est quare suspensionem incurrat: at verò in superiori casu suspensionem incurrit, quia minister suspensus erat, vt docet Suarez *d. disp.* 31. *sect.* 4. De illo qui ignoranter per simoniam beneficium adeptus fuit, agemus infrà *in cap. nouit*. 3

C A P V T XXII.

a Lucius III.

MAtthæus Cardinalis secreta nobis insinuatione monstrauit, quod cùm fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen de voluntate maioris *b* partis fratrum electus, quia paucis contradicentibus non valebas debita pace gaudere, quidam amicus tuus de conscientia tua, & voluntate perturbata, ei qui magister discordiæ videbatur, certæ quantitatis munus exsoluit; & sic quam priùs sustinebas, contradictio conquieuit. Nunc autem dubitas, quod non sis à labe simoniæ prorsus immunis, donec in administratione volueris remanere. Quia igitur per iamdictum Cardinalem Apostolicæ Sedis consilium quæsiuisti, tibi significatione præsentium mandamus, quod multum tibi consulis, si administrationem prędictam celeriter, ac spontè dimittis, illius verbi *c* Euangelici memor existens: Nihil prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.

N O T Æ.

1 a LVcius III.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. fin.* post Concil. autem Later. *p.* 40. *c.* 4. additur, *Turonensi Archidiacono;* in editione verò Surij, *Archiepiscopo:* & rectè, si conferantur illa priora verba: *Quod cùm fuisses ad Ecclesiæ tuæ regimen de voluntate maioris partis fratrum*. Quæ euincunt alloqui Lucium III. in præsenti Prælatum ipsum à Canonicis electum.

b *Maioris.*] Vnde electio valebat, nisi minor pars contempta fuisset, aut rationabile aliquid opponeret contra electum, *cap. Ecclesiæ, et* 2. *cap. quia propter, de elect.*

c *Euangelici.*] *Cap.* 16. *Matthæi*.

COMMENTARIVM.

2 REpetentes in præsenti, necnon scribentes de simonia, latè disputant, an liceat pretio redimere vexationem mihi iustè, vel iniustè factam circa rem spiritualem, vel spiritualibus annexam. Quam varijs conclusionibus decidunt Suarez *tom.* 1. *de relig. lib* 4. *de simon. cap.* 50. Theologi cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. Valentia *tom.* 1. *controu. disp.* 6. *q.* 16. *puncto* 3. §. 2. Vasquez *in opusculo de scandalo, q.* 43. *art.* 8. *dub. vlt.* Redoanus *de simonia*, 3. *p. cap.* 21. *nu.* 6. Giba-

Gibalinus *eod. tract. q.* 18. Barbosa *in collect. ad hunc textum*: quorum resolutiones transcribere, aut examinare longum foret. Pro præsentis autem textus expositione sciendum est, illi communiter opponi textum *in cap. dilectus* 30. *hoc tit.* vbi in eadem specie vexationis factæ ab Archiepiscopo Eboracensi docetur, quod si accepta pecunia, vt desistat à vexatione, ab ea non cessauit, competere repetitionem: vnde Pontifex non improbauit huiusmodi pecuniæ præstationem pro redimenda vexatione; immò tacitè approbauit, contra ea, quæ in præsenti statuuntur. Pro cuius antinomiæ conciliatione dicendum est, discrimen constituendum esse inter eum, qui ius perfectum habet in beneficio, & pretium dat pro redimenda vexatione illi, à quo nullum ius spirituale ad ipsum beneficium assequitur; & inter eum, in quo pretium dedit illi, à quo ius spirituale, quod illi deerat, per talem redemptionem assequitur. Primo casu nulla committitur simonia, quia tantùm iniusta vexatio redimitur, quod licitum est, *c. de cætero* 5. *de transact. c. cùm venissent* 9. *de restit. spol.* D. Thomas 2. 2 *q.* 100. *art.* 4. *ad* 3. vbi ait: *Sanctus Iacobus autem non peccauit emendo, quia intelligitur suam vexationem redemisse.* Quo casu procedit textus *in d. c. dilectus* 30. Secundo verò casu simonia committitur, quia pretio temporali res spiritualis, seu ius ad eam emitur, vt in præsenti casu; nam cùm minor pars Capituli suffragium haberet in electione Matthæi, possetque iustè confirmationem impedire ipsius, qui perfectum ius adhuc non habebat, pecuniam dando Magistro, vt ipse cum suis fratribus cessarent à vexatione, & electioni consentirent, nouum ius ad ipsam Ecclesiam ex hac pretij præstatione fuit assequutus; vnde dando pecuniam ipsi Magistro authori discordiæ, simoniam commisit, vt docuerunt Luna, & Arellano *lib.* 5. *antinom.* 2. Gibalinus *de simonia*, *q.* 18. *consect.* 5. Binsfeldius *in d. cap. dilectus*, qui exinde singulares casus resoluunt.

C A P V T XXIII.

a Lucius III.

AD aures nostras peruenisse agnoueris, quod cùm G. de Seneuilla propter *b* pecuniam, quam debebat, vinculo fuisset excommunicationis astrictus, creditoribus *c* satisfecit, sed ab excommunicatoribus x. libras pro absolutione quærentibus, absolutionis gratiam non valuit obtinere. Quoniam igitur indignum est, & rationi ecclesiasticæ contrarium, vt absolutionis beneficium *d* redimatur, d. v. per. A. s. m. quat. si præfatus G. debitum soluit, pro quo fuerat per sententiam excommunicatus, ipsum nullius ap. obst. gratis faciatis auct. Ap. absolui, etsi excommunicatores requisiti id ei noluerint exhibere.

NOTÆ.

1 a LVcius III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 4. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, nec vbi præsens casus contigerit.

2 b *Propter pecuniam.*] Quia ob debita soluenda, & causam ciuilem potest excommunicatio infligi, vt latè probat Gibalinus *de censur. disquisitione* 2. *q.* 3.

3 c *Satisfecit.*] Sed adhuc egebat absolutione, iuxta tradita *in cap.* 1. *de iudicijs.*

d *Redimatur.*] Nam talis absolutio est ministerium ecclesiasticum, & spirituale, cùm non ex politico, sed ex spirituali iure proueniat, *cap. nullus* 1. *q. cap. sacro, de sent. excom.* Vnde cùm recipere temporale pro spirituali, regulariter sit simoniacum, ideò pro tali absolutionis beneficio pretium absque labe simoniæ recipi non potest, *c. non solùm* 1. *q.* 3. docent cum D. Thoma 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. Binsfeldius *in præsenti*, Gibalin. *de simonia*, *quæst.* 8. *consect.* 12 *suprà.* 4

C A P V T XXIV.

a Clemens III.

DE regularibus canonicis, seu monachis nos voluisti consulere, qui per simoniam ingressum, ipsis scientibus, & machinantibus habuerunt; vnde cùm super hoc *b* auctoritates multæ inueniantur expressæ, non aliud quàm statutum est, respondemus, vt locum quem taliter adepti sunt, omninò dimittant, & solitudinem, seu alia monasteria *c* districtiora adeant, in quibus tam execrabilem excessum sine intermissione deplorent. Si autem *d* ignorantibus ipsis pecunia data fuerit, cogas ad renunciandum loco eidem, & postmodùm in ipsum reducere, si ibi absque scandalo remanere potuerint, aut eos in aliquo, quod sit de Ordine ipso, ad seruiendum Deo poteris collocare.

NOTÆ.

1 a CLemens III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.

b *Auctoritates.*] Quas congessi suprà *in c. veniens* 19. *hoc tit.* vbi commentarium huius textus dedi.

c *Districtiora.*] Eiusdem tamen Ordinis; nam professio emissa etiam cum simoniaca labè, valida fuit, vt probaui *in d. cap.* 19. 2

d *Ignorantibus.*] Quomodo simonia dari possit cum ignorantia in promotis ad sacros Ordines, exposui *in cap. de simoniacè* 21. *suprà.* 3

C A P V T XXV.

a Clemens III.

EX insinuatione tua nobis innotuit, quod pater tuus interueniente pecunia olim tibi præbendæ beneficium *b* acquisiuit: cumque ad annos discretionis postmodum peruenisti, Dominicæ crucis *c* signum accipiens, super excessu pœnitentia ductus, dictam præbendam in manu Præpositi, & fratrum liberè *d* resignasti. Sed idem Præpositus, & fratres tibi compatientes denuò te in suum Canonicum elegerunt, ita videlicet, quod secundùm electionem istam postremum locum *e* in choro, & in alijs locis obtineres. Cæterùm quia à nobis humiliter requisiuisti, vtrum iuxta priorem tuam receptionem tuum locum recuperare valeas, tibi duximus respondendum, vt indulgentiæ, quam fratres tui misericorditer tibi fecisse noscuntur, contentus existens, ratione primæ receptionis nihil audeas in ipsa Ecclesia *f* vindicare.

NOTÆ.

NOTÆ.

1 a *Clemens III.*] Ità etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. de renunc. cap.* 2. ſed nullibi exprimitur cui Prælato reſcribat Pontifex.

b *Acquiſiuit.*] Et ita per ſimoniam, iuxta tradita *in cap. indicatum, hoc tit.*

c *Crucis ſignum.*] Vt militiæ nomen daret contra Sarracenos, iuxta tradita *in cap. quod 8. de voto.*

d *Liberè reſignaſti.*] Aliàs ſi conditionaliter in fauorem alterius, aut ſimili modo reſignatio fieret, ſimoniaca eſſet, vt latè probat Gibalinus *de ſimonia, q.16.conſect.9.*

2 e *Locum in choro.*] Vt nouiter electus, caſſata priori electione; nam ſi principaliter propter ſimoniam fuiſſet priuatus ipſa præbenda, ſed poſteà ad eam reſtitutus, recuperaret priſtinum locum, vt in Decurionibus, & ſimilibus priuatis, & reſtitutis, probant Auiles *in capitulis Prætor. c. 44. gloſſ. 1. n. 3.* Azeuedo *in Curia Piſana, lib. 2. cap. 2. n. 18. & in l. 2. tit. 14. lib. 4. recop. n. 5.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. cap. 26. num.* 101. Salgado *de Regia protect. p. 4. c. 9. num.* 178.

3 f *Vindicare.*] Ex indulgentia, & miſericordia ſuſtinetur hæc ſecunda collatio; nam cùm ſimonia commiſſa fuiſſet à patre in ipſa prima præbendæ acquiſitione, filius etiam ſimoniæ non conſentiens tenebatur præbendam dimittere, *c. ſicut tuis, hoc tit.* ex dicendis infrà *in c. nobis, hoc tit.* & per conſequens, quia circa eam præbendam ſimonia commiſſa fuit, non poterat ſecundò ad eam admitti, etiam virtute nouæ electionis, *c. 5. hoc tit. in 2. collect.* vbi idem Clemens ita ſcribit: *Super eo verò, quod quærere voluiſti, ſi alicuius electio caſſata fuerit, & idem ad regimen cuiuſdam Eccleſiæ iterum concorditer nominatus, an ſecunda electio debeat cõfirmari, hoc tuam tenere volumus diſcretionem, quod ſi prior electio non vitio perſonæ, ſed modo electionis caſſetur, niſi fortè ſimoniacæ prauitatis aliquid interceſſiſſe conſtiterit, promotionem eius in eadem Eccleſia non debeas impedire.* Facit Concil. Claromontanum ſub Vrbano II. editum à Ballutio: *Quicunque ſanè cupiditate parentum, cùm adhuc paruuli eſſent, Eccleſias, vel Eccleſiarum beneficia per pecunias adepti ſunt, & poſt eas omninò dimiſerint, ſi canonicè in eis viuere noluerint, pro miſericordia ibidem eos eſſe concedimus, nec pro hoc facto à ſacris ordinibus remouemus, ſi aliàs digni inueniuntur. Illi verò, qui per ſeipſos, cùm iam maioris eſſent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, ſi in alijs Eccleſijs canonicè viuere voluerint, ſeruatis proprijs ordinibus, pro magna miſericordia inibi eos miniſtrare permittimus. Quod ſi ad alias fortaſſe transferri non potuerunt, & in eiſdem canonicè viuere promiſerint, minoribus ordinibus contenti ad ſacros ordines non accedant; ſalua tamen in omnibus Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Si qui tamen ante emptionem catholicè ordinati ſunt, cùm ea, quæ emerunt, dimiſerint, & vitam canonicam egerint, in ſuis gradibus permittantur, niſi fortè eiuſmodi Eccleſia ſit, vbi primum locum debeant obtinere: primum enim, vel ſingularem, vel Præpoſituræ, vel officij locum in emptis Eccleſijs eos habere non patimur.* Refert Ballucius *ad P. Marcham, lib. 6. concord. c. 31. fol.* 194. per hæc verba.

CAPVT XXVI.

a Cœleſtinus III.

NObis fuit ex parte tua cum magna diligentia propoſitum, quod cùm quatuor eſſent à Capitulo conſtituti, qui debebant quendam in *b* Plebanum eligere, amici eius de electione, cuius ſpes habebatur, vni eligentium, vel omnibus *c* promiſerunt ſe pecuniam ſoluturos, eo tamen ignorante, qui huiuſmodi interueniente promiſſione poſtmodum eſt electus. Quia igitur ſuper hoc nos conſulere voluiſti, ſolicitudini tuæ breuiter reſpondemus, quod niſi fortè conſtaret illos, qui promiſſum tale fecerunt, per fraudem in diſpendium ipſius, qui eligendus erat, id malitiosè feciſſe, quamuis ipſe promiſſionis conſcius non fuerit, tamen electio huiuſmodi, tanquam ſimoniaca, per prauitatem huiuſmodi acquiſita, eſt penitus *d* reprobanda, &c. Ad vltimum ſuper hoc, quod in fine tuæ conſultationis inuenimus, hoc duximus reſpondendum, quod aliquis in Plebanum, ſeu in quemlibet Eccleſiæ Prælatum electus, & vt dictum eſt, per prauitatem ſimoniacam reprobatus, ab Epiſcopo ſuo diſpenſationem aliquam obtinere de iure non *e* poteſt.

NOTÆ.

a *Cœleſtinus III.*] Ità etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap. 9.* nullibi tamen exprimitur, cui Prælato reſcribat Pontifex.

1 b *Plebanum.*] Ideſt Parochum, quem forſan illi Canonici vt patroni eligebant: & quia nomine collectiuo illum præſentabant, ideò ſi reſpectu vnius intercederet ſimonia, tota electio vitiatur; ſi autem illis, vt ſingulis talis præſentatio competebat, propter ſimoniam vnius non vitiatur præſentatio, vt probat Barboſa *in præſenti.*

c *Promiſerunt.*] Et promiſſio in hoc ſimoniæ vitio habetur pro datione, *cap. 2. de confeſſis.*

2 d *Reprobanda.*] Ipſeque ita electus debet dimittere Eccleſiam hoc modo acquiſitam, *c. ex inſinuatione, c. ſicut tuis, hoc tit. c. præſentium 1. q. 5. c. penult. de elect.* docuit pluribus congeſtis Barboſa *in præſenti*, tam *in collect.* quàm *tom. 6. in ſelect.* Anguianus *lib. 4. controu. 6.* Licèt enim propter ignorantiam, excommunicationem, & ſuſpenſionem, in quas alij ſimoniaci ſcientes incidunt, non incurrant; tamen ipſa electio ſimoniacè per ignorantiam facta eſt nulla, quia in ea deficit ſubſtantiale, videlicet vt gratis fiat: quare etſi extraneus dedit cum ignorantia electi, non poteſt ſupplere vitium hoc, ideò ea nulla eſt, niſi malitiosè, & per calumniam tertius ignorante electo pecuniam dederit; quia cùm malitijs hominum non ſit indulgendum, *cap. Sedes, de reſcriptis, l. in fundo, ff. de R. V.* nec debeat quis alterius odio prægrauari, *l. ſi quis ſuo, Cod. de inofficioſ. teſtam.* hoc caſu electio ſuſtinetur, aliàs poſſet quilibet in præiudicium eius, qui eligendus erat, malitiosè alicui eligentium pecuniam promittere, vt ita electio ſimoniaca denunciaretur, vt docuit Anguianus *d. cap. 6.* à quo accepit Barboſa *tom. 6. in ſelect. ad hunc textum.*

e *Non poteſt.*] Cùm eo enim, qui ſcienter beneficium ſimoniacè accepit, tantùm Summus Pontifex diſpenſare valet. 3
D. Thomas 2. 2. *q. 100. art. vlt. & 7.* & ſi ſimonia commiſſa eſt ignorante electo, nec etiam eo ratum habente, etiam ſolus Summus Pontifex diſpenſat, vt docet in præſenti Innoc. Hoſtienſ. & Panormit. Nauarrus *ad hunc tit. lib. 5. conſilior. conſil. 35. n. 4.* ſed ſi beneficium ſimplex ſit, & qui illud ſimoniacè ignoranter acquiſiuit, poſt ſcientiam illud renunciet, poteſt illud licitè iterum recipere ex Epiſcopi diſpenſatione, *cap. penult. de elect.* docuerunt Binsfeldius *in cap. de ſimoniacis, hoc tit.* Felicianus Vega *in cap. 4. §. de adulterijs, ex n. 159. de iudicijs*, Ioſeph. Gibalinus *de ſimonia quæſt. 31.*

CAPVT XXVII.

Cœleſtinus III. a *Lincon. Epiſcopo, & Priori de Fractoponte, & Archidiacono de Marin.*

DIlectus filius noſter R. Præpoſitus nobis patefecit, quod cùm ven. f. n. G. *b* Eborac. Archiepiſcopus, eum multis grauaminibus, & *c* varijs iniurijs afficere non ceſſaret, promiſit ei certam

tam quantitatem pecuniæ se daturum, vt ab ipsius desisteret læsione. Verùm Archiepiscopus post receptionem pecuniæ eum, sicut promisit, in pace non dimisit, nec super dignitatibus, & beneficijs suis a b eius molestatione quieuit. Ideòque discr. v. per A. f. m. quat. si res ita se habet, Archiepiscopum restituere quod accepit, si eum contra promissionem suam venisse constiterit, auctoritate nostra, ap. rem. compellatis, & prohibeatis etiam ipsi Archiepiscopo ex parte nostra districtius, ne pendente lite Præpositum ipsum, vel suos molestare præsumat: & si fortè fecerit, per vestram solicitudinem corrigatur.

NOTÆ.

1 a *Linconiensi.*] Itâ etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 10. de Linconiensi Ecclesia egi *in cap.* 8. *de rescriptis:* & de Pontefracto Angliæ oppido *in cap. cùm essent, hoc tit.*

2 b *G. Eboracensis Archiepiscopus.*] In hac sexta collectione legitur *Archidiaconus*; sed credo retinendam esse præsentem litteram: tum quia Pontifex appellat illum fratrem, quod proprium Episcopi, vel Archiepiscopi est, *cap. quàm graui, de crimin. fals.* tum quia temporibus Cœlestini III. regebat Ecclesiam Eboracensem Gaufredus, vt refert Polyd Vergil. *lib.* 14. *hist. Angliæ*, qui continetur sub littera G.

c *Varijs iniurijs.*] In nulla ex collectionibus exprimitur, quænam illæ essent, licèt ex verbis sequentibus deduci videatur, super beneficijs ecclesiasticis Archiepiscopum eum molestasse: vnde pro redimenda vexatione licitè pretium dari hinc deducunt repetentes, & probat Barbosa *in præsenti*, & *in cap. Matthæus*, vbi & nos huius textus interpretationem adduximus. 3

C A P V T XXVIII.

Innocentius *N. Abbati* a *de Iugo Dei, & N. Priori de Seillin.*

SVam nobis dilecti filij parochiani de *b* Villafranca querimoniam destinarunt, quòd Dalmasius capellanus eorum pro exequijs mortuorum, & *c* benedictione nubentium minùs licitè pecuniam ab eis exigit, & extorquet. Quod si fortè cupiditati eius non fuerit satisfactum, ne possint mortuorum corpora sepeliri, vel nubentium benedictio celebrari, fictitia eius impedimenta fraudulenter opponit. Quia igitur exactiones huiusmodi sacrorum canonum obuiant institutis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus dictum Capellanum, vt à tanta præsumptione desistat, & etiam pro excessu satisfaciat competenter, moneatis attentiùs, & efficaciter inducatis. Quod si fortè vestris monitionibus noluerit obedire, ipsi appellatione remota pœnam canonicam infligatis. Datum, &c. ij. Kal. Iunij.

NOTÆ.

1 a *Iugo-Dei.*] Itâ etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 1. & in epistolis Innoc. editis à Sirleto, *fol.* 100. Monasterium de Iugo-Dei est Ordinis Cisterciensis in Anglia, ad partes Hiberniæ, cuius fundationem refert Iacob. Vuareus *in chron. monast. Hiberniæ*, his verbis: *Leix, aliàs de Iugo Dei, vulgò Grey Abbey, hoc anno, scilicet* 1193. *vel secundùm annales monasterij B. Mariæ Dublinensis, anno* 1190. *vsque Abbatiam de Iugo Dei in Comitatu Duanensi instituit Africa vxor Ioannis de Caroy, Vltoniæ expugnatoris: & filia Godredi Regis Maniæ, in qua ipsa postea sepulta est.* Refert Manrique *tom.* 3. *annal. Cisterc. anno* 1193. *n.* 7. Monasterium de Seillin, siue de Sillo, est Ordinis D. Basilij, etiam in Anglia, ab oppido Silo ita dictum, de quo Polydor. Vergil. *lib.* 23. *histor. Angliæ, fol.* 476.

2 b *Villafranca.*] Licèt nonnullæ villæ sint in Hispania huius nominis, tamen cùm præsentis causæ cognitio commissa sit Prælatis Angliæ, non potest Innocentius referri ad vllam ex eis, sed ad Villamfrancam, quæ extat in Anglia propè Engolismum, de qua Polyd. Vergil. *lib.* 19. *hist. Angliæ*, ita ait: *Illisque passim profligatis Engolismenses Villamfrancam, item Rionis, & Fani Basilij arces cum oppidis aliquot minùs amplis capit: secundùm hæc venit auxilio fuit Ioannes Normanniæ Dux, qui nonnullis factis cum hoste prælijs, Engolismum cum Villafranca, sese oppidanis dedentibus recepit.*

c *Benedictionibus nubentium.*] De quibus egi *in cap.* 1. *de secund. nupt.*

COMMENTARIVM.

3 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio, *Pro benedictionibus nubentium, seu exequijs mortuorum, parochus aliquid exigere non debet.* Probant eam textus *in cap. non satis, cap. audiuimus, cap. ad Apostolicam, de simon. cap. secundùm* 23. *q.* 8. D. Gregor. *lib.* 7. *epist.* 55. *ad Iannarium*, coius verba cum alijs dedi *in cap. abolendæ, de sepult.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Iulius Lauor. *var. lucubr. tit.* 2. *cap.* 10. Lælius Mancinus *sacri iuris controu. dissert.* 3. Solorzanus *lib.* 4. *polit. c.* 24. Couarr. *lib.* 1. *variar. c.* 13. Petrus Gregor. *lib.* 13. *de republic. c.* 17. & *lib.* 3. *partit. tit.* 20. *cap.* 5. Suarez *de relig. lib.* 4. *de simon. cap.* 10. Chopinus *lib.* 2. *de sacra Pol. tit.* 7. *nu.* 19. Balduinus *ad nouel.* 23. *Instin.* Binsfeldius *in præsenti*, Gibalinus *de simon. q.* 12. *consect.* 6. Lemaistre *de iuribus Episcop. lib.* 2. *cap.* 6. Altesserra *in præsenti*.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Nemo debet proprijs stipendijs militare, sed si altari seruit, de altari viuere potest, iuxta Apostolum relatum *in c. cùm secundùm, de præb.* & 1. *ad Corinth. c.* 3. ibi: *Vnusquisque autem propriam mercedem accipiet secundùm laborem suum.* Laborem enim sine mercede esse, nec ius, nec natura patitur. Et *cap. charitatem* 12. *q.* 2. *cap. nisi, §. quippè, de renunc. authent. de iudic. § ne autem, collat.* 6. Faciunt textus *in l.* 2. *C. de offic. Præfect. Prçt. l. Scio, in princip. ff. de annuis legat.* Cassiodor. *lib.* 2. *var. epist.* 33. ibi: *Æquum est, vt vnicuique proficiat labor suus; & sicut laborando agnouit incommoda, ita perfectis rebus consequatur augmenta.* Latè probarunt Velasco *de priuil. pauper.* 1. *p. q.* 6. *n.* 45. & *q.* 28. *n.* 1. Silua *de salarijs famil. q.* 1. *n.* 2. Igitur Parochus non tenetor gratis funus docere, exequias defunctorum celebrare, nuptias, seu sponsos benedicere. Et vt specialius ad exequias defunctorum accedamus, nubentiomque benedictiones, de quibus hic specialiter agitur, constat Ecclesiam non solum approbasse morem recipiendi aliquid à sacerdotibus funeris tempore, verùm & indixisse, eaegisseq; huiusmodi pręstationes: vnde tot canones Ecclesiæ de mortuorū oblationibus nō retinendis Concil. Carthag. 4. *can.* 95. ibi: *Qui oblationes defunctorum, aut negant Ecclesijs, aut difficulter reddunt, tanquam egentium necatores excommunicentur.* Concil. Agath. *can.* 4. Vasense *can.* 4. Arelat. 2. *can.* 46. Aurel. 3. *can.* 22. Matiscon. 1. *canon.* 4. Et si defuncti corpus extra parochiam propriam tumuletur, quartam partem omnium, quæ occasione funeris obueniunt, parocho deberi docetur *in c.* 1. *cap. in nostra, cap. certificari, de sepultur. cap. officij, de testam.* vbi de hac portione funeris occasione præstanda Parocho, & Episcopo egi. Qooad benedictiones nuptiales licitè etiam pro eis à Presbyteris pretium accipi, probatur ea eo, nam matrimonium est contractus humanus; & ita quatenus continet officium naturæ, licitè pecuniam in eo intercedere, docuit D. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *ad* 6. & in matrimonio non dari simoniam, tenuerunt Glossa *in c. cùm in Ecclesia, hoc tit. c. quidquid* 1. *q.* 1. Durandus *in* 4. *dist.* 26. *q.* 3. Alensis 2. *p. q.* 169. *art.* 1. *dub.* 1. Ergo rectè, & licitè Capellanus de Villafranca exigebat pretium pro benedictionibus nubentium, & exequijs mortuorum. 4 Impugnatur tradita assertio.

Qua

5 De exequijs defunctorum. Qua dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, pro sepultura defunctorum pretium aliquod recipi non posse; sepultura autem in hac parte accipitur, vel pro loco ipso, corpus tumulatur, de qua egi *in cap. abolendæ, de sepultur.* vel pro exequijs ipsius defuncti, officijsque sepulturæ, cùm corpus in ea conditur, de qua agitur in præsenti textu, & alijs suprà citatis, in quibus exequiæ accipiuntur pro funeris pompa, ritibusque, dum corpus defertur ad sepulturam; cuius vocis etymon assignant Durantus *in ration.lib.7.cap.35.* Iul. Lauor. *tit.2.cap.3.nu.200.* quibus suppositis, ne actum *in d.cap. abolendæ*, agamus, ac fastidiosè repetamus, sciendum est, frustra hæreticos mortalitati solatia inuidentes, ecclesiasticam pompam, & ornatum funerum, quasi nuperæ superstitionis commenta, sugillare, cantum, cereos, suffragia, & oblationes, quæ mitigandis defunctorum pœnis Ecclesia adhibet, irridentes, cùm similes ritus à primis Ecclesiæ sæculis obseruatos legamus: & primò cum psalmis, & hymnis clericos corpora ipsa canendo ad sepulturam detulisse, constat *ex cap. qui diuina, cap. vbicumque, 13. q. 2.* ex D. Augustino *lib. 9. confess. cap. 12.* vbi de funere matris agens ait: *Euodium sumpto psalterio cantum incboasse*. Et *epist. 258* loquens de puero quodam notario ipsius Euodij mortuo, ait: *Solutus est, ergo exequias præbuimus satis bonorabiles, & dignas tantæ animæ; nam per triduum hymnis Deum collaudauimus super sepulchrum ipsius, & redemptionis sacramenta tertio die obtulimus*. Sanctus Ambrosius *lib. de viduis*, viduæ continentis argumenta ista commemorat: *Ipse lugubris habitus, pompa funebris, fletus assiduus, & mæsta frons, in arantibus rugis impressa tristitia petulantiam premit, oculos restringit, libidines procaces auertit, & aspectus*. Et Nyssenus in exequijs Macrinæ, cantum lamentationem conditum refert: nec tantùm sacerdotes psallebant, verum & alijs psallentibus, ab eis cadauera exportabantur. Vnde de funere sancti Lupicinij legitur in vitijs SS. PP. *Dispositis in itinere psallentium turmis, cum crucibus, cereis, atque odoris fragrantis thymiamatis*. D. Hieronymus ad Eustochium *de epitapb. Paulæ*, ibi: *Cùm alij Pontifices lampadas, cereosque præferrent, alij choros psallentium ducerent*. Corippus *lib. 3.*

Hinc Leuitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus, vox æthera pulsat.

Vnde cùm Vandali hæretici hymnos in exequijs Catholicorum decantare prohiberent, ita conqueritur Victor Vticensis *lib. 1. Quis sustineat, aut possit sine lachrymis recordari, dum præciperent nostrorum corpora defunctorum sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perduci*. Et *lib. 2. Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes?* Græcæ, & Latinæ Ecclesiarum consensum in illo exequiarum ritu indicat Ioan. Episcopus *lib. 5. iur. Græco-Rom.* seu *lib. 1. respons.* Est autem interrogatio apud eum, an liceat Græcos Romæos in Latinorum Ecclesijs sepelire; & vicissim Latinos in Græcorum Ecclesijs, communi quodam psallentium choro ex vtriusque conflato. Respondet Episcopus, id fieri citra noxam posse. Illustrant Filesac. *lib. 1. select. cap. 16.* Ant. Bozius *tom. 1. Rom. subterr. cap. 19.* Sauarus *ad Sidon. lib. 2. epist. 8.* Baronius *anno 34. n. 313. cum sequent.* Cuiac. *lib. 2. qq. Papin. in l. vlt. de his qui notant*. Deinde cum cereis, & luminaribus defunctos efferri moris fuisse constat ex Gregorio Nysseno de obitu Macrinæ, ibi: *Ex vtraque parte præcedebat non exiguus Diaconorum, ministrorumque numerus, qui omnes ordine progredientes, accensos cereos manibus gestabant*. Nazianz. in funere Constantij Imperat. ibi: *Celebri pompa deducitur, religiosisque bis etiam nostris officijs, boc est nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus, quibus nos Christiani pium è vita discessum ornandum existimauimus*. Corippus *d. lib. 3.* ibi:

—Tota populus processit ab aula,
Mæstaque funereas accendunt agmina ceras.
Omnis in exequias sexus conuenit, & ætas.

Cuius ritus meminerunt Dionysius *de Eccles. hierarch. cap. 7.* D. Clemens *lib. 6. constit. Apost. cap. 10. & 29. & lib. 8. cap. 48.* Gregorius Turon. *lib. 4. Hist. Franc. cap. 1.* & alij congesti à Baronio *tom. 2. anno 337.* Iul. Lauorus *d. tit. 2. cap. 3. n. 32.* Rationem assignat D. Chrysostom. *homil. 4 in epist. 2. ad Hebræos*, ibi: *Dic mihi, quid sibi volunt istæ fulgentes lampades? an non defunctos, tanquam athletas deducimus? Quid etiam hymni? an non Deum glorificamus, & gratias agimus, quod eum, qui excessit, iam coronauerit*. Plura de cereis in funere adhibitis Antonius Bozius *lib. 1. Romæ subterraneæ, c. 18.* Spondanus *de cœmeterijs, lib. 1. p. 3. cap. 7.* Mendoza *in can. 35. Concil. Illiber.* Cum his psalmis, & cæreis accensis deferebatur olim defunctus ad locum, in quo sepeliendus erat, vbi plerumque Episcopus funus spectabat. Dionysius *de Eccles. Hierarch. cap. 7.* qui moris fuisse refert, mortuos ad Episcopum deferre: *Sumentes*, inquit, *mortuum ad Pontificem ducunt, quasi coronis donandum sacris*. Et postquam alias annectit cæremonias, quibus ipsi Episcopi fungebantur inter iusta persoluenda, ait: *Postea venerabilis Præsul precem super eo sacratissimam peragit: finita prece osculatur Episcopus mortuum, & omnes post illum. Postquam omnes osculati sunt, infundit Pontifex mortuo oleum*. Quare forsan in Concilio Triburiensi *can. 15.* ita cautum fuit: *Vbicumque temporum, vel locorum facultas tulerit, apud maiorem Ecclesiam, vbi Sedes est Episcopi, sepulturæ celebrentur*. Tunc dicebatur officium defunctorum. Victor Vticensis *vbi proximè*, ibi: *Qui nos solemnibus orationibus sepulturi sunt morientes, quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus*. Petrus Damianus *epist. 1. cap. 6.* Nazianz. *inuectiu. 2. in Iul.* vbi de morte Constantię agit: de cuius officij origine plura adduxerunt Durantius *in ration. lib. 1. c. 33.* Iul. Lauor. *d. tit. 2. n. 42.* Sequebatur Missæ sacrificium, sine quo olim vix vllus fidelis sepulturæ tradebatur, vt probaui *in cap. 1. de celebratione Missarum*.

Tandem sciendum est, in more positum fuisse veteribus Christianis, vt quo die funebria sacra celebrabantur, solemne conuiuium Clero, pauperibusque exhiberetur; quod quia charitatis erat argumentum, nonnulli agapen vocitarunt. 6 De agape. Eius consuetudinis meminerunt Tertul. *de anima, c. 4.* ibi: *Vocas porrò securos, si quando extra portam cum xenijs, & mathesis tibi potiùs parentans ad busta recedis, aut à bustis dilutior redis*. Mathesea enim, Athenæo interprete, dicta sunt pretiosa edulia, vt ibi notarunt Zerda, & Pamelius. Idem *in apolog. c. 39.* ibi: *Cœna nostra de nomine rationem suam ostendit: vocatur agape id, quod dilectio penes Græcos est. Quantiscumque sumptibus constet, lucrum est pietatis nomine facere sumptum; siquidem quosque refrigerio isto iuuamus: si bonesta causa est conuiuij, reliquum ordinem disciplinæ de causa æstimate quis sit, de religionis officio; nibil scurrilitatis, nibil immodestiæ admittitur: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur: editur quantum esurientes cupiunt; bibitur quantum pudicis vtile*. D. Cyprianus *lib. 3. contra Quirinum, cap. 3.* agapen dilectionem fratrum dixit. Minutius in Octauio: *Conuiuia non tantùm pudica colimus, sed sobria. Nec enim indulgemus epulis, aut conuiuia mero ducimus, sed grauitate bilaritatem temperamus*. Origenes *lib. 3. in Iob: Memorias Sanctorum facimus, & parentum nostrorum, vel amicorum in fide morientium deuotè memoriam agimus, tam illorum refrigerio gaudentes, quàm etiam nobis piam consummationem in fide postulantes: celebramus nimirum religiosos cùm sacerdotibus conuocantes, fideles vna cum Clero inuitantes, adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus, quarum memoriam celebramus*. Meminerunt etiā sanctus Ioannes Chrysost. *hom. 32. in Matthæum*, ibi: *Cur post mortem tuorum pauperes vocas*. D. August. *epist. 64.* D. Hieronymus *epist. 22.* quam consuetudinem probauit Ecclesia varijs canonibus relatis *in cap. per simoniam, c. nonnulli, 41. dist. c. 1. cap. non oportet 3. 42. dist.* Synod. Tullens. *p. 2. c. 4.* ibi: *Qui agapen pauperum defraudant, apud sanctos PP. eorum necatores vocantur*. Concil. Nannetense *can. 15.* refert Ant. August. *in epitom. lib. 21. tit. 26.* Hæc verò antiquissima in Ecclesia conuiuandi consuetudo, cùm paulatim ambitione diuitum, partim etiam multitudinis insolentia, in abusum veniret, & in luxum, has inhonestas epulas Ecclesia, & similia conuiuia damnauit, cùm sub nomine religionis corruptelæ inualuissent. Synod. Laodic. *can. 28.* ibi: *Quod non oportet in locis Dominicis, vel in Ecclesijs eas, quæ dicuntur agapas, facere, & in domo comedere, & in accubitus sternere*. In collectione Martini Brachar. *can. 69.* ita legitur: *Non liceat Christianis prandia ad defunctorum sepulchra deferre*. Aliter etiam habetur apud Gratianum *in c. non oportet, 42. distinctione*, quibus similia extant in Synodo CP. *6. can. 74.* Altissiod. *can. 9.* De his conuiuijs agens D. Augustin. *lib. de mor. Eccles. Cathol.* ait: *Noui multos esse, qui luxuriosissimè super mortuos bibant*. Et in sermone *de virginit. & sobriet.* ibi: *Fugite crapulam, quæ solis lugentibus à consolantibus amicis,*

eis, vel proximis in Ecclesijs ingeritur. Plura de his agapis congesserunt Antonius Bozius *lib. 6. Romæ subter. cap. 27.* Spondanus *de cœmeterijs lib. 1. p. 3. c. 17.* Zerda *ad Tertul. in Apolog. c. 39. not. 952.* Petrus Gregorius *lib. 3. de republic. c. 3.* Cæsar Costa *lib. 1. variar. ambiguit. c. 17.* Crespetius *in summa, verbo agape*, Rosunedius *in onomast. eod. verbo*, Meursius *in Glossario, eod. verbo*, Kochier *in face histor. cent. 2. c. 3. & 84.* Baronius *anno 57. & 397.* Pancirola *lib. 1. var. cap. 86. ad finem*, Suarez *tom. 1. de relig. lib. 3. c. 6.* Lanctmeter *de veteri clerico lib. 2. c. 46.* Albaspineus *lib. 1. obseruat. cap. 18.* Zerda *in aduersarijs, cap. 146.* Ambianas *ad Tertul. de exhort castit. cap. 11. obseru. 2.* & *de ieiunijs cap. 17. obs. 1.* & *in apolog. cap. 8. obseru. 2.* Gazeus *ad Cassianum collat. 24. c. 12.* Exca *in l. vnic. Cod. de palatijs, fol. 59.* Iustel. *in not. ad can. Eccles. vniuers. fol. 179.* Vicecomes *lib. 4. de ritibus Missæ, cap. 21.*

7 Traditur decidendi ratio. His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo prouenit, nam cum exequiæ defunctorum, & benedictiones nubentium sint ministeria ecclesiastica, & spiritualia, *cap. cùm Ecclesiæ, hoc tit.* quia in his omnibus reperitur exercitium ordinis, ideò pro eis exigere pretium simonia est, vt etiam idem crimen committitur in benedictionibus Chrismatis, Ecclesiarum, & similibus sacramentalibus, si pretium pro eis detur, vt probat Gibalinus *de simon. q. 7. consect. 6.* faciunt omnia quæ adduximus *in cap. abolendæ, de sepult.*

8 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, cui facilè respondetur, si animaduertamus, in præsenti textu agi de parocho, qui beneficium ecclesiasticum obtinebat in Ecclesia defuncti; vnde ratione proprij officij tenebatur exequijs defunctorum propriæ parochiæ interesse. Alij verò clerici, qui ad huiusmodi officia celebranda ratione proprij officij non tenentur, pro sua sustentatione aliquid, non vt pretium ipsius officij recipere possunt, ex proximè traditis. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; procedit enim quod in eo expendebamus, in oblationibus à fidelibus pro defunctis factis, quę semper in Ecclesia receptæ, & approbatæ fuerunt, dum pro fidelibus catholicis, & in pace Ecclesiæ, & communione defunctis offerebantur, vt probaui *in can. 28. Concil. Illiber.* Immò & sublatis illis conuiuijs funeralibus, de quibus proximè egimus, in eorum locum suffecta fuit pecunia, quæ Presbyteris & clericis dari solebat ob funeris celebrationem. D. Augustinus *epist. 64.* ibi: *Oblationes, quas pro spiritibus dormientium, quos verè aliquid adiuuare credendum est, super ipsas memorias non sint sumptuosæ, sed si quis aliquid pecuniæ offerre voluerit*, &c. Notauit Vicecomes *d. lib. 4. de ritibus Missæ, cap. fin.* & ex ipsis oblationibus certa portio Episcopo, & Parocho præstabatur, iuxta tradita *in cap. de quarta, de præscrips. cap. 1. de sepult.* Nec obstat quod expendebamus de contractu matrimonij; nam in matrimonio distinguenda est ratio sacramenti à ratione contractus; vt contractus enim politicus admittit pacta, & conuentiones super dote, & donationibus propter nuptias, vt probauimus *in cap. 4. de condit. apposit.* at verò vt sacramentum est, nullam pretij pactionem accipit; ideò verò Glossa & alij supra citati id negarunt, quia existimarunt, per illud non conferri gratiam, quod falsissimum, & erroneum est, cùm contrarium in Concilijs Florent. & Trident. declaratum sit: immò etsi sacramentum hoc non conferret gratiam, vt falsò supponit Glossa *in d. cap. cùm in Ecclesia*, non benè inde inferret, licitam esse eius venditionem, cùm aliæ benedictiones ab Ecclesia institutæ sint, quæ gratiam non conferunt ex opere operato; & tamen si pretium pro eis detur, committitur simonia. Quare etiamsi matrimonium non conferret gratiam ex opere operato; tamen si esset sacramentum, vt fatetur Glossa, in eo simonia committeretur.

9 Exponitur D. Gregorius lib. 1. epist. 42. Sed supra traditæ assertioni obstat D. Gregorius *lib. 1. indict. 9. epist. 42.* in illis verbis: *Peruenit etiam ad nos, quod de nuptijs rusticorum immoderata commoda percipiantur, quibus præcipimus, vt omne commodum nuptiarum vnius solidi summam nullatenus excedat: si qui sunt pauperes, etiam minùs dare debeant: si qui autem diuites, præfati solidi summam nullatenus transgrediantur*. Ex quibus verbis apertè deducitur, pro nuptijs rusticorum, seu eorum benedictione pretium recipi posse. Ergo absque vlla simoniæ labè Parochus in præsenti pecuniam pro benedictionibus nuptialibus extorquebat. Pro cuius textus expositione sciendum est, olim à rusticis, & colonis prædiorum vectigal nuptiarum dominis pendi, quod Galli suo idiotismo appellabant, *foris maritagium*, vt refert Pitheus *ad consuet. Trecenses, actione 3.* quod genus indicti à Caligula inuentum refert Suetonius *in eo, cap. 40.* & illud acerbissimè exactum etiam à colonis prædiorum Ecclesiæ Romanæ, constat ex præsenti epistola, & refert Alteserra *lib. 3. de ducibus, cap. 1.* donec modus impositus fuit à Gregorio, videlicet vt vnum tantum solidum à quolibet rustico penderetur: non tamen in præsenti casu pecunia illa præstabatur Parocho matrimonio assistenti, seu nuptias celebranti; sed à rusticis pendebatur, quatenus erant coloni Ecclesiæ, vt alij coloni pendebant Dominis sæcularibus apud varias gentes. Apud Scotos deterior longè, ac fœdior viguit consuetudo, videlicet vt Dominis, & Præfectis sponsarum integritatem vno coitu experiri liceret: sed ea tandem à Malconio III. Rege sublata, suadente sanctissima vxore Margareta, & pudicitia nummo redempta fuit, vt referunt Vergil. *lib. 10. hist. Angliæ*, Hector Boetius *lib. 12. histor. Scot.* ibi: *Illud verò inter cætera haud indignum memoriæ existimem, abrogatam pessimam eam, ac pestilentem consuetudinem, olim ab Eueno tyranno ethnico inductam, vt Domini, Præfectiue in suo territorio sponsarum omnium virginitatem prælibarent, dimidiata argenti marca vnam noctem à Præfectorum vxoribus redimente sponsa, quàm etiamnum pendere coguntur. Vocantque vulgò mulierum MarKetam. Nec dissimile est, quod haud longè à Louanio in pago fit quodam, vbi suæ sponsæ stuprum à loci Præfecto sponsus redimit: qua seruitute nulla vnquam fando est audita.* Cùm ergo Gregorius agat de pensitatione rusticorum Ecclesiæ ratione ministerij, non verò quia pecunia illa daretur vt pretium benedictionum nuptialium, aut rei spiritualis; ideò impunè exigi supponit Gregorius, & conductoribus massarum adiudicauit. Eadem etiam ratione Zacharias Pontifex *in epist. 2.* permittit Bonifacius Maguntino Episcopo, vt duodecim denarios annui census exigat pro vnoquoque coniugio, his verbis: *De censu verò expetendo, eo quòd impetrare à Francis ad reddendum Ecclesijs, & monasterijs non potuisti aliud, quàm vt vertente anno ab vnoquoque coniugio seruorum duodecim denarij reddantur: & hoc gratias Deo, quia potuisti impetrare; & cùm Dominus donauerit quietem, augebuntur & luminaria Sanctorum.* Similiter & apud Græcos certum constitutum fuit stipendium Episcopo pro nuptijs eorum, qui intra fines diœceseos nuberent; de quo ita Alexius Comnenus apud Leonclauium *lib. 2. iuris Orient.* *Præterea secundùm sanctionem Imperatoris Monomachi felicis recordationis, maiestas mea statuit, vt cùm aliqui subiecti territorio cuiuscumque regionis Episcoporum coniugij ritu legitimis vxoribus iunguntur, accipiat Episcopus à sponso quidem genero nummum aureum vnum, à sponsa verò linteum vlnarum 12. quemadmodum & ab antiquo sancitum est.*

Deinde obstat textus *in nouel. 59. Iustin. cap. 6.* in illis 10 Exponitur nouel. 59. Iustin.
verbis: *Hæc itaque omnia definimus super his, qui non per munificentiam quærunt duo maiores lectos in venerabili vasorum custodiario positos. Dicimus autem Studij gloriosæ memoriæ, & Stephani magnificæ memoriæ. Si quis enim illos voluerit accipere, vtpotè & pluribus hominibus egentes, & custodia potiori, & omnimoda curiositate egentes, hoc non coniungimus his, quæ priùs diximus; sed tanquam magnificam exhibens voluntatem, quantumcunque pro labore Decanis, aut Reuerendissimis Assisterijs, vel Canonicis dare placuerit tantum & præbeat: non tamen valentibus transcendere decem solidorum quantitatem in duobus lectis, Studij, & Stephani. In deaurato autem posito in sanctissima maiore Ecclesia, vel vno solido pro eo forsan faciendo, quatuor solidorum. Assisterijs autem, & Canonicis, & acolythis duplicia accipientibus, quam priùs de his definiuimus.* Ex quibus constat, pretium pro exequijs defunctorum recipi posse à Canonicis, & alijs ministris. Pro cuius textus expositione sciendum est, inter alia de exequijs, & defunctorum funeribus legibus Romanis prudenter cauta, præcipuum fuisse, vt gratuitæ essent sepulturæ, vt exequiarum tota ratio sine cuiusquam priuati hominis sumptu certa aliqua lege constitueretur: quare Constantinus nongentas, & quinquaginta officinas instituit, quæ ab omnibus essent vectigalibus immunes, vt ad rem funebrem suppeditarent lecticarios, siue, vt tunc vocabantur, Decanos. Hi in collegia, seu decurias distincti erant, ad eosque tota cura libitinæ, & exequiarum procuratio pertinebat. Iustinian. *in d. nouel. 59.* ait vocatos esse Copiatas, de quibus *in l. 1. Cod. Theodos. de lustrali collat. l. in Arminensi 15. eod. Cod. de Episcop. nouella Iustin. 3.* vbi Cuiac. Pancirola

lib. 2.

Digitized by Google

lib. 2. var. cap. 163. Quintanadnenas *lib. 1. eccleſ. cap. 3. num. 9.* Deinde Honorius, & Theodoſius eandem Conſtantini legem probarunt in *l. non plures*, *Cod. de ſacroſ. Eccleſ.* ſed Imperator Anaſtaſius huic lecticariorum collegio addidi centum, & quinquaginta officinas, vt efficerentur centum & mille. Sed quia hoc præteatu multi ſeſe ſubducebant à vectigalibus ſoluendis, Iuſtin. *in nouell.* 43. numerum contraxit: quæ conſtitutio conſerenda eſt cum dicta nouella 59. vbi agit de copiaſtis, canonicis, aſcetrijs, & acolythis, qui deducendis cadaueribus operam dabant; nam aſcetrij, & canonici præcinebant; acolythi verò prælucebant, vt referunt Cuiac. & Balduinus *in d. nouel.* 43. Spondanus *de cæmeterijs lib. 1. part. 2. cap. 9.* Germonius *lib. 2. de ſacr. immun. cap.* 2. Antonius Bozius *tom. 1. Romæ ſubterraneæ, lib. 1. cap.* 13. Deinde ſciendum eſt, feretrum ad deferenda corpora defunctorum triplex in vrbe Conſtantinop. fuiſſe. Primum, quod Studij dicebatur; ſecundum pauló illuſtrius, Stephani appellatum: tertium auro intertextum maioris Eccleſię, quo opulentiores deferebantur. Erant etiam lecticæ communes ad funus plebeiorum. Illudque diſcrimen inter ea lecticarum, & feretrorum genera dabatur; nam commune feretrum, gratis, & ſine pretio concedebatur; at Studij, Stephani, & maioris Eccleſiæ pecunia conducebantur; Studij quidem, & Stephani ſumma ſolidorum duodecim; maioris Eccleſiæ ſolidorum quatuor. Quibus ſuppoſitis apparet de hac pretij præſtatione pro feretro agi in dicta nouella *59.* non verò de vlla pecuniæ exactione pro exequijs defunctorum. In ea nouella *59.* apud Iulianum Anteceſſorem 53. hæc conſtitutio loquitur de impenſis, quæ in funeribus murtuorum fiunt, & ante omnia mille centum ergaſteria in Conſtantinop. ciuitate immunitatem habere iuſſit, vt funera ducant. Sed & redditum funeribus deſtinatum ab Anaſtaſio Imperatote confirmauit, & funeribus deputauit, & dedit ſingulis cadaueribus, ſiue ſingulis lecticis mortuorum, vnum aſceterium, ideſt octo ſanctimoniales pſallentes, & tres acolythos, ita vt nihil acciperent, ſed gratis funus deducerent. Explicat Fileſac. *lib. 1. ſelect. cap. 16.*

C A P V T XXIX.

Idem a *Cantuarienſi Archiepiſcopo*.

DIlectus filius Magiſter A. nuncius tuus pro parte tua fecit in audientia noſtra proponi, quod cùm Cant. diœceſim ſecundùm prædeceſſorum tuorum conſuetudinem viſitas, vt quæ corrigenda ſunt, corrigas, & ſtatuas ſecundùm Deum, quæ videris ſtatuenda, in *b* monaſterijs, & canonicis regularibus, & religioſis locis pullulaſſe reperis ſimoniacam prauitatem, ita vt in eis multi pretio ſint *c* recepti, qui potiùs gràtis recipi debuiſſent, immò etiam ad religionis obſeruantiam inuitari. Dubitas igitur, vtrum quia *d* multitudo reperitur in cauſa, ſeueritati ſit aliquid detrahendum, an in tales debeas exigere rigorem canonicæ diſciplinæ. Nos igitur inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod ſi aduerſus eos qui labe fuerint huiuſmodi maculati, accuſatio coram te fuerit canonicè inſtituta, poſtquam crimen ordine fuerit iudiciario comprobatum, tam in dantes, quàm recipientes canonicæ ſeueritatis exerceas vltionem. Quod ſi de hoc tibi per ſolam inquiſitionem conſtiterit, eos qui per ſimoniacam prauitatem in locis talibus ſunt recepti, ab illis amotos ad agendam pœnitentiam ad monaſteria dirigas *e* arctiora. Abbatibus autem, Abbatiſſis, Prioribus, Prælatis quibuslibet, & officialibus eorundem iniungas pœnitentiam competentem, & donec illam peregerint, eos à ſacrorum ordinum executione ſuſpendas. Studeas autem omnibus per Cant. diœceſ. ſub interminatione anathematis, auctoritate etiam tam noſtra, quàm tua diſtrictiùs inhibere, ne talia præſumant vlteriùs attentare; ſed illud dumtaxat gratanter accipiant, quod ſine taxatione fuerit gratis oblatum, iniungens Epiſcopis tuis, vt hanc ipſam formam per ſuas diœceſes ſtudeant obſeruare.

N O T Æ.

1 a C*Antuarienſi.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. de qua Metropoli nonnulla adduxi *in cap. 2. de reſcriptis*.

2 b *Monaſterijs.*] Non exemptis videlicet, aliàs nec viſitare, nec delicta inquirere poſſet, iuxta tradita *in c. licèt, cap. graue, de offic. Ordin.*

c *Sunt recepti.*] Et ita cum vitio ſimoniæ, iuxta tradita ſuprà *in cap. venieas*.

d *Multitudo.*] Ob multitudinem peccantium aliquid detrahendum eſſe pœnarum ſeueritati, probaui *in cap...*

e *Arctiora.*] De hac pœna detrudendi in arctiora monaſteria, pœnitentiæ peragendæ cauſa, egimus *in cap. 1. de regal.*

C O M M E N T A R I V M.

3 IN hoc delicto ſimoniæ ob eius grauitatem, & atrocitatem æqualem pœnam imponi, ſiue delictum claruerit per accuſationis modum, ſiue per inquiſitionem, probaui *in c. inquiſitionis, de accuſat.* Vnde difficilis eſt præſens textus, quatenus in eo Innocentius docet, quod ſi per accuſationem canonicè apparuerit, & conſtiterit in iudicio de ſimonia à regularibus commiſſa, iuxta ſeueritatem canonicam, de qua *in c. veniens, cap. de regularibus, hoc tit.* compeſcantur; ſi verò tantùm per inquiſitionem conſtiterit eos ſimoniam commiſiſſe, non depoſitionis pœna, ſed potiùs ſuſpenſionis, donec pœnitentiam peregrint, in arctiora monaſteria eſſe detrudendos: vnde cognoſcitur diuerſam pœnam, mitioremque imponi, cùm delictum per inquiſitionem claruit, ac quando per accuſationem probatum fuit. Quare pro huius textus expoſitione varia adduxerunt Anguianus *lib. 2. de legibus, cap. 6.* Luna, & Arellanus *lib. 5. antinom. 1.* quibus omiſſis dicendum eſt, inquiſitionem duplicem eſſe, aliam generalem, ſpecialem aliam, vt probaui *in d. cap. inquiſitionis* Generalis appellatur quando Prælatus viſitans ſuam diœceſim inquirit de vita, & moribus ſubditorum generaliter, vt *in cap. irrefragabili, de offic. ordin.* Specialis quando infamia præcedente contra aliquem, ad inquiſitionem certi delicti ſpecialiter proceditur, de quo inquiſitionis iudicio agitur *in d. c. inquiſitionis*. Vnde ſi ſimoniæ vitium appareat, & probetur per iudicium inquiſitionis ſpeciale, eadem pœna eſt afficiendus reus ſimoniæ, ac ſi in iudicio accuſatus eſſet, & probaretur crimen; ſi verò tantùm per inquiſitionem generalem, de qua in præſenti agitur, crimen ſimoniæ apparuerit, non eſt irroganda pœna ordinaria. Differentiæ ratio ex eo prouenit, quia in inquiſitione ſpeciali præcedit infamia, quæ vicem accuſatoris gerit; vnde reus poteſt puniri pœna ordinaria; in inquiſitione verò generali, cùm tantùm ſecretò, nulla infamia præcedente conſtet, reum ſimoniam commiſiſſe, ne publica infamia notetur impoſita pœna ordinaria, qui nec accuſatus, nec iudicatus eſt, mitiori pœna & extraordinaria affici debet ex Innocentij ſententia in pręſenti.

CAPVT XXX.

Idem *Priori Sancti* a *Victoris* , *& Magistris I. Bonon. &* *L. Modocen, Canonicis.*

LIcèt Heli summus Sacerdos in seipso bonus existeret, quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter , & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam accepit, dum filijs eius in bello peremptis, ipse de sella corruens, fractis ceruicibus *b* expirauit . Ad corrigendos igitur subditorum excessus tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas desereret incorrectas , contra quos , vt de notorijs excessibus taceatur , etsi tribus modis procedi possit , per accusationem videlicet , *c* denunciationem , & inqusitionem ipsorum; vt tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela , sicut accusationem legitimam debet præcedere *d* inscriptio , sic & *e* denunciationem charitatiua correctio , & *f* inquisitionem clamosa debet insinuatio præuenire . Descendam, inquit *g* Dominus , & videbo vtrum clamorem, qui venit ad me , opere compleuerint: tunc enim clamor peruenit ad Prælatum, cùm per publicam famam , aut insinuationem frequentem subditorum sibi referuntur excessus ; & tunc debet descendere , & videre , & inquirere , vtrum clamorem veritas comitetur. Nam iuxta canonicas sanctiones, si quid de quocumque clerico ad aures Prælati peruenit , quod eum iustè possit offendere , non facilè credere debet, nec ad vindictam eum res accendere debet incognita : sed coram Ecclesiæ senioribus diligenter est veritas perscrutanda, vt si rei poposcerit qualitas, canonica districtio feriat culpam delinquentis, non tanquam ipse sit idem accusator , & iudex ; sed quasi fama deferente , vel denunciante clamore , sui officij debitum exequatur , eo semper adhibito moderamine , vt iuxta formam iudicij , sententiæ quoque *h* forma dictetur . Cùm igitur de Abbate *i* Pomposianen. ea nobis frequenter insinuata fuissent , quæ ab honestate regulari nimium dissonabant , inquisitionem eorum viris discretis commisimus faciendam, qui cùm minimè processissent ad iteratum sæpè clamorem , de communi fratrum nostrorum consilio citauimus ad præsentiam nostram Abbatem,& monachos, vt per nos ipsos causa morbi pleniùs inquisita , plagam ipsam meliùs curaremus . Cùm igitur ad præsentiam nostram accedentes quidam ex monachis nobis ipsum Abbatem de simonia , periurio , dilapidatione , ac insufficientia detulerint , contra quos idem Abbas excepit , quod denunciationem huiusmodi fraterna correctio , secundùm euangelicam *j* regulam non præcesserat , ijdemque constanter assererent, quod correctionem huiusmodi præmisissent , licèt ad id probandum monachorum iuramenta fuissent prohibita; quia tamen super hoc ipso nondum contendere desistebant , nos , vt prædiximus , frequentibus clamoribus excitati , ex officio nostro volumus inquirere de præmissis , omnes omninò monachos , qui vel cum ipso , vel contra ipsum Abbatem accesserant , iuramenti vinculo astringentes , vt de propositis plenè , quam scirent , exprimerent veritatem : quorum depositiones in scriptis redactæ , cùm publicatæ fuissent, super illis cœperunt multipliciter disputare . Quia verò tum ex assertione monachorum , tum ex Abbatis confessione cognouimus , quod idem Abbas non modicam summam pecuniæ relictam à prædecessore suo totam expenderat, & in alia summa maiori monasterium obligauerat , nos eum iuxta legitimas , & canonicas sanctiones, propter has , & alias præsumptiones , quasi de dilapidatione suspectum ab administratione Abbatiæ duximus *k* suspendendum : & quia per testes simonia multis modis probata videbatur esse contra ipsum Abbatem , ipse contra testes multas exceptiones opposuit , super quibus vtrumque fuit multipliciter disputatum , alijs asserentibus , in crimine simoniæ , sicut in crimine læsæ maiestatis , omnes indifferenter, tam infames , quàm criminosos , non solùm ad accusandum , sed ad testificandum etiam admittendos , cùm ad instar publici criminis , & læsæ maiestatis procedit *l* accusatio simoniæ , multis super hoc & legibus , & canonibus allegatis : alijs è contrario respondentibus , quod licèt hæc duo crimina, quantùm ad accusationem quasi paria iudicentur , differunt autem in multis , cùm alia pœna pro vno , & alia pro altero inferatur , & inter personas accusatorum , & testium sit vtique distinguendum, cùm non per accusatores , vel testes crimina comprobentur , multis nihilominus super hoc & rationibus , & argumentis inductis. Ne verò vel innocentiæ puritas confusa succumberet, vel simoniæ prauitas effugeret impunita ; nos æquitate pensata , nec omnes exceptiones contrà testes oppositas duximus admittendas , nec repellendas duximus vniuersas ; sed illas dumtaxat probandas admisimus ; quæ fortè probatæ , non de zelo iustitiæ , sed malignitatis fomite procedere viderentur , conspirationes scilicet , & *m* inimicitias capitales ; cæteras autem obiectiones oppositas , vt furti , adulterij , propter immanitatem hæresis *n* simoniacæ , ad cuius comparationem omnia crimina quasi pro nihilo reputantur , duximus repellendas, quoniam etsi fidem testium debilitarent in aliquo , non tamen euacuarent ex toto , præsertim cùm alia contigerit adminicula suffragari . Ad probandas ergo exceptiones admissas , Abbas quoddam protulit instrumentum , ad quod reprobandum cùm testes fuissent ex altera parte producti, facultatem sibi petijt indulgeri , vt in partibus suis instrumentum huiusmodi comprobaret . Cùm ergo iudicantem oporteat cuncta rimari, discretioni vestræ , de qua plenam fiduciam obtinemus , per Apostolica scripta præcipiendo mandamus , quatenus intra sex hebdomadas post susceptionem præsentium probationes , quas Abbas, vel Procurator ipsius ad probandum solummodò instrumentum, cuius rescriptum vobis sub bulla nostra trans-

mitti-

Digitized by Google

mittimus, vel reprobandum pars altera duxit exhibendas, diligenti studio recipere procuretis sub testimonio litterarum vestrarum inclusas, eas nobis fideliter destinantes: attentiùs prouisuri, vt via regia procedentes, non ad sinistram, nec ad dexteram declinetis. Quod si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Datum Laterani iv. nonas Decembris.

NOTÆ.

1 a Sancti Victoris.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & in epistolis editis à Sirleto, *fol.* 424. ex quo regestro textum hunc transcribo. De monasterio Sancti Victoris canonicorum Regularium in diœcesi Bononiensi, egi *cap cùm in Ecclesia, de maiorit. & obed* De Modocensi diœcesi egi *in cap.* 17. *de rescript.*

b *Exspirauit.*] Vt refertur *lib.* 1. *Regum, cap.* 4. & eius historiæ meminerunt D. Chrysostomus *homil.* 17. *in Matthæum*, D. Hieronym. relatus *in cap. legant*, 37. *dist.* D. August *lib.* 17. *de ciuit. Dei, cap.* 5. & ad mores christianè instruendos eleganti stilo patrio idiomate dedit Magnus pietate, religione, & litteris vir tempestatis nostræ, Ambrosius alter, D. Ioannes à Palafox *lib.* 1. *hist. sacræ.*

c *Denunciationem.*] De qua egi *in c.* 2. *hoc tit.*

d *Inscriptio.*] De qua egi *in c. super his, de accusat.*

e *Denunciationem.*] De qua *in cap.* 2. *eod. tit.*

f *Inquisitionem.*] Vt probaui *in cap. inquisitionis officium, de accus.*

g *Dominus.*] *Genesi cap.* 19.

h *Forma dictetur.*] Nam quando proceditur per accusationem, pœna ordinaria irroganda est; quando verò per inquisitionem, mitior, & extraordinaria, vt probaui *in c. inquisitionis, de accus.* 2

i *Pomposian.*] Credo esse nomen proprium Abbatis, nam nullum monasterium legi huius nominis.

j *Regulam Euangelicam.*] De qua egi *in cap. nouit, de iudicijs.*

k *Suspendendum.*] Nam Prælatus de dilapidatione suspectus, debet etiam lite pendente suspendi ab administratione, *cap. fin.* 3. *quæst.* 2. latè probant Genuensis *practicab. quæst.* 575. Bernardus Diaz *in praxi, cap.* 71. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 7. *cap* 5. 3

l *Accusatio simoniæ.*] Vt probaui suprà *in cap.* 3.

m *Inimicitias.*] Quæ in grauioribus etiam delictis attenduntur, vt inimicus, nec vt accusator, nec vt testis admittatur, vt probaui *in cap. meminimus, de accusat.* & docet Menochius *lib.* 1. *de arbitr. quæst.* 28. *per totam.* 4

n *Hæresis, simoniæ*] Quatenus simonia hæresis sit, exposui suprà *in cap.* 1.

CAPVT XXXI.

a Idem.

PEr tuas nobis litteras intimasti, te plurimùm dubitare super quadam epistola decretali, quam nos asseris edidisse, de testibus admittendis contra simoniacam prauitatem. Noueris igitur incunctanter, quod nos illam epistolam, quæ sic incipit, Quamuis ad *b* abolendam, nequaquam edidimus; sed aliam, quæ sic incipit, Licèt Heli, nos edidisse fatemur, ad cuius intelligentiam credimus distinguendum, vtrum is, contra quem agitur, de simoniaca prauitate denuncietur ciuiliter, an *c* criminaliter accusetur; & vtrum agatur secundum iuris rigorem, an secundùm temperantiam æquitatis. Item vtrum sit regularis ipse, qui iam renunciauerit mundo; an sæcularis, qui adhuc in mundo existat: & vtrum inferioris sit gradus, an excellentioris sit dignitatis: ad hæc, vtrum antè fuisset claræ opinionis, & bonæ famæ; an grauiter infamatus, & valde suspectus: & vtrum de facili possit puniri, an sine scandalo nequeat condemnari. Præterea vtrum testes sint honesti, an criminosi: & vtrum iam sint emendati de crimine, an adhuc in crimine perseuerent: rursus vtrum crimina sint eadem, vel minora; an paria, vel maiora: vtrumue testes ex zelo iustitiæ, an ex malignitatis fomite deposuisse credantur: denique vtrum ad simoniacam prauitatem detegendam sola dicta testium inducantur, an alia etiam adminicula suffragentur. Hæc omnia sunt ad intelligentiam illius epistolæ distinguenda, sicut ex serie ipsius epistolæ potest perpendere diligens indagator. Ille quidem Pomposianus Abbas, qui iam pridem renunciauit mundo, erat de simonia, periurio, dilapidatione, ac insufficientia grauiter infamatus; cumque per monachos, qui iurauerant testimonium perhibere veritati, simonia multis modis videretur esse probata, ipse contra testes multas exceptiones opposuit, conspirationes videlicet, & inimicitias capitales furtum, & adulterium, vt eos à testimonio remoueret. Nos verò, ne innocentiæ puritas confusa succumberet, vel simoniæ prauitas effugeret impunita, illas duntaxat exceptiones probandas admisimus, quibus fortè probatis, testes non zelo iustitiæ, sed de malignitatis fomite processisse constaret, vt conspirationes, & inimicitias capitales: cæteras autem exceptiones, vt furti, adulterij, propter immanitatem hæresis simoniacæ, ad cuius comparationem cætera crimina quasi pro nihilo reputantur, duximus repellendas; quoniam etsi probationes fidem testium *d* debilitarent in aliquo, non tamen euacuarent ex toto, alijs adminiculis suffragantibus, *e* præsertim cùm testes de crimine fuerint emendati. Tales igitur contra tales taliter duximus admittendos, sed non secundùm rigorem iuris, sed secundùm temperantiam æquitatis, cùm ageretur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine; sed ciuiliter, vt ab administratione *f* amoueretur, tanquam immeritus & damnosus. Et vtique tales Prælati ex leuioribus caussis possunt ab administratione amoueri, maximè per Summum Pontificem, qui potestatem habet non solummodò iudicandi, verùm etiam deponendi, sicut quorundam religiosorum approbata consuetudo poposcit: vnde prædictus Abbas non expectata sententia, quasi malè conscius sibi cessit.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex: tantùm ex textus serie cognoscitur, textum hunc esse glossam præcedentis, siquidem in eo tantùm intendit Innocen. exponere quod de testibus criminosis admittendis in causa simoniæ dixerat in textu præcedēti.

b *Quamuis ad abolendam.*] Extat *in c.4. hoc tit. in 2. collect.*

c *Criminaliter.*] Quando dicatur iudicium criminale, quando ciuile, expofui *in c. tuæ, de procurat.*

d *Debilitarent.*] Quod in crimine hæresis, alijsque Fidei causis contingit, in quibus etsi aliàs non idonei testes admittantur, vt criminosi, & socij eiusdem criminis, *c. in fidei fauorem, de hæretic. in 6.* tamen eorum fides in parte minuitur, vt probat Corras. *lib.5. miscel. cap 20. per tot.*

3 e *Præsertim.*] Non tamen negat Innocentius idem dicendum etsi emendati non sint, in crimine simoniæ, ob cuius grauitatem, etiam criminosi non emendati admittuntur, vt docent Abbas *in præsenti, n. 9.* Felinus *n. fin.* aliàs nihil speciale daretur hoc casu in crimine simoniæ. Inimici tamen semper repelluntur. Borellus *tom.2. decisionum, ex num. 300.*

f *Amoueretur.*] Per viam denunciationis, aliàs verius est iudicium criminale dici, vbi agitur de amotione à beneficio, vel administratione, vt resoluit D Ioannes Vela *de modo procedendi, cap. 1.* vnde infert, in Ecclesijs, vbi Episcopus tenetur procedere cum adiunctis in causis criminalibus Canonicorum, teneri eos recipere, cùm agit de amotione alicuius à præbenda, ex eo quod ordinem sacrum præbendę annexum intra tempus à iure assignatum non receperit. 4

C A P V T XXXII.

Idem *Abbati a Gemblacensi.*

SIcut nobis tuis litteris intimasti, cùm in Gemblacensi Ecclesia fueris à tenera nutritus ætate, monachus factus ibidem, in ætate matura promotus consequenter fuisti ad regimen Ecclesiæ *b* Florin. Verùm Abbate Gemblacensi de medio post sublato, Gemblacen. Ecclesia, quæ priùs te tanquam filium habuerat, inscium & absentem, in Patrem, & Pastorem per electionem canonicam te reuocauit. Et quoniam Pastore carebat Leodiensis Ecclesia Cathedralis, postquam per dies aliquot moram feceras in Ecclesia Gemblacensi, ad Colon. Ecclesiam, quæ tua est Metropolis, *c* proficiscens, ipsius auctoritate in Gemblacensi Ecclesia interim ministrasti. Cæterùm postquam in Leodien. Ecclesia fuit Episcopus *d* institutus, is à te requisitus electionem de te factam noluit confirmare, aliud non prætendens, nisi quod de minori loco translatus fueras ad *e* maiorem. Verùm cùm hæc tibi fieri pro extorquenda pecunia comperisses, sub interminatione anathematis vetuisti, ne pro facto huiusmodi aliqua pecunia offerretur. Et cùm quidam de fratribus timorem Dei præ oculis non habentes, interuentu munerum ad ipsius Abbatiæ regimen aspirarent, seniores in Ecclesia, quod malum imminens non nisi malo *f* posset deprimi, præuidentes, te inconsulto, & penitus ignorante, contra excommunicationis à te factæ sententiam venientes promiserunt, & pecuniam etiam persoluerunt, sicut tibi postmodùm est relatum, & sic ab Episcopo inuitatus, institutionem ab eo accepisti liberè, quemadmodum postulabas. Super his ergo nos tua duxit discretio consulendos, si propter promissionem incognitam, & prohibitam, quemadmodum est præmissum, tibi peccati macula infligatur: vel si de promissione nunc tibi cognita, tu cum fratribus, qui fecerunt eam, debeas pœnitere, cùm inhærere nolueris simoniacæ prauitati, paratus pro grege Domini subire laborem; vel quamuis te conscientia non accuset, à suscepto regimine, si decreuerimus, abstinere. Quamuis autem secundùm *g* sacrorum canonum instituta, etiam paruuli, qui cupiditate parentum Ecclesias per pecuniam sunt adepti, eas dimittere teneantur; quia tamen longè diuersum est non præbere consensum, & expressim aliquid prohibere, taliter duximus respondendum: quoniam ex eo quod contra prohibitionem, & voluntatem tuam, à qua postmodùm minimè recessisti, aliquis te penitus *h* ignorante promisit pecuniam, & exsoluit, præsertim cùm aliquis ex his nulla sit tibi consanguinitate coniunctus, nihil tibi debet quoad pœnam, & culpam, sicut credimus, imputari, nisi postea fortè consenseris, pecuniam soluendo promissam, aut etiam reddendo solutam: alioquin contingeret, quod alicuius factum insidias inimico parantis, ei damnosum existeret, cui penitus displiceret: & sic aliquis de fraude sua commodum reportaret. Illos autem, qui dederunt pecuniam, vel etiam receperunt, in tantùm constat esse culpabiles, quod si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, quæ non iudicat de *i* occultis, pœna essent canonica feriendi.

N O T Æ.

1 a GEmblacensi.] Gemblacum veteribus Gemelacum, peruetustum est Brabantiæ in Germania oppidum, olim Leodiensis, hodie Namurcensis diœcesis, intra cuius oppidi mœnia constructum est monasterium hoc, quod construxit, ac dotauit Gilbertus anno 921 vt referunt de eius origine & amplitudine agentes Aubertus Mireus *in orig. Cœnobiorum Belgiæ, c.29. per totum,* Yepes *tom. 5 chron. D. Benedicti, anno 921.* Bucelinus *tom.1. Germaniæ sacræ, verbo Gemblacum.* Guiberto eius Abbati, qui decessit anno 1208. missa est præsens epistola, quæ reperitur inter editas à Sirleto *fol. 371. & in 3. collect. sub hoc tit. cap. 5.*

2 b *Florinen.*] Florinense monasterium etiam est in Germania, in finibus agri, cuius fundationem expressit chronographus Cameracensis *lib.3.* his verbis: *Gerardi Episcopi patre defuncto, ipse Dominus Episcopus apud Florinas, pro reuerentia siquidē loci, in quo natus fuerat, immò & pro salute animę patris, & monasterium S. Gingulfi, quod pater imperfectum reliquerat, ad finem perduxit; & alterū S. Ioannis ex rebus suis, & fratrum suorum, non tam pulchra ædificiorum facie, quàm fortè operositate fundauit. Sed hoc quidem clericorum, illud verò monachorum: vtrumque annuente Valdrico Leodiensium Episcopo, in cuius parochia sunt, consecrauit. Denique illa Abbatia Domini Abbatis Richardi regimini commendata, sed & magni Imperatoris* (Henrici) *auctoritate firmata, cœpit florere, ac postea magis, magisque (Deo gratias) tam fluentia rerum, quàm sanctitate monachorum effloruit.* Refert Aubertus Mireus *in orig. Cœnob. Belg. cap. 33.*

c *Proficiscens.*] Sed quare confirmationem non postulauit à Capitulo Leodiensi, cùm Capitulum Sede vacante possit confirmare electiones eorum, quorum confirmatio ad Episcopum spectabat, *c. cùm olim, de maior. & obed.* Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt repetentes in pręsenti. Hostiensis, & Innocentius 3

asser-

asseruerunt, consuetudine, aut priuilegio introductum fuisse, vt defuncto Episcopo Leodiensi, Abbas Gemblacensis à Coloniensi Metropolitano confirmationem peteret. Sed hac sententia omissa, vera solutio petenda est ex historia huius temporis, & statu Ecclesiæ Leodiensis. Sciendum enim est, tempore huius electionis Guiberti, Leodiensem Ecclesiam Pastore caruisse, non tamen fuisse vacantem, quia potiùs duo ad eam erant electi Episcopi, Albertus videlicet, & Simon, qui ambo Romam profecti fuerant, vbi Simon Cardinalis creatus fuit, vt referunt Kratepolius *in catal. Præsul. Leodiensium:* & ita licèt Pastore careret, quia Romæ erat, non tamen Capitulum tanquam Sede vacante poterat ipsum Abbatem confirmare; & ita Abbas ipse adijt proximum superiorem, videlicet Coloniensem Archipræsulem, qui illi permisit ministrare in eadem Abbatia, donec Episcopus Leodiensis eum confirmaret.

d *Institutus*.] Hugo II. de Petraponte, de quo ait
4 Kratepolius *vbi proximè*, quod cùm esset admodum dissolutus moribus, postea se multùm correxit, & multa opera bona fecit.

e *Ad maiorem*.] Quod in Episcopis tantùm 5
prohibitum est, ex traditis *in cap. 1. de translat. Episcop.*

f *Malo posset deprimi.*] Et sic pro redimenda vexatione pecuniam Episcopo dederunt, atque ita simoniam verè non perpetrarunt, iuxta tradita suprà *in cap. Matthæus*. Vnde dum in fine huius textus ait Innocentius, quod si excessus eorum esset Ecclesiæ manifestus, pœna essent canonica feriendi, accipiendus est ita, vt si constaret seniores monasterij dedisse pecuniam, vt pretium Episcopo pro confirmatione Abbatis, essent omninò puniendi: & si dicas eos simoniam commisisse, supponendum est vexationem alio modo vitare potuisse.

g *Canonum*.] *Cap. quisquis, 1. quæst. 1. c. 1. 1. quæst. 5.*

h *Ignorante.*] Et contradicente, aliàs si tantùm esset ignorans, confirmatio facta per simoniam esset nullius momenti, ex traditis suprà *in c. 1. de regul.*

i *De occultis*.] *Cap. 1. 15. quæst 6. cap. erubescant*, 6
32. dist. cap. tua nos, hoc tit. Probant Gibalinus *de cens. parte 2. quæst. 2. in fine*, Mancinus *cent. 2. genial. cap. 167.*

C A P V T XXXIII.

Idem *Decano a Beluacensi.*

TVa nos duxit discretio consulendos, si aliquis alicui Ecclesiæ de bonis suis quædam obtulerit, petens vt in vita sua sibi liceat eadem bona in ipsa Ecclesia pro præbenda tenere, bona recipi debeant sic oblata, & idem clericus assumi valeat in Canonicum eiusdem Ecclesiæ absque vitio simoniæ. Nos igitur deuotioni tuæ taliter respondemus, quod si quis clericus cum conditione, vel pacto largiatur, vel offerat bona sua, vt illa postmodùm pro præbenda retineat, & vt in Canonicum admittatur, huiusmodi oblatio, vel receptio fieri non poterit sine vitio simoniæ, cùm in talibus *b* omnis pactio, aut conuentio cessare debeant iuxta canonicas sanctiones: si verò purè, ac sine pacto & conditione qualibet offerat bona sua, rogans humiliter, vt in Canonicum admittatur, & bona ipsa retinere sibi liceat pro præbenda, & clerici eiusdem Ecclesiæ purè consentiant, huiusmodi receptio procul dubio fieri poterit absque scrupulo simoniacæ prauitatis. Licèt autem taliter duxerimus respondendum, quia nobis datum est de manifestis tantummodo iudicare; si tamen is, qui talem donationem facit ea *c* intentione ducatur, vt propter temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam illi, quàm iste apud districtum Iudicem, qui scrutator est cordium, & cognitor secretorum, culpabiles iudicantur.

N O T Æ.

1 a BEluacensi.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit cap. 6.* ex qua restituo eius literam. De Ecclesia Baluacensi nonnulla notaui *in cap. 18. de foro comp.*

b *Omnis pactio.*] Iuxta tradita *in c. fin. de pactis*.

c *Intentione*.] Quia simonia mentalis tunc committitur, vt dicemus infrà *in cap. fin.*

COMMENTARIVM.

2 MOs olim fuit, vt in Clerum eligendi, in Ecclesiaque ordinandi pecunias Ecclesiæ offerrent, quibus postea præsidentes, seque de illo iactantes, conuitijs insectabantur eos, qui nulla data pecunia propter egregia merita cooptati fuerant. Quam consuetudinem improbarunt PP. sextæ Synodi *can. 5.* his verbis: *Eos igitur, qui gloriantur se per dationem auri ordinatos in Ecclesia, & in hac maligna consuetudine, quæ alienat à Deo, & omni sacerdotio, sperant, & ex hoc impudenti facie, & non operta, eos probrosis, & contumeliosis verbis, qui ob sanctitatem vitæ à Spiritu sancto electi & constituti sine datione auri sunt, inhonorant, primò quidem nouissimum gradum sui ordinis accipere definimus: quod si permanserint, per epitimiam, id est pœnitentiam, corrigantur.* Vbi notarunt Balsamon, & Zonaras: Hallierius *de sacris elect. sect. 7. c. 2 art 1.* Etiam moris fuit, vt Episcopi, alijque Prælati in Ecclesia instituendi bona sua Ecclesię ipsi offerrent: quare D. Ambrosius eo tempore, quo Episcopus ordinatus fuit, aurum omne suum, & argentum, nec non prædia inter pauperes, & Ecclesiam distribuit. Idem de Ioanne Eleemosynario Patriarcha Alexand. refert Leontius *in eius vita:* & Marcionem ducenta sestertia Ecclesiæ intulisse refert Tertul. *de præscrip. cap. 30.* quem morem probauit Iustin *in nouell. 123. c. 2.* ibi: *Si quis Episcoporum, siue ante suam ordinationem, siue post ordinationem voluerit proprias res, aut partem earum Ecclesiæ offerre, cuius sacerdotium accepit, non prohibemus, & omni condemnatione, & pęna præsentis legis liberum esse sancimus; sed etiam omni laude dignum iudicamus, quoniam hoc non est emptio, sed oblatio.* Licèt vt vitaretur omnis mali suspicio, Alex. II. *in c. ex multis 1. quæst. 3.* oblationem hanc prohibuerit his verbis: *Vt nullus cuiusque gradus pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat conferre, aut fabricæ Ecclesiarum, seu etiam quod pauperibus sit distribuendum.* Qui textus ex præsenti lucem accipit; nam si Episcopus, vel Canonicus, dum promouentur ad Ecclesiam bona sua, vel eorum partem purè, & liberaliter obtulerint, nullam simoniam commisisse dicentur: si verò ex pacto, aut conuentione inita bona illa contulerint, simoniam committunt, vt docet, probat Hallierius *d. c. 2. art. 1.* quare rectè Innocentius in præsenti improbauit oblationem bonorum à Canonico factam, quia ex pacto, & conuentione ea tradebat, videlicet vt in Canonicum reciperetur, & bona ipsa pro præbenda retineret.

CAPVT XXXIV.

Idem a *Priori Cartusiensi.*

PEr tuas nobis litteras intimasti, quod cùm G. in quadam domo Cartusien. Ordinis suscepisset habitum monachalem, termino suæ probationis completo, à diœcesano Episcopo fuit in Subdiaconum ordinatus: sed postmodùm didicit ex relatione quorumdam, quod licèt idem Episcopus aliàs vir esset honestus, multoties tamen commiserat vitium simoniæ, propter quod monachus vehementi dolore turbatus in suscepto formidat ordine ministrare, nolens ab eodem Episcopo ad superiores ordines promoueri: vnde cùm eidem eremum exire non liceat, nec præfatus Episcopus ipsum, vel quemquam alium suæ diœcesis ab Episcopo alio ordinari permittat, postulasti per Sedem Apostolicam edoceri, quid cum præfato monacho in ordine iam suscepto, & suscipiendis superioribus sit agendum. Nos itaque respondemus, quod idem monachus in ordine sic suscepto securè ministret, sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascendat, ne forsan ædificet ad gehennam; licèt ex eo, quod conscientiam nimis habuit scrupulosam, in difficultatem huiusmodi sit collapsus, quam vtique non euadet, nisi deponat errorem.

NOTÆ.

1 a *CArtusiensi.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap 7.* in hac sexta collectione legitur *Cantuariensi*, sed malè, cùm in præsenti agatur de monacho Carthusiensi, & cum Prælato, hoc est Priore Magnæ Carthusiæ loquatur Innocentius: sanctus enim Bruno Doctor Parisiensis Carthusianorum Ordinem instituit in Sabaudia, iuxta ciuitatem Gratianopolim, in loco inaccesso, rupibus vasto, quem Carthusiam vocant; vnde ab eo loco præclarus hic Ordo Carthusianorum dictus fuit, & etiam ab eo eremo, fratres Eremitę dicti fuerunt. P. Venerabilis Cluniacensis Monachus, ibi: *Charissimis, & magnificè honorandis seruis Dei in eremo Christi seruientibus*. Innocentius III. *lib. 2. regestr. 14. epist* 105. vbi Bosquetus. De hoc mentio fit *in c. sicut, de homicidio*. Varia sunt cœnobia, tam in Hispania, Italia, quàm Gallia huius præclarissimi Ordinis, de quibus, & eorum mira sanctimonia plura congesserunt D. Petrus Dulando *in chron. Carthus.* Petrus Sutor *de vitis Carthus.* Baronius *to. 12 annal. anno* 1086. *nu* 13. & anno 1092. *num.* 10 & anno 1101. *n.* 14. Tamaius à Salazar *to. 5. martyrol. die 6. Octobris*, D. Ioseph. de Valles *in fund. Carthus.* Theophilus Raynaud. *tom. 17. tract. de beneuol. in Religiosos, fol.* 409. Beyerlinch *in Theatro vitæ hum. verbo Carthusiensis*.

COMMENTARIVM.

2 QVi scientes Episcopum aliquem simoniacum esse, ab eo ordines petunt, vel non inuiti se ordinari patiuntur, suspensionem incurrunt, *cap si quis à simoniaco, cap. de cætero*, 1. *q.* 1. tum quia Episcopi simoniaci, & ita suspensi, exercitium ordinis dare non possunt, quod non habent: tum ob immanitatem sceleris simoniæ, vt ita terreantur Episcopi, cùm sciant neminem posse ab eis Ordines petere Sed si per ignorantiam quis ab Episcopo simoniaco non simoniacè ordinetur, adhuc eget dispensatione, vt docuit Angelicus Præceptor 2. 2. *q.* 100 *art* 6. *ad* 2. his verbis: *Nec propter præceptum eius, nec etiam propter excommunicationem, debere aliquem recipere ordinem ab Episcopo, quem scit simoniacè promotum; & si ordinetur, non recipere ordinis executionem, etiamsi ignoraret eum esse simoniacum; sed indigere dispensatione, quia nullus debet obedire alicui ad communicandum sibi in facto illicito: ille autem, qui est ipso iure suspensus, & quoad se, & quoad alios illicitè confert ordinem. Vnde nullus debet ipsi communicare recipiendo ab eo quacunque ex causa: si autem ei non constat, non debet peccatum credere alterius; & ita cum bona conscientia debet ab eo ordinem recipere.* Addit tamen: *Si autem Episcopus sit simoniacus aliquo alio modo, quàm per promotionem suam simoniacè factam, potest ab eo ordinem recipere, si sit occultum, quia non est suspensus quoad se ipsum.* Docent Suarez *de censur. disp.* 31. *sect.* 4. Hallier. *de sacris elect. 7. cap. 1. art. 3. §. 3.* Illud tamen valdè olim dubitatum fuit, an subditus à Prælato suo, quem priuatim simoniacum fuisse scit, ordinem recipere possit. Et Hugo Cardinalis *in cap. nos 9 quæst. 9.* affirmauit, posse. Ioannes Andreas, & Bernardus in præsenti textu negarunt, quorum sententia probatur ex hoc textu, vbi Innocentius iubet monacho Carthusiensi, qui gradum Subdiaconatus receperat ab Episcopo, quem postea sciebat simoniacum esse, vt in gradu suscepto ministraret; sed contra conscientiam ad superiores ordines non ascẽdat: & ita olim etiam ob priuatam scientiam simoniæ ab Episcopo commissæ, non licebat ab eo ordines recipere. Verùm quia plura mala inde contingebant ex eo, quod priuata auctoritate liceret ab Episcopo proprio discedere, nec ab eo velle ordines recipere propter suspicionem, aut rumorem simoniæ, vt referunt Surius in vita Sancti Gualberti, die 12 Iul. *cap. 6.* Petrus Damianus *lib. 8. epist. 11. ad Ciues Florentinos*, obtinuit vt post Extrauag. Martini V. *Ad euitanda*, tantùm Episcopum notoriè simoniacum teneatur subditus vitare, vt probat Hallierius suprà, *d. §. 3* nec hodie pręsens textus procedit nec etiã monachus Carthusianus, qui ex priuata tantùm notitia audierat fuisse Episcopum proprium simoniacũ, tenebatur illũ vitare; immò potiùs ab eo ordines recipere valebat. Prosequuntur Hallierius, & Suarez *vbi sup.*

CAPVT XXXV.

Idem a *Cantuar. Archiepiscopo.*

IN tantùm peccatis exigentibus corda quorundam simoniaca prauitas deprauauit, vt in exterminium canonicæ sanctionis, & in elusionem quodam modo diuini iudicij lucris temporalibus inhiantes, ac dicentes in corde suo: Non est Deus, simoniam sub honesto nomine pallient, quasi mutato nomine *b* culpa transferatur, & pœna. Verùm nec Deus secundùm Apostolum irridetur, nec tales Simonis sectatores, etsi temporalem in præsenti forsan pœnam euadant, in futuro tamen pœnam non effugient sempiternam, cùm nec honestas nominis criminis malitiam palliabit, nec vox poterit abolere reatum. Sanè peruenit ad audientiam nostram, quod cùm olim quidam suffraganei tui pro chrismate Ecclesiæ contra *c* canonicas sanctiones certam accipere consueuerint pecuniæ quantitatem, metuentes pœnam canonicam, & correctionem tuam eludere cupientes, tempus faciendæ solutionis anticipent, recipientes in media Quadragesima, quod recipere consueuere post Pascha: & vt causam accipiendi dissimulent, nomen denariorum variant, denarios, quos priùs chrismales, secundò paschales dicebant, consuetudinem mediæ Quadragesimæ nuncupantes. Quidam verò nec tempus solutionis, nec soluendorum nummorum in aliquo

quo variarunt, veterem per omnia consuetudinem imitantes. Quia verò expressiùs exprimit venditionis speciem, qui priùs recipit *d* pretium, quàm rem conferat pretiosam, quamquam tempus recipiendæ mercedis dissimulando distulerit, & dissimulauerit differendo: licèt vtrumque in talibus periculosum sit, vel existat, cùm gratis gratia conferenda sit, ne ipsam contingat & rem, & nomen gratiæ demereri: f. t. per A. s. m. atque districtè præcipimus, quatenus auctoritate nostra fretus, & tua, taliter excessus corrigas supradictos, suffraganeos tuos, & *e* officiales eorum man. præ. per cen. ecc. & sub. ap. ob. à tam illicita exactione compescens, quo ad nos de cætero super hoc querimonia deferri non possit, nec aliorum culpa tibi ob tuæ negligentiæ meritum imputetur ad pœnam: eademque auctoritate suffultus, prauam illam consuetudinem de tua prouincia studeas abolere, per quam pro Ecclesiarum *f* inuestitura, Archidiaconi marcham argenti, minores verò Decani vaccam albam sibi dari postulant, vel certam solui pecuniæ quantitatem. Dat. Later. vi. Kal. Iul.

N O T Æ.

a CAntuariensi.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. de excess. Prælat. cap. 1.* & in epistolis editis à Sirleto, *fol. 337.* Ex quo regestro restituo litteram huius textus. De Cantuariensi Metropoli egi *in cap. 2. de rescript.*

1 b *Culpa transferatur.*] Vt de alijs notaui *in cap. ea 15. hoc tit.*

c *Canonicas sanctiones.*] Congestas suprà *in d. cap. ea*, vbi commentarium huius textus inuenies.

d *Recipit pretium.*] Vnde secundùm leges ciuiles emptor tenetur priùs offerre pretium, quàm venditor rem venditam tradat, *l. Iulianus, §. offerre, ff. de action. empti*; fortiusque ostenditur venditio, quando pretium rei præcedit eius traditionem. Ratio est quia traditio rei potest referri ad plures contractus: sed interuentio pretij solam emptionem respicit. 2

e *Officiales.*] Id est vicarios, vt notaui suprà *in tit. de offic. Vicarij.*

f *Inuestitura.*] Hanc vltimam partem exposui suprà *in c. cùm Ecclesia.*

C A P V T XXXVI.

a Idem.

PEr tuas nobis litteras intimasti, quod cùm D. lator præsentium vellet in Subdiaconum ordinari, & certum titulum non haberet, quendam presbyterum exorauit, vt ipsum ad Ecclesiæ suæ *b* titulum *c* præsentaret: quod cùm ille facere recusaret, ipse illi firmiter repromisit, quod nunquam, si præsentaret eundem, in Ecclesia sua aliquam peteret portionem: & sic ad præsentationem ipsius extitit ordinatus, nec, vt asserit, in hoc se egisse illicitum aliquid intellexit. Vnde cùm postmodum vellet in Diaconum promoueri, Episcopo commonente, ne quis interueniente promissione aliqua ordinatus accederet, idem recordatus promissionis istius, à susceptione ordinis Diaconatus cessauit, hoc tibi humiliter confitens, & per te postulans edoceri, vtrum ex compromissione huiusmodi reus esset, & an liceret eidem in suscepto Subdiaconatus ordine *d* ministrare, & ad ordines ascendere vlteriores: vnde fraternitas tua duxit Ap. Sed. oraculum requirendum. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod nisi cum eo fuerit misericorditer dispensatum, nec ad ordines superiores ascendere, nec in suscepto debet ordine secundùm rigorem canonicum ministrare.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ità etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex.

b *Titulum.*] Id est Ecclesiam, iuxta tradita latè *in c. 4. de præb.*

c *Præsentaret.*] Iuxta morem antiquum, secundum quem Parochus coadiutorem præsentabat, parte sui beneficij illi assignata, vt probaui *in cap. extirpandæ, de Præbend.*

2 d *Ministrare.*] Quia suspensus erat, cùm simoniacè ordinatus esset, non quia absque titulo, seu cum titulo falso promotus fuisset; nam ex eo suspensionem non incurrebat, vt probaui *in cap. 4. de præb.* sed propter pactum initum ipso cum presbytero non petendi portionem aliquam fructuum in ipsa Ecclesia, vt similiter *in c. fin. hoc tit.* eadem suspensio incurritur ab eo, qui pacto conuento promisit se non præstiturum necessaria ab Episcopo ordinante, qui illi de necessarijs prouidere cogebatur, iuxta tradita *in d. cap. 4.* nam cùm iste remiserit quid temporale, videlicet partem fructuum, seu sustentationem sibi debitam, vt spirituale, id est sacrum ordinem, assequeretur, ideò simoniam commisit; nam remittere idem est ac dare: probant in terminis textus *in cap. alia 8. q. 3. cap. veniens, el 2. de testibus*. Faciunt textus *in l. si mulier 10. ff. de condict. caus. dat. l. quin etiam, ff. de calumn.* Docent Vgolinus *de simonia tabul. 4. num. 3.* Quaranta *in summa Bul. verbo Ordo*, Gibalinus *de simon. cap. 16. consect 5* Vnde deducunt Suarez *tom. 1. de relig. lib. 4. de simon. cap. 38 num. 5* Azor *lib. 12 instit. moral. 3 par. cap. 15. quæst. 1.* hanc suspensionem etiam incurrere eum, qui extraneo sibi constituenti patrimonium ad suscipiendos sacros ordines, promittit se nihil vnquam petiturum. Sed contrarium, immò in hoc pacto restituendi patrimonium, aut non petendi ab eo, qui illud ad ordines suscipiendos constituerat, nullam committi simoniam, nec per consequens suspensionem incurrere, docuerunt Nauarrus *ad tit. de temporibus ordin. consil. 17.* Toletus *lib 1 summæ, cap. 48. num. 6.* Castropalao *tract. 17. oper. moral. disput. 3. puncto 3. num. 2.* Garcia *2. part. de benefic. cap. 5. n. 165.* Diana *part. 2. tract. 2 resolut. 5.* Barb. *de potest. Episcopi, alleg. 20. num. 29.* & alij congesti à Gibalino *d. consect. 5.* quia ista constitutio patrimonij non est aliquid spirituale, nec vera præsentatio ad sacros ordines, vt quæ in hoc textu præcessit; vnde non potuit committi simonia, & per consequens nec incurri suspensio, de qua in hoc textu.

C A P V T XXXVII.

a Idem.

COnsulere. *Et infrà*: Quicumque *b* vicedominatum, vel aliam ecclesiasticam administrationem per pecuniam administrare voluerint, tam ementes, quàm vendentes cum Simone mago percelluntur, & ab illa Ecclesia, in cuius contumeliam dare pecuniam, & accipere voluerint, iustè excluduntur.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ità etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 2.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Innocentius, nec inter eius epistolas hucusque excusas textus hic reperitur.

2 b *Vicedominatum.*] Vicedominus accipitur in iure canonico pro ea persona, quam constituit Episcopus pro hospitibus recipiendis, & eleemosynis distribuendis, alijsque rebus Ecclesiæ peragendis; quem si Episcopus non designabat, olim Clerus eligebat, *c. volumus, c. Diaconi 89 dist.* & aliquando iurisdictionem exercebat, vt constat *ex lib. 3. Capitul. Caroli, cap. 26.* ibi: *Mandet Comes, vel Abbati, vel Vicedomino, vel illi quicunque locum Episcopi, vel Abbatis tenuerit, vt reddat ei reum.* Notauit Filesacus *in c. 4. §. 5. de offic. Ordin.* & plura congesserunt P. Gregorius *tit. 9. c. 5.* & *de ecclesiast. hierarch. quæst. 2 proœm. §. 5. num. 13.* & nos suprà *in c. 1. de calumniat.*

COMMENTARIVM.

3 CErtum est, per sacros canones prohiberi venditionem, seu quamlibet alienationem officiorum Ecclesiæ, vt in canone 2. Concilij Chalcedon. *cap. Saluator, 1 quæst. 3.* & in tali venditione non committi simoniam contra ius diuinum, aut naturale, omnes etiam fatentur, vt probat Victoria *in relect. de simon. c. 16 & 17.* Circa Ius ecclesiasticum communis opinio est, simoniam in tali venditione committi, à iure canonico prohibitam, *d. c. Saluator, extrauag. 2. hoc tit.* ibi: *Officijs ecclesiasticis, & quibuslibet beneficijs.* Ita cum alijs docuerunt Suarez *lib. 4. de simonia, c. 29. num. 8.* Sed nuper Gibalinus, qui nullam veram simoniam agnoscit, ex solo iure positiuo asserit in venditione horum officiorum committi peccatū turpis lucri, & quæstus, quod in propria loquutione simonia dicitur. Ita docet Gibalinus *d. q. 20. consect. 13.* & *q. 23. consect. 7.* Sed cùm diuersitas hęc opinionum tantùm consistat in proprietate, vel improprietate simoniæ, parum in his refellendis, vel conciliandis, duxi inhęrendum, cùm expressè in hoc textu, & *in d. c. Saluator*, vt simoniaca improbetur talis venditio. Illud omittendum non est, quod cùm hæc prohibitio sit tantùm iuris positiui, poterit contraria consuetudine introduci huiusmodi venditio, vt pluribus in Ecclesijs inualuit circa conditionem officij Ianitoris, vulgò *Portiguero*, & similem.

C A P V T XXXVIII.

Idem a *in Concilio Lateran.*

SIcut pro certo didicimus, in plerisque locis à plerisque personis quasi columbas in templo vendentibus fiunt exactiones, & extorsiones turpes, & prauæ pro *b* consecrationibus Episcoporum, *c* benedictionibus Abbatum, & ordinibus clericorum: estque taxatum, quantum sit isti, vel illi, quamtumue alteri, vel alij persoluendum: & ad cumulum damnationis maioris, quidam turpitudinem, & prauitatem huiusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore obseruatam. Tantum igitur abolere volentes abusum, *d* consuetudinem huiusmodi, quæ magis dicenda est corruptela, penitus reprobamus, firmiter statuente, vt pro his, siue conferendis, siue *e* collatis, nemo aliquid quoquam prætextu exigere, aut extorquere præsumat: alioquin & qui receperit, & qui dederit huiusmodi pretium omninò damnatum, cum Giezi, & Simone condemnetur.

N O T Æ.

1 a LAteranensi] Generali videlicet celebrato sub Innocent. III. vbi *c. 64.* reperitur textus hic, & canonem hunc confirmauit Honor. III. *in c. 2. hoc tit. in 5. collect.* vbi ita scribit: *Cupiditati quorundam, qui quasi columbas in templo vendentes facere solent exactiones, & extorsiones turpes, & prauas pro consecrationibus Episcoporum, benedictionibus Abbatum, & ordinationibus clericorū, prauitatem huiusmodi intendendo defendere per consuetudinem longo tempore obseruatam, tam in Lateranensi, quàm in generali Concilio fuit salubriter obuiatum, consuetudine huiusmodi, quæ corruptela magis dicenda est, penitus reprobata, & statuto, vt nemo pro his, siue conferendis, siue collatis, aliquid quocunque prætextu exigere, aut extorquere præsumat. Nos igitur vtriusque Concilij constitutionibus inhærentes, auctoritate præsentium firmiter inhibemus, ne quis pro benedictione, siue installatione Abbatum, qui ad monasterij vestri regimen fuerint assumendi, præsumat aliquid à vobis exigere, aut prætextu cuiusquam consuetudinis extorquere: vobis nihilominus indulgentes, ne quid inuiti ob causas dare teneamini supradictas.*

b *Consecrationibus.*] De quibus egi *in c. 1. hoc tit.*

c *Benedictionibus.*] De quibus agemus infrà *in cap. ne Dei Ecclesia.*

d *Consuetudinem.*] Textum hunc exposui, & commentarium dedi suprà *in cap. ad nostram.*

e *Collatis.*] Dummodo quæ postea dantur, non gratuitò dentur; nam gratuitam donationem approbauit 2
Gregorius *in c. 1. hoc tit.* vbi notaui.

C A P V T XXXIX.

Idem *in* a *eodem.*

QVoniam simoniaca labes plerasque moniales infecit, vt vix aliquas sine pretio recipiant in sorores, *b* paupertatis prætextu, volentes huiusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat, penitus prohibemus, statuentes vt quicumque de cætero talem commiserit prauitatem, tam recipiens, quàm recepta, siue sit subdita, siue prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendam *c* perpetuam pœnitentiam retrudenda. De his autem, quæ ante hoc Synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus prouidendum, vt remotæ de monasterijs, quæ perperam sunt ingressæ, in alijs locis eiusdem Ordinis collocentur. Quod si fortè propter nimiam multitudinem alibi nequiuerint commodè collocari, ne damnabiliter in sæculo vagentur, recipiantur in eisdem monasterijs dispensatiuè de nouo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis. Hoc etiam circa monachos, vel alios regulares decernimus obseruandum. Verùm ne per simplicitatem, vel ignorantiam se valeant excusare, præcipimus vt diœcesani Episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœc. publicari.

N O T Æ.

1 a EOdem.] Lateranensi videlicet Generali, vbi *c. 65.* reperitur textus hic, necnon in quarta collectione, *sub hoc tit. cap 4.*

2 b *Paupertatis prætextu.*] Et ita paupertas erat affectata, non vera; nam si vera esset, pro sustentatione ipsius aliquid monasterium exigere valebat, vt probaui *in c. veniens, hoc tit.* vbi commentarium dedi.

c *Perpetuam pœnitentiam.*] Quæ detrusio propria fuit 3
clericorum, & monachorum, vt probat Gibalinus *de clausur. regul. disq. 3. cap. 2.* & de ea nonnulla adduxi in *cap. 1. regul.*

C A-

CAPVT XL.

a Idem *in eodem.*

AVdiuimus de quibusdam Episcopis, quod decedentibus Ecclesiarum Rectoribus ipsas interdicto *b* subijciunt, nec patiuntur alios in eisdem *c* institui, donec ipsis certa summa pecuniæ *d* persoluatur. Præterea cùm *e* miles, aut clericus domum Religionis *f* ingreditur, aut apud Religiosos eligit sepulturam, etiamsi nihil religioso loco reliquerit, difficultates ingerunt, & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Cùm igitur non solùm à malo, sed etiam ab omni specie mali sit secundùm *g* Apostolum abstinendum, exactiones huiusmodi penitus inhibemus: quod si quis transgressor extiterit, exacta *h* duplicata restituat, in vtilitates locorum, in quorum fuerint dispendium soluta, fideliter conuertenda.

NOTÆ.

1 a EOdem.] Lateranensi videlicet generali sub Innocentio III. vbi *c.66.* reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.5.*

2 b *Subijciunt.*] Quod facere non poterant, tum quia pro causa ciuili non debet Ecclesia interdicto subijci, *c.3. de pęnis:* tum ne impediatur Sacramentorum administratio.

c *Institui.*] Aut per se, aut corporaliter per Archidiaconum, vt *in cap. ex frequentibus, de institut.* diximus.

d *Persoluantur.*] Contra tradita suprà *in cap. cùm in Ecclesia.*

3 e *Miles, aut clericus.*] De milite ideò in præsenti specialiter agitur, quia militibus olim prohibitum erat monasterium ingredi, nisi priùs probata eorum vita fuisset ab Episcopo, *c. legem, 53. dist.* De clerico etiam, quia Episcopo videbatur bona ab eo intuitu Ecclesię acquisita esse illi relinquenda priùs quàm vitam monasticam profiteretur, *c.1. 18. q.1.*

f *Ingreditur.*] Similem abusum in Parocho improbauit Honorius III. *in c.2. de regul. in 5. compil.*

g *Apostolum.*] *1. ad Thessalon. c.5.*

h *Duplicata.*] Sed tunc obstat textus *in cap. de hoc, tit.* vbi tantùm pretium simoniacè acceptum restituitur absque alio simplo: ergo non rectè in præsenti duplicatum pretium restitui iubetur. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est cum Binsfeldio *in præsenti*, textum *in d. cap. de hoc iure*, & similes procedere, quando ex mutua conuentione dantis, & accipientis pretium simoniacè intercessit; in præsenti verò textu agitur, quando non ex voluntate dantis pretium, sed à superiore per extorsionem, & concussionem exactum fuit, quia tunc in pęnam similis extorsionis duplicatum pretiũ restituit. 4

CAPVT XLI.

Idem a *in eodem.*

AD Ap. n. aud. frequenti relatione peruenit, quod quidam clerici pro *b* exequijs mortuorum, & *c* benedictione nubentium, & similibus pecuniam exigunt, & extorquent; & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt: è cõtra verò, quod laici laudabilem consuetudinem erga sanctam Ecclesiam pia deuotione fidelium introductam ex fermento hæreticæ prauitatis nituntur infringere sub prętextu canonicæ pietatis. Quapropter has prauas exactiones fieri prohibemus, & pias *d* consuetudines præcipimus obseruari, statuentes, vt liberè conferantur ecclesiastica *e* sacramenta: sed per Episcopum loci, veritate cognita, compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

NOTÆ.

1 a EOdem.] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. vbi *c.67.* reperiuntur verba in præsenti relata, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.6.*

b *Exequijs mortuorum.*] De quibus egi *in cap. suam, hoc tit.* vbi commentarium huius partis dedi.

c *Benedictionibus.*] De quibus plura adduxi *in cap.1. de secund. nupt.*

d *Pias consuetudines.*] Hæc verba exposui suprà *in cap. cùm in Ecclesia.*

2 e *Sacramenta.*] Si referas ad exequias mortuorum, & benedictiones nuptiarum, de quibus proximè egerant Patres, dictio *Sacramenta*, ponitur pro sacramentalibus, vt iam notaui *in d. cap. cùm in Ecclesia.* Si verò accipias pro alijs Sacramentis, verum est pro nullo ex eis pecuniam exigi posse, vt de Baptismo cauetur *in can 48. Concilij Illiber.* ibi: *Emendari placuit, vt qui baptizantur, nummos in choncam non mittant:* vbi notaui, *de confirmat.* probaui *in cap. ea 15. hoc tit.* de Pœnitentia *in nemo, hoc tit.* de Eucharistia *in can.23.6. Synodi*, relato *in cap. nullus, 1. q.1.* ibi: *Vt nullus, siue Episcopus, siue Presbyter, siue Diaconus, immaculatam præbens communionem, ab eo qui communicat, eius participationis gratia obolos, vel quamuis aliam speciem exigat.* De Ordine *in c.1. hoc tit.* de Matrimonio *in cap. suam, hoc tit.* & latè docent Vgolinus, Redoanus, & Gibalinus *in tract. de simon.*

CAPVT XLII.

Vniuersis Abbatibus, & Fratrib. a *Cisterciens. Ordinis.*

NE Dei Ecclesiam, quam lauit proprio sanguine Iesus Christus, macula fœditatis coinquinet, ruga duplicitatis deformet, cupiditatis spurcitia, omnium malorum radix, & venalitatis deformitas, quasi ruga sub consuetudinis prætextu contracta, eliminandæ sunt pœnitus ab eadem, vt dispensatio mysteriorum Dei, & ipsa mysteria gratis accepta, Giezitica prauitate prorsus abolita, charitate gratuita conferantur, quæ vendere, seu emere, quàm detestabile, quamue periculosum existat, liquidò perpendi potest ex eo, quod Dominus vendentes, & ementes oues, & boues eiecit de templo, & cathedras vendentium columbas euertit. In eiectione denique vendentium, & ementium facinoris inquinantis vtrumque exprimitur detestatio, & in cathedrarum euersione monstratur, cui pœnæ subiaceant hi, qui præsunt, vendentes Dei dona, & Ecclesiæ sacramenta. Vt igitur

tur huiusmodi facinus, quod quos coinquinat, æquat, Prælatos, & subditos non possit inficere quoquo modo, auctoritate Apostolica districtiùs inhibemus, ne quis Archiepiscopus, vel Episcopus Archidiaconi, vel *b* Officiales ipsorum à quoquam in Abbatem electo, pro *c* benedictione, seu *d* installatione, vel recipienda professione ab eo, sub consuetudinis prætextu cuiusquam *e* palefridum, seu aliud quidquam, quocumque nomine censeatur, exigere, vel extorquere præsumant, vobisque sub prętextu huiusmodi exacta taliter ne prętetis interdicimus, cùm non solùm à malo, sed à mali sit specie abstinendum. Installationis quoque solemnitates fieri prohibentes adijcimus, vt Archiepiscopi, & Episcopi ea sint *f* forma professionis contenti, quæ ab origine vestri Ordinis noscitur instituta, cuius tenorem ad maiorem euidentiam huic nostræ paginæ duximus inserendum: Ego frater Abbas Cisterciensis Ordinis, subiectionem, reuerentiam, & obedientiam à sanctis Patribus constitutam secundùm regulam sancti Benedicti, tibi Domine Episcope, tuisque successoribus canonicè substituendis, & sanctæ Sedi, saluo Ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.

NOTÆ.

1 a *Cisterciensis*.] Ità restituo inscriptionem, & litteram huius textus ex quinta collectione Honorij III. edita à Cironio, vbi *sub hoc tit. cap.* 1. reperitur textus hic, ex Manrique *tom.* 4 *annal. Cisterc. anno* 1224. *c.* 5. vbi huius textus historiam, & litteram refert: cùm enim temporibus Honorij III. Episcopi, Archidiaconique renuerent Abbates Cisterciensis Ordinis installare, nisi priùs equum sibi darent; necnon in obedientia à prędictis Abbatibus præstanda, verba illa, *saluo Ordine suo*, esse reijcienda intenderent, cùm inutilis quodammodo redderetur promissio obedientiæ, conquestus fuit Iacobus Abbas Cisterc. de prædictis duobus excessibus coram Honorio, qui vt hæc noua grauamina à monachis Cisterciensibus tolleret, præsentem edidit constitutionem, & similem circa Ordinem Præmonstratensium edidit Innoc. III. *lib.* 1. *epist. in edit. Coloniæ, fol* 92 in hæc verba: *Significarunt nobis dilecti filij N. Abbas, & Fratres Præmonstraten. quod cùm dilectus filius Hugo de Petraponte Archidiaconus Laudonen. in promotione ipsius Abbatis palefridum ab eo obtentu cuiusdam prauę consuetudinis exegisset, quia super hoc ei acquiescere recusauit, conuersum quemdam ipsius de equitatura, cui insidebat, deponere, & eam secum abducere per violentiam non expauit. Vnde nos eidem Archidiacono per litteras nostras mandauimus, vt similia de cætero non præsumat, immò de hoc ipso eidem Abbati satisfactionem exhibeat competentem. Ideòque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si dictus Archidiaconus ea, quæ præmissa sunt, adimplere noluerit, tam eum, quàm alios, qui pro benedicendis, installandis, vel deducendis ad Sedem, tam Abbatibus, quàm alijs ecclesiasticis personis, palefridum, vel aliud exigere, vel extorquere præsumpserint in posterum, vel hactenus præsumpserunt, nisi ad commonitionem vestram à sua præsumptione destiterint, & de perceptis taliter satisfecerint competenter, excommunicationis censura, appellatione postposita percellatis, & sicut excommunicatos faciatis ab omnibus artiùs euitari. Quod si non omnes, duo vestrum, &c.* Datum Romæ, &c. IV. Idus Maij. Et Abbati sancti Maglorij Parisiensis *lib.* 3. *regestr.* 14. *epist.* 143. super eadem re ita rescribit: *Cùm ex iniuncto nobis Apostolatus officio Ecclesiarum omnium solicitudinem gerere teneamur, ea corrigere nos oportet, quæ interdum contra sacrorum canonum sanctiones in eis per ipsarum ministros improuidè attentantur. Sanè ad audientiam nostram vobis referentibus est delatum, quod cùm Abbatem vestrum contingit de nouo in sede, prout moris est, collocari, Archidiaconus Parisien. pro installatione ipsius centum solidos Parisien. monetæ à vobis nititur extorquere: huiusmodi exactionem in ius annuum conuertendo. Quia igitur talis exactio est rationi contraria, & Sanctorum Patrum institutionibus inimica, ne id de cætero attentetur, auctoritate præsentium districtiùs inhibemus. Nulli ergo, &c.* vsque, *nostræ inhibitionis infringere, &c. Datum Later. III. Non. Octob. Pont. N. anno XIV.* De Ordine Cisterc. nonnulla adduximus *in c.* 6 *de rescript.*

b *Officiales*.] Id est vicarij, vt probaui *in c.* 1. *de offic. vicar.*

c *Benedictione*.] De qua egi *in c.* 1. *de supplend.*

2 d *Installatione*.] Stallus est locus cuiusque clerici, aut religiosi in choro. Cæsar *lib.* 1. *hist. memorab. c.* 6. ibi: *Intrauit chorum stante Priore in stallo suo.* Et *lib.* 5. *c.* 5. *In nocte verò sancti Cuniberti, cùm staret in choro Abbatis, tunc simplex monachus vidit intra Presbyterium duos dæmones intrare, & paulatim ascendere ad stallum Abbatis.* Et paulò post. *Dominus Eustachius, & Prior Hermanus, qui hæc videre, à stallis suis semoti.* Matthæus Parisius in Henrico III. ad annum 1056. ibi: *Clanculò intrantes inquisiuerunt à quodam ibidem orante, quodnam esset stallum Decani.* Et in vita Ioannis XXIII. Abbatis sancti Albani: *Consueuerat namque in duplicibus festis chorum mitratus tenere, & reliquis diebus in stallo suo stans chorum regere, & omnia alacriter cantare.* Innoc. III. *lib.* 4. *epist.* 1. ibi: *Ipse ante confirmationem obtentam stallum Præpositi sibi vsurpauit.* Illustrant Vossius *de vit. serm. lib.* 2. *c.* 17. Zerda *in aduers. c.* 44. & notauimus *in cap. eam te* 7. *de rescript.* Vnde installare accipitur pro ponere in sede, & corporaliter inuestire, seu in possessionem mittere, quæ installatio inthronizatio dicitur à Iustiniano *in nouell.* 123. *c.* 3.

e *Palefridum*.] Idem de Præmonstratensibus cauit Innocent. III. *lib.* 1. *epist.* 198. & 328. Palefredus, & Palefridus corrupta sunt ex *Parauerédus*; & ita à Parauerédis Palefredum deduci docuit Cuiac. *ad tit. C. de cursu publico*. Veredarij erant equi minores, qui cursui publico destinabantur, & velociores. Parauedarij verò, erant equi maiores, & agminales, *leg. vlt. C. de cursu publico, leg.* 50. *C. Theodos. eod. tit.* De his veredis, & veredarijs, qui eis insidebant, agitur *cap.* 8. *Esther*, ibi: *Egressi sunt veredarij celeres nuntios præferentes.* Cassiodorus *lib.* 5 *epist.* 11. ibi: *Si possessores parauaeredorum assiduitate suggerunt esse fatigatos, vt equorum nimio cursu atterantur.* Ausonius *ad Paulinum:*

Vel celerem manum, vel ruptum terga veredum
Conscendas, propera, dummodo iam venias.

Martialis *lib.* 14. *epig* 86.

Stragula succincti venator sume veredi.

Plura de his Salmut. *ad Pancirolam lib.* 2. *memorab. c.* 16. Bulengerus *lib.* 3. *de Imper. c.* 20. & 21. Lipsius *lib.* 2. *de militia, dialog.* 12. & *lib.* 3. *dialog* 7. ab his Parauerédis dictos fuisse equos Palefredos, quos nos vulgò dicimus *Palefrenes*, docuit Cironius *in præsenti*, qua voce vsi sunt Vuillelmus Tyrius *lib.* 13. *belli sacri, c.* 27. *Miserat prædicto nobili viro per quemdam familiarem suum palefredum albissimum, argento ferratum, freno, & cæteris argenteis faleris redimitum, examito coopertum albissimo, vt in omnibus candor niueus consonaret.* Radericus Frisingensis *lib.* 3. *c.* 26. *Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido, sine scuto, & armis, si quis eum læserit, pacis violator iudicabitur.* Cæsarius *lib.* 12. *miracul. c.* 12. *Hic cùm die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum, seruum suum ad diuersa loca misit ad inuestigandum illum.* Matthæus Parisius *anno* 1290. ibi: *Cepit de singulis ciuitatibus Angliæ duos palefridos, & totidem sumarios.* Et alij relati à Vossio *de vitijs serm. lib.* 3. *c.* 31. Lindembrog. *in Glossario, verbo Palefredus*, Bosqueto *ad Innoc. III. lib.* 2. *epist.* 42.

f *Forma professionis*.] Reuerentiam Episcopo debent omnes Abbates ipsius diœcesis: & ideò vel ante, vel post benedictionem eam præstare debent. Concil. Emerit. *can.* 11. olim fiebat charta ipsa professionis super altare imposita. Innoc. III. *lib.* 1 *regestr.* 3. *epist.* 57. ibi: *Professione huiusmodi super altari oblata.* Gofridus Vindocin. *opusc.* 10. ibi: *Est à lingua* (scilicet simonia) *cùm publicè recitatur illa promissio: fit à manu, quando charta, qua continetur scripta, ponitur super altare.* Iuxta veterem morem, quem illustraui *in c.* 2. *de consuet.* Sed circa modum præstandi ipsam professionem Episcopi varios excessus committebant, dum maiorem obedientiam cum alijs sibi iure non debitis exigebant, vt conqueritur Gofridus Vindocinensis *epist.* 205. his verbis: *Sunt quidam Episcopi, qui pro benedictionibus Abbatum sub nomine professionis ab eis exigunt, quod est christianæ professioni valdè contrarium. Nam cùm professio alia in diuina laude fit, alia pro*

pecca-

peccatorum depositione: ista Dei laudem non facit, sed minuit; nec deponit peccata, sed apponit. Nec sacræ fidei professio recto nomine dicitur, sed exceranda promissio, quæ claues Ecclesiæ agitare, & vnicum, ac singulare eius ostium violare conatur. Ita neque veritate, neque auctoritate inuenta, sed consuetudine, & hominum cupiditate reperta, triplici genere simoniæ contra sanctam Ecclesiam iaculatur; quoniã simonia à lingua, simonia à manu, simonia ab obsequio ibi committitur. Est à lingua, cùm publicè recitatur illa promissio: fit à manu, quando charta, qua continetur scripta, ponitur super altare: fit ab obsequio, cùm ipsum malè promissum subiectionis obsequium seruatur. Qui sic agit, forsitan dicit: Pro benedictione non quæro pecuniam. Immò satis amplius exigit, quia hominis personam. Sicut anima plus est quàm corpus, ita corpus simul, & anima, tota videlicet hominis persona, multò plus est, quàm eius pecunia. Diuina lege, & manifesta ratione probatur, quia benedictio minimè datur gratis, quam præcedit Abbatis illa proscriptio, vt quod desiderat, assequatur. Non enim faceret illã, si repulsam non pateretur. Illud etiam quod bonum est, fit perniciosum, cùm promittitur; nam benè, vel malè suscipitur. Nam pecunia, quã Simon Magus obtulit Petro, bona quidem erat, sed quia malè obtulit illam, damnatus à Petro prædicatur; & ideò nec euangelica, nec canonica, sed nauicularia est illa, quæ dicitur benedictio, quam quæ falso nomine vocatur professio, præcedit, siue subsequitur. Ibi venditur simul & emitur primũ Ecclesiæ sacramentũ. Christus etenim primus hoc sacramentum per semetipsum fecit, consecrationem scilicet Apostolorum. Et paulò post sequitur: *Caueant igitur Episcopi, & Abbates, qui ideò dicuntur Christi vicarij, quoniam Christi creduntur agere vices, ne contra Christi auctoritatem, qui gratis tribuit, & eius vocem, qui gratis dari monet & præcipit, cupiditatum consuetudinem sequantur, qua fides, Ecclesiæ libertas, & castitas simul corrumpitur. Non mediocriter vtique delinquit Episcopus, nisi gratis dederit; & Abbas, nisi gratis acceperit, similiter peccat, quia facientẽ, & obsequentem par pœna constringit; & facinus, quos inquinat, æquat.* Refert Iuretus *in notis ad epist. 195. Carnotensis*. Quare Honorius III. in præsenti præscribit formam sub qua Abbates Cistercienses Ordinis professionem Episcopis suis facere debeant. Et Abbates exempti benedictionem quidem ab Episcopo suo recipere debebant, nõ tamen ei professionem obediẽtiæ facere; nam professio, quam Iuo Carnotensis exegerat à Gofrido Abbate Vindocinensi inter ordinationis eius solemnia, cassata fuit ab Vrbano II. vt scribit idẽ Gofrid. *lib. 2. epist. 27.* Vnde constat, præsentẽ Honorij constitutionẽ compilatã fuisse sub hoc titulo, non solùm quia ex simoniaca prauitate Archidiaconi palefridum ab Abbatibus pro eorum installatione extorquebant; verùm & quia Episcopi simoniam committebant exigendo ab eis maiorẽ obedientiam, quàm de iure præstare tenebantur: quo casu simoniã committi, notauimus *in c. ex diligenti*.

C A P V T XLIII.

Gregorius IX. *Priori Sancti Thomæ* a *Esculanen.*

IAcobus canonicus Esculan. exposuit, quod cùm ipse in Ecclesia *b* Aprutin. sit receptus in Canonicum & in fratrem, Canonici eiusdem Ecclesiæ partem prouentuum, ac præbendam sibi assignare recusant, quandam consuetudinem prætendentes, quòd prandium habere debeant à Canonico recepto de nouo. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, dictos Canonicos, vt tali consuetudine non obstante, sibi sicut vni ex alijs in prouentibus & præbenda prouideant, appellatione remota compellas.

N O T Æ.

a *Esculan.*]Seu Asculan. nam Asculanum, seu Esculum dicitur ciuitas Italiæ, de qua, & eius diœcesi egimus *in c. 8 ne clerici vel monach.*

1 b *Aprutin.*]Interamna ciuitas est Italiæ in Picenatibus posita, quam hodie vulgò Teramum dicimus, secus fauces Tordini fluminis; quæ cùm à tribus fluminibus alluatur, Interamna nomen inuenit, quasi inter tres amnes sita: quod ipsum nomen vulgus etiam, sed corruptè retinuit. Est caput totius Aprutinæ prouinciæ. Quare ipsius Præsul, non Interamnæ, sed Aprutinensis denominatur Episcopus, qui nullius Metropolitani reueretur arbitrium, sed tantùm Romani Pontificis proximè fasces adorat, vt tradit alia congerens de ipsius diœcesis origine, & Præsulibus Vghellius *to. 1. Ital. sacræ, fol. 388.*

COMMENTARIVM.

2 INter alias consuetudines simoniacam labem redolentes, præcipua fuit olim consuetudo præstandi conuiuia pro electionibus, & consecrationibus Episcoporum, seu similium Prælatorum; quam redarguit Sidonius *lib. 4. epist. 25* & grauiter reprehendunt PP. Synodi Carthag. 3. *can. 42.* ibi: *Conuiuijs sibi conciliantes plebem, vt persuasu maligno, & illicito eosdem velint collocare Rectores.* Extant huius moris vestigia apud Gregor. Turon. *de vitis Patrũ c. 6.* dum refert, quod cùm Aruerni ad Theodoricum Regem munera ferentes Episcopum ab eo expetituri venissent, Rex ipsis redire iussis, sanctum Gallum Episcopũ futurum eis destinauit, iussitque vt ordinaretur in Presbyterum, & datis de publico expensis, ciues inuitarentur ad epulum, & lætarentur ob honorem Galli Episcopi. Quod cùm ita factum esset, is referre solitus erat, se non amplius donasse pro Episcopatu, quàm vnum trientem coquo, qui id prandium parauerat. Et apud Surium *die 18. Iulij, in vita sancti Friderici Traiectensis Episcopi*, refertur de eo, quod die, quo in Antistitem inauguratus fuit, celebre conuiuium omni Clero, Nobilibus item, & ignobilibus à Ludouico Pio datum fuit. Similem morẽ in nouiter ordinatis Concil. Palentinum improbat *tit. de simonia*, his verbis: *Quorundam clericorum, & laicorum abusum, qui clericos de nouo promotos non permittunt in suis ordinibus ministrare priùs, quàm eis adhibeant per vnũ, aut plures dies prandia, & conuiuia sumptuosa, vel certam præparent quantitatem pecuniæ, extirpare volentes, statuimus vt cùm clerici, qui ad titulum alicuius Ecclesiæ ad Subdiaconatus, Diaconatus, aut Presbyteratus ordines sunt promoti, nouiter celebrare voluerint, vt clerici illius Ecclesiæ eos liberè admittant, & eis ad celebrandum ministrent Ecclesiæ paramenta, celebrationi ipsorum charitatiuè & amicabiliter assistentes, eisdem etiam secundùm quod ordo ipsorum exegerit, portionem integraliter conferant, & assignent.* Et consuetudinem accipiendi scyphum à nouo Canonico improbauit Honorius III cuius verba dedimus suprà *in cap. sicut 39* quæ prandia simoniæ notam, ac criminationem continent, si largitione ista eligentiũ suffragia ambiuntur, hominum voluntates conciliantur, & suffragia quæruntur, cùm virtute, non pecunia; litteris, non pretio, dignitates ecclesiasticæ promerendæ sint. Sic Cato Vticensis apud Ciceronem *in oratione pro Murena*, ex Stoicorum sententia negauit licere Magistratui candidato conuiuijs, alijsque oblectamentis populum inescare. Quare rectẽ Gregorius IX in præsenti talem consuetudinem, vt simoniacam labem redolentem condemnauit: quam etiam in prandijs præstandis ab ingredientibus monasterium condemnauit Vrbanus V. *in extrauag. Sanè, hoc tit.* inter communes Notauit Hallierius *de sacris elect. sect. 7. cap. 2. art. 2. §. 2.*

C A P V T XLIV.

a Idem.

SI quis ordinauerit, seu ad ordinem præsentauerit aliquem, promissionem, vel iuramentum ab illo recipiens, quod super prouisione sua non inquietet eundem, ordinator à collatione,

tione, præſentator verò ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine ſic ſuſcepto, donec diſpenſationem ſuper hoc per Sedem Apoſtolicam obtinere meruerint, nouerint ſe ſuſpenſos.

NOTÆ.

1 a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui in præſenti non ſolùm confirmat Innocentij conſtitutionem relatam *in cap. per tuas, el 3. hoc tit.* verùm & auget, ita vt non ſolùm præſentator, de quo agebatur *in d. c. per tuas;* verùm & ordinatus, qui cum Epiſcopo pactum fecit de non petendis ab eo alimentis, quæ ex iuris diſpoſitione Epiſcopus illi ſine titulo ordinato præſtare tenetur, ex traditis *in cap 4. de præbend.* ſuſpenſionem incurrat, & ſimiliter ordinator per triennium ab Ordinum collatione ſuſpenditur, à qua ſuſpenſione nec ordinatum excuſat ignorantia, niſi fuerit inuincibilis, & inculpabilis, vt docent Suarez *de cenſur. diſp. 31 ſect. 1. num. 33.* Hurtado *in diſp. de ſuſpenſione, difficult. 13. num 37.* Conioch, & Caſtropalao, quos ſequitur Gibalinus *de cenſur. in ſynopſi, littera O, num. 11* Rationem huius deciſionis aſſignauimus *in d cap. per tuas.*

CAPVT XLV.

a Idem.

MAndato noſtro recepto, vt cum monachis, qui per ſimoniam dato aliquo locum in monaſterijs ſunt adepti, ſecundùm conſtitutionem Generalis b Concilij diſpenſares. *Et infra:* Conſult t. breuiter reſpondentes dicimus, mandatum Apoſtolicum, etiam ad c Abbates extendi, & propter reſignationes ſpiritualium, & temporalium, quæ nullo pacto, ſed affectu animi præcedente vtrimque taliter acquiruntur (in quo caſu delinquentibus ſufficit per ſolam pœnitentiam ſuo ſatisfacere Creatori,) eos pro ſimonia huiuſmodi non teneri.

NOTÆ.

a IDem] Gregorius IX. videlicet: cui autem Prælato reſcribat, non conſtat; & cùm eius epiſtolis careamus, agnoſcere non poſſumus de quo monaſterio in præſenti agatur.

b *Concilij.* [Relati ſuprà *in cap. quoniam,* vbi de ſimonia admiſſa in ingreſſu Religionis egimus.

1 c *Abbates.*] Quia in fauorabilibus, & materia proportionabili Abbas comprehenditur appellatione monachorum, niſi aliud ex loquentis mente conijciatur, vt probant Sanchez *tom. 2. ſummæ, lib. 6. cap. 8 num* 84. Valenzuela *conſil. 74. n. 79* quia Abbas per promotionem ad Abbatiam non deſinit eſſe monachus, nec per ipſius dignitatis aſſequutionem debet eſſe peioris conditionis, quàm ſunt cæteri monachi; cùm dignitatis proprium ſit augere ſtatum, non verò illum in deterius mutare, vt docent Tamburinus *tom. 1. de iure Abbat. diſp. 16. quæſt. 3.*

COMMENTARIVM.

2 *Diuiſio ſimoniæ.* SImonia communiter diuiditur à Doctoribus in mentalem, conuentionalem, & realem, vt explicant Nauarrus *in manuali, cap. 23. num.* 103. Caietanus, Sylueſter, & cæteri Summiſtæ *verbo Simonia*, Redoanus *de ſimonia, 1. p.* Aragon *ad D. Thom. 2. 2. quæſt.* 100. *art. 6.* D. Ioannes Vela *de pœnis & delictis, cap. 32 verſ. Eſt enim,* Tiberius Decianus *tom. 1. tract. crimin. lib. 5. c* 82. Gibalinus *de ſimonia quæſt* 1. *num.* 2. De prima in præſenti agendum eſt. Et quidem ſimonia mentalis non dicitur ea, quæ ſola voluntate, aut propoſito committendi ſimoniã perficitur, ſicut voluntas fornicandi, aut furandi ſolet dici mentalis fornicatio, aut furtum; nam omnis ſimonia debet continere externum aliquem actum, aliquamque dationem, ſeu acceptionem per modum pactionis, vt conſtat ex definitione, quam illoſtrauimus ſuprà *in c.* 1. Mentalis ergo ſimonia eſt datio, vel acceptio ſpiritualis pro temporali, tanquam pretio, abſque vllo pacto tacito, vel expreſſo, ita vt ea praua intentio dantis, vel accipientis, neque ex ipſo opere externo, nec ex eius circumſtantijs vllo modo ſe prodat, cùm opus ipſum ſit aliquid indifferens. & poſſit bono, aut prauo animo fieri, accipiatque totam ſuam turpitudinem ex intentione ſimoniaca, vt contingit in alijs actibus indifferentibus, qui à ſola intentione peculiarem malitiam ſortiuntur. vt contingit in eo, qui accipit ſtipendium pro dicenda Miſſa, tanquã ipſius pretium: qui dat rem ſpiritualem, vt accipiat aliquid temporale in eius compenſationem, eſt ſimoniacus mentalis. Et hæc ſimonia nonnunquam datur ex parte dantis tantùm, aliquando ſolùm ex parte accipientis, plerunque autem ex parte vtriuſque, cùm videlicet vterque eam prauam intentionem habet nullo pacto ſolito. Simoniæ mentalis exemplum extat *in c. tua nos, de ſimonia*, vbi clericus qui dedit bona ſua vt reciperetur in Canonicum abſque vllo pacto, ea tamen intentione, vt per bona temporalia ſpirituale officium aſſequeretur, apud diſtrictum Iudicem culpabilis iudicatur.

3 Quibus ſuppoſitis, vt ad præſentem textum accedamus, ſciendum eſt, valdè controuerſum eſſe, an ſimoniacus hic mentalis teneatur ad reſtitutionem rei, ſeu pretij cum intentione ſimoniaca accepti? Et eo caſu teneri ad reſtitutionem, docuerunt Medina *de reſtit. c. de vſurarum reſtitutione*, Soto *lib. 9. de iuſtitia, q. 8. art. 2. in ſolut. ad 6.* Hadrianus *quodlibet. 9.* Ioannes Maior *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 7.* Armachanus *lib. 10. c. 23.* Henricus à Gandauo *quodlib. 9. q. 26.* moti ex textu *in c. conſuluit, de vſur.* vbi docetur, vſurarium mentalem ad reſtitutionem teneri. Igitur ſimiliter & ſimoniacus mentalis. Deinde quia cùm iure naturali, & diuino ſimonia prohibita ſit, eodem iure videtur prohibita dominij translatio, vt probarunt Innocentius, & Hoſtienſis *in c. tua nos, hoc tit.* & quando tam dare, quàm accipere aliquid temporale eſt iniuſtum, non poteſt ſic acquiſitum in foro conſcientiæ retineri. Contrariam tamen ſententiã probant Sanctus Thomas 2. 2. *q. 100. art. 5 & 6* Caietanus *in ſumma, verbo Simonia*, Nauarrus *in manuali, c. 23. n.* 103. Palacios *de contract. lib. 2. c. 9.* Redoanus *de ſimon. p. 4 c. 8. n* 28. Binsfeldius *in præſenti,* Gibalinus *de ſimon. quæſt. 23. conſectar.* 12. pro quibus faciunt textus præſens, & *in c. tua nos, hoc tit.* ibi. *Quia nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo iudicare.* Et *l. 5. tit* 17. *p. 1.* In qua opinionum varietate dicendum eſt cum Suarez *tom. 1 de relig lib. 4. de ſimon. c. 59. n. 43.* Bonacina *de ſimon. q 7. punct. 2. diffic. 1. n.* 23. Gibalino *de ſimon d. conſectar.* 12. ſimoniacum mentalem non obligari ex ſolo iure eccleſiaſtico ad reſtitutionem, quia Eccleſia de his actibus occultis non iudicat, *d. c. tua nos, c. ſicut, hoc tit* Ex diuino autem iure obligatur ad reſtitutionem pretij ſimoniacè accepti, quoties in eo fuit violata iuſtitia commutatiua, eodẽ prorſus modo, atque obligat ſimonia realis, quando præter ſacrilegij prauitatem iniuſtitiæ malitiam continet Ratio perſpicua eſt, quia æquè tunc in ſimonia mentali violatur iuſtitia, atque in reali Ergo æqualis eſt in vtraque obligatio reſtituendi, ſiquidem vnica ratio obligationis ad reſtitutionem eſt iniuſtitia, & inæqualitas, quæ reparanda eſt Quamuis autem ea iniuſtitia, occulta, aut manifeſta ſit, lateat in animo, aut exteriùs ſe prodat; ſi tamen re ipſa committitur, & actu fit alteri iniuria, interceditque inæqualitas, eadem ratione ſimoniacus mentalis ac expreſſus tenetur ex iure diuino, & ex natura rei ad reſtitutionem; non tamen ſubiacebit pœnis à iure poſitiuo ſtatutis.

4 *Exponitur cap. conſuluit, de vſuris.* Sed in inquirendo diſcrimine, quare videlicet vſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem, *d. c. conſuluit, de vſuris;* non verò ſimoniacus, ex præſenti textu, anxiè laborant Doctores. Aliqui eam diſcriminis rationem eſſe docent, quia vſura benè datur, & malè recipitur; ſiquidẽ vſuram dare peccatum non eſt, *c. debitores, de iureiur.* vſuram verò accipere omni iure prohibitum eſt, *c. 1 & 2. de vſur.* & ideò acceptum pretium ab vſurario ex

omni

Digitized by Google

omni iure reſtituendum eſt, quia qui malè accepit ab eo, qui bene dat, tenetur ei reſtituere, *c. non ſonè*, vbi Gloſſa *14 q. 5. l. 2. ff. de cond. ob turp.* at verò in ſimonia verſatur turpitudo vtriuſque; & ideò recipiens non tenetur ad reſtitutionem, quia in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis, *leg. 3. & 4. de cond. ob turp. cauſ. c. ꝑ. in pari delicto*, *de regul. iur. lib 6* Sed improbatur, quia in vſura facilè ſuccedit, vtriuſque turpitudinem eſſe; quando enim quis ſuadet non parato ad exercendas vſuras, vt ſibi mutuet ſub vſuris, vterque ſanè vſurarius eſt, nec à reſtitutione excuſatur: & in ſimonia ſæpe contingit turpitudinem eſſe ex vna tantùm parte, quando Prælatus liberaliter beneficium contulit ſimoniaco mentali. Rurſus, quia in eo caſu ex parte vtriuſque verſatur turpitudo, licèt quis non teneatur danti reſtituere, tenetur tamen pauperibus erogare, iuxta regulam textus *in c. cùm tu*, *de vſur.* Florent. 2. *p. tit. 2. c. 2. §. 1* Couarr. *in regul. peccatum, 2. p. §. 2. n. 7* Quare item Nauarr. *n* 20 ex D. Thoma aliam rationē aſſignat, videlicet quod reſtitutio quæſiti per ſimoniam eſt pœna eccleſiaſtica, & Eccleſia non poteſt ob actus interiores pœnas conſtituere, *c. cognitionis*, *de pœnit. diſt.* 1. Sequitur Vgolinus *de ſimon. tabul. 2. n. 3.* Sed improbatur, quia quando actus non remanet in terminis cognitionis, ſed qualitercumque prodit foras, eſt in poteſtate Eccleſię: docet Gloſſa *verbo Eo ipſo, Clem 1. §. verùm, de hæret.* quam ſequuntur plurimi relati à Felician. *de cenſib. lib. 1. c. 5 n 6.* Guttierez *lib. 1. canon q. 13 in princ.* Couar. *vbi proximè, in initio n* 7. Nec verum eſt, inſtitutionem eſſe pœnā Eccleſiæ, cùm à principio impediat dominij translationē, vt ſuprà diximus, & infrà patebit. Secundò, quia nec vſurarius mentalis ad reſtitutionē teneretur, contra textum *in d. c. conſuluit*. Aliter P. Nauarra *de reſtit. lib. 3. c. 2.* Aragon. 2. 2. *q.* 100. *art. 6.* necnon Abbas Antiquus *in d. c. conſuluit*, quem referunt Panormit. & Anania *in præſenti*, diſcrimen aſſignant, videlicet quod vſura mentalis iure diuino prohibeatur, *Lucę c. 6. Mutuum dantes, nihil inde ſperantes*. In ſimonia verò non ſit prohibita ſpes aliquid recipiendi, nec talis intentio; quia tantùm actualis ſimonia prohibetur: Matthæi *c. 10. Gratis accepiſtis, gratis date*. Sed hęc differentię ratio meritò reprehenditur à Ioanne Andrea *in præſenti*, quia cùm iure diuino, & naturali ſimonia prohibita ſit, etiam mentalis prohibita videtur, cùm peccata oris, cordis, & operis eiuſdem ſpeciei ſint, & eodem iure prohibeantur, vt poſt D. Thomam & alios probat Nauarr. *in manuali, c. 23. n.* 101. Nec etiam placet diſcriminis ratio aſſignata à Caietano 2. 2. *q.* 100 *art. 6.* quem ſequuntur Nauarr. & alij relati à F. Emmanuele Rodriguez *in ſumma*, *2 p. c. 66.* dum docet ſimoniacum mentalem non teneri ad reſtitutionem, quia quod illi datur, ſponte datur, animo videlicet emendi, vel vendendi, argumento legis *nec emere, C. de iure delib.* Vſurarius autem mentalis tenetur ad reſtitutionem, quia quod illi datur, non ſponte, ſed ad redimendam potiùs vexationem datum cenſetur. Quam rationem improbant Sotus *lib. 9 de iuſtit. q 8 art. 1. ad 6.* Inſtructorium conſcientiæ 1. *p. cap. 306. pag. 965.* quia ſimoniacus etiam inuitus videtur dare pretium, ſiquidem mallet gratis beneficium, vel ſimile ſpirituale obtinere; & quaſi neceſſitate cogente pretium dat, quia aliter non ſperat id obtinere. Præterea cùm recipientes pretium non alia cauſa recipiant, & apud eos ſtet, quàm ex cauſa emptionis ſpiritualium, quę nulla eſt ipſo iure, nullo modo poſſunt illud retinere, & per conſequens tenentur ad reſtitutionem. Quare his omnibus ſententijs reiectis, Panormit. Anania, & Felin. *in præſenti*, dixerunt Pontificem conſulendum eſſe pro vera huius diſcriminis ratione. Verùm iuxta ſententiam ſuprà adductam ex Suario, & Gibalinu, facilè difficultas hæc ſedari poteſt; ſiquidem tam vſurarius mentalis, quàm ſimoniacus, tenentur ad reſtitutionem, ſi per vſuram, vel ſimoniam violatur eſſentialiter iuſtitia: quod ſemper contingit in vſura, non verò in ſimonia; nam ſimonia in ingreſſu religionis, de qua in præſenti agitur, nullam continet iniuſtitiam, ſed tantùm ſacrilegium, de quo per pœnitentiam Creatori ſatisfacere ſufficiet: & Eccleſia ſcelus illud animo retentum non punit, nec eius ratione ad aliquam reſtitutionem obligat. Si verò ſimonia mentalis includat iniuſtitiam, per eamque violetur iuſtitia commutatiua, ſimoniacus mentalis etiam ad reſtitutionem tenetur: atq; ita illud diſcrimen verſatur inter vſuram, & ſimoniam mentalē, quòd vſura mentalis ſemper continet iniuſtitiā & violat iuſtitiam cōmutatiuam; ſimonia verò mentalis aliquando ſacrilegium continet, non verò iuſtitiam violat, vt in præſenti textu docuit Gibal. *vbi ſup. conſect.* 12.

T I T V L V S IV.

De Prælatis, ne vices ſuas, vel Eccleſias alijs ſub annuo pretio concedant.

C A P V T I.

a Alexander III. *in Concil. Later.*

PRæterea quoniam quidam in quibuſdam partibus ſub pretio ſtatuuntur, qui *b* Decani vocantur, & pro certa pecuniæ quantitate Epiſcopalem iuriſdictionem exercent, præſenti decreto ſtatuimus, vt qui id de cætero præſumpſerit, officio ſuo priuetur, & Epiſcopus conferendi hoc officium poteſtatem amittat.

N O T Æ.

1 a ALexander III.] Ità etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 1.* vbi additur, *pars capitis Cùm in officijs*, vt agnoſcamus in pręſenti referri partem textus *in cap. cùm in officijs, de teſtam.* & integra conſtitutio extat in Concilio Later. celebrato ſub Alexandro III. *cap.* 15. De quo Concilio egi *in cap. nonnulli*, *de reſcriptis*.

b *Decani.*] De quibus egi *in c. ad hæc*, §. *vlt. de officio Archid cap. cùm Apoſtolus*, *de cenſibus*. 2

C A P V T II.

Idem a *in Concilio Turon.*

QVoniam in quibuſdam partibus Decani quidam, vel *b* Archipresbyteri ad agendas vices Epiſcoporum, ſeu *c* Archidiaconorum, & terminandas cauſas eccleſiaſticas ſub annuo pretio ſtatuuntur, quod ad ſacerdotum grauamen, & ad ſubuerſionem iudiciorum non eſt dubium redundare, id vlteriùs fieri prohibemus: quod ſi quis de cætero fecerit, noſtra auctoritate remoueatur à Clero: Epiſcopus autem, qui in ſua diœceſi hoc ſuſtinuerit, & eccleſiaſtica iudicia ſua patitur diſſimulatione peruerti, canonica diſtrictione percellatur.

N O T Æ.

1 a TVron.] Ità etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc titul. cap.* 2. & reperitur textus hic poſt Concil. Lateran. *part. 2. cap.* 1. non tamen ibi refertur, nec in Concil. Turon. reperitur.

b *Archipresbyteri*.] De quibus egi *in cap. 1. de offic. Archipresb.*

c *Archidiaconorum*.] De quorum iuriſdictione egi *in c. ad hæc*, *de offic. Archid.*

C A-

C A P V T IV.

Idem a *Exon. Episcopo.*

QVerelam magistri Vu. recepimus, quod cùm Ecclesiam de Fereleia à G. *b* persona eiusdem Ecclesiæ ad annuum censum per *c* septennium tenendam suscepisset, ipse sibi, antequam per spatium vnius anni tenuisset, auferre præsumpsit, quanquam idem G. præstita fide firmauerit, quod vsque ad constitutum *d* terminum nullam exinde molestiam, vel grauamen ei inferret: ideò tibi per A. s. p. m. quat. si tibi constiterit ita esse, ap. rem. districtè compellas, vt præfatam Ecclesiam præfato G. V. restituat, & vsque ad terminum constitutum inter eos, secundùm quod inter se conuenerunt, eandem permittat pacificè *e* possidere.

N O T Æ.

1 a EXoniensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* & post Concil. Later. *part.28. c.2.* De Exoniensi Ecclesia nonnulla adduxi *in c.6. de filijs presbyterorum.*

2 b *Persona.*] Id est Parochus, vt probaui *in cap. ad aures, de rescript.*

c *Septennium.*] Quatenus locatio hæc ad lnngum tempus fieri potuisset, variè explicant Cenedus *ad Decret. collect.76.* Barbosa *in præsenti:* sed veram rationem adduximus *in d. c.9. de reb. Eccles.*

d *Terminum constitutam.*] Propter læsionem tamen antea reuocari poterat, vt probat D. Ioannes de Larrea *dec.69. per totam.*

3 e *Possidere.*] Sed condoctor rem ipsam non possidet, cùm vsus tantùm ipsius rei voluntate locatoris ei permittatur, *l. si seruus 61. §. locaui, vers. & ideò, ff. de furtis.* Quare dicitur, rem alij possidere, non sibi, *l.1. C. communia de vsucap. l.2 C. de præscript. 30. vel 40.* Nec circa ipsam rem vllum proprium ius habet, sed mutuatum à domino, cui possidet, & ministerium præstat, *l. officium 9 C. de R. V. l. communis 7. §. nec colonis, ff. communi diuid. l.3. §. vlt. cum l. sequenti, ff. ad exhib. l. serui 16. ff. de periculo & commodo, l. si quis 10 §.1. l. qui bona fide 19. l. interdum 21. §. vlt. ff. de acquir. possess. l. non solùm 33. §. quod vulgò, ff. de vsucap l.2. §.1. ff. pro hærede, l. in puteum 12. §. ego, ff. quod vi, aut clam, l.1. § denique, ff. de vi, & vi: l. certè 6 § is qui 2. ff de precar.* Quare Dominus per colonum ipsum possessionem retinet, *l. quædam 77. ff. de rei vindicat. l. si pignus 37. ff. de pignorat. act. l. sicut 20. §. vlt. cum leg. sequenti, l. cùm in plures 60. §.1. ff. locati, l.3. §. cæterùm 12. l. si id quod 25. §.1. l. qui vniuersas 3. §. quod per colonum, ff. de acquir possess. l. nunquam 31. §. si seruus, ff. de vsucap. l. 1. §. quod seruus, ff de vi & vi arm. l.1. §. penult. ff. de itinere, actuque.* Igitur in præsenti casu conductor nullam habebat possessionem, quam retinere posset. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, nonnullos esse casus, in quibus conductor possidet. Primus est, si locatio ad longum tempus celebrata sit, de qua accipiunt textus *in l. sciendum 15. §.1. ff. qui satisd. cog. l.1. & fin. ff. si ager vectigal. l. cùm sponsus 12. §. in vectigal. ff. de publiciana, l.3. §. ego, ff. de noui oper. nunc. l.1. l. quod ait Prætor 3. ff. de superfic.* Caldas *de renouat. emphyt. lib. 1. q.11. n.7.* Brito *ad rubric. de locat. §.1. n.10.* Menochius *de recup. remed.1. n.68.* Valascus *de iure emphyt. q.18. per totam,* Valentia *tom.2. Illustr. tract.1. c.6. nu.1.* Secundò quando in ipsa locatione expressè actum est inter contrahentes, vt possessio rei locatæ in conductorem transferatur, argumento legis *si absenti 38. §.1. ff. de acquir. possess.* locatio enim fit diuersis respectibus, vel respectu propinquitatis, aut vsusfructus, *l. si quis domum 9. §.1 ff. locati,* Bartol *in l. si quis aliquam 28. n.8. ff. de acquir. possess.* vel respectu possessionis, *d. l. si quis aliquam,* quando res ipsa locatur: vsus autem censetur permissus, *l. qui rem, C. locati.* Immò quando is qui locat, possessionem solam habet, ei qui rei dominus est, vsum rei, vel possessionis præstat, non ipsam possessionem, vt probant textus obseruandus *in l. si pignus 37. de pignoratitia action.* docet P. Faber *in l. nec pignus 45. de R. I.* Cùm verò locatio fit respectu possessionis ipsius, siue cùm possessio ipsa locatur, nihil impedit dicere possessionem per contractum locationis transferri, quoniam translatio possessionis non requirens titulum perpetuum minori iure contenta est, & sufficit titulus temporarius, qualis est locatio, precarium, pignoris datio, si id agatur vt possessio in accipientem transeat, vt docet Bartol. *in l. quod in eo nomine 18.* & *in l. si quis aliquam 28. n.6. hoc tit.* Vtilitas conducendæ possessionis maxima est, quia quamdiù durat conductio, possessio ad conductorem pertinet: ergo si eam amittat, in rem agere poterit aduersùs quemcumque detentatorem, vt de superficiario dicitur *in l. id est 74.* cum sequentibus, *de rei vendicat.* & de creditore *in l. si fundus 16. §. in vindicatione, ff. de pignor.* licèt antiquiores cum Bartolo *in d. l 28.* dicant implicare contradictionem, vt quis sit conductor, & simul possessor; nam facilè non constat hæc contradictio: si enim potest quis precariò rogare vt possideat, cur non poterit conducere vt possideat, vt considerat D. Ioseph. de Retes *in repetita prælect. ad tit. de acquir. possess. c.3 consect.2.* qui ad id probandum expendit textum *in l. si quis ante 10. §. vlt. ff. de acquir. possess.* & sic præsens textus accipiendus est, quando locata fuit possessio ipsa.

T I T V L V S V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

C A P V T P R I M V M.

a *Ex Concilio Lateran.*

QVoniam Ecclesia Dei, & in ijs, quæ spectant ad subsidium corporis, & in ijs, quæ ad profectum proueniunt animarum, indulgentibus sicut pia mater prouidere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus iuuari non possunt, legendi, & proficiendi opportunitas subtrahatur, per vnamquamque Cathedralem Ecclesiam *b* Magistro, qui clericos eiusdem Ecclesiæ, & scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbeatur, quo docentis necessitas subleuetur, & discentibus via pateat ad doctrinam. In alijs quoque restituatur Ecclesijs, seu monasterijs, si retroactis temporibus aliquid in eis ex hoc fuerit deputatum. pro licentia verò docendi nullus omninò pretium exigat, vel sub obtentu alicuius consuetudinis ab eis, qui docent, aliquid quærat, nec docere quemquam, qui sit idoneus, expetita licentia interdicat. Qui verò contra hoc venire præsumpserit, ab ecclesiastico fiat beneficio alienus: dignum quippe esse videtur, vt in Ecclesia Dei fructum sui laboris non habeat, qui cupiditate animi, dum vendit docendi licentiam, ecclesiasticum profectum nititur impedire.

N O-

Digitized by Google

NOTÆ.

1 a LAteran.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in ipso Concilio Lateran. *c.* 18. reperitur textus hic: vnde apparet, scholastriam, seu dignitatem magistri scholę in Ecclesijs Cathedralibus cœpisse à temporibus huius Concilii per annos Christi 1180. quod & docuerunt Petrus Gregor. *lib.* 15 *syntag. c.* 19. Azor. 2. *p. instit. lib.* 3 *c.* 23. Escobar *de Pontific. iurisd. c.* 8. *n.* 41. & *c.* 30. §. 2. & in Gallia hoc decretum Concilij renouatum fuit anno 1563. & sancitum vt in singulis Ecclesijs Cathedralibus, & Collegiatis, in quibus plures essent quàm decem Canonici, vnius præbendæ fructus destinarentur vni, aut pluribus scholarum Magistris ab Episcopis approbandis ad instructionem puerorum, & iuuentutis, tam in litteris, quàm in præceptis fidei catholicæ, vt referunt Chopinus *lib.* 1. *de sacr. pol. tit.* 1. *n.* 13. & 14. Maynard. *in notab. qq. lib.* 1. *c.* 9 Spondanus *in continuat. Baronij, anno* 1563. *n.* 69. & similiter in Concil. Coloniensi *anno* 1536. *p.* 12. *c.* 3. idem cautum.

b *Magistro.*] Magister à monendo, vel monstrando dictus est, *l. cui præcipua* 57. *ff. de V. S.* Cassiodorus *lib.* 7. *var.* ibi: *Reuerendum honorem sumit quisquis Magistri nomen accepit, quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum.* Et cuiuslibet disciplinæ Præceptores Magistri dicuntur, *l. qualem* 19. *§. fin. ff. de recept.* Ouidius *lib.* 1. *eleg.* 4. Illustrant Albericus Gentil. *in lection. Virgil. c.* 4. & ille, cui præcipua cura rerum incumbit, Magister appellatur, *d. l.* 57. & *in tit. Cod. de Magistr. sacror. scriniorum, magistr. militum*, & similibus Hinc pecoris magistros pro his, ad quos pertinet cura animalium, posuerunt Virg 1. *Georgic.*

—— *Pan curat oues, ouiumque magistros.*

Varro *lib.* 1. *de re rustica*, ibi: *Magister pecoris sine litteris idoneus esse non potest, quòd rationes dominicas pascuarias conficere nequaquam rectè potest.* Et magister dicitur qui ex numero creditorum præfectus est patrimonio debitoris vendendo, *l. vlt. ff. de curat. bonis dando*, probat Brissonius *de V. S. verbo Magistri.*

CAPVT II.

Alexander III. a *Vuinton. Episcopo.*

PRohibeas attentiùs, ne in parochia tua pro licentia docendi ab aliquo aliquid exigatur, aut etiam promittatur. Si quid verò post prohibitionem tuam fuerit solutum, vel promissum; promissum remitti, solutum facias appellatione cessante restitui, sciens quod scriptum est: Gratis accepistis, gratis date. Sanè si aliquis occasione huius prohibitionis distulerit Magistros in locis congruis instituere, liceat tibi de concessione nostra, omni contradictione, & appellatione postposita ibidem viros prouidos, & disertos aliorum instructioni præficere.

NOTÆ.

a VVinton.] Ità etiam legitur post Concil. Lateran. *part.* 2. *cap.* 17. & in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. vbi additur *Pars capitis Nuncios*, vt cognoscamus, in præsenti referri partem textus *in capite nuncios, de decimis.*

CAPVT III.

a Idem.

QVuantò Gallicana Ecclesia maiorum personarum scientia, & honestate præfulget, & eo cautiùs nitiur curare, quæ confundere videantur ecclesiasticam honestatem; tantò vehementiori dignos animaduersione eos censemus, qui nomen Magistri scholarum, & dignitatem assumunt in Ecclesijs vestris, & sine certo pretio ecclesiasticis viris docendi alios licentiam non impendunt. Cùm autem hæc praua, & enormis consuetudo à cupiditatis radice procedat, & decorem admodum ecclesiasticæ vnitatis confundat, prouidendum vobis est, & summoperè satagendum, vt consuetudo ipsa de Ecclesijs eisdem laude dignum inueniatur, vel reprehensione notandum. Sub anathematis ergo interminatione curetis, ne qui dignitatem (si dignitas dici potest) fingentes, pro præstanda licentia docendi alios, ab aliquo amodò exigere aliquid præsumant, sed eis districtè præcipiatis, vt quicumque viri idonei, & litterati volunt regere studia litterarum, eos sine molestia, & exactione qualicũque scholas regere vestris extirpetur cũ vobis prçcipuè, & specialiter adscribatur, si quid in Ecclesijs patiantur: si verò nostræ prohibitionis, vel præcepti extiterint transgressores, eos nostra auctoritate, & vestra, officijs, & dignitatibus spolietis Porrò si iuxta mandatum nostrum corrigere neglexeritis, negligentiam vestram grauem habebimus, & molestam, & ad eam corrigendam manum extendere compellemur, ita quod si velint in huiusmodi rapacitatis proposito persistere, non valebunt.

NOTÆ.

a IDem.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 3. & post Concil. Later. *part.* 2. *c.* 18. Ex Vincentio tamen refert Anton. August. *in notis ad hunc textum*, constitutionem hanc emanasse contra Cancellarium Parisiensem, qui à quolibet publicè docente marcham vnam argenteam exigebat.

CAPVT IV.

Idem a *in eodem.*

QVia nonnullis propter inopiam, & legendi studium, opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateran. Concilio pia fuit constitutione prouisum, vt per vnamquamque Cathedralem Ecclesiam Magistro, qui clericos eiusdem Ecclesiæ, aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis releuaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam. Verùm quoniam in multis Ecclesijs minimè obseruatur, nos prædictum roborantes statutum adijcimus, vt non solùm in qualibet Cathedrali Ecclesia, sed etiam in alijs, quorum sufficere potuerint facultates, constituatur magister idoneus, à Prælato

cum Capitulo, seu maiori, & saniori parte Capituli eligendus, qui clericos Ecclesiarum ipsarum, & aliarum gratis in Grammatica facultate, ac alijs instruat iuxta posse. Sanè Metropol. Ecclesia Theologum nihilominus habeat, qui sacerdotes, & alios in sacra Pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum à Capitulo vnius præbendæ prouentus, & à Metropolitano tantumdem; non quòd propter hoc efficiatur Canonicus, sed tamdiù redditus illos percipiat, quamdiù perstiterit in docendo. Quod si fortè de duobus Metropol. Ecclesia grauetur, Theologo iuxta modum prædictum ipsa prouideat, Grammatico verò in alia Ecclesia suæ ciuitatis, siue diœcesis quæ sufficere valeat, faciat prouideri.

NOTÆ.

a GEnerali.] Lateranensi videlicet sub Innocentio III. celebrato, vbi *cap.* 11. reperitur textus hic, necnon in quarta collectione, *sub hoc tit. c. vnic.*

COMMENTARIVM.

1 Conclusio traditur, & probatur. IN his quatuor constitutionibus vna, eademque sententia proponitur, videlicet: *In qualibet Ecclesia Cathedrali prouidendum esse de Magistro, qui clericos scholares pauperes doceat, & ne pro licentia docendi aliquid exigatur.* Quod etiam cautum lego *in c. quibusdam* 12. 37. *dist. c.* 3. *de vita, & honest. cleric.* Concil. Cabilon. sub Carolo, *can.* 3. *Scholas Episcopi constituant, in quibus & litteralis solertia disciplinæ, & sacræ Scripturæ documenta discantur.* Valentinum sub Lothar. *c.* 18. Tullense *p.* 2. *cap.* 10. *Deprecandi sunt pij Principes nostri, & omnes Fratres, & Coepiscopi nostri instantissimè commonendi, vt vbicumque omnipotens Deus idoneos ad docendum, idest fideliter, & veraciter intelligentes, donare dignetur, constituantur vndique scholæ publicæ, vt vtriusque eruditionis, & diuinæ videlicet, & humanæ, in Ecclesia Dei fructus valeat accrescere.* Concil. Meldense *can.* 35. Synodus Romana suasu Ludouici, & Lotharij habita, *can.* 3. ibi: *Magistri, & Doctores in singulis locis constituantur, qui liberales artes assiduè doceant; & si tales non inueniantur, tum diuinæ Scripturæ Magistri, & institutores ecclesiastici officij nullatenus desint.* Alexand. III. Rhemensi Archiepiscopo scribens *in c. vnic. hoc tit. in* 2. *collect.* ibi: *Nos autem in Concil. Lateran. nuper auctoritate Domini celebrato, ac tota Ecclesia, quæ conuenerat, approbante, statuimus, vt per omnes ecclesias Cathedrales ad subsidium magistri, qui scholas regat, præbenda vna debeat deputari. Quocirca ne in vacuum decreta, quæ recta sunt, fieri videantur, si per nostram, & Episcoporum instantiam non fuerint obseruata, tuæ fraternitati mandamus, quatenus ad Ecclesias supradictas accedas, & ad opus Magistri, qui scholas regat, aliquod restituas beneficium.* Leo X. *in concord. cum Francisco Rege Franciæ,* §. 1. *tit. de collat.* Theodulf. *ad presbyteros Aurelian. c.* 19. & 20. refert Ant. August. *in epit. iur. lib.* 14. *tit.* 9. Trident. *sess.* 5. *de reform. c.* 18. Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa Cresol. *lib.* 2. *mystag. c.* 14. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 4. *c.* 18. Coruin. *lib.* 4. *aphorism. tit.* 4. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monacho, c.* 107. Acuña *in c. de eulogijs,* 18. *distin.* Duaren. *lib.* 1. *de sacris Eccles. c.* 15. Bosquet. *ad Innoc. III. lib.* 3. *epist.* 114. Robert. *lib.* 3. *rer. iudic. c.* 2. P. Mendo *de iure academico, lib.* 2. *c.* 12. Petr. Gregor. *lib.* 15. *syntag. c.* 14. Zypeus *in consult. canonic. ad hunc tit. c.* 1. Chopinus *de sacra pol. lib.* 1. *tit.* 5. *n.* 12. Conradus Kling. *lib.* 4. *loc. commun. cap.* 57.

2 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Episcopi proprium officium est populum in Ecclesia docere, vt probat Barbosa *de potestate Episc. p.* 1. *tit.* 2. *gloss.* 10. Ergo non desideratur vt in Ecclesijs Cathedralibus magister eligatur, aut constituatur ad docendum. Accedit, nam etsi magister institui debeat, vt publicè doceat sacram Theologiam, vel sacros Canones, tamen Grammaticæ doctrina non decet Canonicum: vnde D. Gregorius relatus *in cap. turbat,* 37. *dist. cap. cùm multa,* 86. *dist.* obiurgat quendam Episcopum, eo quòd Grammaticam profiteretur: ergo pro Grammatica docenda non debet Clericus magister in Ecclesia Cathedrali institui. Secunda etiam pars assertionis difficilis redditur dum in ea docetur, non posse recipi pretium pro concedenda licentia docendi; nam pro docendo, vel non, impunè pecunia recipitur, etsi de sacra Theologia agatur; quia licèt scientiæ sint res spirituales, procedunt tamen ab spiritu creato, laboreque acquiruntur, vt probant Binsfeldius *in rubric. de Simonia,* Gibalinus *eod. tract. q.* 6. *consect.* 4. Accedit vsus maiorum Academiarum, in quibus pro gradibus concedendis in omnibus Facultatibus pecunia exigitur, quem vsum probat, & defendit P. Mendo *lib.* 2. *c.* 11. *de iure academico, per tot.* Igitur quia pro doctrina ipsa, & pro licentia docendi impunè pecunia exigitur.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, litterarum cognitionem, liberaliumque artium disciplinam, quibus iuuentus in publicis Gymnasijs eruditur, magnam Reipublicæ vtilitatem afferre, vt testatur Plutarch. *de instituendis liberis,* ibi: *Per hanc enim, atque hac adiutrice nosse licet, quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniquum, breui, quid expetendum, quid fugiendum, quemadmodum erga Deos, quemadmodum erga parentes, qui erga maiores natu, qui erga leges, qui aduersus Magistratus, qui aduersus alienos, qui aduersus amicos, qui aduersus coniuges, qui aduersus seruos nos gerere debeamus, Deos vt colamus, parentes vt veneremur, maiores natu vt reuereamur, legibus pareamus, Magistratibus audientes simus, amicos diligamus, castè cum coniugibus agamus, pietatem in liberos exerceamus, in seruos non sæuiamus, & quod caput est, rebus secundis vt non exultemus, neque nimium animum contrahamus rebus asperis; neque in voluptatibus gestiamus, nec in ira excandescamus, vel efferati simus.* Ideò in omnibus Rebuspublicis benè moratis prima cura fuit scholarum publicarum, vt essent magistri, qui publicè Grammaticam, cæterasque artes profiterentur, & docerent, publico illis stipendio constituto. De Republica Hebræorum, vbi erant scholæ Prophetarum, & Scribarum, latè agit Hallier. *de Eccl. hierarc. lib.* 1. *c. penult.* & de veteribus collegijs puerorum, vbi pueri erudiebantur, plura adducit Viuar. *ad Flau. Dextrum, ann.* 385. apud Romanos Adrianum Cæsarem magno laudum præconio commendat Lampridius, quòd academias instituisset, & eorum studiosus esset, qui liberales artes profitebantur. Et Alexius Comnenus scholam instituit, qua pupilli, pauperumque liberi docerentur, victumque, & alimenta, tam docentibus, quàm discentibus assignauit, teste Zonara *to.* 3. *pag.* 129. & stipendia non vulgaria esse Professoribus studiorum assignanda, docetur *in l. vn. C. de studijs liberalib. l. medicos, §. fin. C. de Professor. & Medicis, lib.* 11. *l.* 1. *C. Theod. eod. tit.* Plura Theoph. Raynaud. *to.* 11. *in Threnodia rei litterariæ, f.* 427. quin & Attalaricus Rex Senatui Romano de stipendijs professoribus soluendis ita scribit apud Cassiodor. *lib.* 9. *epist.* 21. *Filiorum causas iure ad patrum cognoscimus remisisse personas, vt ipsi de illorum prouectu debeant cogitare quorum interest studia Romana proficere. Neque enim credendum est, vos inde posse minùs esse solicitos, vnde & generi vestro crescit ornatus, & cœtui prouenit assidua lectione consilium. Nuper, vt est de vobis cura nostra solicita, quorundam susurratione cognouimus, Doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris deputata summa videatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, prœmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potiùs ad gloriosa studia per commodorum augmenta prouocandi. Prima enim Grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimum litterarum, mater gloriosa facundiæ, quæ cogitare nouit ad laudem, loqui sine vitio: hæc in cursu orationis sic errorem cognoscit absonum, quemadmodum boni mores crimen detestantur externum. Nam sicut Musicus consonantibus choris efficit dulcissimum melos, ita dispositis congruenter accentibus metrum nouit decantare Grammaticus. Est Grammatica magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, antiquorum nos cognoscitur iuuare consilijs. Hac non vtuntur barbari Reges; apud legales Dominos manere cognoscitur singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent: sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Hinc oratorum pugna ciuilis iuris classicum canit. Hinc cunctos proceres nobilissima disertitudo commendat:*

3 De studiorum vtilitate.

dat: & vt reliqua taceamus, hoc quod loquimur, inde est. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem propitia diuinitate largimur, vt successor scholæ liberalium litterarum, tam Grammaticus, quàm Orator, necnon & iuris Expositor, commoda sui decessoris ab eis, quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat: & semel Primi Ordinis vestri, ac reliqui Senatus amplissimi auctoritate firmatus, donec suscepti operis idoneus reperitur, neque de transferendis, neque de imminuendis annonis à quolibet patiatur improbam quæstionem: sed vobis ordinantibus atque custodientibus, emolumentorum suorum securitate potiatur, Præfecto vrbis nihilominus constituta seruante. Plura congesserunt de Academiarum vtilitate Loseus, Oldendorpius, & P. Mendo *in tr. de iure academico*, Adam Contzen *lib. 4. polit. c. 4.* Frances *de Eccles. Cathed. c.* 28. Besold. *to. 2. polit. integro tract. de iure academ.* Altesserra *lib. 6. differt. c. 7.*

4 De Scholis Ecclesiarum. Nec minor cura fuit apud veteres Ecclesiæ Patres instituendi scholas, in quibus litterarum studia publicè profiterentur, vt constat ex Concilio Aquisgran. relato *lib. 1. Capit. Caroli, c. 72.* ibi: *Vt scholę legentium puerorum fiant.* Et *lib. 2. capit. c. 1.* ibi: *Scholæ sanè ad filios, & ministros Ecclesiæ instruendos, vel edocendos, sicut nobis præterito tempore apud Attiniacum promisistis, & vobis iniunximus, in congruis locis, vbi dum nec perfectum est, ad multorum vtilitatem, & profectum à vobis ordinari non negligantur.* Vasense 2. *c. 1.* Conc. Magunt. sub Carolo *can. 45. Propterea dignum est, vt filios suos donent ad scholam, siue ad monasteria, siue foras.* Et in Conc. Arelat. *6. can. 4.* Turon. 2 *can.* 18. & 22. Rhemensi *can. 4. & tribus seqq.* Episcopis præcipitur, & iniungitur, vt priuatim, publicèque presbyteros, ac clericos suos, tam de Sacramentorum administratione, quàm alijs sacris functionibus erudiant, atque instruant. Et de publicis scholis instituendis expressius ita censuerunt PP. Concilij Paris. *lib. 3. c. 12. Similiter obnixè, & suppliciter vestræ Celsitudini suggerimus, vt morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis Imperij vestri locis scholæ publicæ ex vestra auctoritate fiant, vt labor Patris vestri, & vester per incuriam (quod absit) labefactando non depereat.* Concil. Valent. 3. *can.* 18. in Gallia: *De scholis, tam diuinæ, quàm humanæ litteraturæ, necnon ecclesiasticæ cantilenæ iuxta exemplum prędecessorum nostrorum aliquid inter nos tractetur, & si potest fieri, statuatur, atque ordinetur.* Conc. Lingon. cuius canones selecti, & confirmati fuerunt in Synodo apud Saponaria in Gallia, *can.* 10. Idem in Hispania repetitis canonibus cautum legimus in Concil. Emerit. *can.* 18. Tolet. 2. *can.* 1. Tolet. 4. *can.* 24 quæ, & alia veteris iuris testimonia referunt Ant. August. & Hallier. vbi suprà: & varias Ecclesiarum scholas refert Altesserra *hic*, & *lib. 2. differt. c. 7* Nec solùm in Ecclesijs, & Episcopis olim scholæ habebantur, verùm & in monasterijs scholæ erant Ekkardus *lib. de cas. monast. S. Galli, c. 6.* ibi: *Erant disciplinę loci, vt semper, & tunc seuerè, non modò in claustro, sed & in schola exteriùs.* Ex Concilio Magunt. suprà relato: & varias monasteriorum scholas refert Gibalin. *de clausur. reg. disq. 1. c. 2. §. 11.* & plura de his scholis in monasterijs olim vsitatis congesserunt Lanedmeter. *lib. 2. de veter. monach. c.* 107. Filesachus *in c. 15. §. 3. de offic. Ordin.* Bosquet. *in notis ad Innoc. III. lib. 3. Regestr. 14. epist.* 114. Sherlogus *to. 3. in Cantica, vestig. 35. c. 2. sect. vn.* qui Salmanticensem nostram Academiam debitis extollit laudibus. Nec contrarium probat canon 45. Concil. Aquisgran. in illis verbis: *Vt schola in monasterio non habeatur, nisi eorum, qui oblati sunt.* Nam pro huius canonis expositione sciendum est, præter scholas proximè relatas, fuisse aliàs priuatas intra claustra, in quibus qui clericali, aut monachali officio destinabantur, à monacho sibi præposito erudiebantur. Concil. Tolet. 2. *can.* 1. Tolet. 4. *can.* 23. vbi constituitur, vt qui in Clero puberes, aut adolescentes existunt, omnes in vno conclaui atrij commorentur, & in disciplinis ecclesiasticis agant deputati probatissimo seniori, quem & magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant. Concil. Turonens. 2. *can.* 14. Aquisgran. *can.* 135. Erant ergo in monasterijs scholæ exteriores, vbi laici etiam erudiebantur; & interiores, vbi monachi, & pueri oblati educabantur: constat ex Ekkardo *d. cap. 6. & c. 10.* ibi: *Cùm apud sanctum Gallum ambas scholas teneret, nemo pręter pusiones quidquam alteri, nisi latinè, ausus est proloqui.* Nec in eis scholis alij admittebantur prætterquam oblati, & clerici iuniores probatæ vitæ. Vnde Theodulphus Aurelianensis *ad presbyteros, cap.* 19. nepotibus sacerdotum concessit, vt etiam scholas interiores monasterij possent adire, ibi: *Si quis ex presbyteris voluerit nepotem suum mittere ad scholam in Ecclesia sanctę Crucis, aut monasterio sancti Aniani, sancti Benedicti, aut sancti Lifardi, aut in cęteris de his cœnobijs, quę nobis ad regendum concessa sunt, ei licentiam faciendi id concedimus.* Vnde textus *in dict. can.* 45. accipiendus est de his scholis priuatis intra monasteria existentibus, vt docuerunt Bosquetus *ad Innocent. epist.* 114. Hallierius *d. art. 5.* Yepes *tom. 3. chron. D. Benedicti, ad calcem libri, in notis ad ipsum canonem*, Altesserra *lib. 6. differt. cap. 7.*

His ita animaduersis, & alijs suppositis, quæ pro studiorum necessitate, & vtilitate congessimus *in cap. licèt, de prębend.* tario præsentis assertionis prouenit ex eo, nam cùm Ecclesiæ PP. agnouissent, ita necessarium esse studium litterarum in pueris, & in adultis, statuerunt, vt in Ecclesijs Cathedralibus essent clerici, qui Grammaticam docerent, & in Ecclesijs Metropolitanis publicè Theologiam legerent, & magna cum ratione, si attendamus personam magistri, & loci, vbi scientiæ doceri iubentur. Persona docentis est clericus, cuius proprium est erudire pueros, & ignaros Synodus Nicæna celebrata anno 787. *can. 10.* ibi: *Non licet clericis curas sęculares, & ad victum pertinentes suscipere, vt qui sint à canonibus prohibiti hoc facere: potiùs autem ad docendos pueros, & seruos accedant, legentes eis diuinas scripturas: ad hoc etiam sacerdotium sortiti sunt.* Concil. Tolet. 2. *can.* 1. ibi: *Lectores in domo Ecclesiæ sub Episcopali pręsentia à Pręposito suo erudiri debere.* Tolet. 4. *can.* 21. Emerit. *can.* 18. Vasense 2. *can.* 1. Inde acriter controuersum video inter Cellotium, & Hallierium, an officium docendi spectet ad Ecclesiæ hierarchiam. Ratione etiam loci, vbi doceri iubetur in præsenti, etiam valdè consona est disciplinæ Ecclesiæ præsens assertio; cùm, vt suprà retuli, scholæ olim frequentiùs essent in Ecclesijs, monasterijs, aut propè ea: cuius moris ratio traditur in oratione Rhetoris ad V. P. Præsidem Galliæ sub Constantino Imperatore, his verbis: *Maximè & oportet, & fas est exercere iuuentutis ingenia, vbi tam propinqua sunt numina amica doctrinę, vbi ex proximo iuuat mens diuina sapientiam.* Et quondam apud veteres Bibliothecæ, vel in ipsis Deorum templis, vel vicinis ædibus collocatæ erant, vt Tertull. in *Apolog. cap. 19.* refert: quin & Cedrenus in Iustino Curopolate, dum narrat historiam pueri Iudæi à patre in clibanum ardentem coniecti ob sumptas sanctæ Eucharistiæ reliquias vnà cum sodalibus Christianis, scribit scholam vnde pueri illi redibant, Ecclesiæ vicinam fuisse. Rectè ergo constitutum fuit in Concilio Lateranen. in præsenti relato, vt in qualibet Ecclesia esset vnus magister, qui pueros, clericosque doceret. Et licèt scholæ hæ, tam puerorum, quàm clericorum, omninò exerceri desierint, quia in omnibus ferè prouincijs sunt generalia studia in maioribus vrbibus; tamen in Ecclesijs remanserunt præbendæ Theologales, quæ Theologo assignantur, & Scholastria: qui Canonicus appellatur Scholasticus *in c. quantò, hoc tit.* Magister scholæ, seu Scholarum *in c. 4. de postul. Pręlat. c. 5. de regul. in 5. compil.* Primicerius *in c. constitutus 23. de appellat.* & in plerisque Ecclesijs nomen hoc Magistri scholarum adhuc mansit; in alijs verò in locum Scholastici successit Cancellarius Vniuersitatum, qui sublato Scholastici nomine, dignitatem retinet, & simul est Cancellarius generalis Studij, cui Apostolica auctoritate competit ius concedendi Gradus, vt supponitur *in c. 4.* iuncta inscriptione, *de arbitr. c. fin. de lite non contest.* & obseruatur in nostra Academia Salmanticensi, vbi Magister Scholæ, qui præbendam cum dignitate in Ecclesia Cathedrali habet, est simul Cancellarius Vniuersitatis. De cuius iurisdictione, & dignitate latè agunt Escobar, & P. Mendo *vbi sup.* Aliquando Scholasticus, & Cancellarius idem non est, vt *in c. constitutis 46. de appell.* Et licèt olim inter DD. quæstio excitaretur, an Magister Scholæ dignitatem haberet, vt constat ex traditis à Paciano *de probat. lib. 2. c. 27. à n.* 107. iam tamen hodie ex statutis Ecclesiarum Scholastria vna est è principalibus dignitatibus, vt probat Petr. Gregor. *lib. 5. syntag. c. 19.* Azor. *p. 2. instit. mor. lib. 3. c. 23.* Cæsar. *de Eccles. hierarch. p. 3. disp. 12. §. 4.* Barbosa *de Canonicis, cap. 10.* 5 Traditur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt Episcopi proprium officium sit populum in Ecclesia docere; tamen etiam alios esse debere in Ecclesia Dei Doctores, constat ex D. Paulo *ad Ephesios cap. 4.* & ex illis canoni- 6 Dissoluitur ratio dubitandi.

nonibus, vbi docetur Doctoris nomen ſibi aſſumere neminem poſſe, niſi qui ad illud munus electus eſt. Concil. Cæſarauguſt. *can.* 7. ibi: *Item lectum eſt, ne quis Doctoris nomen ſibi ſumat, præter has perſonas, quibus conceſſum eſt, ſecundùm quod ſcriptum eſt: & ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt, Placet.* Et ità licet Epiſcopus ratione officij teneatur in communi populum docere, tamen ſpeciales magiſtri conſtitui debent ad Grammaticam pueros docendam, vt in præſenti conſtituitur. Nec obſtat augmentum ipſius difficultatis, deductum *ex d. cap. cùm multa*; nam in eius caſu reprehenditur à D. Gregorio Epiſcopus, qui omninò deditus erat ſtudio Grammaticæ, & humanarum litterarum, Theologiam omittendo, & negligendo, vt docuit Ramirez de Prado *in ſchediaſm. n* 53. & notauimus *in c. 6. de ætat. & qualit* vbi expoſuimus, quatenus liceat clericis, & Eccleſiæ miniſtris lectio librorum Gentilium. Nec obſtat alia difficultas, nam in præſenti non prohibetur exactio pecuniæ per Magiſtrum à diſcipulis pro doctrina ſcientiarum, ſeu erudiendis ipſis; nam certum eſt, in huiuſmodi pretij exactione nullam committi ſimoniam, etſi Theologia doceatur, aut ſi Aduocatus conſilium vendat in cauſa ſpirituali, *cap. non licet*, 11. *q.* 3. *c. non ſanè*, 14. *q.* 5. quia huiuſmodi ſcientiæ procedunt à labore naturali, vt defendunt Gibalin. & Binsfeld. *vbi ſup.* P. Mendo *de iure academico, lib.* 2. *c.* 10. Vnde ſtipendia, & ſalaria Præceptorum iure ciuili approbata fuerunt. Quare Paulus, & Iulianus docuerunt *in l. cùm tutoris* 12. *§.* 3. *ff. de adminiſtrat. tut. l.* 4. *ff. vbi pupill. educari*, pro dignitate natalium pupilli tutores poſſe conſtituere mercedem Præceptoribus, & *in l. duo* 71. *ff. pro ſocio*, refertur duos ſocietatem iniiſſe, vt Grammaticam docerent certo ſtipendio, & ſalario conſtituto. Pro quorum illuſtratione adiri poſſunt. Reuard. *lib.* 2. *coniect. c.* 10 *&* 19. Rodulf. Forner. *in notis ad Caſſiod. lib.* 4. *epiſt.* 1. Suar. de Mendoza *ad l. Aquil. lib.* 2. *c.* 3. *ſect.* 6. *ex n.* 16. Merill. *lib.* 4. *prior. obſeru. c.* 1. *&* 17. Cuiac. *lib.* 58. *Pauli ad edict. in l. cùm tutor.* 3. Et ſalaria hæc plerumque appellabantur mercedes Marc. Tull. *in Philip. At quanta merces Rhetori eſt data, audite Patres Conſcripti.* Auctor de Claris Grammaticis, de Lælio Præconino loquens: *Pretia Grammaticorum tanta, mercedeſque tam magnæ.* Et *l.* 4. *§. ſed & ſi, de decret. ab ordin. faciend.* D. Hieron. *ad Pammachium epiſt.* 101. *Qui illum in magna mercede nihil ſcire docuerunt.* Auſonius *de Exuperio*:

—— Tum pueros grandi mercede docendi.

Iuuenal. *Satyr.* 7. Macrob. *lib.* 1. *c.* 12. Illuſtrat Sauar. *ad Sidon. lib.* 5. *epiſt.* 7. *f.* 334. Illud notandum, retributionem profeſſorum Iuris, & Philoſophiæ, non appellari mercedem, ſed honorem, *d. l.* 1. *§. an & Philoſophis, ff. de varijs, & extraord.* Rhetores verò, & Grammaticos ſtipendium & mercedem accipere, *d. l. Aquilius*. Quod ſtipendium dicebatur Mineruale. Notauit Rhetes *de donationib. c.* 3. *n.* 12. Et diſcipulos Magiſtros ſuos munificentijs ditare debere, deducitur *ex l. Aquilius, ff. de donat.* & Sabinum à ſuis ſcholaribus fuiſſe ſuſtentatum, refertur *in l.* 2. *ad finem ff. de orig. iuris*: & ideò vtiliter à negotiorum geſtore fiunt expenſæ pro mercibus magiſtrorum, *l. ſi patrono, C. de negot. geſt.* Immò Præceptores, quibus promiſſum ſtipendium non ſoluitur, extra ordinem audiri docetur *in l.* 1. *§.* 2. *ff. de extraord. cognit.* & probarunt Cuiac. *in l. vnic. C. de ſtudiis liber. lib.* 11. Giphanius *ad Ethic. Ariſtot. lib.* 9. *cap.* 1. Reuardus *lib.* 1. *coniect. cap.* 10. vbi exponit Iuuenalem *Satyr.* 10. in illis verbis:

Eloquium, aut famam Demoſthenis, aut Ciceronis
Incipit optare, & totis quinquatribus optat
Quiſquis adhuc vno partam colit aſſe Mineruam,
Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſæ.

Si verò Magiſter beneficium, aut publicum ſtipendium ſufficiens habeat, pretium aliquod à diſcipulis exigere non valet *cap.* 1. iuxta veram lectionem, *hoc tit.* ſponte tamen oblata eo caſu à diſcipulis recipere non prohibetur, *cap. priſcis* 10. *q.* 3. *cap de eulogijs*, 18. *diſt. cap. quidquid, c. placuit* 1. *q.* 1. Prohibetur ergo in præſenti pro licentia docendi concedenda pretium exigere; non quia id Simonia ſit, vt vulgò creditum eſt, ſed quia ad Simoniæ crimen accedit, qui auara cupiditate pro licentia docendi aliquid temporale extorquet à doctis viris, qui ad ſcientiarum, bonarumque litterarum cognitionem aditum pateſaciunt, & muniunt, quos decet potiùs precibus, & muneribus ad docendum inuitari. Nec obſtat quod expendebamus de vſu in academijs recepto exigendi pretium pro gradibus Bacchalaureatus, Magiſterij, & Doctoratus; nam talis pecunia non exigitur pro licentia docendi, ſed pro honoribus, & emolumentis temporalibus, quibus ſimiles graduati perfruuntur. Quæ omnia ſunt naturalia, & pretio æſtimabilia. Vnde quo celebriores Academiæ ſunt, & maiora commoda graduati aſſequuntur, maiora ſolent ſtipendia, vulgò *propinas*, perſolui, vt probat P. Mendo *de iure academic. lib.* 2. *q.* 11. *per tot.* Hinc exponendus erat canon 71. Synodi ſextæ: ſed eius interpretationem dedimus *in cap.* 8. *de vita, & honeſt. cler.*

C A P V T V L T.

a Honorius III.

SVper ſpecula. *Et infrà*: Cùm itaque de ſingulis prouincijs puellæ ſpecioſæ, ac virgines pro Rege Aſſuero, qui Beatitudo dicitur, per ancillas quæri debeant, & adduci ad arcem, & mœnia ciuitatis, & per manum Aggei mundum muliebrem accipere, neceſſariorum videlicet fulcimenta: volumus, & mandamus, vt ſtatutum in Concilio *b* generali de Magiſtris Theologis per ſingulas Metropoles ſtatuendis inuiolabiliter obſeruetur, decernentes inſuper de conſilio fratrum noſtrorum, ac diſtrictè præcipiendo mandantes, vt quia ſuper hoc propter raritatem magiſtrorum ſe poſſent forſitan aliqui excuſare, ab Eccleſiarum Prælatis, & Capitulis ad Theologiæ profeſſionis ſtudium aliqui docibiles deſtinentur, qui cùm docti fuerint, in Dei Eccleſia velut ſplendor fulgeant firmamenti, ex quibus poſtmodùm copia poſſit haberi Doctorum, qui velut ſtellæ in perpetuas æternitates manſuri, ad iuſtitiam valeant plurimos erudire: quibus ſi proprij prouentus Eccleſiæ non ſufficiunt, prædicti neceſſaria ſubminiſtrent: docentes verò in Theologica Facultate, dum in ſcholis docuerint, & ſtudentes in ipſa integrè per *c* annos quinque percipiant de licentia Sedis Apoſtolicæ prouentus præbendarum, & beneficiorum ſuorum, non obſtante aliqua contraria conſuetudine, vel ſtatuto; cùm denario fraudari non debeant in vinea Domini operantes. Hoc autem inconcuſsè volumus obſeruari, firmiter diſponentes, quod *d* feriamus pœna debita tranſgreſſores.

N O T Æ.

1 a HOnorius III.] Ità etiam legitur in quinta collectione, *ſub hoc tit. cap. vnic.* & tam inſcriptionem, quàm huius textus hiſtoriam retuli *in cap. ſuper, ne cleric. vel monach.*

2 b *Generali.*] Lateranenſi videlicet, relato ſuprà *in cap. quoniam.*

c *Annos quinque.*] Hoc tempus non refertur ad docentes, ſed ad ſtudentes, qui per quadriennium, aut quinquennium ſolent ſtudijs intereſſe pro diuerſitate ſcientiarum: de quo temporis ſpatio agit Mancinus *Genial. cent.* 2. *cap.* 151. quem tranſcripſit Barboſa *tom.* 6. *in ſelect. ad hunc textum.*

d *Feriamus.*] Idest excommunicatione ligemus, vt etiam accipitur ferire *in cap.* 6. *de rebus Eccleſiæ*, ibi: *Anathemate feriatur*: *& in can* 5. *Synodi Vernenſis, can.* 7. *Concilij Magunt.* & alijs vulgatis.

Commentarium huius textus dedimus *in cap. licèt, de præbend.*

TITVLVS VI.

De Iudæis, & Saracenis, & eorum seruis.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio a *Maticensi*.

ET licèt quid de Christianis, qui aut captiuitatis incursu, aut quibuscumque *b* fraudibus Iudæorum seruitio implicantur, debeat obseruari, non solùm canonibus, sed *c* legum beneficio iam pridem fuerit constitutum: tamen quia nunc ita quorundam querela exorta est, quosdam Iudæos per ciuitates, aut municipio consistentes in tantam insolentiam, & proteruiam prorupisse, vt nec reclamantibus Christianis liceat vel pretio de eorum posse & seruitute absolui: idcircò præsenti Concilio Deo auctore sancimus, vt nullus Christianus Iudæo deinceps debeat seruire; sed datis pro quolibet bono mancipio 12. *d* solidis, ipsum mancipium quicunque Christianus, seu ad *e* ingenuitatem, seu ad *f* seruitium licentiam habeat redimendi; quia nefas est, vt quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis maneant irretiti. Quod si acquiescere his, quæ statuimus, quicunque Iudæus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipium ipsum suum cum Christianis vbicunque voluerit habitare.

NOTÆ.

1 a *Maticensi*.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit.c.1.* sed malè, tam in ea, quàm in hac sexta: legendum enim est, *Matisconensi*, in quo Concilio *can.16.* reperitur textus hic prout in præsenti transcribo. Concilium hoc Matisconense 1. celebratum fuit sub Pelagio II. temporibus Gunteramni Regis Galliæ anno 581. hortatu ipsius Regis, ad morum reformationem, ac præcipuè Iudæorum petulantiam coercendam, vt referunt Baronius in eodem anno, Coriolan. *in summa Conciliorum*, Binnius & Sirmundus *in notis ad ipsum, tom.3. Regiæ editionis, fol.65.* In eo editus fuisse viginti canones, scripsit Ado Viennensis Episcopus *in chron.* his verbis: *Post Philippum Euancius vir sanctus Episcopus Viennæ leuatus est. Hic cum sancto Prisco, & Artemio Senonico, & Remigio Bituricensi, & cùm alijs sanctis Episcopis viginti capitula ecclesiastica perfectè roborauit.* Dictum est à Matiscona ciuitate Galliæ, de qua fratres Sarmat. *to.3.*

b *Fraudibus*.] Venditionibus videlicet iniustis.

c *Sed & legum.*] *L.1. C. ne mancipium christianum, leg. 57. C. de Episcopis, & cleric.* & aliarum, quas sequenti commentario dabimus.

d *XII. solidis*.] Iure ciuili æstimatio communis serui erat viginti solidorum, *leg.3. C. communia de legat. l. inter 26. §. fin. ff. mandati, l.4. ff. de seruis fugit. l. Papinian. 8. §. fin.* cum duabus legibus sequentibus, *ff. de inoffic. testam. l.2. C. de fideicommiss. libert. l. si mulier 31. ff. de minor. l. cùm ex falsis 47. ff. de manumiss. testam. l.1. §.5. Cod. de communi seruo*: vel quindecim, *l. vltim. de condit. institut. l.35. C. de donationib.* nisi aliqua arte, aut scientia essent præditi, iuxta distinctionem adductam *in d. l.1. §.5.* vel si eunuchi essent, *d. l. fin. C. commun. de legat. l. vnica, §. fin verò, C. de Latina libert. l. si seruus 27. §. etsi 28. ff. ad leg. Aquil.* quia pretiosiores erant, *l.3. §. idem, ff. ad l. Cornel. de sicar.* Paulus *lib.5. sentent. tit.23. l. fin. ff. de oper. seru. l. sed 9. §. fin. de iniurijs, l.3. §.4. ad leg. Iul. de vi*: ex rationibus, quas congerunt, & illustrant Suarez *ad leg. Aquil. lib.2. cap.3. sect.7.* Basilius Legion. *q.5. scholast. c.8.* Salmut. *ad Pancirol. lib.2. tit.2. pag.93.* De pretio solidorum egi *in cap. ex tuæ 20. de Simonia.* 2

e *Ingenuitatem*.] Idest libertatem, vt *in cap.1. de seruis non ordin.*

f *Seruitium*.] Permissum, vt exponit Bronchorst. *miscell. cent.1. assert.4.*

CAPVT II.

Gregorius *Venantio Episcopo* a *Lunensi*.

MVltorum ad nos relatione peruenit, à Iudæis in Lunensi ciuitate degentibus, in seruitio Christiana detineri mancipia. Quæ res nobis tantò visa est asperior, quantò à fraternitatis tuæ patientia operosior. Oportebat quippè te respectu loci tui, atque Christianæ religionis intuitu, nullam relinquere occasionem, vt superstitioni Iudaicæ simplices animæ, nón tam suasionibus, quàm potestatis iure quodammodò deseruirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, vt secundùm pijssimarum *b* legum tramitem, nulli Iudæo liceat Christianum mancipium in sua retinere domo. Sed, si qui penes eos inueniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione seruetur. Hi verò, qui in possessionibus eorum sunt, licèt ipsi ex legum districtione sint *c* liberi, tamen quia colendis eorum terris diutiùs adhæserunt, vtpotè conditionem loci debentes, ad colenda quæ consueuerant, rura permaneant, pensionesque prædictis viris præbeant: & cuncta quæ de *d* colonis, vel originarijs præcipiunt peragant, extrà quod nihil eis oneris ampliùs indicatur. Quod si quisquam de his, vel ad alium migrare locum, vel in obsequio suo retinere voluerit, ipse sibi reputet, qui ius colonarium temeritate sua, ius verò dominij sub iuris seueritate damnauit. In his ergo omnibus ita te volumus solerter impendi, vt nec direpti gregis pastor reus existas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehensibilem reddat.

NOTÆ.

1 a *Lunensi*.] *Lucensi*, legitur in hac sexta collectione, sed malè; legendum enim est, *Lunensi*, vt habetur *in capite præsenti, 54. distinct.* & in prima collectione, *sub hoc tit. capite 3.* & in ipsis Epistolis Gregorij, vbi *lib.3. epist.21. indict.12.* reperitur textus hic: ex quo regestro ita textum hunc restituo. Luna Etruriæ ciuitas in confinio Liguriæ, ad Macræ fluminis ostia, peruetusta Tuscorum Colonia, inter 12. ciuitates numerata: meminerunt Lunæ Liuius *lib.39.* Silius Italicus *lib.8.* relati ab Vghellio *tom.1. Italiæ sacræ, fol.893.* Cathedra Episcopali decorata fuit iam à primis Ecclesiæ temporibus. Eius Præsuli Sancto Venantio, quem nonnulli Laudensem Præsulem faciunt, rescribit in præsenti Gregorius.

b *Le-*

b *Legum.*] *L.1.C.ne Christianum mancipium, l.57.C.de Episc. & cleric.*

c *Liberi.*] Scilicet adscriptitij, de quibus egi *in cap.1. de seruis non ordin. c.3. de immunit. Eccles.* Vnde Iudæus potest habere adscriptitium Christianum in consequentiam ruris, quod possidet, vt docuerunt Azor. *p.1. institut. moral. lib.8.c.22.* Thom.Sanch. *lib.2.summ.c.31.n.21.* ex hoc textu, quem cùm non animaduerterent Platea *in l. quemadmodum, n.9. vers. Si quid, C.de agricol.* Surdus *de aliment. tit.8. priuil.89. n.2.* docuerunt, non posse Iudæum emere fundum, cui sunt adscripti serui Christiani.

d *Colonis, vel originarijs.*] De quibus plura D.Nicolaus de Castro *in l. vnic. C. de cap. ciuium*, vbi *n.19.* textum hunc exponit.

COMMENTARIVM.

3 Conclusio traditur, & probatur. EX his duabus constitutionibus sequens communiter deducitur assertio: *Iudæus Christianum mancipium retinere non debet, sed cogitur iusto pretio Christianis vendere; & si renuit, seruus eripitur in libertatem.* Probant eam textus *in cap. mancipia, c. præsenti, 54. dist. cap. etsi, c. multos, cap. Iudæos, 17. q.4. cap. cùm sit nimis, c. multorum, cap. ad hæc, cap. fin. hoc tit. c.2.* iuncta integra, *de constit. c. dilectus 29. de rescriptis, c. consuluit, c. 3. de appell.* Zacharias *in c.2. hoc tit. in 1. collect.* Honorius III. *in cap. vnic. hoc tit. in 5. compil.* Gregor. noster *lib.7. epist.11. ad Brunichildem Reginam*, ibi: *Miratis sumus, quod in regno vestro Iudæos Christiana mancipia possidere permittitis; quid enim sunt omnes Christiani, nisi membra Christi, &c.* Conc. Meldense *can.73. Christiana mancipia, quæ à Iudæis adducantur, aut possideantur, aut mundatoribus contradantur, aut certè Christianis emptoribus intra diem quadragesimum venundentur, & transacto hoc dierum numero, nec apud eos quolibet modo remaneant. Si autem quædam ex iisdem mancipijs talem ægritudinem fortassis incurrerent, vt infra statutos dies vendi non valeant, adhibenda solicitudo est, vt dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur, &c. nec Christiana mancipia in domo Iudæi habitare sinuntur.* Aurel.3. *c.13. De mancipijs Christianis, quæ in Iudæorum seruitio detinentur, si eis quod christiana religio vetat, à dominis imponitur; aut si eos de Ecclesia excusatos tollant pro culpa, quæ remissa est, & affligere, aut cædere fortasse præsumpserint, & ad Ecclesiam iterato confugerint, nullatenus à sacerdote reddantur, nisi pretium offeratur, ac detur.* Aurel.4. *can.27.* Meld. *can.73. Iudæis christianæ legis nolumus seruire personas, ne occasione domini sectum venerandæ religionis immutent.* Tolet. 4. *can.65. Ex decreto gloriosissimi Regis hoc sanctum elegit Concilium, vt Iudæis non liceat christianos seruos, nec christiana mancipia emere, nec cuiusquam consequi largitate. Nefas enim est, vt membra Christi seruiant Antichristi ministris. Quod si deinceps seruos Christianos, vel ancillas Iudæi habere præsumpserint, sublati ab eorum dominatu libertatem à Principe consequantur.* Tolet.8. *num.12* Cabilon. *can.9.* Basil. *sess.19.* quæ & alia iuris testimonia referunt Ant. August. *in epit. iuris, lib.12. tit.5.* Crespetius *in summ. verbo Iudęi seruos.* Consonant lex 1. 4. & 5. *C. Theodos. de Christ. mancip.* lex 5. 22. & 26. *eod. C. de Iudęis*, lex 22. *eod. C. de Pagan.* lex 59. *eod. C. de hęret.* lex 5. *eod. C. de contrah. empt.* lex 1. *C. Iustin. ne Christianum mancipium*, lex *ea quę 56. C. de Episcop. & cleric.* Nouella 144. Iustin *c.2.* lex 10. *tit.3 lib.12. legum Vuisigoth.* lex finalis, *tit.21. partit.4.* lex 13. *tit.9. par.6.* lex 10. *tit.24. p.7.* Illustrant Theologi cum D.Thom. *ad 2.2. q.10. art.10.* Tapia *to.2. catenæ mor. lib.1. cap.5. art.5.* P. Suar. *de fide, disp.18. sect.5.* I. Gothofred. *in l.22. C. Theodos. hoc tit.* Thomas Delbene *tom.2. de offic. Inquis. dub.23. sect.18.* Ricciulus *lib.2. de iure person. c.28.* Hunnius *in encyclop. par.1 tit.9.* Coruin. *in aphorism. iuris Pontif. lib.4. tit.4. & 5.* Azor. *1. par. instit. lib.8. cap.22.* Guttier. *de delict. lib.1. q.31.* Mattha *de iurisd. par.1. c.24. n.22.* Acuña *in cap. mancipia, 54. distinct.* Lindembrog. *in Glossario, verbo Iudęi mancipia*, Scortia *in select. Pontif. constit. epit.27. theoremat. 74.* Becanus *in opusculo de fide, cap.13. quęst.7.* Mancinus *in l. vlt. Cod. de Episc. & cleric.* Decianus *lib.5. tract. crimin. cap.10.* Cuiac. *ad tit. ne Christianum mancipium*, D. Nicol. de Castro *in l. vnic. C. de cap. ciuium, n.29.* Espenceus *lib.2. digress. cap.17.* Solorzanus *de iure Indiar. lib.2. cap.11. n.56. & lib.3. cap.5. num.59.* Larrea *decis.9 Granat. num.34.* Opingius *de iure insign. cap.2. num.62.* Simanchas *de catholic. tit.61. num.16.*

D.D. Gonzal. in Decretal. *Tom. V.*

Sed hæc assertio difficilis valdè redditur sequentibus iuris rationibus. Prima ex eo, nam emere quis, vel vendere rem propriam non cogitur, *l. nec emere, C. de iure deliber. l. inuitam, C. de contrah. empt.* ergo Iudæi cogi non debent seruos proprios, & legitimè acquisitos vendere, præcipuè cùm Ecclesia in Iudæos non baptizatos nullam habeat iurisdictionem, iuxta illud D. Pauli: *De his, qui foris sunt, quid ad nos?* Ergo Iudæi per Iudices Ecclesiasticos cogi nequeunt seruos Christianos vendere. Secundò difficilis est præsens assertio, dum in ea docetur, Iudæum renuentem vendere christianum mancipium, eius dominio priuari, seruumque liberum fieri, ac proclamare posse ad libertatem; nam receptior, communiorque sententia est, infideles ob solam infidelitatis causam priuari non posse dominio, quod habent supra fideles, vt post D.Th. docent Victor. *relect. 1. de Indis, n.6.* Sotus *in 4. dist.5. q.1. artic.10.* Bellarm. *tom.2. controu. lib.5. c.2.* pluribus relatis Solorzano *to.1. de iure Indiar lib.2. c.11. n.58.* Igitur Iudæi, eo quòd tales sint, non debent priuari dominio seruorum, quod ex iure gentium, mediante captiuitate, vel emptione acquisierunt. Accedit, nam si ex duobus coniugibus vnus ad fidem catholicam conuertatur, alterque conuerti renuat, si velit cohabitare sine contumelia Creatoris, non potest Catholicus eam deserere, immo potius cum ea cohabitare debet, *cap. gaudemus, de diuort.* vbi probauimus. Igitur multò magis serui, etsi domini eorum baptizari renuant, non debent eos deserere, & ad libertatem proclamare. (4 Impugnatur tradita assert.)

Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, cuius ratio assignatur in præsenti textu, & *in cap. etsi Iudæos, hoc tit.* ne videlicet filij liberæ famulentur filijs ancillæ, sed tanquam serui à dominis reprobati, se saltem per effectum operis recognoscant seruos esse Christianorum. Accedit, quia Iudæi quidem, ex quo Christum Dominum nostrum Regem agnouerunt ante faciem Pilati, & Regem Cæsarem agnouerunt, *Ioan. c.19. Act. Apost. c.17* communi Romano iure adeò viuunt in causis, tam ad eorum superstitionem, quam ad forum, leges ac iudicia pertinentibus, vt etiam quædam iuxta legem suam eis licita retinere prohibeantur. Nec enim, exempli gratia, possunt in diuersa sub vno tempore coniugia conuenire, *leg. Iudæi, l. nemo, C. de Iudæis*, quæ sunt Arcadij, Honorij, & Augusti. Quibus prior Constantinus legem tulit, ne Christianum mancipium Iudæus possideat, *l. vnic. C. ne mancipium christianum.* Referunt Eusebius *in eius vita, cap.27.* ibi: *Sanxit etiam, ne Christianus quisque seruiret Iudæis.* Sozomen. *lib.3. c.17.* Sed hanc constitutionem etiam ad Paganos & hæreticos porrexit Iustinian. *in l. fin. C. de Episc. & cler.* ita vt similes serui liberi fierent: cuius legis auctoritate Patres Ecclesiæ seruos Christianos Iudæorum, legum districtione liberos esse, & ad libertatem iuxta legum præcepta perducendos in præsenti sanxerunt, & in iuribus suprà relatis. Accedit præcipua ratio timoris subuersionis; nam facilè Iudæi seruos Christianos subuerterent blanditijs, aut tormentis, & eorum dominatio intolerabilis fieret; nam vt ait Cicero Philippica 3. *Cùm omnis seruitus sit misera, tunc verò intolerabilis seruire impuro.* Sic Sosia Amphytrionis seruus apud Plautum *in Amphytrione*: (5 Traditur decidendi ratio.)

Ergo in seruitute expetunt multa iniqua:
Habendum, & ferendum hoc opus est cum labore.

Meritò erga Ecclesiæ PP. statuerunt, Iudæos mancipium Christianum possidere non posse, sed potiùs illum vendere XII. solidis Christiano cogi, si illum mercimonij causa emissent; aliàs eripiendum esse in libertatem. Iure nostro Regio *in d.l.8. tit.22. partit.4. l.22. tit.11. p.5. l.10. tit.24. p.7.* pœna mortis iniungitur Iudæis, qui mancipia Christiana detinere præsumpserint: & *in l.13. tit.9. p.6.* prohibetur mancipium Christianum Iudæo legari, & instrumentum, quo venditio mancipij Christiani Iudæo fit, inualidum declaratur *in l.6. tit.3. p.3.* & iudicium, quo id comprehenditur, contra leges esse, & inualidum traditur *in l.1. tit.2. p.3.* quibus adde plura, quæ tradit Azeuedo *in l.2. tit.2. lib.8. recopil. à num.29.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt regulariter vetitum sit, neminem cogi rem propriam vendere, vt probat Heraldus *lib. vnic. emend. c.26.* vbi exponit legem 9. *ff. de act. rer. amotar.* legem 65. §.1. legem 70. *ff. de R. V.* sæpè tamen contrarium obseruatur, & tenetur dominus rem propriam distrahere, vt probat Hermosilla *in leg.3. tit.5. part.5.* Vnde ob causam ita (6 Dissoluitur ratio dubitandi.)

 iustam,

Digitized by Google

iustam, vt est periculum subuersionis, mirum non est, vt teneatur Iudæus seruum Christianum vendere. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, pro cuius solutione sciendum est, valdè controuersum esse inter Doctores, an infideles ex eo tantum, quod infideles sunt, possint priuari dominio, quod habent supra Catholicos? Quam quæstionem disputant Couarr. *in reg. peccatum, 2. p. §. 11. n. 5. de regul. iur.* Salon. *in tract. de domin. q. 3. art. 1.* Sayr. *in Claui Reg. lib. 9. c. 6. n. 12.* Less. *de iust. lib. 2. c. 5. dub. 4. n. 11.* Acuña *in d. c. mancipia*, Bañes *ad 2. 2. tract. de fide, c. 13.* In qua quæstione D. Tho. 2. 2. *q. 10. art. 10.* affirmatiuam sententiam tenet ex ea ratione, quia infideles propter suam infidelitatem digni sunt, vt priuentur omni dominio. Alij simpliciter negant, & vtramque sententiam problematicè probat perdoctus Solorzanus *vbi suprà*, qui videndus est; nam quoad præsentem casum facilis est solutio, siquidem in eo agunt Ecclesiæ Patres de Iudæis subiectis Principibus Christianis, à quibus virtute supremæ potestatis, & dominationis lex lata est, vt nullus Iudæus Christianum mancipium possideat, aut retineat, *d. l. 1. C. ne Christ. mancip.* & Princeps Christianus potuit talem legem in sua ditione promulgare, vt aliud tributum illis indicere valebat. Vnde notandum est, tam *in hoc c. 1. & 2.* quàm in alijs canonibus suprà relatis, dum de hac priuatione dominij Iudæorum in seruos Christianos PP. agunt, semper referre suas constitutiones ad leges sæculares *in d. c. 1.* ibi: *Legum beneficio.* Conc. Tolet. 4 *can. 65. Ex decreto gloriosissimi Regis*, Notauit Larrea *d. dec. 9. n. 35.* Accedit, nam Ecclesia potestatem habet cohibendi, & puniendi infideles, si non pœnis spiritualibus, de quibus accipiendus est D. Paulus suprà laudatus, pœnis temporalibus, & corporalibus, *c. postulasti, c. consuluit, hoc tit. c. Iudæi, de testib. c. post miserabilem, de vsuris, c. in Archiepisc. de rapt.* probat fusè Solorzan. *to. 1 lib. 2. c. 15. n. 4.* Nec tandem obstat, quod expendebamus de matrimonio Catholici cum Gentili; nam cùm ambo in ipsa gentilitate validè quoad vinculum matrimonij contraxerint, alio ad fidem conuerso, altero in infidelitate remanente, non dissoluitur matrimonium, nisi infidelis cohabitare renuat sine contumelia Creatoris, vt probaui *in can. 10. Concilij Illiberis*, propter vinculum contractus legitimè celebrati, quod in præsenti casu non datur: & ita ob conuersionem serui ad fidem Catholicam priuari potest dominus eius dominio.

7 Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in can. 3. Concilij Gangren.* in illis verbis: *Si quis docet, seruum pietatis prætextu dominum contemnere, & à ministerio recedere, & non cum beneuolentia omni honore domino suo inseruire sit anathema.* Refert Gratianus *in c. si quis seruum, 37. dist.* & ex Martino Brachar. *in c. si quis, 17. q. 4.* Igitur non rectè in præsenti docetur, seruum Christianum proclamare posse ad libertatem, quando dominus eius Iudæus est, renuitque ipsum iusto pretio vendere. Pro cuius canonis expositione dicendum est, quod illis prioribus Ecclesiæ sæculis, cùm celebratum fuit Concilium Gangrense, quando sub Principibus Gentilibus fideles erant, ne cui christiana religio inuida videretur, & vt obtrectatores quid in ea reprehenderent, non haberent, sed magis erubescerent, magna cura prædicatum, & obseruatum fuit, vt serui diligenter dominis suis obedirent, honoremque impenderent. D. Paul. *ad Tit. c. 2.* Pace verò data, & libertate externa per Principes Catholicos Ecclesiæ restituta, Cæsares ipsi, & Ecclesiæ Patres statuerunt, ne Iudæi Christianum mancipium possiderent, vt docuit Espenceus *ad Epist. Pauli, lib. 2. digress. c. 17.* & ita ad priora illa sæcula referendus est dictus canon Concilij Gangrensis, quod celebratum fuit anno Christi 324.

Exponitur can. Si quis seruum ijdit.

C A P V T III.

Gregorius *Ianuario Episcopo* a *Caralitano.*

IVdæi de ciuitate vestra huc venientes questi nobis sunt: quod Synagogam eorum, quæ Caralis sita est, Petrus, qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est *b* Dominico, in ipsa festiuitate Paschali, cum graui scandalo, sine vestra occupauerit voluntate, atque imaginem illic Genitricis Dei, Dominique nostri, & venerandam crucem, & birrum *c* album, quo de fonte resurgens indutus fuerat, posuisset. De qua re, & filiorum nostrorum Eupaterij gloriosi magistri militum, atque magnifici Pij in Domino Præsidis, aliorumque nobilium ciuitatis vestræ ad nos hæc eadem scripta attestantia cucurrerunt. Qui etiam adiecerunt à vobis hoc præsensum, & prædictum Petrum, ne hoc auderet, fuisse prohibitum. Quod cognoscentes, omninò laudauimus, quia sicut reverà bonum decuit sacerdotem, nihil fieri vnde iusta esset reprehensio, voluistis. Sed quia per hoc, quod minimè vos in his, quæ prauè acta sunt, miscuistis, displicere vobis quod factum est, demonstrastis: considerantes hac de re vestræ voluntatis intentum, ac magis iudicium, his hortamur affatibus, vt sublata exinde, cum ea, qua dignum est, veneratione, imagine, atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est, reformare: quia sicut *d* legalis diffinitio Iudæos nouas non patitur erigere Synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo supradictus Petrus, vel alij, qui ei in hac indisciplinationis prauitate præbuere solatium, sine consensu hoc zelo fidei se fecisse respondeant, vt per hoc quasi eis necessitas fieret conuertendi, admonendi sunt, atque scire debent, quia hac circa eos temperantia magis vtendum est, vt trahatur ab eis velle, non reniti, non vt adducantur inuiti, quia *e* scriptum est: Voluntariè sacrificabo tibi, idest, ex voluntate mea confitebor tibi. Sanctitas ergo vestra gratiam inter ciuitatis suæ habitatores, adhibitis sibi filijs suis, quibus vna vobis hæc displicent, sacerdotali adhortatione, sicut eam decet, studeat facere, quia in hoc maximè tempore, quando de hoste formido est, diuisum habere populum non debetis. Quia verò non minorem de vobis, quàm de nobis solicitudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum curauimus, quod finita hac pace, Agiulphus Longobardorum Rex pacem non faciet. Vnde necesse est, vt fraternitas vestra, dum licet, ciuitatem suam, vel alia loca fortiùs *f* muniri prouideat, atque immineat, vt abundanter in eis condita procurentur: quatenus dum hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inueniat quod lædat, sed confusus abscedat. Sed & nos pro vobis quantum possumus cogitamus, & ijs, quorum interest, vt se ad obsistendum, Deo adiutore, præparare debeant, imminemus: quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis; ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

N O T Æ.

1 a CAlaritano.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 4.* & in ipsis Epistolis D. Gregorij, vbi *lib. 7. indictione 2. Epistol. 5.* reperitur textus hic, ex quo registro eum transcribo. De Calaritana diœcesi nonnulla adduxi *in capite finali, de postulatione Prælatorum.*

b De-

Digitized by Google

b *Dominico in ipsa festiuitate Paschali.*] Paschatis enim Sabbatum ex veteri Ecclesiæ instituto baptismi sacramento conferendo destinatum fuisse, probant Victor Papa in Epist.2. ad Theophilum Alex. Episcopum, ibi: Celebritatem sancti Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri iam statuerunt, & nos illud vobis eadem celebrari solemniter mandamus: à quarta decima verò luna primi mensis, vsque ad vigesimumprimum eiusdem mensis diem eadem celebretur festiuitas: eodem verò baptismus celebrandus est. Catholicus Tertul. de baptismo c.19. Diem baptismo solemniorem Pascha præstat, cùm & passio Domini in qua tingimur, adimpleta est. Nec incongruenter ad figuram interpretabimur, quod cùm vltimum Pascha Dominus esset acturus, missis discipulis ad præparandum: Inuenietis, inquit, hominem aquam baiulantem. Paschæ celebrandæ locum de signo aquæ ostendit. D. Basil. de exhort. ad Baptismum. Quod tempus baptismo cognatum est, quàm Paschalis dies? quòd ea lux resurrectionis monumentum quoddam existat. Baptismi namque ad resurrectionem facultas, arraboque est resurrectionis. Ergo gratiam inde resurrectionis excipiamus. Et c.sequitur 90. de consecr. dist.4. Plura congerit, rationem huius sacri ritus illustrans Ioseph. Vicecomes lib.1. de ritib. Baptismi, c.19. cum seqq.

3 c *Birrum album.*] In ipso baptismo vestem candidam dari recenter baptizatis, iam à temporibus Apostolorum vsque ad nostra sæcula, constat ex Dionysio de Eccles. hierarch. c. de baptism. ibi: In tribus eius, qui initiatur, demersionibus, emersionibusque, trium diuinæ beatitudinis personarum nomina appellat, & inuocat; acceptumque eum sacerdotes, & sponsorij, & duciniæ permistuas, eundemque cum veste eo digna induerunt. B. Cyril. Hyerosol. Exutis vestibus antiquis, & ijs, quæ sunt secundùm spiritum albæ, indutis, perpetuò iam in albis incedere oportet. D. Chrysost. hom. in Psal. 118. Habetote tunicam mundam, sicut accepistis in baptismo: nullus eam maculet moribus suis, nullus prauitate cordis scindat tantam pulchritudinem vestis: talem accepistis vestem in baptismo, qualem habuerunt Angeli, qui seruabant Dominum in sepulchro; quia sicut nix, ita erat vestis eorum. Fortunat. lib.4 de Iud. ad fid. adductis:

Lacteus hinc vestis color est, hinc lampade fulgor
Ducitur & vario lumine picta dies.

Meminerunt huius sacri ritus quamplures Ecclesiæ Patres, necnon Historici congesti à Iosepho Vicecomite lib.5. de ritib. baptismi, cap.6. cum quatuor seqq. D. F. Ioseph à Sancta Maria Carthusianus de cæremonijs baptismalibus, cap.25. & 26.

d *Legali.*] Relata in l. vlt. C. de Iudæis.

e *Scriptum est.*] Psalmo 53.

f *Muneri prouideat.*] Quod etiam eidem commendat
4 eod. lib.7. ep.2. his verbis: Quid in Sardinia hostes nostri fuerint operati priùs quàm fraternitatis vestræ epistola ad nos perueniret, agnouimus: & quia hoc futurum dudum metuimus, euenisse quod præuidimus, nobiscum nunc gemimus. De hac pace cum Agiulpho inita nonnulla adduxi in cap....

COMMENTARIVM.

5 Conclusio traditur, & probatur.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Iudæi inter Christianos commorantes, veteres synagogas reficere, & reparare valent; nouas verò erigere nequeunt.* Probant eam idem Gregor. lib.1. epist. 34. ad Ioannem Episcopum Taracinen. ibi: Ioseph præsentium lator Iudæus insinuauit nobis, quod de loco quodam, in quo ad celebrandas festiuitates suas Iudæi in Taracinensi castro consistentes conuenire consueuerant, tua eos fraternitas expulerit, & in alium locum pro colendis similiter festiuitatibus suis, te quoque noscente, & consentiente migrauerint; & nunc de eodem loco etiam expulsos se denuò conqueruntur. Quod si ita est, volumus vt tua fraternitas ab huiusmodi se querela suspendat, & ad locum quem, sicut prædiximus, cum tua conscientia, quò congregentur, adepti sunt, eis sicut mos fuit, liceat conuenire. Et l. fin. §. penult. C. de Iudæis. Theodoric. in suo edicto apud Cassiod. lib.2. epist. 27. ibi: Sicut exorati iustum cupimus præbere consensum; ita per nostra beneficia fraudes fieri legibus non amamus, in ea parte præcipuè, in qua diuinæ reuerentiæ credimus interesse. Ne ergo insultare videantur elati, diuinitatis gratia destituti. Quapropter tegmen tantùm vetustis parietibus superimponere Synagogæ vestræ, præsenti vos auctoritate censemus, petitionibus vestris eatenus licentiam commodantes, quatenus constituta diualia permiserunt. Nec aliquid ornatus fas sit adijcere, vel in ampliandis ædibus euagari. Noueritis vos seueritatem minimè diffugere veteris sanctionis, si rebus non abstineatis illicitis. In ipsis verò parietibus cooperiendis, vel reficiendis tantùm licentiam damus, si vobis triennalis non potest, obesse præscriptio. Quid appetitis, quæ refugere deberetis? Damus siquidem permissum, sed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur vt credat inuitus. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, P. Gregor. lib.2. partit. tit.5. c.2. Mendoza lib. 3. Concil. Illiberit. c.46. & 47. Cuiac. lib.16. obseru. cap.3. Azor. p.1. instit. c.22. Iacob. Gothofred. in opusc. de templis demoliendis, Thomas Delbene par.1. de offic. Inquis. dubit.236.

Sed pro dubitandi ratione ita argumentor. Perduellium, tyrannorumque ædificia solo coæquantur in pœnam tam grauis sceleris, l. is, cum quo 20. ff. communi diuid. l.2. §. si quis nemine, l. vlt. ff. ne quid in loco publico, l. fideicommissa 11. §. qui illicitè, ff. de legat.3. l.24 ff. de pœnis. Illustrant Vulteius discept. iur. c.9. Durantius Casel. lib.2. var. c.16. Cabreros lib.2. de metu, c.30. n.6. Sed nulla potest admitti culpa maior, quàm Iudaica superstitio, & Iudæorum perfidia. Igitur eorum Synagogæ non reficiendæ, immò diruendæ, euertendæque omninò sunt. Facit exemplum Paganorum, quorum templa claudi, & demoliri iubetur in l.1 l. omnia 5. C. de paganis, l.4 C. Theodos. eod. tit. l.16. eod. tit. & C. Si qua in agris templa sunt, sine turba, ac tumultu diruantur; his enim deiectis, atque sublatis, omnis superstitionis materia consumetur. D. August. lib.18. de Ciuit. Dei, cap. vlt. In ciuitate notissima Carthagine Africæ Gaudentius, & Iouius Comites Imp. Honorij, xiv. Kal. April. falsorum Deorum templa euerterunt, & simulacra fregerunt: quas constitutiones SS. PP. collaudarunt, immo & auctores earum se præstiterunt, vt constat ex Cypriano in exhort. ad martyr. c.5. vbi alia citat Pamelius ex Eusebio lib.2. de vita Constantin. c.34. & 44. & lib.4. c.23. Ruffino lib.2. hist. c.19. Nicephoro lib.7. c.46. & lib.8. c.33. Ambrosio lib.5. epist. 30. August. lib.1. de epistolis Parmen. cap.7. & epist. 48. & 50. nisi exinde publicus vrbis aspectus deformetur; nam tunc propter ornatum ciuitatis demoliri non debent, l. sicut, C. eod. tit. ad quem ornatum respexerunt PP. Concilij Africani sub Bonifacio can.5. in illis verbis: Instant etiam aliæ necessitates à Religiosis Imperatoribus postulandæ, vt reliquias Idolorum per omnem Africam iubeant penitus amputari; nam plerisque in locis maritimis, atque possessionibus diuersis, adhuc erroris istius iniquitas viget, vt præcipiant, & ipsa doleri, & templa eorum, quæ in agris, vel in locis abditis constituta, nullo ornamento sunt, iubeantur omni modo destrui. Quam demolitionem temporum probant, & illustrant Ioannes Baptista Fikerus in Theolog. Iuridic. fol.507. I. Gothofred. in opusc. de templ. demol. Solorzan. to.2. lib.1. cap.24. n.53. Iustel. ad can.58. Eccles. Afric. Igitur similiter synagogæ, in quibus Iudaicæ festiuitates, & cæremoniæ exercentur in opprobrium Catholicæ Religionis, omninò sunt diruendæ, euertendæque, non verò reficiendæ, aut reparandæ. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si Iudæis simul cum Catholicis commorantibus permitteretur Synagogas habere, easque reficere, & reparare; concederetur illis earum vsus, idest exercitium cæremoniarum suæ religionis, quarum causa Synagogas ædificant, in eisque conueniunt, vt infrà dicemus: sed Iudæis commorantibus inter Catholicos prohibetur vsus suorum rituum, vt mortuos cum cantu sepelire. Concil. Narbonense sub Recharedo, ibi: Iudæis non licet corpus defuncti deducere psallendo, sed vt eorum habuit mos, & consuetudo antiqua, corpus deducant, & deponant. Pascha celebrare. Concil. Tolet.4. can.9. ibi: Ne Iudæi more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcisionem exerceant. Igitur frustrà illis permittitur synagogas reficere, & habere. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex eo, nam reficere ædificare est, l.1. §.9. ff. de ædific. ibi: Ædificare autem, non solùm qui nouum opus molitur, intelligendus est, verùm is, quoque, qui vult reficere. Sed nouas Synagogas ædificare Iudæis non licet: igitur nec veteres reficere. 6 Impugnatur tradita assertio

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, Synagogam dictam esse à Græco verbo synago, quod est colligo; vnde synagoga Græcè, Latinè dicitur collectio: quare loca illa, vbi Iudæi congregabantur ad legendam, & audiendam legem Mosaicam, Synagoga dicebatur. Nec tantùm Synagogæ Iudæorum erant in Iudæa, & Gali- 7 De Synagogis Iudæorum.

Digitized by Google

læa, verùm in aliis prouinciis, vbi Iudæi degebant, veluti Damasci, Salaminæ, Antiochiæ, Pisidiæ, Thessalonicæ, Athenis, Corinthi, Ephesi, vt habetur in actibus Apostolorum *cap.9. vers.2. cap.13. vers.5. cap.14. vers.1. cap.17. vers.1. & cap.18. vers.4.* nam in illis ciuitatibus habitabant Iudæi permixti cum Gentilibus, vt patet ex locis citatis. Vnde etiam Synagogæ, quæ ibi erant, non appellabantur Synagogæ Gentilium, sed Iudæorum. Actorum *cap.13. vers.5. Cùm venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum.* Et *cap.14. vers.1. Factum est autem Iconij, vt simul introirent in Synagogam Iudæorum.* Et *cap.17. vers.1. Venerunt Thessalonicam vbi erat Synagoga Iudæorum.* Et earum vsum apud Iudæos inualuisse ante constructionem templi, probant Cochier *in face histor. cent.2. cap.27.* Becanus *in analog. cap.12. num.38.* & vltimis temporibus refert Sigonius *de Repub. Hebræor. lib.2. cap.8.* in vrbe Hierosolyma trecentas octoginta Synagogas constructas fuisse, eo quòd Iudæi eò ex omnibus regionibus conuenirent. Erant ergo Hierosolymis Synagogæ peregrinorum, & templum ciuium: in reliqua verò Iudæa, & Galilæa, & in cæteris prouinciis, in quibus Iudæi post dispersionem versabantur, erant etiam Synagogæ incolarum, quibus Hierosolymam adire non erat commodum. De Hierosolymitana vna Synagoga mentio fit præcipuè *Actuum Apost. cap.6. Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, ac eorum qui erant è Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano.* Hi enim omnes erant Iudæi, verùm in prouinciis habitantes, qui cùm Hierosolymam negotiorum suorum causa adibant, non ad templum, sed ad synagogam, quam ipsi sibi parauerant, conuenire instituerant. Item apud Ioannem *cap. 8. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt.* De cæteris *cap. Actuum 15. Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.* Per Moysem autem intelligit libros eius. Hæ verò synagogæ aliquando à priuatis hominibus etiam Gentilibus, pij officij causa constituebantur, vt fuit illa *Lucæ 7.* in Capharnao à Cẽturione Romano; sic enim dixere Iudæi: *Dignus est vt sanes illi seruum, diligit enim gentem nostram, & synagogam ædificauit ipse nobis.* In singulis synagogis erant cathedræ, & sedilia, in quibus sedebant tum illi qui legebant, & explicabant legem Moysis; tum illi qui audiebant, vt patet *ex cap.23. Matthæi, vers.6.* vbi de Scribis, & Pharisæis dicitur: *Amant primas cathedras in synagogis.*

8 De vsu synagogarum. Sed vt ad vsum, in quem ædificatæ fuerunt synagogæ, perueniamus, sciendum est, triplici ex causa synagogas à Iudæis construi. Prima ad docendum; nam solebant DD. populi singulis Sabbatis conuenire ad synagogas, ibique legere, & explicare libros Moysis, ac Prophetarum. *Actuum Apostol. cap.15. vers.21.* ibi: *Moyses à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne Sabbatum legitur.* Ordinarij autem DD. erant Scribæ, & Pharisæi, de quibus *cap.23. Matthæi, vers.2. Super cathedram Moysis sederunt Scribæ, & Pharisæi.* Quod officium sæpè exercuit Christus Dominus, vt refertur *Marci cap.1. vers.21.* ibi: *Sabbatis ingressus in synagogis docebat eos.* Et *cap.4. Lucæ, vers.15.* ibi: *Et docebat in synagogis eorum.* Aliquandoque illuc accedentes inuitabantur ad prædicandum, vt de Paulo, & Barnaba legitur *Actuum Apostol. c.13. vers.14. Ingressi synagogam die Sabbatorum sederunt: post lectionem autem legis, & Prophetarum, miserunt Principes synagogæ ad eos dicentes: Viri fratres, si quis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite,* &c. Sic etiã & Christus Dominus ab eis inuitatus docuit in synagoga, vt refertur *Lucæ cap.4. vers.16.* Secundò solebant Iudæi orationis causa conuenire in synagogis, vt constat *ex cap.6. Iudith, vers.21.* ibi: *Conuocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt petentes auxilium à Deo Israel.* Vbi per Ecclesiam non potest aliud intelligi, quàm synagoga, vt etiam accipitur *psalmo 25. vers.12.* & *psalmo 67. vers.27.* & constat *ex cap.6. D. Matthæi, vers.5.* ibi: *Cùm oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare.* Tandem solebant Iudæi in synagogis punire eos, qui verè deliquerant, vel falsò putabantur deliquisse, iuxta illud Matthæi *cap.1. vers.17. In synagogis suis flagellabunt vos.* Et *cap.23. Matthæi, vers.34 Mitto ad vos Prophetas, & ex illis flagellabitis in synagogis vestris.* Et *Actuum Apost. c.22. vers.19. Ego eram concludens in carcerem, & cædens per synagogas eos, qui credebant in te.* Et *cap.26. vers.11. Per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare.* Plura de his synagogis, & earum religione congesserunt vltra Theologos positiuos in locis sacræ paginæ suprà relatis, Torniellus *in annalibus, anno mundi 2594.* Becanus *in analogia, cap.12.* Kochier *in face histor. cent.2. cap.27.* Simon Maiolus *dierum canicul. cent.2. cap.27.* Nouarinus *lib.5. schediasm. cap.2.*

His suppositis ratio præsentis assertionis, quare videlicet Iudæis permittitur retinere veteres synagogas, & reficere, non verò nouas construere, prouenit ex eo, quia etsi Iudæi fouendi non sint, immò potiùs arguendi, & increpandi; tamen in suis synagogis inquietandi non sunt: quod & Romani Imperatores, qui illis valdè infesti fuerunt, & Ecclesiæ PP. statuerunt. Imperatores *in l. spadonem 15. §.6. ff. de excusat. tutor.* ibi: *Iam autem Iudæi, & non Iudæorum tutores erunt, sicut & reliqua administrabant.* Constitutiones enim in ijs solùm sine molestia esse iubent, per quę cultus inquinari videtur, *l.3. §. fin. ff. de decur. l.2. l. die 13. C. de Iudæis, l. Christiani 6 C. de paganis, l.24. C. Theodos. eod. tit.* Solorzanus *tom.2. de Iure Indiar. cap.10.* quare etsi eorum collegia improbata essent, vt probant Brissonius *lib.1. select. cap.4.* Osualdus *lib.18. Donelli, cap.7. littera N,* (etsi contrarium teneat Cuiac. *lib.7. obseru. cap.30.*) tamen eorum Synagogæ immunes erant ab hospitio, eorumque ritus tolerabantur, veluti circumcisio, *l. circumcidere 11. in princip. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs.* Feriæ Neomeniarium, aliarumque solemnitatum, *l. fin. C. Theodos. de ferijs, l.20. eod. C. de Iudæis, l.8. eod. Cod. de executionibus*: ideòque Iudæum in ius vocari non posse die Sabbati, docetur *in l. die 13. C. de Iudæis.* Vnde rectè Fornerius *lib.2. rer. quotid. cap.4.* restituit negationem *in l. Iudæi 8. C. de Iudæis*: vbi vulgò legitur: *Iudæi communi Romano iure viuentes in his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum & leges;* cùm legendum sit, *in his causis, quæ non tam ad superstitionem eorum,* vt habetur *in l. Iudæi, C. Theodos. de Iudæis.* Facit Cassiodorus *lib.5 epist.37.* ibi: *Libenter annuimus, quod sine legum iniuria postulatur, maximè cùm pro seruanda ciuilitate, nec illis sunt neganda beneficia iustitiæ, qui adhuc in fide cognoscuntur errare. Atque ideò discant rerum bonarum suauissimum saporem: vt qui humanam iustitiam nituntur quærere, solicitiùs incipiant diuina iudicia cogitare. Proinde quoniam nonnullorum vos frequenter causamini præsumptione laceratos, & quę ad Synagogam vestrum pertinent, perhibetis iura rescindi, opitulabitur vobis mansuetudinis nostræ postulata tuitio. Quatenus nullus ecclesiasticus, quæ Synagogæ vestræ iure competunt, violentia intercedente peruadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat. Sed vt religionis cultuum, ita & actuum sint conuersione discreti: hac tamen moderatione principalis auxilij beneficium concedentes, vt nec vos quod ad præfatæ Ecclesiæ ius, vel religiosas personas certò legibus pertinere constiterit, inciuiliter attrectare tentetis. Tricennalis autem humano generi patrona præscriptio, vt cunctis, ita vobis iure seruabitur: nec conuentionalia vos irrationabiliter præcipimus sustinere dispendia, vt hac pietatis nostræ defensione muniti, petitio vestra ab illicitis se liberatam gratuletur incommodis. Concedimus quidem, clementiæ nostræ consuetudine, quæ rogastis. Sed quid Iudæe supplicans temporalem quietem quæris, si æternam requiem inuenire non possis?* Et *lib.4. epist.43.* Quod constitutum est, vt ita blanditijs, & beneficijs ad fidem nostram Catholicam alliciantur. Rectè ergo in præsenti iuxta legitimas sanctiones statuit Gregorius, Iudæos veteres Synagogas reficere posse, nouas verò construere non valere. In ipsarum autem refectione fideles Catholici calcem, lapides, ligna vendere nequeunt, vt docent Azor *par.1. lib.8. instit. cap.22. quæst.5.* Ricciulus *de iure person. lib.2. cap.39. num.5.* Licèt enim Ecclesia sinat Iudæos veteres Synagogas reficere; tamen Catholici hoc faciendo peccant, quia non rectè sequitur: Iudæi possunt reficere Synagogas veteres: Ergo ad hanc refectionem possunt cooperari Christiani. Nam hoc dato sequeretur, quod omnia quæ tolerantur Iudæis, possent fieri per Christianos, contra textus disertos *in can.63. Apost.* ibi: *Si clericus, vel laicus ingrediatur synagogam Iudæorum ad orandum, deponatur, & excommunicetur.* Et *can.70.* ibi: *Episcopus, Presbyter, Diaconus, Clericus ieiunans cum Iudæis, vel festa celebrans, vel xenia festorum ab eis accipiens, vt azyma, vel aliud quid, deponatur; laicus excommunicetur.* Et

9 Traditur decidendi ratio.

can.71.

can.71. ibi: *Si Christianus oleum deferat in templo Gentilium, vel in Synagoga Iudæorum in eorum festis diebus, aut lucernas incendat, excommunicetur.* Synodus Laodic. *can.* 29.37.& 38. Non autem licet illis ampliores, & pretiosiores Synagogas facere, *cap. consuluit, hoc tit.* Vnde conquerebatur Clemens IV. *epist. ad Episcopos Poloniæ*, ibi: *Synagogas Iudæi ædificant plumbo tectas desuper, intus diuersis coloribus depingunt, in tantam eas altitudinem producentes, vt earum respectu decorem domus Domini perdidisse in Polonia videatur.* Aliquando tamen inspiratione diuina fuisse à Christianis dirutam Synagogam, legimus apud Greg. Turon. *lib.6. cap.11.*

10 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt perduellium, & similium reorum domus diruantur, delubraque, & templa Gentilium, tamen Synagogæ Iudæorum tolerantur ex varijs rationibus. Prima, quia dum intra eas Iudæi congregantur sine fidelium scandalo, licèt peccent in Deum, non agnoscendo fidem Catholicam, non tamen peccant in ipsam religionem Christianam, aut proximum. Secunda, nam tolerantur cæremoniæ Iudæorum, non verò Paganorum; quia in ritibus Iudæorum olim præfigurabatur veritas fidei, quam tenemus: vnde nobis resultat, quod testimonium fidei nostræ habemus ab hostibus, & quasi in figura nobis repræsentatur. Ritus autem Paganorum nihil vtilitatis afferunt, quare permitti non debent à Principibus Catholicis: mala enim, seu peccata tolerantur, vel propter aliquod bonum, quod ex illis prouenit, vel propter aliquod malum, quod euitatur: docet D. Thomas 2.2. *qu.10. art.11.* Quare cùm neutrum ex his proueniat templis Gentilium, ideò diruenda sunt, vt demoliri fecerunt Imperatores Catholici varijs constitutionibus, quæ extant tam in Codice Theodosiano, quàm Iustin. *sub tit. de paganis*: & referunt Sozomenus *lib.4. cap.1.* Alciatus *lib.1. parerg. cap.13.* Solorzanus *tom.1. lib.2. cap.20.* vbi *nu.* 25. refert historiam textus *in l.1. C. de paganis*, Baronius *anno Domini 326.* Ficlerus *in Theolog. iurid.* licèt aliquando etiam à Principibus Catholicis templa ipsa permissa legamus, vt *in l.1. C. Theodos. de fid. Cathol.* saltem vt negotiandi causa, non verò sacrificandi, ibi conueniretur, *l. ædem 8. C. Theodos. de paganis*: aut ne illis dirutis aspectus vrbium deformaretur, *l. sicut 15. l.18. C. Theodos. de Pagan.* Quæ ratio quia cessabat in agris, ideò permissum fuit templa in eis posita diruere, *l. si qua 16. C. Theodos. eod. tit.* refert Baronius *anno 401. num.17. & 39.* Aliquando etiam templa ipsa destructis eorum aris, vsibus publicis assignata fuerunt, *l. templorum 19. C. Theodos. eod. tit.* quæ lata est anno 408. vbi etiam detractæ fuerunt annonæ, & redditus, vt rem annonariam iuuarent (sic legendum est, non *nubente*,) vt præsensit Salmasius *in notis ad Vopiscum in Aurelian.* idest, vt redditus eorum publicæ annonæ deseruirent, *l.4. C. de diuers. prædijs, l. fin. C. de fundo patrim.* Nec obstat augmentum difficultatis deductum ex dictis Concilijs Tolet. & Narbonensi. Nam respondendum est, quod licèt Iudæis permittatur Synagogas reficere, in eisque conuenire, ad suos ritus peragendos, solemnitatesque celebrandas consuetas; tamen nouas instituere, aut antiquas reficere publicè in opprobrium religionis Catholicæ, & scandalum fidelium, illis prohibetur, vt *in d. can.9. Concilij Narbon* vbi prohibetur, ne cum cantu deferant Iudæi cadauera defunctorum, quia illi nouiter cantum adhibere in suis funeribus intendebant: ideò illis tantùm permittitur cadauera iuxta veteres ritus deferre. In dicto autem Concilio Tolet. 12. prohibentur cæremoniæ illæ Iudæis iam baptizatis, non verò illis existentibus in ipsa perfidia Iudaica: quod facilè probatur; nam in eo referuntur leges Recesuuinti Regis, quæ extant *in tit.2. lib.12. fori iudic.* & in earum prima expressè agitur de Iudæis baptizatis vtentibus priscis cæremonijs: quam prohibitionem firmarunt PP. *in d. Concil. Tolet.2. can.9.* Nec obstat vltimum augmentum deductum *ex d. l.1. §. fin. de mortuo infer.* nam longè aliud est facere, aliud verò reficere, *l.3. §. penult. ff. de itinere, actuque*: licèt verbum faciendi generaliter sumptum, etiam refectionem contineat, quo modo accipitur in edicto de mortuo inferendo: quam doctrinam ad praxim in pluribus casibus admittit Marinis *lib.2. resol. c.213.*

Manet ergo, Iudæis simul cum Catholicis commorantibus permitti Synagogas habere, easque reficere, ac in eis cæremonias suas, & festiuitates celebrare, dummodo inde scandalum fidelibus non præstent, aut aliquid in opprobrium Christianæ religionis intendant. Vnde exponendus est textus *in l. Iudæos, C. de Iudæis*, qui extat *in l.18. C. Theodos. eod. tit.* in hæc verba: *Iudæos quodam festiuitatis suæ solemni die Aman ad pœnæ quondam recordationem incendere, & sanctæ crucis assimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilega mente exurere, prouinciarum Rectores prohibeant, ne locis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos infrà contemptum Christianæ legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperauerint.* 11 Exponitur l. Iudæos, C. de Iudæis. Cùm enim Aman, Regis Artaxerxis, quem sacræ litteræ Assuerum appellant, Præfectus, decem millia talentorum Regi pollicitus obtinuisset, vt certo die omnes Iudæi occiderentur, Mardochæi, & Reginæ Esther opera fraude detecta, Aman in ligno, cui Mardochæum affigere statuerat, suspensus fuit, Iudæique eadem die quamplures ex hostibus interfecerunt, vt refertur Esther *cap.3.* & tradunt Iosephus *lib.11. antiquit. cap.6.* Baronius *tom.5. anno 408. fol.276.* ob cuius casus memoriam Iudæi quotannis festum celebrabant, in quo effigiem Aman cruci affixam incendebant, XIV. vel XV. die mensis Adarij, qui Februario, & Martio respondet. Vt enim ista festiuitas celebrior haberetur, crucis, cui aliquando affixus Aman fuerat, simulacrum exurere solebant, ac si de atrocissimo hoste pœnam sumerent. Ex varijs refert Iacob. Gothof. *in eodem textu, in Theodos.* Sed cùm post Christi passionem ab omnibus Catholicis cultu latriæ crux veneretur, *cap. si canonici, §. fin. de offic. ordin. lib.6. l. decernimus, C. de Episc. & cleric. l. vnic. Cod. nemini licere, l. fin. §. fin autem, Cod. de iure delib. Nouell.5. Iustin. cap.1.* & 15. *cap.1.* & 125. *cap.32.* plura Crespetius *in summa, verbo Crucis adoratio*, Vasquez *in 1. part. qu.25. art.3. disput.112.* Bellarminus *tom.1. controuers. lib.2. de Eccles. cap.17.18. & 19.* Azor *part.1. instit. lib.9. cap.6.* Suarez *aduers. Reg. Angl. lib.2. cap.14.* Pij Imperatores Honorius, & Theodosius prohibuerunt, ne deinceps Iudæi in Christianæ religionis contemptum crucem incenderent, aut ne sacro signo in suis iocis (ita legendum est, non *locis*,) vterentur; quia exinde opprobrium Christianæ religionis sequebatur. Præsenserunt Pancirol. *lib.2. var. cap.179.* Mornacius, & Iacob. Gothofr. *in eo textu*, P. Burgis *lib.1. elect. cap.15.*

Deinde ex hucusque traditis lucem accipit textus *in Clement. vnica, hoc tit.* vbi prohibetur Sarracenis simul & 12 Exponitur Clement. vnic. hoc tit. commixtim habitantibus cum Christianis, alta voce clamare, vt conuocentur in Mezchitam, illis verbis: *Legalip eli alla*: idest, non alius victor, nisi solus Deus: quæ verba & in suis scutis Sarraceni portant ad honorem Mahometi profitendum, vt referunt Calcondyllas *lib.5. de reb. Turcicis*, Pineda *lib.17. monarch. cap.15.* Lorca *in catechesi, in vita Mahometi*: & constat ex ipso Alcorano *azora 4.12. & 13.* cùm inde apud Christianos scandalum oriretur, & talis vociferatio in opprobrium Christianæ religionis cederet. Ideòque PP. Concilij Viennensis *in d. Clement.1.* similem cæremoniam Sarracenis prohibuerunt, etsi priuatis, & in locis abditis similes ritus tolerentur, vt constat ex Beato Germano Patriarcha CP. *epist. ad Thomam Episcopum Claudiopoleos*, relata in Concilio Nicæno 2. *actione 4.* in illis verbis: *Sarracenis sufficit, quod in eremo lapidi inanimato sacrificia faciant, acclamentque hanc vocem, Chobar; quod à patribus acceptum per puerilia mysteria, & festa peragunt.* Pro cuius textus expositione sciendum est, Sarracenos lapidem, quem Bachtam vocant, magna veneratione colere; tum quia Abraham illic camelum alligasset, cùm immolaturus esset Isaac: tum quia Veneris effigies in eo lapide sculpta erat, vt referunt Euthymius *panopliæ tit.24.* Ioannes Filesac. *lib.1. select. cap.13. fol.209.* Cui lapidi sacrificia offerebant in eremo, idest in deserto Pharam, vt exponens ea verba refert Zerda *in aduers. sacris, cap.46. num.10.*

Etiam ex suprà traditis exponi potest textus *in can. 90. Concilij Illiber.* cum adductis in eius notis, & iuncto Solorzano *tom.1. de iure Ind. lib.2. cap.20. num.90.*

CAPVT IV.

a Alexander III.

QVia super iis, vnde ad nos in litteris tuis de Iudæis scripsisti, certum *b* canonem non habemus, f t. significatione præsentium intimamus, quod Clero tuo in vnum pariter conuocato, generaliter tam nostra, quàm tua auctoritate indicas, vt Iudæi ostia, vel fenestras in die Parasceues apertas non habeant, sed eas per totum diem claudant. *c* Mancipia quoque Christiana nulla cum eis habitare permittas, sed generaliter cunctis edicas, ne aliquis Christianorum in eorum seruitio audeat *d* commorari, ne forte ex ipsorum conuersatione ad Iudaismi perfidiam conuertantur.

NOTÆ.

1 a ALexander.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* sed addendum est, Massiliensi Episcopo, vt *in d. cap. de Iudæis, de decimis*, vbi extat secunda pars huius decretalis, vt iam ibi notauimus. Massilia est Galliæ Narbonensis vrbs maritima, eademque antiquissima, & potentissima, & moribus cultissima, Phocensium colonia, ab illis condita olympiadis 45. anno 3. ad quem annum sic notauit Eusebius *in chron. Massilia ciuitas condita Galliæ.* Eius meminerunt Cæsar *lib. 2. de bello ciuili*, Iustinus *lib. 43.* Tul. *in orat. pro Flacco*, Herodot. *lib. 5.* Solin. *cap. 8.* quos referunt plura de Massilien. Repub. adducentes Aloix *ad vitam S. Irenæi*, *cap. 4.* Fratres Sarmat. *tom. 3. Galliæ, fol 639.*

2 b *Canonem.*] Circa ostia, seu fenestras Iudæorum in die Parasceues claudendas; nam vt illi eo die vsque ad Pascha non possent quasi insultationis causa per forum, aut plateas ambulare, prohibitum fuerat *can. 29. Concilij Aurel. 3.* his verbis: *Iudæi à die cœnæ Domini vsque ad secundam Sabbathi in Pascha, hoc est ipso quatriduo, procedere inter Christianos, nec Catholicis populis se vllo loco, vel quacumque occasione miscere præsumant.* Vbi notauit Binius Matiscon. *can. 14. Iudæis à cœna Domini vsque ad primam diem post Pascha, secundùm edictum bonæ recordationis D. Childeberti Regis, per plateas, aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur, & vt reuerentiam cunctis sacerdotibus Domini, vel clericis impendant: nec antè sacerdotis consensum, nisi ordinati habere præsumant: qui hoc facere fortasse præsumpserit, à iudicibus locorum, prout persona fuerit, distringatur.* Meldense *can. 73.* Childebertus Rex Francorum: *Iudæis à cœna Domini vsque in primum Pascha per plateas, aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegetur.* Refert Ant. August. *in epit. iuris*, *lib. 12. tit. 10.* & postea firmauit Innoc. III. in Concil. Later. relato *in cap. 15. hoc sit.* Cùm enim, vt superiori commentario diximus, non possent Iudæi commorantes permixtim cum Christianis, illis occasionem scandali non præbere, debent cogi his diebus, in quibus passionis Domini, redemptionisque nostræ memoria colitur, claudere ostia, & se cohibere ab omni insultatione, & etiam debent cogi domos, parietesque suas tapetibus ornare, vt faciant Christiani, quando augusta, sacrosanctaque Eucharistia processionaliter defertur per ciuitatem. Resoluit Tondut. *lib. 1. variar. cap. 8. per totum.*

c *Mancipia quoque.*] Hanc partem exposui suprà *in c. 1. hoc tit.*

d *Commorari.*] Vt dicemus infrà *in cap. ad hæc.*

CAPVT V.

Ex Concilio a *Lateran.*

b IVdæi, siue Sarraceni, neque sub alendorum suorum puerorum obtentu, neque pro seruitio, vel alia qualibet causa Christiana *c* mancipia in domibus suis permittantur habere. Excommunicentur autem, qui cum eis præsumpserint habitare. *d* Testimonium quoque Christianorum aduersus Iudæos in communibus causis, cùm illi aduersus Christianos testibus suis vtantur, recipiendum esse censemus, & anathemate decernimus feriendos quicumque Iudæos Christianis voluerint in hac parte præferre, cùm eos Christianis subiacere oporteat, & ab eis pro sola humanitate foueri. Si qui præterea Deo inspirante ad fidem se conuerterint christianam, à *e* possessionibus suis nullatenus excludantur, cùm melioris conditionis conuersos ad fidem esse oporteat, quàm antequam fidem susciperent, habebantur. Si autem secus fuerit factum, Principibus, seu Potestatibus eorundem locorum sub pœna excommunicationis iniungimus, vt portionem hæreditatis, & bonorum suorum ex integro eis faciant exhiberi.

NOTÆ.

a LAteran.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & reperitur textus hic in ipso Concilio Lateran. *cap. 26.* prout in præsenti transcribitur.

1 b *Iudæi, siue Sarraceni.*] Iudæi dicti sunt à Iuda, quarto Iacobi filio, & ab eis Palæstinæ Regio in Syria dicta fuit Iudæa, quia ibi habitarunt. Iosephus *lib. 11. antiquit. cap. 5.* Ioannes Bohemus *de nationibus mundi Roman. in Republica Hebræorum cap 3.* Dicti etiam fuerunt Israelitæ, & Hebræi, ab Heber abnepote Sem, filio Noachi, vt probat Suidas, *verbo Hebræi*, Tertul. *in apolog. cap. 18. Hebręi rerò, qui nunc vocantur & Iudęi.* Probant Firmianus *lib. 4. instit. cap. 10.* Tacitus *lib. 21. annal.* P. Gregor. *lib. 2. partit. tit. 5. cap. 1* Maluenda *de Antichrist. lib. 11. cap. 3.* Sarracenorum etymologias varias adduxerunt Sozomenus *lib. 6. cap. 38.* D. Hieron. *in Esaiam, cap. 21* Socrates *lib. 4. cap. 29.* Eusebius *lib. 6. cap. 6.* Beyerlinch *tom. 7. verbo Sarraceni*, Aldrete *in origine linguę Latinę, lib. 2. cap. 23.* Petrus Gregor. *vbi proximè*, Couarruu. *lib. 4. variar. cap. 9.* D. Hieronymus à Sara vxore Abrahæ ita dictos fuisse docet: quod & probat Alfonsus noster *in l. 1. tit. 25. part. 7.* quam etymologiam etsi impugnet Scaliger *in Eusebium*, defendit tamen Cironius *in præsenti*. Alij Sarracenos dictos fuisse à Sarraca vrbe Arabiæ, asserunt, vt referunt Paulus Æmilius *lib 7. Francor. Histor.* Faciunt Ptolomeus *lib. 6. Geograph. cap. 7.* Marcellinus *lib. 23.* ibi: *Et in Asia Albanos mare rubrum, & Scenitas Arabas, quos Sarracenos posteritas appellauit.* Notauit Vselius *ad Couar. d. cap. 9.* Nunc autē nomina hęc religionis sunt, nō gentis; & Iudęi censentur quicumque veteris Testamenti soli cortici hærentes, nouum omninò reijciunt: Sarraceni, qui vtrumque ex parte saltem admittunt, sed cum impio Mahometi Pseudoprophetæ Alcorano: sicut etiam Pagani communi nomine dicuntur, & Gentiles, seu Ethnici, alijque, qui numina falsa colunt, *in toto tit. C. de paganis*. His adiunguntur Cœlicolæ *in rubric. C. de Iudęis, & Cœlicolis*. Et licèt olim non alij fuissent Cœlicolæ, quàm Iudæi, postmodùm tamen Christiana religione florente Cœlicolas à Iudæis secretos fuisse suadet lex 12. *C. de Iudęis*: & notarunt de eis adducentes plura Ioannes Filesacus *lib. 1. select. cap. 12.* & Gothofr. *in l. 19. C. Theodos de Iudęis.*

c *Mancipia.*] Iuxta tradita suprà *in cap. 1.*

d *Testimonium.*] Verba quæ sequuntur, extant *in cap. Iudęi, de testibus.*

e *Apos-*

2 c *Apossessionibus suis.*] Immò magnopere fouendi, magnisque priuilegijs decorandi sunt. Concil. Tolet. 16. *can.* 1. quod circa Indos nouiter conuersos expressè statuerunt Paulus III. in sua bulla,& Magni nostræ Monarchæ suis legibus sanxerunt, quas refert Solorzanus *tom.* 1. *de iure Ind.lib.*1 *cap.*18.*num.*40.

CAPVT VI.

a *Ex eodem.*

ITà quorundam animos occupauit sæua cupiditas, vt qui gloriantur nomine Christiano, Sarracenis arma, ferrum, & lignamina deferant gallearum, & pares, aut etiam superiores in malitia fiant illis, dum ad impugnandos Christianos arma eis, & necessaria subministrant. Sunt etiam, qui pro sua cupiditate in galleis & piraticis Sarracenorum nauibus regimen, & curam gubernationis exerceant. Tales igitur ab Ecclesiæ communione præcisos, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, & rerum suarum per Principes Catholicos, & Consules ciuitatum priuatione multari, & capientium seruos, si capti fuerint, fore censemus. Præcipimus autem, vt per Ecclesias maritimarum vrbium crebra, & solemnis in eos excommunicatio proferatur.

NOTÆ.

1 a EXeodem.] Lateranensi videlicet Concilio, vt habetur in prima collectione, *sub hoc tit.cap.*6.& in ipso Concil.*cap.*24. ex quo textum transcribo.

COMMENTARIVM.

2 *Conclusio traditur, & probatur.* EX his duobus Concilij Lateran. canonibus talis deducitur assertio. *Christiani deferentes ad Sarracenos arma, vel in ipsorum nauibus regimen exercentes, excommunicantur, rebusque proprijs priuantur, ac capientium serui fiunt.* Probant eam textus *in cap.significauit* 11. *cap. quod olim,cap.ad liberam,*17.*dist.*Innoc. III. *lib.*1.*epist. in edit.Coloniæ,fol.*258.ibi:*Illud etiam Lateran. Concilij constitutum curauimus innouare, quod eos, qui Sarracenis arma,ferrum,lignamina gallearum ministrare præsumpserint, & in galleis, & piraticis eorum nauibus curam gubernatoris, & regimen exercere, ab Ecclesię communione pręcidi, & excommunicationi pro sua iniquitate subiectos, rerum suarum per Principes sęculi Catholicos, & Consules ciuitatum priuatione multari, & capientium seruos, si capti fuerint,fore decernit.*Extrauag.*ita quorundam, hoc tit.* Extrauag.*multa,eod.*Nicolaus in bulla edita anno 1450. quæ est quarta huius Pontificis in Bullario Gregor.IX.*epist.*9. *Innouamus pręterea excommunicationis sententiam in Lateranensi Concilio promulgatam aduersus eos, qui Sarracenis arma,ferrum,& lignamina deferunt gallearum.* Iulius II.in sua constitutione 25. quæ extat *tom.*1. *Bullarij*, Paulus III. in sua constitutione edita anno 1530. quæ est 10. ipsius Pontificis in Bullario Paulus V.in sua constitutione 63.quæ extat *tom.*3.Bullarij.Gregorius XIII. in constitutione,quam refert Nauarrus *in præsenti*, Martinus V. in bulla Cœnæ Domini,*cap.*7.Consonat lex 4.*tit.*21.*part.*4.Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa, Scortia *in select.constit.Pontific.theorem.* 102.103.*&* 146. Leo Duardus *in comment.ad Bull.Cœnæ,lib.*2.*cap.*7. Suarez *de censur.disput.*21.*sect.*2 Fragoso *de regim. Christ. Respub. tom.*2.*lib.*1.*disput.*3.§.7. *num.*148. Borellus *de præstantia Regis cap.*9.*ex num.*48.Solorzanus *lib.*2.*tom.*1.*cap. fin. nu.* 70.Hermosilla *in l.*12.*tit.*5.*part.*3.Molina *de iustit. disput.* 343.Salcedo *in tract.de contrabando,cap.*3.Ant.August. *in epit.lib.*12 *tit.*21.Gutierrez *lib.* 1. *de delict.cap.*27. *&* 28. Petrus Gregorius *lib.*4.*partit.tit.*16.*cap.*5.Solorzanus *lib.* 2.*de iure Indiar.cap.*25.Gibalinus *de censur.disquisit.*5.*qu.* 5.*consectar.*11.& *in sinopsi,verbo Arma*: & de negotiatione *lib.*1.*cap.*7.*art.*1.Cuiac.*ad tit.C.quæ res exportari.* Valenzuela *tom.*1.*consil.*39.F.Raphael *de la Torre in* 2. 2. *tom.* 3.*qu.*51.Cabedo 2.*part.decis.*62. *&* 150. Petrus Abaunza *in repetit.ad tit.de sagittarijs,num.fin.*Phil.Camerar. *cent.* 1.*horarum successiu cap.*89.

Sed pro dubitandi ratione ita in præsentem assertionem insurgo. Contractus, præcipuè emptionis, & venditionis, iuris naturalis secundarij (quod alij ius gentium appellant,)sunt,*l.ex hoc iure,ff. de iust.& iure*, vbi Orosius, & Benedictus Ægidius *§.ius autem, Instit.de iure naturali*. Probant latè Bobadilla *lib.*1.*polit.cap.*1.*num.*4.Mozius *de contract.tit.de orig.contractuum*,Besoldus *in dissert. de iure & diuis.rer.cap.*4.*per totum*,Petrus Gregor.*lib.*4. *de republic.cap.*7.Scaccia *de commerc.qu.*1.*§.*1.*per totum.*Igitur Ecclesia non potuit prohibere venditionem armorum, & cæterarum mercium,de quibus in præsenti,Sarracenis,seu Infidelibus: neque transitus, aut nauigatio contra societatis humanæ, & christianæ charitatis regulas prohiberi debet,*l.libertus,ff.de oper.libert.l.*7.*ff.de seruis export. l.in creditores,ff.de euict.l.*2.*§.item Varus, ff.de aqua pluuia*, Cancer.3.*var.cap.*13.Grotius *de iure belli,lib.*2.*cap.*3.*num.* 12.Accedit vtilitas commerciorum, præcipuè cum exteris nationibus,& cum gentibus finitimis, quam probant, & valdè commendant Plato *lib.* 1. *de republic.* Petrus Gregor *eod.tract.lib.*1.*cap.*2.*&* 3.Bodinus *eod.tract. lib.*1.*cap.* 6.Igitur non rectè in præsenti commercij vsus interdicitur cum Infidelibus & Sarracenis. Etiam difficilis est præsens constitutio in pœna,quam imponit Christianis suscipientibus regimen nauium, videlicet vt capientium serui fiant;nam libertas iuris naturalis est,*l.summa* 3.*ff. de statu hominum,§.*3.*Instit.de libertin.*vbi plura Instit. Connanus *lib.*2.*comment.cap.*2. Ergo lege positiua contra ius naturale seruitus constitui non potest.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio,cuius ratio ex eo prouenit, nam certum est, posse Principem iustis ex causis prohibere subditis proprijs, & vassallis,ne cum mercatoribus exteris commercium exerceant,*l.Diuus,ff.de seruit.rustic.præd.l.sicut,§.Aristo,ff.si seruitus vindicetur,l.hæres,ff.de vsur.l.sed si pupil.* 11. *§. item si cùm plures,ff.de institor.act.*ibi:*Nam & certam personam possumus prohibere contrahere,vel certum genus hominum,vel negotiatorum, & certis hominibus permittere, & similiter certas res ad exteras nationes deferre, præcipuè cum quibus bellum geritur.*Et *l.cotem ferro,ff.de publican.l.*2.*& per totum C.de nautico fœnore,l.rem,C.de litoribus,lib.*11.*l.penult.C.de contrahend.empt.l.*1. *C.non lic habit.Metroc.lib.*11.*l.*1.*C.quæ res export.*latè probant Rodericus Suarez *allegat.*18.Bobadilla *lib.*2.*polit.cap.*5. & *l.*4. *per totum*,Gutierrez *practicar.qq.lib.*4.*qu.*37.*vsque ad* 46. Giurba *consil.*16.*à num.*15. Valenzuela *consil.* 39. *&* 52. Cancerius *tom.*3.*variar.cap.*13. *num.*255. Salcedo *de contrabando,cap.*3.Thomas Delbene *de Parlamentis, cap.*2. *sectione* 30 Ratio est, ne arma promptiùs in nos conuertant,vt obseruant Cuiac.& Gothofredus *in d.l.*1. *C. quæ res*,Alciatus *lib.*1.*disp.cap.*11.Ripa *de peste,tit.de remedijs ad conuent.*Alia ratio additur *in l.Mercator* 4. *Cod.de commerc.& mercat.*ne alieni Regni,quod non conuenit,scrutentur arcana. Facit lex 2.*quando, & quibus quarta pars.* Facit edictum Theodorici apud Cassiodorum *l.* 2. *var. c.* 12. ibi: *Si desiderijs nostris commercia peregrina famulantur,si prolato auro acquiritur ęterna deuotio, quantò magis suis bonis abundare debet Italia, cùm nulla in parendo probetur sentire detrimenta. Et ideò laridi species nullatenus iubemus ad peregrina transmitti,sed in vsus nostros propitia diuinitate seruetur, ne quod in nostris partibus conficitur,noxia diligentia deesse videatur.* Quod præcipuè procedit cùm merces deferuntur ad hostes, & barbaras gentes,*l.*2.*C.quę res exportari*, iuxta quam distinctionem accipiendus est textus *in l.allegatis* 8.*C.de vectig.& commiss.* sæpè enim transfugæ vsum armorum, artemque fabricandi ea transtulerunt ad Barbaros maximo cum suorum detrimento. Exemplum extat apud Herodianum *l.* 3. Quare 3 *Traditur ratio dubitandi.*

eos,

eos, qui naues conficere barbaros docuerunt, capitali supplicio punitos legimus *in l. his qui, C. de pœnis*: & eodem iure illud cautum est, vt cuiuscumque opera & dolo malo hostes nostri commeatu, armis, telis, equis, pecunia, aliaue qualibet re adiuti fuerint, tanquam læsæ Maiestatis reos puniendos esse, *l. 3. ff. ad leg. Iul. maiest.* adde legem 3. *Cod. de seruis fugit.* & Cassiodorum *l. 2. var. cap.* 12. notarunt & illustrarunt Steubechius *ad Vegetium l. 4. de re milit. cap.* 8. Petrus Faber *l. 1. semestr. cap.* 16. Solorzanus *l. 2. de iure Indiar. cap.* 15. Lipsius *ad Tacitum l. 2. annotat.* 65. Salmasius *in notis ad Vopiscum, fol.* 388. Mercuralis *l. 1. var. cap.* 24. & *l. 6. cap.* 26 quæ omnia si iustè statuta sunt, & procedunt in deferentibus merces ad hostes, exterasque nationes, quantò maiori cum ratione obseruari debent in deferentibus arma, & similia ad Sarracenos, Turcas, Hæreticos, aliosque Christianæ religionis hostes. Quare tot Ecclesiæ constitutionibus sub grauissimis pœnis, & censuris id prohibitum fuit, circa quas varios casus examinant, & exponunt Duardus, Fragoso, & alij scriptores in Bullam Cœnæ Domini, Scortia, & Gibalinus *vbi suprà*. Illud omittendum non est, Inquisitores hæreticæ prauitatis in Hispania procedere contra deferentes arma, vel equos ad infideles, Cantera *qq. crimin. cap. 1. num.* 68. Diana *part. 4. tit. 7. resol.* 19 & in Inquisitionibus Arragoniæ etiam proceditur in exportantes equos in Galliam. Bobadilla *tom. 1. polit. cap. 14. num.* 51. Carena *de offic. Inquisit. 2. p. c.* 17. §. 20.

4 Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt contractus emptionis, & venditionis iuris gentium sit, & ideò Principes absolutè subditis illum prohibere non possint, tamen respectu aliquarum personarum, seu rerum ex iustis causis simile commercium interdicere valent, quia talis prohibitio nititur potentiori, naturalique ratione; nam vt inquit Alb. Gentil. *l. 1. de iure belli, cap.* 21. ius commerciorum æquum est: at æquius tuendæ salutis est. Illud gentium ius, hoc naturæ est. Illud priuatorum est, hoc regnorum. Cedat igitur regno mercatura, homo naturæ, pecunia vitæ, vt prosequitur Arniseus *l. 1. de repub. cap. 3. sect.* 3. Vnde ex ratione proximè adducta potuit Ecclesia prohibere Catholicis venditionem armorum, & similium rerum cum Sarracenis, & Infidelibus. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam licèt libertas iuris naturalis sit, tamen alia potentiori naturali ratione plerumque seruitus admittitur contra ipsum ius naturale, vt probaui *in cap. fin. de seruis non ordin.* & inter eos enumeratur casus, cùm quis in pœnam delicti admissi libertatem amittit, seruusque fit, veluti iure ciuili, si homo liber ad pretium participandum sese venundari passus sit; & iure canonico filij à clericis procreati ex concubinis serui nascuntur, vt probauimus *in cap. 1. de filijs presbyt.* Vnde rectè, piéque in præsenti casu, cùm pœna capitis iure ciuili statuta esset in eos, qui arma & merces prohibitas ad hostes exportarent, *l. cotem, ff. de publician. l. fin. C. quarum rerum, l. 2. & 4. C. de commercijs, l. nemo, C. quæ res exportari, Nouell. 63. Leonis, l. 22. tit. 5. part.* 5. Cuiac. *in d. l. cotem*, & *ad tit. Cod. quæ res exportari*, Alb. Gentil. *de aduocat. Hisp. l. 1. cap.* 20. Bobadilla *l. 4 polit. cap.* 5. Ecclesia potuit imponere seruitutis pœnam deferentibus arma ad Sarracenos, aut in eorum nauibus regimen accipientibus.

CAPVT VII.

a Alexander III.

CONsuluit, &c. Iudæos etiam de nouo construere synagogas, vbi eas non habuerunt, pati non debes: verùm si antiquæ corruerint, vel ruinam minantur, vt reædificent, poteris æquanimiter tolerare, non autem vt eas exaltent, aut ampliores, aut pretiosiores faciant, quàm antea fuisse noscuntur; qui vtique pro magno debent habere, quod in veteribus synagogis, & suis obseruantijs tolerantur.

NOTÆ.

a ALexander III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc titulo capite* 1. & *in capite consuluit 29. de appellat.* vbi extat alia pars huius textus, vt ibi notaui, & commentarium dedi suprà *in cap.* 1.

CAPVT VIII.

a Alexander III.

AD hoc præsentium auctoritate mandamus, atque præcipimus, quatenus omnibus Christianis, qui sunt in iurisdictione vestra, penitus interdicatis, & si necesse fuerit, eos ecclesiastica districtione compellatis, ne ipsi Iudæorum seruitio assiduè pro aliqua mercede se exponant: quod etiam obstetricibus, & nutricibus eorum prohibere curetis, ne infantes Iudæorum in *b* domibus eorum nutriri præsumant, quoniam Iudæorum mores, & nostri in nullo concordant, & ipsi de facili ob continuam conuersationem, & assiduam familiaritatem, instigante humani generis inimico, ad suam superstitionem, & perfidiam simplicium animos inclinarent.

NOTÆ.

a ALex. III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. vbi additur, *pars capitis Licet.* Vnde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in c. licèt 23. de testibus*: & integra decretalis extat post Concil. Later. sub Alex. III. *part. 20. cap.* 2.

1 b *Domibus.*] Vnde dubitari solet, an saltem extra domum possint Iudæi habere Christianas nutrices pro ablactandis filijs proprijs. Et negatiuam sententiam tenent in præsenti Ioann. Andreas Butrius *in fine*, Anania *num.* 5. Felinus *num.* 3. & alij, quos referunt & sequuntur Azor *tom. 1. instit. l. 8. cap. 22. qu.* 9. Sanchez *l. 2. summæ, cap. 31. num.* 19. Ricciulus *l. 2. de iure person. cap. 28. num.* 17. quæ sententia verior est, etsi contrariam teneant Glossa *in præsenti*, Cardinalis *vers. Oppono*, Socinus *num.* 4. Abbas *num.* 2. nam cùm præsens prohibitio ea nitatur ratione, videlicet vt communio Iudæi cum Christiana vitetur, & hæc ratio æquè militet, cùm filij Iudæorum à nutricibus Christianis, etiam extra domum ablactantur, idem ius statuendum est, argumento legis *illud, ff. ad leg. Aquil.*

COMMENTARIVM.

CVm omnis communio etiam politica Christianis cum Iudæis prohibita sit, *cap. omnis 14. 28. quæst.* 1. *cap. sæpè 22. 8. qu.* 1. Concil. Illiber. *can.* 50. *Si clericus, vel fidelis cum Iudæis cibum sumpserit, à communione abstineat, vt emendetur.* Epaun. *can.* 15. *Iudæorum conuiuijs etiam laicos constitutio nostra prohibuit, & ne cum illo clericus panem comedat, quisquis in Iudeorum fuerit conuiuio inquinatus.* Veneticum *can.* 12. Agathense *can.* 40. Aurel. 3. *can.* 13. *Christianis conuiuia interdicimus Iudæorum, in quibus si fortè fuisse probantur, annuali excommunicationi pro* 2

huiusmo-

huiusmodi contumaciæ subiacebunt. Matiscon. *can*.15. *Nullus Christianus Iudeorum conuiuijs participare presumat. Quod si facere quicumque, quod nefas est dici, Clericus, aut secularis presumpserit, ab omnium Christianorum consortio se nouerit compescendum*. Meldense *can*.73. Metense *can*.4. *Nemo Christianorum cum Iudeis manducet, & bibat, vel quidquid comedi, aut portari potest, à Iudeis accipiat*. Palentinum *anno* 1322. *can*.21. Illustraui *in d. can*. 50. *Concil. Illiber*. Ideò sępè cautum legimus, ne Christianus in famulatu, aut seruitio Iudæi sit, etiam vt nutrix filiorum eius, *c. Iudei, c. etsi Iudeos, hoc tit. c. vnic. hoc tit. in 5. compil.* vbi Honorius III. vniuersis Episcopis Vngariæ ita scribit: *Nefas est, vt sacri baptismatis vnda renatus in infidelium ritu, vel conuersatione fedetur, aut religio Christiani subiecta infidelibus polluatur*. Similiter ob vitandam ipsam communionem *in can*.10. *Concil. Trul*. Episcopi Orientales disertè vetant, ne quis, vel clericus, vel laicus, si in morbum inciderit, Iudæum medicum quemcumque arcessat, aut pharmacum ab eo accipiat, alioquin clericus deponatur, laicus verò excommunicetur. Quod idem in Occidente cauit Gregor. XIII. in Bulla relata à Filesaco *l*.1. *select. c*.12. Illustrant vltra coogestos à Barbosa *in presenti*, & à Cenedo *in collect. ad Decretum, collect*. 15. Maiolus *dier. canicul. tit. de perfidia Iudeor. fol*. 656. Sanch. *in precepta Decalogi, l*.2. *c*.31. P. Suarez *de fide, disp*. 18. *sect*.6. Azor *p*.1. *instit. l*.8. *c*.22. Didacus Perez *in l*.4. *tit*.3. *l*.8. *Ordin*. Ricciulus *l*.2. *de iure person. c*.28. *nu*.11. & etiam nouo iure repetita est præsens prohibitio constitutionibus Pauli, quæ incipit, *Cùm nimis*, §.4. Gregor. XIII. *constit*.70. quæ incipit, *Antiqua Iudeorum*: vbi etiam statuitur, vt eo casu possint Iudæi puniri ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis. Nec ad hoc possunt habilitari à Principe sæculari, *cap. consuluit 3. de appellat.* nec etiam ab Episcopis, cùm hæc prohibitio sit Concilij generalis, in qua Episcopus dispensare non valet, vt resoluit Ricciulus *in d. cap*. 28. *num*.284.

C A P V T IX.

a Clemens III.

Sicut Iudæi non debent sine licentia in b synagogis, vltra quàm lege c permissum est, præsumere: ita in ijs quæ eis concessa sunt, nullum debent præiudicium sustinere. Statuimus enim, vt nullus Christianus inuitos, vel nolentes ad baptisma eos venire compellat. Si quis autem ad Christianos causa fidei confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, Christianus absque calumnia d efficiatur: quippe Christiani fidem habere non creditur, qui ad Christianorum baptisma non spontaneus, sed inuitus cognoscitur peruenire. Nullus etiam Christianus eorum quemlibet sine iudicio terrenæ Potestatis, vel vulnerare, vel occidere, vel suas illis pecunias e auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus habuerunt, consuetudines immutare: præsertim in festiuitatum suarum f celebratione, quisquam fustibus, vel lapidibus eos nullatenus perturbet; neque aliquis ab eis coacta seruitia exigat, nisi cui ipsi præterito tempore facere consueuerunt. Ad hæc malorum hominum prauitati, & auaritiæ obuiantes decernimus, vt nemo cœmeterium Iudæorum mutilare, aut inuadere audeat, siue obtentu g pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem huiusmodi tenore decreti cognito (quod absit,) contraire præsumpserit, honoris, & officij sui periculum patiatur, aut excommunicatione plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.

N O T Æ.

a *Clemens III.*] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap*.3. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex. Eam constitutionem per eadem verba innouauit Innoc. III. *l*.2. *epist fin.* apud Sirletum *fol*. 434. ibi: *Sicut ergo Iudæis non debet esse licentia in synagogis suis, vltra quàm permissum est lege, præsumere; ita in his, quæ sunt illis concessa, nullum debeat præiudicium sustinere. Nos ergo licèt in sua magis velint duritia perdurare, quàm vaticinia Prophetarum, & legis arcana cognoscere, atque ad Christianę fidei notitiam peruenire; quia tamen nostræ postulant defensionis auxilium, & Christianæ pietatis mansuetudinem, prædecessorum nostrorum felicis memoriæ Calixti, Eugenij, Alexandri, Clementis, & Cœlestini Rom. Pontificum exemplis inhęrentes, ipsorum petitionem admittimus, eisque protectionis nostræ clypeum indulgemus. Statuimus ergo, vt nullus Christianus inuitos, vel nolentes eos ad baptismum per violentiam venire compellat: sed si eorum quilibet sponte ad Christianos fidei causa confugerit, postquam voluntas eius fuerit patefacta, sine qualibet efficiatur calumnia Christianus.*

b *Synagogis.*] De quibus egi suprà *in cap*.3.

c *Lege.*] Videlicet *l. fin. C. de Iudęis.*

d *Efficiatur.*] Post catechesim, & instructionem in mysterijs fidei. De tempore, & forma catechesis primis Ecclesiæ sæculis in Ecclesia vsitatis, plura adduxi *in can*.4. & alijs Concil. Illiber.

e *Pecunias auferre.*] Consonat textus *in c. dispar*, 23. *q*. 8. *c. infideles*, 24. *q*.4. Alexand III. post Concil. Later. *p*.20. *c*.1. *l. nullus* 14. *C. hoc tit.* quia earum, & cæterorum bonorum etiam inter fideles consistentium verum dominium Iudæi habent, *c. Iudęi, el* 2. *c. multorum, hoc tit. c. de decimis, c. quantò, de vsuris*. Probat Ricciulus *l*.2. *de iure person. c*.50. etsi contrarium innuatur *in l. fin*. § 3. *C. de pagan.* Vnde Iudæis, aut Gentilibus non potest bellum indici à Principibus Christianis eo prætextu, scilicet quod Iudæi, aut infideles sunt, nisi prouincias retineant Christianorum, quæ aliquando Catholicorum fuerunt. D. Thom. 2.2. *q* 66. *art*.8. Vel quando ipsi Christianos offendunt, *d. c. dispar*. Vel si blasphemijs, opprobrijsque Catholicam Religionem infamare intendant, aut fidei propagationem impediant, vt latè docent Couarr. *in regul. peccatum*, 2. *part*. §.10. *de R. I.* Martha *de iurisdict. p*.1. *c*.24. Grotius *de iure belli, l*.2. *c*.20. Gentil. *eod. tr. c*.9. Solorzanus *tom*.1. *de iure Ind. l*.2. *c*. 16. & 17. Vtrum autem Iudæi, vel Infideles Principibus Christianis subiecti, ab eorum regnis possint expelli, si baptizari renuant, non leuis difficultas est, quam latè disputant Borel. *de præst. Reg. Cathol. cap*.69. *per tot.* Cenedus *ad Decret. collect*. 15. *n*.2. Tiberius Decian. *l*.5. *tr. crim. c*.12. Maiolus *dier. canicul. tr. de perfid. Iudæor.* Ricciulus *de iure person. c*.51. Solorzanus *d. l*.2. *c*.18. *n*.52. Inter quos ea communiter sententia placuit, videlicet Iudæos quietè, & pacificè inter Christianos degentes tolerari debere, vt voluntariè ad fidem perducantur, ex præsenti textu, & alijs proximè citatis. Si verò ipsi Iudæi proteruia sua in Christianos aliquid moliti fuerint, aut prauo exemplo, aut superstitiosis ritibus Christianum populum turbare, aut fœdare intendant, tunc etiam per Principes Catholicos expelluntur, ac bonis expoliantur, si baptizari renuant, vt integris tractatibus probant F. Iacobus Bleda *in defensione fidei pro expulsione Maurorum, tr*.2. *c*.1. §.2. & *in hist. Maurorum l*. 1. *c*. 12. Gabilan. *in lib. contra Iudæos*: & ita expulsos eos fuisse per Sisebutum Gothorum Regem, retulimus *in c. maiores, de Baptismo*: & tandem expulsionem factam per Catholicos Reges Ferdinandum, & Elizabeth, promulgatam *in l*. 2.3. & 4. *tit*.2. *l*.8. *Recopil.* commendant, & debitis extollunt laudibus Nauarrete *in discurs. polit. c*.7. Simancas *de Catholicis, tit*.35. *n*.5. Illescas *in hist. Pontif*. 2. *p. l*.6. *cap*.20. §.1. Valdes *de dignit. Reg. Hispan. c*.19. *n* 68. Madera *in Monarch. Hispan. c*.6. F. Ioannes à Ponte *in conuen. vtriusque Monarch. l*.1. *c*.8. Aldrete *in antiquit. Hisp. l* 3. *c*.28. Borel. Maiolus, & Solorzanus suprà laudati. Immò nullum Iudæum, seu infidelem in suis Regnis permissuros Reges Gothorum in ipsis Regni auspicijs iuramento promittebant, iuxta canonem 3. Concilij Tolet. 6. vbi ita cautum legitur: *Inspiramine summi Dei Excellentissimus, & Christianissimus Princeps ardore fidei inflammatus, cum regni*

sui

sui Sacerdotibus prævaricationes, & superstitiones Iudæorum eradicare voluit, nec sinit degere in regno suo enim, qui non sit Catholicus; & vt quisquis succedentium temporum regni sortitus fuerit apicem, non antea ascendat regiam sedem, quàm inter reliqua conditionum sacramenta pollicitus fuerit, nullum non Catholicum in regno suo permissurum. Prosequuntur Solorzanus *vbi suprà*, Fragoso *de Regim. Christ. Reip. p.1. l.1. disp.2. §7.*

f *Celebratione.*] Iuxta tradita suprà *in cap. quia, hoc tit.*

g *Pecuniæ in ipsis sepulchris depositæ.*] Nam moris fuit
3 apud Iudæos, pecuniam, magnamque auri quantitatem, & thesauros in sepulchris ipsis cum defunctis condere; ob quam præcipuè causam Chaldæi ossa Regum Iuda, ac Principum, necnon sacerdotum, cæterorumque vrbis Hierosolymitanæ ciuium è sepulchris effoderunt, vt longè antea Hieremias prænunciauerat *c.8* & iam adimpletum Baruc fleuit *c.2.* ad eruendos nimirum auiditate maxima, diripiendosque thesauros, quos in antiquorum sepulchris munifica recondi manu consuetos experti erant, vt *in d.c.8.* Hieremiæ exponit D. Hieronymus: & de sepulchris Dauid refert Iosephus *l.1. antiquit. c. vlt.* quod cum Hircanus Pontifex ab Antiocho acriter oppugnaretur, opportuno vsus consilio, vt eum ab vrbis obsidione auerteret, & necessitati prospiceret, reserato ipsius Dauidis monumento, tria talentorum millia inde detulit, quorum partem Antiocho persoluit, vt scribunt Pineda *l.4. de rebus Salomon. c.1. in fin.* Villalpando *tom.2. in Ezechiel disp. 14. c.61.* Alter Pineda *in sua Monarchia, p.2. l.10. c.10. §.3.* & de sepulchro Reginæ Semiramidis spoliato à Dario agit Cælius Rhodig. *in l.23. antiquar. lection. c.5.* Etiam tam apud Græcos, quàm apud Romanos moris fuit, vt pecuniæ, ac multæ diuitiæ inserrentur in sepulchra cum mortuis, vt constat *ex l. ferno 113. §. vlt. ff. de legat. 1. l. fin. §. fin. ff. de auro & argento*: notarunt Lipsius *ad Tacitum, l.3. annotat. 102.* Marquez *l.2. sui Gubernatoris, cap. vlt. pag. 387.* Gothofredus *ad leg. 12. Tabul. de iure sacro, tit. de religiosis*, Ant. Clarus Siluius *l. singul. ad leg. regias, c.23. pag. 521.* Ioannes Kirmanus *de funer. l.1. c.10. & l.3. c.24.* Gutherus *l.7. de iure manium, c.32.* Lælius Geraldus *l. de var. sepel. rit. sub medium*, Bulenger. *l.3. de Imperat. c.6.* alij relati à Solorzano *to.2. l.5. de iure Indiar. c. vnic. n.49.* Hinc Petrus Diaconus *in tr.* quem *de litterarum Romanarum notis* inscripsit, has in sepulchris antiquis inscribi solitas refert, I.M.I. ST.B.ABSC. idest, in monumento isto sunt bona abscondita: & istas, IN.HC.MM.S.P.S.N.FN. idest, in hoc monumento sunt pecuniæ sine fine: & etiam eas, INTS.S.B.E. intus sunt bona eius: IN.HC.MM.S.P.S. in hoc monumento sunt pecuniæ sacræ; etsi de earum notarum versione dubitet Forner. *l.3. rer. quotid. c.3.* quod varijs rationibus vsitatum fuit. Prima ob superstitionem veterum, qui putantes mortuos ad æternam vitam degendam multis indigere diuitijs, illas in sepulchra inserebant, de qua superstitione vltra proximè relatos multa congerunt Cerda *ad Virgil. l.1. Æneid versu 363.* Forner. *ad Cassiodor. l.6. epist. 8.* Solorzanus *d.c. vnic. num. 38. & in polit. l.6. c.5. pag. 954.* vbi notat apud Indos Peruanos eodem nomine designari sepulchrum, & thesaurum, hoc videlicet, *guaza*; quia vix erant sepulchra Indorum, in quibus non inuenirentur thesauri. Aliam rationem forsan minus frequentem adduxit Leo Imperator *in Nouell. 51.* iuxta editionem Gothofredi, nempè quosdam adeò auaros esse, & hominum posteriorum osores, vt illis diuitias inuidentes, quas secum ferre non possunt, subtrahant illas oculis, & vsibus humanis. Item hoc faciebant tum vt sepultura honorificentior esset, tum vt religio tutius eam seruaret, vt referunt Strabo *l.15.* Quint. Curtius *l.10.* Plautus *in Pseudolo, act.1. scena 4.*

Ex hoc sepulchro veteri viginti minas
Effodiam ego hodie, quas dem Herili filio.

Postea mandatu Principum, seu lege decemuirali, vt probat Ramirez de Prado *in tessera legum, in l.4. §. fin. ad leg. Iul. pecul.* prohibitum est cum defunctis sepelire pecuniam, *d.l.4. §. fin.* immò nec vestes pretiosas, nec alia ornamenta cum corpore condere licuit: quod simpliciores homines factitasse dicitur *in l. sed si quis 14. §. non autem, ff. de relig. l. ferno 113. §.1. ff. de legat. 1. l. fin. § mulier. ff. de auro & argent.* Sed quia adhuc neglecta ea prohibitione pecunia plerumque reponebatur in sepulchris, prohibet Clemens III. in præsenti, eius occasione sepulchra reserare, Iudæorumque cineres effodere. Quare Cassiodor. *l.4. var. epist. 18.* meritò damnat Laurentij cuiusdam presbyteri scelus, quod effossis cineribus funestas diuitias inter hominum cadauera perscrutatus esset. Et apud Quintil. *declamat. 369.* sepulchri violati reus ita excipit: *Sed quid sustuli? Æquius tamen est licere pecunias in monumentis obtrusas impunè perscrutari.* Pessimi fures illi appellantur à Sidonio: & in eos extat edictum apud Cassiod. *l.4. var. cap. 34.* atrocitatemque huius criminis exagitant Pelusiota *l.2. epist. 146.* D. Chrysost. *homil. 38. in 1. ad Corinth.* Nyssenus *in epist. can. c.7.* Prosequuntur alia Ant. Bozius *Rom. Subterr. l.1. c.27.* Chokier *in face hist. cent. 2. cap. 77.* Theophilus *tom. 15. in heterocl. punct. 9. sect. 1.* Spondan. *de cœmet. p.1. l.1. c.9.* Sauar. *ad Sidon. l.3. epist. 12.* Iranzo *de protest. fol. 26.*

Vnde exponendus venit textus *in l.4. §. non fit locus, ff. ad leg. Iul. pecul.* quem breuiter exponam, quia varijs difficultatibus solet obrui. Verba priora textus sunt: *Non fit locus religiosus vbi thesaurus inuenitur.* Quærunt DD. quæ possit esse ratio dubitandi huius decisionis, quæ omni prorsus dubio videtur carere. Et omissis varijs DD. subtilitatibus, credo rationem dubitandi ex eo descendere, quod diuitiæ in terra absconditæ solebant Cereri, Plutoni, & alijs inferorum falsis numinibus consecrari, vt breuiter notauit Ant. Clarus Siluius *ad leges regias c.23. pag. 123.* & probatur hic mos ex quadam veteri inscriptione, quam refert D. Ioseph. de Retes *l.8. opuscul. c.27.* ibi: *Plutonis sacrum munus ne attingite fures.* Et ex quodam veteri Anonymo Poeta relato à Kirmano *d.l.3. cap. 24.* in hæc verba: 4 Exponitur l.4. §. non fit, ad leg. Iul. Pecul.

Res ea sacra miser, noli mea tangere fata,
Sacrilegæ bustis abstinete manus.

Testatur etiam Liuius *l.2. c.31.* ex partitione Iani Gruterij, Patrem Spurij Cassij, ob affectatam tyrannidem à filio, cum causa domi cognita verberasse, ac necasse, peculiumque filij Cereri consecrauisse: signum inde factum esse, & inscriptum, *Ex Cassia familia datum.* Cùm verò diuitiæ sub terra conditæ solerent commendari, & consecrari falsis numinibus inferorum, & quod sacrum est, religiosum etiam appelletur, vt testatur Ælius Gallus vetus IC. apud Festum *verbo Religiosus*; potuit in dubium venire, verum locus, in quo conditus est thesaurus, religiosus fit propter contactum thesauri, qui forsan sacratus potuit esse Cereri, Diti, Plutoni, Proserpinæ, aut alijs nominibus infernalibus, vt Gentiles falsò sentiebant. Nihilominus Marcianus negat, fieri locum religiosum vbi thesaurus inuenitur, quamuis inuentor ibi vota soluerit pro inuento thesauro. Quod facere consueuisse inuentores, probat vetus inscriptio apud Galbanum *de vsufruct. c.30. nu.4. in fin.* quæ talis est: *Ioui inuentori, Diti patri, Terræ matri, detectis Daciæ thesauris, Cæsar Nerua Traianus Augustus sacrum posuit.* Ratio decidendi potuit esse, quia non semper thesauri consecrabantur numinibus: & quamuis consecrati fuissent, sacri non fiebant, quia priuata consecratio non efficit rem sacram, sed publica ritè, & per Pontifices fit, *l. in tantum 6. §. sacræ, l. sacra 9. in princ. cum §§. sequent. ff. de rerum diuisione*: notarunt Donel. & Osualdus *l.4. c.1.* Cùm ergo consecratio thesauri fieret à priuato abscondente, consequens est, quod nec thesaurus, nec locus manerent consecrati. Confirmat prædictam decisionem Marcianus *in d. §.6.* per ampliationem his verbis: *Nam etsi in monumento inuentus fuerit thesaurus, non quasi religiosus tollitur.* In primis applicanda est decisio titulo, sub quo iacet: titulus est de peculatu, cuius lege puniuntur, qui pecuniam publicam, sacram, religiosamue auferunt, aut intercipiunt, *l.1. in princ. ff. eod.* Ant. Matthæus *ad eundem titulum.* Quæstio itaque est, an in hoc crimen incidat, qui de sepulchro, id est de loco religioso, tollit pecuniam? Negat Marcianus, quia thesaurus de sepulchro sublatus non tollitur tanquam religiosus, sed tanquam priuatus, profanusque: igitur si furtum est, non erit saltem furtum rei religiosæ, siue peculatus. Argumentum verò concludit à fortioribus terminis, ita: Thesaurus in loco verè religioso repertus non est religiosus: ergo multò minus efficiet locum purum religiosum thesaurus ipse, cui nulla religio inest. Potest etiam quæri ad hanc postremam partem ratio dubitandi, quæ à nostris iam excogitata est, & adducta ex *l. quæ religiosis 43. ff. de rei vendic.* vbi docemur, religiosa esse quæ adhærent religiosis: sed thesaurus adhæret sepulchro: ergo religiosus est. Decidendi verò ratio est prompta; illa enim censentur adhærere sepulchro, quæ necessariò illi adiacent, & separari ab eo non possunt sine detrimento integritatis, aut religionis, *l.2. de sepulchro violat.* quam partem egregiè illustrauit Suarez *ad legem Aquil. l.2. c.2. sect.6. & 7.* thesaurus verò in sepulchro est per accidens,

Digitized by Google

dens, nec pertinet ad integritatem, aut religionem: igitur non potest dici adhærere loco religioso. Ita exponunt Ant. Clarus & Siluius *ad leges regias d.c.23.* Galbanus *de vsufruct.cap.30.n.4.in fin.* Præbuit etiam rationem Marcianus his verbis: *Quod enim quis sepelire prohibetur, id religiosum facere non potest, vt mandatis Principum cauetur.* Sensus est, contra interdicta iuris publici, exprefsè vetantia aliquid dedicari, nihil potest fieri sacrum, religiosumue, vt pro expositione legis vltimæ, *ff. de litigiosis*, notaui *in c. fin. vt lite pendente*: sed rescripta Principum exprefsè interdicunt condi cum mortuis pecuniam tanquam rem ineptam, & superstitiosam: ergo contra interdictionem sepulta non potuit fieri religiosa, quia non spectat ad religionem.

COMMENTARIVM.

5 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Iudæi inuiti, & renuentes cogendi non sunt Baptismum accipere.* Probant eam textus *in c. ad fidem 25. c. de Iudæis, 45. dist. c.3.* iuncta integra *hoc tit.* Concil. Tolet. *6. can.3.* Tolet. 8. & Tolet. 12. *can.9.* Alexander III. post Concil. Later. *p.20. c.1.* ibi: *Statuimus ergo, vt nullus Christianus inuitos, vel nolentes Iudæos, eos ad baptismum venire compellat.* Concil. Carthag. *can.109. Hoc tempore lex data est, vt libera voluntate vnusquisque Christianitatis argumentum suscipiat.* Sanctus Gregor. Nazianz. *oratione 8.* apud Baronium *anno 591. num.34.* D. Ambrosius *serm.13. in psalmum 118.* D. Thom. *2.2. q.100. art.8.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Suarez *de fide, disp.18. sect.3* Crespetius *in summa iuris Pont. verbo Iudæi inuiti*, Ant. August. *in epit. iuris, l.12. tit.1.* & *l.22. tit.28.* Acuña *in c. qui sincera, 45. dist.* Petrus Gregor. *l.2. syntag. c.2. n.15.* & *l.1. partit. tit.5. c.7.* Mẽdoza *l.3. Concil. Illiber. c.27.* Cabreros *l.2. de metu, c.17. n.50.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 7. qu.10.* Maiolus *dier. canicul. in colloquio de perfid. Iudæor. fol.647.* Balduinus *de edictis pro Christianis, in fin.* Fragoso *p.1. de regim. Christ. Reip. l.1. disp.2. §.7.* Barbosa *ad Concil. Trid. sess.5. n.3.* Grotius *de iure belli, l.2. c.20.* Becanus *in 2.2. de fide c.13.* Suarez *de fide disp.18. sect.1. cum sequ.* Cabreros *de metu, l.2. c.17. num.50.* Hallierius *de sacris electionib. sect.5. q.1. §.10.* Ambianas *ad Tertul. ad Scapul. c.2.* Solorzanus *tom.1. de iure Indiar. l.2. c.17. & 18.* Gentil. *de iure belli, l.1. c.9.* Ricciulus *l.2. de iure person. c.31. & 32.* Germonius *l.3. de sacror. immunit. c.13. nu.33.* Iustus Lipsius *l.4. polit. cap.4.* Valdes *de dign. Regis Cathol. c.19. nu.5.* Valenzuela *contra Venetos p.4. nu.181.* Scortia *in select. theorem. 352. epit. 136.* Castropalao *tom.1. oper. moral. tr.4. disput.2. puncto 6.* Thomas Delbene *p.2. de offic. Inquisit. dub.230. sect.8.*

6 Traditur ratio dubitandi. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Omnes homines, tam Iudæi, quàm Gentiles, vi legis diuinæ obligantur ad fidem, & baptismum, vt probant Suarez, & Becanus *vbi suprà.* Ergo Principes, tam ecclesiastici, quàm sæculares, qui custodes sunt, & vltores legis diuinæ, cogere possunt Iudæos & infideles sibi subditos ad suscipiendum baptismum: quod docuit Christus Dominus exemplo, & parabola: exemplo, dum per terrores compulit Saulum ad fidem profitendam, vt refertur *Act. Apost. c.9. vers.4.* parabola, dum apud Lucam *c.14. vers.23.* Paterfamilias præcepit seruo suo, vt exiret in vias, & plateas ciuitatis, vt compelleret intrare ad cœnam quoscumque inuenisset. Ergo omnes Iudæi, & infideles compellendi sunt intrare in Ecclesiam per fidem, & baptismum. Accedit, nam susceptio fidei per baptismum non cedit in præiudicium Iudæorum, seu infidelium, sed in eorum commodum: ergo nulla fit eis iniuria, si ad baptismum compellantur. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam Iudæi fidem suscipientes coguntur eam seruare, & retinere, *nouell.55. Leonis*, etiamsi per vim, & necessitatem eam susceperint. Concil. Tolet. 4. relatum *in c. de Iudæis, 45. dist.* ibi: *Oportere, at fidem, quam etiam vi, & necessitate susceperunt, tenere cogantur.* Ergo & cogi possunt illam suscipere. Augetur secundò hæc dubitandi ratio exemplo clarissimorum Principum, qui Iudæos coegerunt baptismum suscipere; nam Sisebutus Rex Gothorum *in l 3. tit. 3. l.12. legum Vuisigoth.* sanxit vt omnes Iudæi in Hispania commorantes baptizarentur, aliàs quisquis transgressor repertus fuisset, turpiter decaluatus centum flagella susciperet, & bonis eius fisco applicatis in exilium mitteretur. Vnde quamplures ex eis baptizatos fuisse referunt Lucas Tudensis *in chron. mundi*, Rodericus Tolet. *l.2. cap.17.* Alfonf. Carthag. *in Reg. Hispan. anaceph. c.31.* Ioannes Basseus *in chron. anno Christi 616.* Sahabedra *in chron. Goth. c.18.* Et cùm eorum aliquot millia in Galliam effugerent, turpe visum fuit Dagoberto Galliarum Regi à Gothis eiectos religionis nostræ hostes indomitos finibus suis receptos retinere, ac Vuisigothis religione cedere: quare ipse diem præscripsit, intra quam quisquis mortalium religionem nostram non profiteretur, hostis iudicaretur, comprehensusque capite lueret. Referunt Paulus Æmil. *de rebus Francor. in Dagobert.* Aymonius *l.4. hist. Francor. c.22.* Baronius *anno 614. n.41.* Et *in l. qui post sanctam, §. qui verò, C. de Paganis*, iubentur confiscari bona Paganorum nolentium baptizari: & *in leg. Cœlicolarum, C. de Iudæis*, coguntur Cœlicolæ eisdem pœnis, ac Hæretici fidem recipere. Ergo quia Iudæi cogi possunt baptismum suscipere.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, quæ magna nititur ratione; nam credere est munus animæ, cui nulla vis inferri potest, vt docuit D. Augustinus *in l. de vtilit. credentium*, & *tr.16. in Ioannem*, dum ait: *Cætera posse hominem, etiam nolentem; credere non nisi volentem.* Faciunt Quintus Curtius *l.8.* ibi: *Nemo Rex perinde animis potest imperare, ac linguis.* Lact. Firmianus *l.5. diuin. Instit. c.14.* ibi: *Quis enim imponat mihi necessitatem, vel credendi quod nolim, vel quod velim non credendi? Nihil tam voluntarium, quàm religio est, in qua si animus auersus est, iam sublata, iam nulla est.* Quod præcipuè in fide Catholica procedit, quæ suaptè natura, eo quòd supernaturalis existit, non est hominibus in hoc sæculo demonstrabilis, vt possit intellectus ad ipsam amplectendam conuinci, iuxta illud Ecclesiastici *c.3. Altiora te ne quæsieris*; id est ratione naturali ne fidei mysteria perscruteris: atque inde consequitur, non nisi per spontaneum voluntatis obsequium diuinitus per gratiam acquisibilem esse, iuxta D. Paulum *2. ad Corinth. c.10.* in captiuitatem reducentes omnem intellectum, in obsequium fidei. Quod agnoscentes plures Ecclesiæ PP. docuerunt, religionem imperandam non esse. D. Bernardus *sermon. 66. in Cantica*: *Fides suadenda est, non imperanda.* D. Athanas. *in epist. ad solitariam vitam agentes*: *Piæ religionis proprium est non cogere, sed suadere.* D. Ambros. *in epist. 2. ad Corinth. cap.1.* vbi exponens illa verba: *Non quia dominamur fidei vestræ*, ait: *Quoniam fides non necessitatis, sed voluntatis res est.* Ideò dicitur, non quia dominamur fidei vestræ; dominatus enim necessitatis causa est. D. Hieron. *tr. de 7. ordin. in 6. gradu, sub finem*, D. August. *epist. 48. 50. 127. 129. 158. 159. 160.* Optat. Mileuit. *l.1. l.2. l 3. & 7.* D. Gregor. *l.1. epist.45. Adhibendus est sermo Iudæis conuertendis, qui errorum in ipsis spinas vrere debet; & prædicando, quod in his tenebrescit, illuminet.* Tertul. *ad Scapul. cap.2. Sed nec religionis est cogere religionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi.* Theodoricus apud Cassiodorum *l.2. var. epist.27. Religionem imperare non possumus, quia nemo cogitur, vt credat inuitus.* Et *l.10. epist.26. Nam cùm diuinitas patiatur multas religiones esse, nos vnam non audemus imponere; retinemus enim legisse, voluntariè sacrificandum esse Domino, non cuiusquam cogentis imperio.* Accedit, nam quomodo placere potest Deo Iudæi coacti conuersio, cùm ipse homines omnes in suo arbitrio relinqui voluerit, vt ita homo, qui ex suo libero arbitrio perijt, etiam ex libero arbitrio conuertatur, vt docetur *in d. c. de Iudæis, c. gratia, c. ad fidem, 45. dist.* Quod etiam & in amicis petunt Aristot. *l.8. Ethicor.* D. Isidor. *l.2. de summo bono, cap.2.* vt nemo inuitus amicus fiat. Facit etiam, nam apud Gentiles victima, quæ aliquo modo se inuitam ad aram, & cultum trahi significabat, vt si ab ara profugisset, aut nimis esset reluctata, aut percussa mugitus ederet, à Romanorum & aliarum gentium sacrificijs reijcebatur, quia putabatur ingrata esse Deo, vt tradit Macrobius *l.3. Saturn. c.5.* Plinius *lib.8. c.45.* Plato *lib.8. sympos. c.8.* Tiraq. *in notis ad Alex. lib.3. genial. c.16.* Brissonius *l.1. de formul. pag.17* iuxta illud Virgil. *l.2 Georg.*

Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram.

Vnde tentabatur voluntas victimarum antè immomolationem, iuxta illud Virgilij *lib.2. Æneid.*

Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum.

Immò tantùm studium fuit in obseruandis victimis, vt nisi annuerent sacrificijs, non offerrentur, vt notauit Rabbi Textorius *l.1. officinæ, cap.2.* & latè illustrauit Pater Pinto *in spicil. tract.1. cap.47. num.5.* Rectè ergo in præsenti Clemens III. iuxta prædecessorum suorum sententiam decreuit Iudæos cogendos non esse fidem Catholicam profiteri, baptis-

7 Traditur decidendi ratio.

ri, baptiſmumque ſuſcipere. Idemque dicendum eſt circa filios Iudæorum, ſeu infidelium, qui non poſſunt abduci à parentibus, & illis inuitis baptizari, etiamſi pareant Principibus Catholicis, vt latè probant Solorzanus *d. l. 2. de iure Indiar. cap* 17. Narbona *de ętate, anno* 7. *q.* 10. Ricciulus *d. l. 2. de iure perſon. cap. 32. per totum*, Fragoſo *de regim. Chriſt. Reip. p. 1. diſp. 2. §. 7.* Diana *p. 8. tract. 1. reſol. 2.* Prado *de Sacramentis, tom. 1. qu. 68. dub. 7.* videndus Baronius *anno 259. num. 8. & 9.* qui rectè contrarium reſoluunt circa filios hæreticorum, & apoſtatarum à fide; nam cùm Eccleſia poſſet eos cogere religionem Catholicam retinere, & obſeruare, poterit & illis inuitis eorum filios baptizare.

8 Diſſoluitur dubitandi ratio.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, cui reſpondendum eſt negando conſequentiam; nam Prælati eccleſiaſtici non poſſunt cogere Iudæos Infideleſue fidem Catholicam profiteri, cùm in eos iuriſdictionem non habeant, vt ait D. Thomas *dicta qu. 100. art. 4.* & colligitur ex illo Pauli 1. *ad Corinth. cap. 12. Quid enim mihi de his qui foris ſunt, iudicare?* Nec etiam poſſunt Principes ſęculares, etſi temporalem iuriſdictionem in eos exerceant; quia poteſtas, & iuriſdictio illorum Principum ordinatur tantum ad finem naturalem, nec extenditur ad finem ſupernaturalem, ſeu ad ea, quæ ſunt ordinis ſupernaturalis: at ſuſceptio fidei per baptiſmum non pertinet ad finem naturalem, ſed ſupernaturalem. Ergo poteſtas, & iuriſdictio Principum ſæcularium ad ea non ſpectant. Nec obſtat quod ex facto Chriſti cum Saulo, & parabola ſuprà relata expendebamus; nam reſpondeo dupliciter. Primò quod licèt Paulus ab initio eſſet renuens, dum perſequebatur Eccleſiam; tamen ſatis expreſſit propriam voluntatem, dum dixit: *Domine, quid me vis facere?* Vnde non poteſt dici, inuitum fidem ſuſcepiſſe, vt docent Ricciulus *d. l. 2. cap. 31. num. 15.* Turrisſcremata *in d. cap. de Iudęis, 45. diſt.* Per parabolam etiam relatam à D. Luca, eorum qui ad cœnam intrare compelluntur, non ſignificantur Iudæi, de quibus hìc agitur; ſed potiùs hæretici, & ſchiſmatici, qui ratione baptiſmi pertinent ad iuriſdictionem Eccleſiæ, & compelli poſſunt, vt redeant ad vnitatem corporis Chriſti, vt exponit locum illum D August. *epiſt. 50. ad Bonifacium.* Et ſi adhuc accipiamus parabolam illam de infidelibus, vel Iudæis, tunc *compellere* non accipitur pro violenta compulſione, ſed pro vehementia amoris Chriſti, quo cupit omnes ad fidem conuerti, in Eccleſiæque gremium ingredi, vt docuit D. Thomas *q. 22. de veritate, art. 9 ad vltimum*. Nec etiam obſtat, quod baptiſmus non cedit in præiudicium infidelium; nam reſpondeo, quod licèt ſpontanea fidei profeſſio non cedat in præiudicium eam ſuſcipientis, cogi tamen, & compelli ad ſuſceptionem baptiſmi, in magnum grauamen illius, qui cogitur, cedit; & quidem grauamen contra iuſtitiam, cùm cogatur ab eo, qui talem poteſtatem compellendi non habet: quod facilè explicatur exemplo voti, nam votum caſtitatis ſpontè emiſſum non cadit in præiudicium vouentis; cogi autem ad vouendam caſtitatem ab eo, qui poteſtatem non habet, eſt iniurioſum ei, qui cogitur. Nec etiam obſtat, quod qui fidem ſemel ſuſceperunt, etiam per vim, coguntur eam retinere; nam aliud eſt cogi ad ſuſcipiendam nouam fidem, aliud ad retinendam eam, quam ſemel ſuſcepit; illi enim cogi non poſſunt ad baptiſmum; iſti verò cogi debent omninò, ne fides ſemel ſuſcepta apud eos vilis, & contemptibilis videatur, *cap. quidam, de apoſtatis, cap. contra Chriſtianos, de hęretic. l. 6. cap. plerique, de conſecrat. diſt. 3.* latè dicemus in *cap. ad abolendam, de hęret.* Nec tandem obſtat Siſebuti Regis factum, quod improbarunt PP. Concil. Tolet. *can. 56.* relati *in cap. de Iudęis, 45. diſt.* & D. Iſidorus *in chron. Goth. era 651.* vbi agens de Siſebuto ait: *Qui in initio regni ſui Iudęos ad fidem Chriſtianam moueat, ęmulationem quidem Dei habuit, ſed non ſecundùm ſcientiam. Poteſtate enim compulit, quos prouocare fidei ratione oportuit.* Appellatur tamen glorioſus idem Princeps à Patribus in dicto canone, non propter factum, ſed propter zelum: dixi *in c. maiores, de baptiſmo.*

Sed ſuprà traditæ aſſertioni obſtat textus in *cap. iam verò, 23. qu. 8.* vbi expreſsè D. Gregorius iubet Ianuario Ca- 9 Exponitur caput iam verò, 23. qu. 8

laritano Epiſcopo, vt per tributorum impoſitionem ruſticum cogat ad fidem catholicam ſuſcipiendam: igitur quia Iudæi inuiti ad Baptiſmum cogi poſſunt. In qua difficultate communiter Gloſſa, Archidiaconus, & Præpoſitus, quos ſequitur Ricciulus *l. 2. de iure perſonar. cap. 21. num. 23.* accipiunt Gregorium de ruſtico iam baptizato in hæreſim lapſo, qui cùm pertinax eſſet, iubet Gregorius, vt cogatur fidem retinere. Sed hæc ſolutio apertè conuincitur ex ipſa epiſtola D. Gregorij, ex qua deſumptus eſt textus *in d. c. iam verò*, quæ reperitur *l 4 epiſt. 26.* ibi: *Accidit autem aliud valdè lugendum, quia ipſos ruſticos, quos habet Eccleſia tua, nunc vſque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis veſtræ permiſit. Et quid vos admoneo, vt extraneos ad Deum adducatis, qui veſtros ab infidelitate corrigere negligitis? Vnde neceſſe eſt, vos per omnia in eorum conuerſionem vigilare. Nam ſi cuiuslibet Epiſcopi in Sardinia inſula paganum ruſticum inuenire potuero, in eundem Epiſcopum fortiter vindicabo.* Et ſtatim ſequitur textus *in d. c. iam verò*. Ex quibus verbis expreſsè cõſtat, agere D. Gregorium de ruſtico pagano, qui nondum fuerat baptizatus. Quare ea ſolutione omiſſa, dicendum eſt, quod etſi infideles non poſſint cogi vi præciſa ad ſuſcipiendum baptiſmum, poſſunt tamen blanditijs, ſuaſionibus, & præmijs inuitari, & cogi ad baptiſmum. Vnde idem D. Gregorius l. 4. *epiſt* 6. ſcripſit, vt Iudæis baptizatis aliqua pars tributorum remittatur, vt ita ipſi alliciantur ad fidem Catholicam ſuſcipiendam, ibi: *Peruenit ergo ad me, eſſe Hebræos in poſſeſſionibus noſtris, qui conuerti ad Deum nullatenus valunt. Sed videtur mihi, vt per omnes poſſeſſiones, in quibus Hebræi ipſi eſſe noſcuntur, epiſtolas tranſmittere debens, eis ex me ſpecialiter promittens, quod quicumque ad verum Dominum Deum noſtrum Ieſum Chriſtum ex eis conuerſus fuerit, onus penſionis eius ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, vt ſi quis ex eis conuerſus fuerit, ſi ſolidi penſionem habet, tremiſſis ei relaxari debeat: ſi tres, vel quatuor, vnus ſolidus relaxetur: ſi quid ampliùs, iam iuxta eundem modum debet relaxatio fieri, vel certè iuxta quod dilectio tua præuidet: vt & ei qui conuertitur, onus releuetur; & eccleſiaſtica vtilitas non graui diſpendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, ſi pro leuandis penſionum oneribus eos ad Chriſti gratiam perducamus: quia etſi ipſi minùs fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, iam fideliùs baptizantur. Aut ipſos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideò non eſt graue quidquid de penſione pro Chriſto dimittimus.* Ideò iubet Gregorius *in d. epiſt. 26.* Epiſcopo Caralitano, vt Iudæis omnia tributa imponat, ſeruata tamen eorum iuſtitia, vt ita ſpe præmij ſaltem alliciantur ad ſuſcipiendum baptiſmum.

CAPVT X.

a Clemens III.

QVàm ſit laudabile, &c. *Et infrà*: Tuis, frater Epiſcope, petitionibus annuentes, tibi, tuiſque socijs, cùm ad prædicandam Chriſti fidem *b* paganis vos exibetis, Apoſt. auctoritate concedimus, vt vobis *c* his cibis cum modeſtia & gratiarum actione, ſeruata temporum qualitate, iuxta canonicas ſanctiones vti liceat, qui vobis ab ipſis infidelibus apponuntur. Inſuper indulgemus, vt quicumque viri, ſeu monachi, ſiue clerici, idonei ad nunciandam Gentibus Euangelicam veritatem, requiſita, *d* & habita Prælatorum ſuorum licentia, tibi voluerint adhærere, id abſque contradictione qualibet exequendi liberam habeant Apoſtolica auctoritate facultatem.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

1 a IDem.] Clemens videlicet III. vt legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.*4 nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex; vnde non constat, de qua Paganorum prouincia in præsenti agatur; credo tamen in præsenti agi de prouincia Liuoniensium, qui his temporibus Clementis III. fidem Catholicam susceperunt, vt retuli *in cap. Deus, de vita & honest. cleric. cap. fin. de diuort.*

b *Pagani.*] Pagani qui dicantur, exposui *in cap.*2. *de constitut.*

c *His cibis.*] De prohibito conuiuio cum Paganis, & Iudæis, egi *in can.*5. *Concil. Illiber.*

d *Requisita & habita.*] Quia munus prædicandi propriè ad Episcopum spectat, vt probaui *in cap inter cætera, de offic ordin.* vel ad eos, quos ipse elegerit, vt dicemus *in cap. excommunicamus, §. qui verò, de hæretic.* & docent Barbosa *de potest. Episc. alleg.*76. Solorzanus *tom.* 2. *de iure Indiar. lib.*2. *cap* 18. *nu.*16. & ex hoc textu decisam fuisse quæstionem in supremo Indiarum Senatu emergentem de Patribus Societatis Iesu intendentibus tantum prædicare verbum Dei apud Iapones, refert idem Solorzanus *lib.*3. *cap.*18. *nu.*18.

CAPVT XI.

a Idem.

SIgnificauit nobis tua fraternitas, quomodo aliqui ciuium tuorum in *b* Alexandriam valeant proficisci pro recuperandis conciuibus suis, qui illic in captiuitate tenentur: hæc arbitramur posse licitè fieri, dummodo nihil in mercibus, vel alio modo secum illic deferant, vnde possit Sarracenis, excepto redemptionis articulo, aliquod commodum, vel subsidium prouenire: quod etiam coram te priùs iuramento firmabunt. Illi quoque, qui post treugam in transmarinis partibus factam cum commercio Alexandriam adiuerunt, si detulerunt merces prohibitas causa *c* lucrandi, excommunicationis vinculum non euadunt: similiter & illi, qui in personis proprijs non euntes, merces eo per alios destinarunt. Ad vltimum illos, qui iurauerunt se ampliùs in terram Sarracenorum cum mercibus non ituros, nisi pax esset inter Christianos, & ipsos, & post *d* treugam factam venerunt illuc, illa conditio de pace, vel de treuga habenda ab excommunicationis vinculo non absoluit.

NOTÆ.

1 a IDem.] Clemens III. videlicet, vt exprimitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.*5. etsi non constet cui Prælato missa sit præsens Decretalis.

b *Alexandriam.*] Alexandria Metropolis est non solùm Ægypti, verùm etiam Thebaidis, & Libyæ, quæ Ægypto adiacent, vt dicemus *in c. antiqua, de priuil.* Temporibus Clementis III. occupata erat à Sarracenis: & quia bellum in his partibus pro recuperanda Terra sancta tunc gerebatur, ideò plures captiui in his prouincijs à Sarracenis habebantur.

c *Lucrandi.*] Quia in hac prohibitione non attenditur animus, sed effectus, si videlicet validior redditur inimicus, *l.*4. *C. quæ res export. extrauag. Multæ, hoc tit.* plu- 2
ribus relatis docet Hermosilla *in l.* 21. *tit.*5. *part.*5. *num.*3. & 10.

d *Treugam.*] Treuga quid sit, & quatenus distet à pace, exposui *in cap.*1. *de treuga, & pace.*

CAPVT XII.

a Clemens III.

QVod olim præceptum fuit, &c. *Et infra*: Sanè licèt hoc fuerit in Lateran. Concilio districtè inhibitum, nos tamen de consilio fratrum nostrorum omnes illos excommunicationi supponimus, qui iam ampliùs cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel per se, vel per alios, nauibus, seu quocumque alio ingenio eis aliqua rerum subsidia, seu consilia impenderint, quandiù inter vos, & illos guerra durauerit. Vestræ igitur disc. mandamus, atque districtè præcipimus, quatenus nec per vos, nec per vestras naues, nec alio quocumque modo, aut ingenio eis mercimonia, consilia, seu alia subsidia transmittatis; ne si fortè aliqui in sua malitia indurati, secus agere præsumpserint, non solùm ipso iure incidant in excommunicationem illam, verùm etiam illi iram Dei viuentis incurrant.

NOTÆ.

a IDem.] Clemens videlicet III vt habetur *in cap.* 6. *hoc tit. in* 2. *collect.* & commentarium dedi suprà *in cap.*1.

CAPVT XIII.

Idem *Archiepiscopo* a *Senon. & Episcopo Parisiensi.*

ETsi Iudæos, quos propria culpa submisit *b* perpetuæ seruituti, cùm Dominum crucifixerunt, quem sui Prophetæ ad redemptionem Israel prædixerunt in carne venturum, pietas christiana receptet, & sustineat cohabitationem illorum, quos etiam propter illorum perfidiam Sarraceni, qui fidem Catholicam persequuntur, nec credunt in Crucifixum ab illis, sustinere non possunt, sed potiùs à suis finibus expulerunt, in nos vehementiùs proclamantes, eo quòd sustineantur à nobis, qui ab ipso crucis patibulo condemnant redemptorem nostrum: ingrati tamen nobis esse non debent, vt redderent Christianis pro gratia contumeliam, & de familiaritate contemptum; qui tanquam misericorditer in nostram familiaritatem admissi, nobis illam retributionem impendunt, quàm iuxta vulgare, Mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis consueuerunt hospitibus exhibere. Accepimus autem, quod Iudæos, quos gratia Principum in suis terris admisit, fecit adeò insolentes, vt illos committant excessus in contumeliam fidei Christianæ, quos non tantùm dicere, sed etiam nefandum est cogitare Faciunt enim Christianas filiorum *c* nutrices, & cùm in diem resurrectionis Dominicæ illas recipere corpus & sangninem Iesu Christi contingit, per triduum antequam eos lactent, lac effundere faciunt in latrinam: alia insuper contra fidem catholicam detestabilia, & inaudita committunt, propter quæ fidelibus est verendum, ne diuinam indignationem incurrant,

cùm eos perpetrare patiuntur indignè, quæ fidei noſtræ confuſionem inducunt. Rogamus igitur chariſſimum in Christo filium noſtrum Ph. Regem Francorum illuſtrem; mandauimus etiam nobili viro Duci Burgundiæ, & Comitiſſæ Trecen. vt tales reprimant Iudæorum exceſſus, ne ceruicem perpetuæ ſeruitutis iugo ſubmiſſam præſumant erigere contra reuerentiam fidei chriſtianæ: inhibentes diſtrictiùs, ne de cætero nutrices, vel ſeruientes habeant Chriſtianos, ne filij liberæ filijs famulentur ancillæ; ſed tanquam ſerui à Domino reprobati, in cuius mortem nequiter coniurarunt, ſe ſaltem per effectum operis recognoſcant ſeruos illorum, quos Chriſti mors liberos, & illos ſeruos effecit; quia cùm iam cœperint rodere more muris, & pungere ſicut ſerpens, verendum eſt, ne ignis receptatus in ſinu, corroſa conſumat. Quocirca f. v. per A. ſ. m. quat. prædictum Regem, & alios ad hoc ex parte noſtra ita diligenter monere, ac efficaciter inducere procuretis, quod Iudæi de cætero nullatenus inſoleſcant, ſed ſub timore ſeruili prætendant ſemper verecundiam culpæ ſuæ, & reuereantur honorem fidei Chriſtianæ. Si verò Iudæi nutrices, & ſeruientes non dimiſerint Chriſtianos, vos auctoritate noſtra ſuffulti, ſub excommunionis pœna inhibeatis diſtrictè omnibus Chriſtianis ne cum eis commercium aliquod audeant exercere.

NOTÆ.

1 a *Senonenſi.*] Ità etiam legitur *in cap. vnic. hoc tit. in 3. collect.* ex qua textum hunc reſtituo. De Senonenſi diœceſi egi *in cap. 6. de conſtitutionibus.*

2 b *Perpetuæ ſeruituti.*] Nam cùm grande peccatum admiſiſſent, grauem patiuntur pœnam, & amiſſa priſtina dignitate, ſerui Gentium facti fuerunt. Cur autem Iudæi tolerentur inter Chriſtianos, varias rationes adducunt Sancti Patres, præcipuè eam, vt teſtes ſint ſuæ iniquitatis, & noſtræ veritatis, ac vt ita alliciantur ad ſuſcipiendam fidem Catholicam, vt expreſſit D. Auguſt. *ad pſalmum 56. ſermone 77.* ibi: *Per omnes gentes diſperſi ſunt Iudæi teſtes iniquitatis ſuæ, & veritatis noſtræ. Ipſi habent Codices, de quibus prophetatus eſt Chriſtus, & nos tenemus Chriſtum. Et ſi quando fortè aliquis paganus dubitauerit, cùm eis dixerimus prophetias de Chriſto, de codicibus Iudæorum probamus. Librarij denique noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſerui poſt dominos codices ferre.* Et *lib. de vera relig. cap. 6. Eccleſia Catholica vtitur gentibus ad materiam operationis ſuæ, hæreticis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſmaticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Iudæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ.*

c *Nutrices.*] Iuxta tradita ſuprà *in cap. ad hæc.*

CAPVT XIV.

a Idem.

POſtulaſti qualiter contra Iudæum procedere debeas, qui manus iniecit in quendam clericum violentas. Ad quod breuiter reſpondemus, quod ſi dictus Iudæus tuæ *b* iuriſdictionis exiſtit, ipſum pœna *c* pecuniaria punias, vel alia (ſecundùm quod conuenit) temporali, faciens læſo ſatisfactionem congruam exhiberi, alioquin eius *d* dominum moneas, & inducas, vt paſſo iniuriam, & Eccleſiæ ab eo ſatisfieri faciat competenter: quod ſi dominus eius neglexerit adimplere, tu Chriſtianis omnibus per cenſ. eccleſ. interdicas, ne cum ipſo Iudæo antequam ſatisfaciat, præſumant *e* commercia exercere.

NOTÆ.

a *IDem.*] Inſcriptionem integram huius textus dedi *in c. poſtulaſti, de regul.* vbi extat alia pars huius textus.

b *Tuæ iuriſdictionis.*] Temporalis videlicet, quia forſan
1 Epiſcopis in ea parte temporalem, & ſpiritualem exercebat iuriſdictionem.

c *Pœna pecuniaria.*] Quia ſpirituali ipſi Iudæi affici
2 non poterant, aliàs niſi ex graui cauſa Iudices eccleſiaſtici non debent imponere pœnam pecuniariam, *cap. licèt 3. de pœnis.*

d *Dominum.*] Temporalem videlicet: vnde probat D.
3 Franc. de Amaya *in l. 1. C. de exactor. tributor. lib. 10. nu. 41.* Iudicem eccleſiaſticum non poſſe laicum reum criminis mixti fori, vel etiam eccleſiaſtici propria auctoritate incarcerare, non inuocato auxilio brachij ſæcularis: quòd ſæpiùs vidi pronunciatum in hac Pinciana Cancellaria. Sed quæſtionem hanc diſputauimus *in c. poſtulaſti, de homicidio*, vbi extat alia pars huius Decretalis.

e *Commercia.*] Eadem pœna Chriſtianis imponitur *in cap. etſi Iudæos, cap. ad hæc, hoc tit. cap. de Iudæis, de decimis:* vnde infertur, regulariter licitum eſſe cum Iudæis 4
contrahere: quod probant Maſcard. *de Iudæis p. 1. cap. 5.* Heringius *de fideiuſſor. cap. 8. nu. 116.* quod & ad ſocietatem extendunt Tiraquel. *de primog. q. 66. nu. 14.* Ricciulus *lib. 2. de iure perſon. cap. 42.* qui rectè monet, nihilominus indignum eſſe lucri cauſa Chriſtianum cum Iudæo ſocietatem coire.

CAPVT XV.

Idem *in Concilio* a *Generali.*

IN nonnullis prouincijs à Chriſtianis Iudæos, ſeu Sarracenos habitus diſtinguit diuerſitas, ſed in quibuſdam ſic quædam inoleuit confuſio, vt nulla differentia diſcernantur. Vnde contingit interdum, quod per errorem Chriſtiani Iudæorum, ſeu Sarracenorum, Iudæi, vel Sarraceni mulieribus Chriſtianorum *b* commiſcentur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis exceſſus per velamen erroris huiuſmodi excuſationis poſſit habere diffugium, ſtatuimus vt tales vtriuſque ſexus in omni Chriſtianorum prouincia, & omni tempore, qualitate *c* habitus publicè ab alijs populis diſtinguantur, cùm per Moyſen hoc ipſum eis legatur iniunctum. In diebus autem lamentationis, & *d* Dominicæ paſſionis publicè minimè procedant, eo quòd nonnulli ex ipſis talibus diebus, ſicut accepimus, & ornatiùs non erubeſcunt incedere, ac Chriſtianis, qui ſacratiſſimæ paſſionis memoriam exhibentes, lamentationis ſigna prætendunt, illudere non formidant. Illud tamen diſtrictiſſimè inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris aliquatenus proſilire præſumant. Et quoniam illius diſſimulare non debemus opprobrium, qui probra noſtra deleuit, præcipimus præſumptores huiuſmodi per Principes ſæculares condignæ animaduerſionis adiectione compeſci, ne Crucifixum pro nobis aliquatenus blaſphemare præſumant.

NO-

N O T Æ.

1 a GEnerali.] Lateranensi videlicet sub Innocentio III. vbi *cap.68.* reperitur textus hic, & *in cap.1. hoc tit. in 4. collect.*

b *Commisceatur.*] Cuius peccati grauitatem probaui *in cap.78. Concilij Illib.*

2 c *Habitus publicè.*] Quod etiam prouidis constitutionibus sanxerunt PP. Concilij Rauennat. 2. temporibus Clementis V. *Etsi Iudæi de misericordia, & ad testimonium incredulitatis eorum debeant ab Ecclesia, & Fidelibus in suis ritibus tolerari; quia tamen ex ipsorum conuersatione permixtu multa mala & scandala prouenisse noscuntur, statuimus, & perpetua stabilitate firmamus, quod Iudæi portent in pannis superioribus certum signum, scilicet rotam panni crocei coloris, & mulieres eorum in capite, vt sic à Christianis possint discerni.* Salceburg. tempore Martini V. vbi de fœmininis Iudæis ita cauetur: *Vt mulieres, vel virgines dictæ superstitioni insudantes, cùm se in publicam exhibent Christianorum nostræ prouinciæ, notam sonantem in aliqua sui corporis parte deferant.* Paulus IV. constitutione 3. quæ incipit, *Cùm nimis absurdam.* Pius V. in constitutione 7. quæ incipit, *Romanus Pontifex*: quibus cauetur, vt Iudæi masculi biretum, fœminæ verò aliud signum patens, ita vt nollo modo celari possit, palam deferre teneantur. Vnde consuetudines antiquas Ferrariæ, & similiom ciuitatum, in quibus promiscuis vestibus Iudæi, ac Catholici vtuntur, improbatas esse docuerunt, alia pro ipsarum constitutionum expositione adducentes Ricciulus *de iure person. lib.2. cap.43. per totam*, Scortia *in select. Pontific. constit. theorem. 54.* Fragoso *vbi suprà.* Quæ omnia omitto, vt parum vtilia, cùm in his regnis iam à temporibus Ferdinandi, & Elizabeth eiecti, & eliminati fuerint.

d *Dominicæ passionis.*] Iuxta tradita suprà *in c. quia 4.*

C A P V T XVI.

Idem a *in eodem.*

CVm sit nimis absurdum, vt Christi blasphemus aliquis in Christianos iura exerceat potestatis: quod super hoc *b* Tolet. Concil. prouidè statuit, propter transgressorum audaciam & hoc generali Concilio innouamus, prohibentes ne Iudæi publicis officijs præferantur, quoniam sub tali prætextu Christianis plurimùm sunt infesti. Si quis autem eis officium tale commiserit, per *c* prouinciale Concilium, quod singulis annis præcipimus celebrari, monitione præmissa, districtione qua conuenit, compescatur: officiali verò huiusmodi tamdiù Christianorum communio in commercijs, & alijs denegetur, donec in vsus pauperum Christianorum secundùm prouidentiam dioecesani Episcopi conuertatur quidquid fuerit à Christianis ademptum occasione officij sic suscepti; & officium cum pudore dimittat, quod irreuerenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos.

N O T Æ.

a EOdem.] Concil. videlicet Lateran. celebrato sub Innoc. III. vbi *can.69.* reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.2.*

1 b *Toletanum*] Tertium videlicet, *can.14.* vbi ita Hispaniæ PP. sanxerunt: *Suggerente Concilio id gloriosissimus Dominus noster canonibus inserendam præcepit, vt Iudæis non liceat Christianas habere vxores, vel concubinas, nec mancipia Christiana comparare in vsus proprios; sed & qui filij ex tali coniugio nati sunt, assumendos esse ad baptismum: nec vlla officia publica eos opus est agere, per quæ eis occasio tribuatur pœnam Christianis inferre.* Et si à Gratiano *in c. nulla, 54. dist.* hæc verba Concilio Tolet. 4 tribuantur.

c *Prouinciale Concilium.*] Iuxta tradita suprà *in cap. sicut olim, de accusat.*

2 d *Diœcesani Episcopi.*] Quia cùm ipse qui tale officium contulit Iudæo, suspectus esset, non eius auctoritate, sed interuentu Episcopi pecunia est distribuenda, vt pro conciliatione huius textus cum capite *6. §. eos, de homicidio,* docuit Couarr. *in cap 3. de testam. num.11.*

COMMENTARIVM.

3 Conclusio traditur, & probatur. EX hac constitutione Concilij Lateran. sequens deducitur assertio: *Iudæi, seu Pagani non debent præfici officijs publicis inter Christianos, nec in eos iurisdictionem exercere.* Probant eam textus *in cap. nulla 14. 54. dist. cap. constituit 38. 17. quæst.4 cap.1. in fine, cap. penult hoc tit.* Concil. Aruernense *can.8.* ibi: *Ne Iudæi Christianis populis iudices præponantur.* Matiscon. can 13. *Ne Iudæi Christianis populis iudices deputentur, aut telonarij esse permittantur, per quod illis (quod Deus auertat) Christiani videantur esse subiecti.* Meldense *can.73.* Tolet. 12. *can.19.* Narbonense sub Ludouico IX. *can.2.* Concil. Regiaticinum vulgò dictum, *can.20.* ibi: *Omni ratione caret, & religioni Christianæ noxium & contrarium noscitur, vt Iudæi à Christianis regalia exigant, aut vllas ciuiles, aut criminales causas inter Christianos iudicandi locum habeant, &c.* Palentinum anno 1322. *can.21.* ibi: *Absurdam & irrationabilem corruptelam, quæ in Christianæ fidei vergit opprobrium, & iacturam, qua contra canonicas functiones Iudæi & Sarraceni Christianis in publicis præficiantur officijs, sub quorum prætextu Christianis plurimùm sunt infesti, exstirpare volentes, vniuersis Ecclesiarum Prælatis sub interminatione diuini iudicij præcipimus, & mandamus, vt Sanctorum Patrum statuta super hoc edita faciant inuiolabiliter obseruari.* Gregorius VII. *lib.9. regestr. epist.2.* ad Alfonsum Regem Hispaniæ: *Iudæos Christianis dominari, vel suprà eos potestatem exercere, vlteriùs nullatenus sinas: quid enim est Iudæis Christianos supponere, atque hos illorum iudicio subijcere, nisi Ecclesiam Dei opprimere, & sathanæ synagogam exaltare? & dum inimicis Christi velis placere, ipsum Christum contemnere.* Referunt Crespetius *in summa, verbo Iudæi officia,* Ant. August. *in epit. lib.12. tit.6. cap. vnic. hoc tit. in 5. compil. l. iubemus 17. Cod. de Episc. & cleric. aud. l. penult. C. de diuers. offic. appar. iudic. l. sublimitatem 29. l. eos 42. l. domus 58. in fine, l. penult. C. Theodos. de heret. l. qui profano 21. C. de paganis, l. 165. C. Theodos. de decur. Nouel. Iustin. 109. & 144.* constitutio Theodosij de Iudæis, Samaritanis, Hæreticis, & Paganis, ex qua sumpta est lex finalis, *C. de Iudæis*, sed paucis immutatis, inter quæ legitur: *Quod de patriæ honore arripiendo proponitur,* cùm in Theodosij Nouella desit hæc clausula. Cuiacius ex Græcis legendum monet, *nec patris honorem arripere*: quam lectionem firmat Phocius *in nomocan. tit.12. cap.2.* consonat lex 3. *tit.24. part.7.* lex 4. *tit.8. lib.8 ordin.* Carolus *lib.6. capit. cap.120. Ne Iudæi administratorio vsu sub ordine villicorum, atque actorum christianam familiam regere audeant, nec eis hoc à quoquam fieri præcipiatur.* Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa, & à Cenedo *collect.77. ad Decret.* Salcedo *in praxi, cap.23 num 4. & 10.* Petrus Greg. *lib.2. part. tit.5. cap.4.* Barbosa *lib.3. voto 93.* Marquez *in Gubernat. Christ. cap.3. ad finem,* Mendoza *in can.56. Concil. Illiber.* Gutierrez *de delict. lib. 11. cap.22.* Acuña *in d. cap. nullu 14.* Amaya *in l. vnic. C. de infamibus, nu.61.* Fragoso *part.1. de regim. Christ. Reip. disput.2. §. 8.* Tiberius Decianus *tom 1. tract. crimin. lib. 5. cap 13.* Maiolus *dier. canic. colloquio de perfid. Iudæor. fol.614.* Mornacius *in l. 6. C. de Episc. aud. & in l. fin. Cod. de Iudæis,* Hunnius *ad Treutl. volum.1. disput.7. quæst.32.* Hopingius *de iure insignium, cap.2.* Carball *in capite Raynaldus, numero 224. de testament.* Gutherus *de officijs domus August. libro 2. cap.4.* Mancinus *de triplici iuris collat. capit. 182.* Rodericus Caro *in histor. Hispalensi, libro 3. capite 44. fol. 161.* Ricciulus *libro 2. de iure person. capit. 28. cum sequent.* Forner. *libro 6. rer. quotid. capite 8.* Cuiacius *ad tit. Codice de Episcop. aud. & de Iudæis:* Osualdus *libro 18. Donel. cap.7. littera N,* Escobar *de Pontif. iurisdict. cap.23. nu.49.* Tapia *tom.2. lib.1. quæst.5. art. vlt.*

Digitized by Google

4 Traditur dubitandi ratio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Ad officia publica, dignitatesque illi sunt admittendi, quibus maiora suffragantur merita, quia similibus personis præmia, & honores debentur, *l. in nomine, §. hæc autem, C. de offic. Præfect. Africæ, l. 1. ff. de Decurion. l. cùm quis, C. eod tit. lib. 10. c. graue, de præbend.* Illustrant latè Barbosa *lib. 3. voto 93. ex nu 27.* Igitur siue Iudæus, siue Paganus quis sit, si tamen maioribus pollet meritis, debet ad officia publica eligi. Augetur primò ex eo, nam iuxta præceptum Domini relatum *in cap. 1. de coniug. seruor.* acceptio personarum non est habenda, & iniustum videtur certum genus personarum ad officia, dignitatesque admittere, alios verò ab eis remouere: ergo non debent Iudæi omnes absolutè, & indistinctè ab officijs publicis remoueri. Augetur secundò hæc dubitandi ratio *ex l. Iudæi 8. C. de Iudæis*, vbi docetur, quod si Iudæus litem habeat cum Christiano, adeatur Iudex Christianus. Vnde à contrario facilè deducitur, quod si habeat litem cum Iudæo, iudex is est adeundus, qui secundùm ius Hebræorum illam decidere possit. Igitur saltem pro eo casu Iudæi iudices esse possunt.

5 Soluitur ratio dubitandi. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cuius ratio exprimitur in principio huius textus, quia videlicet nimis absurdum est, vt Iudæi, & Pagani, qui Christum blasphemant, in Christianos vim potestatis exerceant: quemadmodum enim tyrannis Christiani nominis hostibus hoc maximè consilium fuit, vt Christianos ab omnibus honoribus, comitijs, foro, & tribunalibus arcerent, vt de Iuliano Apostata narrat Gregorius Nazianz. *orat. 1. in Iulianum*: sic vice versa Christiani Imperatores meritò Iudæis, & Paganis in vniuersum ad Magistratus, & honores aditum præcluserunt, vt refert Theodoretus *lib. 1. eccles. historiæ*. Quod absurdum cùm cognouissent Patres nascentis Ecclesiæ, cùm adhuc Imperatores Catholici non erant, & ex Gentilibus ferè eligebantur, repetitis legibus cauerunt, ne Christiani alium Christianum coram iudice Gentili conuenirent, vt ita nullam potestatem exercerent Ethnici in Catholicos, & vt omnis occasio communicandi cum eis tolleretur. Concil. Carth. 4. *can. 87.* relatum *in cap. Catholicus 2. quæst. 6.* D. Paulus *1. ad Corinth. cap. 6.* ibi: *Si qui ex fratribus negotia habent inter se, nec apud cognitores sæculi iudicentur.* Vbi per sæculi cognitores intelligi Gentiles, probat Mendoza *lib. 3 Concil. Illiberit. cap. 38.* D. Clemens *lib. 2. const. cap. 50.* *Non cognoscant ergo Gentes controuersias, quæ inter vos oriuntur, neque contra vos infidelium testimonia recipiatis, nec ab his vos iudicari velitis.* Anacletus *epist. 1. ad omnes Episcopos*, Alex. I. relatus *in cap. relatum 11. quæst. 1.* Accedit, nam Iudæi infames sunt, *l. 3. tit. 24. part. 7.* iunctis congestis à Couar. *in Clement. si furiosus, part. 1. §. 6. num. 7.* Osualdo *lib. 18. Donel. cap. 7. littera N*, Lara *lib. 2. de capellanijs, cap. 4.* Amaya *in l. vnic. C. de infamibus.* Quare Iuuenalis *satyr. 3 vers. 13* quasi vilibus & infamibus personis nemora locari consueuisse ostendit, cum morsu:

Nunc sacri fontes, nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.

Et gens *fœtens* dicitur ab Ammiano Marcellino *lib. 22.* & *obcœna* à Rutilio *lib. 1. itiner.* Quare à Gentibus maximè exosi sunt, & eorum occursus malè ominatus, vt tradunt Dorleans *lib. 2. ad Tacitum, pag. 321.* Barthius *lib. 2. aduers. cap. 12.* sed infamibus portæ dignitatum non patent, *d. l. vnic. C de infamibus*, vbi plura Amaya *in l. 2. Cod. de dignit.* Bronchorst. *cent 4. ass. 96.* Ergo rectè in præsenti statuitur, Iudæos non esse admittendos ad officia publica, & dignitates: quod & ad eorum progeniem, & descendentes extendunt Doctores suprà laudati, & citati *in cap. eam te 7. de rescriptis.*

6 De officijs aduocati, procuratoris & tabellionis. Vnde infertur, Iudæos minimè posse aduocationis officium exercere, *l. nemo 15. C. de Episcop. audient. l. vlt. C. de postul.* faciunt textus *in l. probatorias 9. C. de diuers. offic. lib. 12 cap. nemo 7. de pœnit. dist. 1.* quia publicum officium est pro alio postulare; & non solùm nobile, verùm & laudabile est officium Aduocati, *l. laudabile 4. C. de aduocat. diuers. iudic. l. prohibendum 7. C. de postulando*, docent Donellus *lib. 18. comment. cap. 3.* vbi Osualdus *littera E*, Gutherus *de officijs domus, lib. 3. cap. 2.* Bulengerus *libro 6. de Imper. Rom. cap. 61.* Mastrillus *de Magistratibus, lib. 2 cap. 12. num. 6.* Amaya *in d. l. vnic. C. de infamibus, à num. 87.* notaui *in cap. 1. de postulando.* Vnde cùm ab huiusmodi officio infames repellantur, vt probant Faber *in ration. ad l. 1. §. ait Prætor 8. de postul.* Tiraquellus *de nobilit. cap. 29. ex num. 11.* Iudæi tanquam infames ab aduocationis munere arceri debent, vt probat Ricciulus *lib. 2. de iure person. cap. 24.* Idem dicendum est de Procuratoris officio; nam præterquam quod publicum est, *l. 2. ff. de regul. iuris*, non vile & abiectum, sed honestum, & nobile est, vt probant Ant Faber *in rationali ad l. Pædius 7. ff. de arbitris*, Tiraq. *de nobilit. cap. 30.* P. Gregor. *libro 9. syntag. cap. 4. num. 5.* Osualdus *lib. 18. Donel. cap. 5. littera P*, Bobadilla *lib. 3. Polit. cap. 1. num. 53.* quapropter infames ab huiusmodi officio repelluntur, *cap. 1. & 2. 3. q. 7.* Paulus *lib. 1. sent. tit. 2. §. 3. & §. fin. de exception.* docent Faber *in d. l. Pædius*, Osualdus *d. cap. 3. littera P*, Couar. Bobadilla & Farinacius, quos refert & sequitur Amaya *in l. si quis 34. C. de decur. lib. 10.* etsi contrarium teneat Donel. *d. lib. 18. cap. 3.* Nec pro eo facit textus *in d. l. si quis 34. C. de Decur.* nam vt ibi docuit Amaya, in eo textu non agitur de procuratione in iudicio exercenda, sed de administratione, & procuratione alienarum facultatum, quæ quidem curialibus omninò prohibetur. Vnde Iudæi procuratores in iudicio esse nequeunt, vt probat Ricciulus *de iure person. lib. 2. cap. 26.* etsi contrarium teneat Baldus *in l. spadonem 15. §. iam autem, ff. de excusat. tutor.* Idem etiam dicendum est de tabellionis officio: tum quia officium publicum est, & per consequens præsenti constitutione comprehensum: tum etiam, quia honorabile est, *l. laudabilem 4. ff. de aduocat. diuers. iudic. l. maximarum 12. C. de excusat. muner. lib. 12.* quare Cassiodorus *lib. 12. epist. 21.* honorabile decus appellauit. Probarunt latè Petrus Gregor. *lib. 47. syntagm. cap. 41.* Bulenger. *lib. 6. de Imperat. Rom. cap. 26.* Cuiac. *lib. 16. obseru. cap. 14.* Amaya *in d. l. si quis 34. numer. 6. Cod. de Decur. lib. 10.* & notaui *in cap. 2. ne clerici, vel monachi.* Vnde meritò Iudæi à tali officio exercendo arcentur. Ricciulus *d. lib. 2. cap. 27. per totum.*

7 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam verum est, ad dignitates, & officia publica homines virtute pollentes, litterisque conspicuos eligendos esse; tamen similes conditiones dari nequeunt in Iudæis, aut Paganis, cùm illi non sint orthodoxæ fidei, sed publici peccatores, & quidem immanissimi criminis, videlicet infidelitatis, & idololatriæ: vnde nunquam in eis possunt reperiri qualitates, quæ illos dignos reddant dignitatum, aut publicorum officiorum. Et licèt acceptio personarum non sit habenda, hoc tamen procedit inter fideles, & professores orthodoxæ fidei, eiusdemque virtutis. Vnde meritò Iudæis, & Paganis in omnibus, & quoad omnia præferri debent fideles Catholici. Nec obstat augmentum difficultatis deductum *ex d. l. si qua 20. C. de Iudæis.* Nam verum est, quod si lis, siue ciuilis, siue criminalis, mouetur inter Iudæum, & Christianum actorem, siue reum, necessariò Iudex Christianus adeundus est, *d. l. si qua*; cùm Iudæi nullam iurisdictionem in Christianos exercere possint: idemque dicendum est, si lis tractetur inter Iudæos. Nec tunc obstat augmentum difficultatis; nam cùm argumentum illud deducatur à contrario sensu, & inde sequatur absurdum, nempe vt Iudæi inter Catholicos commorantes publicis præficiantur officijs, ideò tale argumentum non admittitur.

8 Exponitur l. 3. §. fin. ff. de Decur. Sed suprà traditis aperto Marte opponitur textus *in l. generaliter 3. §. fin. ff. de Decur.* vbi Vlpianus ita scribit: *Eis qui Iudaicam superstitionem sequuntur, Diui Seuerus, & Antoninus honores adipisci permiserunt. Sed & necessitates eis imposuerunt, quæ superstitionem eorum non læderent.* Ex quibus disertissimis verbis constat, Iudæos ad honores, atque officia publica admittendos esse, contra hucusque tradita, & expressam Theodosij constitutionem *in l fin. Cod. hoc tit.* Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt vtriusque iuris Interpretes communiter repetentes hic. Couarr. *in Clement. si furiosus, 1. part. §. 2 num. 8. de homicid.* Ioannes de Platea *in l. omnes, Cod. de Decur libro 10.* Amaya *in l. vnic. C. de infamibus, eod. lib. num. 72.* Osualdus *lib 18. Donel. cap. 7. littera N*, asseruerunt sententiam textus *in d. l. 3. §. fin.* correctam esse per edictum Imperatoris Theodosij, & Valent. *in d. l. fin.* Sed hæc interpretatio facilè conuincitur ex vulgari principio textus *in l. vnic. §. 6. C. de veteri iure enucleando*: vbi docetur, nihil contrarium in libris Pandectarum compilatum esse. Nec felicius Abbas Ananias *in præsenti*, Azo, Bartolus, & Baldus *in d. l. fin.* docuerunt,

Iudæos

Iudæos quoad ritus eorum, & superstitionem posse adire iudices proprios, idest seniores, quorum iudicium subire tenentur. Verùm hæc interpretatio expresè refellitur *ex l. Iudæi 8 §. fin. C. hoc tit* in illis verbis: *In his causis, quæ tam ad superstitionem eorum, quàm ad forum, & leges, ac iura pertinent, adeant solemnia iudicia, omnesque Romanis conferant legibus, & excipiant actiones*. Ergo quia nec quoad ritus proprios iudices peculiares habere queunt: idque expresè colligitur ex facto Pauli relato *Actuum Apost. cap.23.* vbi conuentus coram collegio seniorum ad Cæsarem appellauit: ex quo facto Iudæos nullam habere iurisdictionem probat Gutherus *de officijs domus August.* Nec interest, quod Iudæi synedria sua, hoc est collegia, iure ciuili etiam approbata retinuerint, *l. Iudæorum 4. l. si qua 15. Codice hoc tit.* probat Cuiac. *libro 7. obseru. cap. 30.* quia nihil in ipsis circa iudicia forensia agebatur, nec seniores in ipsos vllam iurisdictionem exercebant, postquam Iudæi per varias gentes dispersi fuerunt sine Rege, & sine Duce. Hac explosa sententia subtiliter Alciatus *libro 3. disput. cap.8.* quem sequuntur Tiraquel. *de primog. quæst.66. numer 42.* Decianus *lib.5. tract. crim. cap.13. nu.6.* Dorleans *ad Tacitum lib.2. annal. pag.319. & lib.13. pag.686.* Loseus *de iure vniuers.* Azeuedo *in l. 3. tit. 3. libro 8. Recopil.* Mendoza *libro 3. Concil. Illiber.* Mancinus *de triplici iuris collat. libro 2. cap 182.* Aldrete *lib.2. antiquit. Hispan.* Bertrandus *de Iurisperit. in vita Vlpiani*, ait corrupta esse verba illius textus, & pro illis verbis, *DD. Seuerus & Antoninus*, reponendum esse *D. Verus Antoninusque*. Qua emendatione admissa, docet Iudaicam superstitionem non intelligi de Iudæis, sed de Christianis, & eorum superstitione, quibus Imperatores Diui Ælius Verus, & Marcus Antoninus, qui Diui fratres appellantur, vt probat Bisciola *in epit. annal. Baronij, tom. 1. anno Christi 163.* concesserunt, vt honoribus frui possent, eo quòd in expeditione Germanica bello contra Marcomanos indicto, exercitus ipsorum siti penè deficeret, nisi precibus Christianorum imbre de cœlo diuinitus dimissa satiarentur, & ita Imperatores victoria feliciter potirentur, vt referunt Tertullianus *in apolog. cap.5. & ad Scapulam cap.4.* in illis verbis: *Si litteræ Marij Aurelij grauissimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam sitim Christianorum fortè militum imbre discussam testantur*. Et Iudæos pro Christianis à Gentilibus vsurpari, patet ex Dione Cassio *in Domitiano*: qui de Flauio Clemente Consule scribit, relictis Romanorum Dijs ad religionem Iudæorum se contulisse. Notauit Zerda *in aduers. cap.72.* Verùm hæc solutio in pluribus peccat. Primò quia notum est, Marcomanicum bellum solùm ab Imperatore Marco Aurelio Antonino gestum fuisse, cùm iam Imperator Verus apoplexia occubuisset anno 171. vt referunt Tertul. *vbi suprà, d. cap.5.* vbi plura notauit Pamelius *numero 64.* Eusebius Cæsar *libro 5. cap.5.* Paulus Grotius *lib.7. cap.15.* & constat ex epistola ipsius Imperatoris Marci Aurelij, quæ extat apud Iustinum in fine secundæ apologiæ, vbi ait: *Quinque enim diebus aquam non sumpsimus, quòd non suppeteret; eramus enim in Germaniæ vmbilico, eorumque finibus: simul autem ac se humi abiecerunt, Deum precati sunt, quem ego ignorabam: statim de cœlo pluuia delapsa est, in nos quidem frigidissima, in Romanorum verò hostes grando ignis specie, & similitudine*. Si ergo Imperator Verus tempore huius Germanicæ expeditionis iam decesserat, minimè miraculi supradicti occasione, vt voluit Alciatus, potuit concedere Christianis, vt honores adipiscerentur. Quare hæc Alciati sententia iam displicuit Anton. Augustino *lib. singulari ad Modestinum*, Couarr. *in Clement. si furiosus, 1. part. §. 2. num.8.* Osuald. *lib.18 Donel. cap.7. littera N*, & notaui *in can.56.* Concilij Illiber. Nec etiam rectè Alciatus & Mendoza *lib.3. Concil Illiber.* Lipsius *libro 13. annal. Taciti*, Camerarius *cent. 1 horar succes. cap.39.* docuerunt Iudaicam superstitionem in eo textu referri debere ad catholicam religionem, quam ita infensissimus Christianorum Vlpianus appellabat, vt econtrà Modestinus religionis vocabulo Iudæorum sectam decorat *in l. circumcidere 11. ff. ad leg. Corn. de sicar.* Catholici veram religionem edocti, cæterorum dogmata superstitionem plerumque dicunt, *l. omnes qui 49. C. de Decur. lib.10. l. curiales 7. C. de hæretic.* Nam vt probat Amaya *in d. l. vnic. nu.66.* ea verba necessariò referenda sunt ad Iudaicam religionem, quæ frequenter superstitio appellatur, ob scrupulosas, & vanas eorum cæremonias.

Succedit alia interpretatio Mascardi de Susanis *in tract. de Iudæis, 2. part. cap.6. numero 18.* qui asserit Imperatores Seuerum & Antoninum Iudæis honores adipisci permisisse, non omnes, sed eos, qui superstitionem eorum læderent. Quam sententiam vt adstruat, textum emendat, & ita legit: *Eos qui Iudaicam superstitionem sequuntur, Diui Seuerus, & Antoninus honores adipisci permiserunt, sed & necessitatem eis imposuerunt, qui superstitionem eorum læderent*. Sed cùm Mascardus litteram textus corrumpat, audiendus non est. Quare his sententijs omissis, vt veram assignemus interpretationem, sciendum est, constitutionem illam Imperatorum *sub tit. de Decurion.* à Triboniano compilatam fuisse. Vnde ad honorem Decurionatus referenda est, aliàs Tribonianus sub eodem titulo eam non transcripsisset. Quare cùm in §. precedenti actum esset de spurijs ad Decurionatum in defectum aliorum promouendis, statim Vlpianus *in libro de offic. Proconsul.* scripsit, permissum fuisse Iudæis honores accipere: ergo de honore Decurionatus accipiendus est, vt docuerunt Glossa ibi, *littera L*, & Gothofred *littera P*, Bartol. *in l. omnes 49. Cod. de Decur. num.10.* Deinde supponendum est, ad exemplum Senatus Romani in alijs municipijs fuisse etiam Curiam, seu minorem Senatum, *l. exemplo 36. Cod. de Decur.* Vnde à Curia, cui adscribebantur, Decuriones, seu Curiales appellati sunt, *l. obseruare, l. Curiales, l. 25. 39. & 47. C. eod. tit.* siue à decem, quia cùm Coloniæ adducebantur, decima eorum pars, qui deducebantur, consilio publico mancipabatur, *l. Pupillus 139. §. Decuriones, ff. de V. S.* siue vt tradit Cassiodorus *lib.9. epist.2* curiales dicti sunt à cura, quam habere debent maximè solicitam de rebus patriæ, & ciuitatis: & cùm ad exemplum Senatus Vrbis, Senatus ille minor institutus fuisset in municipijs, Decuriones etiam Senatores dicebantur, *l. omnes 33. Codice de Decur.* Nouella Maiorani de Curialibus, *in princip.* Euagrius *libro 7.* Cassiodorus *libro 2. epist. 12. & libro 5. epist.21. & libro 6. epist. 3.* lepidissimè notauit Ausonius *in Mosella*: 9 **Referuntur aliæ interpretationes.**

—— Quos Curia summos
Municipum vidit Proceres, propriumque Senatum.

Docent Pancirola *in notit. de Magistr. municip. c.1.* Brissonius *lib.4. antiq. cap.13.* Bulengerus *lib.7. de Imperio Roman. cap 3.* Osualdus *lib.2. Donel. cap.21. littera E*, Bobadilla *lib.3. Polit. cap.8. num.8.* Amaya *in præfat. ad tit. C. de Decur. num.1.* Tandem supponendum est, quod licèt Decuriones hisce nominibus Senatorum, summorumque Primatum decorentur; & licèt quampluribus priuilegijs potiantur, quæ congesserunt Pancirola *d. tract. de Magistr. municip. cap 6.* Fornerius *lib.1. select. cap.12.* Gothofr. *ad tit. Cod. de Decur.* Bulengerus *lib.7. de Imper. Roman. cap.6* & licèt dignitatem, ac honorem habere dicantur, *l. 2. §. fin. ff. de Decur.* iunctis traditis à Platea *in l. 1. Cod. eod. tit. num.1.* Bobadilla *lib.3. polit. cap.8. numer.19.* Azeuedo *in Curia Pisan. lib.3.* tamen odiosum, vtpote plenum oneribus, quæ congerit Amaya *in præfat. ad tit. C. de Decur. lib.10. nu.17.* & apud antiquos exosum fuit huiusmodi officium, vsque adeò, vt albo Decurionum non adscriberentur, nisi inuiti, vt constat ex Synesio *epist.93.* Cassiodoro *lib.9. var. epist.2* ibi: *Quicquid eis bonoris causa delegabat, ad iniuriam potiùs videbatur esse perductum*. Et si latitabant, ad subeundum munus cogebantur, *l. ex omnibus 31. C. de Decur.* immò etiamsi domus Augustæ priuilegio sese deferrent, extrahebantur, *l. curiales 38. C. eod. tit.* & sic deinceps cogebantur munus implere, vt velut glebæ adscripti, & serui Curiæ mancipati, ipsam minimè deserere quirent, *l. omnes 50. l. si quis 55 C. eod.* adeò vt si se subtraherent, honore priuarentur, *l. quamuis 51. C. eod. tit.* Vnde velut serui censebantur. Sic Maioranus eos appellat *in Nouel de curialibus*, ibi: *Curiales seruos esse Reipublicæ*. Licèt ex Cassiodoro *lib.7. epist. 47.* Cuiacius *neruos* emendauerit, quem sequitur Fornerius *in notis ad ipsam epistolam 47. Cassiodori*; ideòque passim in titulo *de Decurionibus, lib.10.* eorum ministerium vocatur seruitium, officiumque mancipatio Curiæ, totque incommodis, atque oneribus fatigabantur Decuriones, vt pœnæ causa ab Imperatoribus Gentilibus munus hoc Christianis iniungeretur, atque supplicij loco ipsi Curiæ addicebantur. Cassiodorus *libro 7. epist. 7.* ibi: *Clericis autem omnia priuilegia, honores, consuetudinesque subtraxit, & leges impositas pro eis soluit, ipsosque Curiæ tradidit*. Et satis innuitur *in l. ne quis 38. C. de Decur.* ibi:

Ne quis officialium pœnæ specie Curiæ detur. Vbi Gothofredus *littera K*, & Cassiodorus *lib. 1. histor. tripart. cap. 9.* inter illos qui metallis erant damnati, eos qui Curijs erant mancipati commemorat: obseruat Brissonius *lib. 4. antiquit. cap. 13* & quod maximè mirandum est, quamplures nuptijs abstinebant, ne liberos Curiæ obnoxios relinquerent, vt testis est Imperator Iustinianus *in nouel. 38. de Decur. §. 1.* ibi: *Denique quoniam ipsis corporibus fraudare curam voluerunt, rem omnium impijssimam adinuenerunt, à nuptijs legitimis abstinentes.*

10 Prosequitur verba intepretatio. His suppositis dicendum est, Imperatores Seuerum, & Antoninum Decurionatum permisisse Iudæis, quia officium illud plus oneris, quàm honoris habebat. Nec credi potest, Imperatores Iudæos honorare voluisse, cùm omni æuo eos inuisos fuisse Romanis, & in derisionem habitos fuisse constet; ipse enim Augustus Cæsar in opprobrium gentilis illius Aristobulum, & Alexandrum fratres laqueo suspendit. Tiberius eius successor sic exosos habuit Iudæos, vt eorum sacra, ac cæremonias ab Vrbe Senatusconsulto pelleret. Tacitus *lib. 2. annal.* Consequenter Caius cæsar Philonem Iudæum Legatum post Christi mortem pro patrijs legibus retinendis maximè irrisit, vt referunt Eusebius, & ipse Philo *in libello legationis ad Caium*. Claudius Cæsar Caij successor edicto suo pelli ex Vrbe iussit Iudæos. Suetonius *in eodem, cap. 25.* Orosius *lib. 7. cap. 61.* facit Iuuenalis *satyra 3. vers. 13.*

Nunc sacri fontes, nemus, & delubra locantur
Iudæis, quorum cophinus, fœnumque supellex.

Probant Dorleans *lib 2. ad Tacitum*, Gaspar Barthius *lib. 2. aduers.* Et vt ad tempora Septimij Seueri, & Antonini accedamus, certum est, Ælium Alexandrum Imperatorem primo sui Imperij anno Iudæos subuertisse, ciuitatemque Hierosolymam à suo nomine Æliam vocasse, vt referunt D. Hieronymus *in cap. 9. Daniel.* Aloix *ad vitam S. Ignatij, tom. 1. cap. 2.* Eusebius *in chron. lib. 4. c. 5.* Genebrardus *lib. 2. chronograph. pag 62.* Tandem Imperatores Seuerus, & Antoninus acriter eos persequuti fuerunt, vt refert Tertul. *in apolog. cap. 5.* qui miserum eorum statum depinxit: quod & fecit Prudentius contra Iudæos, *vers. 608* ibi:

Exilijs vagus huc illuc fluctuantibus errat
Iudæus, postquam patriæ de sede reuulsus
Supplicium pro cæce luit, Christique negati
Sanguine respersus commissa piacula soluit.

Vnde facilè cognoscitur, Imperatores permisisse Iudæis Decurionatum obtinere, quia onus erat, vt constat ex suprà traditis; vt ita potiùs grauarentur onere, quàm decorarentur honore. Vnde postquam Vlpianus refert *in d. §. 3.* Imperatores permisisse Iudæis honorem obtinere, ea adiecit verba: *Sed & necessitatem imposuerunt*; quæ sensum illum habent, Non solùm onus Decurionatus, sed etiam alia munera, videlicet onerosa, eis inflixerunt; ideò addita ea coniunctio *&*, quæ cum superioribus sequentia coniungit: testantur similiter & verba illa, *quæ superstitionem eorum non læderent*; nec enim hæc adiecta forent, nisi exprimere voluissent, vt quantumuis in eorum defatigationem onera iniungerent, nolle tamen vt exinde eorum superstitio lædatur, cùm illi in suis synagogis & cæremonijs inquietandi non sint, vt probaui *in cap. 3. hoc tit.* Præsensit hanc solutionem Mela *miscel. iur. cap. 12. num. 11.* Gothofredus *in l 49. Cod. Theodos. de Decur.* Manet ergo, Iudæos non admitti ad honores, & dignitates; admitti tamen ad Decurionatum, quia onus potiùs continet, quàm honorem. Quomodo procedunt textus *in dict. l. vlt. Cod. de Iudæis*, iunctis lege *iussio 5.* lege *quicumque 10. C. eod. tit.* & lege *omnes 49. C de Decur. lib. 10.* Nec contrarium probatur *in l. Manichæi 12. C. de hæretic.* vbi Iudæis interdicitur Patres ciuitatum fieri; nam vt rectè animaduertit Cuiac. *in l. 3. C. de his qui sponte munus, lib. 10.* Patres ciuitatum non sunt Decuriones, sed ciuitatum tantùm curatores, vt etiam exponunt Gothofredus *in d. l. 3. & d. l Manichæi 12.* vt etiam pecuniæ publicæ, & operarum publicarum discussores dicuntur *in l. 1. Cod. quibus muneribus excusentur, lib 10.* Nouel. constitutio 27. 85. 128. 160. non verò Decuriones: quapropter de illis intelligenda est dicta lex *Manichæi 12. C. de hæretic. & Manichæis*, non verò de Decurionibus.

11 Exponitur l. Iudæi 8. C. de Iudæis. Secundò suprà traditis obstat textus *in l. Iudæi 8. vers. si qui verò, C. de Iudæis*, vbi Imperatores Arcadius, & Honorius docent, Iudæos arbitros esse posse. Ergo & Iudices; siquidem arbitria redacta sunt ad instar iudiciorum, *l. 1. ff. de arbitr.* & per consequens officium publicum obtinere possunt; siquidem certum est, iudicum officium publicum munus esse, publicaque auctoritate firmari, *l. fin. §. 14. ff. de muner. & honor. l. quippe 78. ff. de iudicijs, l. 2. ff. de R. I. l. priuatorum 3. C. de iurisdict. l. 1. ff. eod. l. eum qui 13. eod. tit.* Donel. *lib. 27. comm. c. 6.* vbi Osualdus *littera A*, & *B*, Goueanus *lib. 2. de iurisdict. nu. 35.* Vulteius *ad l. 1. C. de iurisdict. lib. 2. c. 14.* Faber *in ration. ad dictam legem primam de arbitrarijs*. Igitur quia Iudæi ad publica officia admitti valent. Cui difficultati facilè satisfaciemus, si supponamus arbitrum propriè non esse iudicem, sed ita appellari adiecta illa particula, *ex compromisso*, sicut iudices compromissarij sunt, in quos partes addita pœna compromittunt, *l. minorem 34. §. fin. de minor.* docent eleganter Scipio Gentilis *de iurisd. d. lib. 2. c. 8.* differit Cuiac. *in paratit. ad tit. C. de iudicijs*, Petrus Gregor. *lib. 47 syntagm. c. 12 nu. 2.* Et ideò non iudices, sed partes iudicis vocantur, *l. Pomponius 13. §. recepisse 2. de recept. arbitr. l. 14. C. de iudicijs*: & in quamplurimis iudices non habentur, quæ congerit Goueanus *lib. 2. de iurisd. à nu. 31.* Donellus *lib. 28. comment. c. vlt.* & ibi Osualdus *littera C*, Antonius Faber *ad d. l. 1. de recept. arbitr.* Vnde iure ciuili ex eorum sententia nec exceptio nascebatur vsque ad Iustiniani nostri tempora: quapropter cùm propriè iudices non sint, sed tantùm partes eorum, nec vllam iurisdictionem exerceant, *d. l. 8. C. de iurisdict.* non mirum permissum Iudæis arbitrium, vt ita potiùs, quàm cum strepitu iudicij intra ipsos motæ controuersiæ sopirentur; & magis si obseruemus, infames ab eiusmodi arbitrio non fuisse depulsos, *l. Pædius 7. de recept. arbitr.* docet Amaya *ad tit. de infamibus, num. 92.* Vnde non aduersatur dicta lex *Iudæi 8.* decisioni nostri textus, ibi: *Ab officijs publicis*; quia publicum officium minimè habet compromissarius, nec alter Iudex dicitur, quàm qui constituitur auctoritate publica, ex qua, vt suprà dixi, appellatur officium publicum, quæ in arbitris vt priuatis deest, *d. l. 3. Cod. de iurisd.* Vnde tantùm officium priuatum est arbitrium ferre, nec dignitatem, iurisdictionemue vllam continet, vt refert noster Amaya *suprà*. Videndus Gothofredus *in l. Iudæi 10. C. Theod. de iurisdict.*

Etiam suprà traditis obstat textus *in l. si spadonem 15. §. iam autem, ff. de excusat. tutor.* vbi Modestinus refert ex constitutionibus (intelligo Seueri, & Antonini, de quibus *in d. l. 3. §. fin. ff. de Decur.*) Iudæos posse tutores esse, etiam non Iudæorum: sed tutela munus publicum est: ergo Iudæi possunt habere publica officia. Accedit timor peruersionis, siquidem facilè tutor potest corrumpere mores populi Christiani, de quo absque dubio sensit Modestinus *in eo textu*; quare pupillus educari iubetur penes eas personas, apud quas ipse cultu veteri, moribusque patrijs edoceri possit, *l. 1. & fin. ff. vbi pupillus, l. 2. C. hoc tit.* Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu doceri Iudæos tutores esse posse etiam non Iudæorum, non quoad ipsorum educationem, sed quoad bonorum administrationem tantum. Quæ solutio facilè probatur ex illis verbis sequentibus *Sicut & reliqua administrabant*. Ex quibus facilè constat, in præcedentibus actum fuisse tantùm de bonorum administratione, quam rectè Iudæi habere possunt. Nec obstat tutelam publicum munus esse, quia vt suprà de officio decurionatus dixi, officium tutoris onus potiùs continet, quàm honorem, ideoque ab onere tutelæ Iudæos excusari non posse. Nec etiam obstabit si dicas, tutorem principaliter dari personæ, non rei, vel causæ, *princip. Instit. de tutel.* quia licèt id verum sit, tamen in præsenti casu postquam Prætor causa cognita agnouerit non expedire pupillum morari, seu educari penes Iudæum, ipsi onus administrationis bonorum iniunget, alteri verò educationem pupilli commendabit. Verùm etsi iure ciuili hæc procedant, tamen attento iure canonico verius est, nec etiam quoad bona Iudæos tutores esse posse, quia licèt iuxta proximè tradita non possint facilè corrumpere mores pupillorum; tamen cùm infensissimi sint Christianis, facilè, cùm non possint in corpore, aut anima lædere, in eorum bona grassabuntur, vt docuerunt Petrus Gregorius *lib. 2. syntagm. cap 4. nu. 8. & 9.* Faber *in Iurisprud. tit. de excusat tutor. princip. 1. illat. 9.* Gutierrez *lib. 1. de delict. q. 21.* Cuiac. *lib. 7. obs. c. 30.* qui etiam iure ciuili attento hoc procedere affirmat; sed absque vllo iuris testimonio, cùm contrarium expressè legamus *in c. §. iam autem.* 12 Exponitur l. spadonem, §. iam autem, ff. de excusat. tutor.

Et

13 Expon. text. l.5. C. de Episc. audient. Er suprà traditis lucem accipit textus *in l. Archigerontes, C. de Episcop audient.* vbi ita statuitur: *Archigerontes, diæcetæque ergasiotanorum, non nisi Christiani dirigantur: quod officium tuum solicitis obseruet excubijs.* Vbi difficile est, quid per Archigerontas, diœcetasq; intelligatur, siquidem eorum officium tantùm Christianis committi statuerunt Imperatores. Acursius ibi Archigerontas exponit, idest Archipresbyteros, aut Episcopos, vel minores sacerdotes, qui peccata eorum qui ad metalla damnati erant, audirent. Sed meritò eum reprehendit Pancirola *lib. 2. variar. c.173.* nam si Imperatores sensissent de presbyteris ad confessiones damnatorum audiendas deputandis, frustra statuerent, vt necessariò Christiani essent, siquidem non solùm Christiani, verùm & sacerdotes tales ministri esse debent. Nec felicius Alciatus *lib. 3. dispunct. c. 18* textum illum accipit de his, qui mensam Principis, aut alia eius negotia procurant, cùm nullibi legamus similes dispensatores Archigerontas dici. Pancirola *d. c. 73* asserit per Archigerontas in eo textu intelligi senes, qui gynæcijs præerant, vbi vestes Principum, & lintea texebantur, de quibus *in tit. de Marilegulis, Gynæciarijs, & procuratoribus Gynęcij, lib. 11.* Sed eodem modo refellitur Pancirola, ac ipse impugnauit Alciatum. Quare his omissis, pro vera illius textus interpretatione, qui reperitur *in C. Theodos. sub tit. de Alexandr. plebis Primatibus*, vt iam notarunt Pancirola *d. c. 73.* Cuiac. *lib. 23. obs. cap. 3.* Gothofredus *ibi*, dicendum est, Archigerontas vocari Principales Curiæ Alexandrinæ, seu quinque Summantes ordinis Alexandrini, quasi Principes Senatorum municipalium: curatores verò corporum eiusdem vrbis Alexandrinæ vocant Imperatores Diœcetas Ergasiotanorum, idest curatores corporatorum. Statuerunt ergo Imperatores *in d. l. 6.* Principales istos Curiæ, & corporatum Alexandriæ, Christianos eligi, vt in seditiosissima ciuitate popularium factiones, quibus Christiana ipsa religio offendi, vel Christiani ipsi premi potuissent, Principalium auctoritate comprimerentur: docuit Petrus Burgius *lib. 1. elector. cap. 3.* quem sequitur Mornacius *in d. l. 6.* Cùm enim iniustum, ac indecorum sit, Iudæos, seu Paganos præfici Christianis, seu officijs publicis, in quorum exercitio ipsos vexare possint, ideò Imperatores noluerunt infideles præponi publicis officijs, & præponi ipsis corporatis.

C A P V T XVII.

Idem *a in eodem.*

AD liberandam Terram sanctam. *Et infra*: Excommunicamus præterea, & anathematizamus illos falsos, & impios Christianos, qui contra ipsum Christum, & populum Christianum Sarracenis arma, ferrum, & *b* ligamina deferunt galearum: eos etiam, qui galeas eis vendunt, vel naues: quique in piraticis Sarracenorum nauibus curam gubernationis exercent, vel machinis, aut quibuslibet alijs aliquod eis impendunt consilium, vel auxilium in dispendium Terræ sanctæ: ipsosque rerum suarum priuatione mulctari, & capientium seruos fore censemus, præcipientes vt per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis & festiuis huiusmodi sententia publicè innouetur, & talibus gremium non aperiatur Ecclesiæ, nisi totum, quod ex commercio tam damnato perceperint, & tantundem de suo in subsidium Terræ sanctæ transmiserint, vt æquo iudicio, in quo *c* deliquerint, puniantur. Quod si fortè soluendo non *d* fuerint, si aliàs reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum alijs *e* interdicatur audacia similia præsumendi.

N O T Æ.

5 a EOdem.] Textus hic non reperitur in aliqua ex collectionibus antiquis; extat tamen in Concilio Lateran. sub Innocentio III. celebrato, vbi post canones ipsius Concilij ad eius calcem habetur, vbi legitur, *Expeditio pro recuperanda Terra sancta*: vbi varia statuuntur, tam circa Crucesignatos, quàm circa deferentes arma ad Sarracenos; & ad medium ipsius constitutionis reperiuntur verba in præsenti transcripta. Cùm enim expeditionem Terræ sanctæ sæpè tentassent Gregorius VII. Vrbanus II. Gelasius II. Calixtus II. Eugenius III. Alex. III. vt referunt Baronius *tom. 11. anno* 1095. & *tom. 12. anno* 1145. scriptores in Bullam Cruciatam laudati a Patre Mendo *disp. 5. in Bullam, cap. 4.* ideò vestigijs prædecessorum inhærendo Honorius III. varia constituit pro expeditione ipsius Terræ sanctæ, & in gratiam Crucesignatorum; ac contra eos, qui arma, ferrum, & similia ad ipsos Sarracenos deferrent.

2 b *Ligamina deferuat galearum.*] Glossa marginalis legit *ligaamina*, & rectè; sed debebat etiam reponere *Gallearum*, vt referunt apud Matthæum Parisium anno 1234. ibi: *Qui Sarracenis arma, ferrum & lignamina deferunt gallearum*; hoc est, materiam ad fabricandas naues longas, vt explicat Vossius *de vitijs sermon. lib. 3. c. 21* & suadetur hæc expositio ex verbis sequentibus, vbi prohibetur Christianis vendere Sarracenis naues, & galleas; aliàs enim superflua, parumque necessaria videbatur præsens constitutio, si retineretur vulgaris lectio *ligamina galearum*, cùm quælibet ligamina facilè apud ipsos fabricarentur: & galeæ similiter, si acciperentur pro pileo, aut tegumento capitis militum, de quibus plura Turnebus *lib. 28. aduers. cap. 16* Zerda *ad illud Virgil. 7. Æneid.*

Cum triplici crinita iuba galea alta chimæram,

Steubechius *ad Vegetium lib. 1. cap* 20. Accipienda ergo est præsens constitutio de galleis, videlicet nauibus longis, de quibus, & earum forma plura Morisotus *lib. 7. orbis maritimi*, *c. 7.* Salmasius *in obseru. ad ius Atticum*, *c. 28.*

c *Deliquerint.*] Iuxta tradita *in cap. 3. de temporibus ordin.*

d *Non fuerit.*] Vt ita qui non habet in ære, luat in corpore, iuxta adducta *in cap. 2. de pignor.*

e *Alijs interdicatur audacia.*] Quæ est potissima ratio pœnarum, vt probaui *in c. 13. §. cæterùm, de offi. c. ordin.*

Commentarium huius textus dedi suprà *in cap. ita quorundam.*

C A P V T XVIII.

Gregorius IX a *Astoricen. & Lucen. Episcopis.*

EX speciali, quem erga *b* illustrem Regem Portugalliæ gerimus *c* charitatis affectu. *Et infra*: Mandamus quatenus Regem ipsum solicitè inducatis, ne in *d* officijs publicis Iudæos Christianis præficiat, sicut in generali Concilio continetur: & si fortè redditus suos Iudæis vendiderint, vel paganis, Christianum tunc deputes *e* de grauaminibus inferendis clericis & Ecclesijs non suspectum, per quem Iudæi, siue Sarraceni sine Christianorum iniuria iura *f* regalia consequantur.

N O T Æ.

1 a AStoricensi, & Lucensi.] Vtraque diœcesis est Hispaniæ: de Astoricensi egi *in cap. 17. de re iudicata*: de Lucensi *in cap 4. qui clerici, vel vou.* Rescribit autem Gregor. in præsenti his Episcopis, vt faciliùs ipsi inducere possint Regem Lusitaniæ: tum quia viciniores

erant ipsius regni, cùm essent in regno Legionis, & Gallecia: quia cum non essent in ipsius ditione, facilius poterant Regem ipsum monere, arguere, inere, atque de tanto excessu. His temporibus Gregorij IX. sceptrum Lusitanicum tenebat Sanctius XI. cognomento Capello, maximè desidiosus, ignauissimusque in cura sui regni, vt apparet *ex c. grandi, de suppleud. neglig. lib 6.* & referunt de eo agentes Duardus Nonius *ad libellum Iosephi Texerii, censur. 29.* Mariana *lib. 3. Histor. Hispan. cap. 4.* Garibaius *tom. 4. compend. historiæ, lib. 34. cap. 18.* Ant. Vasconcellos *in anacephalaosi, in Sancio*, Faria de Sousa *in epitom. Histor. Portugal. 3. part. cap. 5. & 6* Spondanus *tom. 1. post Baronium, anno* 1245. *num.* 30. & 1268. *num.* 8. & 1272 *num.* 3. Et his temporibus Lusitaniæ regnum feudatarium Ecclesiæ Romanæ absque dubio agnoscebatur, vt referunt Martha *de iurisd. cap. 26. ex num. 95.* cuius feudi originem tradunt Rodericus Toletanus *de rebus Hisp. lib. 7. cap. 74.* Genebrardus *in sua chron.* Garibay *part. 4. lib. 34. cap. 16.* & de eo Innoc. III. ipsi Regi Portugalliæ ita scribit *lib. 1. epist. fol. 47. Serenitatem Regiam volumus non latere, nos in regestis bonæ memoriæ Lucij II. Rom. Pontific. reperisse, quod recolendæ mem. A. Pater tuus quatuor auri vncias annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales: ad quarum solutionem se, & hæredes suos in posterum obligauit. Cæterùm cùm idem pater tuus vsque ad tempora felicis memoriæ A. Papæ prædecessoris nostri, Ducis esset nomine appellatus, ab eodem meruit obtinere, vt tam ipse, quàm eius hæredes regio nomine vocarentur. Vt autem idem pater tuus sacrosanctam Rom. Ecclesiam matrem suam honoro debito præueniret, & vt deuotionem, quam circa ipsam habebat, ostenderet in effectu, centum byzantios annuatim Romanæ Ecclesiæ constituit censuales, quos post susceptionem regij nominis nec ipse soluit, nec tu postmodùm soluere curauisti. Cumque id felicis recordationis Clementi Papæ prædecessori nostro relatum fuisset, magistro Michaeli tunc Ecclesiæ Rom. Notario; quem ad partes Hispaniæ destinarat, per suas dedit litteras in mandatis, vt te ad exsoluendum censum annuum monere diligentiùs, & inducere procuraret, & si opus esset, auctoritate fretus Apostolica compellere non differret.*

b *Illustrem*] De titulo Illustris Regibus, supremisque Principibus à Sede Apostolica assignato, egi *in cap. nouit, de officio Legati.*

c *Charitatis affectu.*] Nam Alfonsus I. Dux Portuga- 2
liæ, qui ab Alexandro III. titulum Regis accepit, totum Regnum Lusitanum vectigale fecit Ecclesiæ Romanæ, vt constat ex Innocentio III. *lib. 1. epist. 144. 151. & 152.* & *lib. 3. regestr. 15. epist. 24.* vbi refert Bosquetus.

d *Officijs publicis.*] Quænam illa sint, exposui *in c. cùm nimis, hoc tit.* vbi commentarium huius textus dedi.

e *Grauaminibus.*] Quæ non leuia inferuntur ab his pu- 3
blicanis, & exactoribus, vt probant latè Erasmus Chochier *lib. 2. Polit. cap. 10.* Procopius *in hist. arcana, fol. 100.* Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 12.* Valesius *in notis ad Ammianum Marcellinum, fol. 210.* Amaya *ad tit. C. de exactor. tribut.* Solorzanus *embl. 84.* & *2. tom. de iure Indiar. lib. 1. cap. 2. ex nu. 48.* & *lib. 5. cap. vnic.* Gibalinus *tom. 1. de negotiat. lib. 1. cap. 2. art. 15.*

f *Regalia.*] Idest Gabellas, tributa, & similia iura, 4
quæ congerunt Alfaro *de offic. fiscal. gloss 20. cum sequent.* Parexa *de instrum. edit. tit. 5. resolut. 9.* Cabedó *2. part. decis. 42.*

C A P V T XIX.

a Idem.

NVlli Iudæo baptizatum, vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo seruitio retinere. Quod si quem nondum ad fidem conuersum causa mercimonij emerit, & postmodùm factus sit, vel fieri desideret Christianus, datis pro eo xij. solidis, ab illius seruitio protinus subtrahatur. Si autem intra tres menses ipsum venalem non exposuerit, vel ad sibi seruiendum emerit eundem, nec ipse vendere, nec alius audeat comparare: sed nullo pretio perducatur ad præmia libertatis.

NOTÆ.

1 a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem edidit, vt confirmaret, & ampliaret decisiones textus *in cap 1. cap. ad hæc, hoc tit.* circa seruos à Sarracenis possessos, circa quos sequentes casus sunt distinguendi; si enim seruus verna sit, idest natus domi, velitque fieri Christianus, statim nullo pretio dato eripitur in libertatem, *cap. fraternitatem, 54. dist. l. Deo nobis, §. his itaque, C. de Episc. & cleric.* Si autem sit emptus, distinguendum est, quia aut erat Christianus, cùm emptus fuit, aut Paganus: si erat Christianus, indistinctè in libertatem eripitur, nullo pretio dato, quia Christiani commercium est Iudæo penitus interdictum, *cap. mancipia, 54. dist.* Si autem sit emptus dum erat Paganus, aut causa seruitij, aut mercimonij gratia emptus fuit Primò casu, si vult Christianus fieri, absque vllo pretio eripitur in libertatem, *d. cap. si fraternitatem.* In secundo verò casu, si infra tres menses Iudæus non exposuit eum venalem, si Catholicam fidem profiteri velit, etiam sine vllo pretio eripitur in libertatem, quia creditur ad seruiendum eum emisse: si verò infra tres menses exposuit eum venalem, & infra eos, vel post velit fieri Christianus, dum tamen non steterit per dominum, quominus eum vendiderit, soluto pretio duodecim solidorum seruus redimitur.

T I T V L V S VII.

De Hæreticis.

C A P V T PRIMVM.

a Stephanus Papa *omnibus Episcopis.*

DVbius in fide, infidelis est. Nec eis omninò *b* credendum est, qui fidem veritatis ignorant.

NOTÆ.

1 a STephanus.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit c. 1.* sed verba in præsenti relata reperiuntur *in can. 45. Synodi Nicænæ*, & *in can. 4.* collectionis Hadriani Papæ, & *in epist. 1. Sixti I.* vbi ait: *De cætero placuit propter malorum hominum infestationes, vt in accusatione domini ministrorum primò persona, fides, vita & conuersatio blasphemantium enucleatim perscrutetur; nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide infidelis est; nec eis omninò est credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conuersationis fidem ducunt.* Et apud Iulium I. *epist. 1. cap. 11. Placuit semper in accusatione clericorum, vt primò persona, fides, vita & conuersatio blasphemantium perscrutetur; nam fides omnes actus hominis præcedere debet, quia dubius in fide, infidelis est; nec eis omninò*

Digitized by Google

minò est credendum, qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conuersationis vitam ducunt. Et hæc sententia primum fuit Euaristi Papæ *epist.*2. vt transcribitur à Carnotensi *p.7. Decreti, cap.7.* Gratiano *in cap* 17.2.*q.*7. mox Sixti *in epist.*4. deinde Pij Papæ, vt refert Gratianus *in cap.*3.3.*q.*4. postea Calixti *epist.*2. relata *in cap.*18.2 *q.*7. deinde Fabiani in Synodo Romana, relata *in cap.*7. 3.*q.*4. Stephani *in epist.* 2. tandem Marcelli *epist.*2. relata *in cap.fin.*96.*dist.* Nec dissimilis sententia reperitur in Concilio CP. relato à Gratiano *in cap.*4.*q.*5. Chalcedon. *can.*21. apud Gratianum *in cap.*49.2.*q.*7. Carthag. 4. *can.* 11. Tolet. 6. *can.* 11. transcripto à Gratiano *in cap.*9.3.*q.*9. etsi perperam citetur ex Concilio Tolet. 7. Tandem in Capitularibus Caroli *lib* 5. *Capitul.* 183. & *lib.*7. *cap.* 147. & apud alios Ecclesiæ PP. quos congerit Ant. August. *in notis ad d. can.*4. *Hadriani.*

2 b *Credendum est.*] Vnde hereticus contra Catholicum, vt testis, vel accusator non admittitur, *cap. non potest, cap. si hæreticus, §. orthodoxis, cap. testes, in princip. vers. Et veræ fidei,* 2. *q.*7. *cap. Beatus, cap. si quis verò,* 3. *q.*4. *cap. suspectas,* 3. *q.*5. *cap. qui crimen, vers. Christum,* 6. *q.* 1. *can.*74. *Apostol. l.* 12. *Cod. de hæretic.* Felix II. *in Synodo Romana, epist.* 1. *cap.*9. *Testificandi, vel accusandi licentia denegetur his, qui Christianæ religionis, & nominis dignitatem, & suæ legis, vel sui propositi normam, aut regulariter probibita neglexerint.* Et *c.*11. & 13. *Personæ accusantium tales esse debent, quarum fides, & conuersatio, & vita probabilis, & absque reprehensione sit.* Et *cap.* 15. *A quibus nimium opprimimur, excommunicatique nullatenus ad accusationem, vel ad testimonium erunt admittendi.* Fabianus Papa *epist.*1. *in medio*, & *epist.*2. ante medium: *Ipsi Apostoli, & successores eorum olim statuerunt, eos ad accusationem non recipi, qui sunt suspecti, aut dubij in recta fide.* Idem *epist.*3. *cap.*1. Marcellus Pontifex *epist.* 1. *ad medium*, Dionysius *epist.*2. Quorum, & aliorum auctoritates congerit Antonius Augustinus *in epit. iuris, lib.* 11. *tit.* 18. & nonnullas adduxi *in cap. Iudæi, de testibus.* Hoc autem non procedit, si hæreticus contra hæreticum testimonium dicat, *cap. si hæreticus,* 2. *q.*7. *cap. in fide* 5. *de hæretic. in* 6. vel si pro orthodoxo testimonium ferat, *d. cap. si hæreticus, vers. Si autem,* Nouella 45. *§ enim verò*: notauit Vighel. *in method. iur. Pont. lib.* 2. *cap.* 13.

COMMENTARIVM.

3 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu, prout iacet sub hac rubrica de hæreticis, sequens communiter deducitur assertio: *Dubitans in fide hæreticus est.* Probatur *ex Clement.*1. *§. porrò*, ibi: *in dubium; hoc tit.* Concil. Lateran. sub Leone X. *sess.*8. D. August. *in Enchirid. c.*7. & 19. vbi asserit, salua fide non posse vsurpari illam particulam *fortè*, in rebus fidei, quia significat dubitationem. D. Hieronym. *in Abacuch c.*1. ibi: *Si autem dubitauerit fides tua, & putaueris non ventre quod spondeo, habebis pro grandi pœna.* D. Thomas 2.2. *q.* 10. *art.*5. & *q.*11. *art.*1. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Petrus Gregor. *lib.*2. *part. tit.*6. *cap.*1. Robertus *lib.*1. *rer. iudic. cap.*12. *in fine*, Peña *in direct. Inquisit. in præsenti*, Suarez *de fide disput.*19. *sect* 4. Sanchez *lib.*2. *summæ, cap.*7. *n.*12. Duardus *ad Bullam Cœnæ Domini, lib.*2. *can.*1. *q.*23. Ricciulus *lib.*5. *de iure person. cap.* 4. Azeuedo *in l.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *Recopil.* Portel. *in dubijs Regul. verbo Hæresis, n.*4. Carena *de offic. inquisit. p.*2. *tit.*1. §.3. Diana *part.*2. *tract.* 2. *miscel. resol.*53. Torreblanca *de iure spirituali, lib.*13. *cap.* 1. *n.*33. Thomas Delbene *de immunit. eccles. lib.*1 *subsect.*31. *n.*2. Becanus *in* 2. 2. *Diui Thomæ, tit. de fide, cap.*14. *q.* 1. Albergrinus *de hæresi, cap.* 5. Caietanus 2.2. *q.*1. *art.*2. Turrisrem. *lib.*4. *summæ, part.*1. *quæst.*11. Sà *verbo Hæresis*, Azor *tom.*1. *lib.*8. *cap.*9. *q.*5. Castropalao *tom.* 1. *tract.*4. *disp.*3. *part.*2. *num.*9. Canus *lib.*12. *de locis, cap.*8. *vers. Controuersantur*, Murga *tom.* 2. *disquisit. mor. tract.* 1. *dub.* 1. Tapia *tom.*2. *lib.* 1. *q.*6. *art.* 3. Prado *tom.*1. *Theolog. Moral. cap.*8. *q.* 1. §.2. Thomas Bennus *de offic. Inquis. part.* 1. *dub.*5. *per totam*, Lugo, Bonacina, & Layman, quos sequitur Macedo *de clauibus Petri, in quæstione præuia, art.*2 Suarez *de fide disp.* 19. *sect.* 4. alij apud Barbosam *in tom.*6. *select. ad hunc textum.*

4 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: hæresis non importat solam priuationem fidei, sed actum positiuum in contrarium: quare de ratione hæresis est electio pertinax doctrinæ contraria veritati fidei, *cap. hæreticus* 24. *q.* 3. D. Thomas *in epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 11. *lect.*4. & 2.2. *quæst.*21. *art.*2. *ad* 3. Sed dubitans nullum habet assensum fidei contrarium, nec alterutram partem eligit, sed pendulus est; id enim est dubitare: & dubius in fide medium se gerit inter hæreticum & Catholicum, ac neuter est; nec enim dissentitur positiuè vt hæreticus, nec assentitur vt Catholicus, sed iudicium suspendens iudicat rem esse dubiam. Ergo dubius in fide fidelis est, non verò hæreticus. Deinde, nam hæresis essentialiter consistit in iudicio intellectus contra fidem: sed ille, qui dubius est, non habet iudicium contra fidem, quia qui dubitat, in neutram partem terminatur: ergo hæreticus non est. Facit etiam, nam hæresis, & fides sunt duo extrema: illa assensum rerum fidei importat, hæc autem dissensum: at dubium est medium inter illa, vtpotè quod neque assensum, nec dissensum includit: ergo dubius in fide hæreticus non est. Quare dubitantem de mysterio fidei, deliberatè hæreticum non esse, docuerunt Cano *lib.* 12. *de locis, cap.*9. Sanchez *lib.*2. *summæ, cap.* 7. *num.* 2. Tannerus, & alij, quos refert, & sequitur Diana *part.*2. *tract.* 2. *resol.*56.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, hæresim à qua hæreticus appellatus est, dictam esse à Græca voce αἱρέομαι, idest *eligo*, vel *sector*: vnde αἵρεσις idem est ac electio, seu secta, *cap. hæresis* 24. *q.* 3. docent D. Isidorus *lib.*8. *etym. cap.*3. D. Hieron. *in epist. ad Galatas, cap.* 5. Clemens Alexand. *lib.*7. *stromatum*, ibi: *Hæresis electio est.* Tertul. *lib. de præscrip.* ex D. Augustino, Cicerone & alijs probant Couar. *lib.*3. *variar. cap.*1. *n.*2. Castro *de iusta hæretic. punit. lib.*1. *cap.*1. Cano *de locis theolog. lib.* 12. *cap.*9. Loaysas *in notis ad D. Isidorum lib.*1 *sent. cap.* 17. Suarez *de fide, disp.*19. *sect.*1 *n.*1. Paramus *de orig. Inquisit. lib.*3. *q.*3. *n.*3. Santarellus *de hæresi, q.*1. *conclus.*1. Azeuedus *in l.*1. *tit.* 3. *lib.*8. *recopil.* Scortia *in select. epit.* 71. *theorem.* 182. Fagundez *in præcep.*1. *Decalog. lib.*1. *cap.*10. *n.*2. Albertinus *de hæres. cap.* 1. Suarez *de fide, disp* 19 *sect.* 1. Facit textus, vbi hæresis hoc sensu accipitur, *in l. si duas* 6. *vers. est autem, ff. de excusat. tutor.* Vnde licèt dictio hæc ex proprietate sermonis quamcumque doctrinæ electionem, seu sententiam bonam, & laudabilem significet; tamen quia in his, quæ sunt fidei, & religionis christianæ, nulla dari potest licita electio ex humano arbitrio, nec secta aliqua disciplinæ particularis: tum quia sunt illa omnia à Deo tradita, & eo reuelante inspirata, iuxta Apostolum 1. *ad Corinth. c.*2. ibi: *Fides non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei*, in cuius obsequium captiuandus est intellectus noster cum eodem Paulo 2. *ad Corinth. cap.* 10. inde meritò in hoc titulo, & passim apud Doctores hæresis in Catholicis, quatenus tales sunt, idest in his, quæ sunt fidei Catholicæ, importat grauissimum crimen violatæ religionis, insurgens ex eo, quod fidelis aliquid peculiare eligit, vel sectatur ex suo arbitrio, in his quæ sunt fidei; in ea enim quidquid est humanum inuentum particulare, & non vnum, violat fidem, & religionem ipsam, vt ex Tertulliano, & alijs probat Castro *d. cap.*1. Facit lex *Cœlicolarum, Cod. de Iudæis.* Nec obstat, quod crimen violatæ religionis, cùm sit species infidelitatis, vt probat D. Thomas 2.2. *q.*11. *art.* 1. est operatio intellectus, & in eo consistit, quod aliquid perperam intelligitur, & iudicatur contra fidem, vt omnes fatentur: electio verò consistit in voluntate, cuius est operatio, & consequenter non potest crimen hoc hæresis, idest electio, nominari, nec per hæresim significari. Quia facilis solutio est: tum quia vitium hoc non est in intellectu absolutè, sed in eo motu à voluntate; mouet enim voluntas ad sic intelligendum, vt ex D. Thoma 2. 2. *quæst.* 10. probat Castro *vbi suprà, vers. Sed fortasse.* Simanch. *de Cathol. cap.* 30. *num.* 3. tum quia licèt initium huius criminis sit in intellectu errante, consummatio tamen illius est in voluntate, quæ errorem pertinaciter retinet, vt ex mente D. Thomæ aduertunt Paulus Grillandus *de hæret. quæst.* 1. *num.*6. Brunus *eod. tract. lib.* 1. *cap.*2.

5 *Hæresis etymon & definitio.*

Deinde sciendum est, hæresis diffinitiones varias adduxisse repetentes in præsenti, & scribentes de hæreticis, aliosque quos referunt Ricciulus *lib.* 5. *de iure person. cap.* 1. Catena *de offic. Inquisit. part.* 2. *tit.* 1. *q.* 1. Petrus Greg. *lib.* 4. *part. tit.* 6. *cap.* 1. Macedo *de clauibus Petri, in quæst. præuia*, Suarez *de fide, disp.*19. *sect.* 1. ex quorum mente ita definiri potest: hæresis est *error pertinax in Catholico contra fidem catholicam.* Quæ definitio constat suis requisitis, & simul exprimit naturam definiti. Hæreticum enim facit pertinax offensionis defensio, & obstinata falsitatis 6 *Hæresis definitio.*

tatis

sitatis propugnatio; non humanæ infirmitatis ignorantia, sed pertinacia. Anast in Biblioth. in epist. ad Ioannem Diaconum: *Cùm hæreticus non ex erroris tantum deceptione, quantum ex electione non recta, & contemptiosa pertinacia generetur*. Vnde primò infertur, hæresim non tantùm insurgere ex verbis, seu assertione, sed etiam ex opere, & facto aliquo contra fidem: est enim error, iuxta textum *in c.1. de summa Trinit. lib.6. cap. si Ecclesia* 23.q.4. cuius consummatio, vt proximè dixi, consistit in voluntate, quæ non minùs factis, quàm verbis ostenditur, *cap. dilecti* 52. *de appell. cap. existimant* 2.q.3. *cap. accusatus*, *§. sanè, hoc tit. lib.6.* probant Simanchas *d.cap.30.n.14.* Cano *d.lib.12.c.9. vers. Illud*. Hoc autem procedit modò opus ex se versetur circa materiam fidei, nec soleat fieri ab his, qui fidei aduersantur, vt sunt ritus Iudæorum, & Paganorum; aliter si opus tale non sit, sed respiciat mores, id est ea quæ agenda sunt, quia licita; vel fugienda, quia illicita, ob idque principaliter præcipiantur, vel prohibeantur ne fiant, veluti furtum, periurium, & similia, quia æquè solent committi à fidelibus, ac à quibuscumque alijs; tunc ex huiusmodi opere per se non insurgit hæresis, nisi constet agentem credere illud esse licitum, quia hoc repugnat fidei, ex sacris litteris, quibus contrarium docetur: hæresis autem ex huiusmodi factis insurgit præsumptione iuris, quia præsumitur dum aliud non apparet, cum qui tale opus facit, ita credere, sicut opus ex se primo aspectu sonat, vt contingit in eo, qui binas nuptias contrahit vno, eodemque tempore, aut matrimonium celebrat post votum emissum in susceptione ordinum, aut professione religionis, & similibus: oportet tamen Inquisitores hæreticæ prauitatis diligenter examinare huiusmodi opera, vtrum ex interiori infidelitate, & errore intellectus processerint, sicut exterius apparet: quod si aliquando constare potuerit, ex aliqua causa, timore scilicet, cupiditate, aut animi perturbatione processisse, debent in similia perpetrantes, non tanquam in hæreticos, sed leuius animaduertere, vt monet Cano *d.c.9.* Deinde infertur ex dicta definitione, in hæresim tantùm incidere posse Catholicos, qui semel fidem Catholicam professi fuerunt. Vnde infideles, qui non sunt partes huius totius, quod est Ecclesia, nec illius veritatem, aut vnitatem professi sunt per baptismum, quamuis in pluribus errent contra fidem, hæretici dici nequeunt, vt probatur ex textu *in cap. qui in Ecclesia* 24.q.3. *cap. quidam, de hæretic. lib.6. cap. hæretici* 24.q.1. ibi: *A fide catholica destiterunt*. Docent Couarr. *lib.3. variar. c.1. n.2.* Becanus *in 2.2.c.14.q.2.* Nec solum infideles hæretici dici nequeunt, immò nec illorum dogmata hæreses propriè dici possunt, quia omnia, quæ sunt de ratione hæresis, sunt etiam de ratione hæretici, vt probat D. Thomas *in 1. ad Corinth. cap.2. lect.4.* etsi contrarium teneat Castro *d.lib.1.cap.1.* Simanchas *de Cathol cap.54. num.*10. quorum sententia procedere potest, si accipiatur hæresis lato modo, & materialiter, prout significat errorem fidei contrarium; non verò strictè, & formaliter, prout importat crimen violatæ religionis.

7 De pertinacia necessaria ad hæresim.

Ex dicta definitione infertur, hæresim non dari nisi adsit pertinacia in errore: & probatur *ex cap. dixit, cap. qui in Ecclesia*, 24.q.3. *cap.2. de summa Trinit. cap. vnic. eod. tit. lib.6. Clement.1. de summa Trinit. Clement.1. §. vlt. de vsur. extrauag. Cùm inter*, Ioannis XXII. *de V.S.* probant pluribus relatis Ricciulus *de iure person. lib.5. cap.1. nu.15.* Torreblanca *de iure spirit. lib.3. cap.8. n.23.* Carena *de offic. Inquisit. p.2. tit.1. §.2.* Suarez *de fide, disp.19. sect.3.* Si enim deficiat pertinacia, vt quia quis erat contra fidem per simplicitatem, aut ignorantiam, putans ita esse de fide, & Ecclesiam ita tenere, cui in omnibus vult subijci, nec dici, nec iudicari, nec puniri potest, vt hæreticus, *cap.2. vers. In nullo, de summa Trinit.* in quo sensu accipiendus est D. Augustinus *lib.1. de Trinit. Errare potero, sed hæreticus non ero*; quia scilicet non ero pertinax in errore. Nec obstat textus *in cap. super quibusdam, in princip. de V.S.* vbi in descriptione hæretici nulla fit mentio pertinaciæ, siquidem ibi agitur tantùm de hæretico manifesto, & ita de eo, quem iam certum est esse hæreticum, & pertinaciter errare; dubitatur tamen, an manifestus sit. Circa dignoscendam autem pertinaciam in hac parte plura tradunt Castro *d.lib.1 c.9.* Cano *d. lib.12. de locis, cap.9.* Simanc. *de Cathol. cap.42. & in praxi hæres. cap.30.* Nauarr. *in cap. nouit, notabili 3. n.42.* Ricciulus, & Carena *suprà*. Iuxta quorum mentem dicendum est, pertinaciam iuxta nominis etymologiam denotare nimiam persistentiam in eo, quod quis dimittere debet; vnde pertinax idem est, ac valdè tenax. Glossa *in Clem.1. §. porrò, de summa Trinit.* & *in l.3. § penult. ff. de suspect. tutor.* pertinacia autem talis in præsenti non solum accipitur pro obstinatione, vel obdurationediuturna, quæ habetur contra consensum transitorium, vt perperam existimarunt Alciatus *in l.2. C. de summa Trinit.* Brunus *lib.1. de hæret. c.2. pag.2.* Syluester *verbo Hæresis 1. n.4* sed generalius accipitur pro consensu quocumque firmo contra veritatem, & fidem Catholicam, quam quis vel cognoscit, vel cognoscere debet, vt probat Simancas *de Catholicis, d.cap.48 n.8.* & ita qui sciens, prudensque errat contra fidem, pertinax est, idest plus debito tenax, quamuis monitus non fuerit, nec diutius perstiterit in errore: & in foro exteriori, quoad Ecclesiam, cui aliud non apparet, pertinax præsumitur errans in his, quæ cognoscere debet: sed quia circa pertinaciam indicendam, vel non, aliud in iure cautum non legimus, ideò arbitrio iudicis relinquitur, qui ex coniecturis deprehendet, an pertinacia interuenerit, idest firmus in errore consensus, veluti quia error est manifestè damnatus, & contra veritatem notissimam, seu traditionem Ecclesiæ; vel quia errans doctus est, & sagax, aut quia diu, & clam perseuerauit in errore, vel si legitima admonitio intercessit; sicut econtra pertinacia non præsumitur, quando error est contra veritatem minus notam, nec apertè damnatam; vel errans est indoctus, in reliquis de fide optimè sentiens, vel quia per minus tempus perstitit in errore, vt exemplis exponunt Castro, & Cano *vbi suprà*. Pertinacia ergo non tantum est de ratione hæretici, sed etiam de ratione hæresis, vt docet D. Thomas *in 1. ad Corinth. cap.11. lect.4.* quod procedit si hæresis, & hæreticus accipiantur formaliter iuxta traditam definitionem; nam si materialiter accipiantur, vel pro errore, vel pro errante contra fidem, hæresis, & hæreticus rectè dicentur, quamtumuis pertinacia deficiat: in quo sensu procedit sententia D. Thomæ *part.1 q.32. art.4. ad 1.* vbi Caietanus.

8 Prosequitur definitionis expositio.

Tandem ex suprà tradita definitione infertur, ad hæresim, vel hæreticum propriè constituendum, necessarium esse, quod error sit contra fidem, vt probatur *ex cap. hæretici* 24.q.1. ibi: *A fide Catholica desliterunt, cap. omnes*, ibi: *Fidem quippè violat*, 22. *dist. cap. super quibusdam*, ibi: *Contra fidem Catholicam, de V.S.* docent D. Thomas 2.2. *q.11. art.2.* Castro *d.lib.1. de hæret. punit. cap.1. & 7.* & alij supracitati. Vnde errores, & crimina, quantumuis grauia, propriè loquendo hæreses dici nequeunt, nec eorum auctores sunt hæretici, de quibus in præsenti titulo, quamuis impropriè, & per similitudinem, ad denotandam criminis grauitatem, simoniaci, excommunicati, & alij similes, hæretici dicantur, *cap. quicunque, cum sequent.* 1. *q.1. cap. quod autem*, vbi Glossa 4.q.1. quia scilicet huiusmodi delinquentes ita peccant, ac si essent hæretici de fide malè sentientes, vt considerat D. Thomas *q.13. n.28.* Villadiego *de hæretic. punit. q.2. n.3.* Appellatione autem fidei Catholicæ veniunt non tantum ea, quæ pertinent ad fidem principaliter, & directè, sed etiam illa, quæ secundariò, & reductiuè, vt explicat D. Thomas *1. p. q.32. art.4.* Syluester *verbo Hæresis 1. n.3* iuxta quam explicationem meritò iudicantur hæretici plerique, quos referunt Brunus *de hæretic. lib.1. c.2.* Repertorium Inquisit. *verbo Hæreticus*, Carrierius *in praxi de hæresi, à n.6.* Contra fidem autem Catholicam est, quicquid contra Ecclesiæ vniuersalis determinationes de fide fit, cuius auctoritas principaliter residet penes Summum Pontificem, ad quem pertinet iudicare de fide, & quæ contra eam sunt, hæretica pronunciare, *cap. quotiens, cap. hæc est, cap. correptu*, 24.q.1. *cap. maiores, de baptismo*: probat latè Castro *aduers. hæreses*, *cap.5 & 8. & lib.1. de hæretic. punit. cap.5.* Vnde infertur, magnam dari differentiam inter propositionem hæreticam, quæ fidei aduersatur, & inter erroneam, malè sonantem, hæresim sapientem, scandalosam, seu temerariam, & similes, quarum descriptiones, & exempla tradunt Castro *d.lib.1. cap.3.* Cano *de locis, lib.12. cap 11.* Simanc *de Cathol. c 54 & in praxi hæres. cap.24* Sousa *in manuali Qualificatorum*. Quare ad Theologos pertinet huiusmodi propositiones examinare, vt docetur *in Extrauag. 2. hoc tit.* inter communes: quorum resolutiones, & censuræ apponi debent in ipso processu, vt inde Iudex agnoscere possit, an reus vt hæreticus, vel aliter puniendus sit.

9 Traditur ratio decidendi.

His suppositis apparet ratio præsentis decisionis, quæ prouenit ex eo, quia cum in fide firma certitudo, & nulla dubietas, aut hæsitatio esse debeat, *cap.1.* vbi Glossa, *de*

sum-

Digitized by Google

summa Trinit. D. Iacobus *in epist. canonic. cap.* 1. ibi: *In fide nihil hæsitans*; & iuxta illud Athanasij: *Fideliter, firmiterque crediderit*; vnum enim ex articulis nostræ fidei est, eam esse firmissimam: *Cælum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt*, ait Dominus apud Matthæum *cap.* 24. *vers.* 35. Sic Paulus *ad Hebræos c.* 6. *vers.* 8. hortatur, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus. Meritò ergo in præsenti ille, qui dubitat nolens captiuare intellectum in obsequium fidei, hæreticus iudicatur; errat enim contra fidem catholicam, dum pro incertis habet ea, quæ certissima sunt.

10 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, qua moti Can. *lib.* 12. *de locis*, *c.* 9. Sà *in summa*, *verbo Hæresis*, *n.* 1. & alij citati à Diana *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 51. affirmarunt, dubium in fide infidelem non esse. Sed pro huius difficultatis solutione sciendum est, præsentem textum procedere in dubio, seu dubitante voluntariè, & deliberatè; qui enim dubijs & scrupulis inuoluntarijs impetitur, sicut non peccat, ita nec fidem amittit, quæ sine peccato non destruitur, vt docent auctores suprà laudati: & huius rei manifestum argumentum est, quod scilicet nec ipse errans per errorem inuoluntarium, & inculpabilem in fide infidelis fiat, vt patet in rusticis negantibus plures fidei veritates ex ignorantia inculpata, qui non ideò infideles sunt. Si ergo sic errans inuoluntariè, & materialiter, vt Theologi loquuntur, in fide, infidelis non est, à fortiori nec dubius, seu dubitans inculpatè, vel quia per motus primò primos, & indeliberatos dubium occurrit, vel etiam quia non satis ipsi proposita est ea fidei veritas, de qua dubitat. Deinde sciendum est, dubium in fide dici, qui circa aliquam veritatem, quæ per fidem Catholicam credẽda est, siue primaria, siue secundaria, siue directa, siue indirecta illa sit, dubius fuerit; nec enim requiritur, vt de tota fide dubitet, quemadmodum errans in fide dicitur, qui vel vni soli fidei veritati dissentit. Qui ergo circa quamcumque veritatem sufficienter propositam vt credendam per fidem Catholicam dubius fuerit, is verè dicetur dubius in fide, & iuxta textum hunc infidelis erit. Deinceps sciendum est, dubium in significatione propria eum non dici, qui quomodocunque suspendit assensum fidei; nam cùm præceptum fidei non obliget pro semper ad credendum sine vllo peccato, consequenter, quin fides amittatur, homo fidelis potest assensum cohibere: vlterius ergo requiritur ad verum dubium aliquis actus; si enim mera suspensio actus non sufficit, iam in hoc dubio actus includitur: quod probatur, nam dubius opponitur certo, vt omnibus in comperto est ex ipsa vocis notione: sed omnes fideles certi dicuntur in fide, etiam quando actum credendi non eliciunt, siue quia non aduertunt, vt in somno, amentia, seu animi diuersione; siue quia etiam aduertentes, cùm videant se non obligari ad actum credendum, cum omittunt: ergo per omissionem, seu suspensionem vtcunque actus fidei non dicitur quis dubius. Quod etiam nobis constat ex fide humana; non enim quis dicitur dubius de dictis alterius eo præcisè, quòd actu ad ipsum non attendat, assensumque actualem ipsis non præstet, volens se ad alia diuertere. His suppositis iam accedam ad præsentis textus expositionem: Dubius in fide aliquem actum positiuum dicit, siue directum, siue reflexum: vel ergo per talem actum dicit expressè mysterium fidei esse dubium, & sic manifestè opponitur veritati fidei; nam fides Catholica docet mysteria reuelata non esse dubia, sed certa, & infallibilia; iam verò si talis actus positiuus dicit mysterium à Deo reuelatum esse dubium, eo ipso asserit, posse non esse ita vt reuelatur à Deo, posseque aliter euenire: ergo talis actus sic dubitans hæreticus est. Si verò actus non directè de ipso mysterio reuelato, sed de ipso homine credituro, vel etiam de ipso assensu præstando reflexè affirmet *dubium esse*, etiam hæreticus erit, & resistens veritati fidei; nam fides docet, omnem assensum procedentem ex ea infallibilem esse, idemque censendum est de actu, quo quis dubitaret de motiuo credendi, itaut putaret, quod *fortè motiuum fidei deficere potest*; nam cùm motiuum sit reuelatio Dei, hoc esset reuelationem Dei fallibilem putare, quod hæreticum est. Igitur omnis actus, qui necessariò intercedit in dubio culpabili, & deliberato, contradicit alicui veritati fidei, & consequenter est hæreticus, constituitque hominem infidelem.

Sed instabis cum auctoribus negantibus dubium in fide esse infidelem, fidem amitti non posse sine actu positiuo opposito: rectè autem contingere posse dubium culpabile sine vllo actu; nam qui in aliquo casu, in quo ex præcepto fidei tenetur assentire positiuè fidei, & non assentitur, peccat, etiamsi nihil contrarium ponat, vt patet in alijs peccatis puræ omissionis: ergo tunc mera suspensio, seu dubium, etiam sine vllo actu inuenitur, quin fidem destruat, seu infidelem constituat. Respondetur enim ex suprà traditis, talem suspensionem peccaminosam quidem esse, sed si non oriatur ex actibus positiuis dubitantibus, non facere hominem dubium; nam benè stat talis suspensio cum eo quod quis simul apud se statuat: Si elicerem assensum, exempli gratia, de Trinitate, infallibilem elicerem: quemadmodum rectè stat, me iudicare alium actum præceptum esse iustum, & sanctum, & adhuc à me suspendi. Nequit autem quis dici dubius in fide eo præcisè, quod fidem præceptam non eliciat, vt suprà dixi. Vnde infertur, Authores negantes per dubium amitti fidem, intelligendos esse de dubio ipso formali, & suspensiuo purè; Authores verò affirmantes intelligi de dubio in causa, quando scilicet quis suspendit assensum, eo quòd positiuè dubitet, modo suprà explicato. Prosequitur latiùs Thomas Benus *de offic. Inquisit. part.* 1. *dub.* 13. 11 Dissoluitur alia difficultas.

CAPVT II.

Leo *a* Papa.

DE qua re quintidecimi capituli sermo conqueritur, & præsumptionem diabolicam meritò detestatur; quia & nos istud veracium testium relatione comperimus, & multos corruptissimos eorum codices, qui canonici titulantur, inuenimus. Quomodo enim decipere simplices possent, nisi venenata pocula quodam melle prælinerent, ne vsquequaque sentirentur in sua via, quæ essent futura mortifera. Curandum ergo est, & sacerdotali diligentia maximè prouidendum, vt falsati codices, & à syncera veritate discordes, in nullo vsu lectionis habeantur. Apocryphæ autem scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ, sed etiam penitus auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamuis enim sint in illis quædam quæ videantur speciem habere pietatis, nunquam tamen vacuæ sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, vt mirabilium narratione seductos, laqueis cuiuscumque erroris inuoluant. Vnde si quis Episcoporum, vel apocrypha haberi per domos non prohibuerit, vel sub canonicorum nomine eos codices in Ecclesia permiserit legi, qui *b* Priscilliani adulterina sunt emendatione corrupti, hæreticum se nouerit iudicandum: quoniam qui alium ab errore non reuocat, seipsum errare demonstrat.

NOTÆ.

1 a LEo.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. sed inscriptionem, & litteram restituo ex ipsis epistolis Leonis, vbi *epist.* 93. *c.* 15. reperiuntur verba huius textus, prout ea in præsenti transcribo. In præsenti Leo rescribit Turibio Episcopo Asturicensi, seu Austuricensi; sed cùm tres Turibij vita, & miraculis clari floruissent in Hispania illis quarto, & quinto sæculis Ecclesiæ, videamus de quo Turibio in præsenti agatur, cùm omnes hæresim Priscillianistarum æquè damnauerint,

vnde

vnde facilè confunduntur ab scriptoribus. Et vnus fuit notarius nostri Leonis, & postea Episcopus Bracharensis, de quo Iulianus Archipresb. *in chron. anno* 454.*n.*247. ait: *Per hæc tempora Turibius sancti Leonis primi Notarius, patria Brigantinus, factus monachus, post longas peregrinationes secum multas adduxit reliquias: ad Galleciam reuersus scribit ad Idacium, & Sponium; Idacium, inquam, Episcopum Bracharensem, vt illi consulant miserrimo Galleciæ statui, repullulante tunc Priscillianistarum hæresi. Qui quidem Pontifices præsederunt in Concilio Toletano, vt Legati Leonis.* Cuius Notarij etiam meminit Lucretius Episcopus Bracharensis in exordio Concilij Bracharensis I. apud Loaysam *fol.* 116. ibi: *Credo autem vestræ beatitudinis fraternitatem nosse, quia eo tempore, quo in his regionibus nefandissima Priscillianæ sectæ venena serpebant, Beatissimus Papa vrbis Romæ Leo, qui quadragesimus ferè extitit Apostoli Petri successor, per Turibium notarium Sedis suæ ad Synodum Galliciæ contra impiam Priscilliani sectam scripta sua direxit.* Secundus fuit Turibius monachus Benedictinus, & Episcopus Palentinus, de quo Iulianus *in chron. anno* 545.*n.*248. ait: *Turibius Monachus, cui anno Domini DXXXVI. dederat habitum sanctus Benedictus, veniens ad Hispaniam fundat Monasteria: post factus Episcopus Palentinus. Hoc anno maledictu Palentinis infectis hæresi Priscillianistarum, & fluuius Neuis dictus, Cadrion vulgò, ciuitatem ipsam inundauit.* Marcus Maximus *in chron. anno* 531. *fol.* 183 ibi: *Turibius monachus, ad quem scripsit Montanus Pontifex Toletanus, è monacho Benedictino fit Episcopus Telensis, vel Palentinus.* Tandem tertius fuit Turibius Asturicensis Præsul ad annum vsque 454. de quo ita legitur apud Iulianum Archipresb. anno 454. numero 230. *Sanctus Turibius Asturicensis Episcopus hoc anno moritur.* In Martyrol. Romano, die 16. Aprilis ita habetur: *Palentiæ sancti Turibij Episcopi Asturicensis, qui ope Sancti Leonis Papæ hæresim Priscilliani ex Hispania penitus profligauit, clarisque miraculis in pace quieuit.* Vbi expungendum esse verbum *Palentiæ*, iam notauit Tamayo à Salazar *tom.* 2. *Martyr. Hispan. die* 16. *April.* Videndi sunt Sandoual. *in historia sancti Antonini Palentini*, §.4. *fol.*25. D. Antonius Speleta *in fundatione Eccles. Asturic. n.*64. Loaysa *in notis ad Concil. Tolet.*2. Marquez *in orig. Heremit. cap.* 10. §.2. Acuña *in Hist. Brachar. lib.*1. *c.*57. Huic sancto Turibio rescribit Leo in præsenti, vt apertè constat ex C. MS. Ecclesiæ Asturicensis, edito à Tamayo *suprà*, vbi ita habetur: *Fuit igitur hic Beatissimus vir, sicut compertum veraciter habemus, natione Hispanus, Galleciæ regionis indigena, Astoricensis ciuitatis Episcopus, cultor verus Dei, contemptor sui, religionis amator, catholicæ veritatis assertor, idololatriæ subuersor, & errorum validus expugnator: præcipuè Priscillianorum detestabilem hæresim, quæ tunc temporis in Hispania velut pestifer morbus serpendo non solùm diuersarum vrbium populos pestifera lepra maculauerat, verùm etiam (quod magis dolendum est) quorumdam sacerdotum, qui Ecclesiam Dei regere videbantur, corda inuaserat, per quos aliorum error tollendus erat, non sequendus, nisu quo valuit, condemnauit, & auctoritate Leonis Papæ, qui eodem tempore Romanæ Ecclesiæ præerat, totis viribus expurgare curauit. Cùm itaque præfatus Leo Papa pastorali sui regiminis cura ad diuersarum Prouinciarum Episcopos epistolarum suarum dirigeret scripta, inter cæteros huic Beatissimo viro Turibio tunc temporis Astoricensi Episcopo quandam epistolam vniuersos errores Priscillianistarum sexdecim capitulis continentem, destinare curauit. Qua epistola accepta, protinus Romani Pontificis mandata ad debitum executionis fastigium perducere destinauit, ex quo aliqua Concilia in totius Hispaniæ finibus indicta, sacrilega Priscillianistarum dogmata condemnarunt, & Beatissimi Leonis doctrinam vt catholicam, & ab vniuersalis Ecclesiæ capite dimanatam, totis visceribus amplexi sunt. Quo euenit, vt per aliquam temporis intercapedinem flagitiosa hæreticorum perfidia delitesceret.*

2 b *Priscilliani*] Priscillianus Hispanus, familia nobilis, diues, acer, facundus, eruditus, prauo studio corrupit optimum ingenium: dum esset laicus, & hæresi infectus, Abulæ Episcopus clam factus est: ex omnium hæreticorum sentina hæresim hausit, vt refert Seuerus Sulpitius *lib.*2. *sacræ historiæ, in fine*. De hac hæresi Priscillianistarum extat consultatio Orosij ad Augustinum, & eius ad Orosium eruditissimum respons. m, & damnata fuit hæc hæresis in duobus Concilijs Galleciæ, & Tarracon. memineruntque eius Vigilius Papa *epist.* 1. *cap.* 1. Concil. Brachar. 1. *in princip.* & *can.*5. & 6. 7. 13. & 17. quorum verba refert Ant. August. *in epit. iuris, lib.* 11. *tit.* 36. & regula fidei contra ipsum repetita fuit in Concilijs Tolet. I. & Brachar. I quia pullulante iterum hæresi, noua exstirpatio adhiberi debuit.

COMMENTARIVM.

Generale est axioma, videlicet, cùm quis potest alios ab errore retrahere, & non reuocat, seipsum errare demonstrat. Probant textus *in c. error, cap. consentire*, 83. *dist. cap. qui consentit*, 11. *q.* 3. *cap. qui potest*, 23. *q.* 3. *cap. preterea*, 23. *q.* 8. *cap. tam sacerdotes*, 24. *q.* 3. *cap. si ea* 50. 23. *qu.* 4. *cap. quantæ* 47. *de sentent. excom. cap.* 3. *eod. tit. lib.* 6. *c. sicut dignum*, §. *illud, de homicid. l. scientiam, ff. ad leg. Aquil. l.* 2. §. 1. *cum l.* 2. & 4. *ff. de noxal. l.* 6. *ff. de re milit.* & sanè parœmiale est, & decantatum illud Senecæ in Troade: *Peccare qui non prohibet cùm potest, iubet.* Cui congruenter, scitèque consentiunt Plato *in suis legibus, lib.* 9. *ad finem*: quia æquè puniri vult, qui aliorum iniurias cùm prohibere posset, non prohibet, ac is qui fecit. Carnotensis *epist.*137. *Nec caret scrupulo suspicionis occultę, qui manifesto facinori desinit obuiare.* Cassiodorus *lib.* 2. *var. cap.* 36. Arnobius *lib* 2. *aduers. Gent. Cùm non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessationis crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permiserit prius.* Et *lib.* 4. *cap.* 28. *Quisquis patitur peccare peccantem, is vires subministrat audacię.* Saluianus *lib.* 7. *de prouid.* ibi: *Potestas quippè maxima, & potentissima, quę inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari; in cuius enim potestate est prohibere, si non prohibet, ea profectò iubet agi, quę non prohibet adimpleri.* Seneca in Hercule Furente: *Qui non vetat peccare, cùm possit, iubet.* D. Greg. *lib.* 32. *Moral. c.* 5. *Inflammantur quippè corda iustorum, cùm non correpta conspiciunt acta malorum; eorumque culpę se participes credunt, quòd iniquitates crescere silendo permittunt.* Alia in eandem sententiam cumulant Tiraquel. *de pœnis, caus.*44. Valenzuela *contra Venetos, p.* 5. *num.* 136. Marquez *lib.* 1. *Gubern. Christ. cap.* 30. §. 3. M. Magerus *de aduocat. armat. cap.* 14. *num.* 153. Petrus Gregor. *lib.* 2. *de republic. cap.* 1. Cabreros de Auendaño *de pœna tripli, cap.* 1. Solorzanus *de parricid. lib.* 1. *cap.* 1. & *tom.* 2. *de iure Ind. lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 6 & *emblem.* 70. Amaya *in l.* 3. *num.* 16. *Cod. de can. largit. lib.* 10. Ill. D. Franc. Ramos *in syntag. de Episcopat. Lusit. propos.* 3. *num.* 75. Sed cùm in præsenti non agatur de quocunque errore, sed de errore fidei, vt ex integra textus constat, de eo tantùm differendum est, & discrimen est constituendum inter personas, quæ hæreticos non reuocant ab erroribus, & puniunt, quibus id competit ex officio, vt sunt Episcopi, & Inquisitores, quibus specialiter exstirpatio hæresum commissa est, vt si in detrimentum fidei catholicæ negligentes fuerint in inquirendis, & puniendis hæreticis, adeo seuerè puniendi sunt, vt ab Episcopali dignitate, & officio amoueantur, *cap. excommunicamus, et* 1. §. *volumus, hoc tit.* & inter eas quibus ex officio id non competit, vt sunt cæteri fideles, qui tenentur sub pœna excommunicationis hæreticos denuntiare, iuxta constitutionem Gregorij IX. quam refert Peña *p.* 2. *Directorij*, in præsenti. Nec licet prius vti correctione fraterna, seu charitatiua monitione, quæ in alijs delictis præcedere debet, iuxta tradita *in cap. qualiter, de accusat.* docet Pœna *in præsenti*, & plura de hac denunciatione congerunt Santarellus *de hæresi, cap.* 9. *dub.* 5. Suarez *de fide, cap.* 20. *sect.* 4. *num.* 11. Catena *de offic. Inquisit. p.* 2. *tit.* 9. §. 4. 3

C A P V T III.

a Auguſtinus *de fide.*

FIrmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum, vel ſchiſmaticum, quamuis multas eleemoſynas faciat, vel etiam pro Chriſto ſanguinem fundat, cum diabolo, & angelis eius æterni ignis incendio participandum, niſi ante finem huius vitæ Catholicæ fuit incorporatus & *b* redintegratus Eccleſiæ. *Et poſt pauca*: Omni enim homini, qui Eccleſiæ Catholicæ non tenet vnitatem, nec *c* baptiſmus, nec eleemoſyna, quantumlibet copioſa, neque mors *d* pro nomine ſuſcepta Chriſti proficere poterit ad ſalutem.

N O T Æ.

1 a *AVguſtinus.*] Ex eodem Sancto citantur hæc verba ab Anſelmo *lib. 8. in fine Decreti*, Iuone *part. 1. Decreti, cap. 4. & 39.* & *in 1. collect. ſub hoc tit. cap. 3.* & reperiuntur verba hæc inter opera D. Auguſtini *in lib. de fide ad Petrum Diaconum.*

b *Et redintegratus.*] Nam dum pertinax eſt in ipſa hæreſi, extra Eccleſiam eſt, vt probat Ricciulus *lib. 3. de iure perſon. cap. 2.* quare nullo modo ante reconciliationem decedens ſaluari poteſt.

c *Baptiſmus.*] Antea ab eo ſuſceptus, aliàs hæreticus non eſſet, vt probaui ſupra *in cap. 1.* 2

d *Pro nomine Chriſti.*] Sed falsò, & cùm errore ſuo, vt contingit ſæpiùs Luteranis, & Caluiniſtis, qui comburi patiuntur non abiurato ſuo errore, immò pro eius defenſione; vnde credunt pro Chriſti nomine martyrium pati, quod illis nullo modo prodeſt.

C A P V T IV.

a Gregorius *Anaſtaſio Antiocheno.*

PRæterea dum de ſanctorum Conciliorum cuſtodia tua fraternitas loqueretur, ſanctam *b* Epheſinam Synodum primam ſe cuſtodire profeſſa eſt: ſed quia ex annotatione *c* hæretici codicis, qui ad me ex regia vrbe tranſmiſſus eſt, agnoui per hoc quod quædam capitula catholica cum hęreticis fuerant reprehenſa, quia quidam illam Epheſinam primam Synodum in eadem vrbe exiſtimant, quæ quondam ab hæreticis traditur eſſe compoſita, omninò neceſſe eſt, vt charitas veſtra eandem Synodum apud ſanctam Alexandrinam, atque Antiochenam Eccleſiam requirat, & qualiter in veritate habeatur, inueniat. Vel ſi placet, hinc dirigimus, quæ ab antiquitate ſeruata in ſcriniijs habemus: illa enim Synodus, quæ ſub primæ Epheſinæ imagine facta eſt, quædam in ſe oblata capitula aſſerit approbata, quæ ſunt Cœleſti, *d* atque Pelagij prædicamenta: & cùm Cœleſtius, atque Pelagius in ea Synodo ſint damnati, quomodo poterant illa *e* capitula recipi, quorum damnabantur auctores? Quia verò peruenit ad nos in Orientis Eccleſijs nullum ad *f* ſacrum ordinem, niſi ex præmiorum datione peruenire, ſi ita eſſe veſtra fraternitas agnoſcat, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, vt à ſubiectis ſibi Eccleſijs errorem ſimoniacæ hæreſeos compeſcat.

N O T Æ.

a *GRegorius.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 4.* & extat textus hic inter epiſtolas ipſius Gregorij *lib. 7. indict. 2. epiſt. 48.* ex qua poſteriori parte reſtituo litteram huius textus.

1 b *Epheſinam Synodum.*] Synodus Epheſina Oecumenica celebrata fuit anno Chriſti 431. auctoritate Cœleſtini Pontificis, & fauente Theodoſio Iuniore Imperatore, vbi pluſquam ducenti Epiſcopi ex Oriente conuenerunt, & præfuit vt Legatus Romani Pontificis Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus. In hoc Concilio condemnata eſt præcipuè hæreſis Neſtorij, ponentis in Chriſto duas perſonas, humanam & diuinam; vnde eliciebat, Beatiſſimam Virginem Mariam dici non debere Dei genitricem, ſed Chriſti genitricem. PP. autem illi ſanctiſſimi diuino afflati lumine ſtatuerunt, eam verè dici, & eſſe matrem Dei, quæ verè genuit Deum; & ex tunc in ſalutatione Angelica addita ſunt illa verba: *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis*; vt refertur in ipſis actis, & narrant Baronius, & Coriolanus dicto anno 431. Idem Coriolanus in ſumma Concil. ad ipſum Concilium Epheſinum.

2 c *Hæretici codicis.*] Magna enim cura fuit ſemper hęreticorum, Eccleſiæ decreta, ſanctorumque Patrum ſcripta ſuis ſententijs prauis immixtis, aut additis adulterare, & corrumpere. Sanctus Clemens de his mixturis, quibus hæretici ſua ſcripta corruperant, conquerebatur, vt refert Epiphanius *hęreſ. 34.* & hanc ſortem ſcriptis ſuis obtigiſſe quæritur Dionyſius Corinthius apud Euſebium *lib. 4. hiſt. cap. 22.* & corruptam ad hunc modum à Neſtorianis fuiſſe ſancti Athanaſij epiſtolam ad Epictetum, narrat ſanctus Cyrillus: priorem ad Succeſſum epiſtolam ab Iconoclaſtis ſancti Epiphanij ſcriptam, corruptam multis demonſtrat alter Epiphanius in Synodo Nicæna 2. *actione 6.* Plures ſimiles apud Sanctos Patres antiquos, & recentiores, ſuppoſitiones, & adulterationes congeſſerunt Antonius Auguſtinus *in epit. iuris, lib. 11. tit. 15.* Gretſerus *in lib. de iur. & more prohibendi malos libros, lib. 2. cap. 5.* Theophilus Raynaud. *in tract. de bonis & malis libris, partit. 1. erothem. 10. num. 283.*

d *Cœleſtij atque Pelagij.*] Cœleſtius Pelagij ſectator fuit, vt refert D. Auguſt. *de hæreſibus c. 88.* ibi: *Pelagianorum eſt hæreſis hoc tempore omnium recentiſſima, à Pelagio monacho exorta, quem Magiſtrum Cœleſtius ſic ſequutus eſt, vt ſectatores eorum Cœleſtiani etiam nuncupentur.* Impia dogmata Cœleſtij, & Pelagij validè confutauit idem Sanctus *in lib. de gratia Chriſti*, & *in lib. de peccato origin.* & damnata fuerunt in Concilio Mileuit. ſub Innocentio I. & in hoc Epheſino *c. 9. can. 1.* his verbis: *Quia verò oportebat eos, qui ob aliquod eccleſiaſticum, vel corporis impedimentum, in regione, vel ciuitate ſua detenti, ſacræ Synodo intereſſe nequiuerunt, ea non ignorare, quæ de ſchiſmaticis ſunt definita, notum facimus veſtræ Sanctitudini, quod ſi prouinciæ cuiuſpiam Metropolitanus, à ſacra, & Oecumenica Synodo deſciſcens, defectionis conciliabulo ſeſe addixerit, vel poſtea quoque cum Cœleſtio ſenſerit, vel etiamnum ſentit huiuſmodi contra prouincię ſuę Epiſcopos nihil omninò decernere poſſe, quoad ſacra Synodo ab omni communione eccleſiaſtica ſecluſus, nullius deinceps poteſtatis, & auctoritatis exiſtat.* Hæc ibi: ex quibus conſequitur, verè dici in hoc capite quod interpretamur, Cœleſtium & Pelagium in Epheſina Synodo eſſe damnatos: & etiam apparet, malè Ananiam, Panormitanum, Socinum in præſenti, ex hoc textu deduxiſſe, Pontificem poſſe in Concilio condemnari, cum in Concilio Epheſino non Cœleſtinus, ſed Cœleſtius damnaretur. De erroribus Cœleſtij, & Pelagij agitur in varijs Concilijs, quorum verba refert Antonius Auguſtinus *in epit. lib. 11. tit. 39. & 40.* & refert poſt alios Salelles. 3

e *Capitula.*] Vbi continebantur dogmata Cœleſtij, & Pelagij.

f *Ad ſacrum ordinem.*] De ſimonia in ſuſceptione Ordinum commiſſa, egi *in cap. 1. de ſimonia.*

COMMENTARIVM.

EX fragmento huius epiſtolę compilato ſub hoc titulo de hæreticis, communiter deducitur ab Interpretibus aſſer- 4 Concluſio traditur, & probatur.

Digitized by Google

assertio, damnato auctore ex causa hæresis, damnata censeri eius scripta. Ita repetentes omnes in præsenti, iuxta quorum mentem conclusionem deduco: *Scripta hæretici per Ecclesiam damnati, damnata sunt, & ita configenda, aut comburenda*. Probaot eam textus *in can.60. Apost.* Nicæna Synodus 2.*can.9.*ibi: *Laicus, vel monachus excommunicetur, Episcopus, Presbyter, Diaconus deponatur, qui occultauerit libros hæreticorum*. Et c 3 vbi specialiter de Cœlestij, & Pelagij scriptis agitur, 15.*dist.c.2.* iuncta integra, *hoc tit.* Leo Magnus *epist.91. cap.16.* ibi: *Distinij tractatus vetantur, licèt auctor resipuerit*. Innocentius II. *epist.2.ad Sampsonem Archiep. Bituricen.* ibi: *Mandamus quatenus libros erroris Petri Abailardi facietis igni comburi*. Concilium Brachar. 1.*can.* 17 Adrianus Papa *in epist. ad Basilium Augustum, in actione 8. Synodi* 8.ibi: *Omnia exemplaria cremari igne contemplantibus cunctis, ne vnus quidem apex, aut iota, inde supersit*. Nicolaus I. *ad consulta Bulgarorum, c.*103. Concil. Later. sub Leone X. *sess.*10. Constantiense *sess.*8. Trident. *sess.*18. *& 25.leg. damnato 8. leg. quicunque, C. de hæretic.leg.34.C. Theodos. eod.tit.leg. quoniam, C.de Episc.& cleric.leg.*10 *C.de Episc.aud.* Alia Imperatorum edicta, & Pontificum decreta pro illustratione huius conclusionis congesserunt Ant. August. *in epit. iuris, lib.* 11. *tit.* 14. Crespetius *in summa iuris Pontif. verb. Hæreticorum libri*, Castro *de iusta hæretic.punit.lib.2.c.15. & 16.* Conradus Brunus *lib.6 de hæretic.c.6.* Ricciulus *de iure person.lib.5.c.21.* Gabriel Putherbeus *de tollend.malis lib.* 3. Baptista Cardona *lib. de expungendis hæret. Auctorum nominibus*, Iacobus Grethserus *in lib. de iure & more prohibendi libros hæreticorum*, Theophilus Raynaud *tom.* 11. *in tract. de bonis, & malis libr. partit.* 1. *erothemate* 3. Petrus Gregor. *lib.a.partit.tit.6. c.7.* & *in c. damnamus, de summa Trinit.* Filesacus *in c.* 1.§.7. *de offic. Ordin.* Coriolanus *in summa Concil. ad Concil. Armeniæ, anno* 1433. Diana *p.11.tra.1.res.1* & *tract.8.res.62.* Petrus Herodius *lib.1. Pandect.tit.2.* Bellarminus *tom.1.contrau.lib.3. de clericis, cap.20.* Simancas *de cathol.tit.*38. Filesacus *in c.1.§.7.de offic. Ordin.* Beyerlink *in Theatro vitæ hum. tom. 4. verbo Libri*, Suarez *de fide, disp. 20. sect. 2.* Basil. *de matrim. in append.c.2.n.6.* I. Gothofr. *in leg.14.C.Theod. de malefic.* & *in l.34.de hæretic.* Thomas Delbene *p.1.de offic. Inquisit. dub.* 36.P. Mendo *lib.2. de iure acndemic.q.16.* D. Ioseph de Retes *lib.8.opuscul.c.13.* P. Serlogus *tom.3.in Cantica, vestig.* 34.*fol.*421. Decianus *lib.5.tract.crimin.c.48.* Becanus *in 2. 2.c.15.de fide, q* 8. Cohelius *in notit. Cardin. c. 15.congreg.* 10. Fornerius *lib.3.rer. quotid.c.* 14. Coriolanus *in breuiario, anno* 1545. P. Menochius *lib 2.polit.c.3.n* 5. Castro Palao *tom 1.oper.moral.tra.4.disp 2 punct.* 10. Bordonus *tom. 1.sacri Tribun.c.*14. Phocius *in nomocan. tit.12.c.3.*

5 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: In libris hæreticorum multa bona continentur, quibus vti possumus cum non modica vtilitate. Tertullianus enim in ipsis libris, quos aduersus Ecclesiam scripsit, vt de pudicitia, de fuga in persecutione, de monogamia, & exhortatione castitatis, quammulta ad Christianos vsus, & dogmata contra sectarios peropportuna suppeditat. Eusebium Cæsareensem Arrianorum signiferum appellat D. Hier. eniocitque Epiphanius *in Synodo* 2. *Nicæna, action.6* probatq; Cano *lib.11.de locis, c.6.* magno tamen Ecclesiæ damno scripta eius eriperentur. Quid dicemus de Origene, & Nouatiani libris? versantur enim omnium manibus cum fructu, etiamsi in eis maculæ, & errores non vno in loco supersint, constetq; Nouatianum fuisse apertè hæreticum: & eodem nomine appellatur Origenes in Concil. Lateran. sub sancto Marino, *consult.* 5. *anathematismo* 18. & eodem modo notatur à multis Patribus, vt refert Cassiodorus *de diuin. instit.c.*1. & nihilominus D. Hieron. in epistola ad Paulum Concordiensem, Nouatiani librum ad se transmitti pôstulabat, vt cognitis eius venenis, libentius sancti Cypriani antidotum biberet: vnde in librorum lectione sequendum est consilium Theodoreti *lib.* 3. *Polymorphi*, his verbis: *Imitare ergo apes, ò vir bone, & sacræ Scripturæ prata, & sanctorum Patrum pulchros flores mente circumuolans, fidei fauos in te contexe: quod sic vbi herbam inueneris, nec dulcem, nec esculentam, cuiusmodi est hic Apollinaris, & Eusebius, habe tamen aliquid inutile ad mel conficiendum: non est alienum, quod bonum est sumere; quod verò noxium, relinquere. Etenim apes sæpe in venenosis fructibus insidentes, quod est quidem perniciosum, relinquunt; quod est verò sibi accommodatum, accipiunt. Hæc tibi quidem, ò amice, iure fraternæ amicitiæ consulo*. Plura in hanc rem congessit Claudius Espenceus post commentarium epistolæ ad Titum, *in lucubrat. de lect. lib. suspect.* Ergo non omnes libri Auctoris damnati configendi, & comburendi sunt. Accedit, nam Ecclesia tolerat libros Gentilium, & Iudæorum: ergo & hæreticorum scripta tolerare debet, cùm detur eadem ratio improbationis in alteris, ac in alijs. Augetur hæc dubitandi ratio ex testimonijs Dionysij, & Hieronymi; nam Dionysius, vt scribit Eusebius *lib.7.histor.c.6.* Nicephorus *lib. 6. c.8.& 9.* cùm reprehenderetur, quod libros hæreticorum legeret, respondit se visionem habuisse, qua sibi dicebatur, *Lege omnia quæ in manus tuas venient; valebis enim ad omnia respondere, & reprobare*. Hieron. *in epist.* 152. *ad Alexandrum Minerium*, inquit se legere libros Hæreticorum, vt bona inde excipiat, etiamsi sciat aliquos propterea de se murmurare. De Theophilo antiquo Doctore idem refert Socrates *lib. 6. hist. cap.* 15. Denique in Concil. Carthag.4.*can.*16. præcipitur Episcopis, vt libros Hæreticorum legant pro necessitate, & tempore. Igitur non quælibet lectio librorum Hæreticorum prohibenda est.

Hac tamen dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, quæ probatur ex antiqua, perpetuaque consuetudine, non solum Christianorum, verùm & diuersarum gentium, comburendi libros improbatæ lectionis. Prothagoræ libros ab Atheniensibus crematos refert Suidas, eo quod aliquando orationem sic esset exorsus: *De Dijs scire non possum, neque an sint, neque an non sint.* Et Cicero 1. *de natura Deorum*, ibi: *Nam Abderites quidem Prothagoras, cuius à te modò mentio facta est, Sophistes temporibus illis, vel maximus, cùm in principio libri sui posuisset: De Dijs neque vt sint, neque vt non sint; ab eo dicere Atheniensium vrbe, atque agro est exterminatus, librique eius in concione combusti.* Idem refert Lactantius *lib. de ira Dei, c.9.* quod factum cùm narrat Sarisbariensis *lib. 5.Polycrat.c.4.* loco Prothagoræ, legit Pythagoram. Similiter & de libris Tullij de natura Deorum, eo quòd Atheismum induci per eos aliqui censebant, abolendos iudicabant: refert Arnobius *lib. 3. aduersus gentes, nu.* 5. ibi: *Cumque alios audiam mussitare indignanter, & dicere, oportere statui per Senatum, vt aboleantur, ne vetustatis opprimatur auctoritas*. Similiter Liuius *lib. 5. decad.* 3. refert Senatum addixisse libros quosdam cremandos, à traijciente aratrum ad Numæ sepulchrum repertos, quia euulgati religionem, ac cultum nimium læderent. Idem ex Varrone tradunt Lactantius *lib.1.diuinar.instit.cap.*22. D. Augustin. *lib.7.de ciuit.Dei, c. 34. & 35.* latè probat studium & curam Gentilium in damnandis libris, ex quorum lectione lædi poterant, Theophilus *in d tract. de bonis & malis libris, erothem.4.n.32.* Lipsius *ad annal. Taciti*, Fornet. 3. *rer. quotid.* 14. inde immanissimum edictum tulit Diocletianus de comburendis libris Christianorum, quod refert Arnobius *lib.3.aduers.gentes*, de quibus libris nonnulli accipiunt textum *in leg 4.§.1.ff. familiæ ercifcundæ*, vbi Vlpianus docet, libros improbatæ lectionis, vt mala medicamenta in iudicium familiæ ercifcundæ non venire, nec inter hæredes diuidi, sed esse corrumpendos. Quam lectionem retinet D. Ioseph. de Retes *lib.8 opuscul. c.* 13. fuit enim infensissimus Christianæ Religioni Vlpianus. Quare ex eius libro 8. *de offic.Proconsul.* vbi de pœnis imponendis Christianis agebat, nulla supersunt vestigia in libris Pandectarum; eius tamen odij extant vestigia *in leg. si in aliam, ff. de offic. Proconsul.leg. congruit* 13. *de officio Præsidis, leg.2.ff.de extraord.crimin.* notauit eruditus Ramirez de Prado *in Pentecont.c.36.* Ita textum *in d.leg.4.* §. 1. accipiunt Balduinus *de edictis pro Christianis, fol.* 111. Mornacius *in eod.textu*, Baronius *anno* 56. Sed ipse Baronius *anno* 302. Vlpianum refert ad libros magicos, mathematicosque, qui etiam comburendi erant, ex eodem iure. Paulus *lib.5.sentent.tit.23 leg. mathematicos 10.C.de Episcop.aud.leg.damnatos 6.§. nec verò, C. de hæretic.leg. 34.C.Theodos.eod.tit. Nouel.41 Iustin.c.*1. Phocius *in nomocan.tit.12.cap.3.* & iussum sæpe fuisse à Senatu Magistratibus, vt huiusmodi libros conquirerent, eosque cremarent, legimus apud Liuium *lib.29.* Dion. *lib.*54. relatos à Fornerio *lib.3.rer.quotid.c.*14. Concremarique per Ædiles, modò per Triumuiros, testantur Tacitus *lib.4.annal.* & *in vita Agricolæ*, Seneca *lib.* 10. *contron. in princip.* vnde D. Augustin. de scriptoribus magicis agens, *lib. 1. de consensu Euangelist.c.9.* ait: *Non solùm disciplinam Christianam, sed ipsam terrenæ reipublicæ administrationem iure eos condemnare*. Similiter Antiochus putans libros veteris Testa-

6 De vsu configendi libros.

menti

Digitized by Google

menti ſuæ religioni noxios, edicto pœnali eos prohibuit, vt refertur *lib. 1. Machab. cap. 1.* Alia diuerſarum gentium exempla referunt Tiberius Decian. *lib. 5. tract. crimin. c. 48.* Beyerlinch *d. tom. 4. verbo Libri*, Grethſerus *d. lib. de iure probib. libros*, Lipſius *ad Tacitum lib. 4. annot. 78.*

7 De eadē vſu apud Catholicos. Sed vt ab Ethnicis ad Catholicos perueniamus, conſtat in Eccleſia Catholica hunc ſemper morem fuiſſe comburendi libros hæreticorum: nam *actuum Apoſt. c. 19.* refertur, quod multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus ſuos: multi autem ex his, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus. Vbi *curioſa* pro magicis artibus ponuntur, quæ etiam artes curioſæ dicuntur à Palladio *hiſtoriæ Lauſiacæ ſect. 17.* vt diuinandi curioſitas *in leg. 5. C. de maleficijs*: & D. Clemens *lib. 1. conſtit. Apoſt. c. 7.* ſcribit, Apoſtolos prohibuiſſe fidelibus libros Gentilium: & ſequentibus ſæculis PP. Concil. Nicæni libros Arrij igni tradiderunt, vt refert Nicephorus *lib. 8. hiſt. c. 18* poſtea Sanctus Chryſoſtomus, ſuffragante Theodoſio Imperatore, præcepit vt pulſis ex vrbibus Montaniſtis, & Eunomianis, eorum Codices comburerentur, & eo Sancto ſuggerente Theodoſius edidit conſtitutionem, quæ extat *in leg. 34. C. Theodoſ. de hæreticis*, vbi notauit I. Gothofr. Faciunt textus *in leg. 8. & 16. C. de hæretic. leg. 3. C. de ſumma Trinit. leg. 10. C. de Epiſc. aud. leg. vlt. C. Theod. de malefic.* Nec multò poſt Epheſina Synodus Neſtorij libros curauit vbique flammis addici, datis litteris ad Theodoſium, quæ extant *p. 1. Concil. Epheſini, c. 22* & D. Auguſtin. *in pſalm. 61.* de quodam Chriſtiano, qui fuerat magus, pœnitentiam acturo, ait: *Portat ſuos codices incendendos, quibus fuerat incendendus, vt illis in ignem miſſis, ipſe in refrigerium tranſeat.* Manichæorum etiam libros à ſancto Leone incenſos refert Proſper Aquit. *in chronic anno 446.* & ſimiliter Gelaſius non ſolùm edidit conſtitutionem, quæ extat apud Gratianum *in cap. ſancta, 15. diſt.* qua ſcripta hæreticorum, & apocrypha damnauit; verùm Manichæorum libros ante ædem ſanctæ Mariæ concremaſſe refert Anaſtaſius Bibliothecar. Idem Anaſtaſius *in Hadriano II.* librum actorum Photij aduerſus Nicolaum fuiſſe combuſtum narrat, & in 8. Synodo, actione 8. idem Hadrianus decreuit, *omnia exemplaria cremari igne, contemplantibus cunctis, ne vnus quidem apex, aut iota inde ſuperſit.* Innoc. II. *epiſt. 16.* annuens petitioni Concilij Rhemenſis, libros errorum Petri Abailardi incendio damnauit, & combuſtos fuiſſe à Legato Romanæ Eccleſiæ, teſtatur Sanctus Bernardus *epiſt. 193.* Libros Dauidis de Dinanto, tanquam hæreſibus ſcatentes, exuſtos fuiſſe in Concilio Prouinciali Pariſijs celebrato, ex Rigordo, & alijs refert Spondanus *in continuat. Baronij, anno 1204. n. 18.* & ſimiliter in Concil. Rom. interdictam eſſe lectionem librorum Vuiclef, refertur, & confirmatur in Concil. Conſtātienſi *ſeſſ 8.* & poſtea Concil. Later. ſub Leone X. *ſeſſ. 10.* libros hæreticorum omninò proſcripſit. Tandem Tridentina Synodus quorumcunque hæreticorum libros, tanquam malæ meſſis certam ſementem exterminauit: firmarunt eandem prohibitionem ſuis conſtitutionibus Iul. III. Paul. IV. & Pius IV. Nec rectè Spondanus *in d. continuat. Baronij, anno 1550. nu. 2.* ſcribit primam legem generalem aduerſus libros hæreticorum latam eſſe eo anno à Iulio III. cùm iam idem prohibitum fuiſſet varijs conſtitutionibus, quas iuxta temporis ſeriem retulerunt Coriolanus *in Breuiario chronol. anno 1545.* Grethſerus *d. lib. de iure & more prohibendi libros*, Theophilus Raynaud. *d. partit. 1. erotbem. 3.* Hæc autem confixio librorum olim fiebat per Epiſcopos: & quidem libri Arrij ab Epiſcopis damnati fuerunt, vt refert Nicephorus *lib. 8. c. 18.* & poſtea Imperator Conſtantinus edicto publico flammis addixit. Similiter Eutychetis libros damnarunt Epiſcopi in Concilio Chalcedon. Idem de Origenis ſcriptis refert Seuerus Sulpitius *dialog. 4. c. 2.* & in Concil. Tolet. 3. Patres Hiſpaniæ damnarunt deteſtabilem librum ab Arrianis editum. Probat Fileſacus *in c. 1. §. 7. de offic. Ordin.* Et licèt ante hæreſim damnatam ab Eccleſia non poſſet Princeps ſæcularis edicto ſuo libros flammis addicere, tamen poſt damnationem Eccleſiæ laudabiliter faciunt ipſi Principes, dum legibus ſuis huiuſmodi librorum abolitionem ſtatuunt, vt fecerunt Imperatores in legibus ſuprà citatis, & *l. 34. C. Theodoſ. de hæret. l. penult. C. de mathematicis, l. vlt. C. Theodoſ. de malefic. Nouell. 42. l. 3. §. 3. C. de ſumma Trinit. l. 10. C. de Epiſcop. aud. l. 6. C. de hæreticis*, & probat Ricciulus *lib. 5. de iure perſon. cap. 22. per totum*; præcipua tamen cura configendi, damnandique libros hæreticorum ſemper Pontificis fuit, vt fecerunt Gelaſius I. Leo I. Gregorius IX. Innocent. IV. & Alexander IV. vt refert Farinac. *de hæreſi q. 180. §. 1.* F. Ferdinand. Caſtillo *p. 1. Hiſtor. Ordin. Prædicat. lib. 2. cap. 53. & 55.* Petrus Gregor. *lib. 12. de Repub. cap. 7. n. 4.* & tandem Sixtus V. tanto negotio Cardinales aliquos præfecit, & congregationem inſtituit pro indice librorum prohibitorum, de qua egit Cohelius *in notit. Cardin. cap. 15. congregat. 10.* In his autem regnis, vbi adeſt Inquiſitor Generalis, ad eum quoque ſpectat facultas prohibendi libros, qui ſunt contra religionem Chriſtianam, & bonos mores, vt conſtat ex ipſo indice, in præfatione, *§. at verò, regul. 1. 4. 5. 6. 7. 8. & 10.* ibi: *Liberum ſit Epiſcopis, aut Inquiſitoribus Generalibus, ſecundùm facultatem quam habent, eos etiam libros, qui in his regulis permitti videntur, prohibere, ſi hoc in ſuis regnis, aut prouincijs, vel diœceſibus expedire iudicauerint.* Proſequuntur alia plura de pœnis retinentium libros damnatæ lectionis, & de illis, qui poſſunt concedere licentiam legendi libros hæreticorum, Mendo, Bordonus, & Caſtropalao, *vbi proximè*, Peña *ad Eymericum, in præſenti.*

Ratione etiam probatur, prohibendos, & abolendos 8 Traditur ratio decidendi.
eſſe Hæreticorum libros; ſi enim viuus ſermo hæretici, eiuſque alloquium deuitandum eſt. Chriſtiano, quia ſerpit vt cancer ſermo hæretici, auctore Apoſtolo, & docentibus D. Cypriano *epiſt. 40. & 55. ad finem*, S. Leone *ſerm. 28* quantò magis ſcriptura, quæ non volat, & momento dilabitur vt verbum ore prolatum, ſed perſiſtit, veluti perennis quidam fons nefariæ doctrinæ in infinitos ſimul mortales, ad quos viua oratio nunquam perueniſſet, cùm in libro perſiſtat anima ipſius hæretici. Pulchrè Themiſtius *oratione 13.* ibi: *Animam ego ſapientis hominis illius ſapientiam eſſe arbitror, ac mentem, atque ſermonem; ſepulchra verò huiuſmodi animarum libros, ac ſcripta, in quibus tanquam in monumentis reconditæ eorum reliquiæ ſeruantur.* Inde libri hæreticorum ſupprimuntur, non ſolùm propter falſam doctrinam quæ in eis docetur, ſed etiam ne remaneant hæreticæ prauitatis veſtigia, ſed flammis combuſta depereant, *leg. damnato, §. nec verò, l. quicunque, §. omnes, C. de hæreticis.* Et cùm hæretici ex librorum editione non niſi imperiti vulgi plauſus expetant, æquum, & iuſtum eſt, vt per librorum ſuppreſſionem hac inani gloria priuentur. Deinde nam libelli famoſi in iniuriam priuati hominis conſcripti ſupprimuntur, & eorum auctores capitali pœna coercentur, *l. vnic. Cod. de famoſis libellis, l. lex Cornelia, § ſi quis librum, ff. de iniurijs, leg. ob carmen, ff. de teſtibus, l. cùm leges, § is cui, leg. fin. ff. de teſtamentis*: probaui: *in can. 52. Concil. Illiber.* Ergo multò magis ſupprimi debent, & comburi libri editi in contumeliam Chriſti, & ſanctæ Matris Eccleſiæ. Alias adducit rationes P. Theophilus *d. tom. 11. in tract. de bonis & malis libris, p. 1. erothem. 3.* Rectè ergo in præſenti docet Gregorius, damnatis Cœleſtio, & Pelagio eorum falſa dogmata damnata, & improbata eſſe.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, qua quoad 9 Diſſoluitur dubitandi ratio.
ſubducendos huiuſmodi libros ſuo tempore nonnullos vſos fuiſſe, teſtatur Thomas Vualdenſis in doctrinis præmiſſis ad Doctrinale fidei antiquæ, *doctrin 16.* & poſtea ab alijs in Belgio impudenter, & doloſè iactatum ſcribit Caſtro *lib. 2. de iuſta hæretic. punit. c. 16.* Nam parum refert in libris hæreticorum aliqua vtilia reperiri, quæ æquiparantur confeſſioni veritatis dæmoniorum, vt inquit D. Auguſtinus *in cap. ſi quid veri, 37. diſt.* nam præterquam quod nihil eſt in libris hæreticorum, ſiue eloquentiam, ſiue materiam conſideres, quod elegantius à pluribus Catholicis non ſit ſcriptum, vt colligitur ex ſancto Irenæo *lib. 3. c. 4.* & probat Caſtro *lib. 2. de iuſta hæretic. punit. c. 16.* Ricciulus *lib 5. de iure perſon. cap. 21. n. 16.* vera, vel bona ab hæreticis dicta, non ſunt ſimpliciter bona, ſed permixta, vt ita ſub ſpecie boni falſa legentibus valeant propinari.

Impia ſub dulci melle venena latent.

Vt conſiderat D. Chryſoſtomus *in Matthæum homil. 47.* Beda *ad D. Marcum cap 2.* & *in comment. ad Cantica, in princip.* quo aptatur illud Virgilij:

Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga:
Frigidus (ò pueri fugite hinc) latet anguis in herba.

Quare propter commixtionem recta iuris ratione huiuſmodi ſcripta reprobantur exemplo falſæ monetæ, quæ quamuis contineat aliquid boni, quia tamen continet etiam malum, reprobatur, *l. 1. & 2. C. de falſa monet. l. eleganter, § qui reprobatus, ff. de pignor. act.* bonum enim commixtum cum malo, non dicitur amplius bonum, ar-

Digitized by Google

gumento legis *adeò,§.cùm quis,ff.de acquir.domin.* Facit, nam non potest dici bonum, vel verum, quod est ordinatum ad suadendum malum, vel falsum, quia finis est ille, qui in rebus attenditur, *l.cùm furiosus,ff.de iudicijs, l.non intelligitur,§.quando,ff.de iure fisci* Vnde prudenter Magnus Carolus V. in edicto suo Vuormatiensi, scripta Lutheri aboleri iussit, tametsi aliqui obtenderent esse in scriptis illis pleraque bona, his verbis: *Non obstante, quod in illis etiam aliqua bona ad fallendas simplicium mentes immixta essent. In quo præter iustam Sedis Apostolicæ sententiam, etiam laudatissimam omninò exequendam veterum PP. institutionem, & consuetudinem omninò exequendam ducimus, qui Arrianorum, Priscillianistarum, Nestorianorum, Eutychianorum, & aliorum hæreticorum libros, & in illis contenta omnia, tam bona, quàm mala promiscuè excusserunt, & annichilarunt; nec id immeritò. Nam si optimi quique cibi vnius tantùm guttæ veneni, qua humanum corpus læderetur, infusione suspecti sunt omninò abijciendi, quantò magis ea scripta, quæ tantis & tam noxijs animabus venenis passim infesta sunt, non solùm vobis cauenda sunt, sed etiam ne alijs noceant, ab omni hominum memoria veniunt oblitteranda. Accedit, quod quicquid boni in Martini libris reperitur, id antea à sanctis PP. quos Ecclesia recepit, & approbauit, facilè dictum, & sæpius repetitum, absque vllius periculi, aut mali suspicione legi, & haberi potest.* Nec obstat quod dicebamus de libris Tertulliani, Origenis, & similium, qui tolerantur ab Ecclesia; nam hoc procedit, quoniam ex illis magis refutantur eorum errores, siquidem ex eorum antecedentibus scriptis sequentia errata deteguntur. Et licèt Hieron. & alij suprà relati libros hæreticorum legerent, id tamen faciebant vt eos refellerent, vt hodie etiam conceditur perdoctis viris, vt improbatos libros ad corrigendum legant. Nec tandem obstat quod de libris Gentilium, & Iudæorum expendebamus, quia similes libri Catholicæ veritati non obsunt; qui enim fidem Christi non ementiuntur, vt sunt Gentiles, non facilè homines ad falsum dogma inducunt, nec possunt per vmbram sanctitatis decipere homines simpliciores; immò ex eorum lectione non leuis vtilitas assequitur ad exponenda, & illustranda tam sacra, quàm canonica scripta, vt probaui *in cap. fin. de ætate, & qualit.*

Sed suprà traditis obstat factum Zachariæ Papæ relatum in ea epistola, quæ est 138. inter epistolas sancti Bonifacij, vbi refertur Zachariam prohibuisse igni tradi libros Adalberti insani hæretici, quos Synodus Romana cremari iusserat. Igitur quia libri hæreticorum non sunt configendi, nec comburendi. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Pontificem prohibuisse libros Adalberti flammis subijci, non vt eorum incolumitati consuleret, sed ad perpetuam confusionem ipsius Adalberti, & eius sectatorum voluit exemplar vnum in scrinijs Romanæ Ecclesiæ seruari, quia libri illi pleni erant impietatibus crassissimis, & apertissimis, Adalbertusque à plerisque colebatur vt Sanctus. Vnde Ecclesiæ interfuit eius libros non prorsus aboleri, vt siquando res ferret, ex operibus probaretur impietas auctoris, vt docuit Theophilus *d. tract. de bonis, & malis libris, erothem.3.n.26.* 10 Exponitur Zacharias Papa in Concil. Roman.

C A P V T V.

a *Ex Concilio Africano.*

ITem constitutum est, vt si quis Episcopus hæredes extraneos à consanguinitate sua, vel hæreticos etiam consanguineos, aut paganos, Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem anathema ei dicatur, atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo b recitetur: nec c excusari possit, si intestatus decesserit, quia vtique debuit factus Episcopus, rei suæ ordinationem congruam suæ professioni nequaquam differre.

N O T Æ.

1 a AFricano.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 8. reperiturque textus hic in Codice canonum Ecclesiæ Afric. *can.* 81. prout in præsenti transcribitur, & canon editus fuit in Synodo Carthag. vbi apud Balsamonem, & Zonaram in ordine 84 canon hic ita legitur: *De Episcopis hæreticos, vel Græcos hæredes relinquentibus, similiter definitum est, vt si quis Episcopus hæreticos, aut Græcos, siue sint consanguinei, siue à consanguinitate alieni, hæredes Ecclesiæ prætulerit, etiam post mortem ei dicatur anathema, & nomen eius inter Dei sacerdotes minimè referatur, nec possit excusari, si intestatus excesserit, quoniam cùm factus est Episcopus, iustam debet facere rerum suarum dispositionem suæ professioni conuenientem.* Pro præsentis autem inscriptionis expositione repetenda sunt quæ adduxi *in cap.1. de arbitr.*

2 b Recitetur.] Inter Missarum solemnia, cum ex diptyca nomina Episcoporum defunctorum recitabantur: sciendum enim est, iam à temporibus Apostolorum diptychas in vsu fuisse. Est autem Diptychon Ecclesiasticum tabula, in qua nomina Episcoporum Catholicorum, sacerdotum, ac fidelium benefactorum Ecclesiæ scribebantur, quorum nomina solebant recitari inter Missarum solemnia, vt constat ex epistola Ægyptiorum Episcoporum ad Anatolium Patriarcham CP. ibi: *Diptychon est, in quo venerabilium piæ memoriæ transitus ad cœlos habentium Episcoporum vocabula habentur, quæ tempore sacrorum mysteriorum secundùm Sanctorum regulas leguntur.* Ex Alcuinio *lib.de celebrat. Missar.* ibi: *Post ergo illa verba, quibus dicitur, In somno pacis, vsus fuit antiquorum, sicut etiam vsque hodie Romana agit Ecclesia, vt statim recitarentur ex diptychis nomina defunctorum.* Et tabula hæc duplex erat, quarum vna viuorum, altera mortuorum nomina continebat, vt ex eis in sacrificio Missæ nomina recitarentur. Dionysius *de Eccles. hierarch. c.3.* ibi: *Et cùm se mutuò omnes salutauerint, mystica sacrarum tabularum recitatio fit.* Ex prima recitabantur nomina Episcopi superstitis, Regis, seu Imperatoris, vt probaui *in c. de celebrat. Missar.* & eius qui oblationem faciebat. Concil. Illiber. *can.29* ibi: *Energumenum, qui ab spiritu erratico agitur, huius nomen ad altare cum oblatione non esse recitandum.* Et *c. sanè 24. q.6. c. obest 50.11.q.3. c. visum, de consecr. dist.* 3. Concil. Emeritense *can.* 19. *Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesijs, in quibus Presbyter iussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo procuret offerre; & eorum nomina, à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesijs videntur, aut visi sunt contulisse, si viuentes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: quod si ab hac discesserunt, aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo in ordine.* Innoc. *epist.* 1. *ad Decentium*, D. Chrysostom. *in sua liturg.* ibi: *Diaconus incensat in circuitu sacram mensam, & diptychas; defunctorum autem, & viuorum vti vult memoriam facit* Vnde colligitur, non ideò diptycham dictam esse, quòd gemini essent libri, vnus viuentium, alter mortuorum, vt existimauit Meursius in suo Lexico Græco-Barbaro, verbo *Diptycha*; cùm vnus idemque liber vtrorumque nomina continere soleret, & duabus tabulis constaret, vt probat Rosueidus *in Onomast. verbo Diptycha.* Viuorum, qui diptychis ijs inscribi solebant, meminerunt Concil. Chalcedon. *act.* 11. Ioannes Diaconus *in vita sancti Gregorij, lib.4.c.23* Ad diptycham autem defunctorum spectant 6. Synodus *act.* 13. ibi: *Hos sanctæ memoriæ tres viros, id est Thomam, Ioannem, & Constantinum præuidimus in indemnitate manere, atque in sacris diptychis sanctarum Ecclesiarum recitari.* Theodoretus *lib.5. Eccles. Histor. c.* 35. Cyprianus *epist.* 37. *ad Clerum: Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationem eorum inter memorias martyrum celebrare possimus* Iustinianus Imperat. *in epist. ad 5. Synodum generalem*, quæ est CP. 2. ibi: *Sicut & eos, qui iniustè condemnati sunt, reuocauerunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt.* Permansit huius ritus commendandi tam viuos, quàm defunctos in Missa consuetudo hodie in canone Missæ, cùm primò viuentium in priori *Memento*, deinde defunctorum in secundo mentionem facimus; plura

ra de ipsis diptychis, & earum vsu congesserunt Stephanus Durantius *de ritibus Ecclesiæ c.* 43. Angelus Roca *in not.ad Sacram.D.Gregor.columη.*64.P Higuera *in notis ad Luitprandum in diptych.* Tolet.Rosueid.ad vitas Sanctorum PP. *in Onomast. verbo Diptychon*, Menardus *ad concord.regul.c.*4.Baronius *to.*6 *anno* 430 *&* 518. Berterius Pithanon *diatr.*2. Christophorus Brouberus *in notis ad lib.*10. *Venantij*, Vargas *in notis ad Luitprandum, Chron. fol.*11.Altesserra *de Ducibus c.*17. Castro *de iusta hæretic. punit lib.*2.*c.*20 Conradus Brunus *lib.*5.*de hæret.c.*17.Peña *ad Eymer.*2.*part.comm* 4.*pag.*99. Petrus Herodius *rer. iudic.lib.*1.*tit* 6.*c.*22.Andreas Saufay *in apparat.ad Martyrol.Gallic.c.*8.*&* 9.Hallier *de Hierarch.Ecclesf.lib.*4 *art.* 6 §.2.Ant.August.*in epit.iur.lib.*18.*tit.*12.Albaspin.*lib.*1 *obser.c.*7.Loaysas *in not.ad Concil.Tolet.*11.*can.*12.Pamelius *in not. ad Cypr. epist.*10. Zerda *in aduers. c.*143. Cironius *ad tit de baptism.*Lantdmeter.*lib.*2.*de veteri monach. c.*81.Lindemb.*in Glossar.leg.antiq.verbo Nominum recitatio*,Crespetius *in summa, verbo Nomen*, Durant.*de Missæ ritib.lib.*2.*cap.*43 Gabriel Albaspineus *lib* 1 *obseru.cap.*7.

3 c *Nec excusari possit.*] Zonaras in notis ad hunc canonem agnouit difficultatem horum verborum, & ita existimat posse interpretari, si ab intestato moriatur Episcopus omni defensione priuatus, si non distribuerit competenter bona sua, cùm oporteat alium facere inuẽtarium rerum mortui Episcopi competens, siue debitum eius admonitioni; admonetur etiam, inquit, creatus Episcopus canones seruare, qui iubent vt pauperum, & hospitum amici sint, & liberales. Sed rectiùs Balsamon in scholijs ad hunc canonem ait, testamentum hoc casu tanquam contra leges factum, nullum esse, & hæreticos, seu Paganos hæredes institutos, nihil ex eo capere posse, ita vt Episcopus ab intestato decessisse videatur; nec tunc posse conqueri, quod ab intestato decesserit; cùm debuerit, dum superstes fuit, de bonis suis disponere, aut ritè de eis testamentum condere, capaces hæredes instituendo, non verò incapaces, vt sunt hæretici.

COMMENTARIVM.

4 *Conclusio traditur, & probatur* EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Episcopus hæredem instituens hæreticum, seu paganum, consanguineum, vel extraneum, etiam post mortem anathematizatur, & nomen eius ex diptycha defunctorum tempore Missę non recitatur.* Probant eam textus *in c. in eos* 6.*hoc tit.*Concil.Constantinop.2.quod 5 Oecumenicum dicitur, *collat.* 5. ibi: *Sextilianus Reuerendissimus Episcopus de Africana prouincia, vices agens Primosij religiosissimi Episcopi Carthaginensis, & in medio stans hæc dixit: Quoniam proposita sunt sancta Euangelia, & oportet vnumquemque ea, quę sunt suæ scientiæ, ad propositam quęstionem pertinentia facere manifesta, doceo sanctum vestrum Concilium, quod anterioribus temporibus in nostra prouincia multi Episcopi congregati, & quædam de diuersis causis ad ecclesiasticum statum pertinentibus disponentes, statuerunt de Episcopis defunctis, qui hæreticis suas facultates relinquunt, ita vt post mortem anathemati subijciantur.* Illustrant eam Iustel *in notis ad can.* 81. *codic. Ecclesf. Afric.* Zonaras & Balsamon *in schol.ad can.*84. *Concil. Carthag.* Cironius *in parat ad tit.de testam* Mendoza *lib.* 3.*Concil. Illiber.c.*60.Albaspineus *lib.*1.*obseru.cap.*7.Thomas Delbene *part.*1.*de offic.Inquisit.dub.*147.*coroll.*3. Suarez *de fide, disp.*18. *sect.*6.*num.*9.

5 *Impugnatur traditi assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Episcopus dominus est non solùm bonorum proprij patrimonij, verùm & fructuum sui Episcopatus, vt probaui *in cap.* 1. *de testam.* Igitur potest de eis testamentum condere, & quos voluerit, hæredes instituere, tam consanguineos, quàm extraneos, siue Hæreticos, siue Paganos. Augetur difficultas hæc ex eo, nam etsi Episcopus peccaret hæredes instituendo hæreticos, aut paganos, tamen non ideò post mortem excommunicari debebat; nam crimina morte extinguntur, scilicet cùm reus vinculis corporis naturali dissolutione digressus est, *cap.quorundam,* 23 *dist.l.contra.* §. *his qui ad maius, ff. de re iudic.l.*3.*l.defuncto* 6 *ff.de public.iudic.l.ex iudiciorum* 20.*ff.de accusat.l.si pœna* 20.*ff.de pœnis,l.*1.*ff.de priuat.delict.l.constitutionibus* 33.*ff.de O.& A.l.* 1.*&* 2. *C. si reus, vel accusator, cap. admonere* 32. *quæst* 2. *cap.causam, el* 2. *qui fil. sint legit. cap. à nobis, el* 2. *de sent. excommun l.* 7. *tit.*8. *part.*3. *l.*7. *&* 23. *tit.* 1. *partit.*7. Probant D. Thomas 2.2 *q.* 104 *art.*1.Simanchas *in enchirid tit.*62, *num.*1. & *de Catholic.tit.*18.*num* 2.Carena *de offic. Inquisit.par.*2. *tit.*19.§.1 *num* 1.Donel.& Cuiac.*in l.vnic.C.ex delict. defunctor.*Ant.Gomez *lib.*3.*var.cap.*1.*n* 77.*&* 85 vbi plures Ayllon, Petrus Barb *in l.filius* 15.*ff.de iudic.*Robertus *lib.* 1.*rer.iudic cap.*10.Pichardus *in* § *non autem, Instit.de perpetuis, & temporal* Schifordeg *ad Fabrum lib.*1.*tract* 10. *quæst.*10 Amaya *in l eorum, C.de iure fisci, n.*4 *lib.*10 Vnde contra defunctum sententia proferri non potest, *l. de qua re* 74.§.*cùm absentem, ff. de iudic l in summa* 49. §.*fin. ff.de re iudic.*iunctis traditis à Mastrillo *decis.*137. Cabedo *decis.*196. Nam cùm qui moriuntur, quasi ad superius tribunal adducantur, iuxta Glossam *in cap* 1.26.*quæst.*7. à iudicio humano subtrahi debent, *cap. quorundam, cap. epistola,* 23. *dist.* Hadrianus II. in epistola ad Carolum Caluum: *Atque de his, qui ad Dominum migrauerunt, nobis facilè iudicare non licet; cùm enim in manu Dei iudicis consistant, humanis definitionibus quidquid de his tribuatur, non solùm præsumptionis, sed & damnationis est pronius iudicium.* Accedit ratio Pauli *in l. si pœna* 20. *ff. de pœnis*, ibi: *Quia pœna constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo, in quem constitui videtur, desinit.* Quam illustrant Solorzanus *lib.*1.*de parricid. c.* 1. *&* 2. Amaya *vbi suprà, n.*7.& *lib.*2.*obseru. c.*4.*n.*1. Guazinus *defensione* 35. *cap.*27 Philippus Camerarius *operis success. cap.* 4. quod in excommunicatione infligenda præcipuè procedit; nã excommunicato prohibetur communicatio cum fidelibus, ad hoc vt rubore suffusus citiùs à peccato resipiscat, *cap.piæ, de sent. excom. lib.* 6. Quæ ratio cùm cesset in mortuo, propterea quod non est amplius capax pœnitentiæ, *c.qualis,* 26.*dist.* excommunicatio cessare debet, *ex l. adigere,* §. *quamuis, ff. de iurepatron.*

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cuius ratio prouenit ex eo, nam hæretici prohibentur capere aliquid ex testamento, & quocumque successionis modo, in detestationem tanti criminis, *ex c. sequenti, l. Manichæos, Authent.credentes, l. Arriani,* §.*cunctos, l. quę de Samaritanis, C. hoc tit.l.*16.*tit* 1.*partit.*6.*l.*4. *tit.*26.*partit.*7. *cap.excommunicamus,* § *credentes, hoc tit.* Probant Simancas *de Cathol.tit.*46.*n.*56.Roias *de hæretic. sing.*79.Tiber Decianus *lib.*5.*tract.crim.cap* 44. Farinac. *de hæresi, quęst.*179.*num.*94.Quesada *quęst.*18.*per tot.* Riciulus *de iure person.lib.*5 *cap.*27.Mieres *de maiorat.part.* 1.*quęst.*1.*num.*131.Sanchez *lib.*2.*summę, cap.*14.Azor *par.* 1.*inst.lib.*5.*c.*8 *q.*1.Vasquez *in* 1.2 *quęst.*9.*art.*5. Vnde cùm Episcopus, cui specialiter ratione officij competit exstirpare hæreses, vt probaui suprà *in cap.* 2. hæreticos instituit hæredes, siue consanguineos, siue extraneos, quia quodammodo eos fouere videtur, excommunicationem incurrit, cuius ratione etiam post mortem anathematizari valet; id enim importat dictio illa *saltem*, qua innuitur, quod si adhuc Episcopus viueret, excommunicandus erat; sed quia iam decessit, saltem post mortem ei anathema dicatur, quia excommunicatus decessit: cui pœnæ consequens & illa est, videlicet, vt nomen eius ex diptycha defunctorum non recitetur; nam illorũ Præsulum, qui in hæreseos suscipione, vel pertinacia erant defuncti, nomina ex huiusmodi sacris tabulis eradebantur. Vnde sexta Synodus Patriarcharũ, qui Monothelitarum impium dogma propugnauerant, effigies de Ecclesia iussit auferri, eorumq; nomina ex sacris diptychis obliterari: *Deinde abstulerunt de diptychis* (ait Anastasius in Agathone) *nomina Patriarcharum, vel de picturis Ecclesiæ figuras eorũ, idest Cyri, Sergij, Pauli, Pyrri, Petri, per quos error Orthodoxę fidei vsque nunc pullulauerat.* Iustin Imperator in confessione rectę fidei aduersùs tria capitula, seu in edicto de fide Catholica, quod habetur post 5.Synodum, ibi: *Itaque & omnis plenitudo Mopsuestenæ Ecclesię, in qua Episcopus dicitur fuisse, cùm inuenisset quod Paganis, & Iudæis, & Sodomitanis à sanctis Patribus connumeratus est, deleuerunt ipsi ex illo tẽpore è sacris Ecclesię diptychis eius nomen.* Plura Baronius *to.*7. *anno* 518. *&* 519. Nec modò hęreticorũ, sed eorum quoq; Præsulũ, qui graui famę macula laborauerant in moribus, nomina è sacris diptychis proscribebantur. Quamobrẽ Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, decessoris sui Ebonis depositi nomen in diptychis adscriptũ securè se tolerare, vel recitare posse non existimauit, nisi Sedis Apostolicę more recepto suæ Ecclesiæ accederet auctoritas: quare consuluit Nicolaum Pontificem in hæc verba: *Denique prefato Ebone defuncto, Ecclesia, sed & parochia nostra secundùm consuetudinẽ, quã ex antiquo habuit (etiã de his, qui in Episcopatu vsque ad obitum in eadem Ecclesia non perman-*

6 *Traditur ratio decidendi.*

manserunt) ipsius nomen inter sacrosancta mysteria in Episcoporum catalogum recitare pietatis gratia cœpit, & hactenus fecit: quod ego ne scandalizarem deuotos, quasi inuidens saluti fraternæ, maximè autem quiescentis in Domino animæ, qui non pro exorbitatione in Catholicę fidei sanctitate, sed sua conscientia stimulante primùm à se ipso, & postea à Synodo, sed & Apostolica Sede damnatus extitit, hoc prohibere sine Apostolicæ Sedis auctoritate nequaquam pręsumpsi: dicente B. Cœlestino Papa, quia nefas est hæc pati religiosas animas, quarũ afflictione (quia membra nostra sunt) nos quoque conuenit macerari. Rescribere mihi dignetur Apostolica vestra auctoritas, vtrum eundem Ebonem inter Episcopos in sacris diptychis in Ecclesia nostra nominare permittam; anne de cætero in Episcoporum catalogo nominetur, prohibere debeam. Refert Sausay *in apparat. ad Martyr. Gallic. c.*8. alia dat Altesserra *d. c.*17. Meritò ergo cùm in præsenti casu Episcopus hæredes instituens hæreticos, consanguineos, vel extraneos, foueret hæreticos, in excommunicationemque incideret, ideò eius nomen non recitatur inter Missarum solemnia.

7 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam præsens textus accipiendus est de Episcopo, qui testamentũ condidit de bonis patrimonialibus, de quibus licèt inter extraneos, aut consanguineos disponere licitè, & validè possit, iuxta tradita *in c.* 1. *de testam.* tamen hæreticos instituere non poterat, non ex defectu dominij, quod verũ in ipsis bonis habebat; sed propter incapacitatem hæreticorum, qui testamenti factionem passiuam non habent, vt suprà probaui, & dicam infrà in sequenti capite. Nec obstat primum augmentum ipsius difficultatis, nam licèt crimina regulariter morte extinguantur, tamen cùm delicta grauiora sunt, vt læsæ Maiestatis diuinæ vel humanæ, etiam post mortem rei ad inquisitionem, & punitionem proceditur, *cap. sanè*, 24. *quæst* 2. *c. accusatus, c. filij, §. in eo, hoc tit. in* 6. *l. Manichæos, C. de hæret.* Concil. Biterrense *can* 18. *l* 4. *§ in mortem, C. hoc tit. l* 3. 4. *& vlt. C. de apostat.* Quod circa Hæreticos non caret exemplis, siquidem Origenes 200. annis post mortem damnatus fuit. Socrates *lib.* 6. *c.* 5. Item Theodorus Monsatenus in Synodo 5. generali, vt probat Facundus Hermien *pro defensione trium capitulorum Concilij Chalced. lib.* 8. *cap* 5. & *lib.* 10. *cap.* 4. Ex quibus locis petenda est vera explicatio capitum 5. & 7. 24. *quæst.* 2 Plura Simanchas *de Catholicis instit. cap.* 4. *num.* 4. Torreblanca *lib.* 13. *de iure spirit. cap.* 6. Transmiera *in stimul. fidei, quæst.* 6. *cap.* 2. vt similium memoria reorum damnetur, *l si quis filio* 6. *§.* 8. *ff. de iniusto rupto, l. cùm hic* 32 *§.* 5. *ff. de donat. inter, l. cùm filius* 76. *ff. de legat.* 1. *§ fin. l.* 6. *&* 7. *C. ad leg. Iul. maiest. § interdum, Instit. de hæredit. quæ ab intestato.* Amaya *suprà*, Barbosa *in l. filius, num.* 17. *ff. de iudic.* Vela *dissert.* 11. *num.* 59. Carena 2. *part. tit.* 19. *§.* 1. Ant. Leoncil. *decis.* 82. *num.* 2 P. Herodius *lib.* 1. *rer. iudic. tit.* 6. *cap.* 22 & ex Magistratuum albo nomen eradebatur. Tullius *in oratione pro Sexto*, ibi: *Sic appellandi sunt Consules, quos nemo est, qui non modò ex memoria, sed etiam ex fastis euellendos non putet.* Hoc modo legimus apud Suidam, sub Imperatore Archadio Eutropium ex Consulum albo deletum: & apud Nicephorum Calixtum *lib.* 3. *histor. Eccles. cap.* 4. ibi: *Lex autem opera eius lata, ex publicis monumentis sublata, & nomen eius è catalogo, & nomenclatura Consulum expunctum est.* Cassiod. *lib* 10. *histor. tripart. c.* 4. & de ipso Imperatores Arcadius & Honorius *in l* 17. *Cod. Theodos. de pœnis*, ita sanxerunt: *Vt eiusdem vniuersis actibus antiquatis, omnia mutescant tempora, nec eius enumeratione sæculi nostri labes appareat* Et sub eisdem Imperatoribus funestorum Consulum nomen aboleri iussum est, vt eorum tempus quasi non fuerit, æstimetur, *l. valeat* 9. *Cod. Theodos. de confirm. ijs quæ sub tyran.* Referunt Socrates *lib* 6. *histor. c.* 5. Marcellinus Comes *in chron.* Claudianus *lib.* 2. *in Eutrop.*

Illicitas Consul pœnas te Consule soluit:
Annus qui trabeas, hic dedit exilium.
Infaustum populis in se quoque vertitur omen:
Sæuit in auctorem prodigiosus honor.
Ablato penitus respirant nomine fasti.

Vnde fluxit, vt annus ille non nisi nomine Theodori Consulis signaretur, vt testatur Suidas, indicantque Theodosiani Codicis plures constitutiones, quibus Theodori Consulis nomen in temporis annotatione solummodò inuenitur, explosa Eutropij Consulis memoria, vt videre est *in l.* 15. *C. Theodos. de Pagan. l.* 28. *de nauicularijs, l.* 1. *de nauibus non excusandis, l.* 11. *de agentibus in rebus, l.* 19. *C. de Iudæis, l.* 35. *de hæretic. l.* 58. *de appellat. l.* 34. *de Episc. & Cleric. l.* 6 *de quæstionibus, l.* 161. *de Decurionibus*, & sexcentis alijs. Facit Leo Magnus *epist.* 38. *ad Anatolium*, ibi: *De nominibus Dioscori, & Iuuenalis, & Eustachij ad sacrum altare non recitandis dilectionem tuam hoc decet custodire, quod nostri ibidem constituti faciendum esse dixerint, quodque honorandæ S. Flauiani memoriæ nõ repugnet, & à gratia tua Christianæ plebis animos non auertat. Nam iniquum nimis est, atque incongruum, eos qui innocentes & Catholicos sua persecutione vexarunt, Sanctorum nominibus sine discretione misceri: sicut è contra æquum est, vt Catholici, qui in vita ab hæreticis condemnati, ab Ecclesijs suis eiecti, & ecclesiastica sepultura, vel inter Sanctos memorię honore destituti sunt, restituantur.* Hermanius *lib.* 10. *Dicunt probare se posse, nescio quos hæreticos post mortem fuisse damnatos.* Rigord. *de gestis Philip. Augusti*, de Amalarico: *Etiam post mortem fuit excommunicatus, & condemnatus, & à cęmeterio sacro deiectus, & ossa, & cinis eius per sterquilinia sunt dispersa* Varia exempla refert Ioannes Cantuachuzen. *lib.* 4. *c.* 23. Sic memoria Origenis post ducentos annos damnata fuit opera Theophili Episcopi Alexandrini, teste Socrate *lib.* 7. *Eccles. hist.* sicut è contrario Leonis, Flauiani, Euphemij, Pauli, Ioannis Chrysostomi, aliorumque Sanctorum Patrum nomina, qui ab hæreticis damnati honore destituti fuerant, post mortẽ restituti sunt, vt refertur *in histor. tripart. lib.* 10. *c.* 18. nam restitui, vel conseruari memoriam post mortem vsitatissimum fuit, sicut & aboleri ob grauia delicta: hinc conseruata est memoria Lucano Poetæ à Nerone, qui eum supplicio affecerat, quæ Romæ ita legitur: *M. Æneo Lucano Cordubensi Poetæ beneficio Neronis Cæsaris fama seruata.* Hinc etsi Senatusconsultum Pegasianum dicatur factum Pegasio, & Pusione Consulibus *in §. sed quia, Instit. de fideicommiss. hæredit.* & Trebellianum Trebellio, Maximo, & Seneca Consulibus, *l.* 1. *ff. ad Trebel.* tamen nomina Pegasij, Pusionis, & Senecæ non reperiuntur in fastis Consularibus, quia cùm eorum memoria damnata esset, nomina ex ipsis fastis erasa fuerunt, vt notauit Fornerius *lib.* 2 *rerum quotid. c.* 18. & plura de tyrannorũ nominibus deletis è publicis tabulis congessit Baronius *anno* 98. *num.* 4. 206 *num* 1. 309. *num.* 2. 314. *n.* 2. 394. *n.* 1. 408. *num.* 6. 410. *num.* 1. & 424. *n.* 1. Nec tantùm nomina similium reorum ex publicis tabulis eradebantur, verùm & ipsorum effigies, & statuæ deijciebantur, titulique luto deturpabantur, *l. eorum* 24 *ff. de pęnis*, Tacitus *lib.* 5. *annal.* ibi: *At Romę principio anni, quasi recens cognitis Liuię flagitijs, ac non pridem etiam punitis, atroces sententię dicebantur in effigies quoque, & memoriam eius.* Idem Liuius *lib* 11. ibi: *Ac primùm in vestibulo effigiem patris Silij consulto Senatus abolitam demonstrat.* D. Ambrosius *de interpel. lib.* 3. *c.* 10 *Vide quemadmodum in ciuitatibus bonorũ Principum imagines perseuerent, deleantur imagines tyrannorum.* Suetonius de Domitiano mortuo: *Senatus adeò lætatus est, vt repleta certatim Curia non temperaret, qu in mortuum contumeliosissimo acclamationum genere laceraret; scalas etiam inferri, clypeosque, & imagines eius coram se trahi, & ibidem solo affigi iuberet, nouissimè eradendos vbique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Lamprid. in Eliogabalo: *Misit qui & in castris statuarum eius titulos luto tegerent, vt fieri solet de tyrannis.* Capitolinus *in Gordiano*, ibi: *Appellato igitur Gordiano Imperatore, iuuenes qui auctores huius facinoris erant, statuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraserunt.* Illustrant Reuardus *lib.* 3. *coniect. cap.* 16. Altamiranus *de filijs official c.* 17. Turturetus *in parallelis, cap.* 27. Desider. Herald. *lib.* 1. *de auctor. rei iudic. c.* 13 *ad finem*, Durant. Casellius *lib.* 2. *var. c.* 16. Lypsius *ad Tacitum lib.* 6. *annalium, pag.* 235. Gentilis *de coniurat. lib.* 1. *pag.* 85. Beroaldus *ad Suetonium in Domitiano, c.* 13. *& vlt.* Opingius *de iure insign. cap.* 21. *n.* 260. Spondanus *anno* 98. Reuardus 3. *coniect cap.* 16. Rectè ergo in præsenti cùm Episcopus tanquam suspectus de hæresi excommunicatus decessisse credatur, ideò post mortem anathematizatur, & nomen eius à diptychis Ecclesiæ eraditur.

Nec obstat vltimum augmentum ipsius difficultatis, pro cuius solutione sciendum est, valdè controuersum esse inter Doctores, an defunctus excommunicari possit? In qua quæstione ob crimen hæresis, & similia defunctos excommunicari posse tenuerunt Glossa *in præsenti*, 8 De anathemate post mortem.

ver-

bo Poſt mortem, & *verbo Permittatur, in cap. Iudæi, de Iudæis*, Richardus *in 4. diſt.18. art.5. q.4.* Gabriel ibidem *q.2. art.2. corollar.4.* Et ita ſæpiùs hæreticos poſt mortem anathematizatos legimus *in 5. Synodo Conſtantinopol. act.5. ad medium*, & *act.8. poſt principium*, vbi agitur de condemnatione Theodori heretici iam mortui: & in Nicæn.2. *in epiſt. Synod. ad Conſtantium, & Iren.* vbi plures hæretici mortui anathematizantur: apud Cyrillum *lib. 1. de eo quod vnus eſt Chriſtus*, & *in epiſt. ad Marcianum*. D. Auguſt. *ad Bonifacium*, & *ad Cecilianum:* apud Iuſtin Imperatorem *in epiſt. ad Ioannem Papam II.* quæ extat inter acta Synodi 5. *cap.6.24.q.2.* vbi refertur, quod Synodus Theodorum poſt mortem anathematizauit; nec id nouũ eſſe, ſed iam olim vſitatum in Valentino, Baſilide, Marcione, Cerintho, Manichæo, Eunomio, & Bonoſſo: idem vſus probatur teſtimonijs Synodi Chalcedon. Socrates *lib.6. c.10.* & *7. c.4.* Nicephor. *lib.7. hiſtoriæ, c.27. & 28.* Liberat. Carthag. *c.13. ſui breuiculi*, quæ referunt Origenem poſt mortem anathematizatum fuiſſe. Ex quibus praxim hanc Eccleſiæ probant Pamelius *in epiſt.66. D. Cypriani*, Ant. Auguſt. *in epit. iuris, lib.11. tit.11.* Contrariam verò ſententiam, ſcilicet non poſſe defunctum excommunicari, tenuere communiter tam Theologi, quàm Canoniſtæ, quos referunt Caſtro *lib.2. de iuſta hæretic. punit. c.19. & 20.* Couar. *in cap. alma, 1. part. §.11. n.8.* Theophilus *tom.14. de Litter. monitorijs, lib.2. cap.2. fol.415.* Suarez *de cenſur. diſp.5. ſect.1. num.3* Auila *eod. tract.2. part. c.4. diſp. vnic. dub.8* Bellarminus *lib.1. de indulg. c.24 q.2* Azor *part.2. inſtit. lib.5. c.26. q.2.* Villalobos *tract.16. difficult.14.* Gibalinus *de cenſur. diſquiſit. 3. q.2. conſect.15.* pro quibus faciunt textus *in cap.1. cap. legatur*, & alij cungeſti à Gratiano *in cauſa 24. quæſt.2.* & ea ratio, nam mortuus non eſt amplius ſub iuriſdictione Eccleſiæ, quæ nec ligare, nec abſoluere poteſt, niſi viatores, non verò iam vita functos, vt neruosè probant Leo Magnus *epiſt 90.* aliàs *92.* ad Ruſticum Narbonenſem: Gelaſius Papa *epiſt.4. & 11*, Facundus Hermianenſis *lib.8. pro tribus capitulis, c.2.* & *lib.10. c.4.* Sed in hoc Interpretum diſſidio ſequentes caſus diſtinguendi ſunt. Primus cùm agitur de defuncto cenſuris eccleſiaſticis afficiendo, poſt mortemque damnando, ob delictum in vita perpetratum; & talis condemnatio iuri repugnat, cùm non detur ſubiectum capax, in quod feratur cenſura. Secundus eſt, cùm ipſe propter crimen in vita admiſſum, aut in ſupremo vitæ ſpiritu conſummatum, excommunicationem ab homine, vel à iure impoſitam contraxit, & ita deceſſit; nam talis peccator poteſt poſt mortem excommunicatus declarari quoad ſecundarios effectus, quorum defunctus capax eſt, veluti ad ſepulturam eccleſiaſticam, ſacrificia pro eo non offerenda, eraſionem nominis ex tabulis Eccleſiæ, & ſimilia. Ratio verò quare licita ſit huiuſmodi ſententia declaratoria, petenda eſt ex diſcrimine quod verſatur inter ipſam, & ſententiam condemnatoriam; nam ſententia hæc reſpicit tempus præteritum, & declarat delictum fuiſſe commiſſum, atque pœnam iure ipſo fuiſſe incurſam: at verò ſententia condemnatoria reſpicit tempus præſens, & pœnam de nouo imponit: quare ferri non poteſt, niſi in perſonam, in quam iudex exercet ſuam iuriſdictionem: itaque poterit defunctus declarari excommunicatus, licèt excommunicari non poſſit. Nec hæc ſententia declaratoria excommunicationis ante mortem incurſæ reſtringi debet ad crimen hæreſis, vt voluit Gloſſa in præſenti; nam eadem ratio militat in cæteris criminibus, quibus annexa eſt excommunicatio; ſi enim quis illam incurrat, quamuis occultè, poterit deinde poſt mortem declarari excommunicatus, vt docuerunt Gibalinus *d. conſect.5.* Coriolanus *in notis ad Concil. Afric.1. anno 257. fol.25. Summæ.* Hucuſque tradita de excommunicatione defuncti, intelligenda etiam ſunt de eius abſolutione à cenſura, quam viuens contraxit. Et Eccleſiam ſolitam eſſe eam abſolutionem mortuis impendere, conſtat *ex cap. à nobis 28. cap. ſacris, de ſentent. excomm.* Concil. Arelat.2. *can.12.* Concil. Vaſenſi *can.11.* Tolet.11. *can.12.* & alijs relatis ab Albaſpineo *lib.1. obſeru. cap.10.* Exemplis illuſtrat Rouſſelius *lib.8. hiſt. Pont. iuriſd. c.1. nu.28.* Vnde Conſtantinus Porphyrogenita, cùm Leo pater eius eſſet excommunicatus, petijt à Patriarcha, & Epiſcopis, vt patri ſuo etiam poſt mortem communi decreto delicti remiſſionem concederent, vt refertur in Concilio apud Trosleiam. Anno 921. Erlebaldus Comes excommunicatus, poſt mortem abſolutus fuit, vt refert Flodoardus *lib.4. hiſt. c.16.* ex quibus conſtat, redditum fuiſſe defunctis ius communionis, quo priuati deceſſerant, admittendo ad altare oblationem pro eis factam: quæ abſolutio non tam cadit in ipſum mortuum, quàm in viuos, quibus permittitur exercere actiones aliquas circa defunctum, quæ ratione excommunicationis, in qua deceſſerat, licitæ non erant, eo quòd cum mortuis communicamus per huiuſmodi actiones, videlicet eccleſiaſticam ſepulturam, & communia ſuffragia, quibus priuatur excommunicatus defunctus æquè ac viuus, etiamſi in ſtatu gratię deceſſerit, vt probaui *in cap. ſacris, de ſepultur.* quod facilè probatur ex probatiſſimis hiſtorijs, & SS. actis de mortuis excommunicatis, qui viſi ſunt aut tumulo abſcedere, aut ex templo exire, dum diuina officia celebrarentur, donec abſoluti fuerunt ritu eccleſiaſtico. Quæ exempla congeſſerunt Benedictus Haæphtenus *in vita Sancti Benedicti, c.23* Theophilus Raynaud. *2. part. de litter. monitorijs, c.3. nu.1* per hanc enim abſolutionem reſtituebatur memoria defuncti, vt apud Romanos legimus poſt mortem famam reſtitutam Lucano, & alijs, vt refert Fornerius *lib.2. rer. quotid. cap.19* Sed licèt iuxta proximè tradita textus hic accipi poſſit de declaratione poſt mortem facta, adhuc tamen veriùs credo, in præſenti non agere PP. Concilij Afric. de excommunicatione infligenda, vel declaranda poſt mortem, ſed de anathematizatione, quæ erat tantùm ſeparatio, electioque peccatoris à cęteris fratribus, Epiſcopis, iuſtis qui in pace quieuerunt; hoc enim ſignificare anathema probaui *in cap. cùm non ab homine, de iudicijs*. Dum ergo PP. in præſenti iubent Epiſcopo inſtituenti hæreticos, ſaltem poſt mortem anathema ei eſſe dicendum, & nomen eius inter Dei ſacerdotes non eſſe recitandum, ſancire videntur, ſimilem Epiſcopum eijciendum eſſe à conſortio, & numero cæterorum Epiſcoporum, nec eius nomen eſſe ex diptychis defunctorum cum alijs fideliter, pièque defunctis recitandum, vt cognoſcatur eum ob tantum facinus anathema eſſe, ideſt ſeparatum, & electum à conſortio, & numero aliorum fratrum, & ſacerdotum.

C A P V T VI.

a Ex eodem.

IN eos, qui Catholici non ſunt, etiamſi conſanguinei fuerint, Epiſcopi vel Presbyteri nihil conferant. Denique hoc, quod de Epiſcopis, & Presbyteris dictum eſt, debet de reliquis clericis exaudiri.

N O T Æ.

a EXeodem.] Ità etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.9.* & canon hic eſt 13. Concilij Carthag.3 in qua Synodo apud Theodorum Balſamon. ordine 25. ita habetur: *Vt Epiſcopi, & clerici in orthodoxos Chriſtianos nihil conferant; & ſi ſint adhuc cognati, nihil per ſuarum rerum donationem, vt dictum eſt Epiſcopi, vel clerici in eos conferãt.* Et *in can.22. Codicis Eccleſiæ Africanæ*, apud Iuſtelum ita legitur: *Et vt in eos, qui Catholici Chriſtiani nõ ſunt, etiamſi cõſanguinei fuerint, per donationẽ verũ ſuarũ Epiſcopi vel clerici nihil conferant.* Cùm enim iure ciuili attento, in hæreticos aliquid donationis, legati, vel inſtitutionis titulo transferri non poſſit, *l.7. C. Theodoſ. de hæretic.* vbi Theodoſius ita ſtatuit. *Si quis Manichæus, Manichæaue ex die latæ dudum legis, ac primitus à noſtris parentibus, in quamlibet perſonam condito teſtamento, vel cuiuslibet titulo liberalitatis, atque ſpecie donationis transmiſit proprias facultates, vel quiſquam ex his addita per quamlibet ſucceſſionis formã collatione ditatus eſt; quoniã iiſdem ſub perpetua iuſtæ infamiæ nota teſtandi, ac viuendi iure Romano omnem protinus eripimus facultatem, neque* eos

Digitized by Google

eos relinquendæ, aut capiendæ alicuius hæreditatis habere finimus potestatem, totum fisci nostri viribus imminentis indagatione societur. Quam legem ad Donatistas protrahi voluerunt Patres ipsius Concilij Carthag. *in cau.93. Synodi Africanæ*, per hæc verba: *Petendum etiam, vt lex, quæ hæreticis, vel ex donationibus, vel ex testamentis aliquid capiendi, vel relinquendi denegat facultatem, ab eorum quoque pietate hactenus repetatur, vt eis relinquendi, vel sumendi ius adimat, qui pertinaciæ furore cæcati, in Donatistarum errore perseuerare voluerint. Cæterùm illis, qui consideratione vnitatis, & pacis se corrigere voluerint, absque interdicto huius legis capiendæ hæreditatis aditus pateat, si adhuc in errore hæretico constitutis, aliquid antè donationis, vel hæreditatis obuenit: his sanè exceptis, qui iste pulsati putauerint ad Catholicos trāseundū, quia de talibus credendum est, non metu cælestis iudicij potiùs quàm terreni commodi auiditate vnitatē catholicam præoptasse*. Vnde ad petitionem ipsorum Patrum prædicta Theodosij sanctio repetita fuit ab Honorio *in l.4. C. Theodos. ne sanctū baptisma*, in hæc verba: *Scienij, qui iterare baptisma non timuerint, aut qui cōsentiēdo hoc facinus propria huius societatis permixione non damnauerint, non solùm testandi sibi, verùm adipiscendi aliquid sub specie donationis, vel agitandorum contractuum in perpetuum copiā denegatam*. Quare meritò in præsenti canone idem circa Episcopos & clericos statuerunt, aliqua bona donantes, vel relinquentes hæreticis, ac generaliter statuerunt Imperatores circa laicos instituentes hæreticos, vel quid illis donantes: & etiam laicos eo casu puniri, vt Episcopos & Presbyteros, notarunt Zarabel. *hic*, Ricciulus *de iure person. c.44. n.12.*

C A P V T VII.

Alexand. III. a *Rhemen. Archiepiscopo.*

ET cùm Christus perfectus Deus, & perfectus sit homo, mandamus quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere, Christum non esse aliquid secundùm quod homo: quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.

N O T Æ.

a RHemensi,] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.5.* & post Concil. Lateran. *pars.49. c.20.* De Metropoli Rhemensi nonnulla adduxi *in cap.17. de officio Ordin.*

C O M M E N T A R I V M.

1 IVbetur in præsenti ab Alexandro III. ne quis dicat Christum non esse aliquid, secundùm quod homo; hoc est, ne dicatur, vt Eutyches putabat, nihil manere veræ humanitatis, sed solam diuinam naturam, in quam conuersa substantialiter fuerit natura humana. Hunc errorem Eutychetis sequuti sunt aliqui Magistri scholæ Parisiensis, & Rhemensis, asserentes Christum secundùm quod homo, *esse nihil*, id est, *nihil esse hominis*, siue *humanitatis* in Christo. Immò ipse Petrus Lombardus eiusdem erroris insimulatus fuit, vt notat Coriolan *in summa Concilior. in Lateran.3. celebrato anno* 1179. vbi ait, ab Alexandro III praeceptum fuisse Vuillelmo Senonensi Archiepiscopo, vt adscitis suffraganeis suis, vnà cum illis doctrinam hanc abrogaret, in hæc verba: *Cùm in nostra olim esses præsentia constitutus, tibi viua voce iniunximus, vt suffraganeis tuis Parisijs tibi adscitis, ad abrogationem prauæ doctrinæ Petri quondam Parisiensis Episcopi, qua dicitur, quod Christus secundùm quod est homo, non est aliquid, omninò intenderes, & efficacem operam adhiberes. Inde siquidem est, quod fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod tibi cùm præsens esses præcepimus, suffraganeos tuos Parisios conuoces, & vnà cum illis & alijs viris religiosis & prudentibus præscriptam doctrinam studeas penitus abrogare, & à Magistris scholaribus ibidem in Theologia studentibus Christum sicut perfectum Deum, sic & perfectum hominem, ac verum hominem ex anima & corpore consistentem præcipiat edoceri: vniuersis firmiter, & districtè iniungens, quod doctrinam illam de cætero nequaquam docere præsumant, sed ipsam penitus detestentur*. Agunt contra hunc errorem PP. antiqui, præsertim in Concilio Chalcedon. vbi ad illud confutandum cōgregati sunt 630. Episcopi, quibus præfuit acerrimus propugnator sanctus Leo *in epist. ad Flauianum*: accesseruntque Boetius, & Gelasius *in operibus de duabus naturis*, Vigilius *lib.5. contra Entych.* Theorianus *lib. legat. ad Armenos*, Damascenus, ac Rusticus *in operibus contra Acephalos*, Abucara *opusc.2. & 4.* ac etiam Leontius Byzantinus varijs opusculis, quæ extant *tom 6. Bibliothec Colon.* Theodoretus *tribus dialogis*, & *in speciali opere apud Photium, col.46.* videantur apud eundem Theodoretum in dialogo *Inconfusus Athanasius*, Iustinus. Epiphanius & plures, quos citat. Item Fulgentius *lib 1. ad Trasimundum*, Barbosa *in præsenti*. Impugnant etiam prædictum errorem Theologi DD. antiqui cum Magistro *dist 5. & sequent.* Item recentiores cum S. Thoma 3 *p. q.2. art.1.* vbi speciatim videndi sunt Suarez *disp. 7. sect.2.* Vasquez *disp.14. c.1.* Franc. Amicus *disp 9 sect. 1.* Rodericus Ariaga *disp.19. sect.1* Cardin. de Lugo *disp 9 sect.1.* Bernal *disp.14. sect.1 §.3. à n.18* Hurtado *disp.15. sect.1.* Valentia *disp 1. q.2 puncto 1.* F. Ioannes à Sancto Thoma *disp.4. art.1.* Prudentius *tract.3. disp 1. dub.5. sect.1.* Vulgers *q.1. art.1. n.2.* Gamach *tom.3. q.2. c.1.* Lorea *disp.12. à n.4.* Adam Tannerus *disp.1. quest.3. dub.2* Coninch *disp 7. sect 1.* Martinon *disp 5. sect.3. n.28.* Meracius *disp.10. sect.1.* Dionysius Petauius latissimè *lib.1. de Incarnat. cap.14.* & iterum *tom.2. de Incarnat. lib.10. c.1.*

C A P V T VIII.

Ex Concilio a *Lateran.*

SIcut ait Beatus *b* Leo, licèt ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio, cruentas effugiat vltiones, Catholicorum tamen Principum constitutionibus adiuuatur, vt sæpe quærant homines salutare remedium, dum corporale super se metuunt supplicium euenire. Eapropter, quia in *c* Gasconia, *d* Allegesio, & partibus Tolosanis, & alijs locis ita hæreticorum, quos alij *e* Catharos, alij *f* Patrinos, alij Publicanos, alij alijs nominibus vocant, inualuit damnata peruersitas, vt iam non in occulto, sicut aliqui, nequitiam suam exerceant, sed suum errorem publicè manifestent, & ad suum consensum simplices attrahant, & infirmos: eos, & defensores eorum, & receptatores anathemati decernimus subiacere, & sub anathemate prohibemus, ne quis eos in domibus, vel in terra sua tenere, vel fouere, vel negotiationem cum eis exercere præsumat. Si autem in hoc peccato decesserint, non sub nostrorum *g* priuilegiorum cuilibet indultorum obtentu, nec sub alia quacumque occasione, aut oblatio fiat pro eis, aut inter Christianos recipiant sepulturam.

N O-

NOTÆ.

1 a Lateranensi.] Generali videlicet sub Alexandro III. celebrato, vbi c. 27. reperitur textus hic, & in prima collectione, sub hoc tit. c. 6. prout in præsenti transcribitur. De hoc Concilio nonnulla adduxi in c. nonnulli 27. de rescript.

2 b Leo.] Epist. 93. ibi: Meritò PP. nostri, sub quorum temporibus hæresis nefanda prorupit, per totum mundum instanter egere, vt impius furor ab vniuersa Ecclesia pelleretur, quando etiam Principes mundi ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, vt auctorem eius, ac plerosque discipulos legum publicarũ ense prosternerent: videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem coniugiorum copulã solui, simulque diuinum ius, humanumque subuerti, si huiusmodi hominibus vsquam viuere cum tali professione licuisset, & profecit diu ista distinctio Ecclesiasticæ lenitati, quæ sacerdotali contenta iudicio, cruentas refugit vltiones: seueris tamen Christianorum Principum constitutionibus adiuuatur, dum ad spirituale nonnunquam recurrunt remedium, qui timuerunt corporale supplicium. Facit idem Pontifex relatus à Gratiano in cap. res humanæ, 23. q. 5. Illustrat Chokier lib. 1. thesauri polit. cap. 5.

3 c Gasconia.] Gasconia propriè dicta, vulgò Gascogne, terminatur à Garumna fluuio, & Oceano, complectebaturque Episcopatos Vasatensem, Aquensem, Audurensem, & Lacturensem: de qua prouincia, & Comitibus Gasconiæ videndus est Arnaldus Oienarth in notit. Vascon lib. 2. c. 8.

4 d Aliegesio.] Forsan legendum esse quis dixerit Aginesio. Aginesium enim prouincia est in Gasconia: fines habet ad Orientem Cadurcos, ad Septentrionem Petrocorios, ad Occidentem Guiennam, ad Meridiem Armaniacos. Complectitur duas diœceses, Aginensem & Condonensem Sed legendum est Albigesio; hęresis enim Albigensium in Albigio, seu Albigesio exorta fuit: eius meminerunt Sanderus lib. 7. de visibili Mon. Binius in notis ad Concil. Lateran. sub Innocent. III. Antoninus part 3. histor. tit. 14. c. 3. Vincent. lib. 30. specul. historiæ. Temporibus Friderici secundi Imperatoris, & Innocentij Papæ III. anno Domini 1216. ac primùm in Comitatu Tolosano pullulare cœpit, tantumque inualuit, vt breui interuallo ea infectæ essent mille ciuitates: ita ab Albiga ciuitate Aquitaniæ, quam incolebant, Albigenses dicti fuerunt. Spondanus anno 1198 num. 24. Huius etiam hæresis in Tholosanis partibus ortæ, & in Gasconiam propagatæ, mentio extat in cap. 10. hoc tit in 1. collect.

5 e Catharos.] Eosdem esse Gazaros, ac Catharos, docuit Gothofredus in authent. Gazaros, C. hoc tit. & rectè, nam in ipsa Friderici constitutione, quam integram edidit Cironius in quinta compilatione, sub hoc tit. c. 1. legitur pro Gazaros, Catharos Cathari fuerunt hæretici Nouatiani, qui se Catharos appellare ausi sunt, id est puros, & mundos ab omni labe. Eusebius lib. 6. histor. c. 35. Epiphanius hęresi 59. Eorum mentio fit in c. si cui 8. 1. q. 3. apud Basil. epist. 1. ad Amphiloch. cap 1. ibi: Cathari sunt ex his, qui sunt abscissi. Theophil. Episc. Alex. in exposit. ad Catharos, ibi: Declarauit mihi tua pietas, quod quidam eorum, qui se Catharos nominant, volunt ad Ecclesiam accedere. Refert Ant August. in epit iuris, lib. 11. tit. 24. Et quia hi hæretici suscitarant errores Nouatianorum, qui & Cathari dicebantur, nomen etiam renouarunt. Spondan. anno 1198. n. 27. de eis agitur in authent. Gazaros, C. hoc tit.

6 f Patrinos] Rectè legitur in margine Patarenos Patareni enim ita dicti fuere, quòd in Patera vrbe Luciæ originem habuerunt. Manichæorum sectam colebant, duo rerum principia ponentes, alterum bonorum, alterum malorum: nec Romanum Pontificem œcumenicum agnoscebant, nec Christum Patri homousion, id est consubstantialem putabant, de quibus agunt Raphael Volaterranus lib. 8. Geograph. Pancirola lib. 2. var. c. 278. Spondan. anno 1189. num. 28.

7 g Priuilegiorum] Nam hospitalarijs, & similibus fratribus concessum fuerat, quod Salua canonica portione Ecclesiæ parochiali debita, possint indistinctè recipere defunctos ad sepulturam, c. in nostra, c. certificari, de sepultur. vbi probaui, & ita in præsenti docetur, nec virtute similium priuilegiorum posse hospitalarios, vel similes defunctorum hæreticorũ corpora ad sepulturã recipere.

COMMENTARIVM.

Ex hoc textu sequens communiter deducitur assertio: Hæretici, & eorum fautores, seu receptatores, excommunicantur, & ita decedentes, sepultura ecclesiastica priuantur. Probant textus in c. Acacius 24. q. 1. cap. Ecclesiam 27. cum sequent. de consecr. dist. 1. c. ad abolendam, c. excommunicamus 13. & 15. hoc tit. c. nouerit, de sent. excomm. c. quicunque, hoc tit. lib. 6. Inde varias excommunicationes prolatas legimus in diuersis Concilijs: contra Arrianos in Synodo Nicæna, in fine: contra Eunomianos in Synodo Constantinop. c. 1. contra Nestorianos in Synodo Ephesina can. 1. contra Eutychianos in Synodo Chalcedon. contra Monothelitas in sexta Synodo Constantinop. contra Pelagianos, Manichęos, & alios in canonibus congestis ab Ant. August. in epit lib. 11. tit. 24. 52. & 53. & lib. 37. tit 9. Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa, & scribentes in Bullam Cœnæ Domini, Thom. Sãch. lib. 2. summæ, c. 9. Gibalin. in synopsi censurarum, verbo Hæresis, Castro Palao tom. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 4. puncto 1. Suarez de fide, disp. 21. sect. 1. n. 4. Bordonus in tribun. fidei, c. 12. Facundez tom. 1. in præcept. Decalog lib. 1. in primum præceptum, c. 12. vsque ad 16. Carena de offic. Inquisit. c. 2. tit. 1. §. 11 n 95. Alberghinus in manuali Qualificator c. 6 per totum, Eymericus in direct. Inquisit. part. 3. q. 122 vbi Peña, Decianus lib. 1. tract. crimin c. 41. Cantera qq. crimin. de hæretic. c. 1. n. 7. Ricciulus lib. 5. de iure person. c. 13. Sanderus de visibili Monarch. lib. 8. c. 32. Canus de locis Theolog lib. 4. c. 2 Spondanus de cœmeterijs, lib. 4. cap. 2. p. 1. Scottia in select. epist. 8. theoremat. 4. Petrus Herodius lib. 1. Pandect. tit. 6. c 9. Salelles tom. 3 de mater. tribun fidei, lib. 6. cap. 2. Thom. Delbene p. 1. de offic. Inquisit. dubit. 69. Murga tom. 2. disquisit. 1. dub 12. cum sequent. 8 Conclusio traditur, & probatur.

Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Hæretici non sunt in Ecclesiæ gremio, c. non in vobis, ibi: Nobiscum autem estis in Baptismo, in Symbolo, in cæteris Dominicis Sacramentis: in spiritu autem vnitatis, in vinculo pacis, in ipsa denique Ecclesia Catholica nobiscum non estis. Et c. si quis inquit, 1. q. 1. c. hæreticos 2. q. 1. c. aduocauit, 24. q. 1. c. ipsa pietas, 23. q. 4 c statutum, hoc tit. in 6. Nam ad Ecclesiam nemo pertinet, nisi per baptismum, & fidem, cap. firmiter, de summa Trinit. cap fin. de presbyter. non bapt Sed hæreticus non habet fidem: ergo non pertinet ad Ecclesiam Quam sententiam probant Bellarminus lib. 3. de sacram. c. 4 Canus d. lib. 4 c. 2. Spondan d. p. 1. c. 2. Sanderus d. lib 8. c. 32 Sed iudicium Ecclesiæ non cadit in his, qui sunt extra eam, c. gaudemus, de diuortijs, c. multi, circa medium, 2. q. 1. Ergo hæretici non possunt ab Ecclesia excommunicari. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam excommunicatio dicit separationem ab Ecclesia, & illius communione, cap. omnis Christianus, cum sequent. 11. q. 3. cap. 2. de except. ibi: Exclusus, & remotus; à qua hæretici omnes separati sunt, propter ipsam hæresim, c. quidam, ibi: ab ea recesserunt. c. inter hæresim, 24. q. 3. Ergo excommunicatio caret effectu, cùm hæretici per eam ampliùs ab Ecclesia separari nequeant. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex eo, nam ad infligendam excommunicationem monitio desideratur, c. sacris, vbi dicemus, de sent. excom. ab specie docet D. Paulus epist. 3. ad Titum, ibi: Hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita. Igitur non præmissa trina monitione, hæretici, seu eorum defensores, seu receptatores, non manent excommunicatione ligati. Deinde in secundam partem præsentis assertionis, dum in ea docetur, hæreticos sepultura ecclesiastica priuari, sic argumentor. Quilibet est sepeliendus in sepulchris maiorum, c. 1. vbi probaui, de sepultur. ergo si hæretici habent sepulchra propria, & familiaria, prohiberi non debent in eis sepeliri. Facit textus disertus in l. 9. C. de hæret. ibi: Humanum, & pium hoc arbitrati, hæreticos permittimus sepeliri legitimis sepulchris. 9 Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, omnem prorsus communionem cum hæreticis ab Ecclesiæ Patribus prohibitam esse, can 63. Apost. D. Clemens lib. 2. constit. c. 11. 13. 15. & 25. Fabianus Papa epist 1. columna 2. Synodus Laodic. can. 9. 32. & 33. ibi: Non oportet cum hæreticis, vel schismaticis orare. Carthag. 4. can. 70. 71. & 72. Afric. 1 sub Cœlestino can. 60. Brachar. 1. can. 15. Epaun. can. 15. Lateran. sub Alexandro III can. 27. Lateran. sub 10 De communione cum hæreticis prohibita.

Digitized by Google

Innoc. III. *can.* 3. sub Leone X. *sess.* 9. Plura Pontificum decreta, & Sanctorum Patrum placita congesserunt Ant August. *in epit. Iuris Pontif. lib.* 11. *tit.* 16. *per totum*, Basil *de matrim. in appendice*, *cap.* 2. *n.* 4. Spondanus *de cœmeterijs*, *lib.* 4. *part.* 1. *cap.* 3. & probant *in can.* 22. *Concilij Illiber.* adeòque communicatio cum hæreticis fidelibus prohibetur, vt cum eis assiduam communicationem retinens suspectus de hæresi reddatur, vt probat Eymericus *in Direct. Inquisit. part.* 2 *fol.* 234. Simanchas *de Catholicis*, *tit.* 11. Immò & clerici cum hæreticis communicantes, ab officio, & beneficio suspenduntur, & si purgationem canonicam illis indictam præstare renuerint, aut in ea defecerint, pro conuictis habentur, *cap. inter*, *de purgat. canonic.* Vnde in Concil. Salisburg. relato ab Eymerico *d.* 2. *part. comment.* 82. diligenter ita cautum fuit: *Eos quoque obseruare debent parochi, qui ex hæreticorum locis, siue de hæresi suspectis veniunt, singulorumque dicta, & facta animaduertant, ac de eorum vitæ consuetudine, & ratione cognoscant.* Quare cum eis negotiari prohibetur, *cap. sicut Leo*, *hoc tit.* eosque adire, seu visitare, *cap. accusatus*, *§. ille quoque*, *hoc tit. in* 6.

11 Traditur ratio decidendi. Vnde apparet vera ratio præsentis assertionis; nam cùm ex præcepto Apostolorum relato *in d. can.* 63. *Apostolor.* & firmato tot Ecclesiæ canonibus, prohibita sit communio Catholicis cum hæreticis, iustè in præsenti docetur, hæreticos excommunicatos esse, idest ab omni Ecclesiæ, & fidelium communione seclusos: quam excommunicationem in hæreticos latam, antiquissimam esse omnium excommunicationum, quæ iure canonico fuor statutæ, innuitur à Gelasio I. *in cap. Acacius* 1. & 3. 24. *quæst.* 1. dum ait in Acacium, eo quòd non esset inuentor noui erroris, sed veteris imitaror, non esse nouam senteotiam ferendam, sed antiquam tantummodò renouandam. Siquidem ex quo tempore cœperunt Concilia in Ecclesia celebrari ad exstirpandas hæreses, æquè introductam esse consuetudinem excommunicandi, & anathematizandi hæreticos, videre est in canonibus suprà citatis pro illustratione conclusionis: immò & excommunicationem hanc à iure diuino prouenire voluerunt, etsi minùs rectè, Æguius *in Enchiridio*, Driedo *lib* 2. *de libert. ecclef. c.* 8 Quis tamen possit attentis nouis constitutionibus ab hac excommunicatione absoluere, latè explicant Bordonus, Castropalao, & Ricciulus *suprà*, Arauio *in qq. moralibus*, *q* 12. *per totam*. Inde etiam prouenit ratio, quare ipsis hæreticis denegetur ecclesiastica sepultura; nam cùm communicare non possimus defunctis, quibus non communicamus viuis, *c. sacris*, vbi probant, *de sepultur.* non potest hæreticus post mortem ad communionem per sepulturam ecclesiasticam admitti, cùm illi superstiti denegaretur communio cum fidelibus Catholicis, vt probat Spondanus *de cœmeterijs*, *lib.* 4. *p.* 1. *c* 2. *per totum*. Sed etsi hæc pœna consequens esset excommunicationi ab hæreticis contractæ, tamen eam specialiter statuerunt Alexand. III. *in præsenti*, Alexand. IV. *in cap. quicumque*, *hoc tit. in* 6. Gregorius IX. *in constit.* 4. relata ab Eymerico *ad calcem direct. Inquisitor. fol.* 3. & 17. Alfonsus *in l.* 8. *tit.* 13. *part.* 1. Probant Roias *de hæretic. singul.* 181. Menoch. *de arbit. casu* 374. *n* 8 Farinac *de hæres. q* 1. & 2. §. 3. *n.* 98. & rectè; nam ipsi sunt rei læsæ Maiestatis, vt probat Spondanus *de cœmeterijs*, *lib.* 4. *p.* 1. *c.* 1. *per tot.* & dicemus infrà *in cap. vergentis*: sed reis læsæ maiestatis denegabatur sepultura, tam apud Athenienses, vt ex Xenophonte & Thucidide probat Tiraquel. *ad Alexandrum lib.* 6. *dier. Genial. c.* 14. quàm apud Romanos, teste Suetonio *in Vespas. cap.* 2. Igitur rectè hæreticis ob criminis immanitatem denegatur ecclesiastica sepultura Nec hodie hæreticis tantùm sepultura non conceditur, verùm ossa eorum exhumantur, si discerni possint à Catholicis, & comburuntur, memoria ipsius hæretici damnata, vt factum fuit in Concilio Constantiensi cum Ioanne Vuiclef, vt liquet ex ipso Concilio, *sess.* 8. & referunt praxim hanc approbantes Peña *ad Eymericum*, 3. *part. direct. comment.* 92. Simanc. *de Catholicis*, *tit.* 17. *nu* 20. Paramus *de origin. Inquisit. lib.* 3. *q.* 4. *num.* 88 Carena *de officio Inquisit.* 2 *part. tit.* 19. *n.* 12. Martha *de iurisd. part.* 1. *casu* 19. *nu.* 3. Marquez *in gubern. Christ. lib.* 1. *c.* 24. Gomez *lib* 3 *variar. c.* 1. *nu.* 79. & varijs exemplis similem hæreticorum exhumationem probant Ant. Sabellicus *lib.* 8. *Æneid. c.* 18. Nicephorus Calixtus *lib.* 27. *hist. ecclef. c.* 17. Beyerlinch *in theatro vitæ humanæ*, *verbo Cadauer*, *fol.* 19. Torreblanca *de iure spirit. lib.* 12. *cap.* 13. *nu.* 16 Decianus *lib.* 5. *tract. crimin. c.* 57. *n.* 5. Farinac. *de hæresi q.* 197. *n.* 94. Paramus *de orig. S. Inquisit. lib.* 2. *c.* 5. *tit.* 3.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam contrarium, videlicet hæreticos adhuc esse in Ecclesia, probat Alfonsus à Castro *lib.* 2. *de iusta hæretic. punit.* ex eo, quia hæretici retinent characterem baptismi, *cap. quod quidem* 1. *q.* 1. *c. non in vobis*, *de consecr. dist.* 4. & ita adhuc videntur membra Christi, & Ecclesiæ. Quare pro huius difficultatis solutione dicendum est, hæreticos verè in Ecclesia non esse, iuxta tradita suprà pro dubitandi ratione; ad eam tamen iurisdictionis ratione pertinere, & ideò licèt hæretici careant prorsus omnibus illis, quæ communionis gratia conceduntur existentibus in Ecclesia, possunt tamen compesci, & puniri ratione fidei, quam susceperunt, & seruare promiserunt in baptismo, vt sequenti textu dicemus, vt etiam contingit in desertore militiæ terrestris, quem dux exercitus compellit ad redeundum ratione sacramenti præstiti cùm militiæ nomen dedit, *l. desertorem*, *ff. de re milit.* & in monacho deserente monasterium, qui ab Abbate repeti potest. Sic similiter Christianus in hæresim lapsus subest Ecclesiæ ratione baptismi suscepti, licèt in eius gremio, & fidelium communione non persistat. Docuit Ricciulus *lib.* 5. *de iure person. c.* 12. Nec obstat primum augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum ex D. Paulo, & *ex dicto c. sacris*. Nam verum est, quoscumque hæreticos externos ipso iure excommunicatos esse, ex præsenti textu, & alijs adductis pro eius confirmatione. Quæ anathematizatio repetitur singulis annis à Romano Pontifice in Bulla, quæ Romæ legitur feria 5. cœnæ Domini, vt habetur in capite eiusdem Bullæ. Et licèt iuxta D. Paulum, ipsius tempore saltē desideraretur monitio, quia tunc primùm hæreses oriri cœperant, nec adhuc erant per Ecclesiam damnatæ, nec hæreticorum pertinacia ante monitionem satis nota fuerat; tamen postquam hæreses damnatæ ab Ecclesia reperiuntur, in eas incidentes subuersos se manifestè ostendunt; & ita ipso facto excommunicationem incurrunt. Nec obstat textus *in d. cap. sacris*; nam procedit in excommunicatione ab homine ferenda, quæ præuiam monitionem requirit; non verò in illa, quæ fertur à iure, quia ius ipsum, quo statuitur, quoscumque hæreticos esse excommunicatos, instar præuiæ monitionis est. Nec obstat secundum augmentum ipsius difficultatis; nam etsi hæreticus per hæresim segregatus ac exclusus ab Ecclesiæ gremio sit, tamen per excommunicationem fortiùs, & magis separatur; siquidem priuatur communione externa fidelium, vt docuit D. Thomas 2. 2. *q.* 10 *art.* 9. Hodie autem etiam post extrauagantem *Ad euitanda*, Martini V. vt hæretici vitentur, sufficit quod hæretici declarati sint absque denunciatione censuræ, quia secundùm ius, & communem fidelium existimationem eo ipso quod aliquis hæreticus est, habetur etiam ipso facto præcisus, & excommunicatus; quia notissimum est, excommunicationem iuris non separari ab hæresi. Nec obstat secunda difficultas; nam cùm filij in sepulchris parentum tantùm vsum ex beneficio ecclesiæ, non verò dominium, aut possessionem habeant, *l. si sepulchrum*, *Cod. de religiosis*, *l. ossa*, *ff. eod.* & talis vsus consistat tantùm in mortui illatione, ex Ecclesiæ concessione, non possunt qui per hæresim extra Ecclesiam sunt, ratione ipsius vsus sepeliri in sepulchris maiorum, cùm ipsa gratia, seu priuilegio Ecclesiæ reddantur indigni, *l.* 1. *Cod. Theodos.* & *Iustin. de hæreticis*, ibi: *Priuilegia, quæ contemplatione religionis indulta sunt, Catholicæ tantùm legis obseruatoribus prodesse oportere; hæreticos autem, atque schismaticos, ab his priuilegijs alienos esse debere*. Iustinianus *in nouel* 109. *c.* 1. ibi: *Nec iustum esse æqualibus cum orthodoxis hæreticos dignos fieri priuilegijs*. Quare cùm hoc ius sepulturæ totum ex auctoritate Ecclesiæ proueniat, potest Ecclesia ob crimen hæresis hæreticos priuare vsu sepulchri familiaris, seu hæreditarij, non obstante dicta lege 9. *Cod. hoc tit.* vt probat Spondanus *de cœmeterijs*, *suprà*. 12 Dissoluitur dubitandi ratio.

C A-

Digitized by Google

CAPVT IX.

Lucius *a* tertius.

AD abolendam diuersarum hæresum prauitatem; quæ in plerisque mundi partibus modernis cœpit temporibus pullulare, vigor debet ecclesiasticus excitari, cui nimirum Imperialis fortitudinis suffragante potentia, & hæreticorum prauitas in ipsis falsitatis suæ conatibus elidatur, & catholicæ simplicitas veritatis in Ecclesia sancta resplendens, eam vbique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam. Ideòque charissimi filij nostri Federici Illustris Romanorum Imperatoris semper Augusti *b* præsentia pariter, & vigore suffulti, de communi consilio fratrum nostrorum, necnon aliorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, multorumque Principum, qui de diuersis partibus Imperij conuenerunt, contra ipsos hæreticos, quibus diuersa capitula diuersarum indidit professio falsitatum, præsentis decreti generali sanctione consurgimus, & omnem hæresim, quocumque nomine conseratur, per huius constitutionis seriem, auctoritate Apostolica condemnamus. In primis *c* Catharos, & Paterinos, & eos qui se Humiliatos, vel *d* Pauperes de Lugduno falso nomine mentiuntur: Passaginos, & Iophepinos *e* Arnaldistas perpetuò decernimus anathemati subiacere. Et quoniam nonnulli sub specie pietatis virtutem eius, iuxta quod ait *f* Apostolus, denegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, cùm idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? omnes, qui vel prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica Sede, vel ab Episcopo loci susceptam, publicè, vel priuatè *g* predicare præsumpserint; & vniuersos, qui de sacramento corporis & sanguinis Domini Iesu Christi, vel de baptismate, seu peccatorum remissione, aut de matrimonio, vel reliquis ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm sacrosancta Romana Ecclesia prædicat, & obseruat; & generaliter quoscumque eadem Romana Ecclesia, vel singuli Episcopi per diœceses suas cum consilio clericorum; vel clerici Episcopi sede *h* vacante cum consilio, si oportuerit, vicinorum Episcoporum hæreticos iudicauerint, pari vinculo perpetui anathematis innodamus. Receptatores, & *i* defensores eorum, cunctosque pariter, qui prædictis hæreticis ad fouendam in eis hæresis prauitatem, patrocinium præstiterint aliquod, vel fauorem, siue consolati, siue credentes, siue perfecti, seu quibuscumque superstitiosis nominibus nuncupentur, simili decernimus subiacere sententię Quia verò peccatis exigentibus quandoque contingit, vt ecclesiasticæ seueritas disciplinæ ab ijs, qui virtutem eius non intelligunt, condemnetur: præsenti nihilominus ordinatione sancimus, vt qui manifestè fuerint in supradictis erroribus deprehensi, si clericus est, vel cuiuslibet religionis obumbratione fucatus, totius ecclesiastici ordinis prærogatiua nudetur, & sic omni pariter officio, & beneficio ecclesiastico spoliatus, sæcularis relinquatur arbitrio potestatis, animaduersione debita puniendus, nisi *j* continuò post deprehensionem erroris ad fidei catholicæ vnitatem sponte recurrere, & errorem suum ad arbitrium Episcopi regionis publicè consenserit *k* abiurare, & satisfactionem congruam exhibere. Laicus autem, quem aliqua prædictarum pestiúm notoria, vel priuata culpa resperserit, nisi, prout dictum est, abiurata hæresi, & satisfactione exhibita, confestim ad fidem confugerit orthodoxam, sæcularis iudicis arbitrio relinquatur, debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem. Qui verò inuenti fuerint sola Ecclesiæ suspicione notabiles, nisi ad arbitrium Episcopi iuxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstrauerint, simili sententiæ *l* subiacebunt. Illos autem, qui post abiurationem erroris, vel postquam se, vt diximus, proprij Antistitis examinatione purgauerint, deprehensi fuerint in abiuratam hæresim recidisse, sæculari iudicio sine vlla pęnitus audientia decernimus *m* relinquendos, bonis damnatorum clericorum Ecclesijs, quibus deseruiebant, secundùm sanctiones legitimas applicandi. Sanè prædictam excommunicationis sententiam, cui omnes præcipimus hæreticos subiacere, ab omnibus Patriarchis, & Archiepiscopis, in præcipuis festiuitatibus, & quotiens solemnitates habuerint, vel quamlibet occasionem, ad gloriam Dei, & reprehensionem hæreticæ prauitatis, decernimus innouari, auctoritate Apostolica statuentes, vt si quis de ordine Episcoporum negligens in his fuerit, vel desidiosus inuentus, per triennale spatium ab Episcopali habeatur dignitate, & administratione suspensus. Ad hæc de Episcopali consilio, & suggestione culminis Imperialis, & Principum eius adiecimus, vt quilibet Archiepiscopus, & Episcopus per se, vel Archidiaconum suum, aut per alias honestas, idoneasque personas, bis, vel semel *n* in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres, vel plures boni testimonij viros, vel etiam, si expedire videbitur, totam viciniam iurare compellat: quod si quis ibidem hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita, & moribus dissidentes, eos Episcopo, vel Archidiacono studeat indicare. Episcopus autem, seu Archidiaconus ad præsentiam suam conuocet accusatos, qui nisi se ad eorum arbitrium iuxta patriæ consuetudinem ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purgationem exhibitam, in pristinam fuerint relapsi perfidiam, Episcoporum iudicio puniantur. Si qui verò ex eis iurationem superstitione damnabili respuentes, iurare fortè noluerint, ex hoc ipso hæretici iudicentur, & pœnis, quæ prænominatæ sunt, percellantur. Statuimus insuper, vt Comites, Barones, Rectores, Consules ciuitatum, & aliorum locorum, iuxta commotionem Archiepiscoporum, & Episcoporum, præstito corporaliter iuramento *o* promittant, quod in omnibus prædictis fortiter, & efficaciter, cùm ab eis fuerint exinde requisiti, Ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adiuuabunt, & studebunt bona fide iuxta officium, & posse suum Ecclesiastica simul, & Imperialia statuta, circa ea, quæ diximus, executioni mandari. Si verò id obseruare noluerint, honore quem obtinent, spolientur & ad alios nulla-

tenus assumantur, nihilominus excommunicatione ligandi, & terræ ipsorum interdicti sententiæ supponantur. Ciuitas autem, quæ his decretalibus institutis duxeris resistendum, vel contra commonitionem Episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio ciuitatum, & Episcopali se nouerit dignitate priuandam. Omnes etiam fautores hæreticorum, tanquam perpetua infàmia condemnatos, ab aduocatione, & testimonio, & alijs publicis officijs decernimus repellendos: si qui verò fuerint, qui à lege diœcesanæ iurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicæ potestati, nihilominus in ijs, quæ superiùs sunt contra hæreticos statuta, Archiepiscoporum, vel Episcoporum iudicium subeant, & eis in hac parte, tanquam à Sede Apostolica p delegatis pareant, non obstantibus libertatis suæ priuilegijs.

N O T Æ.

1 a *Lucius III.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* nullibi tamen exprimitur, an alicui Prælato præsentem direxisset constitutionem: & credo eam pro omnibus regionibus, vbi tunc hæreses vigebant, ac pullulabant, edidisse, eamque fecisse Veronæ, vbi conuenerant anno 1185 ipse Pontifex, Fridericus Imperator, & alij Ecclesiarum Prælati, non quia ibi Concilium celebrarent, vt aliqui putarunt, cùm tantùm conuentum ibi haberent pro quorumdam negotiorum expeditione, vt refert Baronius anno 1185. & ni fallor tunc ex consilio dictorum Prælatorum, & fauente Imperatore Lucius edidit præsentem constitutionem, cuius alia pars refertur *in c. præterea, de iurepatron.* vt iam notaui ibi.

b *Præsentia.*] Quia ipse Fridericus Imperator anno 31. sui Imperij conuenerat cum ipso Pontifice Veronæ, vt refert Baronius *vbi suprà;*

c *Catharos, & Patarenos.*] De quibus egi superiori textu.

d *Pauperes de Lugduno.*] Qui cœperunt temporibus Alexandri III. anno ferè 1160. seu 1170. qui etiam dicuntur Vualdenses, à quodam Vualdone ciue Lugdunensi, qui facultatibus in pauperes distributis, arroganter prædicatoris officium vsurpauit; & cùm esset ignarus, ipse multipliciter errauit, & alios errare fecit, vt referunt Gualterus *sæcul.* 12. *cap.* 15. Prateolus *lib.* 15. *de hæreticis, verbo Pauperes de Lugduno, n.* 13. Æneas Siluius *lib. de origine Bohemorum, cap.* 35. Guido Carmelita *anno Domini* 1170. Abbas Vrspergensis *in chron.* Trithemius *in chron. anno* 1170. à quo ciue Lugdunensi appellati sunt Pauperes de Lugduno, vt probat Peña *ad Eymericum,* 2. *part. Directorij, comment.* 39. quorum errores, & perditissima dogmata referunt Genebrardus, & Syluius *suprà*, Salelles *tom.* 2. *de materijs tribunal. S. Inquisitionis, lib.* 3. *cap.* 14. *reg.* 167. Eorum hæreses damnatæ fuerunt in Synodo Romana, & in Concilio Lateran. sub Alexandro III celebrato, vt iam notaui *in cap. fin. de Relig. dom.*

2 e *Arnaldistas.*] Arnaldus genere Brixianus, cùm aliquot annis in Gallijs litterarum studijs operam dedisset, anno 1139. Brixiam reuersus, se religiosum professus est: cumque eloquentia non parum valeret, nouas, prauasque opiniones in Ecclesia seminauit, negans monachos, clericosque, aut Episcopos aliquid proprij habere posse, omniaque Principum esse asserens. Quare cùm Ecclesiam Brixianam turbaret, ab eius vrbis Episcopo accusatus fuit in Concilio Later. vbi condemnatus, ex Italia egredi iussus fuit: sed postea in Italiam reuersus, Romæ tumultum suscitauit, vt Senatores à Magistratibus creati à Pontifice recederent: quare ab vrbe expulsus, tandem Romæ combustus fuit, & eius cineres in Tiberim sparsi, vt referunt Otho Frisingensis *lib* 2. *c.* 20 Baronius *anno* 1155. Salelles *d. lib.* 3. *c* 14. *reg.* 269. *n.* 89. Pancirola *lib.* 2. *var. c.* 178. De eo D. Bernard. *epist.* 269. ita scribit: *Arnaldus de Brixia, cuius conuersatio mala, & doctrina venenum; cui caput columbæ, cauda scorpionis est; quem Brixia euomuit, Roma exhorruit, Francia repulit, Germania abominatur, Italia non vult accipere, fertur esse vobiscum: videte quæso ne vestra auctoritate plus noceat.* Ab ipso Arnoldo eius sectatores Arnaldistæ dicti sunt, vt probat Theophilus Raynaud.

f *Apostolus.*] Ad Romanos *c.* 10. Eo sensu Gregorius Turon. *lib.* 2. *hist c.* 23. scripsit illud: *Sine hæresi accipi non potest, vt in Ecclesia non obediatur Sacerdoti Dei, cui ad pascendum oues commissæ sunt; & ille se ingerat potestati, cui nec ab hominibus, nec à Deo aliquid est cōmissum.*

g *Prædicare.*] Vt dicemus infrà *in cap.* 12.

h *Sede vacante.*] Non quia Episcopi, aut clerici Sede vacante facultatem habeant definiendi dubia circa 3 fidem, aut discernendi falsam à vera doctrina; quia hoc tantùm ad Pontificem, seu Concilium generale spectat, *cap. quotiens,* 24. *q.* 1. *cap. maiores, de Baptismo;* sed cùm aliqui erant in his, quæ iam diffinita sunt per Ecclesiam, possunt Episcopi eos hæreticos declarare, ac in eos animaduertere: quo modo verba hæc accipiunt Anania & Peña *in præsenti*, Albertinus *de agnoscend. assert. q.* 8. *n.* 5. & facit textus *in cap. super quibusdam,* §. 1. *de V. S.*

i *Defensores.*] De quibus plura adducemus infrà *in c.* 13. §. *credentes.*

j *Continuò.*] Quando tamen dicatur hæreticus continuò pœnitens, non constat apud Interpretes, vt videre est apud Barbosam *in præsenti*, Carenam *de offic. Inquisit. part.* 2. *tit.* 2. §. 2. Sebastian. à Salelles *tom.* 3. *de materijs Tribun. S. Inquisit. lib.* 5. *cap.* 5. *regul* 385. Illud certum est, non solùm admittendum esse ad reconciliationem hæreticum, qui primò interrogatus in iudicio confessus fuit errorem suum cum signis veræ pœnitentiæ; verùm & eum, qui in quocumque statu processus errorem fatetur, etiam in ipsa tortura, vel postea, vt docuerunt Carena, & Salelles *suprà*, Peña *ad Eymericum,* 3. *part. Director. comment.* 4. Grillandus *de hæretic. quæst.* 5. *num.* 2 Farinac. *de hæres. quæst.* 193. §. 1. *à num.* 27. Sousa *lib.* 2. *aphorism. Inquisit. cap.* 44. *n.* 7. Diana *part.* 4. *tract.* 7. *resol* 24. Transmiera *de polygam. lib.* 3. *quæst.* 15. & cauetur expresse *in Instruct.* 12. *Hispal.* immò etsi post sententiam mortis ipsi reo intimatam, priuatim in suo carcere, vel in ipsa hora, dum adducitur ad locum, vbi sententia ipsa publicè recitanda est, pœniteat, admittendus est ad reconciliationem, vt docent in præsenti, & infrà *in cap. excommunicamus*, Cardinalis, Ioannes Andreas, Abbas, & Ananias, Syluester *in summa, verbo Hæresis*, Peña *d. comment.* 42. *n.* 175. Farinac. *d. q.* 143. § 2. *n.* 56. Diana *dicta resol.* 24. Salelles, & Carena *suprà*, Transmiera *vbi proximè*, qui testatur de hac praxi omnium Tribunalium. Vnde hæc verba *continuò*, & *confestim*, huius textus, ipsi accipiunt, hoc est post sententiam, antequam tradatur brachio sæculari: quæ praxis vt pia sequenda est, etsi præsenti constitutioni minùs consona videatur, cùm expressè Lucius in præsenti agat de reo pœnitente continuò, & confestim post deprehensionem erroris, videlicet statim ac apprehensus est in ipsa hæresi, ac carceri mancipatus, necnon ad iudicium adductus: dictio enim *confestim*, significat cùm primùm iudicis copia haberi potest. *l.* 2. §. *confestim, ff. ad Trebel.* Barbosa *de dictionibus, dict.* 65. & 68. Sed quia iuxta benignitatem, & pietatem aliquam moram admittūt dictiones hæ *continuò*, & *confestim*, vt ex alijs docet ipse Barbosa, ideò in Tribunalibus S. Inquisitionis receptum est, vt continuò dicatur pœnitere etiam qui post sententiam publicè recitatam pœnitet: pro qua praxi facit textus *in cap. excommunicamus* 15. § 1. *hoc tit.* vbi ita generaliter cauetur: *Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint ad condignam pœnitentiam agendam, in perpetuo carcere detrudantur.* Vbi nulla facta distinctione temporis intra quod hæreticus errorem suū fatetur, ad pęnitentiam admittitur. Immò & postquam hęreticus iudici sęculari relaxatus est, & in ipso loco supplicij reperitur, si errorem suum agnoscens pęnitentiam petierit, admittendus est ad reconciliationem, vt probant Peña, Farinacius, Transmiera, & Salelles vbi proximè: crederem tamen, hanc benignam sententiam sequendam esse, cùm ipse reus magna, & vera contritionis signa dedit; aliàs cùm potiùs metu mortis imminentis conuerti credatur, rectiùs facient Inquisitores, si sententiā exequi mādauerint. Vide ante instructiones 11. & 14.

k *Abiu-*

5 k *Abiurare.*] Ad quam abiurationem omnes hæretici tenentur, aliàs nisi abiuratis proprijs erroribus, Ecclesiæ reconciliari nequeunt, *cap. si quis 42. cap. in Ecclesia 68. 1. quæst. 1. cap. si quis 8. cap. saluberrimum, c. donatum, 1. quæst. 7.* plura Ant. August. *in epit. lib. 11. tit. 70.* & probant *in can. 22. Concil. Illiber.* vbi de origine, & forma huius abiurationis egi. De eius differentijs, ac requisitis latè egerunt Eymericus *in 3. part. Directorij*, vbi Peña *comment. 37.* Sousa *lib. 2. aphor. Inquisit. cap. 40* Carena *de offic. Inquisit. part. 3. tit. 11.* Salelles *de materijs Tribunal S. Inquisit. lib. 5. cap. 3 per totum*, Simancas *de Catholicis, tit. 11.* & *in Enchirid. tit 53* Illud non omittam, olim hæreticos post abiurationem suorum errorum vngi consueuisse sacro chrismate in fronte, oculis, naribus, ore, & auribus, vt ex Concil Constantinop. 1. probat Menardus *in notis ad libr. sacram. D. Gregorij, fol. 113.* Hæc abiuratio hæresis libello oblato omnibus hæreticis semper iniuncta fuit: aliqui verò, vt Nouatiani, vltra abiurationem, per chrismatis vnctionem recipiebantur. Synodus Nicæna 1. *can. 9.* & Nicæna 2. *can. 7.* quia Nouatiani Episcopi à se baptizatis manus non imponebant, nec chrisma conferebant: vnde eos obiurgant Pacianus *epist. 3. ad Symp.* his verbis: *Vestræ plebi vnde spiritus, quam non consignat vnctus sacerdos.* Theodoretus *lib. 3. hæretic. fabul cap. 5.* ibi: *Iis quos baptizant, sanctissimum chrisma non præbent: quapropter eos, qui ex hac hæresi corpori Ecclesiæ coniunguntur, laudatissimi PP. inungi præceperunt.* Vnde illis hæreticis, & similibus ad Catholicam fidem redeuntibus tribuendum censuit Ecclesia sacramentum, quod omissum fuerat ob hæresim. Syricius Pontif. *in epist. ad Himerium, cap. 1.* vbi agens de Arrianis, ait: *Quos nos cum Nouatianis, alijsque hæreticis, sicut in Synodo constitutum est, per inuocationem solam septiformis Spiritus, Episcopalis manus impositione Catholicorũ conuentui sociamus, quod etiam totus Oriens, Occidensque custodit.* Concil Arelat. 1. *can. 1.* vbi cauetur: *Vt hæreticis, qui in Trinitate baptizati sunt, ab hæresi redeuntibus, manus tantùm imponatur, vt accipiant Spiritum sanctum.* Idem omninò decreuerunt Innocent. I de Nouatianis, & Montensibus *in epist. ad Victricium:* & Leo I. *in epist. ad Rusticum*, & in Concil. Arelat. 2. habito anno 452. ita cauetur in canone 19. *Bonossiacos autem ex eodem errore venientes, quos sicut Arrianos baptizari in Trinitate manifestum est, si interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Et in Synodo Arausic. 1. anni 441. *can. 1.* ita legitur: *Hæreticos in mortis discrimine positos, si Catholici esse desiderant, si desit Episcopus, à Presbyteris cum chrismate, & benedictione consignari placuit.* Conciliũ Epaun *can. 16.* *Presbyteris propter salutem animarum, quã in cunctis optamus desperatis, & decumbentibus hæreticis, si conuersionem subitam petant, chrismate permittimus subuenire: quod omnibus conuersuris, si sani sunt, ab Episcopo expetendum.* Alij verò hæretici, qui Confirmationis sacramentum agnoscebant, tantùm per pœnitentiam communioni restituebantur. Gregor. Magnus *lib. 9. regestr. epist. 61.* Illustrant P. Marcha *in notis ad can. 2. Concil. Claromont.* vbi hæc verba refert ex quadam veteri Græca collectione: *Nestorianos verò, & Eutychianistas oportet conscribere libellos, & hæresim anathematizare, vnà cum Nestorio, Eutyche, Dioscoro, & Seuero, & ijs, qui similia sentiunt, & cæteras omnes hæreses; & participes fieri sanctæ communionis.*

l *Subiacebunt.*] *Cap. excommunicamus 13. §. qui autem, infrà hoc tit.* vbi dicemus.

6 m *Relinquendos.*] Consonant caput *Accusatus, in princip.* & *§. eum verò*, & *§. ille quoque, hoc tit. in 6.* qui textus desumptus est ex Bulla Alexand. IV. quæ incipit, *Quod super*, quam refert Eymericus *ad calcem Director. Inquisit.* Concil. Narbon. *can. 11.* & ita relapsi, quamuis pœnitentes, nulla abiuratione facta, sunt omninò tradendi brachio sæculari, ita vt recepto sacramento Pœnitentiæ, priùs strangulentur, & postea defuncti comburantur: si verò impœnitentes, & pertinaces persistant, viui flammis tradantur: quam praxim communiter receptam probant Peña *ad Eymericum, 3 part. Directorij, comment. 83.* Scortia *in select. theorem. 36. n 2.* Farinac. *de hæresi, quæst. 195. n. 4* Sanctarellus *eod tract. cap. 42. n. 17.* Simancas *de catholic. tit. 57 n 16. in l. 1. tit. 3. n. 172. lib. 8. recopil.* Decianus *lib. 5. tract. crimin. cap. 16. n 7.* Cantera *qq. crimin. de hæretic. cap. 1. n. 13.* Delbene *de offic. Inquisit. dubit. 161. cum seq.* Suarez *de fide, disput. 23. sect. 2.* Carena *de offic. Inquisit part. 2. tit. 2. §. 6.* Castropalao *tom. 1. oper. moral. tract 4. disput. 6. punct. 2 n. 9.* Sousa *in aphorism. Inquis. lib. 2. cap 45.* Salelles *tom. 1. de mater. Tribun sanct. Inquisit. lib. 5. cap 6. regul. 311.* Ratio est, tum quia is qui semel lapsus veniam obtinuit, & hæresim abiurauit, & ad libertatem peccandi quadam confidentia abutitur, indignus est reconciliationis beneficio, nec ei parcendum est, qui impunitatem veteris delicti non emendationi, sed consuetudini deputauit, *l. 3. C. de Episcop. aud.* iunctis traditis à Gomezio *lib. 3 var cap. 3. n. 60.* Padilla *in l. transigere, n 47. C. de transact.* Iulio Claro *in praxi, §. vlt. quæst. 59. n. 9.* Tum etiam quia conuersio hæretici relapsi, qui semel inconstans fuit, nec præstitit id quod per abiurationem promiserat, sed Ecclesiam decepit, præsumitur simulata, iuxta regulam *Semel malus, de R. I. lib. 6.* & quia Ecclesia, quæ ex præteritis præsumit circa futura, *cap. scribam, de præsumpt.* & corda non intuetur, minimè admittendam talem conuersionem iudicauit: docent, & argumentis hæreticorum satisfaciunt, quibus ipsi probare intendunt relapsis pœnitentiam esse concedendam, D. Thomas 2 2. *quæst. 11 art. 4.* Castro *lib. 2 de iusta hæretic. punit. cap. 2.* Simanc. *de Catholic. instit tit. 57. n. 10.* Licèt autem relapsis venia non concedatur, vt mortem, aut relaxationem euitent; petentibus tamen pœnitentiam quoad salutem spiritualem Ecclesia non denegat, quia nemini claudit gremium, *cap. dico, 23. quæst. 4. l. fin. Cod. de summa Trinit.* Couarruu. *lib. 2 cap. 10. n. fin.* Gamma *de sacrament. præstand. quæst. 1. n. 9.* faciunt quę de pœnitentia lapsis præstanda, non verò communione, adduxi *in can. 1. Concil. Illiber.* Et licèt vltimo supplicio damnatis regulariter Eucharistia concedatur, *Clement. vnic. de pœnit. & remiss.* tamen generali consuetudine Inquisitionum Hispaniæ receptum est, vt his relapsis etiam pœnitentibus sacramentum Eucharistiæ non ministretur, vt testatur Carena *vbi proximè.*

Valdè autem cauere, & attendere debent Inquisitores, an verè relapsus sit reus, vt eius persona iudici sæculari relaxetur; nam alius est relapsus verè, qui scilicet deprehenditur in hæresim abiuratam recidisse, de quo agitur in præsenti, & *in cap. super eo, cap. accusatus, §. eum, hoc tit. in 6.* quem explicant Manrique *annal. Cisterc. anno 1214. cap. 3. n. 9.* Becanus *de fide, cap. 15. quæst. 9.* Petr. Gregor. *lib. 2. part. tit 5. cap. 3.* alius est relapsus præsumptus per iuris interpretationem, qui scilicet post abiuratam vehementem hæresis suspicionem, in ipsam hęresim incidit, de quo agitur *in d. cap. accusatus, in princip.* & *in §. ille quoque;* nam eo casu ex hæresi subsequuta deducit ius vehementem præsumptionem, scilicet in veritate præcessisse hæresim, sed probationem defecisse, *d. cap. accusatus*, iuncta eius integra, quæ extat *in 1. part. direct. Inquisit.* Inde deducitur, relapsum verè, vel præsumptiuè, quoad iuris effectum neminem esse, nisi præcedat abiuratio solemnis, per quam Ecclesiæ reconciliatur reus, iuxta præsentem textum, & *in d. cap. accusatus*, & *in d. cap. super eo*, ibi: *In abiuratam;* secundùm quos effectus relapsus non tam tribuitur hæresi, quàm abiurationi, per quam reconciliatus obligatur Ecclesiæ. Deinde infertur, non esse quem relapsum, nisi, relabatur in eandem hæresim abiuratam, nec satis esse in diuersam relabi, vt constat ex hoc textu ibi, *in ipsa, c. super eo, c. accusatus, §. eum, hoc titulo, lib. 6.* docent Castro *de iusta hæretic. punit. c. 2.* Simanc. *de Catholicis, tit. 57. n. 6.* Et licèt abiurans aliquam hæresim censeatur per consequens omnes hæreses abiurasse, quatenus connexæ sunt, *c. excommunicamus 13. hoc titulo*, iuncto D. Thoma 2. 2 *quæst. 5. art 5.* formaliter tamen, & expresè solùm abiurat hæresim, quam exprimit, vel omnes, si generaliter, aut indefinitè abiuret. Oportet autem, vt quis dicatur relapsus, quod reincidat in hæresim formaliter abiuratam, vt satis deducitur ex præsenti textu: quare consuetudine receptum est ad remouendum omne dubium, vt omnes lapsi abiurent generaliter quamcunque hæresim, vt notarunt Salelles, & Carena *vbi suprà.* Adhuc in hac relapsorum parte praxi receptũ vidi, vt quidam verus relapsus Curiæ sæculari non traderetur, quia in initio secundæ causæ Inquisitores more solito, & recepto in primis causis, polliciti fuerunt illi misericordiam consuetam, & receptam cum bonis pœnitentibus. Vnde ipse confessus fuit relapsum, & ita reconciliatus, non verò iudici sæculari traditus fuit. 7

fuit. Similiter alius, qui confessus fuit in secunda causa, se abiurasse formaliter in Inquisitione Eborensi Lusitaniæ, & postea confessus fuit relapsum in secunda causa, quia non constabat de prima abiuratione, nisi per eius confessionem, non fuit traditus iudici sæculari. Etiam alius, cui iniuncta fuit abiuratio de vehementi, cùm postea io secunda causa confessus fuisset lapsum formaliter, nun fuit traditus brachio sæculari, quia apparuit in priori causa iniustè abiurationem de vehementi illi iniunctam fuisse. Etiam me præferente, cùm quidam post formalem abiurationem, vt relapsus in idem delictum fuisset in carcerem detrusus, & confessus fuisset factum, sed negasset intentionem, fuit torturæ suppositus; & cùm ibi intentionem fateretur, eius persona Iudici sæculari tradita fuit.

n *Semel in anno.*] *Cap. excommunicamus, §. adijcimus, infra hoc titulo*, vbi dicemus.

o *Iuramento promittant*] *Cap. excommunicamus, §. moneantur, infra hoc titulo*, vbi illustrabimos.

8 p *Delegatis.*] Vnde deducitur, nonobstante quocumque exemptionis priuilegio, posse Episcopum simul cum Inquisitoribus procedere contra religiosos cuiuscumque Ordinis: & cùm hæc potestas in religiosos sit delegata, non poterit Vicarius Sede vacante hanc iurisdictionem exercere in religiosos exemptos, quia Capitulum vacante Sede non succedit in iurisdictionem delegatam, sed tantùm ordinariam, vt resoluunt Farinacius *de hæresi, q. 186. n. 177.* Carena *de officio Inquisit. part. 2. tit. 6. lib. 1 §. 3.* Diana *part. 8. tract 4. resol. 37.*

COMMENTARIVM.

9 *Conclusio traditur, & Probatur.* EX hac diffusa constitutione sequens assertio disputanda est: *Hæretici impœnitentes, seu pertinaces in errore, tradendi sunt Curiæ sæculari; & si clerici sunt, priùs degradantur, ac omnibus beneficijs priuantur.* Probant eam textus *in c. 1. c. vt commissi, c. penult hoc tit in 6 c. excommunicamus 15. infrà hoc tit* Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa Petrus Gregor. *lib. 2. partit. tit 6. c 8. & de beneficijs c. 26* Eymericus *2. p. directorij, quæst. 4.* Farinacius *de hæresi. quæst. 190. n. 2* Carena *de offic. Inquisit. part 2 tit. 6. §. 3.* Decianus *lib. 5. tract crimin. c. 55.* Simanc. *de Catholicis, tit. 48. n. 6* Iul Clarus *lib. 5. sent. §. hæresis*, D Thomas *2. 2. quæst. 11. art. 4.* Pater Suarez *de fide, disp. 23. sect. 2. n. 3.* Castropalao *tom. 1. oper moral. tract. 4 disp. 5. puncto 2* Saielles *3. p. art. de materijs Tribun sanctę Inquisitionis, lib. 5. c. 6. regul. 303.*

10 *Impugnatur tradita assertio* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Errantis pœnam tantùm esse doceri, dixit Plato, & docuerunt Seneca *in Tragœd.* ibi:

Quis nomen vnquam sceleris errari dedit?

Et *de ira lib. 14. Non est prudentis errantes odisse, alioquin ipse sibi odio erit.* Marcus Antoninus *lib. 14 Si potes, meliora doce: si non potes, memento in hoc tibi lenitatem datam: ipsi Dij leues sunt talibus.* D. Chrysostomus *epist. 4. ad Ephesios, vers. 57.* ibi: *Eum qui ignorat, nec malo affici, nec accusari oportet, sed ęquum est, vt discat quę ignorat.* Quod præcipuè procedit circa religionem, quæ suadenda est, non imponenda. Tertul. *ad Scapul Hoc ad irreligiositatis elogium concurrit, adimere libertatem religionis, & interdicere opinionem diuinitatis, vt non liceat mihi colere quē velim, sed cogar colere quem nolim. Atque adeò & Ægyptijs permissa est tam vanę superstitionis potestas, auibus, & bestijs consecrandi, & capite damnandi qui aliquem huiusmodi Deum occiderit.* Valentinianus laudante Ammiano Marcel. *lib. 30.* ibi: *Nec quemquam inquietauit, nec vt hoc coleretur, imperauit: nec interdictis minacibus subiectorum ceruicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat, sed intemeratas reliquit has partes, vt reperit* Sic Lactantius *lib. 5. instit. c. 20. & 21* ait: *Cogi religionem non posse, & verbis, non verberibus constitui; nec quicquam esse tam voluntarium, quàm religionem, & Christianos non esse Ægyptijs peiores.* Plura adduxi *in c sicut, de Iudęis.* Et si hoc generaliter in quacumque religione amplectenda, & retinenda procedit, multò iostiùs, & faciliùs in nostra vera fide Catholica, ad quam recipiendam noluit Christus Dominus neminem huius vitæ pœnis, aut earum metu pertrahi, iuxta D Ioannem *c. 6 vers 67* Lucam *c. 9. vers. 54.* Matthæum *c. 13 vers 24* Apostol. *ad Roman. c. 8. vers. 15. ad Hebręos c. 2. vers. 15.* quo sensu verissimum est illud Tertul. *Lex noua non se vindicat vltrò gladio.* Et D. Clemens in suis constitutionibus, de Christo Domino ait: *Liberam reliquit hominibus arbitrij potestatem, non morte temporali eos puniens, sed in altero sęculo ad reddendam rationem vocans.* D. Athanasius in epistola ad Solitarios aiebat: *Dominus cogens, sed libertatem suam voluntati permittens, dicebat quidem vulgò omnibus: Si quis vult venire post me; Apostolis verò: Nunquid & vos abire vultis?* D. Chrysostomus ad eundem Ioannis locum. Ibi: *Interrogabat, an & ipsi vellent discedere? quod omnem est amouentis vim, ac necessitatem.* D. Cyprian. *epist. 55. Conuersus ad Apostolos suos dixit: Nunquid & vos vultis ire? seruans scilicet legem, qua homo libertati suę relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem.* In Arrianam hæresim acriter inuehitur Athanasius *vbi proximè*, quòd prima in contradicentes vsa esset iudicum potestate, & quos non potuisset verbis inducere, eos vi, plagis, carceribus ad se pertrahere niteretur: *atque ita*, inquit, *seipsam, quàm non sit pia, nec Dei cultrix, manifestat.* Leo Magnus *epist 73.* non maiorem pœnam de hæreticis poscit, quàm vt sacerdotio, & vrbe excludantur. Socrates aduersùs Theodosium Episcop. *lib. 5. c. 3.* de Macedonianis nimium prosequentibus: *Hoc*, inquit, *non erat de more orthodoxæ Ecclesię, quę homines persequi non solebat.* Et vt ait Leo vbi suprà: *Quid verò profuit sanguis effusus hęreticorum, nisi vt ipsi suos etiam Martyres haberent, licèt falsos?* Quemadmodum Optatus Mileuitanus notauit, & pluribus post sæculis D Bernardus *sermone 66. in Cantica, sub finem.* Ecclesia enim sanguinem abhorret, longè differens, vt pura, veraque est, ab impuro, falsoque Mahometi Alcoranismo, de quo Richardus Monchus Ordinis Prædicatorum, *in confutat. Alcoranismi, c. 10.* ait: *Ille aduersùs nos credentes Alcorano clamat: Interimite, interimite; atque Alcoranismi sacerdotes verba pro illo facturi nudant ensem, eumque manu tenent. Nostrum verò Euangelium docet orandum pro inimicis, ac nostri sacerdotes non ensem, sed crucem tollunt; non violentię, sed mansuetudinis signum ostendentes.* D Bernardus *serm 64 Hęretici capiantur potiùs quàm effugentur: capiantur dico, non armis, sed argumentis, quibus refellantur errores eorum.* D. August. *epist. 48. Neminem ad vnitatem Christi esse cogendum, verbo esse agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hęreticos noueramus* Athan. *apolog 2. Cædes, & vincula aliena sunt à nostra Ecclesia* Et Valentinianus initio sui imperij cauit, vt libera voluntate quisquam cultum religionis teneret, *l. 9. C. Theodos. de malefic. & mathem.* ibi: *Testes sunt leges à me in exordio Imperij mei datæ, quibus vnicuique quod animo imbibisset, colendi libera facultas tributa est.* Refert Am Marcel. *lib. 30.* de eo Valentiniano agens, ibi: *Hoc moderamine Principatus inclaruit, quod inter religionum diuersitates medius extitit, nec quemquam inquietauit, nec vt hoc coleretur, imperauit, aut illud.* Facit Arnob. *lib. 2. Quid est tam iniustum, quàm inuitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint, & quod refugiunt animis; priùs necere, quàm pressis, & priore detracto, in alienum habitum, sententiamque traducere.* Et Socrates *lib. 3. historiæ, cap. 21.* laudat Imperatorem Iouinianum, quòd cuique pro arbitrio religionem profiteri permiserit. Facit textus *in cap. qui secandùm, 23. quæst. 4.* & Episcopis Galliæ intendentibus hæreticos ab vrbe repellere per Iudices sæculares, hæc ait Sulpitius Seuerus: *Tum verò Idacius, atque Ithacius acriùs instare, arbitrantes posse inter initia malum comprimi: sed parum sanis consilijs sæculares iudices adeant, vt eorum decretis, atque executionibus hæretici vrbibus pellerentur.* Igitur hæretici non sunt pœnis pręcipuè temporalibus cogendi, vt fidem nostram Catholicam profiteantur. Augetur primò hęc dubitandi ratio ex eo, quia in Republica Hebræorum diuersæ erant sectæ, videlicet Sadducæorum, & Pharisęorum, vt constat *ex c. 23 Actuum Apost. vers. 6.* ibi: *Sciens quia vna pars esset Sadducęorum, & altera Pharisęorum.* Sed Sadducæi apertè hæretici erant, quippe qui mortuorum resurrectionem negabant, & admittebantur ad cōcilia, ac synedria Igitur quia vnicuique liber est opinionum, & dogmatum delectus. Augetur secundò hæc difficultas ex parabola Patrisfamilias, qui seruis zizaniam exstirpare volentibus, & dicentibus apud Matthæum *c. 13 vers. 28. Vis imus, & colligamus ea? ait: Non, ne fortè colligentes zizania, eradicetis simul cum eis & triticum: sinite vtraque crescere vsque ad messem.* Cùm ergo passim Interpretes zizaniam hanc hęreticos esse doceant, sequi videtur,

detur, non esse cum eis vl agendum, sed tempus messis expectandum, extremum scilicet iudicij diem; Christoque Domino Iudici causæ huius cognitionem integram reseruandam esse. Deinde difficilis seu ea pars assertionis, vbi docetur, clericum hæreticum degradandum esse, & tradendum Curiæ sæculari; nam clericus, nisi incorrigibilis sit, degradari, & iudici sæculari tradi nequit, *c. cùm non ab homine, de iudicijs.* Igitur non statim ac in heresim lapsus est, degradandus venit.

11 De hæresis grauitate. Adhuc tamen defensanda est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, hæresim teterrimum crimen esse, & grauius idololatria. Sanctus Irenæus *lib. 2. aduersus hęreses, cap. 9. Hęreticis Ethnici peiores efficiunt eos, qui assentiunt eis. Illi enim creaturę potiùs quàm creatori seruientes, & his qui non sunt Dij, verumtamen primum deitatis locum attribuunt fabricatori huius vniuersitatis Deo. Hi autem hunc quidem labijs factorem dicentes, ipsi mentientes, omnem malitiam copulantes ei, eum quidem, qui est Deus, blasphemantes; eum autem, qui non est, Deum fingentes, in suam ipsorum condemnationem.* Laborarunt in grauitate, & atrocitate huius peccati detegenda viri pręstantes Stapletonius *oratione in Auspicatione controuers.* Conradus Brunus *lib. 2. de hęretic.* Petrus Simon *tract. de hęresi, c. 15.* Lensæus *lib. 13. de Christ. libert* Castro *lib. 1. de iusta hęretic. punit. c. 2* Nicol. Romeus *in Caluini effigie, in monitione ad lectorem.* Theophilus Raynaudus *in oplotheca de calumn. sect. 2 serie 1. c 5.* Salelles & alij in hoc titulo passim citati, qui omnes consentiunt, hæresim omne in se malum complecti, & esse completam quandam malitiam, vel potiùs malorum quoddam compendium; eradicat enim fidem, quæ est primum supernaturalis boni germen: radice autem auulsa, vnde existet fructus bonus in iustitia, & sanctitate veritatis? Alia sanè peccata, quamuis immania, germen radicum gratię sanctificantis, & glorię intactum relinquunt, quamuis destruant gratiam, & pręsens ius ad gloriam. At hæresis totius iustitię principium euellit, sine quo nulla actio libera supernaturalis, nulla apud Deum quomodolibet meritoria actio profundi potest. Meritò itaque sanctus August. *lib. 3. contra duas epistolas Pelag. c. 3.* censet in Scripturis nomine *peccati* absolutè dicti intelligi infidelitatē, quæ in hæreticis eo certior est, quo præcedens Dei beneficiū in baptismi susceptione eos magis obstringebat Deo. Et quamuis odium Dei, & peccata directè opposita bono diuino, vt in se est, sint tetriora quàm hæresis, ex D. Thoma 2 2. *q. 34. art. 3.* tamen eatenus infidelitas (atque adeò hæresis) potest absolutè dici *peccatum*, quia est in suo genere grauior, quàm peccata opposita virtutibus moralibus, etiam ijs, quæ extrinseca quædam Dei bona respiciunt, cuiusmodi est religio. Licet insuper hæreseos grauitatem eruere ex fœdissimis, & malignissimis eius causis, de quibus bene & latè Castro *lib 3. de iusta hęretic. punit. à c. 2. & lib. 1. aduersus hęreses, à c. 11.* Stapletonius *orat. de causa grassantium hęreseon.* Quàm verò hæresis exitiosa sit regnis, in quæ pedem infert, luculenter prosequitur Ribadeneira *lib. 1. de Princ. c. 27. & 28.* addens *c. 29* quas personas Deus repetat à Principibus, & Rebuspublicis hæresi occupatis Sunt sanè tanta hæreseos dedecora, vt non de fuerint, qui energumenismum hæresim comitari tradiderint, vt Cresolius *lib. 3. mystag. c. 16.* Hanc *Maius adulterium* nominari decernit S Ambrosius *sermon. 2. de Christi accusat.* Grauius est enim religionis adulterium quàm corporis; & plus est integritatem animæ lædere, quàm integritatem hominis violare. Hanc ob causam Agatho Abbas, vir inter monachos olim insignis, cùm ad varia probra, etiam turpitudinis, saxeus fuisset, audire tamen hæreticos nullo modo sustinuit, & rationem reddit *lib. 5. vitę Patrum, n. 21.* his verbis: *Sermonem quem obiecistis de hęresi, non potui sustinere, & valdè abominatus sum, quia hęresis separatio est à Deo.* Hæreticus enim separatur à Deo viuo, & vero, & coniungitur diabolo, & Angelis eius. Alienatus enim à Christo iam non habet Deū, quem exoret pro peccatis suis, quia ex omni parte perijt. Itaque sanctus hic Pater hęresim quouis peccato tetriorem, & auersabiliorem statuit. Egregiam tam tetræ labis detestationem suppeditauit Guillelmus Paris. *lib. 1. de mor. c. 1.*

12 De pœnis hæreticorum ex iure ciuili. Vnde contra crimen ita graue, & teterrimum iustę leges, tam ciuiles, quàm ecclesiasticę armantur. Circa pœnas autem statutas legibus contra hęreticos, non consentiunt Ant. Gomez. *lib. 3. variar. c. 2. n. 1.* Damhouderius *in praxi, c. 61.* Decianus *lib. 7. tract. crimin. cap. 1.* Farinac *de hęres. q. 112.* Ant Matthęus *de criminib. tit. 2 n 2.* Paramus *de orig. S. Inquisit lib 3. q 9. n. 114.* Conradus Kling. *lib. 3. disp. c. 22.* Gudelinus *de iure nouissimo, c. 16 n 46* Cantera *qq. criminal. c. 2. de hęresi, n. 59.* Petrus Gregor. *lib. 33. syntagm. c. 8* quorum sententijs omissis dicendum est cum Carolo Augusto Mela *p. 3. miscel. c. 10.* iure ciuili nullam certam pœnam statutam fuisse contra quoscumque hæreticos, sed tantùm priùs committendos esse vindictæ: deinde arbitraria vltione plectendos esse censuisse Imperatores *in l. 2. C. de summa Trinit.* quare aliquando eodem iure attento, tantùm ab Ecclesiarum limine arcentur, quando videlicet ob eorum multitudinem seditiones oriuntur, & vrbes deseruntur. Quandoque illis testimonium ferre prohibetur, ac vtraque testamenti factio denegatur, *l. cognouimus, l. penult. & vlt. C. de heret.* & prohibetur alia similia agere, quæ collegerunt I. Gothofred. *in parat. ad tit. C. Theodos. de hæreticis*, Vvesembechius *in paratit. ad tit. C. eodem tit.* Petrus Gregor. *lib. 33. syntag. c. 8. n. 9.* Aliquando etiam visum fuit hæreticos cum alijs fidelibus versari, sed hominum carere suffragijs, *l. 3 de apostatis.* Quandoque ex hæresis circumstantijs, atque atrocitate deportatio iniungebatur, *l. 4. 5. & 8. C. de hæretic. l. fin C. de apostat.* & consequens erat amissio bonorum, *l. deportatorum 8. C. de pœnis, l. Diuus, ff. de bonis damnat.* quæ bona pro arbitrio modò publicabantur, *l 4. C. de hæretic.* modò propinquis orthodoxis cedebant, *l. 4. in fine, l. cognouimus 9. C. de hæretic.* obseruauit Cuiac. *lib. 12. obs. cap. 30.* Sed quia hæreticorum nequitia quandoque ita atrox erat, vt eorum scelera publicum crimen inducerent, vltimum supplicium in eo sancitum fuit, *l Ariani, C. de hæretic. l quicunque, C. eod. tit.* Vnde concludit Mela *vbi suprà*, nullam certam pœnam iure ciuili in hęreticos fuisse statutam, sed tantùm arbitrariam', itavt grauiùs punirentur seductores, quàm ipsorum sectatores. Nostri Catholici Reges pœnam ignis in quoscumque hæreticos sanxerunt *in l. 2. tit. 26. part 7.* & iam anno 843. Ramirius Rex Flammis tradidit omnes sortilegos, & necromanticos sui temporis, teste Mariana *lib. 7. histor. c. 13.* & Catholicum Regem D Ferdinandum humeris propriis ligna detulisse ad comburendos hæreticos, referunt Lucas Tudensis *era 1255.* ibi: *Quoscumque reperiebat hæreticos, vt flammis exureret, ipse vice famulorum ignem & ligna eis comburendis ministrabat.* Mariana *lib. 12. histor. c 11.* ibi: *Ferdinandus Rex regnipotens, hæreticis infensus maximè, quos tormentis exagitandos curabat, solitus ipse quasi victimarius ignem arsuris manu, lignaque subijcere improbitatis odio.*

Sacri etiam Canones hæreticos non solùm affecerunt pœnis spiritualibus, videlicet anathemate, & sepulturę ecclesiasticæ priuatione, de quibus egi proximo commentario, & *in c. 1. hoc tit* verùm & temporalibus, vt infamia, qua illi, ac posteri eius notantur, *c. quicumque, §. hæretici, c. statutum, el 2. hoc tit. in 6.* Synodus Nicæna *can. 49.* apud Iulium *epist. 2. cap. 13.* ibi: *Infames esse censemus omnes, qui suam, aut Christianam præuaricantur legem.* Quod etiam legibus Regijs cautum fuit *in l. 4. tit. 26 p. 7. l. 3. tit. 8. lib. 8. Recopil.* & ad quos gradus protrahatur nota hæc, exponunt Couarr. *lib. 2 var. c. 8.* Azor *p. 1 instit. lib. 8. c. 13 q. 8* Parlador *in sesquicentur. different. 108. à num. 11.* Barbosa *in d. c. statutum.* Etiam puniuntur bonorum priuatione, vt sequenti commentario probabimus, & deportatione. Leo *epist 73. ad Leonem Imperator.* ibi: *Clerici hæretici non solùm ab ordine clericatus, sed etiam ab vrbis habitatione pellantur.* Gregorius VII *lib. 7. regestri, epist. 27.* ibi: *Iubemus vt eum facias perfidiæ nota in aperto signari, & deinde ex toto Archiepiscopatu tuo ipsum expulsum, hęresim eius cunctis detegendo vbique, quantùm potes, vt apostatam, & christianæ vnitatis inimicum non desinas persequi.* Et constat ex Pontific. Rom. *in Gelasio*, ibi: *Gelasij temporibus inuenti sunt Manichæi in vrbe Roma, quos in exilio deportari præcepit, quorumque codices ante fores Basilicæ sanctæ Mariæ incendio concremauit.* Et postea Hormisda inuenit Manichæos, quos etiam discussos cū examine plagarum exilio deportauit. Et tandem si clerici sunt, degradantur, & iudici sæculari traduntur, vt debitis pœnis plectantur, videlicet ignis supplicio, vt censuit Episcopus Alexand. *in action. 1. Concil. Chalcedon. contra Eutychen*, ibi: *Eutyches qui præter dogmata Ecclesiæ sapit, non solùm pœna dignus est, sed & igne.* Quæ ignis pœna valdè propria est hæreticorum, propter Euangelij aucto- 13 De pœnis ex iure canonico.

auctoritatem, *Ioan. c. 15.* ibi: *Si quis in me non manserit, mittetur foras, & tanquam palmes arescet, & colligent eũ, & in ignem conjicient.* Et vltimo supplicio hæreticos esse afficiendos probat Pater Menochius *lib. 2. polit. c. 3.* varijs sacræ paginæ auctoritatibus, præcipuè *Deuter. c. 13. vers. 2.* vbi ita legitur: *Si surrexerit in medio tui Propheta, aut qui somnium se vidisse dicat, & prædixerit signum, atque portentum, & euenerit quod loquutus est, & dixerit tibi: Eamus, & sequamur Deos alienos, quos ignoras, & seruiamus eis, non audies verba prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus Deus vester, vt palam fiat, vtrum diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra. Dominum Deum vestrum sequimini, & ipsum timete, & mandata illius custodite, & audite vocem eius: ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis. Propheta autem, aut fictor somniorum interficietur, quia loquutus est, vt vos auerteret à Domino Deo vestro, qui eduxit vos de terra Ægypti, & redemit vos de domo seruitutis, vt errare faceret de via, quam tibi præcepit Dominus Deus tuus: & auferes malum de medio tui.* Accedit, nam de iure ciuili rei læsæ Maiestatis populo spectante viui cremabantur Paulus *lib. 5. sentent. tit. 29.* Valer. Max. *lib. 6. c. 3.* Similiter transfugæ militiæ desertores, *l. aut damnum 8. §. hostes, l. si quis aliquid 38. §. 1. ff. de pœnis.* Ammian. Marcel. *lib. 28.* Quam pœnam etiam statutam legimus in grauiorum criminum reos, veluti in sacrilegos, *l. sacrilegij 6. ff. ad leg. Iul. pecul.* Saluianus *lib. 7. de prouidentia,* ibi: *Latro, aut sacrilegus, cùm flammis exuritur, suis criminibus concrematur.* In eos qui dant operã Barbaris, vt Romanos deprædentur, *l. si quis Barbaris 9. C. de re milit.* & qui detrectandæ militiæ causa digitos sibi præcidunt, *l. de tyronibus 5. C. Theodos. eod. tit.* in seruos seu domina rem habentes, *l. vnic. C. de mulier. quæ se proprijs seruis:* vel virginem, aut viduam rapientes, *l. vnic. C. de raptu virginum:* dominum falsò deferentes, *l. 7. C. de delatoribus,* seu eius saluti insidiantes, *l. capitalium 28. §. igni, ff. de pœnis:* in falsæ monetę auctores, *l. 2. C. de falsa monet.* In aggerum Nili corruptores, *l. vnicã, C. de aggeribus Nili:* in incensores ędium, aceruorumue frumenti, *l. qui ędes 9. ff. de incendio:* in procuratores seu actores rerum priuatarum Principis, qui Prouinciales vexant iniurijs, aut deprædationibus, *l. vniuersi, C. vbi causæ fiscales:* in magos & aruspices, *l. 3. C. de malefic. & mathem.* Paulus *lib. 5. sentent. tit. 23.* in tabularios ciuitatum, qui iniquam alicuius immunitatis professionem admittunt. *l. 1. C. de immunit. nemini conced.* in viros muliebria patientes, *l. omnes 6. C. Theodos. ad leg. Iul. de adult.* & in alijs delictis relatis in *l. vnic. C. Theod. de emendat. seruor. l. 1. eod. C. ne præter crim. læsæ Maiest. l. vnic. eod. C. si quis solidos circul.* Ita D. Ioannes Ramos *lib. 5. de parricid.* Pancitola *lib. 2. var. cap. 240.* Amaya *lib. 3. obs. c. 4.* Forner. *lib. 1. rer. quotid. c. 7.* P. Faber *lib. 2. semestr. c. 7.*

13 *T. adducitur ratio decidendi*

Quæ, & aliæ, si maiores, ac seueriores reperiri possent pœnæ iustè infliguntur, & imponuntur hæreticis, fidei Catholicę desertoribus, & violatoribus, tum ob huius criminis immanitatem, qua cætera delicta superat, vt suprà probaui: tum quia nulla fuit tam barbara gens, quę desertores proprię religionis, & eius violatores debitis non compesceret pœnis. Seneca *lib. 3. de benefic. c. 6.* ibi: *Violatarum religionum alibi, atque alibi diuersa pœna est; sed vbique aliqua.* Plato in temeratores religionis capitis pœnam sanxit. *lib. 10. de legibus.* Apud Græcos quicumque auitam religionem deserebat, aut numen aliud inuehebat, pellebatur vt insanus, aut plectebatur vt impius. Sic Pythagoras (verba sunt Athenagoræ in legatione pro Christianis) cũ trecentis alijs combustus est: Democritus ab Ephesijs pulsus: Eraclitum Abderitæ tanquam insanum exilio. Socratem Athenienses morte affecerunt. Alia refert Gentilis *de iure belli lib. 1. c. 10.* Accedunt ingentia mala, quæ ex hæresibus, & hæreticis tolerandis oriuntur; siquidem ipsi multos impellunt ad mutationem rerum, vnde coniurationes, seditiones, & conciliabula sequuntur, vt politicè differentes probant latè Pater Menochius *lib. 2. polit. c. 3.* Cochier *lib. 5. polit. c. 5.* Salcedo ad D. Thomam *de regimine Princ. lib. 3. c. 16. differs. 30.* Rectè ergo in præsenti textu iubet Lucius III. vt hæretici pertinaces iudici sæculari tradantur debitis pœnis plectendi, idest morte naturali, ad quam ipsi hodie damnantur ab ipsis Inquisitoribus, licèt exequutio fiat per iudicem sæcularem, non verò per ministros Ecclesiæ, quia id videtur decentius, & pietati Ecclesię conformius. Et esse potestatem in Ecclesia imponendi hanc pœnam, probarunt Bellarm. *tom. 1. controu. lib. 3. de clericis, c. 21. & 22.* Valentia *tom. 3. controu. disp. 1. q. 11. punct. 3.* Simancas *de Cathol. tit. 46. à n. 44.* Couarr. *lib. 2. var. c. 10. n. 10.* Suarez *de fide, disp. 20. sect. 3. n. 18. & disp. 23. sect. 3.* Nec inquisitores vllam exinde irregularitatis notam, incurrere, probaui *in c. sententiam, ne clerici vel monachi:* & omninò teneri Iudicem sæcularem exequi sententiam hanc mortis, absque eo quod cognoscere possit de eius iustitia, probaui *in c. 1. de offic. ordin.* Qui autem dicantur hæretici impœnitentes veri, vel præsumpti, exponunt Simancas, Peña & Farin. relati à Castropalao *tom. 5. oper. moral. tract. 4. disp. 5. puncto 2.*

14 *Dissolutio dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt pœna errantis tantùm sit doceri, tamen id procedit quãdo qui errat, paratus est corrigi, & deponere errorem proprium: quo casu etiam hæreticum admitti ad reconciliationem, abiurata hæresi, suprà probaui: at in pręsenti agimus de hæretico pertinaci, & impœnitenti, qui cùm paratus non sit doceri, & abiurare errores suos, omninò relaxandus est Iudici sæculari. Nec obstant variæ auctoritates, quibus facilè probatur, religionem suadendam esse, non imperandam, quibus Nouatores quotidie insurgunt, vt probent coactionem in religione adhibendã non esse, quibus valdè fauent eiusdem farinæ Alberic. Gentilis *lib. 1. de iure belli, c. 9.* Grotius *eod. tract. lib. 2. c. 20. n. 49.* nec contradicit Michael Rousselius *lib. 6. histor. P. iuris, c. 5. n. 27.* Nec aduersatur Dartis *ad 23. q. 1. c. 8. de bello.* Quibus respondendum, theorema illud accipiendum esse de his, qui nulla vnquam religione imbuti fuerunt; in his autem, qui per sacrum baptisma fidem susceperunt, aliud obseruatur. Hi enim ad fidem, quam semel professi fuerunt, reuocandi sunt; & si pœnitentia ducti resipuerint, mitiùs cum illis agitur: si autem pertinaces sint, vltimo supplicio damnantur. Nec enim illi, qui hęreticos peruicaces ad Ecclesiæ vnitatem impellunt, ad fidem cogunt, sed duritiam eorum, & perfidiam castigant, ita asserente D. Augustino *lib. 2. contra litteras Petiliani, c. 82.* ibi: *Ad fidem quidem nullus est cogendus inuitus, sed per seueritatem, immò & per misericordiam Dei tribulationum flagellis solet perfidia castigari. Nunquid quia mores optimi libertate voluntatis eliguntur, ideò mores pessimi non legis integritate puniuntur.* Quin *epist. 50. tom. 2.* vulgarem illam Nouatorum obiectionem ita soluit: *Vbi est, quod isti clamare consueuerunt: Liberum est credere, vel non credere. Cui vim Christus intulit? Quem coegit? Ecce habeat Paulum Apostolum, agnoscat in eo priùs cogentem Christum, & posteà docentem; priùs ferientem, & postea consolantem. Mirum est autem, quomodo ille, qui pœna corporis ad Euangelium coactus intrauit, plus illis omnibus, qui solo verbo vocati sunt, in Euangelio laborauit.* Facit Tertull. *aduersùs Gnosticos c. 11.* dum ait: *Ad officium hæreticos compelli, non allici dignum est. duritia vincenda est, non suadenda hæresis.* Et licèt Dominus noster cuilibet homini reliquisset liberum arbitrium, non tamen voluit vt delicta inde in hac vita impunita manerent, præcipuè hæresis, & infidelitatis, vt suprà probaui; reliquit enim liberum arbitrium quoad benè, vel malè operandum; non tamen inulta, nec in hoc sæculo reliquit maiora crimina, quibus puniendis leges tam ecclesiasticæ, quàm sæculares latæ sunt: & licèt Ecclesia aliquando non ita seuerè in hęreticos animaduerteret, id fecit, quia adhuc plena libertate, & auctoritate non fruebatur sub illis prioribus Imperatoribus; non verò quia immanitas sceleris omnibus sæculis æqualis non esset: & ita si numerus hæreticorum id expostulet, potest bellum indici, vt funditus exstirpentur: quod expressè definierunt Ecclesiæ PP. *in c. etsi Ecclesia, c. resecandæ, 24. q. 3. c. ferrum, c. tùm secundùm, de heretic. in 6.* probat cum D. Thoma *2. 2. q. 10. art. 12.* Castro *de iusta hæretic. punit. c. 12. & 14.* Victoria *in relect. de Indis, p. 1. n. 8.* pluribus relatis Solorzanus *tom. 1. lib. 2. de iure Indiar. c. 19. n. 52.* Nec obstat, quod de Sadducęis expendebamus, nam eorum impietas non multò ante Christi aduentum exorta fuit, & ita non est à Synagoga proscripta, eo quòd senescente eorum, qui Concilijs præsidebant, auctoritate, ij remissiùs agerent, qui Cathedram Moysis obtinebant, præcipuè sub Idumæo Rege Herode, qui Politicorum more ad regni commoda religionem referebat, nec quid variorum dogmatum assertores inter se digladiarentur, morabatur. Itaque cùm Sadducæorum error multos corripuisset, essentque hi opibus potentes, mirum non est, si synagogas à se excutere non

Digitized by Google

re non potuerit. Nec obstat Parabola Diui Matthæi; nam si argumentum ex ea deductum probaret, suaderet vtique non hæreticos modò impunè dimittendos esse, sed etiam fures, & homicidas, & huiusmodi sontes, qui zizaniorum nomine censentur; quamuis enim hæretici pessimum genus zizaniorum sint, non tamen propterea fures, aut homicidæ zizania non sunt. Cùm ergo paterfamilias zizania exstirpari vetuit, satis indicauit, quo pacto hoc esset accipiendum: *Ne fortè* (inquit) *eradicetis simul & triticum.* Facturus colligendi potestatem, si absque tritici detrimento, à quo fortè non ita facilè secernerentur, euelli possent, nec periculum immineret, ne pro nocentibus plectantur innoxij, quidni exstirpentur? Si verò periculum sit ne hæretici, quia potentiores, turbas excitent, aliquamue maiorem perniciem Ecclesiæ, aut Reipublicæ moliantur, tunc sanè iudicium Dei patienter expectandum est. Non debent autem facilè Principes alicuius incommodi metu, qui frequenter inanis esse potest, condescendere, vt libertatem (quam conscientiæ vocant) concedant. Nec obstat tandem quod dicebamus, videlicet clericum tantùm incorrigibilem, præmissa degradatione Curiæ sæculari tradi, *c. nouimus, de V.S.* Nam in præsenti casu, cùm clericus impœnitens est, & pertinax, nec vult Ecclesiæ reconciliari, incorrigibilis est, non quidem per delicti iterationem, sed per perseuerantiam, & impœnitentiam in eodem, vt in præsenti docuerunt Abbas *n.* 37. Henricus *n.* 8. Antonius, & cæteri antiquiores. Quare cùm incorrigibilis propriè sit, meritò præmissa degradatione, vt in præsenti cauetur, & infrà *in capite excommunicamus*, *el* 1. *§. damnati*, *capite penult. hoc titul. lib.* 6. iudici sæculari relaxatur.

C A P V T X.

Innoc. III. *Clero, Consulibus, & populo* a *Viterbiensi.*

VErgentis in senium sæculi corruptelam non solùm sapiunt elementa corrupta, sed & dignissima creatura ad imaginem, & similitudinem condita Conditoris, prælata priuilegio dignitatis volucribus cœli, & bestijs vniuersæ terræ, testatur: nec tantùm eo quasi deficiente iam deficit, sed & inficit, & inficitur scabra rubigine vetustatis. Peccat enim ad extremum homo miserrimus: & qui non potuit in sui, & mundi creatione in paradiso persistere, circa sui, & orbis dissolutionem degenerat, & pretij suæ redemptionis circa fines sæculorum oblitus, dum varijs, ac varijs quæstionum se nexibus ingerit, seipsum laqueis suæ fraudis innectit, & incidit in foueam, quam parauit. Ecce etenim inimico homine messi dominicæ superseminante semen iniquum, segetes in zizania pullulant, vel potiùs polluuntur: triticum arescit, & euanescit in paleas: in flore tinea, & vulpes in fructu demoliri vineam domini moliuntur. Noua siquidem sub nouo Testamento Achan progenies ex spolijs Iericho lingulam auream, palliolumque furatur: & Abiron, Dathan, & Chore soboles detestanda nouis thuribulis fermentatum thymiama nouis volùnt altaribus adolere, dum nox nocti scientiam indicat, dum cæcus præbet cæco ducatum, dum hęreses pullulant, & quem diuinæ reddit hæreditatis expertem, suæ constituit hæreticus hæresis, & damnationis hæredem. Hi sunt caupones, qui aquam vino commiscent, & virus draconis in aureo calice Babylonis propinant: habentes secundùm Apostolum speciem pietatis, virtutem autem eius penitus abnegantes. Licèt autem contra vulpes huiusmodi paruulas, species quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipsum, diuersa prædecessorum nostrorum temporibus emanauerint instituta, nondum tamen vsqueadeò pestis potuit mortificari mortifera, quin sicut cancer amplius serperet in occulto, & iam in aperto suæ virus iniquitatis effundat, dum palliata specie religionis, & multos decipit simplices, & quosdam seducit astutos, factus magister erroris, qui non fuerat discipulus veritatis. Ne autem nos, qui licèt circa horam vndecimam inter operarios, immò veriùs super operarios vineę Domini sabaoth sumus à Patrefamilias Euangelico deputati, & quibus ex officio pastorali sunt oues Christi commissæ, nec capere vulpes demolientes vineam Domini, nec arcere lupos ab ouibus videamur, & ob hoc meritò vocari possimus canes muti non valentes latrare, ac perdamur cum malis agricolis, & mercenario comparemur; tamen contra defensores, receptatores, fautores, & credentes hæreticorum aliquid seuerius duximus statuendum: vt qui per se ad viam rectitudinis reuocari non possunt, in suis saltem defensoribus, receptatoribus, & fautoribus, ac etiam credentibus confundantur: & cùm se viderint ab omnibus euitari, reconciliari desiderent omnium vnitati. De communi ergo fratrum nostrorum consilio, assensu quoque Archiepiscoporum, & Episcoporum apud Sedem Apostolicam existentium districtiùs inhibemus, ne quis hæreticos receptare quomodolibet, vel defendere, aut ipsis fauere, vel credere quoquo modo præsumat: præsenti decreto firmiter statuentes, vt si *b* quis aliquid horum facere fortè præsumpserit, nisi primò, secundoue commonitus à sua super hoc curauerit præsumptione cessare, ipso iure sit factus infamis: nec ad publica officia, vel consilia ciuitatum, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, nec ad hæreditatis *c* successionem accedat. Nullus prętereа ipsi cogatur super quocumque negotio respondere. Quod si forsan iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit Aduocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur. Si Tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum auctore *d* damnato damnentur: in similibus etiam idem præcipimus obseruari. Si verò clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur *e* vindicta. Si quis autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint denotati, contempserit euitare, anathematis se nouerit sententiam incurrisse. In terris verò temporali nostræ iurisdictioni subiectis, bona *f* eorum statuimus publicari, & in alijs idem fieri præcipimus per Potestates, & Principes sæculares, quos ad exequendum, si fortè negligentes existerent, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compelli volumus, & mandamus: nec ad eos bona ipsorum vlteriùs reuertantur, nisi eis ad cor redeuntibus, & abnegantibus hæreticorum consortium aliquis voluerit *g* misereri, vt temporalis saltem pœna corripiat, quem spiritualis non corrigit disciplina. Cùm enim secundùm legitimas sanctiones, reis læsæ Maiestatis punitis capite, bona confiscentur ipsorum, eorum filijs vita solummodò ex misericordia *h* conseruata,

seruata, quantò magis qui aberrantes in fide, Deum, & Dei Filium Iesum Christum offendunt, à Capite nostro, quod est Christus, ecclesiastica debent districtione præcidi, & bonis temporalibus spoliari; cùm longiùs sit grauius æternam, quàm temporalem lædere Maiestatem. Nec huius seueritatis censuram Orthodoxorum etiam exhæredatio filiorum, quasi cuiusdam miserationis prætextu debet vllatenus impedire: cùm in multis casibus, & secundùm *i* diuinum iudicium filij pro patribus temporaliter puniantur, & iuxta canonicas sanctiones quandoque feratur vltio non solùm in auctores scelerum, sed & in progeniem damnatorum. Datum Later. viii. Kal. April. Pontificatus nostri anno secundo.

NOTÆ.

a *Viterbiensi.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 1 & in ipsis epistolis Innocentij coloniæ editis, *lib.2. epist.1. fol.278.* ex quo integram huius textus restituo. Raynerio II. ipsius Ecclesiæ Præsuli in præsenti rescribit Innoc. De Ecclesia Viterbiensi nonnulla adduxi *in c.3. de seq poss.*

b *Si quis autem.*] Verba quæ sequuntur, vsque ad ea, *momenti censeantur*, transcripserunt Fridericus Imperator *in authentica Credentes, C. hoc tit.* PP. Concilij Later. *in c. excommunicamus, §. credentes, hoc tit.* vbi ea exponemus.

1 c *Successionem.*] Legitimam, seu testamentariam, quarum incapaces sunt Hæretici postquam damnari fuere, *l.4. §. præterea, & §.5. C. de heret. l.1. C. de apost. l.4 tit.3. part.6. l.4. tit.26. part.7. l.4. tit.4. lib.8. Ordin.* Si verò hæredes instituantur post commissum crimen, sed ante sententiam, hæreditas ad fiscum pertinet. Cantera *qq. crimin. c.1. de heret. n.19.* Azeuedo *in l.10. tit.9. lib.5. Recop.* etsi decesserint delata illis hæreditate, sed nondum adita. Molina *de iustitia tom.4. disp.658. n.19.* Fachin. *lib.2. consil. 16. n.5.* Crespy de Valdaura *obseru.97. n.43.* Giurba *consil. 55. n.15.* Mar. Muta *dec.49. n.27.* Acosta *in § & quid si tantùm, 2. par. n.177.* Masin *de confisc. quæst.36. num.28.* Arias à Mesa *lib.3. var. c.42. n.12.* & ita iudicatum fuit in hoc supremo Inquisitionis Senatu hoc anno 1671.

d *Damnato damnetur.*] Iuxta textum & eius communem interpretationem *in c. fraternitati, hoc tit.*

e *Vindicta.*] Iuxta tradita *in c. cùm quidam, de iureiur.*

2 f *Bona eorum*] Tam in hac sexta, quàm in tertia collectione legitur *hereticorum*, sed minùs rectè, iuxta verba præcedentia, in quibus Innocentius semper egit de fautoribus, & receptatoribus hæreticorum; & sequentia ibi: *Et abnegantibus hereticorum consortium.* Ex quibus expressè deducitur, in præsenti epistola tantùm agi de compescendis fautoribus, defensoribus, & receptatoribus hæreticorum, illisque non resipiscentibus ab huiusmodi delicto, pœnam amissionis bonorum imponi; sed forsan quia hæc pœna confiscationis bonorum vsu recepta non fuit, ideò licèt ad litteram textum hunc transcripserint Patres Concilij Later. *in d. cap. excommunicamus, §. credentes*, Fridericus *in d. authent credentes;* omiserunt tamen pœnam hanc priuationis bonorum: & in fautoribus, defensoribus, credentibus, & receptatoribus hæreticorum eam locum non habere constat *ex c. accusatus, § si verò; hoc tit. in 6* in illis verbis: *Sub obligatione bonorum suorum.* Et ibi: *Hæredes, ad quos bona huiusmodi.* Et ita docuerunt Farinac. *de hæresi q.182. §.3. n.52.* Cantera *in qq. crim. tit. de hæretic. c.1. n.55.* Castropalao *tom.1. oper. moral tract 4. disp.3. punct.6. n.4.* Diana *part.4. tract. 6. resol.22.* Fermosinus *alleg. 42. n. 20.* qui allegatione sequenti explicat, quando maleficis confiscatio bonorum imponi possit, nisi credentes non sint tantùm hæreticorum, sed potiùs ipsius hæresis, ita vt credant eosdem errores, quia illi vt hæretici damnantur, *c. penult. hoc tit. in 6.* Quo casu procedit textus *in c. si aduersus, hoc tit.* ibi: *Ipsorum bona debent confiscari.* Et ita praxi receptum est, vt fautoribus, receptatoribus, & alijs suspectis tantùm de hæresi, bona non auferantur: quare & cùm carceri mancipantur, ea distinctio in bonorum adnotatione seruatur, vt hæretici formales cum sequestratione bonorum capiantur, suspecti verò de hæresi, vt fautores, & defensores, polygami, sortilegi, & similes, tantùm cum bonorum annotatione carceri mancipentur, vulgò *con embargo de bienes.* Sequestratio enim bonorum differt ab annotatione in eo, quod annotatio est quædam species sequestrationis minùs propriæ, quia in ea manent bona apud ipsum dominum, vel apud personam ab ipso designatã; sequestratio verò propriè est, cùm deponuntur res apud aliam personam electam à iudice: quæ sequestratio tantùm locum habet cùm bonorum confiscatio imponenda est. Quam differentiam agnouerunt Carleual *de iudicijs lib.1. tit.3. disp.2. q.3. n.145.* Cabedo *decis.86. part.1.* Guido Papæ *decis.340.*

g *Voluerit misereri.*] Regulariter enim certum est, hæreticos, etsi conuersi, & pœnitentes reconcilientur, non effugere confiscationem, nec recuperare bona, nisi forsan ex gratia speciali, vt probat Pesia *3. p. Director. commentar.142.* Farinac. *de hæresi q.190. n.144.* Carena *2. p. de offic. Inquisit. q.15.* Ricciulus *lib.6. de iure person. c.42.* Diana *p.4. tract.8. resol.88.* Sanchez *lib.2. summæ, c.14 n.12.* Fermosinus *alleg.44 & 48 per totam.* Ratio est, quia per pœnitentiam non eximitur reus à pœna criminis, nisi quatenus iure expressum est, *l. qui ea mente, ff. de furtis:* non autem reperitur in iure cautum, hæreticum per pœnitentiam effugere confiscationis pœnam: igitur per conuersionem bona non recuperant, etsi contrarium tenuerint Monachus, Archid. & relati per Geminianum *in d. cùm secundùm, n.5.* Parisius *lib.4. consil.2.* Iul. Clarus *§. hæresis, n.8* Rolandus *consil.63. n.34.* Zanchinus *de hereticis, c.25.* Nec illis fauet textus *in c. accusatus, §. si verò, vers. porrò, hoc tit in 6.* quia reiecta littera, quam retinent Calderinus, Archidiaconus, & Geminianus *ibi*, dicendum est, in eo §. non agi de hæreticis, sed de fautoribus, & receptatoribus eorundem, quibus priuatio bonorum non est imposita, vt suprà probaui. Nec etiam illis fauet textus *in authent. idem est, C. hoc tit.* in illis verbis: *Si conuersi fuerint, restituenda.* Tum quia textus ille procedit iuxta ius antiquum, quo bona ab hæreticis absolutè non auferebantur, vt infrà dicemus: tum quia continet gratiam specialem Imperatoris deferentis bona filijs hæretici conuersi. Nec tandem illis fauet D. August. relatus *in c. quod autem 33. q.7.* in illis verbis: *Vtinam conuertantur, & possideant, non tantùm quæ antea possidebant, sed etiam alia.* Nam sanctus Doctor accipiendus est sequuta superioris concessione, nam ex Principis, seu Pontificis indulgentia possunt heretici conuersi recuperare bona sua: & communi praxi receptum est, vt sponte comparentes, hæresimque, in quam inciderunt, abiurantes, bona retineant, ex speciali indulgentia Domini Inquisitoris Generalis, vt refert Fermosinus *d. alleg.48 per totam.*

h *Misericordia conseruata.*] Verba sunt textus *in l. quisquis, §. filij, C. ad leg. Iul. Maiest.* ibi: *Paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur.* Et licèt hoc iniquè ab Imperatoribus sancitum putauerint Couar. *lib.1. var. c.8. n.1.* Ioannes Stephanus Menochius *lib.2. c.12.* Castro *de iusta hæretic punit. lib.2. c.10.* Vasquez *in 1. p. disp.135. c.3.* tamẽ propter immanitatem sceleris lesę Maiestatis verissimè Imperatores dixisse, se filijs humanitate suggerente vitã conseruasse, cùm alij eos vltimo supplicio affecissent, referunt Ammianus Marcellinus *lib.28.* ibi: *Intercepti Imperiali motu interiere omnes ad vnum, eorumque soboles, parua etiam, tum ne ad parentum exempla subcresceret.* Curtius *lib.2.* Iustinus *lib.21.* Tertul. *lib.4. poetic.*

Auctores scelerum (facinus ne cresceret vltra)
Extinxit, sobolem patrum peccata sequentem.

Cicero *lib.1 epist.12.* vbi de filijs Lepidi ait: *Nec verò me fugit, quàm sit acerbum parentum scelera filiorum pœnis lui: sed hoc præclarè legibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes Reipublicæ redderet.* Docuerunt Turturetus *in paralellis, differt.31.* Petrus Gregorius *lib. 35. syntagm c.1. n.25. & 26* Gentilis *lib.1. de coniuratione, fol.76.* Feloaga *in l. quisquis, dilucid.2. n.28.* Sed cùm certũ sit, neminem posse pœna corporali pro alterius delicto puniri, vt infrà dicemus; verius credo in præsenti Innocentium, & Imperatores *in d. l. quisquis*, ea verba adduxisse arguendo de minori ad maius quoad pœnam confiscationis, non quia iure stricto possit filius pro peccato parentis vltimo supplicio, aut pœna corporali affici.

i *Diuinum iudicium.*] Nam plerumque in sacra pagina iubentur filij corripi, dum pater deliquit, vt constat *ex c.* 5

7.9.18.

7.9.18 & 19. Genes. c.5. & 19 Deuteron. Iosue c.6. & 7. lib. 1. Regum, c 22 & 28, lib. 2. c. 2. & 12 lib. 3. c. 21. Numeror c. 14. & 17. Ioannis cap. 7. Lucæ c. 21. Matthæi cap. 24. quorum plures casus referuntur in cap. Ecclesiæ, cap. homini, §. econtrà, 1 q. 4. cap. Achab, de pœnit. dist. 3. aliaque exempla adducunt Gigas de crimine læsæ Maiest. lib. 3 Pechius in c. non debet, de R. I. lib. 6. Petrus Gregor. lib. 3. syntag. c. 4. n. 4. & lib. 35. c. 1. à n. 13. D. Perez in l. 1. tit. 1. lib. 1. ordin. §. vlt. Gibalinus tom. 2. de negot. lib. 6. c. 2. art. 5. Menochius de præsumpt. lib. 5. præsump 35. Vasquez in prima secundæ, disp. 135. c. 1. Castro de iusta hæret. punit. lib. 2. c. 11. Elsricus Hunnius ad Treult. disp 32. thes. 1. q. 21. Baronius anno 33. Mainlus dier. canical. fol. 837 Marquez in gubern. lib. 1. c 32 Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. c. 22. Petrus Faber lib. 3 semestr. c. 20. Basil Legion q. 5. expositiua, c. 2. Acuña in cap. sacris, 56. dist. Sed quatenus hæ sacræ paginæ auctoritates procedant, dicemus Infrà in sulutione dubitandi rationis.

COMMENTARIUM.

6 Conclusio traditiue, & probatur.

EX hoc textu, prout transcribitur in præsenti à Raymundo, præsens deducitur assertio: *Hæretici priuantur bonis proprijs, etsi filios catholicos habeant.* Probant eam textus in c. ad abolendam, hoc tit c. cùm secundum leges hoc tit. in 6 c. super quibusdam, de V. S. l. Manichæos, l. Arriani, Authent Gazaros, C hoc tit. l. 7. 8. & 9. C. Theod. eod. tit. l. 1 C. de apostat l. fin. C. Theod. eod. tit Nouel. Valentin. de Manichæis, tit. 2 l. 4. l. 17. tit. 2 lib. 12. fori iudicum, l. 7. tit. 2. lib. 4. fori Castell. l. 7. tit. 24. l. 4 & 5. tit. 25. l. 1. & per totum tit. 26 part. 7. l. 3. tit. 4 lib. 8. Ordin. l 1. tit. 3. lib. 8. Recopil vbi regnicolæ repetentes. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Gutierrez de delict. q. 33. & 34. Hermosilla in l. 1. glossa 2 tit. 4. p. 5. Amaya in l. 4. nu. 38. C. de iure fisci, Guazinus de confiscat conclus. 13. Masinus eod. tract. q. 4. Sanchez lib. 2. sum. cap. 24 Fermosinus ad hunc textum, alleg. 1. cum sequent Ricciulus de iure person. lib. 5. c. 31. cum sequent. Robertus lib. 1. rer. iudic. c. 12. Fragoso p. 1. de regim. Christ. Resp. lib. 1. disp. 2 § 9 Acacius de priuil. parent. priuil. 3. c. 6. Bronchorst enantioph. cent. 2. assert. 72. Gentilis de coniurat ad leg. quisquis, c. 7 & 8. Fornerius lib. 3. rer. quotid. c. 17. Mancinus de triplici iuris collat. lib 1. c. 7. Calatayud in paraphrasi, c. 5. Gibalinus de negot. tom. 2. lib. 6. c. 1 Balduinus ad nouel. 17. Antonius de Bellis de crimine læsæ maiest. c. 3. Altamiranus de filijs officialium, c. 7. Salelles de materijs tribunal. S. Inquisit. lib 6. cap. 4 cum sequent. Morla in empor tit. de legibus, q. 9. Escobar de vtroque foro, art. 4. Martha de iurisdict. part. 2 c. 35. Torreblanca de iure spirit. lib. 13. c. 9. Murga tom. 2. disq tract. 1. disquisit. 1. dub. 10 §. 19. & dub. 13. conclus. 3. Suarez de fide, disp. 22. sect. 1. Arias à Mesa lib. 3. var. cap. 29. Becanus in 1. 2 q 4. Bordonus de sacro Tribun. cap. 12. num. 109. Thomas Delbene part. 1. de offic. Inquisit. dub. 106. Arniseus de maiest. c. 6 num. 8. & nos latè in iuris allegatione circa hanc confiscationem edita.

7 Impugnatur tradita assertio

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Pœna ibi debet esse, vbi noxa est, l. respiciendum, ff. de pœn. quia peccata suos tenent auctores, nec vlteriùs progreditur metus, quàm reperitur delictum, l. si pœna 20. ff de pœnis, l sancimus, C. eod. Cassiodor. lib. 1. var. c. 11. nam facinus auctores solos insequitur, l. tutorem, ff. de his quibus vt indign. l. 74. l. 117. de R. I. §. 1. Instit. de noxal. textus in c. 12. de R. I. in 6. cap. Romana, §. in vniuersitatem, de sent. excom. eod. lib. Nec immeritò, cùm vnusquisque delicti sui pœnam sufferat, l si ex duobus 15. l. 1 §. planè, ff. de tutel. & rationibus distrahend. l. qui proprio 46. §. item contrà, de procurat. l si communis 9. de noxalibus, l. inter cohæredes 45. § quod ex facto, ff. famil. erciscundæ, l. rei vxoris 24 C. de donat inter, l. 2 C. ne vxor pro marito, cap quæsiuit, in fine, de his quæ fiunt à maiori part. cap l. 9 tit. 31. par. 7. l 9. tit. 5. lib. 4. fori. Immò & circa filios expressè docuit Consultus in l. crimen, ff. de pœnis, crimen, vel pœnam paternam, nullam maculam filio infligere. Refertur in c. crimen, 1. q. 4. Concil. Tolet. 4. can. 60. Consonant lex 2. §. in filijs, ff. de Decur. lex nihil, C. de quæstionibus. Faciunt Cicero de natura Deorum, ibi: *Ferretne vlla ciuitas latorem huiusmodi legis, vt condemnaretur filius, aut nepos, si pater, aut auus deliquisset.* Quintil. declamat. 279. *Quid hæc ætas committere potuit tanta animaduersione dignum? Lex abdicationis aduersus ferociam iuuenum constituta est. Hæc verò infirmitas adeò nocentis nomen non recipit, vt vix recipiat innocentis; quis enim locus innocentiæ relinquitur, si alienum crimen maculat nescientem.* Et declamat. 366. *Non omnes lex punit, sed conscios, sed participes sceleris. Illis irascitur qui cum patre peccant; nec enim innocentes vlla lex punit.* Et ab specie criminis læsæ Maiestatis Dionysius Halicarn. pag. 250. agens de liberis Cassij ait: *Cùm autem nonnulli ipsius etiam Cassij liberos interficere conarentur, hoc atrox, & perniciosum exemplum Patribus est visum: itaque cùm in Curiam conuenissent, factum est Senatusconsultum, quo adolescentibus pœna est remissa, illisque nec exilio multatis, nec ignominia affectis, nec alia calamitate accepta, tutissimè viuere concessum est: & ab eo tempore vsque ad hanc nostram ætatem hic mos Romæ perpetuò seruatus est, vt nulla parentum delicta liberi suo supplicio luant, siue illi sint tyrannorum filij, siue parricidarum, siue etiam proditorum, quod apud illos est grauissimum.* Et ita filium ex dolo, vel delicto paterno non teneri, docetur in l. 8 §. fin. ff. de in ius vocando, l. 9. ff. de Senatoribus, l. 34. §. vlt ff. de ritu nupt. l. 11. C. de quæstionibus, l. 33. §. vlt. C. de inofficioso, l. 22. C. de pœnis, l. 24. C. de donat. inter, l. 3. §. 9 ff. de muner & honor. l. 1. & per totum C. ne filius pro patre, l. spurij 6. de Decur. l. si cui 7. §. 3 ff. de accus. l. post 5. §. si pater, ff. de his quæ vt indign. l. 4. l. Diui 17 ff. de iure patr. l. lenones, C. de spectaculis, lib. 11. l. 3. ff. de interdict. & releg. l. 2. §. 2 de Decur. l. 22. C. de pœnis, l. 2. §. 1. & l 9. de Senator. l 2 C. de libertis, l. 12. C de cohortalib l. 24. §. his illud, C. de nuptijs, l. 7. C. de princip. agent. in reb. lib. 12. c. nunquã 4. cum sequentibus, 56. dist. c. 1. & per totum 1 q. 4. P. Faber lib. 3 semestr. c. 8 Marquez in suo gubern. lib. 1. cap. 32. Amaya lib 2. obs. c 7. n. 48. Igitur filij, præcipuè Orthodoxi, non debent ob hæresim parentum eorum successione priuari. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam etiam casu, in quo bona parentum confiscantur, filijs seruatur sua legitima portio, l 1. & l. cùm ratio, ff. de bonis damnat. l. eorum, ff. ad leg. Iul. Maiest. ibi: *Bona liberis damnatorum conferunt, & tunc demùm vindicari fisco, si nemo damnati liberorum existat.* Tacitus lib 4 annal. de liberis Caij rei Maiestatis ait: *Omnia bona paterna eis relicta, excepta quarta parte, quæ iudicij ex lege deberetur.* Et l. 1. C. Theod. de bonis proscript. ibi: *Si verò filij, vel filiæ, vel nepotes ex defunctis filijs relicti erunt, dimidia parte fisco vindicata, alia eis reseruetur.* De qua dimidia parte accipiendam esse legem 38. de pœnis, legem 40. de hæred. instit. & legem 53. de iure fisci, docuit D. N Ant. de exilio lib. 2. c. 22. n 8. & ab specie patris in hæresim lapsi idem cauetur in l Manichæos, C. hoc tit iuxta litteram, quam restituit Cuiac. lib. 12. obs c. 3. ex l. 40 C. Theodos. de hæreticis, ibi: *Liberos quidem habentes Orthodoxos, in eos, & solos abintestato transmittunt.* Et l. cognoscimus, Authent. Idem Nestorianis, C. eod. tit. Probant Merlinus de legit. lib. 3. tit. 1. quæst. 31. n. 1. Guttierez de delictis, quæst. 40. num. 12. Masinus de confiscatione, quæst. 28. num 7. Igitur si filij extant, præcipuè Orthodoxi, non debent bonis parentum priuari, & ad perpetuam egestatem condemnari ob eorum hæresim.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, confiscationem, seu publicationem bonorum non habere locum, nisi in casibus à iure expressis; quia cùm importet priuationem, per quam bona priuatorum ab eis auferuntur, & fisco adiudicantur, non nisi ex iuris auctoritate infligenda est, authent. de non eligend secundò nubentibus, §. cùm igitur. Et ita ex nullo delicto, quamtumuis atrociori, posse priuationem bonorum irrogari, nisi auctoritate Principis, probant latè Alfaro de offic. fiscal. gloss. 20. Castillo de tertijs, c 41. n. 150 Fermosinus alleg. 1. n 3. illis tamen casibus rectè confiscationem fieri, contra Bodinum tenet Marquez in Gubernat. lib. 2. c. 17. §. 2. in addition. Suarez de fide, disp. 22. sect. 1. varios casus, in quibus publicatio bonorum locum habet, referunt Guazinus, & Masinus in suis tract. de confiscat. bonorũ, Ant. Matthæus de criminibus, ad tit. de inquisitione, Amaya ad tit. C. de pœnis fiscalibus: ex quibus de confiscatione bonorum, quæ sequitur ex delicto læsæ Maiestatis humanæ, vel diuinæ, tantùm in præsenti agendum est: & scire oportet, inter alias pœnas reis læsæ Maiestatis impositas, quas congesserunt Gigas in tract. de crimin. læsæ maiest. Ant. Matthæus de crimin ad tit. de leg Iul. Maiest. Scipio Gentilis integr. tract. de coniur. Iacob Gothofredus & Feloaga ad l. quisquis, C ad legem Iul. Maiest. Sauarus ad Sidonium, lib. 1. epist. 7. Demsterus ad Rosinum lib. 7. c. 5. Bulengerus de Imperator. c 10. D. Ioannes Vela de delict. c. de lege Iul. Maiest. Larrea alleg. 65. cum duabus sequent. Fornerius 3. rer.

8 De bonorum confiscatione.

quo-

Digitized by Google

*quotid.cap.*17 plures congesti à Pichardo *de delictis*, *verbo Lex Iulia maiestatis*, non leuiorem esse bonorum publicationem, ad quam spectant textus *in l.fin.ff. de legationibus*, *l.*1. *C. de bonis damnat.l.quæsitum,ff.qui & à quibus*, *l.*3.*Cod.Theodos.de pœnis tyrannor. l.*2. *C.de bonis proscript.l.Pannonius* 86.*ff.de acquir hæred.l.cùm filius* 76 *§. fin.ff.de legat.*2.*l* 14.*§ si libertus ,ff.de bonis libert l.*4.*ff.de iurepatron.l.*1.*§.*3.*ff.de suis & legit.hæred.l.cùm hic status* 32.*§.*7.*ff.de donat.inter* , *l.*3.*ff.de interdict.& releg.l.*19. *§. transfuga,ff.de captiuis*, *l.*15.& 31. *§.fin.ff.de donat. l.*7.*ff. de donat.causa mort.* Igitur reis læsæ Maiestatis humanæ ex omni iure, diuino, ciuili, & regio bona confiscantur, vt constat ex *lib.*2.*Regū*,*c.*16.& 19.*l.Pannonius*,*§.rei perduellionis,ff de acq.hæred.l.eorum,ff.ad l.Iul.maiest.l.quisquis,C.eod.tit.l.si quis,C.de bonis proscrip.Nouel* 17.*Iustin. c.*12 & 134.*c.vlt.Nouel.Maiorani,tit.*7.*l.vnic.tit.*2.*l.*1.*fori, l.*2.*tit.*2.*p* 7.*l.*2.*tit.*19.*l* 8 *ordin.l.*1 & 2 *tit.*18 *l.*8.*Recop.* P. Greg *lib.*35.*synt.c.*1.Iul.Clar.*lib.*5.*sent.* vbi Baiardus *n.*25. Chopinus *de domanio Regis*, *lib.*1.*tit.*8. Borel. *de præstantia Regis c.*71. Clapmarius *de mysterijs rerum arcan. lib.*4. *cap.*15.Guazinus *de confiscat.bonor. conclus.* 13. *nu.*3. Gutierez *de delict.q.*33.& 34.Mieres *de maiorat.p.*1.*q.*1.Masinus *de confiscat.q.*3.*num.*1 Antonius Matth. *de crim. ad tit.de pœnis*, *c.*2 *n.* 1. Hæc tamen confiscatio non fit ipso iure, sed per sententiam, vt facilè probatur *ex l.fin. C.ad leg.Iul maiestatis*, & *ex cap. cùm secundùm,hoc tit.in* 6. vbi cùm Pontifex adduxit varia iuris ciuilis exempla ad iustificandam pœnam confiscationis ipso iure, quam contra hæreticos statuebat, omisit crimen læsæ Maiestatis humanæ, quod primum sese offerebat, tanquam magis simile, iuxta præsentem textum, quia scilicet in eo confiscatio bonorum non contingit ipso iure, sed post sententiam condemnatoriam: quod etiam suadetur *ex l. quæsitum* 15 *ff.qui & à quibus*, *l. ex iudiciorum* 20 *ff.de accusat.l.*22.*in princ.l.*46.*§ in reatu,ff. de iure fisci*, *§. interdum,Instit.de hæreditatibus quæ ab intestato*, Peregrinus *de iure fisci lib.*5 *tit.*1.*n.*171.Bossius *in praxi,tit.de crim.læsæ Maiest.num.*93 Marinis *decis.*92.& 126.Gigas *de crim.læsæ Maiest.q.*25.Bocerus *eod.tract. quæst.*3.*n.*21. Antonius Faber *lib.*7.*coniect.cap.*20.etsi contrarium tenuerint Decianus *lib.*7.*tract.crim.c* 40.*n.*6.Iulius Clarus *vbi suprà,n.* 9.Colcrus *de process.executiuis*, *part.*1.*c.*3.*n.* 84. etsi administratio bonorum illis ipso iure interdicta sit, *l. quæsitum* 15.*ff.qui & à quibus,l.post contractum* 15.*ff.de donat.* de quorum expositione videndi sunt Iul. Pacius *cent.* 6. *quæst.*64. Alberic.Gentil.*lib.*1.*lectionum,cap.*13.Osualdus *ad Donel.lib.*2. *cap* 9. *littera A.*

9 De confiscatione ex causa hæresis. Deinde sciendum est, reis læsæ Maiestatis diuinæ, videlicet hæresis, bona confiscari, tam mobilia, quàm immobilia, iura, & actiones, ex iuribus suprà citatis pro illustratione conclusionis: quę confiscatio procedit in illis bonis, quæ tempore criminis commissi reus habebat, & ad hæredes extraneos transmittere poterat. Ratio est, quia iuri consonum est, eius qui se delinquendo pœnis subiecit, *l.Imperatores,ff.de iure fisci*, bona in fiscum recidere per tacitum consensum, quę per expressum in quem vellet, & ita in extraneos hæredes potuit transferre, *l.* 2. *C.ad leg.Iul.de vi public. l.*1. iuncta Glossa ibi, *C. de bonis libert.* Vnde constat.bona aliena apud hæreticum reperta, eidemque non obligata, statim domino esse restituenda argumento legis *in fraudem*, *§.*1.*ff.de iure fisci*: resoluit Simancas *de Catholicis,tit.*46 *n.*8.Inde deducitur, bona ea, quæ reus acquisiuit post reconciliationem, & condemnationem, ad fiscum non pertinere, quia non sunt hæretici, sed Catholici, *cap statutum* 2.*hoc tit.in* 6.*cap.felicis,vers.Verùm,de pœnis,eod.lib.* docet Fachin.*lib.*9.*controu. c.*51. quia publicatio præsentia tantùm bona adimit, non etiam futura, *l.si mandauero* 22.*ff. mandati*, ibi: *Quia publicatis bonis, quicquid postea acquiritur, non sequitur fiscum.* Docent Mieres *de maiorat.* 1.*p. q.*1.*à n.*351. Merlinus *controu.cent.*2. *c.*20.& 21. Arias à Mesa *lib* 3. *var.cap.*11.*num.*13. Olea *de cess.iur. tit.*3.*q.*10 *n.*23. Fermosinus *alleg.*30.*per tot.* adeò vt si pater decedat, postquā filius reconciliatus est, eius legitima portio ad fiscum nō pertineat, vt resoluunt Carleual *de iudicijs tit.*3.*disp.*20. *n.*5.Farinac.*de hęresi,q.*24.Giurba *ad consuet. Messan. c* 4. *glossa* 5.*n.*18. Merlinus *de legit. lib.*3.*tit.*1.*q.*33. Masinus *de confiscatione*, *q.* 28. *n.*114. quare reus ipse poterit bona ipsa redimere, siue per se, siue per alium, *l. cotem* 11. *§. eam rem,ff.de public.& vectig.l.eius qui* 8.*§.*1.*ff.de testam.* Nec tunc obstat textus *in l.*2.*C.de bonis proscript.* vbi Imperator Alex. docet, deportatum nec in ea bona, quæ postea quæsiuit, hæredem habere posse. Pro cuius textus conciliatione cum dicta lege *si mandauero*, *§. is cuius*, varia adduxerunt Osualdus *lib.* 27. *Donel. cap.* 4. *littera G*, Pacius *cent.* 4. *q.* 87. Amaya *lib.* 1. *obseru. cap.* 11. *nu.* 25. & *in l.* 1. *C. de iure fisci*, Faber *in ration. ad textum in d. §. is cui*, Cuiac. *in d.l.*2. & *lib.*6. *obseru.cap.* 23. ex quorum mente dicendum est, Paulum *in d.§.*is cui, agere de eo, cuius bona publicata sunt citra deportationem, qui cùm capite minutus non sit, alia bona acquirere, & de his testamentum condere valet: at verò Imperator *in d. l.*2.agit de deportato, cuius bona in consequentiam publicantur; nam cùm ille capite minuatur, testamentum facere nequit, quia necessariò fiscum hæredem habet. Aliter antinomiam illam componunt Olanus *lib.*4. *Paralip.cap.*13.*num.*34. D.Nicol.Ant. *de exilio lib.*2. *cap.*16. D. Ioseph de Retes *lib.* 3. *de interdict. & releg. excursu* 5.*num.*48. & asserunt verba illa, *non sequitur fiscum*, accipienda esse, dum viuit deportatus, non verò eo mortuo, quia tunc fiscus ea bona occupat.

Alia quęstio est circa bona, seu iura conditionalia, quę reo læsæ maiestatis competunt, an ad fiscum pertineant? 10 De bonis sub conditione debitis. Quam latè examinant Ricciulus *de iure person. lib.* 5. *cap.*32.*num.*22 Fermosinus *allegat.*31.& 32 Sed pro eius solutione discrimen est constituendum inter bona debita hæreticis sub conditione in testamento, vel codicillis adiecta; & inter ea, quæ debentur sub conditione ratione contractus: nam primo casu, cùm adhuc non cesserit dies, nec ad hæredes extraneos similia bona transmittantur, *l. vnic §.fin autem*, *C. de caduc. tollend.* Faber *lib.*15.*coniect. cap.*6. & 7. Vela *tom.*1. *dissert.*11. *n.* 5 Solorzanus *de iure Indiar. tom.*2. *lib.*2. *cap.*11. *à num.*46. ita ad fiscum non pertinent. Secundo verò casu cùm obligatio prouenit ex contractu, vel quasi, cùm talis obligatio statim quæratur, ideòque ad hæredes extraneos transmittatur, *l si quis* 57.*ff.de V.O. l.necessariò* 8.*ff. de periculo & commodo*, *l.quoties*, *C. de donat.* nisi sit conditio potestatiua, *l.si decem petiero,ff.de V.O.* Castillo *tom.* 3.*controu.cap.*14.Olea *de cess.iur.tit.*3.*quæst,*10 *num* 8.tale ius, etsi conditionale, ad fiscum pertinet, *l inter* 26. *§. vlt ff.de pact.dotal.* Simancas *de catholic. c.*9. *num.*62. Gomez *lib.*3. *var. cap. fin. num.* 2. Idem dicendum est de alimentis singulis annis hæretico præstandis; nam si ex contractu debeant, ad fiscum pertinent, argumento legis *si Stichum* 16. *in fine*, *l. Senatus* 35. *§.fin. ff. de donat. caus. mort.* Si verò ex vltima dispositione, quia pro primo anno pura, pro sequentibus verò conditionalia sunt, itaque futura, *l.si in singulas*, *ff. de annuis legat.* ad fiscum non pertinent. Iul.Clarus *§.hęresis*, *num.*23. Tandem notandum est, quod ea bona, quæ deferuntur hæretico, etiam retento in carceribus, ante condemnationem, & reconciliationem, ad fiscum pertinent, vt generali consuetudine receptum esse docent Tellus Fernandez *ad l.*3. *Tauri*, Simancas *vbi suprà*, *num.*71.

Deinde vt ad bona restitutioni subiecta, seu quæ ad 11 De bonis maioratus. hæredes extraneos non transeunt, perueniamus, sciendum est, huiusmodi bona alienari prohibita, & restitutioni subiecta, qualia sunt bona maioratus in Hispania, ad fiscum non pertinere, ob delictum possessoris, *l Imperator,ff.de fideicommiss.libert.l.iura,ff.de iurepatron.* Molina *lib.vlt.de primog. cap fin. num.* 5. Tellus Fernandez *in l.*27.*Tauri*, *num.*18.Molina *lib.* 4. *cap. vlt. à princ.* alter Molina *de iustitia*, *disp.*656. Sanchez *in pręcept. Decalog. tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 16. Gomez *in l* 40. *Tauri*, *num.*92. Mieres *de maiorat.* 4. *part. quęst.* 23. Gutierrez 2. *practic. q.* 66 Castillo *tom.* 6. *controu. cap.* 160. *num.* 8. Castro *lib.* 2. *de iusta hęretic. punit. cap.* 2. Sarmiento *lib* 3. *select. cap.* 3. plures quos laudant, & sequuntur Gibalinus *de negot. tom.* 2. *lib.* 6. *cap.* 2. *art.* 12. Fermosinus *allegat.*15. *per totam.* Faciunt textus *in cap. Imperiale*, *§. illud,de prohibitione feudi per Fridericum*, *cap. si vassallus*, *si de feudo fuerit controu.* vbi docetur, ob delictum vassalli non confiscari feuda illa, quę tantùm iure sanguinis, aut ordine geniture deferuntur, non verò ad hæredes extraneos transeunt. Nec obstabit si dicas, propter hæresim ad fiscum pertinere omnia bona, quæ in dominio hæretici erant, ex præsenti textu, & *cap. cùm secundùm*, *hoc tit.* at bona maioratus, quantumuis restitutioni subiecta, sunt bona possessoris, quorum ipse dominium habet, *l.non ideò minùs*, *ff.de rei vindic. l.generaliter*, *§. sub conditione*, ibi: *pleno iure*,

iure, ff. qui & à quibus: probat latè Molina *de primogen. lib. 1. q. 25. n. 29.* Nam respondeo fatendo possessorem maioratus censeri dominum dum viuit, sed nòn simpliciter, & absolutè, vt bona in quoscumque hæredes transferri possint; sed cum onere eadem relinquendi ijs, qui ab institutione vocantur, prohibita omni alienatione, & propterea cessat confiscatio. Vnde responderi potest, argumentum procedere in confiscatione illius dominij, quod durat penes ipsum possessorem, dum viuit, & ita fructus maioratus, dum viuit possessor, ad fiscum spectant, iuxta textum *in l. Statius, §. Cornelio, ff. de iure fisci*, Molina *lib. 1. c. 9. n. 24. & c. 20. n. 9. & lib. 4. c. fin. n. 6.* Chumacero *select. disp. 10.* Pichardus *in l. Gallus, c. 7.* Nicolaus Antonius *lib. 2. cap. 10. & 16.* pro qua sententia expendi possunt lex *facto 17. §. si quis rogatus 6. ad Trebel.* lex *cùm pater 77. § hæreditatem 4. de legat. 2.* lex *si postulauerit 27. §. iubet lex, ff. ad leg. Iul. de adult.* & qui de commendis, & earum fructibus agit, Solorzanus *to. 2. lib. 2. c. 27. n. 22.* non verò in confiscatione absolutè, & in perpetuum possessoris præiudicium. Nec etiam obstat textus *in l. 1. C. de bonis libert.* vbi docetur, ob immanitatem criminis læsæ Maiestatis confiscari etiam iura libertorum, quæ ad extraneos hæredes non transeunt, *l. iura, ff. de iurepatron. l. 1. §. si autem, C. de Latina libert.* Nam respondetur *in d. l. 1.* agi de iuribus libertorum, quæ secundùm iuris communis regulas etiam ad hæredes extraneos transire possunt, *leg. 2. C. in ius vocando.* Alia pro ipsius textus conciliatione cum dicta lege *iura*, adduxerunt D. Nicolaus Antonius *lib. 2. de exilio, c. 16.* D. Ioseph de Retes *in l. 3. ff. de interdict. & releg.* Feloaga *in l. quisquis, elucid. 2. n. 13. C. ad leg. Iul.* Genoa *in conciliat. legum, fol. 215.* Manet ergo, bona feudalia, maioratus, & similia, propter crimen læsæ maiestatis, tam diuinæ, quàm humanæ, ad fiscum non pertinere: quod & latè probant Molina *lib. 1. de primog. cap. 8.* vbi addentes, *n. 6. pag. 532.* Iacob. Vvander. Græf. *in l. non dubito, ff. de captiuis, n. 45.* quæ sententia limitatur, vbi maioratus instituitur ex facultate Regia, adiecta clausula consueta, videlicet vt bona nòn deferantur in fiscum ob crimina possessoris, præterquam in crimine læsæ Maiestatis, hæresis, & Sodomiæ; tunc enim si possessor aliquod istorum criminum perpetrauerit, quoad vitam eius bona fisco acquiruntur. Quod plures sublimitant, nisi adiecta sit clausula, quæ apponi solet in institutione maioratus, videlicet quod si possessor proposuerit admittere aliquod crimen confiscatione dignum, statim, vel hora præambula amittat bona, & ea ad sequentem possessorem transeant; nam tunc verè nec per momentum temporis apud fiscum manent. Molina *lib. 2. c. 12. n. 56. & 57.* vbi addentes: *& lib. 4. c. vlt.* Valentia *in lectur. ad titulum de legatis, tract. 2. c. vlt. n. 6.* de cuius clausulæ effectu videndi sunt Tello Fernandez *in l. 17. Tauri*, Peralta *in l. 3. §. vlt. n. 127. ff. de hæred. instit.* Fermosinus *alleg. 15. per totam*, Castropalao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. disp. 5. punct. 6. & 7.* Sanch. *lib. 2. summæ, c. 18. per totum*. Tandem bona, seu iura personalia, personæ ipsi inhærentia, vt ius reuocandi libertatem, seu donationem, aut dicendi testamentum inofficiosum, ob hæresim non publicari, docuerunt plures relati à Fermosino *allegat. 32.* & quid in emphyteusi ecclesiastica, & iurepatronatus obseruetur, disputant latè Lambertinus *de iurepatron. lib. 3. q. 8* Simancas *de Catholic. tit. 8. n. 95.* Azor. *to. 1. instit. lib. 8. c. 12. q. 9.* Suar. *de fide disp. 22. sect. 5 n. 6.* Vasquez *1. 2. disp. 169. n. 19.* Marinis *to 1. decis. 123.* Farinac. *de hæresi, q. 190. n. 24.* Castropalao *d. disp. 5. punct. 1.* Sanch. *d. lib. 2. c. 19.* Gibalin. *to. 2. de negot. lib. 6. art. 1. c. 2.* Et iuspatronatus ecclesiasticum illos amittere, constat *ex cap. in quibusdam 12. §. sacri, iuncto cap. ad aures 10. de pœnis, Clement. 1. eod. titul.* iure verò patronatus libertorum credo eos non priuari, quia iure ciuili, & Principum constitutionibus, in crimine læsæ Maiestatis illis conseruabatur, *l. 4. ff. de iurepatr. l. eorum 9. ff. ad leg. Iul. Maiest* etsi strictò iure illud amitterent, *l. 3. ff. de interd. & releg.* quo modo textus illos componunt Cuiac. *6. obseru. 2;*. Faber *in l. 97. de R. I.* Larrea *decis. 34. num 62.*

12 *An confiscatio fiat ipso iure.* Deinde sciendum est, an hæc publicatio bonorum contingat ipso iure, ita vt à tempore patrati criminis, idest lapsus in hæresim, amittat reus verum dominium rerum suarum, an verò à tempore sententiæ condemnatoriæ bona ipsa confiscentur. Et reos ipso iure priuari dominio, probarunt Ant. Gom. *lib. 3. var. c. 2. n. 1.* Azor. *1. p. inst. lib. 5. c. 7. q 7.* Farinac. & alij plures, quos recenset Sanch. *lib. 2. in Decalog. c. 22. n. 2.* Contrarium tamen, videlicet dominium adhuc in delinquente residere, probant Victor. *in relect. de Indis insulanis, n. 14.* Vasq. *in 1. 2. disp. 170. c. 3.* Molina *de iust. tract. 1. disp. 95.* Henriq. *lib. 13. summ. c. 56. n. 2.* Peregr. *de iure fisci, lib. 5. tit. 1. n. 171.* Fachin. *lib. 1. controu. cap. 35.* Sanch. *d. lib. 2. summ. c. 22.* Faber *lib. 7. coniect. c. 20. n. 2.* Sot. *lib. 1. de iust. q. 6. art. 6.* Vasquez *in 1. 2. q. 36. art. 4.* Carleu. *de iud. lib. 1. tit. 2. disp. 1. n. 16.* Thom. Delbene *de offic. Inquis. 1. p. dub. 34. sect. 2.* Sed pro huius difficultatis solutione supponendum est, verba hæc, *ipso iure*, variè accipi in vtroque iure, vt probant Verrucius, & Brissonius, *v. Ipso iuri*, Tiraquel. *in l. si vnquam, verbo Reuertatur, num. 408.* Amaya *in l. 1. C. de iure fisci, ex n. 57.* Pereyra *de manu reg. 2. p. c. 64. n. 2.* Alfaro *de offic. fiscal. glossa 20. n. 310.* Guazinus *de confiscat. conclus. 14. 15. & 18.* Prado *to. 1. Theolog. Moral. c. 3. de legib. q. 11.* Castillo *lib. 5. controu. c. 137. & de aliment. c. 57.* I. Paulus Melius *in addit. ad ipsum*, Cuiac. *lib. 1. obseru. c. 27.* Frequenter tamen apud Consultos, & frequentiùs in iure canonico, ipso iure fieri dicitur id, quod à lege ipsa, absque vllius hominis opera, vel auxilio introducitur, vt *in l. dotem 61. ff. de ritu nuptiar. l. quod dicitur, ff. de impensis in rebus dotalibus, Clem. 1. §. præterquam, hoc tit. cap. quàm, in fine, de vsuris in 6.* & alibi passim: iuxta quem sensum licèt aliàs inter se non opponantur, ipso iure, & iure prætorio, *l. 1. ff. quibus modis vsusfructus, princip. Instit. de perpet. & tempor.* ipso iure, & per exceptionem, *l. 4. ff. de seruitutib. §. in bonæ, Inst. de actionib.* in casibus tamen vbi de pęna criminis, vel nullitate actus agitur, opponuntur ipso iure, & per sententiam iudicis; ita quod pœna dicatur incursa ipso iure, vbi lex ipsa statim admisso crimine sententiam per se fert, & per se pęnam præscribit, ita quod sententiam iudicis imponentis non exigat. Dicitur autem pęnam ipso iure incurri, non tantùm vbi verba hæc reperiuntur, vel alia similia, scilicet *ipso facto*, vt *in Clement. attendentes*, vbi Glossa vltima, *de statu monach. c. 2.* vbi Glossa *verbo Si quis, ne cleric. vel monach. lib. 6. & eo ipso*, vt *in cap. quàm sit*, vbi Glossa, *de elect. hoc libro*, cum alijs congestis à Tiraquell. *vbi suprà, n. 142.* sed etiam nisi aliud constet, vbi in præteritum, vel præsens textus verba concipiuntur, vt si dicatur, *sit priuatus, sint confiscata, amittat, sciant se incurrisse, vel amisisse*: aliter si in futurum tempus, ad iudicem, vel factum hominis referantur, veluti si lex dicat, *incurrat, iudex priuabit, reuocabit*, vel quid simile; nam tunc pęna imponenda est per iudicis sententiam, non verò ipso iure incurritur, vt varijs exemplis explicant Tiraquell. *vbi proximè*, Castro *d. c. 6. n. 6.* quibus suppositis, licèt attenta præsenti Innocentij constitutione hæc confiscatio bonorum fieret per sententiam iudicis, tamen ex textu *in c. cùm secundùm, hoc tit. 6.* ibi, *ipso iure decernimus*, & iuxta hanc nouam constitutionem bona hæretici in dominio fisci sunt, non verò in dominio rei. Quod etiam probatur ex lege *commissa, ff. de publicanis*; nam aliàs ante sententiam defuncto reo bona ipsa ad hæredes transirent, nec egerent præscriptione ad ea acquirenda, iuxta textus *in l. cùm hæres, ff. de acquir. possess. l. sequitur 4. §. lana, ff. de vsucap.* sed indigent præscriptione, *cap. 2. de præscript. lib. 6.* Igitur quia aliena sunt, videlicet fisci, vt docuerunt repetentes *in d. cap. cùm secundùm*, Couarr. *de sponsal. 2. par. cap. 6.* Iul. Clar. *§. hæresis, num. 13.* Et ergo publicatio hæc à die sententiæ, sed retrotrahitur ad diem commissi delicti, ita vt ab hoc die reus in fraudem Fisci nihil alienare possit, *leg. post 15. l. 31. ff. de donat. l. quæsitum, ff. qui & à quibus*: acquirere autem potest, dum non est reus declaratus. Immola *in cap. 2. de test. num. 44.* Molina *de iust. tom. 1. disput. 154. & tom. 3. disp. 658.* Tell. Fernand. *in l. 4. Tauri, num. 34.* Muta *decis. 49. num. 21.* Fragoso *de regim. Christ. Reipubl. lib. 3. disp. 5. num. 25.* Nec obstant fundamenta, quibus moti contrariam sententiam tenuerunt suprà citati, & Bartolus *in l. Imperator, ff. de iure fisci*, Gigas *de crimine lęsę Maiest. tit. de pœnis, quęst 25.* Sotus *lib. 1. de iustit. quęst. 6. art. 6.* Non primum, scilicet quod traditione dominium transfertur, *l. traditionibus, Cod. de pactis*: nam regula illa non procedit, vbi per legem confiscatio inducitur, vt in dicto capite *cùm secundùm, d. l. commissa*; quia tunc dominium transfertur in fiscum ministerio legis, absque vllo hominis facto: textus elegans apud Vlpian. *in fragment. tit. 19. de dominijs, in princ. & §. leg.* Nec obstat secundùm deductum ex dicta lege *quæsitum 15. ff. qui & à quibus*; nam textus ille, & similes loquuntur de crimine læsæ Maiestatis humanæ, in quo confiscatio ipso iure non contingit, vt suprà probaui, & docet D. Ioseph de Re-

de Retes *de donat. cap.8. num.21. & de donat. inter, cap.8. num.*8. Verum etsi dominium bonorum hæretici à die perpetrati criminis ad fiscum spectet, vnde in sententijs, quibus hæretici ipsi declarantur, adijcitur tempus ex quo rei effecti sunt, vt ad illud tempus confiscatio bonorum referatur, non verò incipiat à tempore sententiæ declaratoriæ; tamen possessio ipsorum bonorum manet penes reum quousque sententia feratur. Vnde non tenetur hæreticus etiam publicus bona sua offerre fisco, nec etiam fiscus potest ea occupare ante sententiam declaratoriam per Inquisitores prolatam, vt expressè cauetur *in dict. cap. cùm secundùm*. Fiscus enim nequit occupare bona alicuius, quando ea iure possidet, *cap. in litteris, de restitut. spoliat.* docuerunt Couarruu. *dict. cap.6.* §.8. *num.*10. Gomez *lib.3. variar. cap. vlt. num.3.* Sanchez *lib.2. summæ, cap.22. num.7.* Suarez *de fide, disput.22. sect.3.* Castropalao *tom.1. tract.4. disput.5. punct.18. num.2.* Alfonsus à Castro *lib.2. de lege pœnali, cap.10. & 11.* Vasquez *in leg.2. disput.170. cap.3.* Gibalinus *tom.2. de negotijs, lib.6. cap.2. art.3.* qui ex his principijs latè exponunt vulgarem quæstionem de nullitate alienationis à reo factæ post crimen admissum ante sententiam declaratoriam.

13 Traditur ratio decidendi. His suppositis, ratio præsentis assertionis, quare videlicet hæretici bonis priuentur, prouenit ex eo, quia hæresis plerumque à diuitiarum cupiditate procedit, iuxta illud Pauli 1. *ad Timoth. cap.6. Radix omnium malorum cupiditas, quam quidam appetentes, errauerunt à fide.* Illustrat Castro *lib.2. de iusta hæretic. punit. cap.5.* Tum etiam, quia quo hæretici sunt cæteris hominibus peiores, eò magis diuitiæ sunt eisdem auferendæ, ne cum illis noceant, vt ex Aristotel. *lib.2 moral.* & alijs probat Simancas *de Catholic. tit.9. num.1.* Tandem, vt pro immanitate sceleris iustè puniantur, vt ita vita sit illis supplicium, & mors solatium, vt aiunt Imperatores *in dict. leg. quisquis*, Claudianus *in Rufinum lib.1.* ibi: *Concessaque vita dolori*: Gregorius *in cap. quorundam, 74. distinct.* ibi: *Vt vitam sibi pœnam existimet*, Valerius Maximus *lib.2. cap.2. de Calphurnia*, ibi: *Amarum lucis vsum experirentur, mortemque, quam effæminatæ timuerant, viriliter optarent.* Cæsar apud Sallustium *in coniurat. Catilinæ*, ibi: *De pœna possum equidem dicere id quod res habet, in luctu, atque miserijs, mortem ærumnarum requiem, non cruciatum esse*: vt ita etiam ipsi sine hærede decedant, quod non leuem ignominiam continet, *leg. & quia 6. ff. de interrog. action.* §.1. *Institut. quibus ex causis manumitt.* & si filios habent, magis inde terreantur, dum vident eos ad egestatem perduci, vt latè illustrat Feloaga *in dict. leg. quisquis §. filij*: atque vt ita cum bonis ipsis in vitia paterna non succedant, juxta illud Saluiani *lib.1. ad Eccles. Cathol.* ibi: *Quod penè omnes parentibus suis filijs non magis in patrimonia, quàm in vitia succedunt, nec magis facultates paternas sumunt, quàm prauitates, ac sic transeuntes semper in mores patrum, antè eorum incipiunt nequitiam, quàm substantiam possidere.* Rectè ergo inter alias pœnas, quibus ex vtroque iure afficiuntur hæretici, statuta est priuatio bonorum, vt ita ipsi provt sunt degeneres, & carnales, diuitijs affluentes, magis terreantur per illarum priuationem, quàm alijs pęnis, argumento legis *bona fides, §. nam malè, ff. depositi.* Cui tamen bona ipsa sint applicanda, exponemus infrà *in cap. excommunicamus, §. damnati.*

14 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius expositione dicendum est, quod quamuis nemo absque causa, & culpa puniri possit, tamen absque culpa cum causa puniri valet, *cap. quoniam, §. scire, vt lite non contestata, cap. renouantes*, & ibi Glossa verbo *priusquam, 22. dist. cap. antiqua, de priuil.* vnde *in cap.21. Exodi* iubetur pecus occidi, etsi ratione carens, ob causam quam reddidit D. August. *in cap. mulier, 15. quæst.1.* quam illustrant Feloaga *in dict. leg. quisquis, dilucidatione 2 num.* 21. D. Martinus de Larreategui *lib 8. select. cap.9. n.3.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 10. & dimidio, quæst.10.* Petrus Gregor. *lib.4. partit. tit.14. cap. fin.* Fornerius *lib.1. select. cap.10.* Alberic. Gentil. *in lectionibus Virgil. cap.12.* Solorzanus *de parricid. lib.1. cap.2.* Vilar. *respons.4.* Deinde sciendum est, neminem puniri posse pro alio pęna æterna, aut spirituali (intelligo spiritualem quamcunque ecclesiasticam, aut canonicam, vt sunt interdictum, irregularitas; seu amissionem gratiæ Dei, aut eorum, quæ ad animæ salutem necessaria sunt:) de qua accipiendum est illud Ezechielis *cap.18.* ibi: *Anima quæ peccauerit, ipsa morietur.* Loquitur enim de morte æterna, non autem de temporali. Deinde notandum est, nouum non esse, vt aliquando Deus Opt. Max. ob alterius delictum Innocentes puniat temporali, & corporali pœna, veluti filios propter delictum parentum, vel è contrà, ex causis judicio humano latentibus, vt docent D. Augustin. *q.8. in Iosue*, D. Thomas 2. 2. *q.108. artic.4.* quo modo procedunt auctoritates sacræ paginæ suprà congestæ, quas ita exponunt Couarruu. *lib.2 variarum cap.8.* Feloaga *in dict. leg. quisquis*, Gibalinus *de negot. lib.6. cap.2. artic.5 per totum*, Marqu. *in Gubernat. lib. 1. cap.31.* Robertus *lib.2. rer. iudic. cap.9.* Solorzanus *lib. 2. polit. cap.16. pag.152.* Tapia *tom.1. Caten. moral. lib.3. q.16. art.10.* Sed legislator ciuilis in hac parte iudicium diuinum imitari non potest, ita vt pro culpis alienis Innocentes puniat; tunc enim licebit hominibus diuina iudicia imitari, quando ea ex manifestis causis procedunt: at verò vbi ex occultis, & latentibus nobis iudicium instruitur, secus est, cùm homines ignorent prorsus quid expediat; atque ita nullo pacto licebit iudici etiam supremo quempiam pro crimine alieno occidere, fustibus cædere, excommunicare, vel corporali pœna afficere: iuxta quam doctrinam accipiendi sunt textus *in cap. 24. Deuteron.* ibi: *Non occidentur patres pro filijs.* Et *cap.22. Exodi*, ibi: *Insontem, & iustum non occides.* Et similes suprà citati pro dubitandi ratione. Pœna verò temporali, vt est infamia, amissio bonorum, aut similis, filij pro peccatis parentum puniri valent, *cap. Iudæi 1. quæst 4. cap.1. & per totam 56. distinct. c.1. 70. distinct. cap. minor 17. q.4* Concil. Toletan. *16. c.11.* latè probant Acacius *de priuil. parent. priuil.3. cap.6.* Gibalinus *dict. cap.2. art.6. per totum*, Vasquez *1. par. in 1. 2. quæst.135.* quia licèt in eis non detur culpa, adest tamen causa, & multiplex, vt probant Gothofred. *in leg. 26. de pœnis*, Feloaga *in d. cap. quisquis*, & notaui *in cap.1. de filijs Presbyter.* Vnde cùm in præsenti agatur de pęna temporali, videlicet priuatione bonorum, ideò Innocentius statuit, vt hæretici bonis omnibus priuentur, etiamsi filios orthodoxos habeant, qui per consequens successione parentum priuantur, latè probat Thomas Delbene *par.1. de offic. Inquisit. dubit.173.* cùm quoad bona plerumque delictum patris noceat filio, *leg.3. §. si emancipatus, de bonor. possess. contra tabul. l.6. 15. & 17. ff. de iurepatron. l.11. C. de bonis libertorum.* Nec obstat vltimum augmentum ipsius dubitandi rationis, deductum *ex dict. l. Manichæos*, cum similibus: pro cuius expositione diuersa tempora distinguenda sunt. Primum nascentis Ecclesiæ, quo Ecclesia, quæ velut nouum germen radices firmas non egerat, Principum auxilio destituta hæreticos seuerè punire non poterat, vt docuit D. August. *in cap. displicet, vers. Repetis, 23. q.4.* & tradit Castro *lib.2. de iusta hæretic. punit. cap.4.* Secundum tempus cępit ab Imperatoribus Arcadio, & Theodosio, qui circa annum Domini 390. inter alias hæreticorum pęnas statuerunt confiscationem bonorum, non absolutè, sed in defectum filiorum Catholicorum, quibus stantibus deferebatur successio, vt sic allicerentur ad parentum correctionem, & denunciationem: quod & sequentes Imperatores firmarunt. Ad quod tempus referendi sunt textus *in d. l. Manichæos, l. cognouimus, Authent. idem, C. hoc tit. cap. quo iure, 8. dist. d. cap. Iudæi 1. q.4. cap.1. 23. q.7.* Successit tertium tempus nostri Innocentij, qui in præsenti textu absolutè constituit bona hæreticorum esse confiscanda per sententiam, quantumuis filios habeant catholicos: quod & firmauit Bonifacius VIII. *in d. cap. cùm secundùm*, adijciens vt hæc confiscatio fiat ipso iure. Quam temporum distinctionem notarunt Glossa penultima, & Villalobos *in ærario litt. C, n.15.* Tellus Fernandez *ad l. 4. Tauri, n.34.* qui rectè animaduertunt, textus suprà citatos, necnon leges partitæ ab eis adductas hodie locum non habere, cùm attentis nouis constitutionibus Innocentij *in præsenti*, & Bonifacij *in d. cap. cùm secundùm*, hæreticorum bona confiscentur, quantumuis ipsi filios orthodoxos habeant: ad filios tamen ante delictum genitos non protrahi præsentem textum, docueruut plures, quos refert & sequitur Marinis *to.2. resol. cap.95.*

CAPVT XI.

Idem *Illustri Regi* a *Aragoniæ*.

SI aduersus nos terra consurgeret. *Et infrà*: Licèt autem à *b* nobis, & prædec. *c* nostris contra hæreticos multa sint constituta, nec habeatis excusationem aliquam in peccatis, quasi antiquorum obliti fueritis mandatorum; & quia plus timeri solet, quod specialiter iniungitur, quàm quod generaliter imperatur, aduocatis, & *d* scriniarijs firmiter inhibemus, ne præfatis hæreticis, dum fuerint in sua contumacia, & errore paternis, vel credentibus, fautoribus, & defensoribus eorundem vllo tempore in aliquo præstetis auxilium, consilium, vel fauorem, nec eis in aliquibus causis, vel factis, vel aliquibus litigantibus sub eorum examine vestrum *e* patrocinium præbeatis, & pro ipsis publica instrumenta condere, vel aliqua scripta facere nullatenus attentetis. Quod si contrà præsumpseritis, ab officio vestro suspenso perpetuò vos decernimus infamiæ subiacere. Cæterùm ne iudices, & scriniarij, qui consenserunt præfatis hæreticis, in huiusmodi præsumptione temeraria sociati, de sua nequitia glorientur, cùm priuilegium mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, eos ab officio suo iudicamus esse suspensos, decernentes irritum, & inane quicquid per ipsos hæreticos prædictos factum fuerit, vel statutum.

NOTÆ.

1 a ARagoniæ.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.*2. non autem reperitur textus hic inter epistolas ipsius Pontificis editas à Sirleto, & Bosqueto. De hoc Rege Aragoniæ egi *in cap. quanto*, 18. *de iureiur.*

b *Nobis.*] Suprà *in cap. vergentis.*

c *Nostris.*] Suprà *in cap.*6. 7. & 8.

d *Scriniarijs.*] Idest tabellionibus, vt notaui *in cap.*13. *de præscript.*

2 e *Patrocinium.*] Aduocati prohibentur patrocinium præstare hæreticis notorijs, & manifestis, non solùm ipsorum errores defendendo, *cap.*2. §. *hæretic. cap. vt offic. in princip. cap. fin. hoc tit. in* 6. verùm & eis, postquam constat hæreticos esse, in causis ciuilibus patrocinium præstare, quia videntur eos fouere: non autem prohibentur hæreticos defendere, dum illi suspecti sunt de hæresi, & intendunt probare propriam innocentiam, ac se nunquam fecisse, aut dixisse aliquod hæreticum: quo casu agitur de defensione legitima, quæ nemini denegatur, in tribunalibus etiam sanctæ Inquisitionis. Vnde reis aduocati conceduntur, cùm ipsi aut crimen negant, aut fatentur, sed aliquas exceptiones allegare intendunt. Impœnitenti verò etiam aduocatus assignatur, qui postquam cognoscit eius pertinaciam, eum deserit. De his aduocatis, & eorum partibus latè agunt Simanc. *de Catholicis, tit.*5 *num.*2. Sousa *in aphorism. Inquisit. cap.*35. Eymericus 3.*par. direct. n.*117. Salelles *to.*1. *de myster. tribun. lib.*1. *c.*6. *regul.*42. Paramus *lib.*3. *de orig. S. Inquis. c.*4. Carena *de offic. Inquisit. p.*1. *tit.*10. §. 2. Thom. Delbene *p.*1. *de offic. Inquis. dub.*26.

CAPVT XII.

Innocent. III. *Vniuersis Christifidelibus, tam in vrbe* a *Metensi, quàm eius Diœcesi constitutis.*

CVm ex iniuncto nobis Apostolatus officio simus secundùm Apostolum sapientibus, & insipientibus debitores, pro vniuersorum salute nos oportet esse solicitos, vt & malos retrahamus à vitijs, & bonos in virtutibus foueamus: tunc autem opus est discretione maiori, cùm vitia sub specie virtutum occultè subintrant, & angelus satanæ se in angelum lucis simulatè transformat. Sanè significauit nobis venerabilis frater noster Metensis Episcopus per litteras suas, quod tam in diœcesi, quàm vrbe Metensi, laicorum, & mulierum multitudo non modica, tracta quodammodo desiderio Scripturarum, Euangelia, Epistolas Pauli, Psalterium, Moralia Iob, & plures alios libros sibi fecit in *b* Gallico sermone transferri, translationi huiusmodi adeò libenter, vtinam autem & prudenter intendens: vt secretis conuentionibus talia inter se laici, & mulieres eructare præsumant, & sibi inuicem prædicare: qui etiam aspernantur eorum consortium, qui se similibus non immiscent; & à se reputant alienos, qui aures, & animos talibus non apponunt. Quos cùm aliqui parochialium sacerdotum super his corripere voluissent, ipsi eis in faciem restiterunt, conantes rationes inducere de Scripturis, quod ab his non deberent aliquatenus prohiberi. Quidam etiam ex eis simplicitatem sacerdotum suorum fastidiunt: & cùm ipsis per eos verbum salutis proponitur, se meliùs habere in libellis suis & prudentiùs se posse id eloqui, submurmurant in occulto. Licèt autem desiderium intelligendi diuinas Scripturas, & secundùm eas studium adhortandi reprehendendum non sit, sed potiùs commendandum: in eo tamen apparent meritò arguendi, quòd tales occulta *c* conuenticula celebrant, officium sibi prædicationis vsurpant, sacerdotum simplicitatem eludunt, & eorum consortium aspernantur, qui talibus non inhærent. Deus enim lux vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, in tantùm odit opera tenebrarum, vt Apostolos suos in mundum vniuersum prædicaturos Euangelium omni creaturæ missurus, eis apertè præcepit dicens: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta. Per hoc manifestè denuncians, quod euangelica prædicatio non in occultis conuenticulis, sicut hæretici faciunt; sed in Ecclesijs iuxta morem catholicum est publicè proponenda. Nam iuxta testimonium Veritatis, omnis qui malè agit, odit lucem. & ad lucem non venit, ne eius opera arguantur. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quæ in Deo sunt facta: propter quod cùm Pontifex interrogasset Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius, respondit: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Porrò si quis

obijciat, quod iuxta præceptum dominicum non est sanctum dandum canibus, nec margaritæ mittendæ sunt ante porcos, cùm & Christus ipse non omnibus quidem, sed solis Apostolis dixerit: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, cæteris autem in parabolis: intelligat canes, & porcos non eos esse, qui sanctum gratanter accipiunt, & margaritas libenter acceptant; sed illos, qui sanctum dilacerant, & margaritas contemnunt, quales sunt qui Euangelica verba, & Ecclesiastica Sacramenta, non vt Catholici venerantur, sed abominantur potiùs vt hæretici, oblatrantes semper, & blasphemantes: quos Paulus Apostolus post primam, & secundam commonitionem docet esse vitandos. Arcana verò fidei sacramenta non sunt passim omnibus exponenda; cùm non passim ab omnibus possint intelligi, sed eis tantùm, qui ea fideli possunt concipere intellectu: propter quod simplicioribus inquit Apostolus: Quasi paruulis in Christo lac potum dedi vobis, non escam. Maiorum est enim solidus cibus, sicut alijs ipse dicebat: Sapientiam loquimur inter perfectos, inter vos autem nihil iudicaui me scire, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. Tanta est enim Diuinæ Scripturæ profunditas, vt non solùm simplices, & illiterati, sed etiam prudentes, & docti non plenè sufficiant ad ipsius intelligentiam indagandam. Propter quod dicit Scriptura; Quia multi defecerunt scrutantes scrutinium. Vndè rectè fuit olim in lege diuina statutum, vt bestia, quæ mentem tetigerit, lapidetur: ne videlicet simplex aliquis, & indoctus præsumat ad sublimitatem Scripturæ Sacræ pertingere, vel eam alijs prædicare. Scriptum est enim: Altiora te ne quæsieris. Propter quod dicit Apostolus: Non plus sapere, quàm oporteat sapere, sed sapere ab sobrietatem. Sicut enim multa sunt membra corporis, omnia verò membra non eundem actum habent; ita multi sunt ordines in Ecclesia, sed non omnes idem habent officium; quia secundùm Apostolum, alios quidem Dominus dedit Apostolos, alios Prophetas, alios autem Doctores, &c. Cùm igitur Doctorum ordo sit quasi præcipuus in Ecclesia, non debet sibi quisquam indifferenter prædicationis officium vsurpare, nam secundùm Apostolum: Quomodo prædicabunt, nisi mittantur? Et veritas ipsa præcepit Apostolis: Rogate Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam. Quod si fortè quis argutè respondeat, quia tales inuisibiliter mittuntur à Deo, etsi non visibiliter mittantur ab homine, cùm inuisibilis missio multò sit dignior, quàm visibilis; & diuina longè melior, quàm humana: Vnde Ioannes Baptista non legitur missus ab homine, sed à Deo, sicut Euangelista testatur: Quia fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Potest, & debet vtique ratione præuia responderi, quod cùm interior illa missio sit occulta, non sufficit cuiquam nudè tantùm asserere, quod ipse sit missus à Deo, cùm hoc quilibet hæreticus asseueret; sed oportet, vt astruat illam inuisibilem missionem per rationem miraculi, vel per Scripturæ testimonium speciale. Vnde cum Dominus vellet mittere Moysen in Ægyptum ad filios Israel, vt crederetur ei, quod mitteretur ab ipso, dedit ei signum, vt conuerteret virgam in colubrum, & colubrum iterum reformaret in virgam. Ioannes quoque Baptista suæ missionis speciale testimonium protulit de Scriptura, respondens Sacerdotibus, & Leuitis qui missi fuerant ad interrogandum quis esset, & quare baptizandi sibi officium assumpsisset: Ergo vox clamantis in Deserto: Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Non ergo credendum ei, qui se dicit, missum à Deo, cùm non sit missus ab homine, nisi de se speciale proferat testimonium de Scripturis, vel euidens miraculum *d* operetur. Nam & de his, qui missi leguntur à Deo, Euangelista testatur. Quod ipsi profecti prædicabant vbique, Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Licèt autem scientia valdè sit *e* necessaria sacerdotibus ad Doctrinam, quia iuxta verbum propheticum: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore eius; non est tamen simplicibus sacerdotibus etiam à Scholasticis detrahendum, cùm in eis sacerdotale ministerium debeat honorari, propter quod Dominus in lege præcepit: Dijs non detrahes; sacerdotes intelligens, qui propter excellentiam ordinis, & officij dignitatem, Deorum nomine nuncupantur. Iuxta quod alibi dicit de seruo volente apud Dominum remanere, vt dominus offerat eum Dijs. Cùm enim iuxta verbum Apostoli, seruus suo Domino stet, aut cadat; profectò sacerdos ab Episcopo, cuius est correctioni subiectus, debet in mansuetudinis spiritu castigari, non autem à populo, cuius est correctioni Præpositus, in spiritu superbiæ reprehendi; cùm iuxta præceptum Dominicum pater, & Mater non debeant maledici, sed potiùs honorari: quod de spirituali patre multò fortiùs debet intelligi, quàm carnali. Nec quisquam suæ præsumptionis audaciam illo defendat exemplo, quod asina legitur reprehendisse Prophetam, vel quod Dominus ait: Quis ex vobis arguet me de peccato? Et si malè loquutus sum, testimonium perhibe de malo; cùm aliud sit fratrem in se peccantem occultè corripere: quod vtique quisque *f* tenetur efficere secundùm regulam Euangelicam; in quo casu sanè potest intelligi, quod Balaam fuit correptus ab asina: & aliud fratrem suum etiam delinquentem reprehendere manifestè, ac præcipuè fatuum pro simplici appellare: quod vtique nulli licet secundùm Euangelicam veritatem. Nam qui etiam fratri suo dixerit Fatue, reus erit gehennæ. Rursus aliud est, quod Prælatus se spontè, de sua confisus innocentia subditorum accusationi supponit; in quo casu præmissum Domini verbum debet intelligi: & aliud est: quod subditus non tam animo corripiendi, quàm detrahendi exurgit temerarius in Prælatum, cùm eum potiùs maneat necessitas obsequendi. Quod si fortè necessitas postularit, vt sacerdos tanquam inutilis, aut indignus, à cura gregis debeat remoueri, agendum est ordinatè apud Episcopum, ad cuius officium tam institutio, quàm destitutio Sacerdotum noscitur pertinere. Illud autem tanquam de supercilio Pharisæorum procedens debet ab omnibus aspernari, quod tanquam ipsi soli sint iusti, cæteros aspernantur: cùm & hactenus ab initio nascentis Ecclesiæ multi fuerint viri sancti, qui nec tales fuisse leguntur, nec talibus adhæsisse, cùm de nouo tales surrexisse legantur, qui nisi contenti sint doceri potiùs quàm docere, ad illos forsitan pertinebunt,

quibus

quibus Dominus ait: Nolite fieri plures magiſtri. Nos ergo filij, quia paterno vos affectu diligimus, ne ſub prætextu veritatis in foueam decidatis erroris, & ſub ſpecie virtutum, in laqueum vitiorum: vniuerſitatem veſtrum rogamus attentiùs, monemus, & exhortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccatorum iniungentes, quatenus, ab his, quæ ſuperiùs reprehenſibilia denotauimus, & linguam, & animum reuocetis, fidem catholicam, & regulam eccleſiaſticam obſeruantes, ne vos verbis fallacibus circumueniri, vel etiam circumuenire contingat: quia niſi correctionem noſtram, & admonitionem paternam receperitis humiliter, & deuotè, nos poſt oleum infundemus, & vinum, ſeueritatem eccleſiaſticam apponentes, vt qui noluerint obedire ſpontanei, diſcant acquieſcere vel inuiti. Datum Laterani.

N O T Æ.

3 a MEtenſi.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c. 3.* & in Epiſtolis Innocentij editis à Sirleto *lib. 3. fol. 358.* De Metenſi diœceſi egi *in cap. 14. de cleric. non reſid.* Cùm enim Innocentius III. accepiſſet ab Epiſcopo Metenſi, in ea diœceſi occaſione Sacræ Scripturæ in vulgarem linguam Gallicanam verſæ multos, tam viros, quam fœminas, contemptis ſacerdotum ſuorum prædicationibus, occulta conuenticula celebrare, & officium prædicationis ſibi vſurpare: ne hinc grauius malum oriretur, ciues Metenſis diœceſis in præſenti epiſtola monet, vt ab his exceſſibus deſiſtant: & Epiſcopum iuſſit diligenter inquirere, quis fuiſſet auctor tranſlationis illius, quæ eius intentio, quæ cauſa docendi, & vtrum Sedem Apoſtolicam, & Catholicam Eccleſiam veneraretur; & his cognitis, quid ſtatui deberet, maturiùs deliberaret. Quæ Epiſtola Epiſcopo & Capitulo Metenſi miſſa refertur a Sirleto *d. lib. 2. fol. 358* in hæc verba: *Sicut Eccleſiarum Prælatis incumbit ad capiendas vulpes paruulas, quę demoliri vineam Domini moliuntur, prudenter, & diligenter intendere; ſic eſt eis ſummoperè præcauendum, ne ante meſſem zizania colligantur, ne forſan (quod abſit) cum eis etiam triticum euellatur. Sanè ſicut non debet hæretica prauitas tolerari, ſic eneruari non debet religioſa ſimplicitas, ne vel patientia noſtra hæreticis audaciam ſubminiſtret, vel ſimplices impatientia multa confundat, vt nobis dirutis conuertantur in arcum peruerſum, & in hæreticos de ſimplicibus commutentur. Sanè ſignificaſti nobis per litteras tuas, frater Epiſcope, quod tam in diœceſi, quàm vrbe Metenſi, &c. vt ſuprà, vſque ad verbum In occulto. Quia verò in dubijs non eſt de facili ſententia proferenda, cùm quod vel ijdem errent in fide, vel à doctrina diſcrepent ſalutari, nobis per tuas literas, frater Epiſcope, non duxeris exprimendum; cùm opinionem, & vitam eorum penitus ignoremus, qui ſacras Scripturas taliter tranſtulerunt, aut eorum, qui docent taliter iam tranſlatas; quorum neutrum poteſt fieri ſine ſcientia litterarum, licèt in his arguendi meritò videantur, quòd occulta conuenticula celebrant, officium ſibi, &c. vſque ad verbum, Non inhærent. Diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatenus eos commonere diligentiùs ſtudentis, rationibus, & exhortationibus inuitentes, vt ab his, in quibus appareat reprehenſione notabiles, omninò deſiſtant, nec officium ſibi vendicent alienum. Inquiratis etiam ſolicitè veritatem, quis fuerit auctor tranſlationi, illius, quæ intentio transferentis, quæ fides vtentium, quæ cauſæ docendi, ſi Sedem Apoſtolicam, & Catholicam Eccleſiam venerentur, vt ſuper his, & alijs, quæ neceſſaria ſunt ad indagandam pleniùs veritatem, per litteras veſtras ſufficienter inſtructi, quid ſtatui debeat, meliùs intelligere valeamus. Reuocandi autem eos, & conuincendi ſecundùm ſcripturas ſuper his, quæ reprehenſibilia denotauimus, viam vobis in litteris, quas communiter illis dirigimus, aperimus. Dat. Lateran. IV. Idus Iul.* Et cùm adhuc plures renuiſſent obedire mandatis ipſius, Abbatibus Ciſtercienſi, Moriſmundi, & de Criſta in hæc verba reſcripſit: [Ea eſt in fouendis virtutibus, & vitijs extirpandis à Prælatis Eccleſiarum ſeruanda diſcretio, & circumſpectio adhibenda, ne vel internaſcentium denſitate ſpinarum enormiter frumenta lædantur; vel in ſuperſeminatorum zizaniorum euulſione triticum euellatur. In abſcindendis etiam, & curandis corporibus infirmorum ſic oculi diligentia præcedere debet manus officium, & ferrum digitus præuenire, ne ſi cauteri vim adhibeatur incautè, non tam partes infirmas non ſanet, quàm ſanas infirmet: quòd tantò diligentiùs in mentis languoribus eſt ſeruandum, quantò animam nouimus corpore digniorem, & ſpiritualia carnalibus præponenda. Hoc autem infra nos ipſos diligentiùs attēdentes, cùm olim venerabilis frater noſter Metenſis Epiſcopus per ſuas nobis litteras intimaſſet, quod tam in diœceſi, quàm in vrbe Metenſi laicorum non modica multitudo gallicæ cuidam tranſlationi diuinorum librorum intendens, ſecretis conuenticulis etiam inter ſe inuicem eructare præſumerent, aliorum aſpernantes conſortium, & in faciem redarguentibus Presbyteris reſiſtentes, quorum ſimplicitatem faſtidium cenſebant, in ſuæ tranſlationis peritia confidentes; non protinus ad vindictam nos res accendit incognita, ſed vniuerſis tam in vrbe, quàm in Metenſi diœceſi conſtitutis, ſub eo tenore litteras curauimus Apoſtolicas deſtinare, qui vobis ex tranſcripti earum poterit inſpectione patere. Eidem inſuper Epiſcopo, & Capitulo Metenſi dedimus in mandatis, vt inquirerent ſolicitè veritatem quis fuerit auctor tranſlationis illius, quæ intentio transferentis, quæ fides vtentium, quæ cauſa docendi: ſi vtentes ipſa venerarentur Apoſtolicam Sedem, & Catholicam Eccleſiam honorarent; vt ſuper his, & alijs, quæ neceſſaria ſunt ad indagandam pleniùs veritatem, per eorum litteras ſufficienter inſtructi, pleniùs intelligeremus, & planiùs, quid ſuper his ſtatui oporteret. Nuper autem idem Epiſcopus per ſuas nobis litteras intimauit, quod quidam eorum, quos notabiles prioribus litteris denotarat, mandatis recuſant Apoſtolicis obedire: quibuſdam eorum clanculò, quibuſdam verò iam publicè obediendum eſſe dicentibus ſoli Deo. Ab occultis etiam conuenticolis non ceſſantes, officium prædicationis occultæ, licèt à nullo mittantur, prohibiti etiam, ſibi non metuunt vſurpare: aſpernantes ſibi diſſimiles, & tranſlationi eidem vſque adeò inſiſtentes, vt ſe neque Epiſcopo, neque Metropolitano ſuo, nec nobis ipſis aſſerant parituros, ſi eam decreuerimus abolendam. Licèt autem tales in eo reprehendi meritò videantur, quòd occulta conuenticula celebrant, officium prædicationis vſurpant, ſimplicitatem deſpiciunt ſacerdotum, & eorum conſortia, qui dictam tranſlationem non recipiunt, aſpernantur; ne quid ſubitò tamen facere videamur, diſcretioni veſtræ (de qua plenè confidimus) per Apoſtolica ſcripta mandamus, atque præcipimus, quatenus ad ciuitatem Metenſem pariter accedentes, cum eodem Epiſcopo conuocetis coram vobis tales ſapientes, & adhærentes tranſlationi prædictæ; & ſi fieri poterit, quæ in eis reprehenſibilia fuerint, auctoritate freti Apoſtolica, ſublato appellationis obſtaculo corrigatis. Quod ſi correctionem veſtram recipere fortè noluerint, inquiratis ſuper capitulis illis, quæ in litteris, quas Epiſcopo miſeramus, expreſſa fuiſſe ſuperiùs vobis expreſſimus, & alijs etiam diligentiùs veritatem: & quod inueneritis, per nuntium veſtrum, & litteras pleniùs intimetis: vt per vos certiores effecti, prout procedendum fuerit, procedamus. Cùm enim in hoc vniuerſalis Eccleſiæ vertatur negotium, & agatur cauſa fidei chriſtianæ, ad exequendum Apoſtolicæ Sedis mandatum cum ſumma diligentia, & cautela vos ſtudioſos, & promptos eſſe volumus, & mandamus. Ad hæc M. Criſpinum Presbyterum, & R. ſocium eius, ſi ſuper his, quæ dictus Epiſcopus eis duxerit imponenda, inueniretis eſſe reos, ipſos, appellatione remota, canonicè puniatis. Alioquin eundem Epiſcopum ad remittendam pœnam, ſi quam eis forſan inflixit, cum nihil contra eum, vel Clerum in noſtra propoſuerint audientia, monitione præmiſſa, diſtrictione qua conuenit, remoto appellationis obſtaculo, cogere non tardetis. Quod ſi non omnes, &c. duo veſtrum, &c.]

b *Gallico ſermone.*] Quod nullo modo permittendum eſt, vt probat Turrianus *lib. 1. pro canonibus, cap. 24.* & cautetur in indice librorum prohibitorum edito à Concilio Trident. vbi quarta regula ſic ſe habet: *Cùm experimento manifeſtum ſit, quod ſacra Biblia vulgari lingua paſſim ſine diſcrimine permittantur, & plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quàm vtilitatis oriri, hac in parte iudicio Epiſcopi, aut Inquiſitoris ſtetur.* Et in indice poſtea edito iuſſu Clementis VIII. circa eandem regu- 2

Digitized by Google

Iam 4. ita cautum fuit: *Animaduertendum est circa supradictam regulam quartam felicis recordationis Pij Papæ IV. nullam per hanc impressionem, & editionem de nouo tribui facultatem Episcopis, vel Inquisitoribus, aut Regularium Superioribus concedendi licentiam emendi, legendi, aut retinendi Biblia vulgari lingua edita, cùm hactenus mandato, & vsu Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis sublata eis fuerit facultas concedendi huiusmodi licentias.* Et in indice pro his Hispaniarum regnis edito auctoritate Cardinalis D. Antonij Zapata, *reg.* 5. ita cauetur: *Biblia vulgari lingua prohibetur.* Si enim Scripturæ Sacræ in vulgari lingua permitterentur, vt à viris, & mulieribus, doctis, & indoctis legerentur, variæ hæreses, & errores sequerentur: quare apud Hebræos arcebantur iuuenes ante annum ætatis trigesimum à lectione Canticorum Salomonis, & quarundam aliarum Scripturæ partium, eo quòd posset ea lectio damnosior illis esse, quàm fructuosior, si cortici nimium inhærentes, verum sensum non percalluissent. Refert & probat Nazianz. *apolog.* 1. & D. Hieronym. *ad Lætam*, de institutione filiæ, ait: *Ad vltimum sine periculo discat Canticum Canticorum, ne si in exordio legerit, sub carnalibus verbis, spiritualium nuptiarum epitalamium non intelligens vulneretur.* Simili ex causa apud Romanos soli Pontifices legebant libros Sibyllinos, quòd timerent Romani, ne libri illi fatidici, tametsi boni, attenta lectorum conditione noxij euaderent, vt probat Lanselius *in disput. ad Iustin. contra Casaubonem c.* 6. vnde Nicephorus Gregoras *lib.* 10. *hist. Rom.* probat Scripturam non nisi adhibito delectu esse permittendam, nec esse quorumcunque eam versare, ne in libro vitæ mortem inueniant, vt plerisque improuidis accidisse fertur. Quis enim non videat quantum damnum accideret si passim agricolæ, & opifices sacra volumina lectitarent in vernacula lingua, cùm in eis multa habeantur, quæ prima fronte contraria videntur. Ecce *ad Romanos c.* 14. Apostolus ait: *Regnum Dei non est esca, & potus.* Cùm tamen Christus Dominus dicat apud D. Lucam *cap.* 22. *Ego dispono vobis, vt edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Item *Genesis* 1. dicitur: *Crescite, & multiplicamini. Et Lucæ c.* 23. *Beatæ steriles, quæ non genuerunt.* Et *Matth. c.* 19. *Beati eunuchi, qui se castrauerunt propter regnum cœlorum.* Et Moyses *Genesis cap.* 22. ait: *Tentauit Deus Abraham.* Et B. Iacobus *epist.* 1. inquit: *Deus neminem tentat.* Et *Exodi* 24. *Videruntque Deum, & comederunt.* Cùm Deus ipsi Moysi dixerit: *Exodi c.* 32. *Non enim videbit me homo, & viuet.* Et Dauid *Psalm.* 1. ait: *Non resurgunt impij in iudicio.* Cùm D. Paulus ad Rom. 15. asserat: *Omnes quidem resurgemus.* Omitto alia in sacris litteris, quæ hominem rudem, & imperitum grauiter offendent; cùm abiecta, ridicula, aut absurda ea iudicare posset: ex quibus nonnulla exempla refert Azor *p.* 1. *instit. lib.* 8. *c.* 26. & alia incommoda huius abusus refert Germon. *in pomerid. sess.* 4. *fol.* 259 Nec obstabit si dicas, sacram Scripturam olim maternis linguis fuisse conscriptam; nam Moyses, & alij veteris Testamenti scriptores Hebraica lingua, qua tunc temporis vtebantur Hebræi, scripsere: & D. Matthæus Euangelium hebraicè scripsit in gratiam Iudæorum, reste Hieronymo *in apol. ad Matthæum*, & probat Macedo *de clauib. Petri, lib.* 2. *cap.* 1. 2. & 3. Fr. Antonius Perez *in pentateucho fdei, vol.* 3. *de sacra Scriptura*, Fr. Ant. à Matre Dei *præludio* 2. *de ling. Sacr. Scrip. dub.* 4. & Epist. D. Pauli ad Hebræos fertur hebraicè primùm edita. Cæteri verò libri noui Testamenti Græcè sunt conscripti, quia Orientalium gentium, quæ in Romanorum Imperio viuebant, erat propria lingua; & in Ecclesia Latina sacri Libri latinè sunt editi, quia omnes tunc temporis latinè loquebantur. Nam respondeo, quod tunc his tribus linguis Sacri Scriptores vsi fuerunt, quia Scripturæ Sanctæ, tunc apud gentes promulgari cœperunt: quare necessariò his linguis editæ fuerunt, vt percipi possent à Gentibus: quæ ratio hodie non militat. Et si obijcias, D. Paulum in Epistola 1. ad Corinthios, *cap.* 4. reprehendentem eos, qui varijs linguis in Ecclesia loquebantur, vbi ait: *Ita & vos per linguam, nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id quod dicitur? eritis enim in acra loquentes.* Et statim: *Si ergo* (inquit) *nesciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* Et ad Romanos *capite* 10. *Fides*, (ait) *ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* At si ij, quibus annunciatur Dei verbum, non intelligant, perinde est ac si non audiant. Respondeo Paulum in his locis agere de his, qui dono linguarum prædicti erant, quo multi Corinthiorum tunc temporis diuinitus donabantur, & quo eos Apostolus vti voluit ad aliorum profectum, videlicet ne publicè loquerentur linguis in Ecclesia, nisi esset qui interpretaretur, vt omnes intelligendo ad pietatem inflammarentur ardentiùs, vt docuit Azor 1. *par. instit. lib.* 8. *c.* 26. Macedo, *sup. c.* 3. Rectè ergo Ecclesia prohibuit sacram Scripturam vulgari lingua legi, & publicè edi, licèt olim cùm laici Latini sermonis periti essent, vel Græci, in sacra Scriptura assidui essent, iuxta consilium D. Chrysostomi *in homilia de Lazaro, & hom.* 10. *in Ioannem & homil.* 3. *in epist.* 2. *ad Thessalon.* D. Hieron. *in epist.* 2. *ad Paulam, & Eustochium.*

c *Conuenticula.*] Quæ apud omnes nationes sedulò, & accuratè prohibita legimus, *leg. conuenticula* 15. *Cod. de Episc. & Cleric. leg. denunciamus* 5. *C. de his qui ad Ecclesiam, l.* 1. & 2. *C. de seditiosis, l.* 1. *C. ad leg. Iul. maiest. §. conuenticula, de pace iuramento firmanda in vsibus feudorum, l.* 3. *tit.* 14. *lib.* 8. *Recopil.* plura congesserunt Petr. Gregor. *lib.* 13. *de repub, cap.* 3. Martha 2. *par. de iurisdict. cap.* 23. *ex num.* 24. 3

d *Operetur.*] Quare vt Christus Dominus suam à Patre missionem confirmaret, sæpiùs obstinatis Iudæis sua obijciebat miracula, dicens: *Si mihi non creditis, operibus credite.* Et iterum: *Opera quæ ego facio, testimonium perhibent de me.* Et *cap. vlt. Diui Marci.* Illustrant latè Fr. Thomas à S. Ioanne *de procuranda omnium gentium salute lib.* 4. *c.* 3. Torreblanca *de magia, cap* 29. *num.* 25. Thomas Bozius *de signis Ecclesiæ, lib.* 5. *cap.* 1. 4

e *Necessaria.*] Vt probaui *in c.* 4. *de ætat. & qualit.*

f *Teneantur efficere.*] Nam correctionem fraternam sub præcepto tenemur adhibere. D. Thomas 2. 2. *q.* 33. *art.* 2. probant Turrisceremata *in c. si peccauerit* 19. 2. *q.* 1. Valentia *to.* 3. *ad* 2. 2. *disp.* 3. *q.* 10. *punct.* 2. 5

COMMENTARIVM.

EX hac perdocta Innocentij Epistola sequens communiter deducitur assertio: *Laici in Ecclesia prædicare non debent, nec de mysterijs fidei in conuenticulis disputare.* Probant eam textus *in c. mulier,* 23. *dist. c. excommunicamus* 13. *§. quia verò, c. sicut in vno, hoc tit. c.* 2. *§. inhibemus, eod. tit. lib.* 6. Conc. Carthag. 4. *can.* 98. ibi: *Laicus præsentibus clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat* Sexta Synodus *can.* 64. ibi: *Quod non oportet laicum publicè disputare, vel docere, docendi auctoritatem ex eo sibi vindicantem: sed ordini à Domino tradito cedere, & aurem ijs, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & diuina ab eis doceri. In vna enim Ecclesia diuersa membra fecit Deus, vt est vox Apostoli.* Leo I. *epist* 62. *ad Maximum Antiochenum, c.* 6. *Illud quoque dilectionem tuam conuenit præcauere, vt prȩter eos, qui sunt Domini Sacerdotes, nullus sibi ius dicendi, & prædicandi audeat vendicare, siue sit ille monachus, siue sit laicus, qui alicuius scientiȩ nomine glorietur, quia etsi optandum est, vt omnes Ecclesiæ filij, quæ recta, & sana sunt, sapiant; non tamen permittendum est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat, cùm in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat, vt in vno Christi corpore, & excellentiora membra suum officium impleant, & inferiora superioribus non resultent.* Nazianz. *orat.* 9. *Oues Pastores ne pascite, nec supra fines vestros assurgite: satis enim vobis est si ritè pascamini Et orat.* 26. *Magnum, & prȩclarum docere; sed discere periculo vacat: quid pastoris munus tibi arrogas, cũ ouis sis? quid caput efficeris, cùm pes sis? quid exercitum ducere aggrederis in militum ordinem adscriptus.* Et *l.* 1. *per tot. C. Theodos. de his qui super religione contendunt.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti,* Petr. Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 22. *c.* 4. & *lib.* 2. *tit.* 7. *c.* 5. Mornacius *in l. nemo, C. de summ. Trinit.* Sebastian. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disp.* 9. *num.* 8. Farinac. *de hæresi, q.* 192. *§.* 1. Acuña *in cap. mandatis,* 56. *dist.* Suar. *de fide, disp.* 20. *sect.* 1. Castro *lib.* 1. *de iusta hæretic. punit. c.* 19. Sanchez *lib.* 2. *summȩ, cap* 6. Azor. *par.* 1. *instit. moral. lib.* 8. *c.* 6. Zonaras, & Balsamon *in dict. can.* 64 *sextæ Synodi*, Ferrarius *de ritu sacrarum concionum, lib.* 2. *cap.* 4. 5. & 6. Hallierius *de hierarch. iurisdict. lib.* 1. *cap.* 7. Cenedus *ad* 6. *collect.* 20. Thomas Delbene *par.* 1. *de offic. Inquisit. dubit.* 154. Franc. Valens *in concord. iuris cum Theolog. rat. fol.* 248. Azor. *tom.* 1. *instit. lib.* 8. *cap.* 26. Altesserra *hic.* 6 Conclusio traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem 7
ita

Traditur ratio decidendi. ita insurgo: A Deo non quæritur, quis, & qualis sit qui prædicat, sed quid prædicet, *c. secundùm, 19. dist.* Igitur, siue laicus, siue clericus sit qui prædicat, si pia, & sancta dogmata prædicat, audiendus est. Augetur hæc dubitandi ratio ex varijs exemplis, quibus probatur, laicos in Ecclesia prædicasse scientibus, & consentientibus Episcopis, vt refert Nicephorus Calixtus *l. 5. histor. Eccles. c. 14.* illis verbis: *Cùm Cæsareæ degeret Origenes, Episcopi Palæstini legatione quoque ad eum missa ei permisere, vt de sacris litteris dissereret, & publicè eas in Ecclesia interpretaretur, quamuis nondum presbyteri honorem esset consequutus.* Idque comprobatur ex scriptis ijs quæ Demetrius malè erga Origenem affectus Episcopis Palæstinis misit, in quibus scriptis præter alia illud erat: *Nunquam antè auditum, nunquam factum esse, vt præsentibus Episcopis laici concionarentur: quapropter illi, & potissimùm Alexander Hierosolymitanus, & Theoctistus Cæsareensis Antistites defensionem eius rei ad eum scripserunt, non verè illum dicere asseuerantes: vbi enim, inquiunt, reperiuntur idonei homines, qui doctrina sua prodesse fratribus possint, si illi sanctorum Episcoporum iussu, & permissione per exhortationes ad populum verba facient, id offendiculo non est, sicuti apud Sandaros Euelpis à Neone Iconi, Paulinus à Celso Synadæ, Theodorus ab Attico, omnibus illis beatis fratribus inuitati fecerunt.* Et subdit: *Verisimile autem est, in alijs quoque locis, quos nos ignoramus, itidem esse factum.* Facit Tertullianus, cuius verba retuli *in c. inter cætera, de offic. ordin.* Igitur quia laicis licet publicè in Ecclesia prædicare. Deinde in secundam partem assertionis ita argumentor. Si non liceret laicis de mysterijs fidei disputare, & disserere, non vocarentur ad Concilia generalia, vbi præcipua fidei dogmata proponuntur, & differuntur: sed in ipsis Concilijs adsunt, vt probaui *l. 1. Concilij Illiber. c. 8.* Igitur quia illis licet fidei mysteria disputare.

8 Quibus, & quando liceat de fide disputare. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione, omissis quæ de prædicatione, & prædicandi munere adduxi *in c. inter cætera, de offic. ordin.* sciendum est, quod disputatio de fide dubitatiua, quæ procedit ex animo improbandi illam, est omninò illicita, & hæretica, si adsit pertinacia, iuxta suprà tradita *in c. 1. hoc tit.* quo casu procedit textus *in l. nemo, C. de summa Trinit.* vt eam acceperunt D. Thomas 2. 2. *qu. 10. art. 7.* Suarez *de fide, disp. 20 sect. 1.* Acuña *in c. in mandatis, 56. dist.* Mornacius *in d. l. nemo.* Si verò disputatio de fide tantùm sit moralis, qualis habetur inter Catholicos animo quidem concordes, disputantes gratia exercitij ad veritatem magis indagandam, ac errores confutandos, licita est, seruatis debitis circumstantijs, vt patet ex textu *in c. satis, 96. dist.* vbi glossa: & *in c. cùm quibus, 24. dist.* Dixi seruatis debitis circumstantijs, quia illæ magnopere attendendæ sunt, tum respectu audientium, ne decipiantur, vel scandalum patiantur; tum disputantium, ne sint indocti; tandem loci, & temporis; aliter talis disputatio illicita est, cùm vt ait Tacitus *l. 4. annal. c. 34. Sanctius ac reuerentius visum est, de actis Deorum credere, quàm scire.* Faciunt Cicero *de natura Deorum,* ibi: *Mala, & impia est consuetudo contra Deos disputare, siue id ex animo fiat, siue simulatè.* Et præceptum Philitæ:

Deum esse crede, & colito, sed non quærito:
Nam nihil habebis aliud hic, quàm quærere.

Et pij ac Catholici scriptores Hilarius *de Trinitate*, ibi: *Deus religione intelligendus, pietate profitendus est, sensu verò persequendus non est, sed adorandus.* D. Cyprianus *in Symbolo,* ibi: *De Deo etiam vera dicere periculosum est.* D. Gregor. Nazianzenus relatus ab Alciato *in d. l. nemo, n. 2.* Alia disputatio est vera, seu formalis, quæ habetur cum hæreticis, vbi disputantes non tantùm verbis, & argumentis, sed animorum, & sententiarum diuersitate dissidentes pugnant, quæ vt periculosa regulariter prohibetur; licita tamen, & laudabilis est, vbi seruatis circumstantijs nullum imminet periculum quod timeatur. Cuius propositionis prior pars probatur *ex c. in mandatis, 5 dist.* & docent D. Thom. & Acuña *vbi suprà*, latè Besoldus *tom. 2. polit. dissert. de stud. litter. c. 12.* Patet, siquidem in hac disputatione in primis adest periculum audientium, qui instigante sathana incipiunt dubitare, putantes hæreticos victoriam reportaturos, iuxta illud Diui Pauli *ad Timoth. c. 2. Noli verbis contendere, ad nihilum enim prodest, nisi ad subuersionem audientium.* Nec deest periculum hæreticorum, qui iuxta suam pertinaciam facilè per conuitia argumenta effugere nituntur. Adest tandem periculum disputantium, vt constat ex his, quæ refert Rufinus *l. 10. histor. Eccles. cap. 3.* Ex causa tamen, & seruatis debitis circumstantijs, non solùm licita, verùm & necessaria est, cùm aliqua fructus spes adest. Idem fecisse Stephanum cum Iudæis legimus *c. 6. & 7. Actuum Apost.* & Paulum cum Iudæis, & Græcis *Actuum Apost. c. 9.* immò ipse Apostolus *ad Titum c. 1.* in Episcopo doctrinam necessariam esse dicit, qua contradicentes, seu fidem nostram oppugnantes arguere possit, & argumentationibus conuincere, quos imitati fuerunt antiqui Ecclesiæ PP. & DD. vt constat ex gestis, scriptisque Hilarij, Nazianzeni, Hieronymi, Augustini, & aliorum, varijsque Concilijs, in quibus non sine magno audientium fructu, fideique nostræ auctoritate cum hæreticis publicè fuit disputatum, vt videre est in Concilio Nicæno 1. & 2. Constantinop. 3. Lugdunensi, Florentino & alijs. Vnde D. Ambrosius cùm Valentinianus Iun. collationem super religione in consistorio suo indixisset, ad populum prouocauit, & in Ecclesia coram populo disputari, seu tractari voluit: *Veniant planè, si qui sunt, ad Ecclesiam; audiant cum populo, non vt quisquam iudex resideat, sed vnusquisque de suo affectu habeat examen, eligat quem sequatur. Agitur de istius Ecclesiæ sacerdote: si audierit illum populus, & putauerit meliùs disputare, sequatur fidem eius, non inuidebo. Omitto, quia iam ipse populus iudicauit. Taceo, quia eum, quem habet, de patre tuæ clementiæ postulauit. Taceo, quia pater pietatis tuæ quietem futuram spopondit, si electus susceperit sacerdotium.* Et mox: *Si tractandum est, tractare in Ecclesia didici, quod maiores fecerunt mei: si conferendum de fide, sacerdotum debet esse ista collatio.* Et sub finem epistolæ: *Venissem Imperator ad consistorium clementiæ tuæ, vt hæc coram suggererem, si mei, vel Episcopi, vel populus permisissent, dicentes de fide in Ecclesia coram populo debere tractari.* Et in oratione subtexta aduersus Auxentium, vbi inter alia ait: *Causam fidei in Ecclesia agendam quis abnuat?* Item: *Hæc ego fratres coram ipso apud vos pleniùs disputarem; sed certus non ignaros vos esse fidei, vestrum refugit examen.* Et Gentiles quosdam quatuor, aut quinque fermè homines elegit cognitores sibi: *Quis igitur vobis iniuriam facit, qui recusat vestram, an qui eligit audientiam?* Illud summè cauendum est, ne disceptatio fiat coram simplicioribus, qui solutionem contrariarum rationum non percipiunt, & turbari potiùs solent, quàm in fide confirmari, vt monebat D. Gregorius 2. *part. Pastor. cap. 4.*

Quibus præmissis, vt ad personas de fide disputantes perueniamus, dicendum est circa disputationem dubitatiuam, & eam quæ materialis, seu ficta dicitur, nullam dari differentiam inter laicos, & clericos: sicut illa enim neutri licet, *l. 1. & per totum Cod. Theodos. de his qui super relig. contendunt, d. l. nemo, Cod. de summa Trinit. cap. 1. hoc tit.* ita hæc vtrobique conceditur, vt passim vidimus laicos Theologiæ Professores, seu Iuris Canonici peritos in scholis disputantes de mysterijs fidei. Versatur tamen magna differentia inter laicos & clericos, quoad disputationem veram, seu formalem, quæ cum hæreticis habetur. Hæc enim licèt clericis permittatur, iuxta modum suprà relatum; laicis tamen interdicitur sub pœna excommunicationis ferendæ *in cap. quicumque, §. inhibemus, hoc tit. in 6.* & constitutione Innocentij IV. quæ incipit: *Nouerit vniuersitas;* edita anno 1254. & alia Nicolai III. edita anno 1281. quæ incipit: *Item firmiter;* relata à Peña *ad calcem Director. Inquisit.* Laici enim præsumuntur minùs docti, & in rebus fidei parum instructi, cùm ea ad officium illorum non spectent, & plerunque carent illa morum honestate, quæ præcipuè requiritur ad hanc disputationem; cùm tamen vtrumque præsumatur, & requiratur in clericis, qui tanquam in sortem Domini vocati, id exactiùs præstare debent, iuxta tradita *in cap. cùm in cunctis, de elect.* Laici ergo de mysterijs fidei disputantes, peccant lethaliter, etiamsi non incurrant excommunicationem ipso iure, vt latè docent Eymericus *p. 1. Directorij, qu. 6.* vbi Peña, Salelles *part. 1. de mysterijs tribunal. fidei, l. 1. c. 10. regul. 86. & 87.* Castropalao *tom. 1. operis moral. tract. 4. disp. 2. punct. 4. num. 4* Simancas *de Cathol. num. 8. & tit. 59. num. 11.* Sanchez *l. 2. summæ, cap. 6.* Decianus *tract. crimin. l. 5. cap. 18.* Azor *part. 1. instit. l. 8. cap. 26. qu. 1.* Coninch *de infidelit. disp. 18. dub. 9. nu. 145.* Franc. Valens *in concord. iuris Pontif. 2. part. fol. 248.* 9 De laicis disputantibus.

His suppositis ratio præsentis assertionis prouenit ex eo, nam docere, & prædicare in Ecclesia propriè, & peculia- 10 Traditur ratio decidendi.

peculiariter ad presbyteros, & sacerdotes spectat. Sanctus Maximus *c.8. celest. hierarch.* ibi: *Presbyteros docere debere, & munus offerre.* Qua in re habemus exemplum Christi Domini, qui non nisi septuaginta discipulis, & Apostolis docendi munus commendauit, quibus Episcopi, & Presbyteri, sicut in officio, ita & in ordine successerunt. Habemus etiam Spiritus sancti testimonium, quo iubente Saulus, & Barnabas per impositionem manuum Episcopi ordinati sunt, vt segregati à cæteris per ordinationem ad annunciandum Euangelium proficiscerentur, vt refertur *cap.13. Actuum Apost.* Habemus etiam exemplum Apostolorum, qui ad docendum Euangelium Episcopos, presbyterosque consecrarunt: & Paulus 1. *ad Timoth. c.3.* Episcopos, seu Presbyteros idoneos ad docendum ordinari præcipit: & *ad Titum c.1.* presbyteros in sermone, & doctrina laborare dicit: & *Actuum Apost. c.20.* idem Sanctus ait: *Presbyteros Ephesinos positos esse ad regendam Ecclesiam Dei.* Vnde laici non possunt hoc officium vsurpare, præcipuè in contemptum sacerdotum. Quare Tertullian. *de præscript. cap.42.* hæreticos exprobrat, quòd conculcatis ordinum ecclesiasticorum gradibus, *omnes timeant, omnem scientiam polliceantur: quod etiam mulieres apud eos docere audeant; quod & laici sacerdotalia munia iniungant.* De quo abusu laicorum ita suo sæculo conquerebatur Niceph. Gregoras *lib.1. histor.* ibi: *Ratiocinatiunculis, & sermonibus syllogisticis, velut herbę, & pascuis armenta, omnes inhiant; quodque opificibus etiam effusa sunt arcana Theologiæ: & illi, qui de recta fide ambigui sunt, & qui nec quomodo credendum sit sciunt; nec quid sit illud quod credere se dicunt; illi (inquam) & fora, & porticus, & theatra omnia Theologia compleuerunt.* Rectè ergo in præsenti Innocentius prohibet, ne ciues laici Metenses iuxta abusum illius diœcesis audeant prædicare, aut in suis conuenticulis de mysterijs fidei disputare.

11 Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa deducta ex *cap. secundùm, 19. dist.* nam accipiendus est textus ille, dummodò minister prædicans sit ex destinatis ab Ecclesia, & electis ad docendum, & prædicandum; nam tunc siue ille sit bonis motibus præditus, siue malis, id attendendum non est, sed tantum quid prædicet, vt iam dixi *in cap. inter cætera, de offic. ord.* Nec obstant exempla laicorum prædicantium pro augmento difficultatis adducta; nam duplici modo responderi potest. Primò, quòd cùm prioribus Ecclesiæ sæculis pauci essent presbyteri, & sæuiente persecutione non ita facilè reperirentur idonei fideles, qui doctrina sua de prædicatione prodesse fratribus possent, aliquibus laicis perdoctis id munus Episcopi commendabant. Secundò responderi potest, laicos illos nec publicè in Ecclesia docuisse, nec publico Ecclesiæ ministerio functos fuisse, sed potiùs erudiendis catechumenis destinatos fuisse, vt eos priuatim erudirent, vt docuit Hallier. *de hierarch. iurisd. lib.1. c.7.* Sanè quandoque vt hoc etiam strictim admoneam, indulsit R. P. iustas ob causas plerisque religiosis, vt licèt ad sacros ordines nondum promoti, possent tamen publicè concionari, quemadmodum anno Domini 1584. Gregorius XIII. factitauit, concedens id posse fieri à Societatis Iesu clericis prima dumtaxat tonsura insignitis. Nec obstat quod dicebamus, laicos interesse Concilijs generalibus, vbi de præcipuis fidei articulis agitur: nam etsi Principes supremi, seu eorum Legati Concilijs intersint, non tamen vocantur quia in rebus fidei suffragium habeant, vt eorum auctoritate, & potestate aliquid decernatur; sed solùm inuitantur, conuocanturque, vt sint defensores, exequutoresque Decretorum ipsius Concilij, & vt si quid de Reipublicæ christianæ salute decerni debeat, consilium præstent, vt probant Bellarmin. *to.1. controuers. lib.1. de Concilijs, c.15. & 16.* Germonius *lib.2. de sacrorum immunit. cap.12.* Valdes *de dignit. Regum Hispan. cap.1.* P. Marcha *par.1. concord. lib.2. cap.6.* Dissoluitur ratio dubitandi.

C A P V T XIII.

Idem a *in Concilio Generali.*

EXcommunicamus itaque, & anathematizamus omnem hæresim extollentem se aduersùs hanc sanctam, orthodoxam, & Catholicam fidem, quàm superiùs exposuimus, condemnantes hæreticos vniuersos, quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem diuersas habentes, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de varietate conueniunt in id *b* ipsum.

N O T Æ.

1 a *GEnerali.*] Lateranensi videlicet celebrato sub Innocentio III. vbi *cap.3. & in cap.2. hoc tit.* in quarta compilatione repetitur textus hic, de quo Concilio nonnulla notaui *in capite 1. de summa Trinit.* & commentarium huius textus dedi suprà *in cap.6.*

b *In idipsum.*] Faciunt Imperatores *in l.60. C. Theodos. de hæreticis,* ibi: *Diuersa sunt nomina, sed vna perfidia.* Prudentius *lib.2. contra Symmachum*: *Vna superstitio est, quamuis non concolor error.* 2

§.

DAmnati verò præsentibus, sæcularibus potestatibus, aut eorum *a* Balliuis *b* relinquantur animaduersione *c* debita puniendi, clericis priùs à suis ordinibus degradatis; ita quod bona huiusmodi damnatorum, si laici fuerint, *d* confiscentur: si verò clerici, applicentur Ecclesijs, à quibus stipendia receperunt.

N O T Æ.

1 a *BAllinis.*] Balliuus idem est ac Prætor, seu Rector plebis sæcularis, vt in testamento Philippi Augusti apud Rigordum anno 1189. *& in terris nostris, quæ proprijs nominibus distinctę sunt, Balliuos nostros posuimus, qui in balliuijs suis singulis mensibus ponent vnum diem, qui dicitur assisia, in quo omnes illi, qui clamorem faciunt, recipient ius suum per eos.* Et in constitutione D. Ludou. apud Guillelmum Nangium de gestis Ludou. *Quæstus quidem illicitos, quantùm possibile fuerit, in Balliuis, & alijs curialibus nostris reprimere cupientes, Balliuos, Præpositos, Vicecomites, & villarum Maiores, ac quoscunque sub eis in officijs constitutos iuramento subscripto duximus adstringendos.* Inde & Balliuorum territorium, seu districtum balliam dixerunt Innoc. III. *li.2. ep.252. Pręposituras, quas ballias vulgariter appellatis.* Et alij apud Ioann. Vossium *lib. 2. de vitijs serm. c.3.* Dadinum Altesserram *de Ducib. lib.2. c. fin.* quo in sensu Balliui in præsenti ponuntur pro Rectoribus iuridicis, seu officialibus Magistratus sæcularis.

2 b *Relinquantur.*] Ità vt ipsi Iudices sæculares nullatenus possent examinare acta processus, vel iustitiam sententiæ ab Inquisitoribus prolatæ, vt probant Simanc. *de Catholic. c.36. n.5.* Afflictis *in proœmio constit. Neap. c.1. à num.56.* Iul. Clar. *lib.5. pract. §. vlt. q.96.* Auiles *in capitulis Prætor. c.20. n.20.* Scortia *in select. Pontif. constit. theorem. 34.* Carena *de offic. Inquis. 2. part. tit.2. §.6. n.44.* D. Ioseph. Vela *in c.2. de offic. ord. 2. p. n.38.* Patexa *de instrum. edit. p.1. tit.2. resol.8. n.21.* Nam in hac specie Iudex sæcularis est merus executor, & si de actis processus, vel iustitia sententiæ cognosceret, per consequens de crimine hæresis iudicaret, quòd omninò illi prohibitum est, *c. vt inquisit. §. prohibemus, hoc tit. in 6.* Nec contrarium deducitur ex Authentico *de SS. Episcopis, §. si quis contra, vers. Si verò,* ibi: *Secundùm leges litem examinant.* Nam in eo textu non agitur de crimine merè ecclesiastico, vt est hæresis, sed de crimine sæculari à clerico admisso: & quia ante authenticam *statuimus, C. de Episc. & Cler.* Iudex sæcularis eo casu etiam de clerico criminoso cognoscebat, ideò ibi docetur, posse eum litem examinare. At verò in præsenti agimus de crimine merè spirituali, cuius cognitio omninò denegata est

Digitized by Google

eſt Iudici ſæculati. Quare communis praxi Hiſpaniæ eſt, vt cùm hæretici relaxandi ſunt brachio ſæculari, in eo loco vbi ſententia publicè recitanda, & pronuucianda eſt, iudex ſæcularis adſit, cui poſt ſententiam recitatam ſtatim rei comburendi traduntur, qui illicò eos ad locum ſupplicij adducit, & ita ſententiam executioni mandat. Olim tamen Iudices etiam ſæculares in hæreticos animaduertiſſe, conſtat ex varijs conſtitutionibus Imperatorum Conſtantini, Conſtantis, Theodoſij, & Iuſtiniani, ad Præfectum Prætorio miſſis, quæ extant in vtroque Codice *ſub tit. de hæretic.* & ex D. Auguſtino *epiſt.* 128. 129. 158. *&* 260. vbi intercedit pro hæreticis Donatiſtis apud Donatum Proconſulem Africæ, & Olimpium Comitem Marcellinum, vt notarunt Balſamon *in nomocan. Phocij, tit.* 9. Michael Rouſſel. *l.6. hiſt. Pontif. cap.* 1.

3 c *Debita.*] Licèt in iure ſatis expreſſum non ſit, quæ ſit huiuſmodi debita animaduerſio, & pœna, qua hæretici ab eccleſiaſtico iudice damnati, & relaxati, per ſæcularem poteſtatem affici debeant; tamen generali conſuetudine iam ab antiquis tempotibus receptum eſt, vt ea pœna accipiatur pro vltimo ſupplicio, vt probaui *in cap. abolendam, hoc tit.* vbi etiam notaui hanc ignis pœnam hæreticis inflictam valdè conſonam eſſe iuri diuino, ciuili, & eccleſiaſtico.

4 d *Confiſcentur.*] Cui tamen fiſco applicentur, non conſtat apud iuris Interpretes. Fiſco Eccleſiæ Romanæ adiudicari, docuerunt Couarr. *l.2. var. cap.9. littera B,* Bernardus Diaz *in praxi, cap.* 131. Sed verius eſt, pro regionum varietate, necnon bonorum diuerſitate bona ipſa applicari; nam in prouincijs Imperialibus bona diuiduntur pro æqualibus partibus fiſco Imperij, Tribunali Inquiſitionis, & Epiſcopo diœceſano, iuxta textum *in cap. excommunicamus, §. damnati, hoc tit. in 6.* in alijs verò prouincijs Eccleſiæ quoad temporalia etiam ſubiectis, partim adiudicari Cameræ Apoſtolicæ, partim verò Tribunali S. Inquiſitionis, referunt Peregrinus *de iure fiſci l.4. tit.5. num.* 32. Iul. Clarus *§. hæreſis, num.* 11. Decianus *l.5. tract. crimin. cap.44. num.3.* Sanchez *d. l.2. cap.* 20. Caſtropalao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. diſp.5. punct. 1. & 23.* Peña *ad 3. part. Direct. Inquiſit. comment.* 158. *per totum,* Petrus Gregor. *l.2. partit. tit.6. cap.7. & l.4. tit.15. cap.14.* Salelles *de materijs Tribun. l.6. cap.4. regul.* 459. In tribunalibus autem Hiſpaniæ generaliter, & abſolutè bona adiudicantur fiſco Regis, vt teſtatur Couarr. *l.2. var. cap.9. num.* 12. Azeuedo *in l. 1. tit.3. l.8. recopil. num.* 200. Diana *part.4. tract.8. reſol.* 44. Bobadilla *l.2. polit. cap.17. nu.* 201. qui docet, poſſe iudicem ſæcularem hanc confiſcationis pęnam hæreticis imponere, ſi forſan omiſſa fuerit ab Inquiſitoribus. Hermoſilla *in l.2. tit.4. p.5. gloſſ. 1. & 2.* & beneficio Regum Catholicorum huiuſmodi bona cedunt pro expenſis Tribunalium, & ſalarijs miniſtrorum, licèt pro ipſis adiudicandis, & de litibus eorum occaſione motis terminandis, ſit in quolibet Tribunali iudex bonorum Regio titulo creatus, de cuius iuriſdictione agit Quemada *in quæſtionibus fiſcal.*

§.

QVi autem inuenti fuerint ſola *a* ſuſpicione notabiles, niſi iuxta conſiderationem ſuſpicionis, qualitatemque perſonæ propriam innocentiam congrua *b* purgatione monſtrauerint, anathematis gladio feriantur, & vſque ad ſatisfactionem condignam ab omnibus euitentur, ita quod ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, ex tunc velut hæretici *c* condemnentur.

NOTÆ.

1 a *SVſpicione notabiles.*] Antè omnia enim, vt locum habeat præſens conſtitutio, deſideratur, quod reus ſit ſuſpectus de hæreſi, *cap. cùm contumacia, hoc tit. in 6.* & ſi ob aliud crimen excommunicatus ſit, etiam elapſo anno vt hæreticus non condemnatur, ſed tantùm ſuſpectus de hæreſi redditur, quia perſtitit per annum in excommunicatione, *cap. fin. de pœnis,* vbi Gloſſa. Trident. *ſeſſ.25. de reformat. cap.3.* Couarr. *in cap. alma, 1. p. §.7 num.* 10. Simanc. *de Cathol. cap.27. num.4.* Albertinus *in rubric. de hæretic. q. 13. num.* 32. Barb. *hic* tam ad effectum indicandæ purgationis, *cap. ad abolendam, verſ. Quia verò, hoc tit.* quàm vt procedi poſſit per Inquiſitores contra ipſum, & vt vocetur de fide ſuſpectus, & ſequuta contumacia damnetur, iuxta formam textus *in cap. cùm contumacia, hoc tit. in 6.* docent Scaccia *de iudicijs, l.1. qu.8. num.* 36. Caſtropalao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. diſp.4. puncto 2. num.5.* Diana *4. part. tr.7. reſol.* 17. Salelles *tom.3. de materijs Tribun. l.5. cap.5. regul.* 394. quo caſu exaudiendi ſunt PP. Concilij Rauennat 2. tempore Clementis V. *rubrica* 28. *Qui excommunicationis ſententiam maximè contemnentes, in ſua indurata, & pertinaci contumacia indureſcunt, nec curant ſatisfactione præſtita in commiſſis abſolutionis beneficium impetrare; volentes taliam cancerato morbo ſuccurrere medicamine ſalutari, ſtatuimus quod quicunque de cætero excommunicationis, vel ſuſpenſionis, vel interdicti ſententiam animo ſuſtinuerit per annum indurato, etſi in morte beneficium abſolutionis ſatisfactione præſtita meruerit obtinere, nihilominus tamen in pœnam contumaciæ eccleſiaſtica careat ſepultura, ſalua eorum pœna, qui pro hæreſi, vel ipſius ſuſpicione arctiùs percelluntur, iuxta canonicas ſanctiones.* Nec contrarium docetur *in cap. vt inquiſitionis, in fine, hoc tit. in 6.* vbi nulla præcedente hæreſis ſuſpicione, tantùm ob contumaciam Magiſtratus ſæcularis vt hæreticus damnatur. Nam reſpondetur in eo caſu Magiſtratus ſæculares, eo ipſo, quod executioni non mandant ſententias ab Inquiſitoribus prolatas contra hæreticos, in foro exteriori hæreticorum fautores credi, *cap. vt officium, in fine, hoc tit.* ibi: *Hæreticorum fautor ac ſuſpectus creditur.* Et ita accedente contumacia condemnari poſſunt, iuxta textum *in cap. cùm contumacia, hoc tit. in 6.*

2 b *Purgatione*] Conſonant textus *in cap. ad abolendam, ſuprà, cap. accuſatus, in princ. eod. tit. l.6.* Licèt enim in alijs criminibus huiuſmodi purgatio, de qua agemus *in tit. de purgat. Canonica,* iam in deſuetudinem abierit, tamen in hoc delicto etiam hodie ſeruatur, *cap.2. cap. ſuper eo, hoc tit. in 6.* Repertor. Inquiſ. *verbo Purgatio.* Simanc *de Cathol. tit.* 56. Quod ſi ſuſpectus de hæreſi hoc modo ſe non purgauerit, diſtinguendum eſt; aut enim per contumaciam, & negligentiam recuſat purgationem ſubire, & tunc excommunicari debet, vel alio ſimili modo coercetri, iuxta textum huuc, & in Authentico *Gazaros, C. hoc tit.* aut ſi poſt ſuſceptam purgationem defecerit in ea, quia cùm purgatores non deponunt de illius innocentia, tunc iuris præſumptione cenſetur conuictus de hæreſi, & pœna ordinaria punitur, iuxta regulam textus *in c. de hoc, de ſimonia, c. cùm P,* vbi Gloſſa 1. *de purgat. canonica:* docent Farinac. *de hæreſi, q.* 194. §.3. Peña *ad Eymericum, 2. p. Direct. comment.* 14. Souſa *in aphor. c.*38 Salelles *tom.3. de materijs Tribun. l.5. c.1. regul.* 367. Quo caſu procedit textus *in c.2. hoc tit. in 6.* qui ita conciliari debet cum præſenti §. qui loquitur de eo, qui purgationem ſubire noluit. Nec obſtat, quod paria ſunt recuſare purgationem, vel in ea deficere, *c. tua nos, de cohabit. cleric.* ſiquidem in eo textu non docetur, duo hæc æquiparari quoad eandem omninò pœnam incurrendam, ſed quoad effectum, vt vtroque caſu animaduerſio canonica, ideſt pœna, iuxta ſacros canones imponatur; ſed alia, diuerſaque, ſeruata diſtinctione proximè tradita, iuxta quam etiam accipiendus eſt textus *in §. adijciamus,* huius capitis.

c *Condemnetur.*] Conſonat textus *in c. rurſus,* cum ſequenti, 11. q.3. *c. cùm contumacia, hoc tit. l.6. Authent. Gazaros, C. eod.* generaliter enim verum eſt, quemcumque delinquentem excommunicatum per annum in excommunicatione perſiſtentem, iuris præſumptione confiteri crimen, de quo agitur, & generaliter ob illud poſſe damnari, vt notant Gloſſa & DD *in c. cùm contumacia, de hæretic. in 6.* & ſi delictum meretur priuationem beneficij, poteſt contumax elapſo anno illo priuari, aliàs non, vt notarunt *in c.1. de iudicijs,* Abbas *n.*24. Ripa *n.*77. Mantica *n.* 52. Beroius *n* 86 & alij congeſti à Couarr. *in c. alma, 1. p. §.7. nu.* 10. Nauarr. *in ſumma, c.27. n.*23. Vgolinus *de cenſur. tab.1. c.14. §.2. n.5.* Menochius *de arbitr. caſu* 416. *n.*11. Couarr. *d. §.7. n.*10. Gutierrez 1. *canon. c.*12. quod maiori ratione procedit in hoc crimine, ſiquidem credi non poteſt, Catholicum propriæ innocentiæ fidentem, per annum perſiſtere in eo improbo ſtatu, ſi ab obiectis ſe defendi poſſe credat; vnde præſumitur, id facere propter criminis conſcientiam, & quia maiora mala, & pœnas pertimeſcit. Accedit, 3

Digitized by Google

cedit, quia persistentia in excommunicatione per annum arguit præsumptionem hæresis, *cap. vlt. de pœnis*, Trident. *sess. 25. de reform. cap. 32.* quasi de Sacramentis & suffragijs Ecclesiæ malè sentiat is, qui per annum patitur se illis priuari; & ita ex hoc magis confirmatur suspicio hæresis, pro qua purgatio illi indicta est, quamuis aliàs qui deficit in purgatione quam admiserat, statim absque excõmunicatione, & anni termino vt hæreticus cõdẽnetur: in qua specie procedunt textus *in c. ad abolendam, vers. Cui verò, hoc tit. c. inter, vers. vlt. de purgat. can.* In præsenti ergo casu sufficit ad condemnationem præsumptio proximè tradita, nec alia probatio requiritur, vt in simili casu probatur *in c. cùm contumacia, hoc tit. in 6.* Nec obstat quod contumax non condemnatur definitiuè in causa principali, nisi adsint probationes concludentes, *l. properandum, § fin autem, C. de iudicijs, Authent. qui semel, C. quomodo, & quando*: quia in præsenti non tantum adest contumacia suspecti de hæresi, quæ ex iuris auctoritate in casibus expressis sufficit ad condemnationem, & vt contumax pro confesso habeatur, & iudicetur, *c. 2. de confessis, in 6.* cum alijs congestis ab Alexandro *in l. contumacia, ff. de re iudic.* In præsenti enim casu aderat suspicio hæresis, ob quam purgatio indicta fuit, quę coniuncta cum insordescentia in excommunicatione per annum, sufficit vt talis reus tanquam hæreticus condemnetur, vt latius prosequuntur Salelles *d. l. 5. reg. 394.* Carena *de offic. Inquisit. 2. p. tit. 17. § 2.*

§.

MOneantur autem, & inducantur, & si necesse fuerit, per censuras ecclesiasticas compellantur sæculares *a* Potestates, quibuscunq; fungantur officijs, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publicè iuramentum, quod de terris suæ iurisdictioni subiectis vniuersos hæreticos ab Ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quodammodò quandocunque quis fuerit in potestatem, siue perpetuam, siue temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Si verò Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, suam terram purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum, & cæteros comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur. & si satisfacere contempserit intra annum, significetur hoc Summo Pontifici, vt ex tunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis absque vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure Domini principalis, dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent Dominos principales.

NOTÆ.

a POtestas.] Consonant textus *in c. ad abolendam, suprà hoc tit.* Authentica *Gazaros*, Authentica *si verò, C. hoc tit.* ex quibus desumptus est §. hic. Principum enim, & Magistratuum sæcularium est opem ferre Ecclesiæ contra hæreticos, *c. inuenitur 41. c. sicut 47. 23. q. 4.* Leo Magnus in Synodo Romana *epist. 23. ad Theodos. Imperator.* ibi: *Defendite contra hæreticos inconcussum Ecclesiæ statum, vt & vestrum Christi dextera defendatur Imperium.* Et *epist. 71. & 73. ad Leonem Imperatorem.* Concil. Tolet. 8. *can.* 10. *Principes erunt Catholicæ fidei assertores, eamque, & hanc, quæ imminet, Iudæorum perfidiam, & cunctarum hæresum iniuriam defendentes.* Mileuit. *can.* 11. *Aduersus hæreticos, vel paganos, vel eorum superstitiones Legati missi de hoc Concilio quicquid vtile prouiderint, à Gloriosissimis Principibus impetrent.* Plura Ant. August. *in epit. l. 11. tit.* 11. Petrus Gregor. *l. 2. part. tit. 5. c. 5. & l. 13. de repub. cap. 6.* Kochier *l. 2. polit. c. 5.* Quare varijs constitutionibus cautum est, vt Principes, & Potestates sæculares præstent iuramentum protegendi fidem, *c. ad abolendam, §. statuimus, hoc tit.* Innoc. IV. in constitutione, quæ incipit: *Ad exstirpanda.* Clemens IV. in constitutione, quæ similiter incipit: *Ad exstirpanda.* Fridericus Imper. *in d. Authent. Gazaros, authent. statuimus, Cod. de Episcop. audient.* Refert Peña *in præsenti, & 3. p. Direct. comment.* 1. 2. & 3. quod iuramentum præstari solebat tactis sacrosanctis Euangelijs, & flexis genibus, vt de eo iuramento agentes referunt Farinac. *de hæresi, q. 182. n. 22.* Salelles *tom. 1. l. 1. de materijs. Tribunal. c. 4. regul. 33.* etsi de iustitia huius constitutionis dubitet Roussel. *l. 3. hist. cap. 3. num. 8.*

§.

CAtholici verò, qui crucis assumpto charactere ad hæreticorum exterminium se accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque sancto priuilegio sint muniti, quæ *a* accedentibus in Terræ sanctæ subsidium conceduntur.

NOTÆ.

a ACcedentibus.] De quibus *in c. quod 8. de voto*: & ita congregatio Crucesignatorum instituta pro ministerio sancti officij, eisdem gratijs, ac indulgentijs gaudet, ac congregatio Crucesignatorum, qui pro expeditione Terræ sanctæ crucem assumpserunt. Peña *ad Eymericum, 2. p. comment.* 78. Simanc. *de Cathol. tit. 41. nu.* 15. Paramus *de origine Inquisit. l. 2. tit. 1. c. 3. tom. 2. & c. 4. n.* 10. Quare ratione antiquitatis, instituti, & status puritatis sanguinis, omnes alias præcedere debet, vt doctè probat Buratus *consil.* 1. qui docet Inquisitores esse Duces, & Rectores ipsius Congregationis, seu Confraternitatis. Vnde causæ eius priuatiuè ad iurisdictionem sanctæ Inquisitionis spectant, absque eo quod Ordinarij locorum de eis cognoscere possint.

§.

CRedentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere, firmiter statuentes, vt postquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, si satisfacere contempserit intra annum, ex tunc ipso iure sit factus *a* infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad huiusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, vt nec testandi liberam habeat facultatem, nec ad hæreditatis *b* successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocunque *c* negotio, sed ipse alijs respondere cogatur. Quod si fortè iudex extiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad eius audientiam perferantur. Si fuerit aduocatus, nullatenus eius patrocinium admittatur: si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius sint momenti, sed cum auctore damnato damnentur, & in similibus idem præcipimus obseruari. Si verò clericus fuerit, ab omni officio, & beneficio deponatur, vt in quo maior est culpa, grauior exerceatur *d* vindicta. Si qui autem tales, postquam ab Ecclesia fuerint

fuerint denotati, euitare contempſerint, excommunicationis ſententia vſque ad ſatisfactionem idoneam *e* percellantur. Sanè clerici non exhibeant huiuſmodi peſtilentibus eccleſiaſtica ſacramenta, nec eos Chriſtianæ præſumant tradere *f* ſepulturæ, nec eleemoſynas, aut oblationes eorum percipiant, alioquin ſuo priuentur officio, ad quod nunquam reſtituatur abſque indulto Sedis Apoſtolicæ ſpeciali. Similiter quilibet Regulares, quibus etiam hoc infligatur, vt eorum priuilegia in illa diœceſi non ſeruentur, in qua tales exceſſus præſumpſerint perpetrare.

N O T Æ.

3 a *INfamis.*] Elapſo anno videlicet, *authent. credentes, C. hoc tit.* ex qua tranſcriptus eſt textus hic: in quo differunt credentes ab hæreticis, qui ipſo iure infames fiunt. *Authent. Gazaros, C. hoc tit. cap. vt inquiſitionis, hoc tit. in 6.* Et licèt textus hic innouatus ſit *in cap. 2 §. hæretici, hoc tit. in 6.* tamen quoad hanc pœnam infamiæ nihil immutatum eſt, ſiquidem tantùm eam incurrunt credentes, & ſimiles poſt annum.

b *Succeſſionem.*] Iuxta tradita *in cap. 5. & 6. hoc tit.* Fermoſinus *allegat. 36.* Caſtillo *l. 5. controu cap. 137.*

c *Negotio.*] Et debito ciuili, à quo debitor omninò non liberatur, ſiquidem talis obligatio in fiſcum transfunditur, vt dicemus infrà *in cap. fin.*

d *Vindicta.*] Iuxta textum *in c. cùm quidam, de iureiur.*

e *Percellatur.*] Vt contingit in communicantibus cum alijs excommunicatis, vt dicemus *in cap. quod in dubijs, de ſentent. excommun.*

f *Sepulturæ.*] Iuxta tradita ſuprà *in cap. 8.* & probat Salcedo *ad Bernard. Diaz, in praxi cap. 115.*

C O M M E N T A R I V M.

4 Concluſio traditur, & probatur. EX hoc textu, qui ad verbum tranſcriptus eſt *ex cap. ad abolendam, hoc tit. authent. Gazaros, authent. credentes, C. hoc tit.* talis deducitur aſſertio: *Credentes, defenſores, receptatores, & fautores hæreticorum excommunicantur, & elapſo anno, nec reſipiſcentes, infames fiunt.* Probant textus *in cap. ad abolendam, cap. ſi aduerſus, c. excommunicamus 16. §. fin. in fine, hoc tit. cap. quicunque 2. §. hæretici, cap. vt officium 11. in princ. cap. accuſatus 8. §. ſacerdotes, eod. tit. l. 6. cap. in partibus 10. hoc tit. in 1. collect. authent. Gazaros, authent. credentes, C. hoc tit. cap. nouerit, de ſentent. excommun. cap. ſuper quibuſdam, de V. S. l. 44. Cod. Theodoſ. de his qui ſuper religione contendunt*, Eugenius III. in Concil. Rhemenſi, *canone 17. Nullus omninò hominum hæreſiarchas, & eorum ſequaces, qui in partibus Guaſconiæ, aut Prouinciæ, vel alibi commorantur, manuteneat, vel defendat, nec aliquis eis in terra ſua receptaculum præbeat. Si quis autem vel eos de cætero retinere, vel ad alias partes proficiſcentes eorum errori conſentiens recipere fortè præſumpſerit, quo iratus Deus animas percutit, anathemate feriatur: & in terris eorum, donec condignè ſatisfaciant, diuina celebrari officia interdicimus.* Concil. Tolet. 1. *can.* 12. Epaun. *can.* 15. Aurel. 3. *can.* 30. quorum verba refert Ant. Auguſt. *in epitom. iuris, l. 11. tit. 22.* Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti*, Turrifcrem. *l. 4. ſummæ, cap. 21* Seſſe *tom. 4. deciſ. 473. cum ſequent.* Petrus Gregor. *l. 2. partit. tit. 6. cap. 7.* Gutierrez *de delict. l. 1. qu. 49.* Vighellius *in method. iuris can. fol.* 119. Azor *tom. 1. inſtit. l. 8. c. 15.* Fragoſo *part. 1. de regim. Chriſt. Reip. l. 1. diſp. 2. §. 7.* & *part. 2. l. 1. diſp. 3 §. 1* Duardus *in Bullam cœnæ Domini, l. 2. can. 1. qu. 28.* Carena *2. part. de offic. Inquiſit. tit. 6. n. 38.* Caſtropalao *tom. 1. oper. moral. tract. 4. diſp. 3. punct. 5.* Diana *part. 4. tract. 7. reſol. 21* Salelles *l. 1. de materijs tribun. c. 12. regul. 103. cum ſequent.* Bordon. *ſacri Tribun. c. 10. num. 70.* Borellus *de præſtantia Regis, cap. 26.* Pegado *qu. 2. fiſc* Solorzanus *tom. 1. de iure Indiar. l. 2. cap. 13.* Scortia *in ſelect. epit. 9. theorem. 27.* Suarez *de fide, diſp. 24. ſect. 1.*

5 Impugnatur hæc aſſertio. Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo: qui hæreſim exſtirpare poteſt, & non facit, particeps ſceleris redditur, *cap. qui aliorum, 24. qu. 3.* probaui ſuprà *in cap. 2. hoc tit.* Ergo credentes, fautores, & defenſores hæreticorum, qui non ſolùm eos non deferunt Inquiſitoribus, verùm eos fouent, & defendunt, eiſdem pœnis ac hæretici ſunt puniendi. Augetur hæc difficultas *ex cap. penult. §. 1. hoc tit.* ibi: *Credentes autem eorum erroribus, hæreticos ſimiliter iudicamus.* Ergo eiſdem pœnis ac hæretici ſunt plectendi. Tandem augetur hæc difficultas ex eo, nam receptatores aliorum reorum eiſdem pœnis, ac ipſi criminoſi plectuntur, *l. 1. ff. de receptatoribus*, vbi ſcriptum eſt, peſſimum eſſe genus receptatorum, ſine quibus nemo diù latere poſſit; & ideò perinde puniendos eſſe, atque latrones, quos ſuſceperint: & *in l. 1. C. eod. tit.* ſancitum eſt, vt par pœna reos, atque eorum receptatores expectet. Paulus *l. 5. ſentent. tit. 3.* ibi: *Eadem pœna afficiuntur*. Et *in l. 3. §. ſi quiſquam 12 ff. ad Syllanian.* is qui ſeruum facinoris noxium celauerit, in ea cauſa habetur, ac ſi lege, quæ de ſicarijs lata eſt, facinoris noxius eſſet: *in l. 3 §. non tantùm, ff. de incend. ruina, l. crimen 9. C. ad leg. Iul. de vi*, cùm dicitur non minùs delinquere receptatorem, quàm aggreſſorem, ſatis innuitur, pari pœna vtrumque plectendum eſſe. Et *in l. vnic. C. de crimine peculatus*, reſcriptum eſt, eadem pœna afficiendum peculatorem, & qui ſciens peculatori ſinum præbuerit. Ergo receptatores etiam hæreticorum eiſdem pœnis ac ipſi hæretici puniri debent.

Qua difficultate ita fulcita non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, magnam differentiam verſari inter credentes, & defenſores hæreſum; & inter credentes, & defenſores hæreticorum. Illi enim dicuntur, & ſunt omnes, qui licèt explicitè nullam hæreſim credant, aut defendant (quo caſu hæretici ſunt) implicitè tamen, verbis, vel factis credunt erroribus illis, quos ſciunt eſſe contra fidem: vt ſi quis generaliter credat veram eſſe ſectam Lutheri, quam ſcit fidei eſſe contrariam; licèt in particulari nullum errorem ſequatur, dicetur hæreticus ex eo, quod implicitè ſic credit hæreſibus. Quo caſu procedit textus *in d. cap. penult. verſ. Credentes, hoc tit.* quem ita accipiunt Grillandus *de hæreticis, qu. 9.* Villadiego *eod. tract. qu. 16.* Caſtro *l. 1. de iuſta hæretic. punit. cap. 17.* Thomas Delbene *de offic. Inquiſit. part. 1. dub. 14.* Murga *tom. 1. tract. 1. dub. 2.* Sic etiam ad hunc caſum referendi ſunt textus *in cap. qui aliorum, 24. qu. 3.* & *in cap. ſuper quibuſdam, de V. S. cap. filij, hoc tit. in 6.* Alij ſunt credentes, & defenſores hæreticorum, qui nec etiam implicitè credunt, nec defendunt hæreſes illorum, ſed ſimpliciter credunt, & fidunt perſonis hæreticorum, eoſdem, vel res ipſorum defendunt, nulla habita ratione ad hæreſes, quas execrantur; vnde non ſunt hæretici, quia nec implicitè habent errorem contra fidem. Textus optimus *in cap. accuſatus, §. ſi verò, in princ.* ibi: *Non tamen exiſtens hæreticus, hoc tit. in 6.* Et de his credentibus, ac defenſoribus agitur in præſenti textu, & alijs pro eius illuſtratione adductis: docuerunt Scortia *in ſelect. epit. 9. theorem. 37.* Fragoſo *d. diſp. 3. §. 1.* Palao *d. diſp. 2. punct. 5.* Salelles *d. regul. 103.* Bordonus *d. cap. 10. nu. 86.* Vnde deducitur ratio, cur Martinus V. & alij Pontifices in prima clauſula Bullæ cœnæ omiſerint verbum *credentes*, quod alij adiecerunt, quia ſcilicet aut credentes credunt erroribus, & ſub nomine hæreticorum continentur; aut hæreticis, & tunc ſub nomine defenſorum, vel fautorum includuntur: ſed Innocentius III. *in præſenti*, & Bonifacius VIII. *in d. cap 2. §. hæretici, hoc tit.* expreſſerunt credentes, defenſores, & fautores, vt maiori claritate ſub illis verbis comprehenderent modos non tantùm ſpeciales, ſed etiam generaliter omnes, quibus foueri, defendiue poſſent hæretici. 6 De credentibus hæreticorum.

Deinde ſciendum eſt, fautorem hæretici eum dici, qui commiſſione fauet hæretico, defendendo, receptando, vel non puniendo illum: & ita triplici modo, omiſſione videlicet, facto, vel verbo crimen hoc admittitur. Omiſſione, cùm hæretici non puniuntur ab ijs, qui eos damnare poſſunt: facto, cùm defenditur, aut receptatur: verbo, cùm conſilium illis datur. Nec deſideratur, quod fautor habeat formalem intentionem fauendi hæretico ratione hæreſis, ſed ſufficit illi præſtare, fauorem ex cauſa hæreſis, ſine tali voluntate, cùm ex actu tendente in hæreticum ſatis cognoſcatur fautoria; ſiquidem ille fauor non præſtaretur, ſi non eſſet hæreticus. Sufficit ergo facere illum actum, ex quo ſequitur fauor; nam in eo virtualiter, & interpretatiuè comprehenditur ea voluntas, & intentio, vt docuerunt Suarez *de fide diſp. 24. ſect. 1. num 7.* Carena *part. 2. tit. 4. num. 40.* Illud tamen certum eſt, non poſſe procedi contra fautores, niſi priùs conſtet, perſonam cui fauent, hæreticam eſſe, quia iudicium quod ſumitur contra ſuſpectum de hæreſi prætenſum, fundatur ſuper fautoria 7 De fautoribus, defenſoribus, & receptatoribus.

ria qualificata in casu hæresis. Ergo priùs debet constare de hæresi personæ, cui præstitus fuit fauor in causa hæresis, vt resoluunt Farinac. *de hæresi, qu.* 182. *num.* 11. Carena 2. *part. tit.* 4. *num.* 19. Defensores hæreticorum illi dicuntur, qui personas eorum armis & viribus suis, vel officio, vt aduocati, & similes, defendunt; nam si errores ipsorum defendunt, formaliter hæretici dicuntur. Tandem receptatores sunt, qui hæreticos recipiunt, aut occultant ratione hæresis, vt latè probat Thomas, Delbene *part.* 1. *de offic. Inquisit. dub.* 26. Murga *tom.* 3. *disquis. tract.* 1. *dub.* 3. & 4. P. Mendo *in statera, dissert.* 1. *qu.* 6. qui resoluit, huiusmodi fautores & receptatores adhuc absolui posse virtute Bullæ Cruciatæ.

8 *De pœnis eorum.* Deinde sciendum est, credentes, fautores, defensores, & receptatores hæreticorum non puniri pęnis hæreticorum; nam is, qui hæreticus non est, sed leuiùs deliquit, non punitur pęnis hæretici, iuxta regulam capitis *pœna, de pœnit. dist.* 1. & licèt in nonnullis Ecclesiæ canonibus exæquentur hæreticis fautores, & defensores, id intelligendum est quoad modum procedendi, vt *in cap. Præsidentes, cap. in fidei, cap. vt officium, cap. vt commissi, cap. contra Christianos, cap. vt inquisitionis, hoc tit. l.* 6. & quoad nonnullas pęnas omnibus communes, veluti quoad abiurationem hæresis, de qua sunt suspecti, *cap. vt officium, vers. Si verò, hoc tit. in* 6. Dubitari tamen solet, an illi de leui tantùm, vel de vehementi suspicione abiurare debeant. Et probabilius est, credentes, defensores, & similes de vehementi abiurare debere: tum quia talis videtur esse suspicio contra illos; nec enim pro leui tot pęnas imponerent Innocentius *in præsenti*, & Bonifacius *in d. cap.* 2. §. *hæretici, hoc tit. in* 6. tum etiam, quia *in eodem cap.* 2. §. *ille*, docetur ex fauore, & defensione hæreticorum insurgere vehementem hæresis suspicionem; sed semper attendenda est qualitas personæ fauentis, vel receptantis, vt suspicio leuis, vel vehemens oriatur, vt resoluunt Eymericus 2. *part. direct. qu.* 56. *nu.* 6. Carena *d. tit.* 4. *num.* 20. Castropalao *d. tract.* 4. *disp.* 7. Salelles *d. regul.* 101. qui latiùs de hac abiuratione agunt.

9 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis, ratio præsentis assertionis ex eo prouenit; nam is qui crimen commisit, in quo alterius criminis suspicio continetur, vltra pęnas illius, potest vt suspectus de alio coerceri: atqui credentes hæreticorum, & similes, sunt suspecti de hæresi: igitur ob eam suspicionem rectè puniuntur, nisi ex aliqua iusta causa suspicio hæresis cesset, *d. cap. accusatus*, §. *ille*, veluti si adsit ignorantia probabilis, argumento capitis *felicis*, ibi: *Scienter, de pœnis in* 6. *l.* 3. *vers. Quid enim, ff. de incendio, ruina*. Docent Grillandus *de hæretic. qu.* 9. *num.* 3. Simancas *de Cathol. cap.* 15. *nu.* 17 qui accipiunt præsentem textum in credentibus, & defensoribus hæreticorum, quos sciebant esse hæreticos. Sic similiter iusta necessitas, seu coactio excusat crimen hoc, vt resoluit Carrierius *nu.* 167. Menoch. *de arbitr. casu* 349. *num.* 16. Etiam receptans hæreticum ob sanguinis propinquitatem, minori pęna afficiendus est, vt resoluunt Diana 4. *part. tract.* 7. *resol.* 21. Salelles *vbi suprà, regul.* 105. *num.* 229. Bordonus *sacri tribun. cap* 10. *num.* 82.

10 Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam etsi ab Interpretibus dubitetur, an priuatus sciens aliquem hæreticum, & eum non denuncians, fautor, seu defensor, ac de hæresi suspectus credatur; & non desint, qui affirment ex tali omissione denunciationis insurgere violentam suspicionem hæresis, seu fautoriæ, vt resoluit Castro *de iusta hæretic. punit. lib.* 2. *cap.* 25. probabilius tamen est, ex sola omissione denunciationis sine alijs coniecturis non prouenire vllam hæresis, aut fautoriæ præsumptionem, nec obligationem vllo modo abiurandi: sed denunciare hæreticos omittentem esse grauiter puniendum, solummodò vt inobedientem præceptis Inquisitionis, resoluunt Suarez *de fide disp.* 20. *sect.* 4 *num.* 28. Transmiera *in stimulo fidei, qu.* 3. *cap.* 7. Salelles *tom.* 3. *l.* 5. *de mater. tribunal. regul.* 390. *Dissoluitur dubitandi ratio.* Vnde licèt teneatur quilibet Catholicus denunciare hæreticos, iuxta tradita *in cap.* 2. *hoc tit.* non tamen si omittat, ideò vt hæreticus, seu tanquam suspectus de hæresi puniri valet. Nec obstat textus *in d. cap. penult. hoc tit.* §. 1. Procedit enim in credentibus hęresum, non hęreticorum, qui verè hæretici sunt, iuxta suprà tradita. In præsenti verò textu agitur de credentibus hæreticorum, qui tantùm suspecti de hæresi sunt, iuxta suprà tradita. Nec obstat tandem quod de receptatoribus expendebamus; nam omissis quæ de eorum pœnis in alijs criminibus congesserunt Ant. Matthæus *de criminibus, ad tit. de receptatoribus*, Gaillus *de pace l.* 1. *cap.* 10. Plaza *de delict. cap.* 36. Menoch. *de arbitr. casu* 368. Gratian. *disceptat. volum.* 4 *cap.* 368. *ex num.* 4. Giurba *consil.* 8. Cyriacus *controu.* 345. D. Nicol. Anton. *de exilio l.* 2. *cap. fin.* dicendum est, discrimen esse constituendum inter eos, qui antè delictum commissum, vt committatur, vel in ipso dum committitur, aliquem recipiunt, vel occultant; & inter eos, qui omninò post illud consummatum recipiunt. Priores enim tanquam participes delicti pari pęna afficiuntur cum ipsis delinquentibus, iuxta sententiam Bartoli communiter receptam *in l. furti*, §. *ope, num.* 2. *ff. de furtis*: quo casu procedit textus *in d. l.* 1. *ff. de recept.* vbi agitur de ijs, qui latronem cum re ipsa ablata recipiunt, qui cùm durante contrectatione furtum committant, *l. in faciendo* 69. §. *infans, ff. de furtis*, illi tanquam recipientes delinquentem in ipso delicto, pari pęna plectuntur. Bartolus *in d. l. furtum*, Gomez *l.* 3. *var. cap.* 5. *colum. penult.* Cæterùm vbi quis recipit, vel occultat reum post delictum consummatum, quia leuiùs peccat, & non est causa proxima delicti, eadem pęna non punitur cum reo principali, sed leuiori regulariter, *l. fin.* §. *fin. ff. de abigeis, l. vim* 39. §. *mulierem, ff. ad leg. Iul. de adult. l. Metrodorum* 40. *ff. de pœnis*. Dixi *regulariter*, quia nonnullis in casibus contrarium reperitur in iure expressum, vt *in cap. felicis, de pœnis in* 6. *cap.* 1. *de homicid. l.* 6. *cap* 1. *de schismat. eod. l. Clement.* 1. *de pœnis, cap.* 1. §. *conuenticulos, de pace iuram firmanda*. Meritò ergo receptatores hæreticorum, qui post delictum hæresis commissum eos recipiunt, non puniuntur eisdem pęnis ac hæretici, quicquid velint Glossa, & repetentes *in cap.* 2. *hoc tit. in* 6. quorum sententia defendi potest in his qui recipiunt, vel occultant ad hæresim committendam, vel in ipso crimine, aut cùm occultant captum, vel capiendum: quo casu accipiendus est Pius V. in constitutione relata à Nauarro *c.* 27 *n.* 56. vbi refert, velut hęreticos puniri recipientes, vel occultantes hęreticos.

§.

QVia verò nonnulli sub specie pietatis virtutem eius (iuxta quod Apostolus ait) abnegantes, auctoritatem sibi vindicant prædicandi, cùm idem Apostolus dicat: Quomodo prædicabunt, nisi *a* mittantur? omnes qui prohibiti, vel non missi, præter auctoritatem ab Apostolica Sede vel Catholico *b* Episcopo loci susceptam, publicè, vel priuatim prædicationis officium vsurpare præsumpserint, excommunicationis vinculo innodentur: & nisi quamcitiùs resipuerint, aliàs competenti pœna plectantur.

NOTÆ.

1 a MIttantur.] Secundæ *ad Timoth. cap.* 3. & *ad Roman. cap* 10. Faciunt textus *in cap. in nouo*, 21. *dist.* Trident. *sess.* 5. *de reform. cap.* 1. & *sess.* 24. *cap.* 4. Quare Isaias dicebat ad Dominum: *Ecce ego, mitte me*. Refertur *in cap. in scriptis* 8. *qu.* 1.

2 b *Episcopo loci.*] Qui debet licentiam prædicandi concedere, vt latè probat Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 71. & *in summa Apostolic. verbo Prædicare*: & illam ex iustis causis potest denegare, aut iam concessam reuocare, ita vt in sua diœcesi, nec etiam in proprijs Ecclesijs Regulares exempti prædicent, quicquid sua tantùm fretus auctoritate asseruerit audax Brunus Chassaing *de priuilegijs Regul. tract.* 6. *cap.* 1. *per totum*.

§.

Digitized by Google

§.

ADijcimus insuper, vt quilibet Archiepiscopus, vel *a* Episcopus, per se, aut per Archidiaconum suum, aut alias honestas, idoneasque personas bis, aut saltem semel in anno propriam parœciam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat, & ibi tres, aut plures boni testimonij viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam viciniam iurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciuerit, vel aliquos occulta conuenticula celebrantes, seu à communi conuersatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos Episcopo studeat indicare. Ipse autem Episcopus ad præsentiam suam conuocet accusatos, qui nisi se ab obiecto reatu purgauerint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonicè *b* puniantur. Si qui verò ex eis iuramenti religionem obstinatione damnabili respuentes, iurare fortè noluerint, ex hoc ipso tanquam hæretici reputentur. Volumus igitur, & mandamus, & in virtute obedientiæ districtè præcipimus, vt ad hæc efficaciter exequenda Episcopi per diœceses suas diligenter *c* inuigilent, si canonicam velint effugere vltionem. Si quis enim Episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, vel remissus, cùm id certis indicijs apparuerit, & ab Episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit, & possit hæreticam confundere prauitatem.

NOTÆ.

1 a EPiscopus.] Cuius præcipuum munus est hæreses extirpare, hæreticosque punire. Felix Papa *epist.* 3. ibi: *Fratres hortor dilectionem vestram, & obtestor, & moneo, vt qua debetis, & potestis solicitudine vigiletis ad inuestigandos hæreticos.* Sixtus II. *epist.* 1. *ad Gratum Episc.* ibi: *Tuam moneo dilectionem, vt cunctos, quos errare cognoueris, ad Catholicam fidem, & ad vnitatem rectè credentium conuertere studeas.* Leo Mag. *epist.* 2. *ad Episc. Italiæ, & 74. vel 76. ad Anatolium Episc* & *epist.* 80. *ad Iul. Episc.* Concil. Carth. *can.* 124. *Si in matrice, vel in Sede Episcopus negligens fuerit contra hæreticos, admoneatur à vicinis Episcopis: & si ab eo die intra sex menses in prouincia sua non conueniat ad vnionem Ecclesiæ Catholicæ alios, non ei communicetur donec id fiat.* Refert Ant. August. *in epit. iuris, lib.* 4. *tit.* 58. & probaui *in cap.* 2. *hoc tit. l.* 1. *C. Theodos. de relig.* Nouella 3. Valentini, D. Ambrosius *epist.* 32. I. Gothofr. *in d. l.* 1. Adhuc enim his temporibus Alexandri, & Innocentij non erat Inquisitorum iurisdictio statuta, quæ per sequentes Summos Pontifices concessa, & instituta fuit; nam cùm Episcopi cœpissent varijs negotijs implicari, diœcesimque non per se, sed per alios regere; hæreticique non solùm latenter, verùm & palam venenum effunderent, oportuit iudices peculiares peritissimos, & religione præstantes instituere in qualibet prouincia, vt inquirerent, punirentque hæreticos, & de hæresi suspectos; non tamen ideò sublata fuit hæc facultas Episcopis, qui vt ordinarij Inquisitores hæresum simul cum ipsis Inquisitoribus possunt procedere, & in ipsis causis fidei decidendis suffragium decisiuum habent; non autem ad pœnam procedere possunt, immò si quam receperunt probationem, tenentur eam Inquisitoribus transmittere. Molina *de iustitia, disp.* 28. *num.* 13. Carena *de offic. Inquisit.* 1. *part. tit.* 4. §. 3. *num.* 20. Villaroel *p.* 1. *regim. eccles. qu.* 5. *art.* 1. De origine autem iurisdictionis, & officij sanctæ Inquisitionis in genere agunt Paramus *de officio sanctæ Inquisit. lib.* 1. *per totum,* Salelles *tom.* 1. *de mater. Tribun. sanctæ Inquisit. lib.* 1. *in prolegom. de origine sanctæ Inquisitionis, specialiter in Hispaniarum Regnis:* eruditè, & latè agit Tamayus à Salazar *in martyrol. Hispan. tom.* 2. *die* 29. *Aprilis*, Thomas Delbene *part.* 2. *de offic. Inquisit. dub.* 195. Fragoso *tom.* 2. *de regimine.*

b *Puniantur.*] Iuxta tradita suprà *in cap. excommunicamus, §. illi autem.*

c *Inuigilent.*] Iuxta suprà tradita *in cap.* 2. *hoc tit.*

CAPVT XIV.

Gregorius IX. *Archiepiscopo* a *Mediolan.*

SIcut in vno corpore. *Et infrà:* Cùm igitur nonnulli laici prædicare præsumant, & verendum nimis existat, ne vitia sub specie virtutum subintrent; nos attendentes, quod Doctorum ordo est in Ecclesia Dei quasi præcipuus: mandamus quatenus cùm alios Dominus Apostolos dederit, alios Prophetas, alios verò Doctores, interdicas laicis vniuersis, cuiuscunque ordinis censeantur, vsurpare officium prædicandi.

NOTÆ.

1 a MEdiolan.] De Metropoli hac Mediolanensi egi *in capite decimoseptimo de rescriptis.* Huius textus commentarium dedi suprà *in capite cùm ex iniuncto.*

CAPVT XV.

a Idem.

EXcommunicamus, & anathematizamus vniuersos hæreticos, Catharos, Patarenos, pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscunque nominibus censeantur, facies quidem habentes diuersas, sed caudas ad inuicem colligatas, quia de varietate conueniunt in idipsum. Damnati verò per Ecclesiam, sæculari iudicio relinquantur, animaduersione *b* debita puniendi, clericis priùs à suis ordinibus degradatis.

NOTÆ.

1 a IDem.] Gregorius IX. videlicet, qui præsentem constitutionem edidit proprio motu contra hæreticos hic expressos: & continet varia capitula, quæ inter epistolas ipsius Pontificis ordine 8. referuntur; nam licèt Cathari iam primis Ecclesiæ sæculis damnati fuissent, vt probaui *in cap.* 8. *hoc tit.* tamen cùm temporibus Innocentij III. noui hæretici instaurassent hæresim Manichæorum, etiam nomen Catharistarum innouarunt. In Germania dicebantur

bantur Cathari : in Flandria *Piphles* : in Gallia Tisserani , vt refert Spondanus post Baronium *anno* 1198. *num.* 27. & 1199. *num.* 11. vbi etiam agit de Patarenis, Humiliatis , & Pauperibus de Lugduno,

b *Debita* .] Vltimo videlicet supplicio, iuxta tradita suprà *in capite ad abolendam , capite excommunicamus* , §. 1. vbi commentarium huius textus inuenies,

§.

SI qui autem de prædictis postquam fuerint deprehensi , *a* redire voluerint ad agendam condignam pœnitentiam , in perpetuo carcere detrudantur : credentes autem eorum erroribus , hæreticos similiter iudicamus.

NOTÆ.

1 a REdire voluerint.] *Redire noluerint*, legendum esse voluerunt Glossa *in c. inter , de purgat. canonic.* Ioannes Igneus *in l. 1. §. cùm Dominus, num. 34. ff. ad Syllan.* sed perperam , licèt in alijs codicibus ita legi referat Boer. *dec. 341. num. 3.* Tum quia pęnitentes , qui nolunt redire ad Ecclesiam, longè seuerius puniuntur, siquidem traduntur Curiæ sæculari, *c. ad abolendam, hoc tit.* cui admissa lectione negatiua, non rectè conuenit præsens textus Tum quia detrusio in carcerem ad agendam pęnitentiam, de qua in præsenti agitur , tantum referri potest ad eos , qui redeunt ad Ecclesiam, erroremque confitentur, ac illum abiurant, vt patet, & probatur *ex c. vt commissis, vers. vt illorum, hoc tit. l. 6.* Vnde verior lectio est affirmatiua, quæ habet *voluerint* , quam retinent repetentes *hic* , Boerius *vbi suprà*. Simancas *de Catholic. c. 47. n. 33.* Albertinus *de hæreticis, c. 1. num. 42.* iuxta quos, & alios Gregor. IX. in præsenti docet, quod etsi hæretici impęnitentes, qui ad Ecclesiam non redeunt, tradi debeant brachio sæculari , iuxta suprà adducta *in c. ad abolendam*; tamen verè pęnitentes, & veniam deprecantes admittuntur ad reconciliationem , vt euitent mortis pęnam , & detrudantur in perpetuum carcerem : quod adiecit Gregorius pro declaratione versiculi præcedentis, non quia aliquid contrarium decideret , vt contra Syluestrum notauit Simancas *vbi proximè*; vnde intelliges alternatiuam textus *in c. 1. hoc tit. in 6.* ibi: *Curiæ relinquendus, aut perpetuò immurandus*; ita vt prior pars ad impęnitentes referatur, posterior verò ad pęnitentes , vt aduertit Alciatus *in eod. textu, nu* 42. contra alios existimantes, per verba illa concedi electionem iudici, vt alterutram pęnam eligere possit; parum aduertentes, textum illum non agere de pęna præscribenda, id enim relinquitur iuris dispositioni; sed de modo degradationis , quæ hoc, vel illo casu facienda est. De his etiam hæreticis pęnitentibus intelligitur textus *in c. accusatus, in fine, hoc tit. in 6.* Vnde constat, speciale esse in hoc crimine hæresis , vt per pęnitentiam liberetur reus à relaxatione Curiæ, & pęna mortis: & ita limitatur regula legis *qui ea mente, ff. de furtis*: & ita notarunt *in c. ad abolendam, hoc tit.* Felinus *num. 2.* Abbas *nu.* 5. Corrasius *l. 3. miscel. c. 8. n. 5* Simanc. *d. tit. 47. n. 4.* & meritò, quia diuina maiestas, in quam potissimum hæreticus deliquit , *c. vergentis, hoc tit. l. 4. C. eod.* non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur ad pęnitentiam, & viuat, & sic hæretici obdurati pietate alliciuntur , vt facilius redeant , & pęnitentes , ac de præterito lapsu dolentes plenius satisfaciant. Hinc Ioannes Summus Pontifex rogat Imperialem clementiam Iustiniani *in l. liquet, §. sed quia, C. de summa Trinit.* vt si hæretici proprio deposito errore ad vnitatem Ecclesiæ reuerti voluerint , in Christianorum communionem eos recipiat, ea ratione , quod gremium suum nunquam redeuntibus, ac pęnitentibus claudit Ecclesia, *c. super eo, de hæretic. in 6.* facit edictum relatum *in l. credentes, C. de summa Trinit.* De iure ciuili non satis disertè constat, an hęreticis pęnitentibus venia delicti detur. In lege 4. *in fin. C. hoc tit.* rescriptum est, delicti veniam pęnitentibus dari: quam sententiam probat P. Gregorius *l. 33. syntag. c. 8. n. 18.* Verum *in l. 3. C. de apostatis*, lapsis, & errantibus subueniri scribitur; perditis verò , hoc est sanctum baptisma profanantibus, nullo remedio pęnitentię succurri: quæ iura vt componat Vuesembechius *in parat. ad tit. C. de apost.* affirmat in dicta lege 3. non agi de apostatis , sed de Anabaptistis, quos a ceteris hæreticis differre asserit , ideoque eis pęnitentibus nihil de pęna remitti : Anabaptistarum enim crimen facti est (inquit,) quod factum non tollitur pęnitentia, vt nec homicidium, adulterium, vulnus: ideòque nihil de pęna tollitur, quia manente causa manet effectus. At reliquæ hęreses non consistunt in facto, sed in opinionis errore versantur ; qui error cum per confessionem, & pęnitentiam deponatur, venia conceditur. Sed hæc solutio facilè conuincitur , cùm nulla ferè sit hæresis , quæ cum opinionis errore coniuncta , facta non habeat ecclesiasticis mysterijs repugnantia . Vnde nulla differētia versatur inter Anabaptistas , & cęteros hęreticos. Accedit quia absurdum est dicere pro perditis ibi accipi Anabaptistas, cæteros verò hæreticos pro lapsis; cùm certum sit, peiore Anabaptistis, ac maiori dignos odio Nestorianos, ac Manichæos vbique existimatos esse. Quare hac omissa solutione dicemus cum Cuiacio *in parat. C. de apost.* dictam legem 3. esse non de Anabaptistis, sed de apostatis; est enim ipsa sub titulo *de apost.* tā in codice Iustin. quàm in Theodos. Nec ea verba in ea inserta , *Sanctum baptisma profanantibus*, rei veritatem adumbrant , cùm pars pro toto hic accipiatur, sanctum quoque baptisma pro Catholica religione sit intelligendum : & ideò , cùm ibi dicitur perditis nullo remedio pęnitentiæ succurri , est accipiendum de apostatis , quorum longè grauius est peccatum hæreticali superstitione; isti enim adhuc ciues Ecclesię sūt, licèt eiusdem veram doctrinam sathanæ insidijs deserentes: illi verò omninò a sacris præceptis sunt alieni , vt exponit Farinac. *q. 183. n. 16.* & hinc rectè *in d. l. 3.* lapsis , & errātibus subueniri dicitur; perditis verò nullo remedio pęnitētię succurri: lapsi, & errantes sunt hæretici, perditi sunt apostatæ; sicuti enim deperditum id dicimus, quod extra rerum naturam esse desijt, *l. deperditum 21. ff. de petit. hæredit.* sic eum, qui cum in vera via salutis sit, errat à semita, & tramite, lapsum dicemus; perditum vero, qui omninò remotus ab ea est : & hoc sensu Imperator Constantinus Paganos perditos appellat *in l. 1. C. de paganis* : & primis Ecclesię sæculis apostatis pęnitētiā denegari probaui *in can. 1. Conc. Illiber.*

Hæreticis ergo in hæresi deprehensis , sed pęnitentibus , 2 De pœna perpetui carceris.
imponenda est pęna perpetui carceris , iuxta constitutionem Friderici relatam per Peñam *ad calcem Directorii* , & constitutionem Innocentij IV. editam anno 1254. quæ incipit: *Nouerit*, quam refert Peña *vbi suprà* . Probant Farinac. *de hæresi q. 193. §. 5. n. 101.* Salelles *tom. 3. de mater. Tribun. l. 6. c. 7. reg. 487.* Thomas Delbene *p. 1. de offic. Inquisit. dubit. 156.* Vnde infertur, & præcipuè ex hoc textu, ibi, *deprehensi*, hęreticis qui solùm sunt de hęresi suspecti leuiter, aut vehementer, non esse imponendā pęnam perpetui carceris , quia talis pęna tantum recedentibus formaliter à fide Catholica est iniungenda ; poterunt tamen illi temporaria carceris pęna, pecuniaria, seu simili puniri. Simanc. *de Catholicis, tit. 47. n. 53.* Peña *3. p. direct. comment. 42. nu. 172.* Nec etiam perpetuo carceri mancipandi sunt, qui antè testium publicationem reatum suum fatentur pęnitentiam flagitantes; quia non censentur plenè deprehensi in hæresi, seu apostasia formali: quare illis iuxta tempus , in quo pęnitentiam petierunt , tempus carceris est taxandum , vt si statim ac deprehensi sunt, delictum fateantur , per sex mēses in carcerem detrudantur ; si verò dum accusatio proponitur, per annum; & si post accusationem, per bienniū; si post torturam, in perpetuum: in ipsa autem pœna carceris perpetui , iure communi attento *ex c. vt commissi, vers. Et illorum , de hæret. in 6.* Inquisitores poterant dispensare commutando pęnam ipsam in peregrinationem, ieiunia, & similia opera : sed hodie hoc reseruatū est Domino Inquisitori Generali , vt iam notauit Simanc. *de Catholic. tit. 16. nu. 20.* & *tit. 47. nu. 12.* & solet Inquisitor Generalis cum damnatis simpliciter ad perpetuum carcerum, post triennium; cum damnatis verò sine remissione , post octo, aut decem annos dispensare , si appareant signa veræ pęnitentiæ . Debet autem carcer competens viribus naturę esse, sed ita vt magis ad pęnam, quàm ad custodiam instituatur , *Clement. 1. §. propter, hoc tit.* ibi : *Duro tamen tradere carceri, siue arcto, qui magis ad pœnam, quàm ad custodiam videatur.* Et tempus hoc carceris posse commutari ab Inquisitoribus, condemnando hæreticos ad triremes

per

per idem tempus, patet ex constitutione Alexandri VI. quę incipit, *Venerabilis*, data die 26. Maij anni 1503.

3 Tandem sciendum est, penitentiam hanc in carcere faciendam per tempus ab Inquisitoribus præfinitum, vtpotè solemnem, peragendam esse cum veste pęnitentiali, iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, vt ita sacco illo induti, & signati, magis humilientur, argumento capitis *in c.50. dist.* docent Simanc. *suprà, n.9.* Pena *ad Eymericum, 3.p. direct or. comment. 42.n 175.* Salelles *l.6.c 7. regul. 490.* qui diligenter inquirunt vsum dicti habitus pęnitentialis. Et iam inualuisse primis temporibus, cùm iurisdictio Inquisitorum cępit, constat ex Concilio Tarraconensi relato per Eymericum *2.p. Direct. tit. de formis pęnitent.* & ex quibusdam litteris, seu sententijs sancti Dominici, relatis à Camillo Campegio apud Zanchinum *de hæret. c.20.* ex Concilio Tolosano celebrato anno 1229. vbi ita cauetur: *In detestationem quoque veteris erroris, duas cruces portent de cætero altiùs præeminentes, alterius coloris quàm sint vestes eorum, vnam à dextris, & alteram à sinistris.* Et cùm adhuc dubitaretur, quonam modo, & cuius coloris huiusmodi cruces essent conficiendæ, in Concilio Biterrensi *can. 6.* ita cautum fuit: *In detestationem etiam veteris erroris duas cruces portent in superiori veste coloris crocei, longitudinis duorum palmorum & dimidij, latitudinisque duorum, & in se trium digitorum habentes latitudinem; vnam anterius in pectore, & aliam posterius inter scapulas: vestes, in quibus cruces portauerint, coloris crocei non appareant, superiori veste intellecta, supra quam in domo, vel extrà alia non portetur.* Habitum istum vulgò appellamus *Sanbenito*, & varias huius nomenclaturę rationes adduxerunt Yepes *in Chron. D. Benedicti, anno 682.* F. Hieronymus Roman. *l.5. Reip. Christ.* Ant. Perez. *serm.2 de sancto Andrea*, Haæphtenus *l.5. disquisit. monast. tr.7. disquisit.3.* Sed placuit ea, quam sequuntur Yepes, & Haæphtenus, videlicet quod cùm olim ob publica, & enormia delicta pęnitentes detruderentur in monasterijs, & ibi mutarent habitum, non erat alius, nisi ipsius religionis, prorsusque similis vesti monachorum, apud quos recludebantur. Fuit hæc autem forma apud Hispanos tam antiqua, vt in Barchinonensi Concilio anno 540. celebrato præscribatur: *Vt pœnitentes raso capite, habitu religionis amicti, omne tempus vitæ suæ ieiunijs, atque obsecrationibus, impendant.* Et in Concilio Toletano IV. expresè præscribitur in hæc verba: *Quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam totonderunt se, & rursus præuaricantes, laici effecti sunt, comprehensi ab Episcopo suo ad pœnitentiam, ex qua recesserunt, reuocentur. Quod si aliqui per pœnitentiam irreuocabiles sunt, nec admoniti reuertuntur, vt veteres apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur.* Et in 6. Tolet. Synodo, *can.7.* ita statuitur: *Vt hi, qui sub religiosò habitu pęnitentiæ professi pro venia peccatorum ad manum sacerdotis adducti, si post hæc, vel aut comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id quod reliquerant, redierint, ab Episcopo ciuitatis comprehensi rursus legibus pęnitentię in monasterijs subdantur inuiti.* Inde coniectantur Yepes, & Haæphtenus *vbi suprà*, pęnitentes hæresi abiurata detrusos fuisse in monasteria Diui Benedicti, & detulisse scapulare ipsius Ordinis eo modo, quo Equites olim Militarium Ordinum sub regula D. Benedicti degentes deferebāt scapulare paruum, quod vulgò dicebatur *Sanbenitillo*, vt probat Haæphtenus *vbi suprà*. Vnde licèt postea rei ipsi detrudi cępissent in carceribus sanctæ Inquisitionis, ad pęnitentiam peragendam, tamen habitus ipse pęnitentialis vetus nomen retinuit, & ita à pristina detrusione in monasterijs sancti Benedicti, vulgò *Sanbenito*, appellatur. Alia de ipsius vocis ratione congessit Paramus *de offic. Inquisit. l.1.c.5. tit.2.*

Huius sacci color varius fuit antiquitus, tempore Eymerici liuidus, & subniger, & cruces crocei coloris erant; hodie autem saccus ipse crocei coloris est, cruces autem antè pectus, & in dorso rubei coloris: cuius coloris rationem ex eo assignauit Hurtado *tom.2. de residentia, resol.7. subsect.3.n.68.* quia croceus color flammeus dicitur, vt ex Cypriano, Tertul. & Martiali probat. Vnde habitus iste crocei coloris est cum crucibus rubeis, vt illum deferentes semper præ oculis habeant, per sanguinem Iesu Christi rubeo colore designatum, à gehennæ incendijs, & flammis inferni croceo colore designatis, liberatos fuisse; & quod si ad vomitum sicut canes, & ad volutabra fętida hæresæos, sicut sues reuertuntur, igni tradendi sunt: vnde relapsi ipsi cùm vltimo supplicio traduntur, sacco induto incedunt, cum flammis in ipso depictis. Quæ ratio mystica profectò est, nam moralis ex alio capite, & faciliori prouenit, videlicet vt ita faciliùs cognoscantur ita pęnitentes, vt maiori rubore suffusi humilientur. Quærunt adhuc Paramus, & Hurtado *vbi proximè*, quare crux in ipso habitu rubeo colore intexta non ponitur iuxta formam crucis in qua Dominus noster passus, & mortuus est, sed potiùs est crux decussata, ad modum illius, in qua D. Andreas martyrio coronatus fuit. Et omissis rationibus ab ipsis assignatis, eam veriorem credo, quod cùm ipsi pęnitentes aliquando ad irrisionem vterentur his crucibus, quas semper in ipso habitu gestabant, placuit vt crux decussata deinceps apponeretur, nec sine ratione; nam cùm ipsi plerumque negent Christi Domini nostri aduentum, & passionem, quem fidei articulum, cùm Symbolum fidei ab Apostolis dictaretur, pronunciauit S. Andreas, vt constat *ex l.1. tit.4. partit.1.* ibi: *San Andres dijo que recibiò passion en poder de Poncio Pilato, è fue crucificado, muerto, & soterrado.* Inde, vt habitu ipso fateantur se negasse quod sanctus Andreas vt fidei articulum prædicauit, ipsius Apostoli crucem decussatam deferunt.

Credentes.] Versiculum hunc exposui suprà, *in cap. excommunicamus, §. credentes.*

C A P V T XVI.

a Idem.

ABsolutos se *b* nouerint à debito *c* fidelitatis, *d* hominij, & totius obsequij, quicunque lapsis *e* manifestè in hæresim *f* aliquo pacto quacunque firmitate vallato, tenebantur adstricti.

NOTÆ.

a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem contra hæreticos motu proprio fecit à nemine consultus.

1 b *Se nouerint.*] Ipso iure videlicet; nam licèt ad tollendam aliquam obligationem iuramento, vel non firmatam, sententia absolutoria requiratur, *c. quamquam, de censib. l.6. Clement.1. de hæret. Clem.2. de hæret. c. cùm desideres 15. c. à nobis 28. c. quamuis 58. de sent. excom. c. ad aures 24. de simon.* probant Suarez *de censur. disp.7. sect.1.* Balboa *in c.1. de iudiciis, n.62.* tamen in præsenti casu vasalli hæreticorum ipso iure liberantur à fidelitate illis promissa, propter atrocitatem criminis, ob quam ipso iure à tempore lapsus priuantur omnibus bonis antea obtentis, vt probaui suprà *in c. vergentis*; & ita priuantur ipso iure fidelitate à vasallis sibi promissa. Nec contrarium probant textus *in c. vergentis, c. excomm. el 1.§ moneantur, hoc tit.* vbi vt subditi liberentur à fidelitate dominis promissa, desideratur sententia. Nam omissa solutione repetentium in præsenti, qui asseruerunt, textus illos procedere de iure antiquo, in præsenti verò Gregorium nouum ius statuere, dicendum est, Innocentium in dictis iuribus procedere in diuerso casu; ibi enim Principes ipsi, & Potestates sæculares non fuerant in hæresim lapsi, sed tantùm ignaui, ac negligentes in compescendis hæreticis; vnde cùm non ita grauiùs peccarent ac ipsi hęretici, non ita seueriùs puniuntur. Docuerunt Castro *lib.2. de iusta hæretic. punit. cap.6.* Simancas *de Catholic. tit.46.*

c *Fidelitatis.*] Promissæ per vasallos etiam Imperatori, Regi, vel supremo Principi; nam Pontificem posse subditos Principum, & supremorum Monarcharum absoluere, illisque iuramentum fidelitatis relaxare, probaui *in c. licèt, de voto*, & exemplis illustrat Iosephus Valentin. *in* 2

opusculo

opuscule de potestate eccl. inn Romani Pontificis, c.12.n.17. facit Innocent.III.*l.1.epist.*18. Hinc inferunt antiquiores, depositarium non teneri reddere rem depositam domino in hęresim lapso: quod verum credo, non quia depositarius possit retinere rem ipsam depositam; sed quia cùm ministerio legis eius dominium fisco quæsitum sit, depositarius tenetur fisco rem tradere, *ex l.bona fides, ff.depositi, l.6.tit.6.p.4.* docent Baldus *in rubric.C.depositi*, Molina *l.2.de iustit.disp.*526. Azor *p.1.iustit.l.7.c.8.q.4.* Less.*l.2.de iust.c.27.dubit.4.* Escobar *de vtroque foro, art.4.de effectu mentis legis.*

3 d *Hominij.*] In aliquibus codicibus legi, *dominij*, iam notarunt Hostiensis, Zabarella, Butriusque *in præsenti*: sed rectiùs retineo *hominij*, quia in præsenti tantùm agit Gregorius de his qui promiserãt Dominis suis fidelitatem, vel obsequium; qui plerunque facere solent hominium, seu homagium, vt probaui *in c.ex diligenti, de simon.* sed retento verbo *dominij*, inferunt rectè ex hoc textu Doctores, filios liberari à vinculis patriæ potestatis, eorum parente in hæresim lapso: quod & statutum legimus *in c.quicunque, §.illorum, hoc tit.in 6.* iuxta vulgarem litteram, etsi ea verba non reperiantur in ipsa constitutione Alex.IV. quæ extat apud Peñam in calce Directorij Cherub. *tom.2. bullar. fol.*128. Simanc *de Cathol. c.45.* alijs relatis Fermosinus *alleg.38.n.46.* & *alleg 47.nu.*11. ex ea ratione, quia prohibenda est cohabitatio cum parentibus hæresi infectis, quia facilè filij eorum errores sequentur ob assiduam conuersationem, iuxta illud Iuuenalis *satyr.*14.

Sic natura iubet, velociùs & citiùs nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica magis.

D.Hieronymus *epist.15.ad Lętam*, ibi: *Nihil in te videat filia, quod si fecerit, peccet: mementote vos parentes virginis, eamque magis exemplis doceri posse, quàm voce.* Plinius *in paneg.ad Traianum*, ibi: *Non tã imperio illis opus est, quàm exemplo.* Plura Æneas Robertus *l.1 rer.iudic.c.2.* Molina *de primog.l.1.c.11.* vnde si in Iudaicam superstitionem parentes prolabantur, facilè filij eandem discent, vt satis expressit Iuuenalis *satyr.*14.

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nihil præter nubes, & cœli numen adorant;
Nec distare putant humana carne suillam,
Qua pater abstinuit; mox & præputia ponunt,
Romanas autem soliti contemnere leges,
Iudaicum ediscunt, & seruant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Ex eodem etiam verbo dominij deducunt Azor *p.1. instit. l.8.c.12.* Peña *p.2.direct.q.119.comment.*168. Farinac.*de hęresi, q.197.§.3.n.30.* Molin.*to.1.de instit. disp.*40. Decianus *l.5.tr.crimin.c.44.n.28.* Simanc.*de Cathol.tit.47.n.74.* & *tit.61.n 8.* F.Alfonf.de Castro *l.2.de iusta hæret.punit.c.7.* Castropalao *tom.1.oper.moral.alleg.47.n.12.* seruos ob dominorum hæresim eripi in libertatem: qui etiam mouentur auctoritate textus *in l.Manichæos, C.hoc tit.* in illis verbis: *Seruos extra noxam esse volumus, si dominum sacrilegum euitantes, ad Ecclesiam Catholicam seruitio fideliori transierint.* Quibus auctoritatibus moti docent, seruos hæreticorum proclamare posse ad libertatem, quia domini propter hæresim, in quam lapsi sunt, eorum dominium amiserunt. Sed contrariam sententiam, videlicet seruos propter dominorum lapsum in hęresim ad libertatem non peruenire, sed eos ad fiscum spectare cum cæteris bonis, tenuerunt Ioannes Andreas, Francus, & Geminianus *in c.quicunque, & fin.hoc tit.l.6.* Ananias, & Marianus Socinus *in præsenti*: quorum sententia probatur ex eo, nam bona hæretici ad fiscum pertinent, vt probaui *suprà in c.vergentis*: sed serui in bonis sunt, *l.Paulus, §.penult.ff.de pignor.leg.fin.§.fin. C.de V.S.l.rem in bonis, ff.de acquir.rer.domin.* plura Tiraq. *in l.si vnquam, vers.donatione largitus, q.17.n.323.C.de reuoc.donat.* Igitur serui illi ad fiscum spectant. Deinde, nam confiscatio hæc bonorum hæreticorum statuta est ad instar confiscationis, quæ fit ob crimen læsæ Maiestatis humanæ; *c.vergentis, vbi notani, hoc tit.* sed in ea confiscatione serui non assequuntur libertatem, sed ad fiscum spectant, *l.Imperator 12 ff.de fideicommiss libert.* ergo similiter in hoc crimine læsæ Maiestatis serui ad fiscum spectant. Tandem quia nulla est iuris dispositio, cuius ratione serui hæreticorum sine manumissione ad libertatem peruenire possint; non præsens textus, qui iuxta veram eius litteram tantum agit de illis, qui parebant hæreticis ratione fidelitatis, obsequij, seu hominij: quæ iura cum personalia sint, nec ad extraneam personam transire possint, ideo nec ad fiscum spectare valent. Non textus *in d.l.4.C.hoc tit.* qui procedit in casu speciali, cùm videlicet seruus ad fidem catholicam conuertitur, domino manente in ipsa perfidia hæreticali. Vnde cùm non adsit vlla iuris constitutio, qua libertas concedatur seruis hæreticorum, non est cur asseramus, eos proclamare posse ad libertatem in fisci præiudicium: quare hanc sententiam veriorem credo, etsi iuxta pietatem, quæ in tribunalibus sanctæ Inquisitionis seruatur, sępè sæpiùs contrarium decisum sit in supremo Inquisitionis Senatu, vt refert Fermosinus *d. alleg.47.* videndi sunt Machado *l.6.summ.c.7.tr.13 docum.9.* Sanch.*l.2.sum.c.24.n.10.* Castrop.*to.1.oper.mor.tr.4.disp.5.punct.26.* Diana *p.7.tr 7 res.17.* Bordon *de mater.trib.c.17.de pęn.n.106.*

e *Manifestè.*] Vnde deducitur, præsentem constitutionem non procedere si hæretici occulti sint, quia expressè exigit Gregorius hæresim manifestam, vt docuerunt Peña *3.p.Direct.q.119.comment.*468. Farinacius *de hæresi, q.189.n.65.* Fermosinus *alleg.47.n.1.* 4

f *Aliquo pacto.*] Hinc omnẽs obligationes actiuæ à die commissi criminis fisco acquiruntur, nec postea hæreticus valet debitores ipsos cõuenire. Fermosinus *d. alleg.47.* 5

COMMENTARIVM.

EX hac Gregorij constitutione sequens communiter deducitur assertio: *Liberantur ab omni obligatione qui hæreticis tenebantur obstricti.* Probant eam textus *in cap. aliud*, iuncto pro eius historia Hothom. *in Franco Gal.c.13.c.nos Sanctorum, c.iuratos, 15.q.6.c fin.de pœnis, c venerabili, de elect.c.quicunque, §.1 hoc tit.l.6.* Faciunt textus *in c.de illa, c.quanto, de diuort.c.fin.de conuers.coniug.l.32.tit.9.part.1.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Bellarminus *in apolog.contra Regem Angliæ fol.*317. Suarez *de fide, l.3.c.23.n.22* Solorzanus *tom.1.de iure Ind.l.3.c.5.n.22.* Thomas Delbene *de offic.Inquisit.c.1.dubit.151.cum duabus sequent.* Petrus Gregor.*l.2.partit.tit.6.cap.5.* Gutierrez *de delict.c.37.* & 38. & *lib.1.canonic.c.1.nu.18.* Sanchez *l.2.summæ, c.24.n.5.* Fermosinus *allegat.47.n.25.* Castropalao *tom.1.oper.moral.tract.4.disp.5.punct.16* Simancas *de cathol.tit.49.* 6 Confiscatio traditur & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: fidem promissam omninò seruandam esse, omnia iura proclamant, *l.bona fides, ff.depositi, l.ait Prætor, ff.de pactis, c.is qui fidem, de sponsalibus, c.1.de pactis*, vbi probaui, etiam hostibus, seu alijs, etiam eam non adimplentibus, *c.noli, 23.q.1.l.1.§.non fuit ff.de dolo, c 1.* vbi illustraui, *de tregua & pace*: igitur qui fidem præstiterunt, fidelitatemque, & obsequium Principibus promiserunt, tenentur etiam post eorum lapsum eam adimplere. Accedit, nam si fidei promissio iuramento firmata est, seruari debet superiori, etiam tyranno, *c.17. Ezechielis, vers.16.* ibi: *Viuo ego, dicit Dominus, quoniam in loco Regis, qui constituit eum Regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum quod habebat cum eo, in medio Babylonis morietur.* Et *vers.19 Quoniam iuramentum, quod spreuit, & fœdus, quod præuaricatus est, ponam in caput eius.* Concil. Tolet. *4.can.75. Sacrilegium quippe est, si violetur gentibus rerum suarum promissa fides; quia non solùm in ea fit pacti transgressio, sed & in Deum quidem, in cuius nomine pollicetur ipsa promissio.* Tolet.7.*can.*1. Tolet.8.*can.*2. Tolet.10.*can.*2. *c.si quis laicus 19.22.qu 5.* probat, & eruditè, vt solet, illustrat D.Franc.Ramos *in memor.pro Episcop Lusit.in princ. n.*103. & 114. Igitur si in præsenti casu fidei promissio iuramento firmata fuerat, etiam hæreticis seruanda erat. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam sæpiùs legimus infidelibus, & apostatis, etiam pios, & catholicos viros obsequium, & subiectionem præstitisse, vt fecerunt Ioseph Pharaoni, Daniel Nabuchodonosori, Mardochæus Assuero, & milites Catholici, qui seruiebant Iuliano Apostatæ, à quo iubebantur aciem mouere pro defensione Reipublicæ, illi statim parebant; cùm autem illis imperabat arma mouere in Christianos, tantùm Deum Imperatorem cœli & terræ agnoscebant, vt refertur *in c.Iulianus 11.q.3.* ex Socrate, Sozomeno, & Nicephoro refert Couar. *l.4.var.c.12.per totum.* Ergo quia per apostasiam, seu hæresim superioris non eximuntur eius subditi ab obsequio, & fidelitate illis promissis. Secundò difficilior redditur præsens constitutio ex sententia eorum, qui existimarunt, Summum Pontificem nullum prorsus habere rerum temporalium dominium, aut potestatem, siue directè, siue indirectè, siue absolutè, siue respectiuè ad bonum spirituale 7 Impugnatur tradita assertio.

quam

Digitized by Google

quam docuerunt & probarunt Guillelmus Occanus, I. Parisiensis, Dantes, & alij relati ab Azorio *tom.2. instit. lib.4.c. 9.q.3.* Iacob. Salmainus *in tract. de suprem. potest. laica, q.3.* I. Maior *in 4. dist.24. q.3 conclus.3.* Albericus *in dictionar. verbo Electio*: & fusè probat Rogerus Vuidrinctonus *in apolog. pro iu e Principum*. Igitur in præsenti Gregorius non poterat statuere pœnam priuationis homagij, seu hominij temporalis contra Principes, vel nobiles laicos; vnde sub lite esse auctoritatem huius constitutionis, & cuilibet tutum esse credere quod velit, docuit Michael Roussel. *lib.3. hist. Pontif. iurisd. cap.3. num.8.*

8 Traditur ratio decidendi. Quibus difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens Gregorij constitutio, cuius ratio ex eo prouenit, quia si fidem humanam frangenti fides non est seruanda. *l. 4. C. de pactis, c. infidelis, & ferè per totam 28.q.2. c. sicut 29. §. iuramentum, de iureiur.* probant Menoch. *de arbitr. casu 326. n.26* Fachineus *lib.9. controu. cap.48.* multò maiori ratione violanti fidem catholicam, hoc est hęretico, fides seruanda non est. Accedit, nam si subditi & vassalli parerent Principi hæretico, hoc vergeret in magnam fidei corruptionem, cùm facilè subditos ad suos errores traheret, iuxta illud *Prouerb. c.6. Homo apostata in corde suo machinatur malum, & iurgia seminat, intendens homines separari à fide.* Siquidem peccato. quo Dominus laborat, protinus subditi inficiuntur, *c. cùm quidam, de iureiur. c. sicut, c. pastoralis 7.q.7. c. præcipuè, 11.q.3* D. Bernardus *epist.127. Si quis de populo deuiat, solus perit; verùm Principis error multos inuoluit, & tantis obest, quantis præest.* Cicero *lib.3. de legibus*, ibi: *Nec tantum mali est peccare Principes, quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum existunt.* Vnde *c.10. Ecclesiastici* legitur: *Secundùm iudicem populi, sic & ministri eius; & qualis est Rector ciuitatis, tales inhabitantes in ea.* Faciunt Claudianus *lib.1. de laudibus Stiliconis*, ibi:

Scilicet in vulgus manent exempla Regentum,
Vtque ducunt lituos, sic mores castra sequuntur.

Et alibi:

—— Totus componitur orbis
Regis ad exemplum.

Et mox apud eum.

—— Nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.
Mobile mutatur semper cùm Principe vulgus.

Cicero *lib.3. de legibus*, ibi: *Vt enim cupiditatibus Principũ, & vitijs infici solet tota ciuitas, sic emendari, & corrigi continentia.* Latè illustrant Petrus Gregor. *lib.6. de repub. c.18.* Solorzanus *embl.23.* & qui præest Christianis, debet esse Catholicus, & membrum vtile corporis mystici fidelium, vt probant Michael Vlcarnus *in tract. de regim. mundi, 2. q. princip. nu.82.* Solorz. *tom.1. de iure Indiar. lib.3. c.6 n.19.* Rectè ergo in præsenti statuit Gregorius, ob hæresim manifestam superioris, eius subditos & vassallos eximi à fidelitate illis promissa, ne eorum assidua conuersatione in similem etiam incidant errorem; & similiter vt rubore suffusi Principes, & superiores terreantur, & ab hoc grauissimo crimine perpetrando arceantur; vnde serpente in Gallia fœda Albigensium hæresi, lapso Raymundo Comite Tolosano, bona damnatorum confiscata fuerunt, vassallique à fidelitate absoluti, concessa Catholicis facultate occupandi ditiones ipsius Comitis, vt refert Guillel. Britto *lib.8. Philip.*

Rex & Papa simul exponunt omnibus illum,
Et res, & patriam totam, quæ spectat ad illum,
Vt qui præualeat armis, & viribus illi
Tollere quid, proprios licitè conuertat in vsus,
Et Dominus fiat rerum, quas auferat illi.

9 Dissoluitur difficultates. Nec obstat prima difficultas suprà adducta; nam in generali promissione fidei, & obsequij facta superiori, excepta creditur religionis causa, argumento legis vltimæ, *ff. de in ius vocando*: quia in omni promissione, & iureiurando creditur semper supremi Principis auctoritas reseruata, & cultus diuini ratio, vt probat Alberic. Gentil. *lib.1. de iure belli, c.11.* vnde licèt ob fidei promissionem iuramento firmatam teneantur vassalli parere Principi etiam tyrannicè dominanti, tamen si ipse in hæresim lapsus sit, non tenentur illi obedire, ex ratione suprà adducta, ne videlicet assidua communicatione facilè in ipsius errores prolabantur. Nec obstat quod expendebamus *ex c. Iulianus 11. q.4.* nam cùm temporibus illius Imperatoris Ecclesia plena non frueretur libertate, & pace, non poterat subditos ipsius Imperatoris ab eius obedientia absoluere, & ita Catholici in apostatæ exercitu militiæ nomen dabant, quod tolerauit Ecclesia, cùm adhuc non haberet plenam potestatem compescendi Principes temporales, vt docuit D. Thomas *2. 2. q. 12. art.2.* qui etiam respondit exemplis Iosephi & Danielis, asserendo ea procedere in Gentilibus, non verò in hæreticis. Quando autem infideles, & Iudæi eo tantùm, quod tales sint, priuari possint dominio, & iuribus, quæ habent in Catholicos, exposui *in c.1. de Iudæis.* Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Pontificem, Vicarium Christi, Pastorem omnium Christianorum, omnes Christianos posse corrigere, & punire, etiam pœnis temporalibus, virtute potestatis temporalis, quam indirectè, & respectiuè ad bonum spirituale habet, vt fecit in casibus relatis *in c. vbi periculum, de elect. in 6. c.1. de homicid. eod. lib. c. excommunicamus, §. moneantur, hoc tit. Clement.1. de summa Trinit.* Concil. Constant. *sess.8. & 15.* Later. sub Leone X. *sess.11.* probat ex varijs sanctorum Patrum testimonijs Iosephus Steph. Valent. *integro lib. de potestate coactiua R. P.* Vnde ob hæresim Principis sæcularis rectè priuatur ipse dominio directo, aut vtili rerum suarum. Facit Nicephor. Calixt. *lib. 13. histor. c.30* quem expendit Steph. Valent. *vbi suprà, ad finem libri*, qui etiam pro adstruenda hac potestate adducit textus *in c.1. de calum c. qualiter, de accusationibus*, & alios: & immeritò Roussel de hac potestate Ecclesiæ dubitat, quare hanc illius audaciam demirari satis non possum; quamquam enim toto opere hic auctor satis prodat qua mente ad scriptionem animum appulerit. sitque innumeris locis erga Summos Pontifices (vt mitissimè dicam) irreuerentissimus, & perpetuus admorsor, nedum allatrator eorum, quæ à Pontificibus sunt constituta; tamen hoc loco nimiam audaciam suam explicuit.

Suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. de illa, de diuortijs*, vbi agitur de quadam vxore, quæ à viro suo in hæresim lapso discessit, forsan ea intentione, vt maritus tædio pariter, & confusione affectus, ad rectam semitam rediret; & dubitatur an eo pœnitente, & reuerso ad fidem catholicam, cogenda esset illum recipere, vel non? Et sub distinctione respondet Pontifex, videlicet quod si iudicio Ecclesiæ separata est vxor a consortio viri, non cogatur ipsum etiam pœnitentem recipere: si verò propria auctoritate discessit, cogatur cum eo habitare. Quem textum ita expendo: En vbi ob hæresim mariti vxor ipso iure non eximitur ab obsequio viro debito. Igitur quia ob hæresim superioris eius subditi non eximuntur à fidelitate, seu obsequio. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, verum esse ob hæresim mariti diuortium fieri, *cap. fin. de conuers. coniug. cap.2. c. quantò, de diuort.* probaui *in d. c. illa, eod. tit.* sicut etiam ob adulterium corporale diuortium fit, *c. significasti, de diuort.* vbi probaui, non tamen ideò licet propria auctoritate coniugi coniugem hæreticum deserere, cùm iudicio Ecclesiæ tantùm diuortium quoad thorum fieri possit: & ita si propria auctoritate discedat, quia illegitimè, & non seruato iuris ordine coniugem deserit, cogitur ad eum redire, quia ob vinculum sacramenti non licet coniugi propria auctoritate coniugem hæreticum deserere. 10 Exponitur c. de illa, de diuortijs.

Etiam exponendus est textus *in cap. inter alia, de sent. excommunicat.* iuncto eius commentario.

TITVLVS VIII.

De schismaticis, & ordinatis ab eis, & alienationibus factis.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concil. a *Lateran.*

QVod à prædecessore nostro felicis memoriæ Papa *b* Innocentio factum est innouantes, ordinationes ab Octauiano & Guidone hæresiarchis, necnon & Ioanne *c* Strumensi,

qui

qui eos sequutus est, factas, & ab ordinatis ab eis, irritas esse censemus, adijcientes etiam, vt qui dignitates ecclesiasticas, seu beneficia per prædictos schismaticos acceperint, careant impetratis. *d* Alienationes quoque, siue inuasiones, quæ per eosdem schismaticos, siue quæ per *e* laicos factæ sunt de rebus ecclesiasticis, omni careant firmitate, & ad Ecclesiam sine omni onere eius reuertantur. Si quis autem *f* contraire præsumpserit, excommunicationi se nouerit subiacere. Illos autem qui sponte *g* iuramentum de tenendo schismate præstiterunt, à sacris ordinibus, & dignitatibus decernimus manere suspensos.

N O T Æ.

a L*Ateranensi.*] Generali videlicet sub Alexaodro III. celebrato, vbi *cap.2. & in 1. collect. sub hoc tit. cap. 2.* reperitur textus hic, prout in præsenti transcribitur.

b *Innocentio.*] Secundo videlicet, qui in Concilio Romano *can.24.* ita statuit: *Ordinationes factas à Petro Leonis, & schismaticis hereticis euacuamus, & irritas esse censemus.* Refert Ant. August. *in epit. iuris lib.11. tit.54. c.14.*

1 c *Stramensi.*] Ita legendum est, non *Struinensi*, vt habetur in hac sexta collectione; nam in hoc schismate, cùm Alexander III. legitimè, & canonicè electus esset, fautores Friderici Imperatoris Octauianum Cardinalem in Antipapam elegerunt, Victoremque appellarunt, anno 1156. & anno 1164. ipse phrenesi correptus, nec sui, nec Dei memor, impœnitens sine Sacramentis excommunicatus ad inferos migrauit. Duo tamen Cardinales ex primarijs Octauiani fautoribus, Ioannes videlicet de sancto Martino, & Guido Cremensis, alijque ab ipsis conuocati de successore tractantes conuenerunt in ipsum Guidonem Cremensem, eumque sub nomine Paschalis III. adorarunt; & cùm anno 1170. ipse Antipapa cancro in partibus verendis consumptus decessisset, in eius locum schismatici elegerunt quendam Ioannem Abbatem Strumensem, virum apostatam, qui postea anno 1178. supplex veniam petijt, & benignitatem Sedis Apostolicæ expertus est, vt iam retuli *in cap. quia 5. de elect.* quare in hoc Conc. Lateran. Alex. III. ordinationes factas ab ijs Octauiano, Guidone, & Ioaone Strumensi, irritas esse, idest nullas, quoad exercitium declarauit, vt etiam in Concil. Turonensi *can.9.* vbi ita statuit: *Vt ordinationes ab Octauiano factæ, & alijs schismaticis, & hæreticis, tanquam vacuæ, & irritæ ab omnibus habeantur.*

d *Alienationes.*] Consonat caput *alienationes 12. q.2.* 2
nam alienationes factæ à Prælatis intrusis nullius sunt momenti, *cap. nihil*, vbi Glossa finalis, *de elect.* & dum Ecclesia schisma patitur, dicitur vacare, *cap. 1. c. cùm vobis, de præscript.* & ita alienationes, beneficiorum collationes, Ecclesiarum vniones interim celebratæ nullæ sunt, vt varijs ampliationibus, & limitationibus exponit Ricciulus *lib.9. de iure person. cap.4. per totum.*

e *Laicos.*] Alienantes videlicet auctoritate schismaticorum, vt post Hostiensem in præsenti docuit Suarez *de censur. disp.23. sect.3. num.4.*

f *Contraire.*] Facto, vel verbo, videlicet impediendo executionem præsentis canonis, approbando, & defendendo huiusmodi alienationes, seu beneficiorum collationes, vt docuit Suarez *d. sect 3 per totam.*

g *Iuramentum.*] Consonat Gregorius VII. in Synodo
Romana habita anno 3. sui Pontif. ibi: *Cæteri verò, qui* 3
sua sponte eius schismati consentiendo subscripserunt, & in ea iniquitate perdurare voluerunt, similiter ab omni Episcopali officio suspendimus. Illos verò, qui non sponte consenserunt, vsque ad festiuitatem sancti Petri sufferimus, eo quidem respectu, vt si infra istum terminum idoneam, aut per se, aut per nuncios suos satisfactionem præsentiæ nostræ non obtulerint, Episcopali deinceps officio priuentur. Refert Ant. August. *lib.11. opit. iur. tit.54. cap.7.*

C A P V T II.

Innoc. III. a *Bisuntino Archiepiscopo.*

FRaternitati tuæ. *Et infrà*: Priorem, quem à schismatico asseris ordinatum, ab officio poteris repellere incunctanter, nisi legitimè probauerit secum fuisse misericorditer dispensatum, & ab ea persona, quæ super hoc potestatem habuerit dispensandi.

N O T Æ.

a B*Isuntino.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.1.* & aliæ partes huius, Decretalis extant *in cap. fraternitati, de eo qui duxit consanguineam, c. fraternitati, de clerico excommunicato*, vbi notaui.

COMMENTARIVM.

1 Conclusio traditur, & probatur.

EX his duabus decisionibus sequens communiter deducitur assertio: *Ordinationes factę ab schismaticis nullę sunt quoad exercitium gradus collati, nisi dispensatum sit cum ita ordinatis.* Probant eam textus *in cap. fin. 19. dist. cap. preter 6. 32. dist. cap. ordinationes 9. q.1.* Vrbanus II. *in Concil. Placentino, c. 10 11. & 12.* Paschalis II. *in Concil. apud Gualdast. can. 2.* vbi fatetur, ordinatos ab schismaticis secundùm ecclesiasticas leges debuisse à malè suscepto gradu deturbari, nisi Ecclesiæ indulgentia succurrat. Eugenius III. in Concil. Rhemensi, *canon. 16 Quod à prędecessore nostro Innocentio statutum est innouantes, ordinationes factas à filio Petri Leonis, & alijs schismaticis, & hereticis, euacuamus, & irritas esse censemus.* Octaua quoque Synodus generalis sub Hadriano II. *can.4.* Phocium schismaticum violenter intrusum, de gradu, quem malè acceperat, deijciens, eos quoque, qui in aliquo gradu sacerdotali ab eo consecrati fuissent, similiter abdicauit. Stephanus Tornacensis *epist. 108 & 109.* quæ, & alia iuris testimonia refert Ant. August. *libro 11. epit. iur tit.20. & 54.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in pręsenti, & de potestate Episc. 2. part. alleg.48.* Franc. Hallierius *de sacris elect. cap.5. art.1. per totum*, Turrisc crem. *lib.4. summę Ecclesię, cap.14.* Coruinus *lib.4. aphorism. iuris Pontif. tit.8.* Bonac. *de censur. disput.1. quęst.2.* Decianus *lib.5. tract. crimin. cap 58.* Petrus Gregor. *lib.4. partit. tit.3 c.2.* Sanctus Raymundus *in summa, ad hunc tit.* Suarez *de censur. disp.23. sect.3.* Sautay *in Panopl. clericali, part.1. lib.6. cap.3.* Salcedo *in praxi, cap.28. & 29.* Bordonus *sacri Tribun. cap.9.* Castropalao *tom 1. oper. moral. tract.6. dispat.4 puncto 6.* Murga *tom. 2. digress. tract.1. disquisit.1. dub.7.* Morinus *de sacr. ordin. exercit. 5. cap.1.*

2 Traditur dubitandi ratio.

Sed pro dubitandi ratione intendam probare, tum rationibus, tum auctoritatibus, ordinationes à schismaticis factas irritas, & nullas esse ipso iure, non tantùm quoad exercitium, verùm & quoad effectum characteris. Et primò ita insurgo: Sacramenta extra Ecclesiam dari non possunt, quia extra vnitatem Ecclesiæ non datur Spiritus sanctus, *cap. loquitur 18. 24 quæst.1.* nec extra eam potest aliquid consecrari, *cap. pudenda, 23. quęst.1.* Sed schismatici sunt extra Ecclesiam, *d. cap. pudenda*, ibi: *Schismaticus ab Ecclesię visceribus dimisus, & ab Apostolicis sedibus separatus.* Et *c. schisma, eadem causa & quęst.* ibi; *Schismatici se ab vniuersali Ecclesia diuiserunt.* Ex Irenæo, Cypriano, Chrysostomo, Hieronymo, & Augustino probarunt Turrisc remata *lib.4. summę, p.1. cap.1.* Ricciulus *de iure person. lib.9. cap.2. per totum*, Bellarm. *controu. lib.3. de Eccles. cap.5.* Franc. Valens *in concord. iuris Pont. p.1. q.4. sect.1. fol. 321.* Igitur ordinationes ab eis factæ nullæ sunt ipso iure. Nec sacramenta ab eis cum effecto conferri valent, cùm ipsi, vt ait D. Basilius *ad Amphiloc. cap.1.* per schisma ab Ecclesia defecerint, & discissa fuerit consequentia, quæ ab Apostolis, & Episcopis prioribus in eos qui de nouo ordinantur, deriuatur. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam sacramentum pœni-

Digitized by Google

pœnitentiæ ab schismatico collatum omninò nullum est, & inefficax, vt docet Hallierius *vbi suprà*: ergo potiori ratione sacramentum ordinis ab schismatico collatum nullum est, cùm nobilius sit. Augetur secundò hæc dubitandi ratio ex præsenti textu *in cap.1.* & *in cap. ordinationes, 9. quæst.1.* vbi ordinationes factæ ab schismaticis, irritæ, & vacuæ dicuntur: ergo quia nullæ sunt, non solùm quoad exercitium, verùm & quoad effectum characteris, & omnimodam sacramenti essentiam.

3 Schismatis variæ acceptiones. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, schisma Græcum verbum esse, & Latinè significare scissuram, seu diuisionem vnitatis, *cap. schisma* 34. 24. *q.1.* Murga *d. dub.7. §.1.* de quo in sacra Scriptura, *Ioannis capite 9. vers.16. Schisma erat inter eos.* Apostol. 1. *ad Corinth. cap.1. vers.10. Non sint in vobis schismata.* Et *cap.2. vers. 18. Audio scissuras esse inter vos.* Quare iuxta strictam huius vocis acceptionem, quælibet societas, aut communionis diruptio (siue societas ipsa sit bona, siue mala) schismatis appellatione potest contineri. Vnde apud Ioan. *cap.9.* (Iudæis contendentibus inter se de miraculo Christi facto in persona eius, qui cæcus natus erat,) dicitur quod *schisma erat inter eos*, nempe diuersa de miraculo sententia: & ibi Glossa subdit: *Quod si omnes mali fuissent, schismate caruissent.* Proindeque fit, vt quandoque hominem mortali peccato ligatum schismatici vocabulo significatum reperias, cùm hic saltem à charitate per peccatum separetur, iuxta illud Isaiæ *cap.59. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos, & Deum vestrum.* Et legitur apertè *in cap. audiui* 11. *quæst.3. cap. dixit* 24. *q.3.* Quandoque etiam eodem vocabulo reperies significatum hominem excommunicationis sententia damnatum, veluti qui per excommunicationem à Sacramentorum participatione, & hominum communione separatur, vt *in cap. sacerdotes* 1. *quæst.1. cap. Apostolicæ* 24. *quæst.4. cap. cum excommunicato* 11. *q.3.* propriè tamen schismatis vocabulum ad eam diuisionem refertur, quæ in Ecclesia Dei quandoque contingit, vt *in cap.1. & toto tit. de schismat.* In præsenti tamen accipitur pro scissione, vel diuisione ab Ecclesia, eiusque capite; cùm enim Ecclesia vna sit, ac proinde indiuisa, constans ex fidelibus, tanquam membris, & ex Christo, eiusque Vicario, tanquam capite, qui se ab huiusmodi membris, vel capite separat, schismaticus est. Vnde cognoscitur, omnes hæreticos esse simul schismaticos, non verò è contra, schismaticos inde esse hæreticos; siquidem schisma dari potest, etsi vna religio colatur, eadem Sacramenta teneantur, nec falsum dogma doceatur; quia ab vnitate capitis schismatici se separant. Quam diuisionem odium fraternum dixit D. Augustinus *lib.1. de baptismo contra Donatistas*; quia inter Christianos, & eiusdem fidei Catholicæ cultores, eiusdemque matris Ecclesiæ filios nascitur, vt olim contigit inter Apostolorum discipulos, referente D. Paulo 1. *ad Corinth. c.1.* ibi: *Ego sum Pauli, ego Cephæ, ego Apollo, ego Christi.* Quam scissuram causam fuisse creandorum Episcoporum, cùm antea Ecclesia Presbyterorum arbitrio regeretur, refert D. Hieron. *in epist.1. Pauli ad Titum, c.1.* ibi: *In toto orbe decretum est, vt vnus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis Ecclesiæ cura pertineret, vt schismatum semina tollerentur.* Omnis ergo hæreticus statim schismaticus est, quia ab Ecclesia Romana secundùm aliquod dogma peruersum se diuidit, *cap. loquitur cap. alienus*, 24. *q.1.* schismaticus verò potest dari, si tantùm vnitati Ecclesiæ aduersetur. D. Augustinus *super Matthæum cap.11.* & sicut hæresis primò & per se fidei opponitur, sic & schisma vnitati ecclesiasticæ, quam charitas operatur, *cap. schisma*, 24. *quæst.1. cap. Nouatianus*, 7. *q.1.* Schisma ergo etsi consentiat cum crimine hæreseos, quòd vtrumque vnitatem, communionemque Ecclesiæ catholicæ violet, illud fide læsa, illud charitate corrupta; tamen origine magnopere differunt. Etenim hæresis lædit regulam fidei, ipsaque christianæ professionis fundamenta euertit. Schisma disciplinam ecclesiasticam labefactare nititur, & Episcopalem auctoritatem concutere, vt aiunt D. Basilius *ad Amphiloch. c.1.* D. Hieron. *ad caput 3. epist. ad Titum.* Est ergo schisma peccatum contra obedientiam, & charitatem, vt ait D. Thomas 2. 2. *quæst.39. art.1.* non contra fidem, ideoque ab hæresi diuersum, vt probat D. Augustin. *lib.2. contra Crescon. cap.3.* & *de fide cap.10. contra Faustum lib.20. cap.3.* Nullum tamen est schisma, præcipuè diuturnum, quod sibi tandem hæresim non confingat, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur, *c. inter*, 24. *quæst.3* Exemplum extat in schismate Donatistarum, *l.4. C. Theodos. ne sanctum baptisma.* Tales etiam fuerunt Græci, cùm primùm ab Ecclesia Romana discesserunt, etsi postea suæ opinioni pertinaciter inhærentes, inter hæreticos sint connumerati: quare schisma hæresis est inchoatiuè, vt explicat Suarez *lib.1. in defens. fidei, cap.22* quare attento vsu testatissimo schisma degenerat in hæresim, si inueterascat. Inter hæresum sectatores, schismaticos numerarunt D. Clemens *lib.6. constit. cap.4.* D. August. *epist. 164.* & Patres Concilij Constantinop. 2. generalis *can.6.* hæreticis adiunxerunt schismaticos; postquam enim de hæreticis egerunt, hæc verba subiungunt: *Ad hæc autem & eos, qui sanam quidem fidem confiteri præ se ferunt, abscissi sunt autem, & alibi quàm cum canonicis nostris Episcopis conuentus celebrant.* Quem canonem latè explicat Petrus Marcha *lib.4. concord. Sacerd. & Imp. c.8.* Prosequuntur affinia hæresis, & schismatis Theophilus Raynaud. *tom.10. in Corona aurea R.P. fructu 4. fol.170.* Thomas Hurtadus *de vero martyrio, resol.24. §.2.* Thomas Delbene *de offic. Inquisit. dubit.47. part 1.* & *part.2 dubit.235.* Morinus *lib.1. exercit. c.1. fol.4.* Fr. Ant. Perez *in Pentateuc. fidei, c.1. dub.11.* Macedo *de clauib. Petri, c.1. dub.11. in quæst. præuia, art.3.* Eymericus *part.1. Directorij, q.18.* Isti enim, & similes, qui ob durationem in schismate diutiùs peccant, etsi hæreses palam non profiteantur, quia tamen recedunt ab obedientia Summi Pontificis Capitis Ecclesiæ, nec damnati ab Ecclesia redeunt, hæretici iudicantur, quia ipsa pertinacia satis apertè profitentur, Ecclesiæ Capiti non esse obediendum, & extra Ecclesiæ vnitatem salutem dari: quod absque hæresi affirmari nequit, *extrauag. vnam sanctam, de maiorit. & obedient.* D. Thomas 2. 2. *quæst.39. art.1. & 2.*

Schisma diffinitur à D. Thoma 2. 2. *quæst.39. artic.1.* quem omnes communiter sequuntur, vt sit *Diuisio, per quam quis se ab vnitate Ecclesiæ separat, in quantum Ecclesia est corpus mysticum ex vniuersis fidelibus vt membris, & Romano Pontifice tanquam capite constans.* 4 Schismatis definitio. Pro cuius expositione sciendum est, vnitatem Ecclesiæ catholicæ in eo consistere, vt vniuersi fideles apto quodam ordine inter se vt membra, & cum Pontifice eius capite connectantur, scilicet vt in fidei doctrina, cultu religionis, & in speciali regimine caput in reliqua membra exerceat principatum, atque ea illi pareant, ipsique subdita sint. Hæc autem vnitas scinditur cùm schismatici nolunt se gerere tanquam membra huius corporis, in aliqua, vel aliquibus actionibus spiritualibus ad hoc Ecclesiæ corpus pertinentibus; vel dum recusant subijci Romano Pontifici, vt docuerunt Caietanus 2. 2. *q.1. art.1.* Valentia 2. 2. *disput.3. quæst.15.* Sanchez *lib.2. summæ, cap.36. num.1.* Diximus in diffinitione, schisma esse *diuisionem*, loco generis, & vt cognoscamus non dari posse schisma, nisi præcedat vnitas, quia diuisio supponit vnitatem, & communionem, *l.1. §. si quis, ff. de separat. bonor. l.1. ff. comm. diuid.* Vnde Iudæi, & infideles non possunt in schisma incidere, quia Ecclesiæ vnitatem nunquam habuerunt. Ricciulus *d. lib.7. cap.1. num.9.* Cætera verba adijciuntur loco differentiæ, & vt cognoscamus schisma verum committi quando quis ab vnitate Ecclesiæ, & Romano Pontifice discedit quoad actiones spirituales. Vnde si quis in terris quoad temporalia subiectis Romano Pontifici illi non obediat, non schismaticus, sed rebellis dicendus est, siquidem ratio schismatis non consistit in quacumque Papæ obedientia, sed in ea, quæ respicit officium ipsius Pontificis quoad spiritualia. Inde etiam deducitur, non parentem Romano Pontifici aliquid profanum, seu sæculare iubenti; cuius iudicium spectat ad laicum, non dici schismaticum. Ricciulus *vbi supra, num.12.* Nec etiam schismaticus dicetur, qui per ignorantiam dum duo certant de Sede Pontificali, illi adhæret, qui postea in causa succubuit; quia eo casu non datur manifesta rebellio in caput Ecclesiæ, vt docuerunt Azor. *lib.8. institut. moral. cap.20. quæst.4.* Sanchez *lib.2. summæ, cap.36. in fine.* Vnde excusantur nonnulli pij viri, qui adhæserunt per ignorantiam illis antipapis, qui iudicio Ecclesiæ postea damnati fuerunt, vt probat Theoph. Raynaud. *in oplotheca, sect.2. serie 1. cap.7.*

Huius teterrimi criminis grauitatem expressit Sanctus Irenæus *lib.4. cap.62.* vbi de Christi iudicio disputans ait: 5 De pœnis Schismatici. *Iudicauit eos, qui schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem, suamque vtilitatem potiùs consi-*

considerantes, quàm vaitatem Ecclesiæ, & propter modicas, & quaslibet causas magnum & gloriosum corpus Christi coascindunt, & diuiduat, & quantū ia ipsis est, interficiunt, pacem loqueates, & bellum operantes, verè liquaates culicem, & camelum transglutieates; nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quaata est pernicies. Probat immanitatem huius sceleris latè Theophil. Raynaud *in tract. de Pontifice, in prologomenis, subaotatione 3 fructu 4*. Et sit cuiuslibet peccati atrocitas æstimanda est à grauitate vindictæ, *c. non afferamus 24. quæst.1*. quàm de restabile sit crimen hoc, cognoscitur ex pœnis, quibus illud Dominus vindicauit in Chore, Dathan, & Abiron, quos viuos terra absorbuit, quia se à summo Sacerdote Aaron abalienarunt, vt legitur *Numer. cap.16*. in Ozia *cap.26. Paralip.* in Ieroboam *lib.3 Regum, cap.12. & 13*. Quare per sacros canones varijs pœnis schismatici afficiuntur. Primo excommunicantur, *cap. de Liguribus, 23 q 5. cap. nulli fas, 19 dist.* quæ censura licèt iure communi non esset latæ sententiæ, hodie tamen ipso iure incurritur, ex canone 1. Bullæ Cœnæ Domini, vbi ita cauetur: *Necaon Schismaticos, & eos, qui se à nostra, & Romani Pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt, & recedunt*. Vbi plura Duardus, & Fragoso, Azor *part.1. Instit. lib.4. c.20*. Suarez *de censur. disput.21. sect.2. num.12*. Sanchez *lib.2. summæ, cap.36*. qui animaduertunt hac excommunicatione Bullæ non ligari fautores, defensores, receptatores schismaticorum; quia in supradicta bulla non recensentur, & exprimuntur hæreticorum fautores: ligantur tamen excommunicatione non reseruata, ex textu *in cap. licèt, de elect. cap. vnic. hoc tit. in 6*. & noua constitutione Pauli IV. quæ incipit: *Cùm ex Apostolatus officio*, excommunicantur, alijsque pœnis afficiuntur fautores schismaticorum, vt notarunt Decianus *lib 5. tract. crimin. cap.65. nu. 6 & cap.67 num.2*. Farinac. *de hæresi, quæst.184. num.17*. Etiam Schismatici à gradu, & dignitate, quàm habebant, deijciuntur, *cap. Subdiaconus 40. cap. qui contra 24. q.1*. hodie ipso iure, *ex cap. vnic. hoc tit. in 6* ibi: *Omnibus beneficijs, officijs, honoribus, dignitatibus, & prælaturis perpetuò priueatur*. Docuerunt Bonacina *in Bullam, disp. 1. quæst.2. punct.5. num.12*. Sanchez *lib.2. summæ, cap.36. num.19*. & inhabiles redduntur ad alia acquirenda, *cap. quia 5 de elect*. non tamen purus schismaticus, de quo agimus, ideò est irregularis, vt probat Gibalinus *de irregul. cap.4. dub.2*. Si schismatici sunt laici, & nobiles, eorum loca publicantur, & nobilitate priuantur, & Principibus sæcularibus puniendi corporaliter traduntur, *d. cap. de Liguribus, cap. non vos, 2. quæst.1. cap. denique 7 quæst. 1. cap. didicimus, 24. quæst.1*. Dubium tamen est, an schismatici pœnitentes, & Ecclesiæ reconciliari, habiles reddantur ad beneficia ecclesiastica? Et habiles reddi docent Decianus *lib.5. tract. crimin. cap.54. nu.15*. Brunus *de hæreticis, lib.3. cap 7*. Farinac. *de hæresi, quæst.189. & 193*. Sed probabiliùs, & securiùs negant schismaticum Ecclesiæ reconciliatum adhuc habilem esse ad beneficia Ecclesiastica, nisi per Pontificem, aut vicem ipsius habentem fuerit dispensatus, Azor. *1. part. instit. lib.8. cap.20. q. 8*. Sanchez *lib.2. cap.36. num.18*. Bonacina *disput.3. quæst.4. de charitate, punct. vlt. §. 5. num.10*. Peña *2. part. direct. q.48. commentar.73*. Farinac. *de hæresi, q.184. num. 35*. Menoch. *de præsumpt. lib.5. præsump.6. num.24*. licèt tantùm leuiter suspectos esse de hæresi, defendant Duardus *lib.2. Bullæ, cap.1. quæst.156. num 12*. Sousa *in aphorism. lib.1. quæst.20. num.13* cum alijs Diana *part 4. tract 7. resol. 29*. & huc ex diuturnitate temporis æstimandum esse, docet Bordonus *vbi suprà*; omnes tamen illi fatentur cognitionem huius criminis spectare ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis.

6 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis, ratio præsentis assertionis ex eo prouenit, nam cùm Schismatici amittant gratiam Spiritus Sancti, & omnem potestatem in rebus ecclesiasticis, quia extra Ecclesiam foris sunt, *cap. didicimus 31. 24. quæst.1*. quomodo dare possunt quod ipsi non habent? & quid iniquus ab eo Spiritus sancti dona velle recipere, qui Spiritum sanctum non habet? diuina ab ijs suscipere sacramenta, *quorum manibus*, vt ait sanctus Leo I. *epist.37. se subtraxere mysteria?* Qui nec iustè ea dare possunt, nec sine indebitæ potestatis vsurpatione conferre. Facit specialis ratio ordinationis sacræ; nam per eam accipimus spiritualem, & eminentiorem in Ecclesia Dei gradum, ad quem contra Ecclesiæ dispositionem ascendere, rebellare est: & ab ijsdem ordinem accipere, quid aliud est, quàm aduersus Ecclesiam militare, & altare contra altare erigere, dignitatem ipsam furari, regiminis gradum fraudulenter ascendere? Vnde qui ab hæreticis, seu schismaticis ordinantur, rectè ab Innocentio I. *epist.22*. appellantur rei vsurpatæ dignitatis, qui conficiendorum Sacramentorum vindicauerunt auctoritatem, quæ his nulla fuerat ratione concessa: à qua ratione non omninò abhorret D. Cyprianus *epist.72* ad Stephanum: *Nec debere eos reuerteates ea apud nos ordinationis, & honoris arma retinere, quibus contra nos rebellauerint*. Rectè ergo in præsenti Alexander decreuit, ordinationes factas ab schismaticis irritas esse, idest nullas quoad exercitium gradus collati; quia ordinati ab schismaticis, suspensi sunt ab executione ordinis ita suscepti: debent tamen esse schismatici denunciati, & non tolerati ab Ecclesia, alioquin cùm retineant facultatem conferendi ordines in fauorem fidelium, ideò recipientes ordines ab illis suo iure vtuntur, & nulla suspensione ligantur, vt docuerunt Suarez *de censur. disput. 31. sect.1. nu.64*. Bonacina *de censur. in particul. disp.3. quæst. 1. punct.10*. Gibalinus *in synopsi censurar. littera O, num.2.* qui rectè docent, suspensionem hanc incurri etiam ab eis qui ignoranter ab schismaticis ordinati sunt, nec possunt in ordinibus susceptis ministrare, nisi cum eis dispensatum fuerit per habentem potestatem, videlicet per Episcopum, si illi ignoranter promoti sunt; si verò scienter, per Pontificem, vt probat Barbosa *de potest. Episcopi, alleg. 48. per totam*. Vt factum fuisse tempore schismaticis præsentis, narrat Arnold. Lubec. *lib.2. cap.28. Factus est ergo conuentus magnus Prælatorum, & pergebant illac multi ordinati à schismaticis, spernntes se gratiam Apostolicam inuenire*. Et *lib.3. cap.10*.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius solutione sciendum est ex D. Thoma *2. 2. quæst.39 art.3*. duplicem esse in Episcopis potestatem; alteram sacramentalem, aliam verò iurisdictionalem. Sacramentalis est quæ per aliquam consecrationem adipiscitur, veluti potestas characteris, quæ consistit in conficiendo corpore Christi, & in cæteris Sacramentis conferendis. Iurisdictionalis potestas est, quæ confertur per simplicis hominis iniunctionem, veluti facultas excommunicandi, absoluendi, & concedendi indulgentias. Inter has duas potestates illa versatur differentia, quod potestas sacramentalis confertur à Deo indelebiliter per characterem, vt docent in præsenti Hostiensis, Butrius, Abbas, & Ananias; ideòque remanet semper immobilis, siue Episcopus labatur in schisma, siue in hæresim. Inde etiam prouenit, quod Episcopus etiam degradatus, vel si renunciauit Episcopatui, validè, & cum effectu ordines conferat, vt probaui *in cap. 1. de ordinat. ab Episcopo qui renunc*. Deinde sciendum est, alia esse sacramenta, quæ nullam executionem desiderant, quia tantùm gratia in eis habetur pro executione, qualia sunt Baptismus, Pœnitentia, Vnctio sacra, quæ simul ac conferuntur, secum afferunt executionem: alia sunt quæ vltra gratiam expectant exequutionem, quia consistunt in agendo, vt sacramentum Ordinis. Quibus suppositis rationi dubitandi satisfaciendum est asserendo, quod licèt schismatici, qui extra Ecclesiam sunt, non possint validè ea, quæ sunt iurisdictionis exercere, vt excommunicare, indulgentias concedere, & similia; tamen quæ proueniunt a potestate characteris, etsi non licitè, validè tamen conferunt, quia tali potestate nec hæretici, nec schismatici ab Ecclesia priuari possunt; sed quia ipsi suspensi sunt, exequutionem, seu exercitium ordinis collati dare non possunt, & ita suspensi sunt ordinati ab schismaticis. Nec exinde inferas, dari extra Ecclesiam Sacramenta, quæ vera, & licita dari non possunt: sed quia tam hæretici, quàm schismatici retinent potestatem characteris, ideò validè, etsi illicitè, ea potestate vtentes, Sacramenta conferre valent. Inde etiam facilè respondetur augmento ipsius dubitandi rationis, quod expendebamus ex sacramento pœnitentiæ ab schismaticis administrato; nam dispar ratio versatur in sacramento pœnitentiæ, ac in sacramento Ordinis: tum quia sacramentum pœnitentiæ non nisi ab habente iurisdictionem validè conferri potest, qua iurisdictione schismatici ab Ecclesia denunciati priuantur, vnde sacramenti pœnitentiæ ministri idonei non sunt; cùm tamen sacramentum Ordinis, quod iurisdictionem non requirit, vt validè conferri possit, sed solùm eminentiam sacerdotij, seu Episcopalem potestatem, conferre queant: tum quòd in sacramento pœnitentiæ nihil datur præter gratiam, quam tantùm 7 *Dissoluitur dubitandi ratio.*

abest,

abeſt, vt quis ab his conſequatur, qui ab Eccleſiæ vnitate defecerunt, vt potiùs qui ijs communicat, noui criminis contagione polluatur: at in Sacramento Ordinis præter gratiam datur character ſpiritualis, quem nulla peccati fœditas impedit, quominus animæ ſuſcipienti imprimi poſſit. Vnde non omninò inanis, & irrita eſt ordinatio ab ſchiſmaticis ab Eccleſia præciſis facta, ſicut eſt irrita abſolutio pœnitentis ab iiſdem prolata. Nec obſtat vltimum augmentum ipſius dubitandi rationis ex præſenti textu, & alijs ſuprà relatis, vbi ordinationes factæ ab ſchiſmaticis dicuntur irritæ, inanes, & vacuæ. Quibus omnibus reſpondendum eſt, eas ordinationes vacuas eſſe quantum ad exequutionem ordinis, ſeu gradus collati; ſed reuera validas eſſe propter Eccleſiæ fidem, & ſacramenti dignitatem, quæ à fide, vel bonitate miniſtri non dependet: & ita quoad ſubſtantiam, & characterem validè Sacramentum Ordinis ab ſchiſmaticis adminiſtratur; ſed quoad executionē gradus recepti vacua, & irrita dicitur talis ordinatio.

8 Exponuntur varia iura. Ex qua doctrina, & diſtinctione explicandæ ſunt variæ auctoritates à Gratiano tranſcriptæ, in quibus doceri videtur, ordinationes ab hæreticis, & ſchiſmaticis factas, vacuas, & inanes eſſe, quæ accipiendæ ſunt de nullitate quoad exercitium, ſiquidem etſi validè, & cum effectu ordinati characterem recipiant, non tamen habent exercitium, quia ſuſpenſi ſunt: quo modo accipiendi ſunt textus *in cap. Arrianos 73. cap. ventum 18. 1. q. 1. cap. in Eccleſia 68. cap. qui perfectionem ead. quæſt.* Et licèt *in cap. per illicitam, cap. Daibertum, 1. q. 7.* dicatur ordinationes factas ab hæreticis iterandas eſſe, textus tamen illi procedunt quando hæretici non ſeruant formam ab Eccleſia præſcriptam; nam cùm tunc ex defectu formæ ſubſtantialis ſacramentum nulliter, & inualidè adminiſtretur, meritò iterandum eſt, ſeu de nouo adminiſtrandum, non quia ab hæreticis collatum eſt, ſed ob defectum veræ, & neceſſariæ formæ, vt contingit in Baptiſmo dato, & collato ritè ab hæreticis, ex Concilio Florentino in Decreto de ſacramentis, & Trident. *ſeſſ. 7. can. 4.* attamen ſi collatus ſit ab hæreticis errantibus in forma baptiſmi, vt errabant Paulianiſtæ, *cap. Paulianiſtæ 53. 1. q. 1.* iterari debet, iuxta textum *in cap. quos à Paganis 52. de conſecr. diſt. 4.* & ita etſi ordinationes factæ ab hæreticis validæ ſint, *cap. quam quidam 97. 1. quæſt. 1.* tamen ſi contra debitam Eccleſiæ formam datæ ſint, iterari debent, *ex d. cap. Daibertum, d. cap. per illicitam.*

Sed ſuprà traditis obſtat difficilis ſententia Vrbani II. Pontificis *in epiſt. 17.* Præpoſito ſancti Iuuentij miſſa, quæ extat *tom. 3. Concil.* in illis verbis: *Cæterùm ſchiſmaticorum, & hæreticorum ſacramenta, quoniam extra Eccleſiam ſunt, iuxta Sanctorum Patrum traditiones, ſcilicet Pelagij, Gregorij, Cypriani, Auguſtini, Hieronymi, formam quidem ſacramentorum, non autem virtutis effectum habere profitemur, niſi cùm ipſi, vel eorum ſacramentis initiati, per manus impoſitionem ad catholicam redierint vnitatem.* 9 Exponitur epiſt. 17. Vrbani II. Ex quibus verbis apertè deducitur, ſacramenta ab ſchiſmaticis collata omninò nulla eſſe, & noua manus impoſitione indigere. Ergo non rectè aſſerimus ſacramentum Ordinis ab ſchiſmaticis collatum, quoad ſubſtantiam, & characterem validum eſſe, licèt quoad exercitium irritum, & vacuum iudicetur. Pro cuius difficultatis ſolutione dicendum eſt, verba illa, *formam ſacramenti habere, ſed non virtutis effectum*, ita accipienda eſſe, vt quoad ſubſtantiam valida ſint ſacramenta ab ſchiſmaticis collata, ſed gratiæ effectum non conferant, niſi per manus impoſitionem reconciliatoriam ita ordinati communioni Eccleſiæ reſtituantur, & ſimiliter ordinantes: quo caſu quæ ab ijs conferentur ſacramenta, non ſolùm valida erunt, verùm & ſuſcipientibus proficua, cùm ante hanc reconciliationem rata quidem ſint, ſed ſuſcipientibus obſint potiùs quàm proſint, ob communionem ſcilicet vetitam cum hæreticis, & ſchiſmaticis, quorum communio præſertim prohibetur, quia duo hæc crimina, hæreſis, & ſchiſma, Eccleſiæ Catholicæ vnitatem præ cæteris criminibus diſſoluunt. Itaque cenſuit Vrbanus II. ſacramenta ab his collata valere, effectum autem gratiæ ab his non obtineri, niſi poſtquam vel ipſi Eccleſiæ communioni redditi ſunt, quo caſu communi iure iam his licèt poteſtate, quam in hæreſi, vel ſchiſmate retinuerunt, Eccleſiæ communione vti; vel poſtquam ij, qui ab illis ſacramenta ſuſceperunt, de communione temerè vſurpata pœnitentiam egere; in quo alio caſu, recedente fictione, ſacramentum validè collatum, ſed illicitè receptum reuiuiſcit: vt quod ad condemnationem receptum fuerat, incipiat prodeſſe ad veniam; & ideò requiritur eo caſu manus impoſitio, reconciliatoria videlicet.

TITVLVS IX.

De apoſtatis, & reiterantibus baptiſma.

CAPVT PRIMVM.

a Alexander III.

PRæterea *b* clerici, qui relicto ordine clericali, & habitu ſuo, in apoſtaſia, tanquam laici conuerſantur, ſi in criminibus comprehenſi teneantur, per cenſuras eccleſiaſticas non præcipimus liberari.

NOTÆ.

1 a *Alexander III.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 2.* vbi additur, *Pars capitis Preſbyterum*; vnde conſtat, in præſenti referri partem textus *in cap. presbyterum, de clerico ægrotante, cap. 2. ne clerici vel monachi*: & integra Decretalis extat poſt Concil. Lateran. *p. 26. c. 15. & 16.* vbi legitur, *Eugenius Papa Sarenſi Epiſcopo*: ſed legendum eſt, *Eugenius III.* vt iam notaui *in c. 2. ne clerici, vel monachi*. Andreas Sauſay *in Panopl. cleric. 2. p. lib. 7. c. 1.* credit legendum eſſe *Saſarenſi*, quæ Sedes Archiepiſcopalis eſt in Sardinia, dicta Saſarenſis. Sed retinenda eſt vulgaris littera, quæ habet *Sarenſi*, vt iam notaui *in c. 2. de cleric. ægrot.* nec *Saſarenſi* legi poteſt; ſiquidem Saſar ciuitas Sardiniæ Cathedra Archiepiſcopali ex Eccleſia Turritana in ea tranſlata, decorata fuit ab Eugenio IV. anno 1441. vt refert Bonfant. *in hiſtor. Sardiniæ, lib. 13. c. vlt. §. 15.* Vnde temporibus noſtri Eugenij III. nec Cathedram Epiſcopalem habebat, & ita præſens inſcriptio reſtituenda eſt, *Eugenius III. Sarenſi Epiſcopo*.

2 b *Clerici.*] Gloſſa *in cap. tuæ, verbo Tolerandi, hoc tit.* Bañes *in 1. 2. qu. 12. dubit. 3.* exiſtimant in præſenti clericorum nomine intelligi tantum eos, qui ſunt in ſacris ordinibus conſtituti, non verò prima tantùm tonſura initiati. Mouentur ex eo, quia in præſenti textu agitur de clericis, qui relicto ordine clericali vt laici incedunt: ſed prima tonſura initiati ordinem clericalem non habent: igitur de eis non ſenſit Alexander III. Sed contrarium verius eſt; nam clericorum nomine, etiam cùm agitur de clericis habentibus ordinem clericalem, comprehenduntur clerici prima tonſura initiati, vt probatur expreſsè *ex c. quoniam, 69. diſt.* & ex eo, quod illos omnes, qui laici non ſunt, ſed à vulgo ſelecti, & in ſortem Domini adſcripti, ordo clericalis comprehendit, *cap. cleros, 21. diſt. cap. quorundam, 23. diſt. cap. 1. cap. Epiſcopus, de præbendis, cap. vbi periculum, §. præterea, de elect.* Facit Concil. Triburienſe *can. 27.* ibi: *In Synodo Chalcedonenſi, capite ſeptimo ſtatutum eſt, vt clerici, qui ſemel in Clero deputati ſunt, neque ad militiam, neque ad aliquam veniant dignitatem mundanam: & hoc tentantes, & pœnitentiam non agentes, quo minus redeant ad hoc, quod propter Deum primitus elegere, anathematizari. Nos autem eandem ſequentes canonicam auctoritatem, ſtatuimus vt clericus eccleſiaſticè nutritus, in Eccleſia coram populo vel legens, vel cantans, ſi poſtmodum relicto clericatus habitu, à caſtris Domini-*

minicis, quibus adscriptus est, profugus, & apostata elabitur, & ad sæculum regreditur, ab Episcopo canonicè coerceatur, vt ad sinum matris Ecclesiæ reuertatur. Quod si in hac indisciplinatione perdurat, vt comam nutriat, constringatur, vt iterum detondeatur, & postea nec vxorem accipiat, nec sacrum ordinem attingat. Si verò hic huius sancti Concilij reluctauerit definitioni, secundùm præstitutam Chalcedonensis Capituli constitutionem anathematizetur. Sanctus Isidorus tales hippocentauris dicit esse similes, qui nec equi, nec homines, atque quasi bruta animalia, libertate, ac desiderio suo feruntur. Vnde in *c. cùm contingat, de ætate & qualit.* dicitur: *Ordo clericalis per primam tonsuram confertur.* Et in *c. degradatio, de pœnis*, dum agitur de personis, quæ degradari debeant, dicitur degradationem debere fieri vsque ad primam tonsuram: & in Pontificali Romano, dum recensetur ordo degradationis à prima tonsura, ita legitur: *Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & nudamus te Religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, & spoliamus te omni ordine, beneficio, & priuilegio clericali, & velut clericalis professionis indignum, redigimus in seruitutem, & ignominiam habitus sæcularis, ac status.* Et infrà: *Pronunciamus, vt hunc exutum omni ordine, ac priuilegio clericali, Curia sæcularis in suum forum recipiat degradatum.* Igitur quia prima tantum tonsura initiatus est in ordine clericali. Nec obstat quod quotiescumque in iure recensentur clerici, non enumerantur prima tantùm tonsura initiati, vt in *cap. illud, 27. dist. cap. à Subdiacono, 93. dist.* & expressè id videtur doceri in *cap. clericus 6. de vita & honest. cleric.* ibi: *Clericus si tonsura dimissa vxorem acceperit, qui quidem sine gradu est.* Igitur si prima tonsura initiati sine gradu clericali sunt, non possunt comprehendi præsenti textu, siquidem in eo agit Eugenius de clericis, qui in clericali ordine erant. Nam omissa quæstione, an videlicet prima tonsura ordo sit, quam fusè disputant D. Thomas *in 4. dist. 24. q. 3. art. 1.* Bellarminus *tom. 1. contron. lib. 1. de cleric. cap. 13.* Sanchez *lib. 7. consil. cap. 3. dub. 65.* Layman *in summa, tit. de ordine, cap. 5 num. 5.* Marchinus *eod. tract. part. 1. quæst. 1. cap. 7. nu. 1.* Andreas Sausay *p. 1. Panopl. cleric. ferè pertotam*, Hallicrius *de sacris elect. sect. 2. cap. 1.* ex veriori sententia dicendum est, propriè, & strictè primam tonsuram non esse ordinem, sed præuiam dispositionem ad ordines, cuius cooptationis ratione ita tonsuratus dicitur habere ordinem clericalem, & per consequens fruitur priuilegio canonis *si quis suadente, 17. quæst. 4.* vt probat Barbosa *lib. 1. iuris eccles. cap. 39. §. 2. nu. 2.* priuilegio fori ex *cap. clericus 11. quæst. 2. cap. vnic. de cleric. coniug. lib. 6.* vt infrà dicemus, & ita rectè comprehenditur præsenti decisione. Nec obstat textus in *d. cap. clericus 6.* qui accipiendus est de gradu sacro, quem verè non habet prima tonsura initiatus, vt in eius textus notis probaui.

COMMENTARIVM.

3 Conclusio traditur, & probatur — EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clerici qui dimisso habitu clericali, vt laici conuersantur, priuantur priuilegio fori, & canonis.* Probant eam textus in *c. fin. 50. dist. cap. si autem 11. q. 3. cap. 3. 20. quæst. 3. cap. sine ornatu, c. præcipimus, 22. q. 4. cap. perpendimus, cap. contingit, cap. cùm non ab homine, c. in audientia 45. de sent. excom. c. 1. de vita & honest. cleric. in 6. Clement. 1. eod. tit. c. vnic. de cleric. coniug. eod. lib.* Concil. Andegau. *can. 8.* ibi: *Clerici, qui relicto Clero se ad sæcularem militiam, & ad laicos contulerint, non iniustè ab Ecclesia quam reliquerunt, amoueantur.* Conc. Toletanum sub Sixto IV. anno 1473. *can. 14. Vt qui susceptæ professionis habitum dedignantur, priuilegijs gaudeant sibi concessis, nec nostri iuris auctoritas, nec ordo exigit rationis; frustra enim auxilium legis inuocat, qui committit in legem.* Et infrà: *Sacro approbante Concilio statuimus, vt de cætero prædicti clerici, tam coniugati, quàm non coniugati, tonsuram quantitatis vnius regalis, & vestem superiorem non virgatam, nec partitam, ad medietatem tibiæ, vel ferè declinantem, conferant congruentem: non autem deferentes eiusmodi habitum, si fuerint coniugati, eo ipso; si verò non coniugati, & excessibus, & enormitatibus se ingesserint, priuilegium omninò amittant clericale.* Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa, & *de iure eccles. lib. 1. cap. 39. num. 73.* Ant. August. *lib. 8. in epit. tit. 47.* Andreas Sausay *2. part. Panopl. cleric. lib. 7. cap. 1.* Fermosinus *in cap. cùm non ab homine, quæst. 25. de iudicijs*, Balboa *in cap. 2. de iudicijs, num. 122.* Pereyra *2. part. de manu Regia, cap. 26.* Layman *lib. 2. summæ, tract. 1. c. 53.* Farinac. *de hæres. quæst. 83.* Petrus Greg. *lib. 1. part. tit. 5. capit. 7.* Ricciulus *de iure person. lib. 7. cap. 1. cum sequent.* Couarr. *practicar. q. 31.* Diana *part. 1. tract. 2. resol. 51.* Germonius *lib. 3. de sacrorum immunit. cap. 15.* Marcha *de iurisdict. part. 2. cent. 2. casu 153.* Suarez *aduersus Regem Angliæ, lib. 4. cap. 28.* Acuña *d. cap. fin. 50. distinct.* Escobar *de Pontificia iurisdict. cap. 21. §. 5.* Vrrutigoyti *in Pastorali Regulari, voto 3.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Exemptio clericorum à iurisdictione sæculari prouenit à iure diuino, iuxta plurium sententiam, quam retuli *in cap. clerici 8. de iudicijs*: & tale priuilegium fori concessum est in fauorem totius status clericalis; quare à clerico renunciari non potest, ac etiamsi expressè ipse consentiat in iudicem sæcularem, ab eo iudicari, aut puniri non valet, vt probaui *in c. si diligenti, de foro competent.* Igitur nec habitum, seu tonsuram clericalem dimittendo poterit iudex sæcularis aliàs incapax illum condemnare; nam si expressè in eum consentire non potest, minùs valebit eius iurisdictionem prorogare, tacitè facto ipso dimittendo habitum clericalem. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam inter modos deserendi statum clericalem, præcipuus est matrimonij contractus, *cap. 1. cap. diuersis, de cleric. coniug.* probat Ricciulus *d. lib. 7. cap. 1. per totum*: sed clericus coniugatus adhuc post matrimonium contractum retinet priuilegium fori, *cap. vnic. de cleric. coniug. lib. 6.* Trident. *sess. 23. de reform. cap. 6.* latè probat D. Ioseph Vela *tom. 2. dissert. 45* ergo quia dimittens habitum, & deserens statum clericalem, fori priuilegio non priuatur. Augetur secundò, nam clericus, quantumuis enormitatibus deditus sit, non amittit priuilegium fori, nisi ter monitus non resipiscat, *cap. contingit, cap. in audientia, de sentent. excom.* probaui *in cap. fin. de vita & honest. cleric.* Igitur etsi dimittat de facto habitum, & tonsuram, dum tamen non sit ter monitus, non amittit priuilegium fori, & per consequens defendi debet per Ecclesiam in causis criminalibus. — 4 Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, apostasiam vocem Græcam esse, & Latinè significare desertionem, & ita apostatam idem esse ac desertorem, *l. desertorem, ff. de re milit.* & præuaricatorem Latinè dici, qui Græcè apostata appellatur, notauit sanctus Ambrosius *serm. 15. in Psalmum 118. vers. 7.* qui rectè docet, apostatam, & apostasiam Græcas voces esse: & quamuis vtriusque extrema pars affinitatem habeat cum Latinis vocabulis à *stando* deductis; tamen vtriusque initium purè Græcum est. Itaque vox apostata planè Græca est, idem sonans quod desertor. Sanctus Augustin. *lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 19.* refugam dicit. Hebræi apostatam Belial appellant, vt illustrat Theophilus Raynaudus *tom. 17. tract. de apostasia, cap. 1. per totum*, Beyerlinch *tom. 1. in theatro, verbo Apostasia*, Suarez *de fide, disput. 16. sect. 5.* Varias apostasiæ differentias recensuerunt repetentes *in præsenti*, D. Thomas *2. 2. q. 12. art. 1.* sed iuxta diuisionem, quam retuli *in can. 46. Concilij Illiber.* apostasia quæ in præsenti titulo improbatur, triplex est; alia perfidiæ, quæ est desertio fidei Catholicæ, de qua agemus *in cap. quidam, hoc tit.* Alia à religioso statu semel inito per professionem, aut substantialia religionis vota, de qua agemus infrà *in cap. penult. & fin.* Tertia quæ committitur per defectionem à clericali statu, videlicet per matrimonium, militiam, vel habitus clericalis dimissionem, de qua in præsenti, & *in cap. tuæ, hoc tit.* agendum est: & de his tribus modis deserendi habitum clericalem agit Ricciulus *lib. 7. de iure person. per totum*, & nos alibi, videlicet de matrimonio à clericis contracto *in cap. 1. de clericis coniug.* de clerico militiæ nomen dante *in c. fin. eod. tit.* & ita in præsenti tantùm agendum est de apostasia, quæ contingit per dimissionem habitus clericalis. Et prius sciendum est, dubium esse, an talis apostasia committatur à clericis in minoribus ordinibus constitutis, vel tantùm prima tonsura initiatis. Et negant Bañes *in 1. 2. quæst. 12. dubitat. 3.* Hostiens. & Abbas *in cap. 3. hoc titulo*, Decianus *lib. 5. tract. crimin. cap. 73. num. 24.* Couarr. *de spons. 2. part. cap. 9. § 3. num. 2.* Menoch. *de arbitr. casu 546. num. 52.* apostasiam ab ordine clericali locum habere in clericis prima tonsura initiatis: mouentur exemplo nouitiorum religionis cuiuslibet, qui sunt in statu incipientium respectu status clericalis, — 5 Apostatæ, & apostasiæ etymon.

lis,

Digitized by Google

lis, ſiquidem prima tonſura eſt diſpoſitio ad ordines: ſed nouitius ante emiſſam profeſſionem retrocedens, non apoſtata, nec deſertor religionis creditur: ergo ſimiliter clerici tonſura dimiſſa, & abiecto clericali habitu, vt laici incedentes, apoſtatæ dici nequeunt, præcipuè cùm iure permittente hoc faciant, vt probaui *in cap. clericus 6. de vita & honeſt. cleric. cap. 1. de cleric. coniug.* Verum contrarium expreſsè docetur in præſenti textu, ibi: *Apoſtaſia.* Et textum hunc procedere etiam in clericis minoribus gradibus initiatis, ſeu tantùm prima tonſura, probant Sauſay *in panopl. clericali, lib. 7. cap. 1.* Duualius *de fide quæſt. 8.* Nec obſtat fundamentum contrariæ ſententiæ; nam par ratio non eſt in nouitio retrocedente à religione, ac in clerico prima tonſura initiato deſerente ſtatum clericalem, quia per tonſuram clericus militiæ eccleſiaſticæ, & ſtatui clericali longè arctiori iure adſcribitur, quàm religioni monaſticæ per habitus ſuſceptionem nouitius deuincitur; ſiquidem initiatus prima tonſura in ſortem Domini tranſit, vnde clericus dicitur, vt ſuprà probaui; nec tonſura ipſa iterari valet, aut ab ea deijci iam initiatus: quæ omnia è contrario procedunt in nouitio, qui per habitus ſuſceptionem non efficitur religioſus, & à Prælato expelli poteſt, & ipſe iterum nouitiatum iterare. Vnde cognoſcitur, ſtrictius mancipari clericum per primam tonſuram ſtatui clericali, quàm nouitium religioni per habitus ſuſceptionem; quare quid mirum ſi in deſertione ſtatus clericalis apoſtaſia committatur, non verò in receſſu nouitij à religione. Nec obſtat clericum prima tonſura tantùm initiatum ex iuris permiſſione habitum deſerere poſſe, etiam matrimonium contrahendo, iuxta tradita *in cap. 1. de cleric. coniug.* nam exinde tantùm euincitur, ipſum non eſſe cogendum reaſſumere habitum clericalem, aut pœnis apoſtatæ teneri, vt contingit clericis in maioribus ordinibus conſtitutis, vt dicemus infrà *in cap. tuæ*; non tamen inde deducitur, eum frui poſſe priuilegio fori, quod competit tantùm clericis deferentibus tonſuram, & habitum clericalem, vt infrà dicemus: peccareque lethaliter ipſum propter apoſtaſiam interiorem, ſi ex contemptu, aut ſine cauſa ab ſtatu clericali diſcedat, docuerunt Duualius, & Sauſay *ſuprà*. Manet ergo, clericum in minoribus ordinibus conſtitutum, aut tantùm prima tonſura initiatum, habitum deſerentem, apoſtaſiam committere, non tamen cogi habitum reaſſumere: nec contrarium docetur *in cap. clerici, de vita & honeſt. cleric.* cuius veram interpretationem dedi in eius notis.

6 De priuilegio fori tonſuratis competente.

Deinde ſciendum eſt, omnes clericos, tam in ſacris, quàm in minoribus ordinibus conſtitutos, in clericali ſtatu perſeuerantes, plenè, & integrè priuilegio fori gaudere, niſi per crimina illud amittant, vt probatur *ex cap. 2. de foro compet.* ibi: *Nec presbyterum, nec diaconum, aut clericum vllum, aut iuniores Eccleſiæ.* Ex *cap. cùm non ab homine, de iudicijs*, in illis verbis: *Clericos cuiuſcumque ordinis.* Et ibi: *Clericus in quocumque ordine conſtitutus.* Faciunt textus generaliter de omnibus clericis agentes *in cap. de perſona, 11. quæſt. 1. authent. Caſſa, C. de ſacroſanct. Eccleſijs, authent. item nulla, C. de Epiſcop. & Cleric.* Omnes enim ſpeciali titulo Deo ſunt addicti, de eiuſque familia effecti, & diuino cultui conſecrati: licèt enim inter ipſos clericos exiſtat differentia quoad conſecrationem maiorem, vel minorem, ſeu magis, aut minus ſacrum miniſterium, hoc non ſufficit, vt inde euincatur, quoſdam magis exemptos fuiſſe ex vi iuris diuini, quoſdam minus, vt notat Nauarrus *in cap. nouit, de iudic. not. 6. num. 30.* Sin autem priuilegium inſpiciatur, quatenus per ius eccleſiaſticum limitari poteſt, quoad perſonas nulla inuenitur differentia inter clericos in ſacris, & in minoribus conſtitutos, dummodo in ſtatu clericali perſeuerent: quod non obſcurè deducitur *ex cap. 2. de foro compet.* & *ex cap. ſi diligenti, eod. tit.* in illis verbis: *Toti collegio eccleſiaſtico indultum.* Quibus dubium non eſt, quin etiam clerici ſolius primæ tonſuræ comprehenſi ſint; omnes etenim clerici pertinent ad collegium eccleſiaſticum, cùm datum non ſit priuilegium hoc huius, vel illius ordinis intuitu, ſed intuitu ſtatus clericalis: quam quidem exemptionem plenam, & integram eſſe debere, manifeſtè probatur ex ſuprà dictis iuribus, tam quæ exemptionem in criminalibus, & ciuilibus, quàm quæ immunitatem à tributis concedunt. Sed non perperam addidi, clericos in clericali ſtatu perſeuerantes, vt cognoſcatur diſcrimen verſari inter clericos maiorum, vel minorum ordinum; nam etſi in omnibus clericis commune ſit, vt indelebilem characterem accipiant; nihilominus quoad perſeuerantiam in ſtatu, & munere clericali ordines ſacri maiorem inducunt ſtabilitatem; clerici enim in ſacris ordinibus conſtituti coguntur in eis manere, ita vt ſi de facto deſerant, reaſſumere habitum conſtringantur, vt dicemus infrà *in cap. tuæ*: clerici verò minoribus ordinibus initiati liberè poſſunt ſtatui clericali renuntiare, negotijs ſæcularibus ſe immiſcendo, aut matrimonium contrahendo, *cap. 1. cap. Ioannes, de clericis coniugatis.*

Vnde prouenit, vt clerici in ſacris conſtituti, abſolutè, & abſque vlla conditione, ex vi ſacri ordinis priuilegio fori potiantur; talis enim ordo dicit perſeuerantiam in ſtatu clericali, & ſupponit conſequenter priuilegium fori, iuxta tradita *in cap. clerici 8. de iudicijs*. Inferiores autem ordines, cùm per ſe non obligent, nec inducant perſeuerantiam in illo ſtatu, non ſufficiunt ad inducendum priuilegium clericale, ſed conditiones alias expoſcunt, quæ oſtendant in minoribus initiatum in eodem ſtatu permanere, in quo diuino cultui, & Eccleſiæ deſeruit: quæ fuit potiſſima ratio huius priuilegij, idque planè ſignificauit Trident. *ſeſſ. 23. de reform. cap. 6.* dum decreuit, nullum prima tonſura initiatum, aut in minoribus ordinibus conſtitutum, ante decimumquartum annum beneficium obtinere poſſe; ſed neque fori eum priuilegio gaudere, niſi beneficium habeat eccleſiaſticum, aut clericalem habitum, & tonſuram, alicui Eccleſiæ ex mandato ſui Epiſcopi inſeruiat, vel de eius licentia in Seminario exiſtat, aut clericorum ſchola, videlicet aliqua Vniuerſitate, quaſi in via ad maiores ordines ſuſcipiendos. Ex quo decreto conſtat, clericos in minoribus ordinibus conſtitutos, ita demùm clericali priuilegio gaudere, ſi eccleſiaſticis miniſterijs actu dicati ſint, ſiue vt, proximè dicebamus, ſi in clericali ſtatu perſeuerauerint: cuius perſeuerantiæ duos modos Concilium diſtinxit, ſingulos per ſe ſufficientes, cùm disiunctiuè apponantur. Primus eſt ſi clericus minoribus initiatus beneficium eccleſiaſticum habeat; hac enim conditione ſupponit Concilium perſeuerantiam in eo ſtatu, vel ſaltem animum neceſſarium, vt iuſtè beneficium, eiuſque fructus retineantur, *cap. commiſſa 35. verſ. Cæterum, de elect. in 6.* quia beneficium ſui natura perpetuitatem denotat, *cap. Sanctorum, 70. diſt. cap. vnic. de capel. monach. libro 6.* beneficij verò nomine in eo decreto Concilij ad effectum huius priuilegij clericalis penſionem non comprehendi certum eſt, tametſi aliàs ſoleat pro beneficio haberi, *cap. ad audientiam 31.* vbi notaui, *de reſcript.* & ita congregatio Cardinal. declarauit, cui declarationi in praxi ſtandum eſſe docuit Garcia *de benefic.* etſi in puncto iuris de huius ſententiæ veritate non malè dubitet P. Suarez *contra Regem Angliæ cap. 27. nu. 11.* latiùs proſequuntur Pereyra *part. 2. de manu Regia, cap. 26.* D. Ioſeph Vela *tom. 2. diſſert. 45. per totam.* Alter modus eſt, ſi clericus in minoribus conſtitutus, tonſuram, & habitum clericalem deferat, & ad inſeruiendum alicui Eccleſiæ per Epiſcopum deſtinatus ſit, vel aliàs ex eius licentia diſponatur ad clericale obſequium: qui modus cùm tres contineat qualitates copulatiuè poſitas, verificari quoad omnes debet, vt priuilegium locum habeat, ex regula legis *ſi hæredi plures 5. ff. de condit. inſtit. §. penult. Inſtit. de hæred. inſt.* iuncta regula textus *in cap. cùm dilecta 22.* innctis notatis à Felino *ibi, nu. 6. de reſcriptis*: & ita Cardinalium declarauit Congregatio, vt refert Suarez *d. cap. 27. nu. 12.* vbi rectè poſt Couarruuiam, & alios eas duas priores declarauit qualitates, habitus & tonſuræ, vt earum concurſus vt in plurimum tantùm, non verò perpetuò, ac permanenter deſideretur; & in caſu dubio iudicis eccleſiaſtici ſit declaratio, iuxta textum *in cap. ſi iudex laicus, de ſent. excom. lib. 6.* Proſequuntur Couarr. *practic. cap. 31.* Pereyra, & Vela *vbi ſuprà*. Tandem addidimus in calce ſuperioris ſententiæ, *Niſi per crimina illud amittant.* Ex quibus deducitur, priuilegio clericali gaudere etiam clericum eum, qui per aliquod tempus illo caruit, vel per ſententiam priuatus eſt, non vtique ob delictum aliquod, ſed ob defectum prædictarum conditionum, ſeu qualitatum, vel alicuius ex eis, ſi poſtmodùm ob earum concurſum ad illud admitti deſideret. Nec enim ius commune, aut relata Tridentini diſpoſitio ipſum excludit; nam quod ad ius commune attinet, conſtat clericum in maioribus ordinibus conſtitutum, tantùm ob certa

7 De clericis in minoribus conſtitutis.

Digitized by Google

grauissima crimina postea referenda eis priuari; minoribus verò tantùm initiatum, ob defectum dictarum qualitatum. Quod ad Concilium attinet, id vtique non priuat perpetuò eos, qui qualitates in eo præscriptas non seruant, fori priuilegio; sed pro eo dumtaxat tempore, quo eas non seruant: sunt enim illæ quædam propriæ conditiones, quarum ea est natura, vt interim dum implentur, tantùm actum suspendant, nec illi locum faciant, postmodùm verò cum perficiant, *l. proinde 7. l. certi conditio 9. l. non omnis 19. l. pecuniam 36. ad finem, ff. de rebus creditis, l. hæc venditio 7. ff. de contrahend. emption. l. si quis sub conditione 8. ff. si quis omissa causa testam. l. legata 41. l. qui hæredi 44. l. Mæuius 45. ff. de condit. & demonstr. l. cedere diem 113. ff. de V. S.* Nec priuilegium illud amissum dici potest ex eo, quod clericus, qui cùm eo frui potuit, qualitates illas seruans, non est eo vsus, eidem renunciare videtur, argumento legis *sed & si suscepit 52. ff. de iudicijs, c. cùm inter monasterium 20. de re iudicata*: nec ei postmodùm ad illud regressus dandus videbatur, ex eisdem iuribus, iuncta lege *regula 14. §. si venditor, ff. de ædilit. edict. c. quàm periculosum, in fine 7. q. 1.* tum quia regula dictæ legis *sed & si*, cum similibus, procedit in iuribus, vel remedijs, quæ cum eorum omissione non compatiuntur, vt quibus certi temporis meta præfixa est, vt proponantur in iudicio: quorum neutrum accidit in præsenti casu, sed solùm adijciuntur dictæ conditiones, quibus quomodocunque concurrentibus, tametsi antea defecerint, locus priuilegio supersit. Tum etiam quia huiusmodi priuilegium non est eius naturæ, vt renunciari à clerico possit, cùm toti ordini clericali sit publicè indultum vt tale, quo non possit aliàs clericus priuari, quàm si ob crimina illo fiat indignus, nisi pro præterito tempore, quo qualitatibus à Concilio requisitis destitutus fuit; non pro futuro, quo concurrere simul in eo incipiunt, argumento textus *in Clement. 1. de vita & honest. cleric.* docent Syluester *verbo Excommunicatio, nu. 23.* Suarez *d. cap. 27. nu. 17.*

8 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis apparet iam ratio præsentis decisionis; nam cum priuilegium fori ita demum competat clericis prima tonsura, seu ordinibus minoribus initiatis, si perseuerent in statu clericali, quæ perseuerantia præcipuè cognoscitur ex delatione tonsuræ, & habitus clericalis; ideò qui abiecto clericali statu, & dimisso habitu, vt laicus inter laicos conuersatur, indignus redditur prædicti priuilegij. Facit ratio adducta à Pontifice *in cap. in audientia, de sent. excom.* quia videlicet frustra ab Ecclesia priuilegium fori petit, qui peccat in ipsam Ecclesiam, contra sacros canones prohibentes illis deferre vestes laicales, de quibus egi *in c. clerici, de vita & honest. cleric.* Facit ratio textus *in l. item apud Labeonem, §. si quis virginem, ff. de iniurijs*: quam expendit Pontifex *in d. c. in audientia*: & quamuis in iure reperiatur interdictus clericis vsus certarum vestium, vt probaui *in d. c. clericus, de vita & honest.* tamen non reperitur certus, & determinatus habitus, quem ipsi clerici de necessitate teneantur induere; ideò eas vestes dicemus esse clericis congruentes, quæ à communi vsu, consuetudineque prouinciæ, in qua commorantur, reperiuntur admissæ, vt probant Glossa *in cap. penult. verbo Deauratis, de vita honest. cleric.* & *in Clement. 1. verbo Sæcularis, de elect.* Couarr. *practic. c. 31. n. 7.* Farinacius *in praxi crimin. tom. 1. q. 8. n. 69.* Roussel. *lib. 4. c. 3. nu. 40.* Ricciulus *de iure person. lib. 7. c. 5. num. 1.* Vnde fit, quod cùm circa vestium vsum regionis consuetudo attendenda sit, sic etiam ex debitis circumstantijs fiat interpretatio circa vestium delationem; nam viator, qui iter facit, licèt in habitu clericali non incedat, excusabitur, vt probabimus infra *in c. tuæ*: & ita iudicatum fuisse testatur Pereyra *de manu Reg. part. 2. c. 26. n. 4.* qui idem probat de clerico in domo sua reperto sine habitu, etiamsi dum fugit, extra domum capiatur sine habitu. Item de clerico coniugato occidente vxorem sine habitu: & in his Hispaniarum regnis ex Bulla Alexandri VI. edita anno 1502. clerici minorum ordinum non aliter fruuntur priuilegio fori, quàm si per quatuor menses ante commissum delictum habitum, & tonsuram deferant, vt testatur Couarr. *practicar. q. 31.* Gutierrez *lib. 5. practic. cap. 5.* Idem de Gallis referunt Boerius *decis. 69.* Chassaneus *in consuetud. fol. 49.* De Venetis Gigas *de pensionibus q. 94. nu. 8.* & si clericus tonsuram dimiserit, clericatuique renunciauerit, sed illam reassumpserit, etiam inscio Episcopo, priuilegio fori gaudet, vt probat Marinis *lib. 1. resol. cap. 50.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam verius est, vt probaui *in cap. clerici, de iudicijs*, exemptionem clericorum à iurisdictione sæculari, quoad causas criminales, & ciuiles temporales, esse iuris positiui; vnde nonnullis in casibus illis priuilegium fori per sacros canones denegatur, veluti clerico assassino, *cap. 1. de homicid. lib. 6.* ioculatori post trinam monitionem, *c. 1. de vita & honest. cleric. lib. 6.* carnificis, seu macellarij, aut tabernarij officium exercenti, *Clement. 1. eod. tit.* clerico degradato, *cap. cùm non ab homine, de iudicijs*; in minoribus ordinibus constituto, & matrimonium contrahenti successiuè cum duabus, vel semel cum vnica, & vidua, *cap. vnic. de cleric. coniug. lib. 6.* & ita rectè in præsenti textu docetur, clericum primæ Tonsuræ non deferentem habitum, & tonsuram, priuari fori priuilegio. Nec obstat augmentum primum dubitandi rationis; nam casu, quo clericus deserit habitum clericalem, & vt laicus incedit, non cognoscit iudex sæcularis de eius causis criminalibus virtute prorogationis tacitæ, aut expressæ, quæ nulla hoc in casu datur; sed quia in pœnam desertionis status clericalis priuatur priuilegio fori, ratione illius status illi competente, vt in alijs casibus suprà enumeratis, ob delicta priuatur eodem priuilegio, nec ab Ecclesia defenditur, quia in his casibus, in quibus ius Pontificum assistit, sufficit tacitus & immixtus consensus ipsius clerici, argumento legis *si vnus 27. §. illud, ff. de pactis, l. filius 8. §. veterani, ff. de procurat.* vbi docetur, plura tacitè permitti, quæ expressè non permitterentur; ille namque implicitus clerici consensus venit in consequentiam dimissionis habitus, cui est à iure canonico statuta pœna; & ideò hæc tantùm velut principalis attenditur, non consensus ei consequens, *ex l. si quis nec causam 4. ff. si certum petatur, l. 1. vers. Prima, l. quod dicimus 7. ff. de auctorit. tutor.* Illustrat D. Ioseph Vela *dissert. 45. §. 1. num. 32.* Nec obstat quod dicebamus de clerico in minoribus constituto matrimonium contrahente; nam ille retinet priuilegium fori, si deferat habitum, & tonsuram, vt suprà dixi, & probat Vela *d. dissert. 45.* at verò in præsenti agimus de clerico prima tonsura initiato deserente habitum, & tonsuram; quia dum incedit vt laicus, priuatur fori priuilegio. Nec obstat vltimum augmentum deductum ex dicto capite *in audientia, Clement. 1. de vita & honestate cleric.* nam facilè præsens decisio conciliari potest cum illis nouis decisionibus, si in præsenti supponamus, monitionem præcessisse, aut ita deseruisse statum clericalem, vt enormitatibus publicè dederetur: quo casu ipso iure priuari priuilegio fori docuerunt Couarr. *c. 32. pract. n. 2.* Bobadilla *lib. 2. polit. c. 18. nu. 95.* Borellus *ad Bellugam, rubric. 11. §. videndum*, Rendin. *de Maiest. Princip. vers. Non armis solùm, n. 174.* Riccius *in praxi, tom. 2. resol. 172.* Bossius *in praxi, tit. de foro compet. ex n. 134.* Sed contrarium, videlicet adhuc trinam monitionem, & declarationem iudicis necessariam esse, rectius docuerunt Martha *de iurisdict. 2. part. c. 36* & *4. part. cent. 2. casu 135.* Carolus de Graffis *de effectib. cleric. effectu 1. n. 891.* Bonac. *de legibus, disput. 10. q. 2. punct. 1. § 4.* Ambrosinus *de immunit. Eccles. cap. 17. n. 16.* Barbosa *lib. 1. de iure Eccles. cap. 39. à n. 80.* & *alleg. 12. n. 24.* Torreblanca *de iur. spirit. lib. 15. cap. 4. & 5.* Diana *part. 7. tract. 1. resol. 11.* Castropalao *tom. 2. oper. mor. tract. 12. disput. vnic. punct. 6. n. 8.* Ægidius Coninch *de sacram. disput. 4. dub. 15. num. 159.* 9 *Dissoluitur dubitandi ratio.*

C A P V T II.

Idem *Abbati Sanctæ* a *Genouefæ.*

EX litterarum tuarum tenore perpendimus, quod quidam ægritudine longa confectus, insano *b* sortilegarum mulierum credens consilio, vt sanaretur, per iterationem fecit iniuriam Baptismatis sacramento. Astitit huic autem sacrilegio adolescens quidam, bonæ (vt videtur)

detur) indolis *c* acolytus, frater carnalis illius, in quo baptismus asseritur iteratus, qui ministerium in respondendo exhibuit presbytero baptizanti, & cooperator extitit rei nefandæ. Quia ergo tua nos duxit prudentia consulendos, qualiter puniri debeat acolytus, quem minor ætas, & intentio fraternæ salutis excusare videtur, discretioni tuæ præsentibus litteris respondemus, quod ad superiores ordines promoueri (si publicum est quod proponitur) non valebit, nisi ad *d* religionem transire voluerit, vt fauore religionis ipsius circa eum valeat dispensari. Si verò occultum est, promoueri poterit, & excessum suum dignis pœnitentiæ fructibus expiare.

NOTÆ.

a *Genouefæ.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. De hoc Abbate, & eius iurisdictione egi *in cap. cùm P. & G. de offic. deleg.*

b *Sortilegarum.*] Quibus fides non est adhibenda, vt infrà dicemus *in cap.* 1. *de sortileg.*

1 c *Acolytus.*] Est autem acolytus minister Ecclesiæ, cuius officium duplex est: vnum deferre cereos accensos ante presbyterum, & cùm legitur Euangelium in Missa, ac proinde accendere luminaria Ecclesiæ: alterum est ministrare vinum, & aquam in vrceolis, dareque diacono, vt probaui *in cap. perlectis, vers. Ad acolytum,* 15. *dist. cap. cleros, vers. Acolyti,* 21. *dist. cap.* 1. *vers. Deseruientes, cap. acolytus,* 23. *dist.* Probant de eo gradu agentes, vltra scriptores de sacramento Ordinis, Vasquez 3. *p. in* 3. *disp.* 263. *n.* 30. Vicecomes *de ritibus Missæ, volum.* 3. *lib.* 1. *cap.* 25. P. Gregor. *lib.* 15. *syntag. cap.* 6. Zerda *in aduers. c.* 94. Menardus *in notis ad Sacrament. Diui Gregorij, pag.* 271. Espenceus *ad epist. Pauli, lib.* 1. *digress. cap.* 8. & nos *in cap.* 2. *de officio Archid.*

d *Religionem.*] Quatenus per ingressum religionis irregularitas tollatur, exposui *in cap.* 1. *de filijs presbyter.*

COMMENTARIVM.

2 Textus hic spectat ad secundam partem præsentis rubricæ, quæ est de iterantibus baptismum: & grauitatem huius criminis iam probaui *in cap. de his, de baptismo.* Nunc de pœnis baptisma iterantium agendum est; & quidem variæ statutæ sunt, tam in iure ciuili, quàm canonico. Iure ciuili Episcopi rebaptizantes deponuntur, & tam hi, quàm qui scienter rebaptizari se patiuntur, priuantur testamenti factione, & donandi ius amittunt, exilioque cum multa decem librarum auri, vel capite puniuntur, *l.* 1. 2. & 3. *Cod. ne sanctum baptisma:* quas illustrat I. Gothofr. *ad tit. Cod. Theodos. ne sanctum baptisma.* Iure canonico non tantùm qui ex hæretica prauitate id faciunt, illis, & alijs hæreticorum pœnis subsunt, verum & ita baptizatis communio denegatur, *cap. eos, de consecr. dist.* 4. Syricius *in Synodo Romana, epist.* 4. *cap.* 1. ibi: *Venientes à Nouatianis, vel Montensibus, per manus impositionem suscipiantur, præter eos, quos rebaptizant.* Innocentius *epist.* 2. *cap.* 8. *Venientes à Nouatianis, vel Montensibus, per manus tantùm impositionem suscipiantur, quia quamuis ab hæreticis, tamen in Christi nomine sunt baptizati: præter eos, si qui fortè à nobis ad illos transeuntes rebaptizati sunt, hi si resipiscentes, & ruinam suam cogitantes redire voluerint, sub longa pœnitentiæ satisfactione admittendi sunt.* Concil. Illerdense *can.* 9. & 14. ibi: *Cùm rebaptizatis fideles, religiosi nec in cibo participent.* Refert Ant. Augustinus *tom.* 2. *in epitom. iuris, lib.* 22. *tit.* 27. irregularesque manent, *c. fin.* 51. *dist. c. Afros,* 96. *dist. cap. qui in qualibet,* 1. *q.* 7. *c. confirmandum,* 64. 50. *dist.* ibi: *Presbyter, vel Diaconus depositus ob crimen, non reuertatur ad Clerum, vt nec rebaptizatus.* Et *can.* 27. *codicis Ecclesiæ Afric.* ibi: *Vt rebaptizati ad clericatus gradum non promoueantur.* Felix Pontifex in Synodo Romana anni 487. cuius acta extant in codice canonum Ecclesiæ Romanæ, & *tom.* 2. *Conciliorum*, ibi: *Communis dolor, & generalis est gemitus, quod intra Africam rebaptizatos etiam Episcopos, Presbyteros, Diaconosque cognouimus.* Et in epistola synodica ad vniuersos Episcopos: *Nec ex his vnquam, qui in qualibet ætate alibi, quàm in Ecclesia Catholica baptizati sunt, ad Ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere.* Probant Iustelus *in not. ad can.* 27. Suarez *de censur. disput.* 31. *sect.* 3. Salcedo *in praxi, cap.* 15. & 18. Gutierrez *de delict. qu.* 59. Trocius *de ver. & perfect. cleric. lib.* 9. *cap.* 9. Maiolus *de irregul. lib.* 3. *cap.* 15. Gibalinus *eod. tract. cap.* 5. *per totum.* Non tamen incurritur hæc irregularitas, nisi præcedente delicto, adeò vt excusetur quotiens propter ignorantiam culpa excusatur. Quod verius censent Suarez *disput.* 42. *de censur. sect.* 1. Gibalinus *d. cap.* 5. 2. *p.* etsi contrarium teneat Maiolus *de irregul. lib.* 3. *cap.* 14. Nec pro eo facit textus *in c. quibus* 117. *de consecr. dist.* 4. nam cùm deductus sit ex Pœnitentiali Theodori Episcopi, vim legis canonicæ non habere iam docuerunt Couarr. *in Clement. Si furiosus,* 1. *part. in initio, de homicid.* Gibalinus *de irregul. cap.* 5. *part.* 1. Et si dura videatur hæc interpretatio, potest dici, Theodorum loqui eo casu, quo ignorantia fuit crassa, aut iuris, cùm videlicet rebaptizatus ignorauit baptismum iterari posse. Salcedò *in praxi, cap.* 10. Quod si aliquis permittat se exterius iterum baptizari, ita tamen vt intentionem suscipiendi baptismum non habeat, non incurret irregularitatem; nam illa non dicitur formalis reiteratio baptismi ex parte suscipientis; pœna autem hæc restringenda est ad formalem rebaptizationem. Sic etiam nec infans rebaptizatus irregularitatem incurrit, *cap. placuit, cum seq.* 1. *q.* 4. quia omni voluntate, & iudicio caret. Nec contrarium docet Felix III. *in epist.* 6. quam integram refert Iuo Carnot. 1. *p. Decreti, c.* 293. in illis verbis: *Nequaquam qui in qualibet ætate alibi; quàm in Ecclesia Catholica baptizati, aut rebaptizati sunt, ad ecclesiasticam militiam prorsus permittantur accedere.* Ex quibus deducitur, etiam infantes rebaptizatos irregularitatem contrahere. Nam Felix Papa accipiendus est de illis, qui cùm essent doli capaces, baptizari se, vel rebaptizari permiserunt ab hæreticis, vt docuerunt Glossà *in cap. in qualibet,* 1. *q.* 7. Gibalinus *d. c.* 5. Quæ solutio facilè suadebitur si obseruemus, Felicem III. hanc epistolam ad Africanos Episcopos scripsisse in causa eorum, qui in persecutione Hunerici Regis lapsi ab Arrianis rebaptizati fuerant; & deinde reddita Ecclesiæ pace à Gundebundo, in catholicam communionem recipi postulabant anno 487. cùm iam Africani Episcopi circa similem causam rebaptizatorum à Donatistis, in Concilio Carthag. Præside Aurelio eiusdem ciuitatis Episcopo, disceptassent anno Christi 397. & in alia synodo Carthag. celebrata ab eodem Aurelio anno Christi 400. statuerant, vt paruuli apud Donatistas baptizati, nondum scire valentes erroris eorum interitum, minimè impedirentur ad sacros ordines promoueri. Vnde credi non potest, Felicem ipsis Episcopis contrarium scripsisse, præcipuè cùm in ea epistola ius nouum non condat, sed tantùm antiquum confirmet, vt rectè considerat, & probat Gibalinus *dicta* 2. *p.* Constat ergo, iniuriosam iterationem Baptismi inducere irregularitatem; nam licèt secundus baptismus, ob cuius susceptionem quis efficitur irregularis, non sit sacramentum; attamen per eum iniuria fit priori baptismo, & fidei, atque ita huic crimini talis est annexa irregularitas.

Vnde infertur, quod si quis sæpe sæpiùs rebaptizetur, etiam sæpe sæpiùs incurrit hanc irregularitatem; nam quoties multiplicatur culpa, ob quam imponitur pœna, toties similis pœna incurritur: exempli gratia si quis post semel iteratum Baptismum pœnitentiam egerit, & dispensationem huius irregularitatis meruerit, si postea iterauerit baptismum, iterum efficitur irregularis; nam rebaptizatio non solùm dicitur secunda iteratio baptismi, sed tertia, quarta, & omnes sequentes post primam, argumento legis 1. *ff. de vulgar.* E contrario verò, si quis errore ductus rebaptizetur, quia credebat se antea baptizatum fuisse, cum reuerà prior baptismus non valuisset, proculdubio irregularis non efficitur, quia nunquam secundò baptizatus est, quousque verus baptismus receptus sit; nihil enim refert, quod quis habuerit animum se rebaptizandi, si verè, & realiter non rebaptizetur. Nec solùm irregularis efficitur qui rebaptizatur, verùm etiam minister, qui baptismum iterum administrat, vt ex hoc textu constat, & probant Santarel. *de hæres. cap.* 45. *dub. vnic.* Gibalinus *d. cap.* 5. 3. *part.* Maiolus *lib.* 2. *de irregular. cap.* 14. *nu.* 6. qui eandem irregularitatem extendunt ad parentes, qui suos liberos rebaptizandos offerunt, ad com-

3 Alia de ipsa irregularitate.

compatres, atque alios cooperantes eiusmodi rebaptizationi, contra quos omnes etiam proceditur per Inquisitores in his regnis. Qualis tamen sit hæc irregularitas, tam respectu rebaptizantis, quàm rebaptizati, exponit Gibalinus *d.c.5.p.4.per totam*. Si tamen aliquis solo verbo absque intentione rebaptizauerit, quamuis grauiter peccet, non tamen efficitur irregularis, vt docent Henriquez *lib. 4. summæ, cap 4. §. 3.* Suarez *d. disp.31. sect.6.dub.4.* Gibalinus *d. cap. 5. 4. part.* qui idem resoluit de rebaptizato per vim, & grauem metum.

C A P V T III.

Innocent. III.

TVæ fraternitati. *Et infrà:* Super secundo articulo inquisitioni tuæ duximus respondendum, quod clerici, qui sunt de apostasiæ crimine infamati, qui videlicet abiecerunt habitum clericalem, non sunt in sæculari habitu tolerandi, sed per districtionem ecclesiasticam coercendi, donec deficiente probatione, ad infamiam abolendam purgationem canonicam curauerint exhibere.

N O T Æ.

1 a I*Nnocent. III.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. vnic.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, sed facilè constat, legendum esse *Brixiensi*, vt *in cap. tuæ, de Procurator.* vbi congessi alias partes huius epistolæ.

C O M M E N T A R I V M.

2 IN hoc textu agitur de clerico in sacris, & maioribus ordinibus constituto, habitum clericalem deserente, qui cogendus est illum reassumere pœnis à iure statutis, videlicet excommunicatione, *cap. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* priuatione fructuum beneficij, *Clement. 1. eod. tit.* incarceratione, *cap. à nobis, hoc tit.* & iure ciuili sancitum à Iustiniano legimus *in nouella 5. cap.6. nouel.6. c.7 nouel.123. c. 15.* vt clerici, qui in ordinibus sacris constituti, ijs contemptis ad aliam vitam transijssent, pro ratione facultatum, vel curiæ ciuitatis suæ seruire cogerentur, vel Præsidis prouinciæ cohorti, seu officio addicerentur: quod postea mutauit Leo *nouel. 7. & 8.* vbi similes desertores reuocari ad priorem statum iubet: idque etiam patet *in cap. quod interrogasti, 27. dist. cap. quem 20. quæst. 1.* graue enim peccatum est in clerico habitum deserere, vt probat eleganter Sausay *d. lib. 7. cap. 3. per totum*. Vnde talis clericus apostata appellatur; quo nomine tantùm notantur magni peccatores Ecclesiæ rebelles, vt Iudæi, qui negauerunt Christum Regem suum, à Prudentio ibi:

—— Formidine rursas.
Plebis apostaticæ, Dominum quæ cæca negasset.

Et hæretici, quos apostatas pronuntiat Tertul. *de præscript.* ibi: *Persequutio martyres facit, hæresis apostatas tantùm*. Et Iudam proditorem, apostatam dixit Sedulius *lib. 4. carminum:*

Tunc vir Apostolicus, nunc vilis apostata factus.

Excusatur tamen clericus non deferens habitum clericalem, veluti si necessitas adsit tuendi vitam, honorem, fortunas, aut quidquam aliud simile, vt docent Glossa *in c. nullus, 21. q.4* & *in d.cap. si quis ex clericis:* vnde eum quidam reprehenderetur a Pontifice, respondit:

Tutius vt peterem laici sub imagine Romam,
Fas fuit vt finerem luxuriare comam.

Item excusantur clerici iter longum facientes, *c.3.21. q.4.* vbi ex Synodo Romana sub Zacharia Papa ita legitur: *Episcopi, Presbyteri, Diaconi sæcularibus indumentis non vtantur, nisi vt condecet tunica sacerdotali, præter si in itinere longo ambulauerint.* Sed etsi clerici deserentes statum clericalem, apostatæ dicantur; tamen nisi vxorem ducant, non subsunt Inquisitorum iurisdictioni, vt probat Salleles *tom. 1. de mater. Tribun. lib. 1. regul. 107.*

C A P V T IV.

Idem *in Concilio generali.*

QVidam (sicut accepimus) qui ad sacri vndam baptismatis voluntariè accesserunt, veterem hominem omninò non exuunt, vt nouo perfectius induantur, cùm prioris ritus reliquias retinentes, christianæ religionis decorem tali commixtione confundant. Cùm autem maledictus sit homo, qui terram duabus vijs ingreditur, & indui veste non debeat *b* lino, lanaque contextam: statuimus, vt per *c* Prælatos Ecclesiarum talis obseruantia veteris ritus omnimodè compescatur, vt quos christianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in eius obseruatione conseruet; cùm minus malum existat viam Domini non agnoscere, quàm post agnitam retroire.

N O T Æ.

a G*Enerali.*] Lateranensi videlicet, sub Innocentio III. celebrato, vbi *cap. 70* reperitur textus hic, prout in præsenti transcribitur. De hoc Concilio nonnulla notaui *in cap. 1. de summa Trinit.*

b *Lino, lanaque.*] *Deuteron cap. 22.*

1 c *Prælatos Ecclesiarum.*] Ad quos tantùm, videlicet Inquisitores, spectat apostatarum cognitio; cum apostasia sit eiusdem speciei ac hæresis; vnde sicut de hæresi, nec de iure, nec de facto cognoscere potest iudex sæcularis, *cap. vt inquisitionis 18. §. prohibemus, de hæreticis lib. 6.* ita nec de apostasia, siue quæstio facti, vel iuris disceptetur. Bordonus *tom. 1. sacri tribun. cap. 9. sect. 2. num. 21.* Carena *part. 1. de offic. Inquisit. tit. 3. num. 13.* Diana *p. 4. tract. 1. resol. 12.* etsi contrarium defendat Pereyra *part. 2. de manu Reg cap. 74. per totum.*

C O M M E N T A R I V M.

EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Baptizati si ad ritus Iudaicos, seu paganos redierint, coguntur eos relinquere, & fidem, quam semel professi fuerunt, custodire.* Probant eam textus *in c. si quis 4. de pænit. dist. 5. c. presbyteros 32. 50. dist. c. de his 26. q. 6. c. 2. 3. qu. 4.* Gregor. II *epist. 6. ad Saxones, ad medium,* ibi: *Quicunque in vobis susceperunt Christum Dominum nostrum, in ipso ambulent radicati, & superædificati, & confirmati in fide, &c. Discedite filij ab idolorum cultura, & accedite, & adorate Dominum Deum uostrum, &c.* Nicolaus *ad consulta Bulgar. c. 18. Qui fidem respuit, quam promisit, ab illo, à quo susceptus est, & qui fidei eius interuentor existit, debet per omnia reuocari: at verò si non audierit eum, quem ipse pro se dederat vadem, dicendum est Ecclesiæ, à qua facteute studio maiori, ad ouile proprium ouem reduci conuenit, quæ errauit; & vt ad viam veritatis, quæ Christus est, redeat, modis omnibus reuocari: siquidem ab ea, tanquam à magistra suadendum est illi, quatenus videat, quoniam apostatam spiri-* 2 Conclusio traditur, & probatur.

tum

tum imitatus est, quod in veritate non steterit, &c. Concil. Aurelian. 2. can. 19. Catholici qui ab idolorum cultu se non custodiunt, nec ad integram accepti baptismi gratiam reuertuntur, vel qui cibis idolorum cultibus immolatis gustu illicitæ præsumptionis vtuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arceantur. Aurelian. 4. can. 15. Si quis post acceptum baptismi sacramentum ad immolata dæmonibus sumenda, tanquam ad vomitum reuertitur, si commonitus à sacerdote se corrigere ex hac præuaricatione noluerit, à communione catholica pro emundatione sacrilegij suspendatur 6. Synodus in Trul. can. 62. Clericus deponatur, laicus excommunicetur, qui festa Gentilium celebrat. Et can. 95. In eos qui iurant vt pagani, canonicas pœnitentias nos, & excommunicationem imponimus, D. Basilius ad Amphiloch. can. 7. 72. & 80. Gregor. Nyssen. epist. 2. canonica: refert Ant. August. lib. 11. epit. iur. tit. 4. Illustrant Albaspineus lib. 2. obs. c. 9. Ricciulus lib. 6. de iure person. per totū, Castro lib. 1. de iusta hæretic. punit. c. 7 & lib. 1. de hæresibus, c. 4. Suarez de fide, disp. 16. sect. 4. Sousa in aphorism. c. 48. n. 14. Peña p. 1. Direct. q. 9. comment. 24. Salelles lib. 1. de materijs tribun. c. 13. regul. 107. Carena de offic. Inquisit. p. 2. tit. 3. Bordonus tom. 1. tribun. cap. 9. sect. 2. Murga tom. 2. disquisit. tract. 1. dub. 6. §. 3. Altesserra hic.

3 Traditur ratio dubitandi. Ratio dubitandi huius textus proponenda est ex iuris principijs, quæ adduxi pro dubitandi ratione in cap. ad abolendam, de hæreticis: & etiam difficilis est præsens constitutio, dum in ea Patres Concilij Lateran. tantum statuunt, apostatas à fide catholica cogendos esse ritus alterius religionis deserere, & fidem Catholicam seruare, ac custodire, nulla sancita pœna in fideles lapsos in apostasiam, cùm certum sit eos varijs pœnis afficiendos esse, iuxta canones Ecclesiæ suprà relatos, & alios congestos ab Antonio Augustino in epitome iuris, tit. 4. lib. 11. Crespetio in summa, verbo Apostata à fide. Vnde minus perfecta, seu integra videtur præsens constitutio; siquidem in omnibus Ecclesiæ canonibus, in quibus de his apostatis à religione agitur, semper adijciuntur pœnæ, quibus ipsi apostatæ afficiendi sunt.

4 De apostatis à fide. Qua dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, in præsenti agi de apostasia vera à religione; nam quoties sine adiuncto apostasia dicitur, intelligitur apostasia à fide. Est autem apostata à fide, qui omnino à Christiana fide defecit, reuersus, seu transiens ad Iudaismum, seu Paganismum, l. 1. 2. & penult. C. hoc tit. cap. non potest 2. q. 7. cap. contra, de hæretic. lib. 6. qui in ritus Iudaicos, seu sacrificia paganorum transeunt, l. 3. C. Theodos. de apostatis, l. 1. & 7. eod. C. de Iudæis: inde dicuntur violatæ religionis rei, l. 3. C. Theod. de apost. docuerunt Decianus lib. 5. tract. crimin. c. 71. n. 4. & cap. sequenti, Farinac. de hæresi, q. 183. §. 2. n. 13. D. Thomas 2. 2. q. 12. per totam, Ricciulus lib. 6. de iure personar. c. 2. Carena de offic. Inquisit. 2. part. tit. 3. Salelles lib. 1. de mater. tribun. c. 13. regul. 107. I. Gothofr. ad tit. de apostatis, in C. Theodos. Thomas Delbene p. 1. de offic. Inquisit. dubit. 47. Duo ergo copulatiuè desiderantur, vt quis propriè fidei apostata dicatur. Primum, quod talis recessus à fide sit omnimodus, vnde licèt Christianus recedat à pluribus fidei articulis, tamen si retineat adhuc fidem in reliquis, hæreticus, non verò apostata est, dicto c. non potest, cap. beatus 7. q. 4. D. Augustin. lib. 18. de ciuit. Dei, c. 51. probat Canus de locis c. 9. Simanc de Cathol. tit. 7. Roias de hæretic. p. 1. n. 486. Apostata igitur est, qui totus recedit à fide; hæreticus verò qui in parte. Vnde qui apostata est, hæreticus cõtinuò est; qui verò in hæresi aliqua est, apostata propterea non est. Hæreticus fur dicitur, & latro, Ioannis c. 10. quasi qui è verbo Domini aliquid intercipit, & quasi cõtrectat: apostata plus quàm fur, qui totum surripit, quin & se ipsũ, & veluti fugitiuus Christi seruus efficitur, vt exponit Mancinus lib. 1. de triplici iuris collat. c. 146. Secundò desideratur, quod recessus ipse sit à fide catholica, vnde qui ab improba secta in aliam reprobatam se transfert, veluti è paganismo ad Iudaicam perfidiam, vel Mahometismum, apostata non dicitur, vt probant Campeius de dote q. 77. Iul. Clarus in praxi crimin. §. fin. q. 7. n. 4. Cùm enim Christianæ militiæ nunquam nomen dederit, non est ratio quare possit eius desertor iudicari, argumento legis 4. §. idemque, l. manumissiones, ff. de iust. & iure, l. decem, ff. de V. O. Sed si quis baptizatus sit de nouo verè, nec sub debita forma, distinguendum est, an ipse ignorans defectum baptismi à fide recedat, an post recessum nullitas baptismi detegatur; quo casu apostata dicitur, & vt talis puniendus est. Castro lib. 1. de hæretic. punit. c. 8. q. 3. ad finem, Ricciulus de iure person. lib. 6. cap. 3. Bordonus tom. 1. sacri tribun. c. 9. sect. 2. n. 11. Ratio est, quia quamuis iste baptizatus non esset baptismo fluminis, baptizatus tamen erat baptismo flaminis; & si contigisset ipsum ita decedere, saluari posset, cap. fin. vers. Nullus, de pœnis dist. 7. c. debitum, de baptismo, c. 2. de presbytero non baptizato. Quare talis ad hoc nihil differt ab eo, qui iuxta Ecclesiæ ritum baptismum suscepit, vel sciebat se baptizatum non esse, & non curauit baptizari; & tamen pro tali ab omnibus existimari contendebat: quo casu licèt in foro poli apostata iudicari non possit, tamen in foro fori ijsdem pœnis plectendus est, quibus & cæteri apostatæ puniuntur; quia cùm ipse tanquam Christianus se gesserit, & vt talis velit à cæteris fidelibus haberi, & honorari, vtique talis præsumitur, vt resoluunt Bordonus suprà, Ricciulus d. lib. 6. c. 3. nu. 5. quia quilibet debet iudicari iuxta habitum quem defert, l. item 15. §. si quis virginem, ff. de iniurijs, can. audientia, de sent. excom. cap. si iudex, eod. tit. lib. 6. & tanquam Christianus talis debet Christianorum legibus subijci, argumento legis Iudæi, C. de Iudæis. Accedit, quia non debet esse in alicuius potestate Christiani nomen sic ementiri, vt Christianorum inter fideles fruatur honoribus, pœnas autem fidei transgressoribus inflictas euadat, cùm qui sentit commodum, sentire debeat incommodum, l. secundùm, ff. de R. I. c. charitatem 12. q. 4. cap. accedentibus, de priuil. Sicut etiam hæreticus reputatur, non solùm qui verè est Catholicus, sed etiam is, qui cùm verò Catholicus non sit, tanquam talis se gerit, argumento legis 1. C. si minor se maiorem, Castro de iusta hæretic. punit. lib. 1. c. 8. Simanc. de Cathol. tit. 31. num. 5. quia in hac parte plus operatur opinio, quàm veritas, c. fin. de presbyt. non baptiz. Ricciulus suprà, nu. 6. Et hæc apostasia committitur per transitum ad ritus Iudaicos, cap. contra, de hæret. in 6. Simanc. de Cathol. tit. 35. n. 9. Eymericus p. 2. direct. q. 44. nu. 1. Farinac. de hæresi, q. 178. n. 136. quia nõ solùm verbis, verùm & factis Deus negatur, c. existimant 84. 11. q. 1. immò facta potentiora sunt ad explicandũ animum, quàm verba, l. si tamen 48. §. ei qui, ff. de ædilit. edict. l. de quibus, ff. de legibus, c. dilecti 52. c. vt nostrum 56. de appellat. Cicero 3. Tuscalan. Quid verba audiam, cùm facta videam? Castillo lib. 3. controu. 107. n. 17. Ideò conuictus, aut confessus de actibus, seu cæremonijs Iudaicis, damnandus est vt apostata, etsi animum, intentionemque negauerit, c. filij, c. contra, de hæret. in 6. Syluester verbo Hæresis 1. q. 7. Anania in c. excommunicamus, §. credentes, de hæreticis, Reportor. Inquisit. verbo Apostasia, Simancas tit. 10. n. 9. & tit. 50. num. 5. Farin. de hæresi, q. 178. nu. 139. Et quamuis hoc casu reum subijciendum esse torturæ super intentione, docuerint Simanc. de Cathol. tit. 65. n. 52. & in Enchirid. tit. 29. n. 10. Peña p. 3. Direct. comment. 110. & alij; hoc tamen procedit, quando cæremoniæ à reo factæ dubiæ sunt, veluti ieiunia; secus verò si cæremoniæ sint reprobatæ sua natura, vt circumcisio, celebratio Paschæ Iudæorum, aut similia, quæ ex se hodie mala sunt, vnde interpretari nequeunt in bonam partem, quia in quolibet facto attenditur eius natura, l. si vnus 27. §. pactus, ff. de pactis, l. cùm filius 76. aliàs 78. §. hæres meus, ff. de legat. 2. cap. ab exordio 3. 35. dist. Lact. Firmian. lib. 3. diuin. inst. c. 15. Nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est, quia facta cernuntur, animus non videtur. Vnde si quis conuictus, vel confessus reperiatur actus qui sua natura ad Iudaicam religionem, vel aliam improbatam sectam spectant, tanquam apostata statim damnandus est, nulla tortura præcedente. De eo tamen, qui defert tantùm vestes Gentilium, aut Iudæorum proprias, an dicatur apostata, examinat Suarez de fide, disp. 14. sect. 5.

Circa illum autem, qui coactè, & per vim fidem catholicam abnegauit, vel Idolis sacrificauit corde tamen fidem retinuit, dubium est. Et quando coactio est præcisa, siue absoluta, nempè quia omninò renitens, ligatus manibus, & pedibus circumciditur, vel eius genua flectuntur coram idolis, nullo modo apostata iudicatur, c. presbyteros 31. 50. dist. cap. constat 1. q. 1. docent Peña ad Eymericum, p. 1. Direct. commentar. 24. Simanc. tit. 27. n. 19 Salelles suprà, regul. 107. Bordonus d. c. 9. sect. 2. nu. 14. Ratio est, quia eo casu pati potiùs, quàm agere videtur, cap. sacris, vbi notaui, de his, quæ vi; ideòque pœnam non meretur, l. fœdissimam, C. ad leg. Iul. de adult. Si verò vis illata non fuit præcisa, sed conditionalis, quamuis grauis, veluti mortis, seu cruciatus, tunc verè apostata, seu hæreticus dici non potest, cùm corde credat, & non adsit error pertinax, qui ipsum separare possit à communione fidelium, cap. non 5 De apostata per vim, aut per metũ.

solùm

Digitized by Google

solùm 85.11.*q*.3. Sanchez *lib*.2. *summæ*, *cap*.7.*n*.8. Ricciulus *d.lib.*6.*c.fin.* Peccat tamen ipse lethaliter, quia potiùs pati mortem deberet, quàm fidem abnegare, iuxta tradita *in d.c.sacris*: tum etiam quia licèt coactè neget, negat tamen, quia voluntas coacta, voluntas est, *c.maiores*, §.*fin. de baptismo*, *l.si patre*, *ff. de ritu nuptiar.* Quamuis enim nolit Christum abnegare, tamen eligit illum negare potiùs, quam pati pœnam comminatam, *c.non solùm*, 11.*q*.1. *c.qui meritò*, 15.*q*.1. Et quia Ecclesia non iudicat de occultis, *c*.1.*de clandest.despons.* ipsum in foro exteriori vt suspectum de hæresi punit, *can*. 2. *Apost.* ibi: *Si clericus ob metum Iudæi, Græci, vel hæretici negauerit nomen Christi, eijciatur; si nomen clerici, deponatur, sed post pœnitentiam vt laicus suscipiatur.* Concil. Ancyranum *can*. 4. *De his qui per vim immolarunt, & cœnam sumpserunt cum idolis, quicunque habitu meliore profecti sunt, & veste pretiosiore accubuerunt, annum audiant, triennium subijciantur, biennio tamen oratione tantùm communicent, postea vt in integrum restituantur.* Et can.6. *De his, qui minis punitionis, & ablationis bonorum, & exilij sacrificarunt, & ante hanc diem non eos pœnituerit, neque conuersi sunt, tempore autem huius Synodi reuerti cogitant: Placuit, vt hinc ad magnam diem Paschatis ad audiendum recipiantur; post eam diem triennio pœniteant subiecti, & post aliud biennium communicent in oratione sine oblatione: & ita in integrum restituantur sexennio completo. Si qui verò ante Synodum suscepti fuerunt ad pęnitentiam, ab eo tempore initium sexennij ducant. Si quod verò mortis periculum ex morbo, aliaue causa euenerit, recipiantur.* Et *c*.8. *Qui bis, vel ter per vim sacrificarunt, quadriennio subiecti pœniteant, biennio autem sine oblatione communicent, septimo integrè recipiantur.* Concil. Arelat. 2 *can*. 10. *De his qui in persecutione præuaricati sunt, si voluntariè fidem negauerint, hoc de eis Nicæna Synodus statuit, vt quinque annis inter catechumenos exeant, & duos inter discommunicantes, ita vt communionem inter pœnitentes non præsumant; in potestate tamen, vel arbitrio erit Episcopi, vt si eos ex animo errorem deflere, & agere pœnitentiam viderit, ad communionem pro ecclesiastica humanitate suscipere.* Et *c*.11. *Si qui verò dolore victi, & pondere persecutionis, negare, & sacrificare compulsi sunt, duobus annis inter cathecumenos, triennio inter pœnitentes habeantur à communione suspensi.* D. Basilius *ad Amphiloch. c*. 80. *Qui in barbarorum incursione fidem in Christum violarunt, factis sacramentis Gentilibus, & quibusdam nefarijs, quæ idolis magicis oblata sunt, ab eis gustatis, ij secundùm leges à Patribus iam editas, & canones dispensentur.*

6 De pœnis apostatarum. Deinde vt ad pœnas apostatarum perueniamus, sciendum est, tanta cum execratione tales desertores primis Ecclesiæ sęculis habitos fuisse, vt baptizatos ab eis iterum baptizandos esse asseruisset D. Basilius *ad Amphilochium can.* 1. & illis venia etiam in exitu vitæ denegabatur, vt refertur *in l*.3.*C.de apostatis*, & latè probaui *in cap*.1. *&* 26. *Concilij Illiber.* obserua uitque Albaspineus *lib*. 2. *obseru. cap*. 9. *cum duobus sequent.* & I. Gothofred. *in l*. 5. *C.Theodos. hoc tit.* Sed postea à Concilio Nicæno pęnitentia data fuit: & Syricius Pontif. *epist*.1.*ad Himerium Tarracon. Episcopum*, *c*.3. apostatis nullum pœnitentiæ tempus præscripsit, sed toto vitæ cursu eos pœnitentiam agere, & à sacra communione, præterquam in articulo mortis, arceri voluit. Deinde hæreticorum pœnis apostatæ puniuntur, *cap. contra*, *de hæretic. in* 6. Vnde cùm pœna capitis iure ciuili in hæreticos sancita fuisset, *l. Manichæos*, *l. Arriani*, *C. de hæreticis*, eadem in apostatas statuta fuit, *l*.5.*C.de apostatis*: itidem bonorum proscriptio, *l* 7.*C.Theodos.de Iudæis*: perpetua infamia inusti omni dignitate spoliantur, *l*. 1. *C. de fide testium*, *in Theodos.* priuantur vtraque testamenti factione, *l*.1. *&* 2. *C. Theodos. eod. tit.* & contra similes desertores fidei proceditur in Tribunalibus sanctæ Inquisitionis eodem modo ac contra hæreticos, concessa eis pœnitentia reuertentibus ad fidem Catholicam, & iniuncta pœnitentia per tempus congruum in carcere cum habitu, iuxta tradita suprà *in cap. excommunicamus*, §. 1. *de hæretic.* & si relapsi sunt in apostasiam, traduntur omninò brachio sæculari, vt pœna mortis afficiantur. Immò in his Tribunalibus Hispaniæ maior pars causarum fidei est apostatarum à religione, circa quos versatur eadem praxis, quam circa hæreticos retuli suprà *in titulo de hæretic.*

His suppositis, ratio præsentis decisionis ex eo prouenit, 7 Traditur ratio decidendi. quia qui post professionem fidei Catholicæ ritus Iudaicos, aut Paganos sectatur, tali commixtione polluit veram religionem, quam professus est, cùm simul vtramque religionem colere nequeat. Vnde rectè PP. Concilij Lateran. statuerunt in præsenti, vt talis obseruantia veteris ritus omni modo compescatur, vt quos Christianæ Religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in eius obseruatione conseruet, vt etiam dicitur *in cap.resuscitatus, de pœnit.dist*.1. & si lapsi fuerint, per pœnitentiam redeant ad fidem, & gratiam, quam amiserant, vt de D. Petro ait Sanctus Ambrosius *sermone* 47. ibi: *Fidelior factus est Petrus, postquam fidem spopondisse defleuit, atque ideò maiorem gratiam reperijt, quàm amisit.* Relatus *in cap. considerandum*, 50.*dist.cap.fidelior*, *eodem*.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa: nam licèt Patres Concilij Lateran. in præsenti non imponant pœnam 8 Dissoluitur dubitandi ratio, & varij canones recensentur. desertoribus fidei Catholicæ, & ritus Iudaicos, seu paganicos sectantibus; non negarunt tamen eos debitis pœnis puniendos esse, immò dum sanxerunt, similes apostatas cogendos esse per iudices ecclesiasticos, veteres ritus Gentilicos, seu Iudaicos abiurare, apertè supponunt debitis pœnis per sacros canones veteres, & nouos statutis compescendos esse, & cogendos Catholicam religionem, quam semel professi fuerunt, custodire, & retinere. Manet ergo, fidelibus Christianis non licere, postquam à Iudaica perfidia, seu Gentilismo ad fidem Catholicam peruenerunt, veteres ritus colere, aut ad pristinam superstitionem redire. Vnde in præsenti exponendi sunt textus *in canone* 1.2.3.46. *&* 55. *Concilij Illiber.* quorum interpretationem in eorum notis adduxi: & textus *in can*. 35. *Synodi Laodic.* in illis verbis: *Non oportet Christianos relinquere Ecclesiam Dei, & abire, atque angelos nominare, & conuentus facere; ad angulos idololatrię abominandæ congregationes facere. Si quis in ea idololatria reperiatur, anathema sit, quod reliquerit Dominum nostrum filium Dei pro idololatria.* Quem exposui *in c. conquestus*, *de ferijs*: & textus *in can*. 9. *Concilij Tolet*. 2. in illis verbis: *Ne Iudæi more suo celebrent Pascha, vel carnis circumcisionem exerceant.* Quem de Iudæis conuersis, & ad veteres ritus redeuntibus, exposui *in cap. Iudæi*, *de Iudæis*.

CAPVT V.

Archiepiscopo a *Tyrensi*.

A Nobis expetit tua fraternitas edoceri, quid de apostatis sit agendum, cùm in custodia detinentur, eo quòd *b* minis, vel blanditijs nullatenus possunt induci vt abiectum monachalem habitum reassumant. Ad quod tibi breuiter respondemus, quod tales, si volueris, potes sub graui custodia *c* carcerare, ita quod solummodò sibi vita misera reseruetur, donec à suæ præsumptionis nequitia resipiscant.

NOTÆ.

1 a *Tyrensi*.] In sexta collectione legitur *Turonensi*: sed in quinta compilatione Honorij III. habetur *Tyrensi*, ex qua inscriptionem, & litteram transcribo. De Metropoli Tyrensi nonnulla addixi *in cap*. 8. *de offic. Ordin.* in præsenti autem rescribit Honorius Archiepiscopo, quia fortè monachi illi, de quorum apostasia agitur, non erant exempti, immò potiùs eius iurisdictioni parebant.

b *Minis, & blanditijs*.] Quare apostatæ tam blanditijs, quàm rigore reuocandi sunt ad monasterium, vt doctè, & latè probat Theophilus Raynaudus *tom*. 17. *tract. de apostasia à religiosis ordinibus*, *cap*. 18. *per totum*. 2

c *Carcerare*.] Iuxta Ecclesiæ disciplinam, quam illustrabimus *in cap. nouimus*, *de V. S.*

CA-

CAPVT VI.

Archiepiscopo a Lundensi.

CONsultationi tuæ breuiter respondemus, quod monachus aliquem *b* ordinem in apostasia recipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit pœnitentiam, absque tamen dispensatione Romani Pontificis ministrare non potest in ordine suscepto.

NOTÆ.

a LVndensi.] In sexta collectione legitur *Lugdunensi*: sed ex quinta collectione Honorij III. ita restituo inscriptionem, & literam. De Lundensi Ecclesia nonnulla notaui *in cap. 2. de consuet.*

1 b *Sacrum ordinem.*] Non verò si minorem, vt vulgò creditum est, cùm præsens constitutio non sit amplianda contra expressa verba Honorij III. vt notarunt Theophilus Raynaudus *d.tract.de apostas.c.13.* Sanchez *lib.8. summæ, c.8.n.26.* Suarez *de censur. disp.31 sect.6. n.2.* Gibalinus *de clausura Regul.disquisit.2.c.3.§.4.* Agit item Honorius in præsenti de solis sacris ordinibus susceptis in apostasia, non autem de susceptis anterius; quare in illis ministrare poterit: & quia iuxta textum *in cap. cùm illorum, de sent.excom.* maiora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt minora, minusque est vti ordine, quàm promoueri ad superiorem ordinem; ideò plures, quos adducit, & sequitur Sanchez suprà, *num. 22.* inferunt ex hoc Honorij decreto, eum qui aliquem sacrum ordinem durante apostasia susceperit, prohiberi ascendere ad ordines superiores, nisi interueniat Papæ dispensatio: si autem nullum suscepit ordinem durante apostasia, poterit post reconciliationem, & postquam suæ religioni restitutus est, ad quoscunque ordines ascendere, nulla etiam interueniente dispensatione: docuerunt Theophilus, & Gibalinus *vbi suprà*, quia illi tantùm sunt prohibiti durante apostasia ad ordines promoueri, *cap.fin.50.dist.* nam decreta contraria Pauli IV. & Pij V. apostatas in perpetuum à quouis gradu ecclesiastico, & cuiusuis ordinis executione excludentia, Emmanuel Rodriguez *tom.2.summæ, cap.6. num.7.* negat fuisse recepta; præsertimque quod Paulus IV. etiam eos qui ex Apostolica concessione è monasterijs exijssent, eodem modo mulctabat, rescissum est à Pio IV. vt Onuphrius scribit *in addit. ad Platinam, in Pio IV.* Videndus Nauarrus *consil. vnic. de apostatis*, de vero sensu bullæ Pauli non parum anceps.

COMMENTARIVM.

2 *Traditur exclusio & probatur.* IN his duabus Decretalibus agitur de tertia apostasiæ specie, videlicet à religioso ordine; & communiter ex eis talis deducitur assertio: *Monachi deserentes habitum, & professionem sunt retrahendi, & carceri mancipandi, ac alijs pœnis puniendi donec habitum reassumant.* Probant eam textus *in cap. quidam monachi, 16.q.1.cap. propositum, cap. eos qui 20.q.3.* Concil. Arelat. 2. *can. 25.* ibi: *Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt, & postmodum pœnitentiæ remedia non requirunt, sine pœnitentia communionem penitus non accipiant.* Aquisgran. 2. *can. 3.* Tolet. 4. *can. 54.* *Non aliter & hi, qui à parentibus detonsi fuerunt, aut spontè sua amissis parentibus seipsos religioni deuouerunt, & postea habitum sæcularem sumpserunt, & ijdem à sacerdote comprehensi ad cultum religionis, acta priùs pœnitentia, reuocentur. Quod si conuerti non possunt, veluti apostatæ, anathematis sententiæ subijciantur.* Triburiense 1. *can. 26.* *Si quis monachus pro lucro animæ, vel animarum à suo monasterio exire, & aliud propositum intrare, consentientibus Episcopo, & Abbate, & Fratribus, consentimus, & concordamus, quia id fecisse multos Sanctos legimus. Si verò fuga regularis disciplinæ elapsus propositus sanctitatis calcauerit, omnimodis coercendus, & ab hominibus detestandus, atque omni honore est priuandus, vt saltem rubore verecundiæ confusus, & onere paupertatis afflictus redeat, quem relicta singularitatis professione inimicus tenebat. Si autem tam irreuerens, & pertinax est, vt ad monasterium redire, & propositum monachi reluctauerit obseruare, impleantur super eum constituta, quæ de ea scripta sunt in sancto canone Concilij Chalcedonensis, Sìricij Papæ, & Leonis, quatenus retrusus ergastulo, de quo erui tantùm possit pœnitudinis igne purgatorio.* Matiscon 1. *can.19.* Lugdun.2. sub Pelagio *can.3. anno 686.* Toletanum 6. *can. 5.* Tolet. 10. *can. 5. & 6.* ibi: *Quisquis vel abolitione tonsuræ, vel sæcularis vestis assumptione detectus fuerit attigisse transgressionem, & excommunicationem, censuram accipiat, & religioni semper adhæreat.* Concil. Vernense *can 4.* *His qui post euidentem professionem monasticum etiam habitum reliquerunt, vel qui sua culpa projciuntur: nisi redire, & quod Deo spoponderunt, implere consentiant, hoc credimus posse remedio subueniri, si in ergastulis inclusi tamdiù à conuentu hominum se abstineant, & pietatis intuitu conuenientibus macerentur operibus, donec sanitatem correctionis admittant.* Siricius Pontifex epistola ad Himerium Tarracon. Episcopum, de monachis apostatis, & coniugium ineuntibus ait: *Vbi tantùm facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subuenire.* Conc. Treuerense sub Ioanne eiusdem vrbis Archiepiscopo, *can.7.* Coloniense 4. *can. 1. 2. 3. & 4.* Magunt. 4. *can.78.* *De monachis vagabundis, qui iugum excusserunt, & desertis monasterijs, atque spreta suorum Prælatorum obedientia in sæculo versantur, iubemus vt hi diligenter inquirantur, & ad sua monasteria reuocentur, aliàs per censuræ ecclesiasticæ pœnas ad suas regulas, & sub Prælatorũ suorũ obedientiam retrudi curabimus.* Similia quoque sanxerunt suis legibus Imperatores *lib.4. Basilic. tit.1.c.11.* & *tit.9.c.4.* vt refert Balsamon *in nomocan. Phocij, tit.9.c.32.* alia Ant. Aug. *in epit. tit.31.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Turrianus *lib. 1. de votis monasticis, column. 1.* Crespetius *in summa, verbo Apostata à religione*, Auendaño *lib.2. de metu, cap. 10. nu.68.* Cironius *in notis ad 5. compil. in præsenti*, Gibalinus *de clausur. regul. 2. part. cap. 3. per totum*, Ricciulus *lib. 7. de iure person. cap. 1. 2. & 3.* Girago *de regimine regul. part 3. dub. 29.* Azor *tom. 1. instit. lib. 12. cap. 17. q. 6.* Fagundez *in secundo Eccles. præcep. cap. 5. num. 16.* Sanchez *lib. 6. in Decalog. cap. 8. num. 20.* Suarez *tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 10. num 3.* Theophil. Raynaudus *tom. 17. tract. de apostasia à relig. ordin. per tot.* Thomas Delbene *part. 2. de officio Inquisit. dub. 236.* Lezana *tom. 1. part. 1. cap. 16. num. 12.* Murga *tom. 2. disquisit. tract. disp. 1. dub. 6.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita argumentor. Apostatæ ita sunt noxij, & nociui religioni, vt meritò omnes religiosi gaudere possint, quod in sæculo separati ab eorum consortio degant, ideòque nec requirendi, nec retrahendi sunt; siquidem bonum commune monasterij labefectant, & ideò præferendum est bono singulari apostatæ, quod significauit sanctus Bonauentura *in lib. quæst. circa regul. sancti Francisci, quæst. 14.* vbi loquens de tali religioso, inquit: *Si Deo permittente talis seipsum eijceret, gratiæ sunt agendæ Deo, non quia ille peccauit, sed quia oues suas à pestifera contagione liberauit: vtinam abscindantur qui vos conturbant, scilicet puritatem vestram, pacem, & famam.* Ergo minus rectè in præsenti docetur, cogendos esse apostatas à religione redire ad monasterium, habitumque reassumere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam si iure communi possent Prælati regulares monachos apostatas retrahere, & carceri mancipare, frustra id concederetur specialibus priuilegijs quibusdam religionibus, argumento legis vnicæ, *Cod. de thesauris, lib.10.* Sed facultatem excommunicandi, & carcerandi apostatas legimus concessam Fratribus Minoribus ab Innocentio VIII. his verbis: *Generalis, & Prouincialis minister, & Custodes, & cæteri fratres Ordinis Minorum possunt apostatas, & insolentes dicti Ordinis excommunicare, ligare, & capere, etiam carceri mancipare, inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis.* Quod priuilegium, & aliud simile Clementis IV. referunt Casarrubios *in compend. priuil. Mendic. n.4.* Rodrig. *tom.1.qq.regul.q.3.art.6.* & simile priuilegium concessum fratribus Carmelit. refert Chopinus *lib.2.monast.tit.1.num. 38.* igitur quia iure communi non licet Prælatis Religionum apostatas carceri mancipare. 3 *Impugnatur hæc assertio.*

Qua

4 *De Apostasia à religione.* Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione, omissis quæ de monachis fugitiuis adduxi *in c. fin. de regul.* sciendum est, quod licèt rideant hi, quibus omnia sacra ludibrio sunt, apostatas dici monachos qui monasterium deseruerunt; verius tamen est, quod exemplo eorum qui discedunt à fide Catholica, etiam desertores religiosæ militiæ rectè apostatæ dicuntur. Concil. Tolet. 4. *can.* 54. ibi: *De his, qui ex monachis præuaricatores laici facti sunt, quod si admoniti non reuertantur, vt verè apostatæ coram Ecclesia anathematis sententia condemnentur.* Arelat. 2. *can.* 25. *Hi qui post sanctam religionis professionem apostatant, & ad sæculum redeunt.* Gofridus Vindoc. *lib.* 2. *epist.* 4. *De clericis quidem dicimus, qui & religionis habitum abiecerunt, & in ipsa apostasia diu morantes, illicitis se contagionibus commiscuerunt.* Notauit Bosq. ad Innoc. III. *lib.* 2. *epist.* 94. Apostasia hæc committitur per defectionem à statu religioso per substantialia vota inito: tamen defectio sufficiens sit, non constat apud Doctores, vt videre est ex traditis à Ricciulo *d. lib.* 7. *c.* 1. & 2. Gibalino *d. c.* 3. §. 2. Theophilo *d. tract. de apost.* ex quorum veriori doctrina sequentes casus sunt distinguendi. Primus est, cùm quis manens in religione, & cum ipso habitu, proponit, & profert se amplius nolle manere in religione; adhuc enim apostata non est, vt docet Nauarr. *ad hunc tit. consil. vnic. n.* 4. Exigitur enim, vt recessus fiat non proposito tantùm, & voluntate, sed etiam de facto à Religionis septis: quo nomine intelligitur totus ambitus domus religiosæ, etiam horti, vt docent Lessius *lib.* 1. *de iustit. c.* 41. *n.* 109. Fagundez *in* 2. *præcept. lib.* 8. *c.* 5. *n.* 1. Secundus casus est, cùm quis egressus est è septis monasterij, retento tamen habitu. Et negarunt tantùm recessum illum sufficere ad apostasiam, Nauarr. *ad hunc tit. consil.* 10. Calderin. *consil.* 1. *de apostatis*, Graffis *p.* 1. *decis. lib.* 3. *c.* 26 *nu.* 10. etsi parum sibi constans *c.* 27 *nu.* 7. & alij relati à Ricciulo *d. c.* 1. sed nonnulli asseruerunt, similem recessum etiam cum abiectione habitus non sufficere, nisi fiat animo nunquam redeundi ad monasterium: ita Ricciulus *suprà*, Caietanus *in summa, verbo Apostasia*. Et certè qui retento habitu religioso fugit ad sæculum animo ibi hærendi, propriè, & simpliciter est apostata, vt pluribus relatis docent Suarez *d. lib.* 3. *c.* 1. *n.* 13. & *d. c.* 5. *à num.* 25. Tamburinus *de iure Abbatum, tom.* 3. *disp.* 8. *quæsit.* 1. *n.* 12. Sanchez *d. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 4. Azor *p.* 1. *instit. lib.* 12. *c.* 17. *q.* 6. Valentia 2. 2. *disp.* 1. *q.* 12 *p.* 1. Theophilus Raynaud. *tom.* 18 *fol.* 170. quia nihil refert ad declinandam apostasiæ labem, quod habitum quis retineat exterius, si reuera iugum animo excutiat eo perfecto modo, qui est apostasiæ intrinsecus. Accedit & illa ratio, quia sicut habitus non facit monachum, *cap. porrectum, cap. ex parte, de regul. c. consuluit, qui clerici, vel vouent.* ita habitus conseruatio non facit, vt quis censeatur intra religionem esse. Nec interest, quod animum habeat redeundi, si per moram notabilem diuagatio extra septa monasterij fiat, vt docuit Tamburin. *d. quæsit.* 1. *n.* 13. nam retrocessio à statu religioso per aliquod tempus notabile, est vera defectio ab illo statu, alioquin religiosus, qui militiæ nomen daret, reuersurus ad monasterium post aliquot annos, non esset apostata; quod nemo affirmauit, vt considerant Theophilus *suprà, c.* 1. Gibalinus *d. c.* 3. qui admissa hac sententia differentiam assignant inter apostasiam monachi, & fugam, quam & nos agnouimus *in cap. fin. de regul.* Manet ergo, apostasiam à religioso ordine, de qua in præsenti agimus, consistere in excussione iugi religiosi perpetua, aut aliquatenus notabiliter diuturna. Vnde infertur, transeuntem ad religionem etiam laxiorem, non esse apostatam, vt probat Ricciulus *d. lib.* 8. *cap.* 4. *per totum*: nec etiam eum qui defert habitum, sed operum vestibus alijs, vt contra Ricciulum probat Theophilus *d. cap.* 1 Gibalinus *d. cap.* 3. §. 2. *consectar.* 1. Similiter religiosus ad triremes damnatus, si fugiat non animo vagandi, sed vt Pontificem, aliumue superiorem adeat, & quandam rationem ineat liberandi se à tam graui supplicio, non creditur apostata, vt alijs relatis resoluit Gibalin. *d. cap.* 3 §. 2. *consectar.* 5.

5 *De grauitate huius apostasiæ.* Deinde sciendum est, peccatum hoc apostasiæ à religioso statu adeo tetrum & horrendum esse, vt vix hæresi excepta, aliud maius sit: præterquam enim quod sordet labe sacrilegij, & conculcationis primæ fidei Christo datæ ineundo statum religiosum, variorum etiam peccatorum colluuiem secum continet, vt fusè, & per partes probat Theophilus *d. tract. de apostasia, c.* 7. 8. & 9. vnde D. Augustinus *epist.* 137. testatur se, sicut neminem in Ecclesia agnouit virtutibus micantiorem ijs, qui in monasterijs degerent piè, & ex præscripto legum sacrarum vitam exigerent; ita neminem reperisse vitiosiorem ijs, qui è monasterijs defecissent, & ad sæculum, cui calces illiserant, reuertissent. Verè ac sapienter sanctus Anselmus *lib.* 3. *epist.* 13 ad quendam in suo instituto labentem monachum dixit: *Nihil salubrius potuisti incipere, nihil periculosius potes relinquere.* Et Petrus Blesens. *epist.* 3 ait: *Quid est claustralem redire ad sæculum, nisi habitatorem cœli cadere in infernum?* Plura de huius peccati atrocitate, & infamibus consectarijs congesserunt Turrianus *lib.* 1. *de votis monast.* Theophilus *d. tom.* 17. *tract. de apostasia, c.* 8. & 9. Vnde cognoscitur, quàm impudenter horrifica illa verba aeri infestando sufficientia protulerit Vuiclessus, vt refertur in Concilio Constantiensi *sess.* 8. *art.* 35. *Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad seruandum diuina præcepta, & per consequens ad perueniendum ad regna cœlorum, nisi apostatauerint ab ijsdem.* Et similiter Marcus Antonius de Dominis religiosus apostata, & fidei desertor ex dementiæ prolapsus est, vt ex instituto probare contenderit *in lib.* 1. *de Republic. Eccles. c.* 12. *n.* 44. apostatam à religioso ordine nulla pœna dignum esse.

Deinde vt ad pœnas apostatarum perueniamus, sciendum est quod iure ciuili attento, vt cauetur *d. lib.* 4. *Basilic.* monachus qui monasterium reliquit, & ad sæcularem vitam transijt, militia, & honore, atque omnibus quæ possidet, nudatus, ab Episcopo loci & prouinciæ Præside in monasterium truditur, ad quod etiam pertinebunt bona, quæ ipsum habere contigerit: quod si secundò monasterium reliquerit, prouinciæ Præses ipsum retinet inter apparitores suos: & eodem titulo *c.* 4. sancitur, quod seruus factus monachus, si deinde dimisso monasterio ad sæculum redierit, propriæ, & antiquæ conditioni, ac fortunæ tradatur. Et *c.* 19. statuitur, vt filijfamilias monachi, qui aliàs exhæredari non poterant, sed ex testamento, & ab intestato succedere parentibus poterant, si ad sæculum redierint, omnia eorum iura ad Ecclesiam, & monasterium pertineant. Refert Balsamon *in Nomocan. Photij, tit.* 9. *c.* 12. Iure verò canonico inspecto, licèt durante apostasia excommunicandi sint apostatæ, vt ad monasterium redeant, ex varijs canonibus suprà adductis, & interim irregulares sint, *c. fin.* 50. *dist.* atque si ad sacros ordines accedant, suspensionem incurrant, ex præsenti textu; tamen purgata apostasia per pœnitentiam, & reconciliationem, nulla pœna afficiuntur: & licèt nonnulli excommunicationem latæ sententiæ apostatis constitutam esse contendant, vt Azor *p.* 1. *instit. lib.* 12. *c.* 17. *q.* 6. Rebuffus *in praxi, tit. de dispens. cum regul. n.* 43. Zerola *in praxi, verbo Apostata, n.* 2. contrarium tamen verius docuerunt Suarez *de censur. disp.* 31. *sect.* 6. *n.* 1. Sanchez *d. lib.* 6. *summæ, c.* 8. *n.* 20. Gibalinus *d. c.* 3. §. 4. *n.* 30. Theophilus *d. tract. de apostasia, c.* 13 nam *in d. c.* 2 *ne clerici vel monach. lib.* 6. non agitur de apostasia, sed de temeraria habitus dimissione facta ad liberè euagandum, etiam absque apostasia: & excommunicatio statuta in varijs canonibus suprà relatis, & in Concilio Andegauensi, seu Turonensi celebrato sub Nicolao II. anno 160. Præside Stephano Cardinali A. S. L. *can.* 10. ibi: *Quicunque monasticæ religionis desertor inuentus fuerit, à regno Dei, & à Christianorum consortio sicut apostata excludatur, & alienus existat, donec resipiscens dignè pœniteat.* Ea, inquam, excommunicatio est sententiæ ferendæ, vt per eam cogantur apostatæ redire ad religionem; sed dum reuersi fuerint, pristinæ communioni restituuntur. Alij etiam volunt, apostatas ipso facto iuris infamia notari, *ex c. alieni* 2. *q.* 7. sed ibi de omni apostasia agitur, etiam quæ est à fide, nec inuritur pœna infamiæ ante sententiam iudicis. Verum tamen est, apostatam infamia facti notari, vt docuit Petrus Blesensis *epist.* 86. ibi: *Enorme dispendium tuæ opinionis æquanimiter tolerare non possum; factus enim es fabula in Clero, & in plebe ludibrium: purientium desæuit in te linguarum procacitas, & qui te comedunt, non dormiunt: si te laueris nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith, non auferetur à te macula præuaricationis tuæ: verumtamen non reputas iniuriam damnum famæ.* Deinde Rebuffus *in praxi, tit. de dispens. cum regular.* Oldradus *consil.* 184. docent apostatas etiam resipiscentes perpetuò inhabiles manere ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas, moti auctoritate textus *in Clement.* 2. *de vita & honest. cler.* Sed licèt ea pœna à Clemente in eo textu non satis expressè statuatur, tamen rationi valdè consentaneum est, vt huiusmodi desertores, etsi resipuerint, à beneficijs, & dignitatibus eccle-

6 *De pœnis apostatarum.*

ecclesiasticis arceantur, vt egregiè expressit sanctus Augustin. *epist. 73. ad Aurelium*, relatus à Gratiano *in cap. legi 16. qu. 1.* & in Concilio Rauennat. *rubric.* 22. decernitur apostatarum à religiosis ordinibus inhabilitas ad dignitates quascunque ecclesiasticas, & beneficia. Tandem alij ex eo, quod Concil. Trid *sess. 25. de regul. c. 29.* statuat eos, qui intendentes professionem suam nullam esse, recedunt à religione dimisso habitu, puniendos esse vt apostatas, & nullo religionis suæ priuilegio potiri debere, inferunt nullum à religione apostatam gaudere religionis suæ priuilegijs: sed non rectè id deducunt ex eo textu, siquidem in pœnalibus nulla extensio fit, immò etiam durante apostasia desertor fruitur priuilegijs religiosi, quia per apostasiam non desinit esse religiosus: & ita priuilegio fori gaudere, nec à iudice sæculari puniri posse, post longam disputationem docuit Auendaño *de metu lib. 2. cap. 10. nu. 70.* illis tamen apostatis à religioso statu peculiares pœnæ ex indultis, & priuilegijs apostolicis religionibus concessis iniunguntur, vt refert Rodriguez *tom. 1. qq. reg. q. 30. art. 6.* & si illi matrimonium contraxerint, puniuntur per Inquisitores hereticę prauitatis. Ob solam autem apostasiam eorum iurisdictioni non subsunt, vt resoluunt Bordonus *tom. 1. sacri Tribun. cap. 9. sect. 2. n. 27.* Salleles *tom. 1. de mator. Tribun. lib. 1. cap. 12. regul. 108.*

7 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis, ratio præsentis assertionis, quare videlicet Prælati possint monachos apostatas retrahere, & carceri mancipare, donec habitum reassumant, prouenit ex eo, quia quilibet potest propria auctoritate rem suam, vbicunque illam repererit, vindicare, *l. si quis vi 17. §. differentia, ff. de acquir. possess.* & seruum fugitiuum dominus capere poterit vbicunque fuerit repertus, *l. 1. §. per seruum, ff. eod. tit.* quod etiam docetur de ancilla fugiente, & extra prouinciam reperta, *in l. 1. C. vbi de causa status*: & qui curiæ, seu cohorti obligatus fugerit, capi potest auctoritate curiæ, & cohortis, cui est obnoxius, *l. 1 Cod. vbi de curialibus*, Vnde cùm religiosi sint obnoxij religioni, & virtute professionis, in eius potestatem transierint, possunt retrahi, & repeti per proprium Prælatum, & carceri mancipari: quam detrusionem in carcerem Honorius in præsenti decreuit, quia veteres religionum Fundatores, & Patriarchæ ea pœna, seu potiùs medicina vsi fuerunt, Potho Abbas carceri mancipabat omnes apostasiam molientes, vt refertur *in epist. 72 Hadriani Papæ, ad Carolum Magnum*. & ita faciendum esse in contumaces apostatas, probauit Christus Dominus apud Sanctam Hildegardam *lib. 2. visione 6. n.* 50. Insigneque est in hac parte exemplum S. Romualdi, qui in patrem suum Sergium factum monachum, cum accepisset meditari apostasiam, ea pœna vsus fuit, vt refert Petrus Damianus *in gestis sancti Romualdi, cap. 13.* qui cum præmisisset capite antecedenti. missos ad eum Rauenna nuncios de patris delirio, & concepta apostasia, ait: *Non equo fultus, non vehiculo deportatus, sed solùm in manu ferens baculum, nudis plantis, ex intimis Galliarum finibus Rauennam vsque peruenit, ibique patrem ad sæculum reuerti volentem reperiens, in ligno pedes eius fortiter strinxit, grauibus eum vinculis alligauit, verberibus duris afflixit, & tamdiu corpus eius pia seueritate perdomuit, donec eius mentem ad salutis statum Deo mediante reduxit.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam licèt dubitent Doctores, an Prælati regulares teneantur requirere apostatas, & ad religionem reuocare, vt videre est apud Suarez *tom. 4. de relig. lib. 3. tract. 8. c. 2. n.* 17. Giragum *de regim. regular. dubit* 29. Layman *lib. 4. summæ, tract. 5. c. 13.* veriustamen est, teneri, *ex cap. fin. de regul.* iunctis ibi adductis, nisi ita perniciosus sit monachus cæteris fratribus, vt ob eius crimina, & incorrigibilitatem eijciendus sit à monasterio: quo casu requirendus non est, & iuxta eum accipio auctoritatem sancti Bonauent. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis; nam licèt iure communi ex ratione proximè tradita possint Prælati requirere, & retrahere monachos apostatas, tamen in odium ipsorum desertorum indulserunt Pontifices varijs Religionibus, vt possint eos carceri mancipare, & excommunicare, inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis; & ita superflua non sunt dicta priuilegia. 8 *Dissoluitur dubitandi ratio.*

T I T V L V S X.

De his qui filios occiderunt.

C A P V T P R I M V M.

Alexander III. a *Tornacensi Episcopo*.

VEniens ad nos M. mulier lacrymabili nobis confessione monstrauit, quod cùm de quodam filium genuisset, & ille sibi sæpe turgido vultu improperasset, quod filius eius non esset, ipsa *b* iracundiæ calore ducta, eundem filium interfecit. Quo comperto Comes Flandrensis eam totam terram vsque ad septennium *c* abiurare coegit, nisi de nostra licentia remaneret. Cùmque se nostro aspectui præsentasset, & quod crucem accepisset Hierosolymam profectura, nobis assertione sua proposuisset, nos eam quia in partibus illis præsentia sua non posset esse vtilis, sed damnosa, à Hierosolymitano itinere reuocantes, ipsam f. t. duximus remittendam, præsentium tibi auctoritate mandantes, quatenus eam labores inducere, vt ad aliquod monasterium *d* transeat, *e* in quo peccata sua perpetua pœnitentia deploret. Si autem (repugnante carnis fragilitate) ad hoc induci noluerit, ei licentiam in Domino nubendi tribuas: quia tutius nobis videtur, vt in Domino nubat vni soli, quàm inhonestè multos admittat.

N O T Æ.

1 a TOrnacensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. post Concil. autem Lateran. sub Alexandro III. *p. 50. cap.* 12. vbi reperitur textus hic, & citatur *ex lib. 1. regestri Alex.* desideratur inscriptio. De Tornacensi Ecclesia egi *in cap. 2. de rescript.*

b *Iracundiæ calore.*] Licèt in maleficijs iracundia non excuset, *l. 5. C. de iniurijs, l. perspiciendum 11. l. aut facta 26. §. euentus, ff. de pœnis*; tamen per impetum doloris, seu iustum dolorem delictum admissum quandoque mitius punitur, *l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad leg. Iul. de adult.*

c *Abiurare.*] Idest in exilium temporale missa est per septennium: de qua pœna egi *in cap. 1. de calumniator.* 2

d *Transeat.*] Non vt monialis, sed vt detrusa in monasterium pœnitentiæ peragendæ causa, iuxta tradita *in cap. 1. de regul.*

e *In Domino nubat.*] Verba hæc exposui *in cap. 2. de secundis nupt.*

C A P V T II.

Lucius III. a *Parisiensi Episcopo*.

INtelleximus ex litteris tuis, quod cùm M. mulier latrix præsentium filiam prauam haberet, diabolico furore accensa tandem ipsam, suggerente eo qui de fidelium perditione lætatur, lethali

lethali

Digitized by Google

thali vulnère iugulauit, propter quod Dominus terræ *b* maritum eius, & ipsam compulit abiurare. Quia verò illam *c* habere filios intimasti, vnde circa eius exilium debeat dispensari: nos de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, eam tuæ duximus prudentiæ remittendam, per A. S. mandantes, quat. ita super hoc prouideas, quod sui sceleris pœnam luat, & saluti eius, & filiorum ipsius per tuam prouidentiam in Domino consulatur: & non obstante iuramento prædicto, quod ab ipsa dictus Dominus proponitur extorsisse, eam sicut expedire videris, viro, & rebus suis restituas, ita quod filios suos liberè possis, & pacificè gubernare.

NOTÆ.

1 a PArisiensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & post Conc. Later. *p.* 50. *cap.* 25. De Parisiensi Ecclesia egi *in cap. fin. de rescript.*

2 b *Maritum.*] Quia apud Catholicos exulem coniugem coniux sequi tenetur, vt probat D. Nicolaus Antonius *de exilio lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 22.

c *Habere filios.*] Liberorum enim ratione mitiùs agendum est cum delinquente, *l. vnic. §. si plures, ff. de portion. quæ liberis damnat.* Faciunt textus *in l. qui in prouincia, §. D. Marcus, ff. de ritu nupt. cap. quia circa, de consanguin. & affin.* Illustrat Tiraquel. *De pœnis temper. causa* 26. 3

CAPVT III.

a Alexander III.

DE infantibus autem qui mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non apparet vtrum à patre, vel à matre oppressus sit ipse, vel propria morte defunctus, non debent inde securi esse parentes, nec sine pœnitentia; sed tamen consideratio debet esse pietatis, vbi non voluntas, sed euentus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se grauiter deliquisse: quod *b* Ancyritano Concilio probatur. Quidam autem pœnitentiam trium annorum iudicant esse debere, quorum vnum peragant in *c* pane, & aqua.

NOTÆ.

1 a ALexander III.] Ità etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex: & ex priotibus huius textus verbis deduci videtur, in præsenti referri partem Decretalis, cuius principium alibi extat: verba autem in præsenti transcripta reperiuntur apud Burchardum *lib.* 17. *cap* 59. & citantur ex Concilio Paris. *can.* 5. & in Pœnitentiali Romano *tit.* 1. *cap.* 30. ita habetur: *Inuenisti infantem iuxta te oppressum, vbi tu, & vir tuus simul in lecto iacuistis, & non apparuit vtrum à patre, seu à te suffocatus esset, non debetis securi esse, nec esse sine pœnitentia: sed tamen in his magna consideratio debet esse pietatis, vbi nulla mala voluntas fuit, sed propria mors: tamen propter negligentiam quadraginta dies debetis pœnitere. Si autem vos non latet interfectores esse infantis, non voluntate, sed negligentia, tres annos pęnitere debetis, vnum ex his in pane & aqua; & tempore pœnitudinis ab omni luxuria vos custodire debetis.* Ideòque existimo verba in præsenti relata Alexandrum accepisse *ex d. can.* 5. *Concil. Paris.*

2 b *Ancyritano.*] Apud Burchardum legitur *Ancyrano*, & verè, licèt Concilium hoc à Gratiano appelletur Ancyritanum, ab alijs Anquiranum; sed verè appellandum est *Ancyranum*, Ancyra enim est ciuitas Orientis, in prouincia Gallaciæ, diœceseos modò Assianæ, modò Ponticæ, vbi Imperatores Orientis sæpe constitisse apparet ex subscriptionibus legis *quisquis, C. ad leg. Iul. maiest.* legis 8. *Cod. Theodos. quorum appell. non recip.* legis 76. *de Decur. eod. C.* legis finalis *de prædijs Senator. eod. C.* legis 1. *eod. C. ne quis in palat. maneat, l.* 18. *eod C. de Palatinis sacr. largit.* Immò vrbem illam in delicijs Eutropio fuisse, qui ipse in delicijs Arcadio fuerat, testis est Claudianus *lib.* 2. *in Eutrop.*

Ad muros Ancyra tuos auctore reperto
Eutropio, pelagi ne tædia longa subiret,
Sed vaga lasciuis flueret discursibus ætas.

Notauit I. Gothofredus *in opusc. ad dictam leg. quisquis, cap.* 3. *n.* 2. Ibi celebrata fuit Synodus Ancyrana temporibus Syluestri, anno 314. vt vult Baronius *eod. an.* seu vt credit Bucherus *lib.* 10. *Belgij-Roman. c.* 13. anno 358. In qua Synodo canone 21. de mulieribus quæ partus suos necant, cauetur: *De mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant: sed & de his quæ agunt secum, vt vtero conceptus excutiatur, antiqua quidem definitio est, vsque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia remoueri. Humanius autem nunc definimus, vt eis decem annorum tempus tribuatur.* Qui canon repetitus extat in Concilio Magunt. sub Rabano *can.* 21.

3 c *Pane, & aqua.*] Quam pœnitentiam carinam veteres Ecclesiæ Patres appellarunt, vt probaui *in c.* 2. *de spons. duor. cap. accusasti, de accusat.* Aliquando in præsenti casu pœnitentia alia imponitur parentibus, vt probatur *in c.* 7. *de pœnit. & remiss.* Et pœnitentiam iniungendam esse tanquam pro homicidio non spontè admisso, cauetur in Concilio Tribur. *can.* 53. ibi: *Si quis filium suum (quod absit) non sponte, sed casu contingente occiderit, secundùm homicidia non sponte commissa pœniteat.* Et in *can.* 37. non dissimilis casus filij occisi per iniuriam matris ita deciditur: *Si qua mulier, vt sæpe contingit, infantem proprium propè ignem collocauerit, & alius qui caldarium super ipsum ignem pependerit, & aquam infuderit, atque aqua ipsa per ignem feruens egreditur, & infanti superfunditur, & propterea mortuus agitur, mater infantis propter negligentiam iudicio sacerdotum pœniteat: & homo, qui caldarium pependit, securus permaneat. Simili modo de cæteris similibus, quæ sæpe diuersè solent euenire, & iudicamus, & esse volumus.* Et *lib.* 4. *Capitul. Caroli, cap.* 297. ac in canonibus Isaaci Lingon. Episc. *tit.* 2. *c.* 14. ita legitur: *Mulier quæ dormiens filium suum oppresserit, & mortuus fuerit, sex annis pœniteat: vir eius si in domo fuit, quatuor; si verò in vno lecto, simili modo pœniteat, quos cum pane & aqua, reliquos quatuor secundùm quod sacerdos viderit, abstinentiam imponat ciborum.* Vvormat. tempore Hadriani II. *Mulieres, quæ ante temporis plenitudinem conceptos vtero infantes voluntate excutiunt, vt homicidæ procul dubio iudicandæ sunt; illæ verò quæ dormiendo filios suffocare videntur, leuiter de his iudicare oporteat, quia nolentes, & non sentiendo ad hunc deuolutæ sunt casum.*

COMMENTARIVM.

IN his tribus decisionibus agitur de patribus, qui filios suos voluntate aut casu occiderunt: nulla verò sub hoc titulo extat constitutio de filijs parricidis parentum fata properantibus; quia fortè Ecclesiæ patribus visum fuit de parentum cæde tacendum: quo consilio eam Solon in suis legibus præterijt, velut scelus incredibile, & vltra audaciam positum, ne vindicando ostenderet committi posse, vt ait Seneca *lib.* 1. *de clementia*, & ante eum notauit Cicero pro Roscio Amerino. Apud Romanos verò, cùm hoc delictum non insolitum esset, vindicari cœpit varijs pœnis, legibus Cornelia de sicarijs, & Pompeia de parricidijs, quas eruditè exposuerunt, & illustrarunt perdocti viri, Academiæ nostræ decus D. Ioannes de Solorzano, & D. Ioannes Ramos *in opusc. ad leg. Pompeiam de parricid.* ex exteris Lælius Mancinus *lib.* 1. *de trip. iuris collat. cap.* 38. Vasconcellos *lib.* 3. *respons. cap.* 6. Ant. Matthæus *de crimin. tit. de lege Pompeia*, & alij criminalistæ. Arniseus *lib.* 1. *de repub. cap.* 4. *sect.* 1. Sauarus *ad Sidon. lib.* 4. *epist.* 23. Baronius *in martyr. die* 2. *April.* ad quam legem Pomp. spectant lex 11. §. 1. *de his qui notant. infam.* 4

infam. lex *Stichus, ff. de pœnis*. Tantùm ergo in præsenti agendum est de parentibus contra votum naturæ filiorum fata properantibus, & de pœnis quibus ex vtroque iure ob filijcidium afficiuntur.

Et vt de patribus filios occidentibus priùs agamus,
5 De patre filium occidente. sciendum est inter alia patriæ potestatis iura, quæ integris libris congesserunt, & illustrarunt Paschal. *de viribus patriæ potest.* Acacius Ripol. *de priuil. parent.* Asconius Clemens *in tract. de patria potest.* Forcatul. *in neciom. dialog.* 15. Arias Pinell. *in rubric. de bonis matern.* 2. *part.* Oroz. *lib.* 5. *de apicibus iur. c.* 13. Osualdus *lib.* 2. *Donel. cap.* 25. illud maximum fuisse, vt parentes vitæ, necisque potestatem in liberos haberent; quod ius lege Regia inductum, vt refert Halicarnasseus *lib.* 2. *pag.* 97. & 98. & testatur Papinianus *lib. singul. de adulter.* apud Petrum Pitheum *in collat. legum Mosaic. tit.* 4. ibi: *Cùm patri lex Regia dederit in filiam vitæ, necisque potestatem:* moribus receptum, testantibus Vlpiano *in l.* 8. *ff. de his qui sunt sui*, Constantino *in l.* 2. *C. Theodos. de liberali causa*; tandem in 12. Tabulis approbatum, & repetitum fuit in tabul. 4. de patrio iure, illis verbis: *Endo liberis iustis ius vitæ, necis, venundandique potestas ei esto.* Cuius veteris iuris vestigia extant in libris Pandectarum, *in l. suis* 21. *ff. de lib. & posth. l. pater* 20. *ff. ad leg. Iul. de adult. l. fi. C. de patriæ potest. l.* 2. *C. Theodos. de liber. causa*, & innuitur *in l.* 1. *ff. ad l. Pompeiam*, iuncto Cuiacio *lib.* 5. *obseru. c.* 17. & *ad tit. C. de patria potest.* & satis ius illud expressit Petronius *in epigram. post Satyr.*

Et pater es dictus patriæ dignissimus, Iuli:
Qui tibi longæuam vitam abstulit, est quoque dictus
Ipse pater patriæ. Dic Phœbus adhæreas vtri?
Vtrique: hoc patris est vitam dare, patris & hoc est
Romani, si quam potuit dare, demere vitam
Posse etiam natis: vitam dedit alter, at alter
Vitam adimit: patriæ pater est sic dictus vterque.

Illustrant vltrà suprà laudatos, Samuel Petitus *ad ius Atticum lib.* 2. *tit.* 4. Balduin. *ad lege Romuli, c.* 17. Arnisеus *d. c.* 3. *sect.* 2. *per totam*, Gentilis *de bonis matern. c.* 2. Narbona *de ętate ad actus humanos, anno* 1. *q.* 8. & *anno* 3. *q.* 2 Petr. Gregor. *lib.* 12. *syntagm. c.* 8. Forner. *lib.* 2. *rer. quotid. cap.* 1. & 3. & *in l.* 135. *ff. de V. S.* Hunnius *lib.* 1. *variar. tract.* 2. *q.* 15. & *in encyclop.* 1. *p. tit.* 10. Auendaño *de metu, lib.* 2. *c.* 1. Vvisembech. *disp.* 6. *thesi* 9. Et in hac parte obseruandi sunt textus *in l.* 3. *§. videri, ff. de bonis eorum qui sibi mortem, l.* 2. *ff. ad l. Cornel. de sicarijs, l.* 1. *§.* 1. *ff. de obsequijs, leg. Diuus* 5. *ff. ad l. Pompeium, l. hos accusare, §.* 4. *ff. de accusat. iuncta l.* 7. *ff. de capite minut. l. minimè* 35. *ff. de relig. iuncta l. vlt. de iustit. & iur.* adhibitis Durantio *lib.* 2. *variar. c.* 2. Forner. *lib.* 2. *rer. quotid. c.* 16. *l. Diuus* 15. *ff. de pœnis, iuncta l. penult. ff. ad l. Corn. l. liberorum* 1. *§. fin. ff. de his, qui notant. infam.* Nec desunt exempla parentum, qui hac facultate vsi fuerunt. Plura referunt Rauisius Textorius *lib.* 4. *officinæ, cap.* 4. Solorzanus *de parricid. cap.* 7. D. Ioannes Ramos *de pęna parricid. lib.* 8. *fol.* 486. Nec tantùm ius hoc concessum fuit patribus in filios naturales, verùm & in adoptiuos, vt constat ex epigrammate Petronij suprà relato. Vnde cùm Aulus Gellius *lib.* 5. *noct. Attic. cap.* 1. tradit formam adrogationis, ait: *Adrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. Eius rogationis verba hęc sunt: Velitis, iubeatis, vti L. Valerius Lucio Titio tam iure, quàm lege filius sit, quàm si ex eo patre, matreque filius natus esset, vtique ei vitæ, necisque in eum potestas sit.* Cicero *in oratione pro domo sua*, ibi: *Credo enim, quamquam in illa adoptione legitimè factum est, nihil tamen te esse interrogatum, auctor ne esses, vt in te P. Fonteius vitæ, necisque potestatem haberet, vt in filio.* Romulus autem non omnes filios permisit æqualiter occidere; nam triennio minores impunè parentes non occidebant, quia in tam tenera ætate nulla iusta necis causa dari poterat, quæ ipsius morte vlcisci mereretur, vt aiebat Ouidius.

Quid puer admisit tam paucis editus horis?
Quo læsit facto vix bene natus auum?

Illustrant Narbona *de ætate ad actus humanos, anno* 3. *q.* 2. nisi essent monstrosi, aut deformes, quos non solùm pater occidere poterat, verùm & citò necare cogebatur, *ex l.* 12. *Tabul. d. Tabul.* 4. ibi: *Pater insignem ob deformitatem puerum citò necato.* Et similem legem refert Aristot. *lib.* 7. *polit. cap.* 16. Facit Q. Curtius *lib.* 9. ibi: *Si quos segnes, aut aliqua parte inutiles notauerunt, necare iubent.* Talia enim monstra liberi non sunt, *l. non sunt* 14. *ff. de statu hominum, l. quod dicitur* 12. *§.* 1. *ff. de liber. & posthum. l. ostensum* 58. *ff. de V. S.* de quarum conciliatione cum lege *quæret* 135. *ff. de V. S.* videndi sunt Luna, & Arellanus *lib.* 2. *de rationis Imperio, c.* 5. Balduin. *ad ll. Romuli, c.* 18. Olano *lib.* 3. *Paralip. c.* 3. Hunnius *ad Treutl. vol.* 1. D. Ioseph Retes *lib.* 1. *opuscul.* Torreblanca *lib.* 5. *de iure spirit. c.* 8. Meril. *lib.* 1. *obseru. cap.* 33.

Sed cùm patria potestas in pietate debeat, non in atro- 6 De eadē patris potestate.
citate consistere, teste Marciano *in l. Diuus, ff. ad l. Pompeiam, l. fin. ff. si quis à parente, l.* 3. *C. de patria potest.* adempta fuit Patribus prædicta potestas: & licèt emendatio iure patriæ potestatis illi permittatur, atrox tamen animaduersio, quæ nec dominis in seruos permittitur, patribus denegatur, *l.* 3. *C. de patria potest. l. vnic. Cod. de his, qui patres, aut filios occiderunt, leg. vnic. C. de emend. propinquorum, l.* 8. & 9. *tit.* 8. *p.* 6. immò si filius proteruus, contumaxque sit, debet eum puniendum iudici tradere, vt lege veteri cautum legimus, *cap.* 19. *Deuteron.* & iure ciuili receptum, *l. milites, §. desertorem, ff. de re milit. leg. nec* 9. *§.* 3. *ff. de offic. Proconf. l.* 1. *in princ. §.* 2. *ff. de obseq. l. propter* 14. *C. de his qui accusare, lib.* 10. *Basilic. tit.* 33. *l.* 2. *ff. ad l. Cornel. de sicarijs*, quam exposui *in cap.* 1. *de causa possess.* Illustrant latè Solorzan. *de parricidijs c.* 8. D. Ioannes Ramos *d. lib.* 8. *per totum.* Vnde prædicta facultate patribus adempta cœperunt ob filijcidium puniri ordinaria homicidij pœna vsque ad tempora Constantini, qui extraordinariam equulei pœnam statuit, ita vt parricidij crimen ex lege Pompeia etiam ad ascendentes filios, aut nepotes occidentes protraheretur, *l. vnic. C. de his, qui patres aut filios occid. l. vnic. C. Theodos. de parricid.* quam Constantini sanctionem firmauit Iustin. *in §. alia, Instit. de public. iudic.* Alfonsus noster *in l.* 12. *tit.* 8. *p.* 7. latè illustrant D. Io. Ramos *d. lib.* 8. Solorzan. *de parric. c.* 12.

Circa matrem, & auum maternum certum omni tem- 7 De Matre filium occidẽte.
pore fuit, nunquam illis ius vitæ, ac necis in filios fuisse, *l. illud* 4. *§.* 2. *ff. de bonor. possess. contra tabul. l. nulla* 13. *ff. de suis & legit. hæred. l. si pater* 11. *§.* 1. *l. Diuus* 15. *§. matri, & §. idem* 5. *ff. ad l. Cornel. de falsis*; ideòque mater filium occidens lege Pompeia de parricidijs tenetur, *l.* 1. *ff. ad leg. Pompeiam*, ibi: *Sed si & mater filium, filiamve occiderit, eius legis pœna afficitur: & auus, qui nepotem occiderit, pœna eius legis tenetur.* Illustrant Solorzanus *de parricidijs cap.* 7. D. Ioannes Ramos *de pęna parricidij, lib.* 7. *per tot.* & huius delicti mentio fit in his tribus Decretalibus, & varijs Conciliorum canonibus, quia frequentiùs euenire solet, vt matres filios suos interficiant, partim incuria, partim odio, partim ob luxuriam. Tædio enim est ijs filios numerosiùs augere, cùm non pro filijs habendis matrimonium, sed libidinis explendæ causa contrahunt; ideò eas capitali pęna plecti voluit Recharedus, vt constat *ex can.* 17. *Concilij Tolet.* 3. Non solùm autem mater, quæ filios suos interemit gladio, & vi; verùm & quæ potionibus, & venenis, ac alijs prauis artibus necem filijs procurauit, punitur, vt aborsum faciendo, *cap. consuluisti* 2. *q.* 5. 6. Synodo Trul. *can.* 91. D. Basilius *ad Amphiloc. can.* 2. iuxta distinctionem fętus animati, vel inanimati, quam dabimus in *cap. sicut* 5. *infra, de homicid.* quibus in casibus mater pęna parricidij tenetur, *l. vnic. C. de his qui parentes, vel filios.* Quare Minutius Felix in Octauiano hoc crimen parricidium dixit, ibi: *Sunt quæ in ipsis visceribus originem futuri hominis extinguunt, parricidium faciunt antequam pariant.* Rectè ergo iuxta hucusque tradita matribus, quæ filios occiderunt, pęnitentia imponitur; non tamen sacri Canones ampliùs progrediuntur, cùm incruentum imperium Ecclesia habeat, vt ait Gregorius Nazianzenus *in epist. quadam ad Africanum.*

TITVLVS XI.

De Infantibus, & languidis expositis.

CAPVT PRIMVM.

a Gregorius IX.

SI à patre, siue alio b sciente ipso, aut ratum habente (relegato pietatis c officio) infans expositus extitit, hoc ipso à potestate fuit patria liberatus. Nam in hoc casu in ingenuitatem libertus, & seruus d in libertatem eripitur. Quod & de prædictis cuiuscumque ætatis e languidis, si expositi fuerint, vel si alicui eorum alimenta impiè negari contigerit, est dicendum. Sanè qui hoc suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis ius aliquod vindicare.

NOTÆ.

a GRegorius IX.] Qui vt fuit iuris ciuilis peritissimus, nonnullas edidit constitutiones ex visceribus iuris ciuilis depromptas, in hoc volumine transcriptas inter quas vt præcipua recensetur præsens, quam deduxit ex nouis constitutionibus Iustiniani relatis *in l. penult. & vlt. C. de infantib. expositis*, eamque edidit.

b *Sciente.*] Secus verò si ignorante, vt *in l. vxorem 29. ff. de manumiss. testam.*

1 c *Pietatis officio.*] Et amoris naturalis de quo egi *in cap. 2. de præsumpt.* quare iure naturæ tenentur parentes liberos educare, illisque alimenta præstare, *l. 3. §. ius naturale, ff. de iust. & iure, l. Nesenuius 34. ff. de negot. gest. leg. alimenta 11. C. eod. l. capite*, aliàs *qui liberos, ff. de ritu nupt. l. si quis ad liberos, §. 1. l. 4. ff. de liber. agnosc. l. 3. & 4. C. de alend. liber. l. vnic. §. taceat, vers. Sileat, C. de rei vxor. act. l. fi. §. ipsum, & §. filij autem, C. de bonis quæ liber*, probaui *in cap. cùm haberet, de eo, qui duxit in matrimon*, atque ideò contra naturales stimulos facere dicitur, qui tuendi, & educandi filij curam detrectat, *in l. amicissimos 36. §. 1. in fi. ff. de excusat. tut.* nam cum omni generi animantium primò hoc sit à natura tributum, vt se, vitam, corpusque tueatur, vt eleganter prodidit Cicero, cuius sententia comprobata extat *in l. 3. ff. de iust. & iur.* & qui liberorum educationi non studet, sospitantemque eorum non curat, prolem propriam necare dicatur *in l necare, 4. ff. de lib. agnosc. l. vlt. tit. 20. p. 4.* Illustrant Faber *in Papin. tit. 5. princip. 2. illat. 8. & tit. 8. princ. 5. illat. 2*, Osuald. *lib. 2. Douel. c. 24. littera B, & lib. 14. c. 27. litt. I*, Forner. *lib. 2. rer. quotid. c. 20.* Menoch. *de arbitr. casu 396.* Petr. Gregor. *lib. 11. syntagm. c. 10. & lib. 15. c. 28. à n. 5.* Lara *de Capellanijs, lib 1. c. 21. à n. 67.* & eleganter Gratianus *to. 2. discept. c. 267.* Carranza *de partu, c. 4. n. 56.* Ideo rectè Gregorius in præsenti ait, patrem filium exponendo, relegato pietatis officio procedere. Accedit, nam vt ait Lactantius *lib. 6. diuin. instit. cap. 20. tam nefarium*, inquit, *est exponere, quàm necare*; immò Iustinianus similes patres tantò peiores homicidis iudicat *in nouel. 153.* quantò miseriores sunt hi, in quos crudelitatem exercent: & certè qui exponit, parum est vt videatur occidere, cum raró contingat, vt expositi viuant, vt ait Quintilian. *declam. 306. Nec enim per eos stetit, quin morerentur, nisi misericordia diuina erepti fuissent.* Vnde ait Clemens Alexandrinus *in eclogis*, partus & infantes expositos, angelis curandos & tractandos committi. Hinc apud Tacitum *lib. 5. hist.* necare pro exponere dicitur, vbi Lipsius pro *agnatis, gnatis* legit. Illustrant Bernegerus *in Tacit. q. 111.* Forner. *lib. 1. rer. quotid. c. 20.* & Patres exponentes filios absque extrema necessitate, peccare lethaliter, probant Fragoso *p. 3. de regim. lib. 1. disp. 2. §. 3.*

2 d *Serui libertatem.*] Hi pridem ex edicto Claudij Imperatoris Latinam libertatem assequebantur, idest in libertate morabantur, dum viuerent: eorum verò cum mortui essent, bona patronus vindicabat. Sueton. ibi: *Cùm quidam ægra, & affecta mancipia in insulam Æsculapij tædio medendi exponerentur, liberos esse sanxit; nec redire in ditionem domini, si conualuissent. Et l. 2. ff. qui sine manumissione, l. 2. § sed scimus, C. de Latina libert.* Vnde credi potest Tribonianum *in l 2. C. qui sine manumissione ad libert.* Latinæ libertatis mentionem sustulisse, quia sublata fuerat dicta constitutione legis vnicæ Latina libertas.

3 e *Languidis.*] *L. 9. §. si ipse seruus, ff. de peculio.* Osualdus *lib. 2. comment. Donel. c. 26. littera A*, Cabedo *dec. 187. n. 6. & 7.* immo etsi seruus sanus à domino pro derelicto habeatur, efficitur liber, si prius se occupet gerendo se pro libero. Gloss. 1. & ibi Salicet. *in d. l. vnic. §. sed si scimus, C. de Latina libert.* nam si prior dominus, vel alius prius occupet, occupanti acquiritur, *l. vlt. ff. pro derelicto*, si autem Dominus seruum pro capitali culpa captum negligat, seu eum non defendat, non ideò dereliquisse eum videtur, immò si absolutus fuerit, ad eiusdem dominium reuertitur, *l. seruus, ff. de statu hominum, l. sciendum, ff. de public. iudic.* Cabedo *decis. 186. n. 8.* Vt enim per derelictionem amittatur dominium rei mobilis, desideratur factum abiectionis, quod sit contrarium retentioni simul cum animo amittendi dominium, *l. quemadmodum 38. §. 1. ff. de noxal. leg. quod seruus 36. ff. de stipul. seruor. l. 1. & 2. pro derelicto*, vbi notat Cuiac. *lib. 54. Pauli ad edictum, & lib. 21. obseru. cap* 8. Connanus *lib. 3. comment. c. 3.* Donell. *lib. 4. c. 13.* in qua parte obseruandi sunt textus *in l. 2. §. vlt. l. qui leuandæ 8. ff. ad leg. Rhodiam, l. interdum 21. §. 1. & seq. ff. de acquir. possess. l. si seruus 13. de statu hominum, l. ille 9. ff. qui & à quibus, leg. sciendum 9. ff. de public. iud. l. vlt. ff. de euict. l. 2. de sentent. passis, l. sed etsi 5. quæ in fraudem credit. leg. nemini 24. C. de Episc. aud. l. 20. ff. ex quibus causis maiores, l. 43. §. 4. cum seq. ff. de furt. l. penult. ff. de rerum diuis. leg. 36. ff. de stipul. seruor. l. 45.* iuncto Cuiac. ibi: *de vsucap. l. 28. §. fin autem, C. de Episc. & cler. l. 7. §. 1. ff. de damno infect. l. si quis decedens, §. qui verò, ff. de solutionib.*

COMMMENTARIVM.

EX hac Gregorij constitutione talem deduco assertionem: *Pater exponens filios amittit ius patriæ potestatis, suscipientes verò eos nullum ius in eorum personas acquirunt.* Probant eam textus *in l. 2. 3. 4. C. hoc tit. l. nemini, 20. C. de Episc. aud. l. nutritoribus, C. communia de success. l. vnic. §. sed scimus, C. de latina libert.* Consonant de iure Regio lex 1. *cum seq. tit. 23. lib. 4. fori*, lex 4. *tit. 20. par. 4.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Acuña, Turrisćremata, & Dartis *in cap. si expositus, 87. dist.* Cuiac. *ad tit. C. de infantibus exposit. & lib. 16. obseru. c. 36.* Forner. *lib. 2. rer. quotid. c. 20* Balduin. *ad leges Romuli, cap. 18.* Faber *lib. 2. coniect. cap. 10.* Velascus *de priuil. pauper. 2. p. quæst. 65. per totam*, D Ioannes Vela *de delictis, cap. 9.* quem transcripsit Otero *p. 3 diuersarum quæstionum, q. 11. num. 3.* Decianus *lib. 9. tract. crimin. cap. 8.* Petrus Gregor. *lib. 15. syntagm. cap. 28. & lib 3. de repub. cap. 3. & lib. 4. part. tit. 13. cap. 3. num. 75.* Filesacus *de orig. parricid. cap. 4. fol. 647.* Bignonius *in notis ad Marculf. fol. 613.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 7. quæst. 32.* Lindembrog. *in Glossario, verbo Expositi*, Coruinus *lib. 4. Aphorism iur. Pontif. tit. 12.* Reuard. *lib. 1. coniect. cap. 17. & lib. 3. cap. 1.* Solorzanus *de parricid lib. 2. cap. 5.* Moronus *respons. 66.* Anton. August. *lib. 14. epit. iur. tit. 19.* Fragoso *par. 3. de regim. Christ. Reipub. lib. 1. disput. 2. §. 3.* Berneger. *in qq ad Tacitum, q. 111.* Barbos. *de potest. Epis. alleg. 51. & lib. 2. iuris ecclesi. c. 3.* Ant. Matthæus *de crimin. ad lib. 47. tit. vlt. c. 2.* D. Ioannes Ramos *de pena parricid. lib. 7. in princ. & lib. 8. pag. 476.* I. Gothofred. *ad tit. Cod. Theodos. de expositis*, eius Pater *in l. 4. C. de lib. agnoscend.* Carranza *de partu, c. 4. n. 38.* Cuiac. *lib. 16. obseru. c. 36.* Lara *de Capellan. lib. 1. cap. 21. n. 66.* Osualdus *lib. 2. Donel. cap. 26. litt. F.* 4

Sed hæc assertio tam in prima, quàm secunda eius parte difficilis redditur sequentibus iuris considerationibus. 5 Prima nascitur ex eo, nam inter præcipuos patriæ potestatis effectus ille recensetur, videlicet vt pater consensum præstet nuptijs filiorum, *l. Paulus, ff. de statu hominum, §. 1. Instit.*

Digitized by Google

Instit. de nupt. fusè probaui in c. 1. de despons. impub. Sed in nuptijs filiæ expositæ desideratur consensus patris exponentis, l. patrem, 16. de nupt. Igitur quia parentes filios exponentes non amittunt patriam potestatem Faciunt text. in l. vxor. 29. ff. de manum. testam. l. 1. §. si quis 2. ff. de iuris, & facti ignor. Accedit nam Patres iure communi attento iam ex lege Romuli in 12. Tabulis translata, ius habent vendendi, seu oppignorandi filios, l. fin. C. de patr. pot. & l. 1. C. de patribus qui filios distraxerāt; immò si eo miseriatum ducti sunt, vt aliter viuere non possint, filiorum carnibus vesci posse, constat ex l. 8. tit. 17. p. 4. Casegua el fuero real de España, siendo el padre cercado en algua Castillo, que touiesse de Señor, si fuesse tan cuidado de fambre, que no huuiesse al que comer, puede comer al fijo sin mal estanza. Facit textus in c. 6. lib. 4. Reg. Eleganter D. Hieron. lib. 3. super Amos, ibi: Nihil enim fame durius, quæ sæpè compellit obsessos humanis vesci carnibus, & in suam sæuire naturam; ita vt neque parentes paruulis liberis parcant, & maritalis affectus vxoris dudum amatæ membra dilaceret. Igitur si pater filium vendere, immò & illius vesci carnibus impunè potest, multò magis illi licebit filium exponere. Secunda etiā pars assertionis, vbi docetur, alentem filium expositum nullum ius in eum consequi, difficilis redditur ex eo, nam siue ius ciuile, siue Pontificium attendamus, is qui filium expositum aluit, potest illum retinere vt filium, vel vt seruum, l. 1. C. Theodos. de expositis, vbi Constantinus statuit, vt cuiuscunque conditionis esset is, qui expositus fuisset, dominio eius cederet qui sustulisset, & eiusdem arbitratu, vel tanquam ingenuum, vel tanquam setuum posse retinere: Additur in l. 2. C. eod. tit. Si modò testes Episcopalis subscriptio fuerit subsequuta; idest, si de hac re contestatio habita est, ne vlla penitùs ad securitatem possit esse cunctatio: nam ex hac contestatione apparebat, eum collegisse expositum non malo more, aut mala fide quæsiuisse & captasse (de quo captandi more inter alia vide Tertulliani locum lib. 1. ad nationes, c. 16.) Iuxta quas legitimas sanctiones idem sanxerunt Patres Synodi Arelat. 2. can. 32. ibi: Si expositus ante Ecclesiam cuiuscunque fuerit miseratione collectus, contestationis ponat epistolam, & si is, qui collectus est, intra decem dies quæsitus, agnitusque non fuerit, securus habeat qui collegit. Sanè qui post prædictum tēpus calumniator extiterit, vt homicida ecclesiastica districtione damnabitur, sicut Patrum sanxit auctoritas. Refertur lib. 6. Capitul. Carol. c. 142. & in Conc. Vasensi can. 9. ibi: De expositis, quia collata ab omnibus querela processit, eos non misericordiæ iam, sed canibus exponi, quos colligere calumniarum metu, quamuis infelix à præceptis misericordiæ mens humana detrectet, id obseruandum est, vt secundùm statuta fidelissimorum Augustorum, pijssimorumque Principum, quisquis expositum colliget, Ecclesiam contestetur, post contestationem colligat; nihilominus de altari Dominico die minister annuatiet ab ecclesiastico expositum esse collectum, vt intra dies decem ab expositionis die expositam recipiat. Si quis se probauerit agnouisse, collectori pro ipsorum decem dierum misericordia, prout valuerit, ad præsens retribuat; aut in perpetuum cum Dei gratia, si voluerit, possideat. Si quis expositorum hoc ordine collectorum repetitor, vel calumniator extiterit, vt homicida habendus est. Ad quod ius collecti & distracti infantis expositi spectat vetus formula, quæ reperitur inter veteres formulas editas a Lindembrogio, & Bignonio ordine 11. in hæc verba: Nos quoque in Dei nomine, in matriculari Sancti illius, dum matutinis horis ad ostia ipsius Ecclesiæ obseruanda conuenissemus, ibique infantulum sanguinolentum periculo mortis imminentē, pannis inuolutum inuenissemus, ipsum per triduum, seu amplius, apud plures hominum inquisiuimus, quis suum esse diceret, & non inuenimus: cui nomen ipsum imposuimus, sed postea pietate interueniente, & Domini misericordia opitulante, ipsum infantulum homini alicui nomine illo ad nutriēdum dedimus, vt si Deo præside conualuerit, ipsum in suis seruitijs, ac solatijs secundùm legis ordinem retineat. Pro quo pretium accepimus, in quod nobis bene complacuit, valens sol. tantos, & vt præsens epistola firmiter sit, manibus proprijs eam subterfirmauimus, & bonis hominibus roborandam decreuimus secundùm sententiam illam, quæ data est ex corpore Theodosiani, lib. 5. dicentem: Si quis infantem à sanguine emerit, si nutritum domiaus, vel pater eum recipere voluerit, aut eiusdem meriti mancipium, aut pretium, nutritor quantum valuerit, consequatur. Similem formulam refert Cuiac. ad Paulum lib. 5. sentent. tit. 1. Igitur non rectè in præsenti asseritur, suscipientes infantes expositos nullum ius in eorum personis acquirere.

6 Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est vetustissimum fuisse diuersarum nationum morem exponendi infantes; nam apud Hebræos vsum illum inualuisse, constat ex sacra pagina, Exodi, c. 22. Ioseph. lib. 2. antiq. c. 5. Philone lib. 2. de vita Moysis, vbi de Moyse exposito agitur: & de Ezechiele Propheta refert Clemens Alexandrinus lib. 1. strom. ibi: Mater, quæ me peperit, abscondit me tres menses, vt dixi: cùm autem latere non possem, exposuit. Atheniensibus non tam moribus, quàm lege receptum fuisse filios exponere, ex Aristot. lib. 7. polit. c. 16. tradit Samuel Petit. ad leg. Attic. lib. 2. tit. 4. De Græcis idem constat ex Diodoro Siculo lib. 5. Bibliotb. c. 6. Seneca in Thebaid. vbi de Oedippo ait:

De expositis apud varias gentes.

——Testes damnauit pareas,
Et in alta nemora pabulum misit feris
Auidis, auibusque, quas Cytharon noxius
Alit.

Terentio in Menandro, acta 4. scena 1. Æliano lib. 2. var. hist. c. 17. De Romanis, & alijs idem referunt Iustin. lib. 1. & 41. Herodot. in Clio, Valer. Maxim. lib. 1. c. 7. Ælian. lib. 12. variæ hist. c. 42. Liu. lib. 1. Dionys. Halicarnass. lib. 1. Plutarch. in Romulo, & de Fortitudine Romana Plin. lib. 14. c. 18. Manil. lib. 4. Astron. Constantinus Manasses annal. pag. 42. Strabo lib. 5. Geograph. Varro lib. 2. de re rust. verbo Ruminalis. Plerumque autem exponebantur in mari, aut flumine. Ezechiel Tragicus in Isagoge de precept. Pharaonis, ibi, Deinde iussit, vt Hebræorum gens masculos iaceret in profundum fluuium. Ouidius lib. 3. Fastor.

Amne iubes mergi geminos, scelus inde refugit:
In sicca pueri destituuntur humo.

Aut in deserta loca: idem Ouidius epist. 11.

Iamque dari paruum canibusque, auibusque nepotem
Iusserat, in solis destituique locis.

Exponebantur etiam in rupibus, aut sub arboribus: & qui relictos inueniebant, aut credebant, aut fingebant ex Silice excussos, aut sub arborum corticibus conceptos. Allusit illa, quæ in Ænean accensa profatur, precaturque apud Virgil. lib. 4. Æneid. ibi:

Nec tibi Diua parens generis, nec Dardanus auctor,
Perfide; sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanæque admorunt vbera tigres.

Ita ludunt Poetæ, ita casum attollunt. Statius Thebaid. de pueto regio:

Non tibi digna puer generis cunabula tanti
Gramineos dedit herba toros, & vimine querno
Texta domus, clausa arbutei sub cortice libri.
Membra tepent.

Et qui liberos exponebant, ijs crepundia nonnunquam appendebant, & annulos inserebant, quibus posteà à suis agnoscerentur. Terent. Heautont. actu 4. scena 1.

——Vt stultæ & miseræ omnes sumus
Religiosa; cùm exponendam do, illi de digito annulum
Detraho, & ei dico, vt vna cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

Plautus in Rudente.

Cistellam istic inesse oportet caudeam in isto vidulo,
Vbi sunt signa, queis, parens noscere hæc possit suos,
Quibusdam parua perijt Athenis, sicut dixi priùs.

Notauit Petauius in notis ad oran. 16. Themistij. Et expositis nutriendis locum amplissimum ædificasse Traianum in monte Cælio, refert Sabellicus in eius vita, vbi erat columna lactarea in foro olitorio ad exponendos infantes, vt referunt Festus Pompeius lib. 10. Alexan. ab Alex. lib. 2. dier. genial. c. 12. Ex quibus & alijs notarunt Reuard. lib. 1. coniect. c. 17. Solorz. de parricid. lib. 2. c. 5. Escobar de ratioc. c. 25. n. 46. Gratian. to. 2. discept. c. 267. Beyerlinck to. 3. theatri, v. Expositi. Apud Catholicos infantes exponuntur ad valuas Ecclesiæ. Conc. Matiscon. can. 6. apud Burchardum lib. 3. c. 200. Carnotensem par. 3. cap. 252. ibi: Vt vnusquisque presbyter in sua plebe publicè annuntiet, vt si aliqua fœmina clanculo correpta conceperit, nequaquam filium, aut filiam suam interficiat, sed quocumque præualet ingenio, ante ianuas Ecclesiæ partum deportari, ibique poni faciat, vt coram sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur, & enutriatur. Et l. vlt. C. hoc tit. Et apud Græcos infantes recens natos à matribus in Ecclesiarum atrijs exponi solitos, probat Balsamon in can. 33. epist. D. Basilij ad Amphiloc. & constat ex lib. 3. iuris Græco-Roman. ad calcem, n. 2. ibi: Illud quæritur, an sint puniendæ, quæ proprios

filios inatrijs, & aditibus Ecclesiarum exponunt? Tandem synodali sententia responsum est, mulieres istas, vt homicidas puniri, etsi infantes ab aliquibus educentur. Modus exponendi apud antiquos erat in vasculo ex papyro facto, ac bitumine illito infantem apponere, seu in cantharis, vt probant Demsterus *lib.1.ad Rosin.c.1.* Auendaño *de metu, lib.2.c.30.* Ne verò periculo euasi, grandiores facti amitterentur à parentibus, solebant veteres notas quasdam eorum corporibus imprimere. Iustin. *lib.44.* ibi: *Tunc & linteamentorum similitudine, & notis corporis, quæ inustæ paruulo fuerant, nepos agnitus.* Immò ne priuarentur omni modo bonis paternis, in corbe aliqua pretiosa exponebantur. Plautus suprà *act.1.* Terent. *in Heautont.act.4.sc.1.*

Cùm exponendam do, illi de digito annulum
Detrabo, & ei dico, vt vnà cum puella exponeret,
Si moreretur, ne expers partis esset de nostris bonis.

7 De prohibita filiorum expositione. Verùm hanc filiorum expositionem improbarunt Thebani, lege lata ne liceret ciuis ciui exponere infantes, nec in solitudine abijcere, pœna capitis adiecta, teste Æliano *lib.2.var.hist.c.7.* quem refert Nouarin. *lib.6. aquæ nupt.c.55.* Nec minus Romulus lata lege vetuit. Liu. *lib.1.* nisi monstrosi essent, quia vt ait Seneca *lib.5. controu.3.* *Nascuntur quidam aliqua parte corporis mutilati, infirmi, & in nullam spem idonei.* Et expressius rationem reddit *lib.1.de ira, c.15.* ibi: *Liberos quoque, si debiles, monstrosique editi sunt, mergimus: non ira, sed ratio est, à sanis inutilia secernere.* Illustrat D. Ioseph de Retes *lib.1.opusc.c.1.* Ex lege etiam Romuli licebat filias exponere, quia magis quàm filij familiam grauabant, vt constat ex Halicarnasseo *lib.2.c.15.* ibi: *His institutis Romulus ciuitatem æquè bello, ac paci reddidit habilem; magnitudini verò eius, ac frequentiæ ita consuluit: primò necessitatem colonis imposuit educandi quidquid esset masculum, & ex filiabus primogenitas.* Ergo cæteras permisit necare, vel exponere. Rationem exponit vetus Poeta Menander apud Stobæum *in florilegio tit.77.* versus sunt iuxta vulgarem versionem Latinam:

Filia molestum, incommodumque peculium est:
Quamtumvis inopes filios tollunt omnes,
At filias exponunt etiam diuites.

Quam Romuli legem illustrant eius politicam rationem reddentes, Petr. Gregor. *lib.15. de repub.c.15.ex n.16.* Philippus Beroaldus *ad Apuleium lib.10. de asino aureo,* latè Carranza *de partu,c.4.de partu exposito, ex n.28.* & Iustinian. *in nouell 153.* hanc expositionem execratur asserens, exponentium crudelitatem tantò deteriorem homicidio, quantò in calamitosiores exerceatur. Hinc *in l.3.tit.2, lib.3.fori, l.4.tit.20.p.4.* cauetur: *Que todo home que desechare niño alguno, ò no huuiere quien le tome para criar, ò muriere, el que lo echo, muera por ello; ca pues el hico cosa porque muriesse, tanto es como si lo matase.*

8 Traditur ratio decidendi. His suppositis apparet ratio præsentis constitutionis; nam cùm cunctis animantibus à natura insita sit propensio quædam ad educandos fœtus, teste Tullio de natura Deorum; quam propensionem stimulum vocat Iustinian. *in l.vnic.§ sileat, C.de rei vxor. act.* illustrat Plutarch. *in lib. de vera Philosoph.* Fauorin. apud Gell. *lib.12. noctium c.1.* probaui *in c.2. de conuers. infid.* ideòqui contra hanc naturalem propensionem filios exponunt, amittunt patriam potestatem, quia filium suum dicere non possunt eum, quem pereuntem contempserunt, *l.2. C. hoc tit.* Sed nec collectores, & educatores ius vllum dominij, aut parentis in eos, velut in filios, aut seruos habere possunt. Non domini, quia etsi pro seruo expositum habuerint, assertio tamen non denegatur ei, qui ex huiusmodi causa in libertatem vindicatur, nec ipsa libertas redimitur pretio alimentorum, vt Traianus Plinio rescribit *lib.10.epist.72.* facit lex *1.§.1. vers. At si quis, ff. de iuris, & facti ignor.* iuncto Cuiac. *lib.44. Pauli ad edict. ibi, columm.3.in princ.* Non patris, quia talis educatio pro adoptione non cedit: & si susceptor filij loco expositum aluerit, alimenta tamen repetere potest, *l.1. C. hoc tit. l.4.§.si minor, ff. de doli mali except.* Quintil. *declamat.278.* vbi de filio exposito, ac tandem à patre naturali agnito disserens ait: *Vis scire quam pater non fueris? Recipere illum nisi solutis alimentis non potuisti.* Quod procedit nisi educator furis animo sustulerit, *l.1.& 3.C.hoc tit. nouell.153. Iustin.* vel si pietatis tantùm respectu alimenta præstiterit sine spe restitutionis, quo casu omnem cessare restitutionem, constat *ex l. duob. 27.l. Nesennius 34.ff.de negot.gest.l.cùm is qui 32 §.penult. ff.de condict.indeb.* vel si pater ita pauper sit, vt non habeat vnde alimentorum impensam soluat, quia tunc ea perdet qui expositum sustulit, *l.sin autem 27.§.fin.cum ll.seqq.l.in fundo 38.ff.de R.V.* Manent ergo filij expositi liberi prorsus ab omni potestate, & quoad statum habentur pro legitimis, eò quòd in meliorem partem præsumendum sit, cùm non tantùm spurij, sed & legitimi nati exponi soleant idque etiam historiæ summis viris contigisse memorant, veluti Moysi, Cyro, Paridi, Oedippo, atque etiam Reginæ Babyloniorum Semiramidi. Nec solus pudor, aut infamiæ metus expositionis causa est, sed & necessitas aliqua, aut instans periculum, aut egestas extrema. Cùm igitur quamplures causæ sint, cur non eam capiemus, quæ fauet conditioni expositorum. Ideò communior & pia sententia fert, filios expositos censeri legitimos quoad dignitates, & sacros ordines: & ita Gregorius XIV. in Bulla edita anno 1591. Docent Paleotus *de notbis. & spurijs,c.63.* Maiolus *de irreg.lib.1.c.11.* plures congesti à Barbosa *in collect. & 6.to. in select. in præsentem rubric. & de potest.Episc. alleg. 51.n.149.* Lara *de vita hominis, c.7.n.50.* Castillo *to.6. controu.c.124.n.21.* Carranza *de partu,c.4.n.49* Ricciul. *de iure person.de neophytis,c.7.* Frances *de Ecclesf.Cathed.c.28.à n.105.* etsi contrarium teneant plures, quos sequitur Escobar *de purit.1.p.q.8.§.3 n.38.* Sunt tamen expositi incapaces officiorum sanctæ Inquisitionis, Ecclesiarum, & Collegiorum, vbi adsunt statuta requirentia qualitatem puri sanguinis, seu nobilitatis, vt probant Lara *de Capellanijs lib.2.c.4.n.37.* Gratian. *discept forens. to.2. c.267. n.26.* Escobar *de purit sang.p.1.q.8.§.3. per tot.* Acuña *in c.si expositus,n.2.dist.87.* quia licèt in dubio expositi boni præsumantur, hæc præsumptio nihil operatur, quando certa qualitas ab statuto requiritur, quia non sufficit quod qualitas adsit præsumptiuè, sed debet probari. Lara *d.c.4.n.39.* Velasc. *de priuil. pauper. p.2. q.65. n.200.* etsi contrarium probet Diana *p.10. tract.16. resol.96. per totam.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius expositione sciendum est, olim magnam fuisse quæstionem, vt inquit Plinius *lib.10.epist.72.* circa statum eorum, qui expositi fuerant, & ab aliquo suscepti, & educati reperiebantur: & Traianus in rescripto quod extat apud eundem *dict. epist.72.* ad consultationem ipsius Plinij, qui Consulatum in Bithynia obtinebat, rescribit, similes expositos, licèt in seruitute fuissent educati, in pristinum tamen, quo nati erant, libertatis statum asserendos, cùm æquum non esset, libertatem, quæ inæstimabilis est, pretio alimentorum redimi. At hoc rescriptum ad solam Bithyniam pertinuit, & fortè aliæ prouinciæ alio iure vtebantur, ex constitutionibus anterioribus Imperatoris Constantini, qui *in l.1. C.Theodos. hoc tit. l.vnic. C.Theodos.de his qui sanguinolentos acceperunt,* constituit vt cuiuscumque conditionis esset is, qui expositus fuisset, dominio eius cederet qui sustulisset, & eiusdem arbitratu, vel tanquam ingenuum, vel tanquam seruum posse retineri: quam legem primam intelligendam quidam existimarunt quoties educator expositum de voluntate domini, vel patris collegerit. Quare illa verba, *quicunque puerum, vel puellam proiectam de domo patris, vel domini, voluntate, scientiaque collegerit,* ita interpungenda credit Cironius *in parat. ad hunc tit.* vt post verbum, *scientiaque,* apponatur virgula: quasi dicat Constantinus, vt quicunque collegerit puerum, vel puellam proiectam de domo patris, vel domini, voluntate, scientiaque, pro filio, aut seruo habere possit. Faciunt Firmicus *lib.7.c.1.* *Expositi nutriuntur laqueis seruilibus implicati.* Seneca *controu.33.* *Expositi in nullo numero serui sunt, hoc legum latori visum est.* Verùm Iustinianus *in dict. leg.vlt. C. hoc titulo. Nouella 153* ab hoc iure recessit, & constituit eos, qui sic collecti essent, in libertatem vindicandos, etiamsi serui nati essent, nec in his ius vllum educatoribus quæri, ne quasi mercimonio contracto viderentur pietatis officium gessisse. Præcipuè quia plerique infantes excipiebantur, & colligebantur non tam obtentu misericordiæ, quàm vt posteà ætate prouecti ad quæstum meretricium, & profanum adhiberentur: quod insectatur Iustinus Martyr *in apolog.2. ad Antoninum Pium,* ibi: *Primùm quidem, quòd omnes ferè videamus ad quæstum meretricium educari, atque produci, non puellas modò, sed & masculos expositos.* Similiter Gregorius in præsenti abrogauit ius antiquum Concilij Vasensis, & Arelatensis, & statuit vt pater, qui neglecto pietatis officio liberos exposuerit, patria potestate cadat, nec qui eos suscipit, aliquod ius in eis acquirat: & ita iuxta hanc temporum distinctionem exponendi sunt canones 9 Dissoluitur dubitandi ratio.

nes suprà relati, & similiter textus *in d. l. patrem*, *16. C. de nupt.* quæ procedit ante nouam constitutionem Iustiniani, vt docuit Cuiac. *lib. 16. obser. c. 36.* etsi ipse aliter textum eum accipiat ad titulum Codicis *de nuptijs, & infantibus, exposit.* & vetus formula, quæ extat post formulas Marculfi, edita à Bignonio, & suprà relata.

10 Adhuc suprà traditæ assertioni opponi potest textus *in can. 6. Concilij Matiscon.* in illis verbis: *In hoc sancto Concilio decretum est, vt vnusquisque Presbyter in sua plebe publicè annunciet, vt si aliqua fœmina clanculo corrupta conceperit, & peperit nequaquam diabolo coarctante filium, aut filiam suam interficiat, sed quocumque præualet ingenio, aute ianuas Ecclesiæ partum deportari, ibique poni faciat, vt coram sacerdote in crastinum delatus, ab aliquo fideli suscipiatur, & nutriatur; & talis ex causa homicidij reatum, & quod maius est, parricidium euadat. Nam qui filium, aut filiam interficit, parricida omnimodis tenetur.* Referunt Burchard. *lib. 3. Decr. c. 200.* Carnotens. *p. 3. Decr. c. 252.* Ex quo textu expressè deducitur, parentes liberos exponentes pęnis parricidarum teneri. Igitur non rectè Gregorius in presenti docet, Patres tantùm priuari patria potestate, nulla facta mentione pęnæ corporalis, qua patres afficiendi sunt exponentes liberos proprios. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, parentes liberos exponentes, atq; ita eorum educationem negligentes, regulariter extra ordinem puniri, vt constat ex verbo *Animaduersionis*, quo vtuntur Imperatores *in l. 2. C. de infantibus expositis, & ex l. penult. C. de patria potest. l. 1. §. pęna, ff. de liber. agnosc.* nam si tutor, qui per mendacium negat pupillo alimenta, deducitur ad Præfectum vrbis puniendus, *l. 3. §. sed si non latitet ff. de suspect. tutor.* quantò magis puniendi sunt parentes, qui filios exponendo, omninò illis alimenta denegant. Circa pęnam autem illis imponendam sequentes casus distinguendi sunt. Primus est cùm infans expositus indemortuus est, quo casu punitur exponens legibus Cornelia, & Pompeia tanquam sicarius, & parricida. Hic enim verè locum habet sententia Vlpiani *in l. 15. ff. ad l. Cornel. de sicar.* ibi: *Nihil interest occidat quis, an mortis causam præbeat.* Nec non Pauli *in l. 4. ff. de liber. agnoscend. Necare videtur qui abijcit, & alimenta denegat.* Idemque dicendum est, si in solitudine parentes filios exponant, vt fame moriantur, aut ferarum laniatu pereant, etiamsi mors non contingat, quia vtique quantùm in se fuit, nihil defuit operi, quando auibus, & feris iam filium occidendum exposuerant. Vnde Seneca *declamat. 10.* ait: *Curatis quis ex solitudine infantes auferat perituros, nisi auferantur.* Lactant. *lib. 7. diuin. instit. c. 20. Non possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, & quantùm in ipsis est, crudeliùs necant, quàm si strangulassent.* Et statim: *Tam nefarium est exponere, quàm necare.* Quintilian. *declam. 306. Rarum est, vt expositi viuant: caducum circa initia animal homines sumus; nam ferarum, pecudumque fœtibus est statim ingressus, & ad vbera impetus: nobis tollendus infans, & aduersus frigora nutriendus. Sic quoque inter parentum manus, gremiumque nutricis sæpe labitur; vnde nobis tanta fœlicitas, vt ad infantem mors accersita non veniat? Vos ponite ante oculos puerum statim neglectum, cui mori domi expediret, inde nudum corpus sub cęlo interferas, & volucres.* Tertul. *in apolog. c. 9.* ibi: *Crudelius in aqua spiritum extorquetis, aut frigore, aut fame, & canibus exponitis.* Minut. Felix in Octauio: *Dum etiam domi natos alienæ misericordiæ frequenter exponitis.* Hinc Donatus ad illud Terentij *in Heautont. actu 4. Scena 1.*

Exponitur Conc. Matisc. can 6.

Hic profectò est annulus, quem ego suspicor
Hunc, quocum exposita est nata.

Subdit: *Exponere est morti tradere, & obijcere.* Eodem sensu in Actibus Apostolorum *c. 7. vers. 19.* dicitur: *Exponere infantes tuos, ne viuificarentur.* Arnobius *lib. 8. aduer. Gent.* ait: *Vos enim video procreatos filios nunc feris, & auibus exponere, nunc adstrangulatos misero mortis genere illidere.* Facit Ouidius in epist. Canacis ad Macarium.

Iamque dare paruum, canibusque, auibusque nepotem
Iusserat, in solis destituique locis.
Vagitus dedit ille miser, sensisse putares,
Quaque suum poterat voce rogabat auum.
Quid mihi tunc animi credis germane fuisse?
Nam potes ex animo colligere ipse tuo,
Cùm mea me coram siluas inimicus in altas
Viscera montanis ferret edenda lupis.
Quid puer admisit tam paucis editus horis?
Quo læsit facto vix bene natus auum?
Si potuit meruisse necem, meruisse putetur:
Ah miser admisso plectitur ipse meo.

Eadem pœna capitis puniuntur parentes illi, qui etsi non in solitudine, in olla infantes exponunt; nam & facilè intercludi posset spiritus tenellus, & negligi à prætereuntibus in vili testa conditus, vi resoluit Ant. Matth. *de criminib. ad lib. 48. Digest. tit. vlt. c. 2.* Secundus casus contingit cùm amoris vi victæ fœminæ, seu alterius libidini obsequutæ, & metu ignominiæ adactæ partum exponunt, vt plerumque contingere, aut pudoris, aut decoris seruandi causa, constat ex Aristophane *in nubibus*, Calphurnio Flacco *declam. 49.* ibi: *Veniet ad nos praua mulier accusatura pietatem; infantem adhuc iussit feris canibus, & diris alitibus exponi.* Ex Plauto de Cistellario *Scena 3.*

—— At illa quam compresserat
Decano post mense exacto huic peperit filiam,
Paternum seruum sui participat consilij:
Dat eam puellam ei seruo exponendam ad necem;
Is eam proijcit.

Quo casu mitiùs puniendæ sunt, cùm talis metus cadat etiam in constantes viros, *l. isti, 8. §. penult. ff. de eo quod metus causa*: quantò magis in timidas puellas? Docent Iulius Clar. *lib. 5. sentent. §. fin. q. 83.* Menoch. *de arbitr. casu 396. n. 7.* Tertius casus est cùm pater filium exposuit non in solitudine, sed in loco publico aliorum misericordiæ; quo casu cùm mors sequuta non est, tantùm in eo puniuntur patres, vt exinde priuentur patria potestate, quam in filios habebant, ex præsenti Gregorij constitutione. Tandem si parentes filios exponant ob summam egestatem, qua laborant, & omninò non deserant, sed ponant in Xenodochio, aut simili loco publicè deputato ad exponendos similes infantes, nulla pęna afficiuntur, vt cùm alijs resoluit Velasc. *de priuil. pauper. 2. p q. 65. n. 207.*

TITVLVS XII.

De Homicidio voluntario, vel casuali.

CAPVT PRIMVM.

In a Exodo.

SI quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari meo euelles eum, vt moriatur.

NOTÆ.

1 a EXodo.] Ità etiam legitur in 1. collect. *sub hoc tit. c. 1.* & reperiuntur verba hæc *in c. 21. Exodi*, vbi legitur *volens*: quod verbum cùm omissum fuerit in hac 6. collectione, attendi non debet. Quatenus autem preceptum hoc legis veteris seruari, suscitariq; possit, exposui *in c. translato, de const.* & explicat Alberic. Gentil. *de libris iur. can. c. 5.*

COMMENTARIVM.

2 VArias huius textus interpretationes adduxerunt repetentes in præsenti, & Io: Brunell. *ad hunc text.* ex quibus Panormit. quem sequuntur Gutier. *lib. 1. pract. q. 2. n. 4.* Visquer. *in tract. de immun. Eccl. n. 41* Sarpus *de iur. asylorum*, Sanch *to. 2. cons. lib. 16. c. 1. dub. 9.* & alij, quos refert Castillo ac Bobadilla *in sua polit. lib. 2. cap. 14. num. 33.* accipiunt textum hunc de clericis, qui ob homicidium voluntarium euellendi sunt ab altari, cui peculiariter ipsi mancipati sunt, vt vltimo supplicio afficiantur: sed meritò eos refellunt plures congesti à Barbos. *in præsenti*, Marquez *in suo gubern. c. 32. §. vnic.* Delbene *de immun. Eccles. c. 16. dub. 2. sect. 1.* & conuincitur ex ipsius textus sacri contextura, vbi generaliter, & indistinctè agitur de homicidijs

cidijs voluntarijs, & per insidias perpetratis. Quare nulla est ratio accipiendi generalia hæc verba de clericis tantum. Deinde quia clerici, etsi atrocioribus enormitatibus dediti sint, nisi priùs degradati, non traduntur Curię sęculari, immò & in hoc casu homicidij per insidias perpetrati, clericum non posse per iudices sæculares ab Ecclesia extrahi, docuerunt Bernard. Diaz *in praxi, c.90. & 115.* Couart. *lib. 2, var, c.20. n.7.* Anast. Germon. *de sacror. immunit. lib.3. c.16. n.91.* Aldrete *de relig. discip. lib.2. cap.26.* Quare hac sententia omissa, veriùs dicendum est, in præsenti textu agi de homicidijs proditorijs, seu per insidias admissis, immunitate ecclesiastica non gaudentibus, iuxta tradita *in c. inter alia, de immun. Eccles.* vbi textum hunc exposui. Proditorius autem homicida dicitur, cùm nulla præcedente causa rixæ, seu discordiæ, & securè occidit quis innocentem nihil tale suspicantem, *l. propter insidias, 14. C. qui accusare, l. fin. C. de aleator. c. si cupis 16. q.1. authent. de mandatis Principum, per tot. collat.3. § neque:* Greg. XIV. *in sua Bulla,* ibi: *Aut quis proditoriè. & l. fin. tit.7. lib.8. ordin. l.11. tit.11. eod. lib.* docent Couarr. *d. c.20. n.7.* Peguera *dec.54. n.8.* Guttier. *lib.1. pract. q.2. n.7.* Remig. *de immun. fallent. 14.* Thom. Delbene *eod. tract. e.16. dub.20. sect.1.* Germon. *lib.3. de sacror. immun. c.16. n.59.* Fachin. *lib.9. contr. c.93.* Marqu. in suo Gubern. *lib.2. c.32. §.1.* Molina *de iust. tract.3. disp.23.* Sanch. *lib.6. consf. c.32. §.1.* Marius Cutell. *de prisca Eccl. libert. lib.1. q.1. glos.7. n.38. & q.5.* qui contra Dianam quæstione antecedenti intendit textum hunc procedere in eo, qui non consummauit homicidium proditorium, sed tantùm attentauit perpetrare. Homicida proditorius etiam dicitur, qui fœminam occidit, quia se defendere nequit; ideò talem homicidam non gaudere immunitate, resoluit Carrasco *ad leges recop. c.13. §.1.* Similiter & occidens sacerdotem Bobadilla *lib.2. c.14. n.43.* Item qui iustitiarium, seu ministrum iustitiæ occidit exercentem actum iustitiæ securum, & nil tale præcauentem. Selle *de inhib. c.8. §.4.* Carrasco *d. c.3. § 4. n.11.* etsi contrarium teneat Giurba *cons.20.* qui circa Alguscellum negatiue resoluunt, videlicet proditorium homicidium non dari: docent Peregr. *de immun. c.9. n.5.* Ambrosin. *eod. tract. c.9. n.7.* Farin. *eod. tract. c.13. n.185.* Diana *p.1. tract.1. ref.20.* Qui autem alterum occidit in diffidatione, quia non est homicidium per insidias immunitate gaudet. Giurb. *cons. 100. n.11. & 12.* Narbona *in l.20. tit.1. lib.4. recop. gloss.12. n.10* Bobad. *lib.2. c.14. n.39.* Diana *6. p. tract.1. ref.13.* licèt lex 10. *tit.8. lib.8. recop.* asserat: *Cae, è incurre por ello en pena de aleue*: & contrarium subtili ratione motus defendat Barbosa *de iure ecclesf. lib.2. c.3. n.101.* Circa illum verò, qui sclopeto occidit, an homicida proditorius iudicandus sit, pro parte affirmatiua est lex 16. *tit.26. lib.8. recop.* ibi: *Por ser arma traydora, y que no sirue sino de hazer muertes seguras, y aleuosas, & in l.15. & 17.* eiusdem tituli declaratur, quod sit aleuosus, & quod habeatur pro aleuoso, *in l.18. tit.6. lib.6. recopil.* atque ita docuerunt proditorium homicidam esse, Azeuedo *in l.3. tit.2. lib.1. recop. n.10.* Marius Cutell. *de prisca & recent. libert. lib.1. q.17. & in C. ad ll. Feder. c.109. n.89.* Dida. Per. *in l.39. tit.19. lib.8. ord.* Heuia *in Curia Philip.3. p. §.12. n.35.* Narbona *in l.20. tit.1. lib.4. recop. gloss.11. n.18.* arguendo de familiari, qui reputatur aleuosus: item *in l.12. gloss.2. tit.6. lib.6. recop. n.3.* Sanchez *lib.6. consilior. c.1. dub.8. n.16.* Pro parte negatiua, cui adhæreo, stat mascula iuris ratio, quia instrumentum vulneris, aut homicidij non facit homicidium proditorium, sed animus, & occidentis intentio. Probat Giurba in terminis sclopeti *cons.10. n.22.* & in quocunque armorum genere Vincent. Franchiz *dec.713. n.21.* At Princeps sæcularis nihil circa immunitatem ecclesiasticam statuere potest, cùm ad eius potestatem non pertineat, nec possit verè, realiterque propriam qualitatem delictis indicere, quamuis possit exacerbare pœnas. Ergo ex eo, quod Rex aleuosum esse statuerit, nihil officit, nec proficit immunitati. Ita Diana *par.6. tract.1. resol.13.* Giurba *cons.50. n.26. & consil. 90. n.13.* Peguera *decis.40. num 7.*

C A P V T II.

Ex a *Pœnitentiali Romano.*

INterfecisti furem, aut latronem, vbi comprehendi poterat absque occisione: quia ad imaginem Dei creatus est, 40. dies non intres Ecclesiam: & *b* lanea veste indutus, ab escis, *c* & potibus, qui interdicti sunt, & à *d* toro, *e* gladio, & equitatu illos supradictos dies abstineas. In tertia autem, & quinta feria, & Sabbato aliquo genere leguminum, vel oleribus, pomis & paruis pisculis, cum mediocri ceruisia vtere temperatè. Si autem sine odij meditatione, te, *f* tuaque liberando, huiusmodi diaboli membra interfecisti (secundùm indulgentiam dico, propter imaginem Dei,) si aliquid ieiunare volueris, bonum est tibi: & eleemosynam fac largiter. Si Presbyter eadem fecerit, non deponatur: tamen quandiù viuit, *g* pœnitentiam agat.

N O T Æ.

a P*Oenitentiali.*] Ita etiam legitur in prima collectio-
1 ne, *sub hoc tit. c.4.* & reperitur textus hic in Pœnit. Romano, *tit.1. c.24.* Sed Burchard. *lib.11. Decr. c.60.* Carnot. *p.13. Decr. c.46.* Gratian. *in c. fin. 13. q.2.* citant verba hæc ex can.1. Concilijs Aurel. vnde credo præsentem canonem editum fuisse in aliquo ex Concilijs Aurel. quod non extat; & ex eo transcriptum fuisse in Pœnitentiali Romano, à quo acceperunt Bernardus Papiensis *in d.1. col-*
2 *lect.* Raymund. *in præsenti.*

b *Lanea veste.*] Pœnitentes olim dum erant in statu pœnitentiæ solemnis, non solùm mutabant vestes, Concil. Agathense *can.15.* Tolet 3. *can.12.* Tolet. 6. *can.7* ibi: *Si qui ingenuorum vtriusque sexus sub nomine pœnitentię in habitu religioso sunt conuersati, post hæc autem comam nutrientes, vel vestimenta sæcularia sumentes, ad id, quod reliquerant, redierunt.* Verùm & cilicium induebant. Concil. Tolet.1. *can.2* vbi dum Patres describunt publicam pęnitentiam agentem, aiunt: *Qui sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altario* Vbi aliqui malè legunt, *sub concilio,* vt notauit Gibalin. *de clausura regul. disq.3. c.2. §.8.*

c *Escis, & potibus.*] Alia enim dulcia, aliæque potiones prohibentur solemnem pęnitentiam peragentibus, *cap. in capite, 50. dist. cap. admonere, 33. q.2.*

d *Thoro*] Nam similes pęnitentes non solùm matrimonium de nouo contrahere, verùm etiam contracto vti
3 prohibebantur, vt probaui *in c.9. Concil. Illiberit.*

e *Gladio.*] Pęnitentes enim solemniter armis cingi vetabatur, *c. admonere, 33. q.2.* nec vlterius illa ferre licebat, nisi de consilio Episcoporum pro defendenda iustitia, *cap. falsas pęnitentias, de pęnit. dist.5.* Synodus apud Vvormaciam tempore Ludouici Imper. vt refert Hincmarus Rhemorum Episcopus, ibi: *Quicunque propria vxore derelicta vel sine culpa interfecta, aliam duxerit vxorem, armis depositis publicam agat pęnitentiam; & si contumax fuerit, comprehendatur à Comite, & ferro vinciatur.* Sigebertus *in chron. Ludouicus Imperator à suis desertus, ac proditus, & in potestatem filiorum redactus, Episcoporum iudicio arma deposuit, & ad agendam pęnitentiam inclusus est.* 4

f *Te, tuaque liberando.*] Hæc verba non sunt accipienda coniunctiuè, sed disiunctiuè, vel alternatiuè, vt post Felinum in præsenti docuerunt Caietan. *2.2. q.64. art.7.* Couarr. *in Clement. si furiosus, 3. p. §. vnic. n.6.* plures relati à Barbosa *in præsenti,* Gibalin. *de irregul. c.4. regul.3. consect.3. diffic.4.* ita vt sensus sit, non esse te homicidam, si te, vel tua liberando latronem, quem aliter capere, aut impedire non poteras occidisti; nam si coniunctim capienda essent hæc verba, nec licita esset occisio furis, nisi ad se, & sua simul liberandum; nec etiam pro defensione suorum bonorum dumtaxat ei liceret occidere iniustum inuasorem absque culpa, sed neque ad defensionem vitæ, nisi illa cum bonorum externorum conseruatione coniuncta esset: etsi textum hunc aliter accipiat Petr. Nauarr. *lib.2. de*
restit. cap.3. num 406. 5

g *Pęnitentiam agat.*] Quia homicidium non omninò inculpabile fuit, quia etsi pro defensione sua, vel suorum bonorum commissum esset, aliter tamen Clericus sibi consulere poterat: docet Gibalin. *suprà,* & dicemus *in c. seq.*

C A-

Digitized by Google

CAPVT III.

a Augustinus *super Exodo*.

SI perfodiens inuentus *b* fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum. Si autem oriatur sol super eum, reus *c* erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur: si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc est enim, quod ait: Si oriatur super eum sol, &c. quia poterat discernere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset; & ideò non debet occidi. Hoc etiam in antiquis *d* legibus sæcularibus (quibus ista *e* est antiquior) inuenitur, impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem si se telo defenderit; iam enim plus est quàm fur.

NOTÆ.

1 a AVgustinus.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.5.* & apud Carnotensem *p.10. Decr. c.53.* reperiturque textus hic inter opera D. Augustini *in q.54. in Exod.* vbi exponit legem latam *in c.22. Exodi*, eiusque rationem assignat, & ita priora verba sunt ipsius Exodi, cætera verò Magni Doctoris Augustini.

2 b *Fuerit fur.*] Nocte exponit, ac supplet Glossa in præsenti; sed superfluò, cùm enim dicatur fur à furuo, hoc est nigro, facilè deducitur furem propriè dici, qui noctu furatur. Varro *lib.14. rer. diuinar.* Facit altercatio Hadriani, & Epicteti in illis verbis: *Quid est nox? Laboranti requies, grassanti lucrum: per obscuras enim noctes faciliùs furatur.*

3 c *Reus erit.*] Hucusque verba Exodi, licèt aliter legantur in ipsa sacra pagina, videlicet: *Si effringens fur domum, siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis.*

4 d *Legibus sæcularibus.*] Antiquas leges vocat D. Augustinus 12. Tabul. vbi *Tabul.2.* de fure nocturno, & diurno ita cauebatur: SI NOX FVRTVM FAXIT, SIM ALIQVIS OCCISIT, IVRE CÆSVS ESTO: SI SE TELO defensint, quiritato, ENDOQVE PLORATO. Post deinde, SI CÆSI ESCINT, se fraude esto. Ad quas respexerunt Macrobius *lib.1. saturn. c.4.* ibi: *Non esse abs re puto hoc loco id quoque admonere, quod Decemviri in 12. Tabulis inusitatissimè nox pro noctu dixerunt. Verba hæc sunt: Si nox furtum factum sit, sim aliquis occisit, iure cæsus esto. In quibus verbis id etiam notandum est, quod ab eo quod est is, non eum, sed sim dixerunt.* Cicero pro Milone, non longè à principio, ibi: *Tabula nocturnum furem quoque modo, diurnum autem si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt.* Senec. *lib.10. controu. c. vlt.* in fine: *Lex quæ nocturnum furem occidi iubet, quoquo modo iubet, non de damnato tantùm, sed de fure loquitur.* Aulus Gell. *lib.2. noctium Attic. Decemviri nostri, qui post reges exactos leges, quibus populus Romanus vteretur, in 12. Tabulis scripserunt, furem, qui manifesto furto prehensus esset, tunc demùm occidi permiserunt, si aut cum faceret furtum nox esset, aut interdiù telo se cùm prehenderetur defenderet.* Quamuis de vsu huius legis decemviralis dubitauerit Pomponius, vt constat ex fragmento Vlpiani in collectione legum Mosaici, *tit.7. de furtis*, ibi: *Si quis furem nocturnum occiderit, quem lex 12. Tabul. omni modo permittit occidere; aut diurnum, quem æquè lex permittit, sed ita demùm si se telo defendat, videamus an lege Aquilia teneatur? Et Pomponius dubitat, num hæc lex non sit in vsu. Et si quis noctu furem occiderit, non dubitamus quin lege Aquilia non teneatur: sin autem cùm possit apprehendere, maluit occidere, magis est vt iniuria fecisse videatur. Ergo etiam lege Cornelia tenebitur.* Idem Soloni, & Platoni placuisse probat Cuiac. *lib.19. obseru. c.12.* Et idem constituerunt Longobardi *lib.1. tit. de homine in curia aliena noctis tempore inuento*, ibi: *Si noctis tempore homo liber in curia aliena inuentus fuerit, non dans manus ad ligandum, occidatur, & à parentibus non requiratur: quod si manus dederit ad ligandum, & ligatus fuerit, debet pro se soluere octoginta solidos, quia non conuenit rationi, vt homo noctis tempore in curia aliena silentio absconditè ingrediatur; sed qualemcunque vtilitatem habuerit, priùs quàm intret, clamet.* Vvisigothi *lib.6. tit.2.* ibi: *Fur nocturnus captus in furto, dum rem furtiuam secum portare conatur, si fuerit occisus, non vindicetur.* Et in *l. antecedenti*, ibi: *Fur qui per diem se gladio defendere voluerit, si fuerit occisus, mors eius nullatenus requiratur.* Idem cautum fuit in Capit. Caroli Magni, *lib.5. c.191.* in legibus Frisionum *tit.5.* Neapolit. *lib.1. tit.13.* & de Moscouitis idem tradit Sigismund. *de rebus Moscouit.* De Lacedæmonijs legem similem non habemus, quia apud eos furta permittebantur, vt referunt Gell. *lib.11. noct. cap. fin.* Cælius Rhodigin. *lib.3. antiq. lect. c.13.* notauit Petr. Gregor. *lib.37. syntag. cap.1.*

e *Quibus ista est antiquior.*] Nam nulla lex diuina scripta antiquior, *cap. legimus*, 38. *dist.* vtpotè lex à Domino data in principio mundi, vt considerat Grotius *de iure belli lib.1. c.1. n.16.*

f *Telo.*] Teli appellatione quid in præsenti accipiatur, 5
exposuit Gaius *in l. si pignore 54. §. furem, ff. de furtis, l. si caluitur 233. §. telum, ff. de V. S.* & Iustin. *in §. item lex, Instit. de public. iudic.* ibi: *Telum autem (vt Caius noster ex interpretatione legum 12. Tabularum scriptum reliquit) vulgò quidem id appellatur, quod ab arcu mittitur.* Notauit Cuiac. *lib.11. obseru. c.17.* Et licèt vulgò telum accipiatur pro eo, quod ab arcu mittitur; in præsenti tamen accipitur pro eo, quod manu mittitur, siue sit lapis, siue ferrum, siue lancea, & generaliter pro omni, quo lædi homo potest, *l. hi qui 11. §.1. ff. ad l. Iul. de vi publica*, Paulus *lib.5. sent. tit.3. §. hi qui*, Virgil. *lib.9. Æneid.*

Ecce aliud summa telum librabat ab arce.

Et *lib.12.*

— Fixumque latronis
Impauidus frangit telum.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Fur nocturnus impunè occiditur, diurnus verò si telo se defendat.* Probant eam textus *in c.2. hoc tit. c.3. de sent. excom. c. dilecto, eod. tit. in 6 c. si fur 13. q.2. Clem. pastoral. §. cæterùm, de re iudic.* D.Th. *2.2. q.63. art.3.* *h sed & si, l. scientiam, §. cùm aliter, l. itaque, §. lex, ff. ad l. Aquil. l. furem, ff. ad l. Cornel. de sicar. l.4. l. licet, C. eod. tit. l.1. C. de furib. balnear. l.1. C. vnde vi, l. si pignore 54. §. furem, ff. de furt. l.7. §. vlt. ff. de eo quod metus, l. de pupillo, §. si quis riuos, ff. de noui oper. nunt.* Consonant de iure Regio lex 3. *tit.8. p.7.* lex 4. *tit.13. lib.8. ord.* lex 1. *tit.17. lib 4. fori*, lex 4. *tit.23. lib.8. recop.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & Cened. *collect.6. ad Decretal.* Cuiac. *lib.15. obser. c.19. & lib.19. c.12.* Osuald. *lib.17. Donel. c.2. litt. O*, D. Ioann. Suar. *ad l. Aquil. lib.1. c.2. sect.1.* Forner. *lib.1. select. c.22.* Grotius *de iure belli, lib.1. c.3. §.2. in notis*, Carena *de off. Inquis. 2.p. lib.12. ex n.269.* Cuiac. *lib.14. obs. c.15.* Forner. *lib.1. select. c.22.* Solorzan. *to.1. de iure Indiar. lib.2. c.15. n.37.* Theophil. *to.4. lib.3. sect.3. c.6. fol.393.* Carbo *lib. de pacif. inimic.* Iac. Gothofr. *in quatuor fontib. in notis ad tab.2. l.12. Tabul.* Gibalin. *de irregul. c.4. consectar.3. difficul.4.* Balsamon *in notis ad can. 55. D. Basilij ad Amphiloc.* Becan. *in analog. c.18.* Petr. Pitheus *in notis ad tit.7. collat. legum Mosaic.* Cuiac. *in l.7. ff. de eo quod metus causa*, Salas *in notis ad Petron. in satyr. fol.36.* Petr. Herod. *lib.8. Pandect. tit.3. c.33.* Diana *p.4. trac. 4. resol.7.* Ant. Matthæus *de crimin. ad lib.48. tit.5.* Prado *to.2. Theolog. moral. c.20. q.3.* Gibalin. *to.2. de negot. lib.6. c.7. art.1. reg.3. num.19.* Bronch. *cent.4. enantioph. assert.82.* Cuiac. *lib.19. obseru. cap.12.*

6 Conclusio traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Nulli licet cuiusuis causæ prætextu se vindicare, aut ius in propria causa dicere, *l. nullus 14. Cod. de iudicijs*, adeò vt nec rem propriam liceat propria auctoritate occupare, *leg. extat, 13. ff. quod metus causa*: immò & eam occupans lege Iulia de vi tenetur, *leg.2. §. vltim. ff. eodem tit.* eamque amittit, *l.7. C. vnde vi, cap. ad hoc 63. 16. q.1.* Cassiod. *lib.4. variar. cap.10.* ibi: *Legum reperta est via, & sacra reuerentia, vt nihil manu, nihil proprio agatur impulsu.* Ergo furem nocturnum nullo modo licet priuata auctoritate occidere. Augetur hæc dubitandi ratio

7 Impugnatur tradita assertio

ex eo, nam si liceret furem nocturnum occidere, liceret etiam & diurnum, cum non minus iste, quam ille auferat bona; & æquale damnum consequatur quis ex omissione bonorum, seu pecuniæ, quàm ex vitæ priuatione; siquidem pecunia altera vita dicitur. Stobæus *in sermon. pag. 89.* ibi: *Argentum, & anima, & sanguis est mortalibus*. Martialis *lib. 9. epigr. 74*

Dixerat Astrologus periturum te citò, Cinna,
Nec, puto, mentitus dixerat ille mihi.
Nam tu dum metuis, ne quid post fata relinquas,
Hausisti patrias luxuriosus opes.
Bis quartum deciies non toto tabuit anno:
Dic mihi, non hoc est, Cinna perire, citò?

Vnde dicebat Salomon, *melius esse mori, quàm egere*; & maiorem pœnam esse priuationem bonorum, quàm mortem, *ex l. vlt. C. ad leg. Iul. de adult.* docent Baldus *in l. vita, C. de iure fisci*, Tiraq. *de nobilit. cap. 25.* Ergo si licet occidere furem nocturnum ob defensionem vitæ, & diurnum occidere licebit ob bonorum defensionem. Deinde difficilis est præsens textus dum in eo sanctus August. affirmat, licere impunè occidere furem nocturnum quoquo modo, iuxta sæculares leges, cum iuxta leges ipsas desideretur, vt cum clamore testificetur, qui furem tam nocturnum, quam diurnum occidit, *l. itaque, ff. ad leg. Aquil.* de qua proclamatione latè egerunt Suarez *ad leg. Aquil. d. sectione 1.* D. Laurent. Ramirez de Prado *in tessera legum, in l. 7. ff. de eo quod metus causa.* Igitur non facta proclamatione non licet furem diurnum, vel nocturnum occidere.

8 Quotuplex sit homicidium. Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, homicidium esse voluntarium, casuale, aut necessarium. Voluntarium est, quod cum animi meditatione committitur, quod semper iniuriosum est, de quo agitur *in cap. 1. hoc titulo, l. 1. & ferè per totum ff. ad leg. Aquil.* vbi D. Ioannes Suarez. Casuale, seu inuoluntarium est, quod fortuitò admittitur, de quo agemus *in cap. lator, infrà eoc titulo.* Necessarium duplex est; aliud quod lege iubente, seu permittente committitur, vt cùm quis transfugam occidit, *l. 3. in fine, ff. ad leg. Cornel. de sicarijs*: vel cùm iustè Principis auctoritate, iudicisue committitur, quia potestas gladij data est, vt morte nocentium Magistratus pacem cæteris procurent, *cap. miles, cum sequent. cap. non frustra, cap. si homicidium, 23. qu. 5. l. congruit 13. ff. de offic. Præsid.* Aliud, quod vrgente necessitate, ob vitæ, bonorumque conseruationem committitur, de quo in præsenti agendum est: de alijs *in cap. de cætero*, agemus.

9 Traditur ratio decidendi. His suppositis, ratio præsentis assertionis, in qua docetur, impunè licere furem nocturnum occidere, prouenit ea vulgari principio, quo docetur, cuilibet licere vim vi repellere, & se defendere, etiamsi exinde sequatur mors aggressoris, *l. 1. §. vim vi, ff. de vi & vi armata, leg. scientiam, §. si cùm aliter, ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. cùm arietes, ff. si quadrupes pauperiem*. Facit Cicero *in orat. pro Milone*, ibi: *Est enim hæc, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti; non instituti, sed imbuti sumus, vt si in vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidissemus, omnis honesta ratio esset explendæ salutis*. Et Apollodorus *lib. 11.* de Lino agens ait: *Ad Thebas cùm venisset, ciuisque factus esset, ibi caterijs ab Hercule percussus cithara; nam cùm Linus ferijsset Herculem, iratus Hercules mortem ei intulit, reusque à nonnullis factus patratæ cædis, legit in iudicio legem Rhadamanti, qua insons pronunciatur, si quis nocuerit ei, qui vim prior intulerit*. Illustrant latè Mancinus *genialium cent. 1. cap. 11. & 12.* Mela *miscel. cap. 3.* Emmanuel Suarez *lib. 1. obs. cap. 1.* Vuisembach. *disp. 4.* Solorzanus *lib. 1. de iure Indiar. cap. 14.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 4* Reuardus *lib. 1. var. cap. 1.* Hunnius *ad Treutl. volum. 1. disp. quæst. 20.* Faber *lib. 2. semestr. cap. 2.* D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. sect. 2. cap. 1. num. 1.* Franchiz *exercit. 12.* Auendaño *lib. 2. de metu, cap. 45.* Ceuallos *commun. qu. 349.* Ergo furem nocturnum ad nos venientem licet occidere ob defensionem propriæ vitæ; furem autem diurnum non licet occidere, nisi se telo defendat; nam quomodo apud diuinam iustitiam liberi erunt, qui pro his rebus transitorijs, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt? Quid enim amplius charum est, quàm vita hominis, *cap. suscepimus, hoc tit. l. sancimus, de sacros. Eccles.* Ouidius *in Metamorph.*

O fortunatissima, propter hanc animam concede mihi
Tua cætera sumpta.

Iuuenalis *satyr. 10.*

Da spatium vitæ, multos da Iupiter annos:
Huius ab exemplo disces non parcere rebus,
Et vitam vt redimas hostibus euadere.

Idque Crisippus suo exemplo demonstrauit, qui cùm eadem naui sese cum piratis versari cognouisset, omnia in mari proiecit, ne vt illum spoliarent hi, cum quibus nauigabat, cum præcipitarent. Deinde ex præcepto Euangelico tenemur potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quàm pro conseruandis vilibus, & transitorijs rebus tam acriter exardescere, vt ex D. Paulo refertur *in cap. 1. 23. quæst. 3. cap. suscepimus 23. de homicid.* Vnde rectè iuxta legem Moysi datam, & antiquas leges diuersarum gentium Sanctus August in præsenti docuit, impunè occidi posse furem nocturnum, diurnum verò non aliter, quàm si telo se defendat.

Superest vt rationum differentias assignemus, quare liceat furem nocturnum occidere quoquo modo; diurnum verò ita demum, si telo se defendat. Et communiter ab antiquioribus in præsenti ea assignatur, quia videlicet non constat, an fur nocturnus veniat tantùm ad furandum, an etiam ad occidendum: & quia præsumitur ad vtrumque venire, occidi potest; diurnus autem cum cognoscatur, quod solum ad furandum venit, non potest occidi. Verum hæc communis ratio facilè refellitur; nam ob similem metum, seu ambiguitatem non debet quis homicidium perpetrare. Verè enim dictum est à Cicerone *lib. 1. de officijs*: *Plurimas iniurias à metu proficisci*. Et Clearchus apud Xenophontem aiebat: *Multos ego noui, qui calumnia adducti, aut suspicione, dum metuunt alios, & præuenire malunt quàm perpeti, atrocissimis malis eos affecerunt, qui nihil tale facturi fuerant, aut neque cogitauerant quidem*. Cato in oratione pro Rhodensibus, ibi: *Quid illa dicimus voluisse facere? id nos priores facere occupauimus*. Insignis extat sententia apud Gellium his verbis: *Gladiatori composito ad pugnandum, pugnæ hæc proposita sors est; aut occidere, si occupauerit; aut occumbere, si cessauerit. Hominum autem vita non tam iniquis, neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, vt idcircò prior iniuriam facere debeas, quam nisi feceris, pati possis*. Cicero apud Quintilianum *lib. 5. de refect.* ibi: *Quis hoc statuit vnquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, vt eum iure potuerit occidere, à quo metuisse se dicat, ne ipse posteriùs occideretur*. Vnde de his dicebat Liuius *lib. 3.* *Cauendone metuant homines, metuendos vltrà se efficiunt*. Vnde omissa hac communi ratione, verius dicendum est, legumlatores supponere leuium rerum causa furem interfici non posse, sed si ipse in periculum vitæ me adducat, tunc mihi licere à me auertere periculum, etiam cum damno vitæ alienæ; nec mihi opponi posse, quod me in discrimen adduxerim, dum rem propriam cupio retinere, aut occupatam extorquere, aut furem capere; nam in his omnibus nihil mihi potest imputari, qui verser in actu licito; nec cuique iniuriam faciam, cum iure meo vtar. Discriminis ergo diurni, & nocturni furis ratio in eo consistit, quòd noctu vix sit copia testium adhibendorum; atque ideò si fur occisus reperiatur, facilius credatur ei, qui à se vitæ tuendę causa dicat furem interemptum repertum, etiam cum aliquo instrumento, quo nocere possit: vnde præsumptio est aduersus furem defendisse se telo. Quare quod in præsenti dicitur, furem nocturnum impunè occidi, intelligimus si parcere ei sine periculo suo dominus domus non potuit, *l. furem 10. ff. ad leg. Corn. de sicar.* nimirum rem seruando, vt docuerunt Grotius *de iure belli, lib. 2. cap. 1. num. 12.* Gibalinus *de irregul. cap. 4. num. 4.* Alij autem differentiæ rationem assignant inter furem nocturnum, & diurnum ex eo, quia delicta noctu admissa, flagitiosa, ac maiori pœna digna censentur. Vnde fures nocturnos grassatores dixerunt Gellius *lib. 2. noct. cap. 1.* Horatius ibi: 10 Traditur differentia inter furem nocturnum, & diurnum.

Vt iugulent homines surgunt de nocte latrones. 11 Dissoluitur dubitandi ratio.

Facit Salomonis prouerbium: *Qui malè agit, odit lucem*, repetitum *in cap. consuluit, de offic. deleg. cap. vnic. vt eccles. benef. cap. Anastasius, 19. dist. cap. clericus, 81. dist.*

Digitized by Google

dist. in summario tit. 3. part 4. ibi : *E por esso dize Salomon, que quien mal bace, aborrece la luz, porque los homes ao sepan las sus obras : y por essa razon pusieron los sabios que bizieron las leyes à las vegadas, maior pena à los que pecaa en encubierto, que à los que lo hazen paladinameate.* Illustrant Salmut. ad Paucirol lib. 1. tit. 44.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ; nam inter alias exceptiones ipsius regulæ, quas refert, exponitque Vulteius in l. 1. Cod. quando liceat vnicuique sine Iudice se vindicare, prima, præcipuaque est quando agitur de defensione propria, quia tunc seruato moderamine inculpatæ tutelæ licet aggressorem occidere, cum eo casu non tam vindicatio, quàm defensio intentetur. Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, pro cuius expositione sciendum est, dubium esse apud Doctores, an sicut ob vitæ defensionem furem, seu aliàs aggressorem occidere permittitur, similiter ad seruanda bona propria liceat? Et sunt plures, qui negant, moti auctoritate textus in cap. 2. hoc tit. in illis verbis : *Te, tuaque liberando* ; & præsentis textus, vbi docetur furem diurnum non aliter occidi posse, quàm si telo se defendat : & textus in cap. suscepimus, hoc tit. in illis verbis : *Satius fuisse post pallium relinquere tunicam, & temporalium iacturam pati, quàm pro vilibus ita exardescere.* Et cap. significasti, el 2. hoc tit. vbi presbyter eo quòd latronem res Ecclesiæ diripientem fossorio percussit, declaratur irregularis, si vulnus lethale fuit. Et Grotius d. cap. 1. num. 13. asserit laxatam esse in hac parte legis Euangelicæ disciplinam, & iuxta communem Theologorum, & Iurisconsultorum sententiam licere furem occidere rerum defendendarum causa, etiam extra eos fines, in quibus lex Moysis, & Romana id permittit. Sed verius dicendum est, licere furem occidere, quando omnia bona, vel maiorem eorum partem aufert, ita vt quis inde ad magnam egestatem reducatur ; nam bona temporalia quodam modo vitæ comparantur, & ad illam conseruandam summè necessaria sunt, vt traditur in l. aduocati, in fine, Cod. de aduoc. diuers. iud. Facit elegans textus in l. illicitas 6. §. Nesennius, ff. de offic. Præsid. iunctis traditis à Tiraquel. in l. si vnquam, verbo Bona, à num. 1. Cod. de reuocand. donat. Quam sententiam tenent Couarr. in Clement. si furiosus, 3. part. §. vnic. num. 6. hoc tit. Sotus de iustit. lib. 5. art. 8. Panormit. in cap. 2. hoc tit. Lessius lib. 2. de iust. cap 9. dub. 11. Gibalinus d. cap. 4. de irregul. consect. 3. difficult. 4. Diana 4. part. tract. 4. resol. 4. Nec fauent contrariæ sententiæ textus in cap. 2. hoc tit. cuius veram interpretationem in eius notis adduxi. Nec etiam præsens textus, in quo expresse docetur, furem diurnum occidere licere, si telo se defendat, nolitque bona restituere. Vnde deducitur, licere domino furem occidere, quando aliter res proprias recuperare non valet. Nec etiam obstat textus in d. cap. suscepimus, hoc tit. Nam respondendum est, homicidium de quo in eius specie, non fuisse factum in puram defensionem : quod probatur primo, quia clerici illi ligauerunt latrones, qui ad furandum venerant ; vnde apparet, facilius potuisse eos liberos, ac vacuos dimittere sine vllo periculo rerum, ac personarum. Secundò quia vt Glossa ibi notauit, monachus qui illos occidit, nulla necessitate coactus id fecit ; si quidem potuit ipse fugere prius quàm illi à vinculis soluerentur. Nec etiam obstat textus in d. cap. significasti : nam respondetur, in eius casu percussionem minimè necessariam fuisse ; sufficiebat enim clamor, quandoquidem statim adfuerunt parochiani, qui latronem illum eo hibuerunt, & occiderunt, vt post Suarium, & alios docuit Gibalinus d. cap. 4. consect. 3. difficult. 4. aliàs si alio modo sacerdos se defendere nequiret, iustè occideret latronem ; ideòque Hildebertus Cenoman. Episcop. epist. 60. præfatus non expedire sacerdoti latronem, à quo inuaditur, occidere, subdit : *Tamen inaoxium fore sacerdotem, si latronem occidat, cùm aliter se defendere nequiret.* Nec obstat vltimum augmentum ipsius dubitandi rationis ; nam licèt Grotius d. lib. 2. de iure belli, cap. 1. num. 12. existimauerit legem 12. Tabul. tam in fure nocturno, quam diurno exigere, vt occisor cum clamore id testificetur, motus auctoritate Gaii in l. 4. tit. 1. ff. ad leg. Aquil. verius tamen est, legem 12. Tabular. furem noctu deprehensum occidere permisisse simpliciter, vt constat ex verbis suprà relatis, seu omni modo, vt Vlpianus suprà in notis transcriptus ait ; vel quoquo modo, vt D. August. in præsenti, & Seneca, & Cicero suprà relati aiunt, qui omninò excludunt necessitatem clamoris. Quare I. Gothofr. in probationibus dictæ legis 12. Tabul. existimat, Tribonianismum manifestum adesse in d. l. 4. cùm lex Decemuiralis tantùm in fure nocturno petierit clamorem, seu testificationem. Vnde rectè D. August. in præsenti referendo sententiam ipsius legis Decemuiralis dixit, iuxta ipsam licere furem nocturnum occidere quoque modo, idest etsi absque clamore non testificetur. Qua etiam voce *quoquo modo*, vsi fuerunt Cicero, & Seneca suprà relati.

Sed adhuc suprà traditæ assertioni obstat textus in cap. de his 6. 50. dist. vbi apertè docetur clericum, qui se defendendo paganum occidit, multùm sibi consulere, si à sacerdotali officio se abstineat : ergo quia non licet etiam ob propriam defensionem furem occidere. Cui difficultati Archid. & Turrecr. ibi, Plouius de irregul. num. 11. asseruerunt, textum illum esse accipiendum de consilio, non verò de præcepto, iuxta verba : *Multùm sibi consulit.* Sed hæc solutio sustineri non potest, quia apertè repugnat verbis illis eiusdem textus, *irreprehensibiliter, indebitè, & damnabiliter*, quibus manifestè conuincitur, Nicolaum Papam non consulendo, sed potius præcipiendo in eo textu respondere. Nec obstat verbum illud, *consulit* ; nam sæpissimè consulitur id, ad cuius obseruantiam necessario quis tenetur, cap si enim 28. quæstione 1. Quare hac solutione omissa, verius dicendum est cum Glossa finali in eo textu, quam sequitur Suarez de censur. disp. 46. sect. 1. num. 3. in eo casu clericum irregularitatem incurrisse, quia defensio non fuit cum moderamine inculpatæ tutelæ, siquidem vnus à pluribus occisus fuit, & suadetur, homicidium, de quo ibi, iniuriosum fuisse, ex illis verbis : *Si postea per pœnitentiam emendati.* Et ibi : *Damnabiliter.* Quæ verba ostendunt, occisorem peccasse ; peccare autem non potuit nisi excedendo defensionis modum. Quo modo etiam accipiendum est Concil. Trident. sess. 14 de reform. cap. 7. in illis verbis : *Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quare quodam modo dispensatio iure debeatur, &c.* Necessariò enim textus hic intelligendus est de homicidio culpabili, quando videlicet defensio non est pura, sed transit in aggressionem ; quod facilè, & sæpius contingit. Vnde apud Gentiles homicidium necessarium expiabatur per manuum ablutionem : probat Mornacius ad l. 3. ff. de iust. & iure ; ideòque affirmant Patres, in eo canone dispensationem quodam modo iure deberi, quia homicidium non voluntarium simpliciter, sed necessarium, etsi non seruato moderamine inculpatæ tutelæ, admissum fuit. De eodem etiam homicidio ob defensionem, etsi non puram, perpetrato, accipiendi sunt textus in cap. si quis viduam, 50. dist. in illis verbis : *Similiter si homicidium, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione.* Et cap. 2. in fine, de clericis pugnant. in duel. quo modo autem moderamen inculpatæ tutelæ consideretur circa modum, tempus, causam, factum, exponunt P. Caballus de homicid. num. 93. Cæpola consil. crimin. 41. Iul. Clarus lib. 5. sentent. §. homicidium, num. 34. Guazinus in defension. reor. c. 4 nouiter Basilico dec. 16. criminali.

12 Exponitur cap. de his, 50. dist.

Ex suprà traditis lucem accipit textus in can. 55. epist. D. Basilij ad Amphiloch. in illis verbis : *Qui se latronibus aduersos obijciunt, si fiat quidem extra Ecclesiam, ab omni communione arceantur ; si sint autem clerici, à gradu deponuntur ; quicumque enim, inquit, gladium accipit, gladio peribit.* Cum enim in eo canone agat D. Basilius de illis, qui se latronibus opposuerunt sponte, non verò ab eis in necessitatem adducti, homicidium perpetrarunt ; ideo vt veris homicidis pœnitentia imponitur, aliàs si homicidium contingeret, iuxta suprà tradita, cùm fur nocturnus erat, vel diurnus, & telo se defendebat, pœnitentia non imponeretur. Eodem etiam modo intelligendus est textus in cap. quicunque 33. 23. quæst. 8. vbi D. Augustin. ita ait : *Qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, & adulterum, vel quemcunque criminosum interfecerit, aut truncauerit, vel membris debilitauerit, velut homicida iudicabitur.* Vbi D. Augustinus agit de eo, qui furem occidit priuata auctoritate, non pro defensione propria, sed potiùs ipsum aggrediens, nulla necessitate coactus.

13 Exponitur can. 55. S. Basil. ad Amphiloch.

C A-

Digitized by Google

CAPVT IV.

Hieronymus.

CVm iuramento pollicitus est Herodes saltatrici dare quodcunque postularet ab eo, si ob iusiurandum se fecisse dicit, si patris, matrisue interitum postulasset, facturus esset, an non? Quod ergo in suis repudiaturus fuit, continere debuit in Propheta.

NOTÆ.

1 a *Hieronymus*.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 6.* & apud Burchardum *lib. 12. Decreti, cap. 16.* Carnotensem *part. 12. cap. 73.* vbi rectè adijcitur *in cap. 14. Matthæi*; nam cùm D. Hieronymus exponeret Euangelium ipsum Matthæi *cap. 14.* vbi refertur iuramentum præstitum ab Herode, & adimpletum in nece D. Ioannis Baptistæ, verba in præsenti transcripta adducit, ex quibus communiter repetentes in præsenti deducunt, sub generali promissione, quantumuis iurata, non venire illicitum: quod axioma varijs auctoritatibus firmat Gratian. *caus. 22. qu. 4. per tot.* & latè illustrauit Præceptor Petrus Baio-Arroyo *in repet. ad text. in cap. Quintaualis, de iureiur.* ex quo commentarium huius textus petendum est.

CAPVT V.

Ex Concilio a Guarmaciensi.

SI aliquis causa explendæ *b* libidinis, vel *c* odij meditatione, vt non ex eo soboles *d* nascatur, *e* homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, vt non posset generare, aut concipere, vt homicida teneatur.

NOTÆ.

a *Vormaciensi*.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* Burchardus verò *lib. 17. Decreti, cap. 57.* citat verba hæc ex Concilio Vormat. *can. 30.* de quo Concilio nonnulla adduxi *in cap. 1. de censib. cap. 1. de diuort.* etiam extat textus hic in pœnit. Romano, *tit. 1. cap. 3.*

b *Libidinis*.] De poculo à marito explendæ libidinis causa dato agemus infrà.

c *Odij*.] Sunt etiam pocula odij, de quibus habes duas declamationes post institutiones Quintiliani 14. & 15.

1 d *Soboles nascatur*.] Hæc verba vt diuersum casum contineant ac antecedentia, intelligi posse credo de illo maleficij genere, quo partus vltra legitimum & naturale tempus protendebatur, cuius impiæ grauitatis à saga perpetratæ habemus testimonium apud Apuleium *lib. 4. de asino aureo*, illis verbis: *Amatoris sui vxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, prægnationis sarcinam, obsepto vtero, & repugnato fœtu perpetua prægnatione damnauit: & cum ei numerant misella illa octo annorum onera, velut elephantum paritura distunditur.* Extat etiam lepida narratiuncula, quæ hanc rem comprobat, & illustrat apud Pausaniam in Bæticis, his verbis: *Farmacidas Thebani à Iunone missas aiunt, vt parturienti Alcimenæ impedimento essent; sed eas dum Alcimenæ partum inhiberent, à Thiresię filia Historide tali commento delusas. Ex eo namque loco, vnde illæ facilè audire possent, clamauit peperisse Alcimenam: illas ex voce deceptas statim abijsse. Alcimena igitur puerum enixa est.* Eadem industria elusæ fuerunt præstigię magicę, quibus inferebatur dilatio partus vxoris Ildephōsi XI. incłyti Castellæ Regis, Lusitaniæ Regis filiæ, à Leonora Guzmaniensi, quæ dum Ildefonsi amore flagraret, eiusque iamdiù vacaret libidini, verebatur ne forsan liberis ex vxore editis, communi voto adimpleto, quod asperiorum coniugum iurgia sedare solet, frigesceret erga eam, & eius filios amor veteri consuetudine firmatus. Quod ex historicis nostris constat, & narrat facetè Comes de la Roca in libro vernaculo idiomate scripto, *Rey Don Pedro defendido*. Si autem quæras, quo veneficij genere magici partum differrent, illud certò narratur, quod ad fores puellæ residerent, & poplitem popliti imponerent, digitosque manuum pectinatim conuerterent. Ideò Ouidius *9. metamorph.* ipsammet Iunonem hoc incantatorio habitu infensum Alcimenæ partum describit sustinuisse his versibus:

Vtque meos audit gemitus, succedit in illam
Antè fores aram, dextroque est poplite læuum
Pressa genu, digitisque inter se pectine iunctis,
Sustinuit partus.

De hoc modo connectendi digitos, plura Plinius *l. 28. c. 6.* quod etiam veneficium est impediendis actionibus aliorum. Tunc sic ad rem nostram Plinius prædicto loco: *Item poplites alternis genibus imponit: tantam hac in re in comitijs ducunt potestatem fieri, vt vetuerint maiores, & sacris, votisue simili modo interesse.* Minus quàm solet sedulus hæc verba Plinij examinauit Alex. Neapol. *dier genial. l. 4. c. 11.* illustrat P. Pinto *in spicil. tr. 1. c. 29. n. 10.* Sed vnde homicidium? Ex eo quippe, quod impedito partu, & vltra legitimum tempus detento, accidit casus, vt in vtero moreretur fœtus, & ita homicidium consideratur à Patribus in præsenti. Et si hæc interpretatio non placeat, facilior erit quæ accipit hæc verba de illis incantationibus, & poculis, quibus fœtus animati abigebantur, ita vt viui nasci nequirent.

e *Homini*.] Maleficijs eum ligando, vt probaui *in cap. 4. de frigid. & maleficiat.*

COMMENTARIVM.

EX hoc canone Concilij Vormat. sequens communiter deducitur assertio: *Vt homicida punitur, qui homini, vel mulieri poculum dedit, vt generari, vel nasci soboles non possit.* Probant eam textus *in cap. consuluisti 2. qu. 2. cap. aliquando, cap. quod verò 8. cap. Moyses 32. qu. 2. cap. nasci, 56. dist.* Concil. Brachar. 2. *can. 77.* ibi: *Si qua mulier fornicata fuerit, & infantem, qui exinde fuerit natus, occiderit, & quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est, necare, aut certè vt non concipiat, elaborat, siue ex adulterio, siue ex legitimo coniugio, has tales mulieres in morte recipere communionem priores canones decreuerunt. Nos tamen pro misericordia, siue tales mulieres, siue conscias scelerum ipsarum, decem annis agere pœnitentiam iudicamus.* Illerdense *can. 2. His qui malè conceptos ex adulterio fœtus, vel editos necare studuerint, vel in vteris matrum potionibus aliquibus colliserint, in vtroque sexu post septem annorum curricula communio tribuatur: ita tamen, vt omni tempore vitæ suæ fletibus, & humilitati insistant.* Concil. Illiber. *can. 63. Nec in finem detur communio ei, quæ absente marito conceperit, & conceptum occiderit.* Et *can. 68. Catechumena, si per adulterium conceperit, & conceptum necauerit, placuit eam in fine baptizari.* Ancyranum *can. 21. Quæ fornicantur, & necant partus, & curant fieri abortus, priori definitione ad exitum vitæ, humaniùs nunc agendo, decem annis per gradus pœniteant.* Trullan. *cap. 92. Eas quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena excipiunt, homicidæ pœnis subijcimus.* Vormac. *can 35. Mulieres, quæ antè temporis plenitudinem conceptos vtero infantes voluntate excutiunt, vt homicidæ proculdubio iudicandæ sunt.* Magunt. sub Leone IV. *can. 21.* Sixtus V. *in sua constitutione* 87. Greg. XIV. *const. 14.* D. August. *q. 80. super Exodo*, & *Enchir. ad Laurentium, can. 86.* & contra Iulianum *l. 5. c. 5.* D. Hieronym. *in epist. ad Pammachium*, D. Greg. Nyssenus *de homine, c. 29. & 30.* D. Chrysost. *homil. 12. & 13. in Genesim*, D. Ioannes Damascen. *l. 2. de fide orthodoxa, c. 12.* Alia Conciliorum Decreta, & San-

2 Conclusio traditur, & probatur.

Sanctorum Patrum responsa congesserunt Decretistæ, Carnotensis *p.8.c.314.*& *p.10. ex c.*181. Burchardus *l. 17. Decret.ex c.*54 Ant. August. *l.35.epit.iur.tit.1.p.3.*& Crespetius *in summa, verbo Aborsus*. De iure ciuili probant textus *in l.si quis aliquid,§.abortionis,ff.de pœnis,l.eiusdem 3.§.2.l.si mulierem 8.ff.ad leg.Corn.de sicar.l.3.C.eod.tit.l.4.ff.de extraordin.crimia.l.Diuus 5.ff ad leg Pompeiam,l.1.C. de malefic.* Consonant lex 1.*tit.3.l.6.legum Vuisigoth. tit.7.§.18 legum Baiubar.*lex 7.*tit.8.p.7* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *l.1.voto* 12. Solorzanus *de parricid.l. .c.*12. Petrus Greg.*l.4.partit.tit.13. c.2.* Petrus Herodius *l.8.Pandect.tit.5.c.*12. Mendoza *l.3.Conc.Illiber. c.*52 Salmut. *ad Pancirol.l.1.tit.46.* Lindembrog. *in Glossar.verbo Aborsus*, Meril.*l.1.obseru.c.*16. Menardus *in notis ad Sacram.D.Gregorij,fol* 252. Simon Maiol.*dier.canical.verbo Sagæ,fol.*480. Castellion *variæ lection. c.41.tom.*4. Scotria *in select.Pontific.constit.epis.*146.*theorem.*376. D. Ioannes Ramos *de pena parricid.l.7.n* 203. Guibertus Costanus *qq.iur.q.*1. Moralistæ apud Hieronym. Garciam *to. 2.summæ,tr.10.difficult.15.dub.4.punct.*2. Gibalin. *de censur.in synopsi,verbo Aborsus*, Paulus Zacchias *l.1.qq. medico-legal.tit.2.q.9.&* 10. Mornacius *in l.9.ff.ad leg.Aquil.* Amaya *l.3 obseru.c.1.§.3.* Gothofr. *in l.1.C.Theodos.de sicar.* Bronchorst.*enantioph.cent.4.assert.*84. Theophil. Raynaud.*tom.14.tr.de sect.Cæsarea, c.10.per tot.* Beyerlinch *in theat.vitæ hum.tom.1. verbo Aborsus.*

3 Impugnatur tradita assertio.

Sed in præsentem assertionem ita illustratam pro dubitandi ratione insurgo. Plus est veneno occidere, quàm gladio, *l.3.C.ad leg.Cornel.de sicar. l.1.C.de malefic.* quia tantò grauiora sunt crimina, quantò difficiliùs cauentur. Cicero *pro Roscio Amerin.* Igitur seueriùs, grauiusque debet puniri, qui poculo aliquem occidit, quàm si gladio interficeret. Deinde difficilis est præsens textus in ea parte, dum æquiparat propinātem venenum, vt soboles nasci non possit, cum eo qui poculum dedit, vt generari nequiret; ita vt ambo tanquam homicidæ teneantur, nam homicidium à cæde hominis dicitur, *c.homicidium,de pœnis dist.1.c.homicidium,de pœnit dist.*5. quia homo non dicitur sine anima, *c.in quadam,de celebrat.Missar.c.cùm iuxta, de hæret.l.in Falcidia, §.placuit, ff.ad leg.Falcid.* Igitur non potest vt homicida puniri, qui poculum dedit, vt generari, aut nasci soboles non posset, vt probat Carranza *de partu, c.1.§.2.& c.16. §. vnic.* Et ita simile poculum propinantem non manere irregularem, docent Trocius *de perfecto clerico, c.14.n.6.* Couarr. *in Clemen.si furiosus,p.2.§.3.* Igitur non rectè in præsenti asseritur, vt homicidam eum puniri. Difficilè etiam est quod in præsenti docetur, videlicet aborsum facientem, seu procurantem, vt homicidam teneri; nam quæ aborsum fecit, aut poculum propinauit ad illud faciendum, extra ordinem punitur, *l.4.ff.de extraordin. cognit.l.3.§.2.l.si mulierem 8.ff.ad leg.Cornel.de sicarijs*, ibi: *Si mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum abigeret, constiterit, eam in exilium præses prouinciæ exigit.* Igitur quia non vt homicida tenetur, nec punitur pœnis ordinarijs.

4 De poculo amatorio, vel ad aborsum.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, poculum plerumque dari aborsus causa, de quo Plautus:

Metuebatque illa ne sibi persuaderet
Vt abortioni operam daret, puerumque vt necaret.

Iuuenal. *satyr.6.*

Tantùm artes huius, tantùm medicamina possunt,
Quæ sterilem facit, atque homines in ventre necando.

Ouidius *lib.2. amor. eleg.4.*

Quæ prima instituit teneros auellere fœtus,
Malitia fuerat digna perire sua.
Vestra quid effoditis subiecta viscera telis,
Et nondum natis dira venena datis.

Et plerumque ab ipsis matribus sumuntur, vt latè probat Theophilus *to.14.de ortu infantum,c.*10. De his poculis ad procurandum aborsum agunt Patres Synodi Ancyr. *c.*21. Dioscorides *l.2 c* 80.& *l.5.c* 19. Plinius *l.14.c.16.* ex eis Gibalinus *de negot.to.2.l.6.c.9.art.1.n.4.* Cuiac.19.*obs.c* 9. Deinde poculum amatorium frequenter datur explendæ libidinis causa, *l.3.§.2.ff.ad leg.Cornel.de sicar* & nihil adeò frequentius in fœminis, quàm superstitionibus, ac veneficijs libidinem fouere, vt prægnationis periculo sublato, ad libidinem faciliùs allicerentur. Seneca *in Hercule fur.act.2.* ibi: *Magicis artibus ferè coniugia nuptæ precibus admissis ligant.* Lucanus:

—— Quos non concordia mixti
Alligat vlla thori, blandæque potentia formæ,
Traxerunt torti magica vertigine fili.

Et qui vehementer turpi voluptate capi se sinunt, vt arctiùs illigentur, & indissolubilibus vinculis constringantur, solent amori addere veneficia, vt etiam in vitijs quis magicis artibus ad amorem trahatur. 5 Synodus Regiaticina, vt vulgò appellatur, *can.25. Quia pestiferas adhuc stirpes, & reliquias artis magicæ in tantùm vigore ad nos perlatum est, vt quædam maleficæ illicitum amorem aliorum mentibus, alijs verò odium immittere dicantur; quædam etiam ita venenariæ sunt, vt quosdam peremisse multò populi rumore deferantur: huiusmodi diaboli ministras diligenti examinatione proditas sub acerrima pœnitentia redigendas statuimus, & in ipso tantùm exitu, si tamen priùs pœnitentiæ opera fecerint, reconciliandas esse permittimus.* Virgil. *lib.4 Æneid.*

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit, & alijs duras immittere curas.

Horatius:

Canidia cogit veneficijs Varum vt se amet;
At vos vt reddat, quibus est fallacia lunæ.
Est labor in magicis sacra piare focis.

Iuuenalis *satyr.6.*

Hic magicos offere cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti.

Potiones istæ amatoriæ ex illicitis rebus à sceleratis, & veneficis mulieribus plerumque conficiuntur, qualem Veiam describit Horatius, quæ immerentem puerum interemit.

Exerta vti medulla, & aridum iecur
Amoris esses poculum.

Idem Canidiam veneficam inducit, quæ cùm Varo poculum amoris dedisset, eo alterius carminibus soluto, dixit:

Maius parabo, maius infundam tibi
Fastidienti poculum,
Priusque cœlum sidet inferius mari,
Tellure porrecta super,
Quàm non amore sic meo flagres, vti
Bitumen atribus ignibus.

Sed & Ouidius *lib.1.amor.* Lenam quandam sic describit:

Illa magas artes, technas, ac carmina nouit,
Inque caput liquidas arte recuruat aquas.
Scit benè quid gramen, quid torto concita rhombo
Licia, quid valeat virus amantis equæ.

Idem *in lib. de medicamine faciei.*

Sic potiùs nos tanget amor, quàm fortibus herbis,
Quas maga terribili subsecat arte manus.
Nec vos graminibus, nec mixto credite succo,
Nec tentate nocens virus amantis equæ.

Monet etenim puellas, vt magis cultu, quàm veneficijs sibi amatores parent, eorumque animos deuinciant. Illud etiam notandum est, virus equinum, Hippomanes nuncupari, quòd equinæ cupidini similem mortalibus amorem accendat, vt Collumela *lib.6.* scribit. Vnde Virgil. *lib. 3. Georg.*ait:

Hinc demùm hippomanes, vero quod nomine dicunt
Pastores, lentum distillat ab inguine virus
Hippomanes, quod sæpè malæ legere nouercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.

Iuuenal. *satyra 6.*

Hippomanes, crimenque loquar, coctumque venenum,
Priuignoque datum.

Aristoteles *l 6.de histor.animal.*de equabus loquens ait: *Tale aliquid emittunt, quod Hippomanes appellatur, eodem quo illud, quod nascitur, nomine; & hoc præcipuè ad amoris veneficia peti solet.* Aliter Hippomanes pro eo accipitur, quod fronti pulli nascentis adhæret, magnitudine caricæ, specie latiusculum, orbiculatum, nigrum; quod si quis præripiat, equa excitatur, furitque cognito illius odore; quare à veneficis petitur, vt referunt Aristot.*lib.6.histor. animal.cap.*22. Virgil.*lib.4.Æneid.*

Quæritur, & nascentis equi de fronte reuulsus
Est matri præreptus amor.

Propertius *lib.4.* prosequitur Tiraquel.*in l.14.connub.*

6 Alia de poculo amatorio.

Etsi plures crediderint, per artem magicam amorem conciliari, vt Constant. in *l.verum, C.de malefic.* Iacob. Sprenger. in libro quem dixit *Malleum malefic.* non desunt tamen qui huic opinioni refragentur, veluti Ouidius *lib. de medicam.faciei*, & 2.*de arte amandi*, ibi:

Fallitur Æmonias si quis decurrit ad artes,
Datque quod à teneri fronte reuellit equi.

Non

Digitized by Google

Non facient vt viuat amor Nereidis aut herbæ,
Mixtaque cum magicis Marsa venena sonis.

Propertius *lib. 2. eleg. 1.*

Sex mihi sint tangenda nouercæ pocula Phædræ,
Pocula priuigno non nocitura suo.

Quod etiam facilè probari posset illustri exemplo sanctorum Martyrum Cypriani, & Iustinæ, vt tradit Castalion *var. lect. c. 41. to. 4. thesauri critici.* Exemplis prophanis probat Tiraquel. *in d. l. 14. connub.* & magicas has vanitates sæpè irridet Plinius, & nugas quorundam dicit Harmenopul. *l. 6 promptuar. tit. 10.* Alberic. Gentil. *ad l. 1. C. de malefic.* existimat, induci huiusmodi affectus posse per similia pocula ope dæmonum, qui humores sic aptare possunt, vel per ipsam medicamentorum vim idem operantium, quod dæmones in illa humorum aptatione. Illud certum esse experientia docuit, per pocula hæc amatoria plerumque mortem aut furorem contigisse. Lucilia Lucretij vxor eo poculo maritum suum in rabiem deduxit, qui demum necem sibi ipsi consciuit, vt D. Hieronymus, & Eusebius Cæsareensis prodiderunt. Et sanè notissimum est, hæc pocula, quæ etiam Philtra nuncupantur, lethum, aut furorem inferre. Ouidius *l. 2. de arte amandi:*

Nec data profuerint pallentia philtra puellis:
Philtra noceant animis, vimque furoris habent.

Iuuenalis *satyr. 6.*

Hic magicos affert cantus, hic Thessala vendit
Philtra, quibus valeant mentem vexare mariti,
Et solea pulsare nates: quod desipis, inde est;
Inde animi caligo, & magna obliuio rerum,
Quas modò gessisti: tamen hoc tolerabile, si non
Et furere incipias, vt auunculus ille Neronis,
Cui totam tremuli frontem Cæsonia pulli
Infudit.

Quod sic narrat Suetonius: *Creditur,* inquit, *Caligula potionatus à Cæsonia vxore amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit.* Et plura ea de re Iosephus *l. 19. antiquit.* quæ nũc libenter prætereo. Etiam pocula sumi solent ad impediendam generationem, vt probant, & exemplis illustrant Martinus Delrio *disquisit. magic. l. 3. c. 4. sect. 8.* Basilius *l. 1. de matr. c. 64. & 65.* Thom. Sanch. *eod. tr. l. 7. disp. 94. cum duabus sequent.* Brauo *resol. Medic. sect. 5. resol. 12.*

7 Traditur ratio decidendi. His suppositis apparet iam ratio præsentis decisionis; nam cùm certum sit tam apud Theologos, quàm Medicos, fœtum adhuc in vteris maternis existentem post animationem perfectum hominem esse, *c. aliquando 7. c. quod verò 8. c. Moyses 9. 32. qu. 2.* Tertul. *de anima c. 37.* ibi: *Ex eo igitur fœtus in vtero homo, à quo forma completa est.* Vbi Pamelius *annotat. 437.* Lactantius Firm. *de opificio Dei, c. 17.* Hippocrates *de pueri natura,* Galenus *l. speciali, An quod in vtero gestatur, animal sit, c. 2. cum sequent.* Philo *l. 5. c. 15.* Plato *apud Plutarchum l. 1. de placitis Philosoph.* latè & eruditè probant Carranza *de partu, c. 2. nu. 2.* Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 1. qu. 1.* inde placuit eum, qui prægnanti mulieri poculum dederit, vel quid aliud dolo, & consultò fecerit, ex quo abortus sequatur, partusque pereat, verè homicidam esse, & pœnis homicidæ teneri, *c. 21. Exodi, l. si quis necandi, ff. ad leg. Corn. de sicar.* Eleganter Tertul. *de anima c. 37.* vbi cùm lex Exodi animam pro anima reddi iubere referat, docet hoc etiam procedere in partu animato. Similiter etiam Ecclesiæ Patres non solùm abigentem fœtum animatum tanquam homicidam damnarunt, verum etiam sterilitatis pocula, & concepti tantum partus diffusiones, vt proxima homicidio crimina execrantur, & damnarunt, quia vt aiunt Tertul. & Minutius Felix, tunc etiam homicidium datur: ille *in apolog. c. 9.* ibi: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum vtero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissoluere non licet. Homicidij festinatio est prohibere nasci; nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet: homo est & qui futurus: & fructus omnis iam in semine est.* iste in Octauio, ibi: *Sunt quæ in ipsis visceribus, medicaminibus epotis originem futuri hominis extingant, & parricidium faciunt, antequam pariant.* Quare reiecta communi distinctione fœtus animati, vel non, huiusmodi scelera prohibentur. D. Basil. *in epist. ad Amphiloch. c. 2.* ibi: *Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat; formati, vel informis subtilitas à nobis non attenditur. Hic enim non solùm quod nasciturum fuit, vindicatur; sed etiam ipsa, quæ sibi insidias parauit, quoniam vt plurimùm eiusmodi inceptis, vnà quoque mulieres intereant.* Vbi sanctus Basilius non solùm expendit homicidium, quod sæpiùs accidere solet, viri, vel fœminæ, cui poculum propinatur, vt etiam docetur *in l. si quis, §. abortionis, ff. de pœnis.* Nec interest, quod qui poculum dedit, animum non habuit occidendi; nam cum rem pessimi exempli fecisset, periculum prænoscere debebat, & ideò plecti debet, *c. fin. hoc tit.* Lex enim, vt præclarè Demosthenes ait *in l. 2. ff. de legibus,* voluntariorum est, & non voluntariorum delictorum coercitio: & hæc nefaria crimina varijs pœnis nouissimè damnarunt suis constitutionibus Sixtus V. in Bulla 87. quę incipit: *Effrenatam,* edita anno 1586. Gregor. IV. in sua constitutione 14. quas referunt, & exponunt Duardus in Bulla cœnæ Domini, *l. 1. c. 3. q. 5. n. 3.* Quaranta *in summ. Bullar. verbo Abortus, nu. 3.* Barbosa *de potestate Episcopi, alleg. 51. n. 136. & alleg. 110. n. 20.* Gibalinus *in synopsi censurar. verbo Abortus,* Scortia, & Hieron. Garcia *vbi suprà.* Rectè ergo in præsenti canone, vt homicidam damnari debere statuunt Patres Concilij Vuormac. eum qui poculum dedit, ne soboles nasci, aut generari posset: licèt non vtroque casu qui dedit, pœnis homicidæ teneatur, vt statim dicemus.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam in præsenti textu non agitur de occidente hominem iam natum veneno, vel gladio, sed de abigente partum poculo propinato, qui vt homicida tenetur, idest pœna capitali afficitur, vt expressè cauetur *in l. 1. tit. 3. l. 6. legum Visigoth.* ibi: *Qui mulieri prægnanti poculum dederit ad necandum infantem, vel ad faciendum abortum, occidatur.* Et *l. 8. tit. de los homicidios, p. 7.* Nec obstat augmentum primum ipsius difficultatis, nam licèt propriè homicidium non detur cùm poculum sterilitatis tantùm propinatur, vt concipi, aut generari soboles non possit; tamen iuxta rationes suprà adductas tale scelus tanquam homicidium vindicatur, quia latè homicidium dicitur à Tertulliano, & Minutio suprà & D. Hieron. ait *epist. 22.* ibi: *Aliquas sterilitatem prohibere, & necdum sati hominis homicidium facere.* Nec obstat; quod qui simile poculum dedit, irregularis non manet, vt probant Suar. *de censur. disp. 44. sect. 2. nu. 13.* Gibalinus *de irregul. c. 4. p. 4. consect. 2.* Nam licèt qui tale poculum sterilitatis dedit, vt homicida in præsenti textu damnetur, non tamen eisdem pœnis ac homicida plectitur, vt constat ex diuersis canonibus suprà pro illustratione conclusionis adductis; & ita irregularis nõ manet, quia talis pœna nullo canone expressa est. Et licèt Sixtus V. eam statuisset, tamen noua constitutione Gregorij XIII cùm pœnis tantùm iuris communis poculum propinantes puniantur, & inter pœnas iure communi statutas non reperiatur irregularitas, ideò neque ex nouo iure irregularitas contrahitur ex propinatione poculi sterilitatis: vnde audiendus non est Gibalin. qui *d. consect. 2.* asseruit, præsentem canonem esse Concilij Prouincialis, & ideò in eo Patres legem vniuersalem condere non posse; nam cùm textus hic, etsi Concilij Prouincialis, compilatus reperiatur in hoc volumine Decretalium à Gregorio IX. approbato, hæsitari nequit quin pro lege vniuersali habeatur. 8 Dissoluitur dubitandi ratio.

Difficilius est quod vltimo loco pro augmento dubitandi rationis expendebamus, propter Consultorum responsa sibi contraria, siquidem Marcianus *in l. 4. ff. de extraordin. crimin.* abactionem partus extraordinarium crimen esse dixit, & exilio temporali vindicandum, cùm Vlpianus *in l. si mulierem 8. ff. ad leg. Corn. de sicar.* inter publica delicta retulerit, exilioque perpetuò puniendum censuerit; quæ pœna olim fuit legis Corneliæ de sicarijs, *l. 3. §. penult. ff. eod. tit.* Pro cuius difficultatis solutione communiter discrimen constitui solet inter casum, in quo abortus contingit circa fœtum iam animatum, aut circa non animatum; ita vt primo casu crimen capitale sit, & lege Cornelia vindicetur: secundo verò casu extraordinarium, & ita extra ordinem puniatur. Ita docuerunt Gomez *l. 3. var. c. 3. n. 32.* Farinac. *in praxi, q. 122. n. 134.* Couar. *l. 2. var. c. 20. n. 10. & in Clement. si furiosus, 2. p. § 3.* Duarenus *ad tit. de extraordin. crimin. c. 2.* Cuiac. *l. 19. obseru. c. 9.* Ant. Matthæus *de crimin. ad tit. de extraordin. crimin. c. 1.* pluribus relatis D. Melchior de Valentia *to. 3. illustr. tr. de liber. & posthum. c. 1. n. 9.* pro quorum sententia faciunt textus *in c. 21. Exodi, vers. 22.* ibi: *Si rixati fuerint viri, & percusserint mulierem prægnantem, exieritque fœtus eius, si quidem informis, mulcta mulctabitur percussor; si verò iam formatus, dabit animam pro anima.* Quem textum ita accepit D. August. relatus *in c. Moyses 32. q. 2.* & textum *in l. si quis 38. §. qui abortionis, ff. de pœnis,* vbi ait Consultus: *Qui abortionis, aut amatorium poculum dant, etsi dolo nõ faciant; tamen* 9 Respondetur vltimæ difficultati.

quia

Digitized by Google

quia mali exempli res est, humiliores in metallum, honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur: quod si eo mulier, aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur. In quo responso tametsi verbum *homo*, plerique referant ad eum, cui poculum præbitum est, vt fecit Valentia *d.c.1.n.7.* alij tamen referunt id non tantùm ad eos, quibus pocula amoris, aut abortionis præbentur, sed & ad fœtum, qui iam homo erat cùm abigeretur. Ita Ant. Matthæus *d.c.1.n.2.* Sed licèt hæc communis distinctio multis, magnisque Auctoribus placuerit, & commodissima videatur ad conciliandum textum *in d.l.4.ff.de extraordin.crimin.* cum dicta lege 8.*ff.ad leg.Cornel.de sicar.* tamen subtiliter, & eruditè D. Ioannes Ramos *de pœna parricidij l.7.n.46.* vt diffidentia Consultorum responsa circa fetus exponat, discrimen constituit inter Stoicos, & Peripateticos Philosophos, Consultosque eorum diuersam scholam sectantes. Stoicorum enim opinio fuit fętum, dum in vtero est, non esse hominem, aut animal, sed partem matris, & portionem viscerum eius, sicut fructus pendens, pars arboris est. Seneca *epist. vnic.* appellauit fętum *maternorum viscerum latens onus*. Quintilianus *declamat.339.* dixit *partem viscerum matris*. Faciunt Plutarchus *l.5. de placitis Philosoph.c.15.* Alexander Aphrodiseus *l.de anima, c.20.* Galenus *l.de histor.Philosoph.* Lactantius *de mundi opificio cap.16.* Vnde Vlpianus, Paulus, Papinianus, Marcellus, qui Stoicorum scholam sectati fuere, senserunt, fętum non esse hominem, animalue: quare Papinianus *in l.in lege 9.ff.ad leg.Falcid.* dixit, partum nondum editum hominem non rectè fuisse: & Marcellus *in l.2.ff.de mortuo inferendo*, fętum esse ait spem animantis, nec qui eum interimit, propriè hominem occidisse. Et Pomponius *in l.vlt ff.de assignand.libert.* non esse in rerum natura asseruit. Et Vlpianus *l.1.§1.ff.de ventre inspiciendo*, scripsit fętum partem matris esse, nec antea credi cognatum, quàm nascatur. Et *in l.1.§.si quis proximior, ff.vnde cognati*, fętum in rebus humanis non esse supponit: & *in l.sed si plures 10.§.1.ff.de vulgari*, *l.vbicumque 7.ff.de ventre in possess.mittend.l.generaliter 24.§.seruo 4.ff.de fideicommiss. libert.l.nomen 164.ff.de V.S.l.penult.ff.de his quæ pro non script.l.si quis 7.§.de fructibus 3.ff.de except. rei iudic.* iuxta quam sententiam idem Vlpianus censuit, posthumo tutorem non rectè dari, *l.si nemo 19.§.vlt.ff.de test.tut.* & ętatem hominis à die natali computari docuit *in l.denique 3.§.minorem, ff.de minor.l.qua ætate, ff.qui testamenta facere*: & muliere prægnante in naue accepta, si postea pepererit, pro filio vecturam non deberi respondit *in l.sed ædes 19.§.si quis mulierem 7.ff.locati*; ideòque ancillæ furtiuæ partum vsucapi non posse, contra Scæuolam docuit *in l. qui vas 48.§.ancilla, ff.de furtis, iuncta l.non solùm 33.l.iusto 44.§.2.ff.de vsucap. l.ancilla 90.ff.de furtis, l.qui in vtero 26.ff.de statu homin.l.si ancillam 4.ff.pro suo, l.qui ob portionem 9.l.seruus 10.ff.pro emptore, l.3.C.eod.* & iuxta eandem scholam Paulus docuit, petita ancilla petitum censeri partum, *in l.Paulus 14.l.partum, ff.de vsur.* & ancilla prægnante pignorata, pignori datum censeri partum, idem docuit *in l.si conuenerit 78.§.si fundus 2.ff.de pignoratitia, iuncta l.& quemadmodum, l.fideiussor 26.§.vlt.l.Paulus 29.§.1.ff.de pignor.l.1.C.de partu pignor.* & ita seruo in vtero existenti libertatem relinqui non posse, docuit *l.4.sentent.tit.14.l.cùm inter, C.de fideicommiss.libert.* & partum in potestate patris morientis non fuisse innuit ipse *in l. vlt.ff. de collat.bonor.l.vlt.ff.de assignand. libert.* & ita fętus patri ad excusationem tutelæ non prodest, *l.2.§.qui autem 6.ff.de excusat. tutor.* Et licèt plerumque in iure fętus comparetur filijs iam natis, *l.2.§.qui autem, ff.de excusat. tutor.l.intelligendus 53.ff.de V.S. l.qui in vtero 7. & 26.ff. de statu hominum, l.si quis 187.ff.de R.I.* tamen id iuris fictione, vel Prætoria æquitate effici satis innuunt illa verba: *Intelligitur, videri quodammodo*; quibus vtuntur Consulti *in l.is qui 18.ff.quando dies legati, l.intelligendus 153.ff. de V.S. l.vel si viuo 7.ff.de suis & legit.l.si quis 187.ff.de R.I.* Iuxta hanc ergo Stoicorum sententiam matrem partum abigentem non pœna ordinaria homicidij, sed extraordinaria puniendam esse, Consulti ipsi docuerunt *in d.l.4.l.3.§.2.ff.ad leg.Corn.de sicar.l.Diuus 4.ff.de extraordin cognit.l.si quis 38.§.qui abortionis, ff. de pęnis*. Philosophi verò qui contrà sentiebant, consequenter existimarunt, in eo verum homicidium dari, vt probant Galenus *vbi suprà*, Aristotel. *l.2.de histor. animal.* Plato apud Plutarchum *l.de placit.Philosoph.5.c.25.* & qui iuxta eorum scholam crediderunt partum adhuc in vtero latentem animal esse, docuerunt abortum procurantem pęna ordinaria homicidij puniri. Philo *in specialibus legibus*, Iosephus *l.4.antiquit.c.8.* Athenagoras *in Apologet.prope finem*. Tertul. & Minut. Felix suprà relati. Vnde cùm Ecclesia semper crediderit fętum animatum verè hominem esse, *c.nasci, 56.dist.c.si ad matris 114.de consecr.dist.4.* quia ad essentiam hominis duo principaliter exiguntur, corpus videlicet, & anima, *c.in quadam, de celebrat.Missar.Clement.1.de summa Trinit.* ideò in pręsenti, & in alijs canonibus suprà congestis, abortus vt verum homicidium vindicatur. Nec pro Stoicorum sententia facit textus *in cap.qui in maternis, de consecr.dist.4* in illis verbis: *Qui in maternis vteris est, baptizari non potest, quia qui non est natus secundùm Adam, non potest secundùm Christum renasci*. Ex quibus deduci videtur, fętum adhuc post animationem hominem non esse; cuius interpretationem dedi *in c.maiores 3. de baptismo.* Videndus post Lipsium, & neotericos Retes *in selectis ad l.Attiniam, sect.4.*

10 Ex suprà traditis exponendus est textus *in l.Cicero 39.ff.de pęnis*, vbi Triphonius, qui Stoicorum sectator fuit, vt probat D Ioannes Ramos *d.l.7. num.130.* refert Milesiam quandam mulierem, cùm esset in Asia, eo quòd ab hæredibus secundis accepta pecunia partum sibi medicamentis ipsa abegisset, rei capitalis esse damnatam: ex quo textu deduci videtur, etiam iuxta Stoicorum sententiam aborsum pęnis ordinarijs homicidij puniri. Ant. Matthæus *d.c.1.nu.2.* docet quod cùm legibus, non verò exemplis iudicandum sit, parum attendi debet casus ille à Triphonino relatus, qui in Asia contigit: verùm iuxta traditam distinctionem rectiùs textum illum accipit D. Ioann. Ramos *d.l.7.n.205* iuxta sententiam Philosophorum; nam cùm casus ille contigisset Mileti apud Athenienses, vt refert Cicero *in oratione pro Cluentio*, & probat Pancirola *l.2 var. cap.51.* & Mileti non Stoicorum sententia obtinuisset, vt Romæ, sed potiùs iuxta communem scholam sapientium receptum esset, fętum in vtero existentem, hominem, animalque esse; ita verum homicidium dari rectè pronunciatum fuit Mileti, quod erat Colonia Atheniensium. Ammianus Marcel. *l.22.* ibi: *Atheniensium coloni Milesij inter Iones alios in Asia per Mileum multò antè locati.* Terent. *in Adel.*

Exponitur l. Cicero, ff. de pœnis.

M. Venit vt secum auehat.
Nam habitat Mileti. Æ. Hem
Virginem vt secum auehat!
M. Sic est. Æ. Miletumque obsecro.

Strabo *lib.14. geograph.* Ouidius *lib.9. Metamorph.* rectè ait mulierem abortum facientem capitali pęna puniri, quia verè homicidium perpetrauit. Nec interest, quod in eius textus specie mulier pecuniam accepit, vt partum abigeret, vt notauit D. Ioannes Ramos *vbi suprà, nu.194.* contra eos, qui existimarunt, ob illius pecuniæ interuentionem mulierem pęna Capitali affectam fuisse. Quidam etiam existimabant, in prima parte ipsius textus ideò matrem pęna capitali puniri, quia pecuniam accepit vt partum abigeret, & ita assassinatum committeret: in secunda verò non ita puniri, quia non quæstus causa aborsum procurauit.

C A P V T IV.

Alexander III. *Bartholomæo a Exon. Episcopo.*

Sicut dignum, & omni rationi consentaneum est graues, & difficiles quæstiones ad examen Apostolicæ Sedis deferri: ita etiam nobis ex ministerio susceptæ solicitudinis imminet easdem quæstiones, prout nobis Dominus dederit, soluere, & singulis à nobis consilium postulantibus respondere, vt prouidentia Romanæ Ecclesiæ, quæ vbique terrarum obtinet, disponente Domino,

princi-

principatum, quæstiones soluantur, & remoueatur in his ambiguitas singulorum de cordibus. Licèt autem super quæstionibus, quas nobis discretio tua soluendas direxit, te non dubitamus prouidum, & circumspectum existere; cogimur tamen ex suscepto seruitutis ministerio iuxta discretionem, & prouidentiam nostram tibi exinde respondere. Sanè cùm vir litteratus sis, & sapiens, & discretus in his, ac plurimùm exercitatus, pleniùs nostri, quia in excessibus singulorum non solùm qualitas delicti, & quantitas, sed *b* ætas, & scientia, & sexus, atque *c* conditio sunt attendenda. Quia non solùm secundùm qualitatem, & quantitatem facinoris, sed secundùm ea, quæ prædiximus, & secundùm locum, & tempus, quo delictum committitur, vnicuique debet pœnitentia indici; cùm sicut tu ipse non ignoras, idem excessus magis in vno, quàm in alio sit puniendus. Illi autem qui animo occidendi illum sanctum, & reuerendum virum, Cantuariensem quondam Archiepiscopum, aut feriendi, aut capiendi, si de illa captione mors illi subsecuta fuisset, & citra manuum iniectionem se fatentur venisse, pari pœna, vel ferè pari puniendi sunt: & illi etiam, qui non vt ferirent, sed vt percussoribus *d* opem ferrent, si fortè per violentiam, quam quidam moliri volebant, impedirentur, paulò minori debent pœna mulctari; quia cùm scriptum sit: Qui potuit hominem liberare à morte, & *e* non liberauit, eum occidit; constat ab homicidij reatu immunes non esse qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt: nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare Illi verò, qui se asserunt animum Regis inflammasse ad odium, vnde fortè homicidium fuerit subsequutum, durè, & asperè, sed non ita seuerè sunt puniendi, nisi fortè Regem ipsum ad illud homicidium suis suggestionibus prouocassent. Illi quoque non fuerunt à culpa liberi, nec à pœna debent esse immunes, qui licèt fuerint illius iniquæ machinationis ignari, tamen eis, quos sicarios esse sciebant, in sarcinis custodiendis ministerium præbuerunt. Eos verò, qui dicunt illius sancti viri, & suorum post mortem eius occupasse spolia, si nihil aliud in tanto facinore commiserunt, à pœna mortis eius arbitramur esse immunes. Sed quæ occupauerunt, eis quorum fuerunt, tenentur in integrum restituere, si habent in facultatibus vnde ea possint reddere: & ipsis ex hoc pœnitentia, moderata tamen, est indicenda, quia licèt quidam ex his ea quæ occupauerunt, fateantur se pauperibus erogasse, non tamen alienas res, cùm ipsas potuissent eis, quorum fuerunt, restituere, debuerunt pauperibus erogare. Illis verò, qui sola excommunicatorum *f* participatione se reos esse cognoscunt, considerata temporis mora, in quo in eadem nequitia perdurarunt; & inquisito etiam, si eis timore, vel affectione communicauerint scienter, vel ignoranter, secundùm hoc pœnitentia est indicenda. Clericos autem, quos constat armatos interfuisse tanto facinori, & illos etiam clericos, qui consilium illud dederunt, vt sanctus vir caperetur, perpetuò non solùm ab altaris ministerio deponendos esse censemus, sed ita etiam, quod in Ecclesijs nullo vnquam tempore *g* lectiones legant, vel responsoria in choro cantent; sed in psalmis apud Deum de commisso satagant veniam implorare. Insuper autem clerici ipsi in districto claustro *h* monachorum, vel canonicorum regularium, si fieri potest, sunt recludendi: ita quidem, quod vsque ad septennium, vel quinquennium debeant ab introitu Ecclesiarum coerceri.

N O T Æ.

1 a *EXoniensi.*] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. & post Concilium Lateran. *part.* 35. *cap.* 1. Scribit autem Alexander Exoniensi Episcopo, quia Antistites Eboracensis, Lundoniensis, & Saresbariensis fauebant Henrico Regi Angliæ, immò & pacem initam inter ipsum Regem, & Beatum Thomam rescindere curabant, vt refert Baronius *anno* 1170. In præsenti autem textu agitur de nece, & martyrio B. Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, qui post varias clades, & peregrinationes, tandem ad Ecclesiam suam reuersus, dum in ipsa Ecclesia cum suis clericis, & monachis vespertinum officium persolueret, varij milites districtis gladijs irrumpentes eundem furiosis clamoribus appellare cœperunt; qui primùm ædituos arguens, eo quòd milites excludere tentarent, dicens non esse Ecclesiam castrorum more custodiendam; mox seipsum ingenti animo militibus mortem minantibus offerens, seque paratum esse dicens pro Deo mori, & pro libertate Ecclesiæ, atque ijsdem sub anathemate prohibens ne cuiquam omninò ex suis, siue monacho, siue clerico nocerent; demùm in modum orantis inclinato capite, mira constantia ferales expectauit ferientium ictus, & ita martyrij palmam assequutus fuit die 29. Decembris, anno 1170. cuius martyrium, & gesta cum Henrico II. Rege Angliæ referunt scriptores ipsius vitæ, Geruasius *anno* 1154. Vergil. *libr.* 3. *histor. Angliæ*, Richardus Smitheus *in floribus Ecclesiæ Anglic. lib.* 7. *de Archiepiscop. Cantuar. cap.* 7. Nauclerus 2. *tom. gener.* 40. *fol.* 205. Paulus Æmilius *in vita Ludouici*, *fol.* 110. Ioannes Maior *de Schotor. gestis*, *cap.* 16. Sanderus *lib.* 1. *schism. Angliæ*, Ribadeneira *in histor. Angliæ*, *lib.* 1. *cap.* 38. Pineda *lib.* 20. *Monar. cap.* 27. §. 30. & *lib.* 28. *cap.* 22. §. 2. Vnde quia in hac sancti Thomæ nece fuerunt plures tam clerici, quàm laici, qui Henrico fauentes, mediatè, vel immediatè martyrio, & persecutionibus Sancti operam dederunt; ideò in præsenti epistola Alexander III. præscribit Exoniensi Episcopo formam, quam obseruare debet in imponendis pœnitentijs his sceleratis hominibus: quare post Concil. Lateran. *d. cap.* 35. textus hic compilatur *sub tit. de pœnitentia.*

b *Sed ætas.*] Vt dicemus infrà *in cap.* 1. *de delict. pueror.*

c *Conditio.*] An videlicet nobiles, vel ignobiles sint, vt ita seueriùs, vel leuiùs, iuxta conditionem puniantur, *cap. cùm quidam*, *de iureiur.* vbi probaui. 2

d *Opem ferrent.*] Et ita cùm pluribus insidiantibus homicidium perpetratum est, omnes tenentur, vt probat Sesse *tom.* 1. *decis.* 103. 3

e *Non liberauit.*] Vt probant vltra relatos à Barbosa *in præsenti*, Gibalin. *de Irregul. cap.* 4. *consect.* 13. *fol.* 141.

f *Participatione.*] Ob quam communicantes cum excommunicatis maiori excommunicatione ligatis minorem excommunicationem incurrunt, vt dicemus *in cap. significauit*, *de sentent. excommun.* 4

g *Lectiones.*] De quibus egi, & de responsorijs *in cap.* 1. *de celebrat. Missar.*

h *Claustro monachorum.*] Pœnitentiæ peragendæ causa, de qua detrusione egi *in cap.* 1. *de irregul.*

C A-

C A P V T VII.

a Idem.

PResbyterum, qui quendam puerum intuitu *b* disciplinæ percussit in capite, cùm post paucos dies exspirasset, tam ab omni altaris ministerio debes perpetuò remouere, quàm ab officio sacerdotali deponere, si ex ipsa percussione interijt, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noscitur exspirasse.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit, cap,* 8. & post Concil. Lateran, *part.26.cap.* 4. vbi additur, *pars capitis Licet*. Vnde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap. licèt, de sponsa duor. cap.* 1. *de corpore vitiat, cap.*6. *de iudic. cap.*10. *de accusat, cap.* 1. *&* 2. *de cleric, pugnant.*

2 b *Disciplinæ.*] Quæ modica, & leuis præceptoribus, ac magistris permittitur, *l, sed etsi*, §. *vltimo*, *cum l. sequenti*, *ff. ad leg. Aquil, l, item quæritur*, §. *si magister*, *ff. locati*, *cap. si quis non iratus* 15. *qu.* 1. *cap, circumcelliones* 23. *quæst,* 5. *cap, aut facta* 19. *de pœnit. dist.* 1. Concil. Arelat. 2. *cap.*34. facit lex 9, *tit.*8. *partit,* 7. qui modus coercitionis, inquit D. Augustin. relatus *in cap.* 1. 23. *quæst.*5. à Magistris artium liberalium, & ab ipsis parentibus adhibetur. Contrà verò in emendandis, corrigendisque discipulis nimiam præceptorum acerbitatem, atque sæuitiam damnarunt Quintilianus *libr.* 1, *instit. cap.*4. & *lib.*2. *cap.*2. Martialis *lib.* 2. *epigr.* 62. & iure hoc Pontificio Præceptor clericum immoderatè castigans, & disciplinæ causa percutiens, in excommunicationem canonis *si quis suadente*, incidit: leuiter verò correctionis, & disciplinæ causa percutiens, non item, *cap,* 1. *cap. cùm voluntate* 54. §. *fin. de sentent, excommun.* & minis, ac ferulis non debere Præceptorem nisi perrarò vti, multi bonæ notæ Auctores monent; immò blanditijs pueros ad studia alliciendos esse docent D. Augustin, *lib.* 21. *de ciuit. Dei*, *cap.* 14. ibi: *Per pœnas doloribus plenas pueri non cogantur quæque artificia, vel litteras discere; ipsum namque discere, ad quod pœnis adiguntur, tam pœnale est eis, vt nonnunquam ipsas pœnas, per quas compelluntur discere, malint ferre, quàm discere*. Alia congesserunt Claudius Espenceus *lib.2.digress. cap.*3. Fornerius *lib* 1, *rer. quotid. cap.* 3. Cur autem ex tali sæuitia non detur actio iniuriarum in Magistrum, sed tantùm actio legis Aquiliæ, exponit D. Ioann. Suarez *ad leg. Aquil. lib.*3. *cap.* 6. *sect.* 1. Cùm ergo in præsenti casu clericus peccasset lethaliter nimia sæuitia discipulum castigando, ideò efficitur irregularis, vt docent Couarr. *in Clement. si furiosus*, 2. *part.* §. 4. *num.*5. Gibalinus *de irregul. cap.*4. *part.*1, *consectar.*1, *regul.*2.

C A P V T VIII.

Idem *a* *Consentino Archiepiscopo*.

COntinebatur in litteris, quas nobis tua deuotio destinauit, quod diaconus præsentium lator, iste, & quidam clerici, qui rogati ad vineas Ecclesiæ putandas perrexerant, circa vesperas *b* opere consummato, cùm redirent, leuandi laboris gratia quendam ludum imitati sunt viatorum, proijcientes baculos suos in longum. Studebant enim in directum iacere, & alter alterius fustem ferire. Huius autem ludi, sicut asserunt, solet esse conditio, vt qui alterius baculum percuteret, quasi victor, eo cuius baculus percussus est, vteretur pro equo: sed præfati clerici equitandi licentia non vtentes, sola iactione erant contenti, vt dum alacriùs ad baculos suos concurrerent, laborem itineris non sentirent. Quidam autem laicus, sicut prædictus diaconus asseruit, dum baculum eiusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiluit, & sic à falce ipsius diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo exspirauit. Inde est, quod commonemus f. t. atque mandamus, quatenus eundem diaconum sine licentia Romani Pontificis superiorem gradum suscipere, vel in diaconatus officio nullo vnquam tempore ministrare permittas; sed eum dispensatiuè ministrare in subdiaconatus officio *c* patiaris.

N O T Æ.

1 a COnsentino.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit, cap.* 9. Consentia, vel Cossentia, hodie *Cossenza* dicta, est ciuitas Italiæ in prouincia Brutiæ: habuit Cathedram Episcopalem iam à primis Ecclesiæ sæculis, & D. Gregor. *lib.*7. *epist.* 47. rescribit Palumbo Episcopo Cossentiæ: refert Carolus à sancto Paulo *lib.*1. *Geograph. sacr. fol.*60.

b *Opere consummato.*] Nam clericis etiam presbyteris opus rurale exercere sacri canones permittunt, vt probaui *in cap.*1. *de celebrat. Missar.*

2 c *Patiaris.*] Duplici ratione præsentem Alexandri III. decisionem niti Glossa existimauit in præsenti, quam sequitur Nauarrus *in manuali*, *cap.* 27. *num.* 235. Prima, quia diaconus dabat operam rei illicitæ, quia ludus clericis cum laicis prohibitus est. Belletus *disquisit. cleric. part.* 1. *tit. de disciplin. cleric.* §. 4. *num.* 17. Altera, quia Diaconus non adhibuit diligentiam in damnò præcauendo, amouendo falcem, non ignarus conditionis ludi; quæ ratio magis placet Couarr. *in d. Clement. si furiosus*, 2. *part.* §. 4. *num.* 8. Gutierrez *lib.*2. *canonic. quæst.*6. Pantoiæ *de aleatoribus*, *ad l.* 2. *num.* 46. Gibalino *d. consect.* 1. Nec tunc obstat textus *in cap. lator*, sequenti, vbi in simili specie, cùm duo clerici in colluctatione decertarent, alter alterum deiecit, & deiector gladio, quem deiectus ad latus portabat, vulneratus occubuit; & nihilominus asserit Pontifex, ad sacros ordines clericum ascendere posse. Pro cuius textus solutione Glossa *in præsenti*, Gutierrez *suprà*, *num.* 124. Syluester *in summa*, *verbo Homicidium*, Sotus *de iustitia lib.* 5. *art.* 9. docent in specie textus *in d. cap. lator*, clericum deiectum omnem adhibuisse diligentiam, nullamque culpam admisisse; immò clericus percussus in culpa fuit alterum prosternendo. Sed hæc solutio facilè conuincitur ex eo, nam exactiorem diligentiam adhibere poterat clericus ille amouendo falcem. Igitur si eam non adhibuit, manet irregularis. Quare placuit solutio Pantoiæ *vbi suprà*, qui rectè obseruat, in eo textu non agi de colluctatione, in qua sperari posset, vt alter alterum deijceret; sed potius de ludo: vnde extra votum, & ludi vsum lasciuientes alter alterum vi deiecit: & ita cùm iuxta conditionem ludi non teneretur ludens falcem amouere, ideò omninò inculpatè processit clericus deiectus, & per consequens nullam irregularitatem contraxit. Qua etiam doctrina exponendus est textus *in cap. exhibita*, *el* 2. *hoc titulo*.

CAPVT IX.

Idem a *B. Exon. Episcopo*.

LAtor præsentium nobis viua voce proposuit, quòd quadam die, cùm casu cum quodam clerico luderet, contigit, quòd ille proiecit istum ad terram, & *b* cultellus, quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, & fortuitò vulneratus occubuit. Eundem itaque ad vos duximus remittendum, d.v.p.A.f.m.quat. rei veritate comperta, & si ita res se habuerit, & alia iusta causa non impedit, prædictum D. liberè permittatis ad sacros ordines promoueri.

NOTÆ.

1 a B. *Exoniensi*.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 10. idest Bartholomæo, de quo egi suprà *in cap.* 7. Post Concil. Lateran. *part.* 26. *cap.* 14. legitur etiam, *Exoniensi Episcopo*; & in margine additur, *pars capitis Tanta*: vnde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in cap. tanta, qui filij sint legitimi*.

b *Cultellus*.] Quem deferre potest clericus, quia armorum appellatione non continetur, vt probat Bobadilla *lib.* 1. *polit. cap.* 13. *num.* 73. & dixi *in cap. clerici arma, de vita & honest. cleric.* 2

CAPVT X.

Idem *Abbati* a *S. Benedicti de Neuia*.

SVscepimus litteras tuas, & cognouimus ex earum tenore, quòd dum lator præsentium in custodia cuiusdam domus cum altero fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipsos in personis affligere, & denudare vestimentis proprijs præsumpserunt. In quos isti resumptis viribus insurgentes ligauerunt illos, & detinere vsque ad notitiam Capituli voluerunt. Cùm autem iste, rem ad tuam audientiam perlaturus, ligatos eos in fratris sui custodia dimisisset, & fures se soluere niterentur, frater illos, ne ipse ab eis interimeretur, occidit. Vnde, quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere iacturam, quàm pro conseruandis vilibus rebus, & transitorijs, tam acriter in aliquos exardescere, abstineat iste humiliter ab altaris *b* obsequio, & peccatum suum, quibus modis ad arbitrium tuum potuerit, vterque studeat expiare. Constat siquidem, eos contra rationem, & mansuetudinem, & ecclesiasticam disciplinam ex vtriusque opere interemptos.

NOTÆ.

1 a SAncti *Benedicti de Neuia*.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 11. post Concil. verò. Later. *part.* 50. *cap.* 17. legitur tantùm, *S. Benedicti*. Illud semper constat, in præsenti alloqui Pontificem cum Abbate monasterij Sancti Benedicti; sed non exprimitur, cuius diœcesis, vel prouinciæ.

b *Ab altaris obsequio*.] Varia pro huius textus expositione adduxerunt Anguianus *l.* 4. *de legibus*, *c.* 4. *n.* 36. Suar. *de censur. disp.* 46. *sect.* 2. *n.* 10. Genuēsis *practic. q.* 660. Vuisembach. *disp.* 4. Fräciscus Valēs *to.* 2. *concord. iur. fol.* 321. Sed veram eius interpretationē adduxi *in c.* 2. *supr. hoc tit.* 2

CAPVT XI.

Idem a *Lucensi Episcopo*.

DE cætero noueris, quòd diaconus, quem litterarum honestate præditum asseris, qui homicidio causam dedisse videtur, sicut ex tenore tuarum litterarum perpendimus, non videtur ad sacerdotium promouendus.

NOTÆ.

a LVcensi.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 12. vbi additur, *pars capitis Consuluit*. Vnde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in c. consuluit* 4. *qui clerici vel vouent*. vbi notaui. De Lucensi perantiqua Italiæ ciuitate alibi egimus, vbi, quando Cathedra Episcopali decorata fuerit, etiam indicauimus.

COMMENTARIVM.

1 *Conclusio traditur, & probatur.* IN his quinque decisionibus præcedentibus, & in sequentibus vsque ad finem tituli præcipuè agitur de homicidio casuali; & varij casus deciduntur circa illud culpabiliter, vel non admissum; ita vt illud committens maneat irregularis, vel non. Et communiter repetentes, & antiquiores, tam Theologi, quàm Iurisperiti, sub sequenti distinctione ea iura accipiebant, & exponebant, videlicet vt dans operam rei illicitæ, homicidio sequuto, etiam inuoluntario, irregularis maneat; dans verò operam rei licitæ, immunis sit ab omni irregularitatis nota, si adhibeat diligentiam, quam debebat adhibere. Sed veriorem, & magis iuribus sub hoc titulo compilatis consonam credo distinctionem nouiter explicatam à Gibalino *c.* 4. *q.* 2. *per totam*, iuxta quam sequentem assertionem disputãdam propono: *Qui lethaliter peccat ob non adhibitam diligentiam in homicidio præcauendo, irregularis manet, siue rei illicitę, siue licitæ operam dederit. Qui verò nullam lethalem culpam admisit, etsi sequatur homicidium omninò casuale, & inuoluntarium, irregularis non manet, siue rei licitæ, siue illicitæ operam dederit*. Quam conclusionem firmant, seu iuxta eam procedunt textus *in c. presbyterum* 7. *c. continebatur* 8. *c. lator* 9. *c. suscepimus* 10. *c. de hoc* 11. *c. dilectus* 13. *c. exhibita, el* 1. *y el* 2. *c. significasti* 16. *c. sua nos* 19. *c. Ioannes* 23. *c. quidam* 25. *hoc tit. c. quæsitum* 17. *de pœnis, & remiss. c. miror, c. si quis viduam, & ferè per totam* 50. *dist.* Innoc. III. *lib.* 1. *epist. apud Sirletum, fol.* 90. ibi: *Exposuit nobis dilectus filius M. presbyter de Stabulis, quòd cùm olim inuitatus à quibusdam pueris de manu vnius eorum arcum recepisset, & sagittam, & eam dirigere voluerit in arborem, quę obstabat, manu errante sagitta eadem discurrens per aerem, puerum quendam valdè distantem modicùm vulnerauit in capite: propter quod idē puer creditur postmodùm exspirasse. Quod cùm idem presbyter bonæ memoriæ G. prædecessori tuo, frater Archiepiscope, spontè curasset humiliter confiteri, ipse pœnitentiā & contritionem ipsius attendens, super beneficio Ecclesię de Stabulis, quā in Archidiaconatu tuo, fili Archidiacone, adeptus fuerat, misericorditer dispensauit, vt ipsū, quoad*

quoad viueret, possideret: mandans eidem, vt ad Sedem Apostolicam accederet, mandatis super officio Apostolicis pariturus. Quia verò in hoc non ex voluntate (sicut asserit) sed casu deliquit, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si verum est quod asserit; factam eum eo misericordiam attendentes, & quod à dicto Archiepiscopo factum est ratum habentes, & firmum, eum super beneficio prædicto propter hoc nullatenus molestetis, aut patiamini ab alijs molestari. Datum Romæ apud S. Petrum. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Pantoia *de aleat. ad l 2.n.45.* Vighel. *in methodo iur. can. fol.* 268. Petrus Greg. *lib 4.partit. tit.13.c.fin.* Gutierrez *lib 2. canonic. quæst. 6.* Claudius Espenceus *ad epist. D. Pauli, lib. 2. digress. c.3.* Suarez *de censur. disp.45. sect.5.* Franc. Valens *in concord. iuris, fol.*321. Diana *part.11. tract 6. resol.25.* Maiolus *de irregul. lib.5.c.48 §.3.* Vgolin. *eod. tract. c.18.§.1.* Sayrus *lib.9. de censur. disp.32* Bonacina *eod. tract. disp.7.q.14. puncto 7.* Hurtado *de irregul. disp.2. n.28.* Auila, Layman, Lessius & alij, quos refert Gibalinus *de irregul. c.4. reg 2.*

2 Impugnatur tradita assertio.

Sed in hanc assertionem, quæ duplicem continet partem, duplici etiam insurgo dubitandi ratione; & primò in eam partem vbi asseritur, ob homicidium casu admissum, non adhibita diligentia, etiam etsi inuoluntariè, irregularitatem contrahi, sic argumentor In delictis coercendis animus magis quam exitus, & affectus potiùs quàm effectus attenditur. Paulus *lib. 5. sentent. tit. 23.* Quintil. *declamat.*281. Vnde interdum qui hominem occidit, absoluitur; & qui non occidit, pro homicida damnatur, *l.1 §. Diuus, ff. ad leg. Corn. de sicar. l. is qui eum telo, Cod. eod. tit.* isque demùm legum pœnis obnoxius est, qui consultò, non ignoranter delictum admisit. Tertul. *de pœnit.* ibi: *Quid quod voluntas facti origo est? viderint enim si qua casui, aut necessitati, aut ignorantiæ imputantur: quibus exceptis iam non nisi voluntate delinquitur.* Huc spectat defensio illa, quam attingit Cicero *lib. 3. de Oratore*, & in topicis ad Trebatium. *Iacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ: ex quo aries ille subijcitur in vestris actionibus, si telum manu fugit potiùs quàm iecit.* Vbi Boetius ita explicat: *Si quis cædis accusetur, optima solet esse defensio, fugisse manu telum, & magis quàm voluisset, iecisse.* Faciunt textus *in c. si homicida 23. quæst.5. l. si ex plagijs 52. §. in cliuo, ff. ad leg. Aquil.* Paulus *lib. 5. sentent tit.23. §. qui hominem*, Seneca *lib.4. de benefic. c.34* Illustrat Cuiac. *lib.19. obseru. c.10. & lib.6. different. Modest. in l. si seruum 27. ff. de accusat* notaui *in can.5. Concil. Illiber.* Igitur ob homicidium casuale, & inuoluntariè commissum non debet tam grauis pœna, irregularitatis videlicet, imponi. Secundò in secundam partem assertionis, vbi docetur ex homicidio casuali, adhibita omni diligentia commisso, irregularitatem non nasci, argumentor ita. Omni iure ob homicidium casu admissũ, etsi inuoluntariè, aliqua pœna statuta est; nam apud Græcos homicidium casu admissum exilio plectebatur, *l. aut facta 16 §. euentus, ff. de pœnis*, Demosthenes *in oratione contra Timocratem, & contra Midiam*, quam transcripserunt Gratianus *sub distinct.1. de pœnit.* Harmenopulus *in promptuar. iur. lib.6 tit.6. §.12.* & pro iure Græco-Romano proposuit Ataliata in Synopsi Basilic. *tit.* 78. his verbis: *Inuoluntaria cædes exilium irrogat.* Ex Platone, & Pausania ita legem accepit Samuel Petitus *ad ius Atticum lib.7. tit.1. Qui alium casu fortuito necasset, extra fines annum patriæ exul esto.* Apud Romanos etiam exilium quinquennale pœnam fuisse patratæ cædis imprudenter, prodijt Quintil. *lib.7. instit. c 4.* & *declamat.96. & 305.* ad quam pœnam respexisse videtur Vlpianus *in l.4. §.1. ff. ad l. Corn. de sicar.* quæ restituenda erit ex pariatore legum Mosaicar. & Romanar. *tit.1.* Illustrant Rodulph. Forner. *lib.3. rer. quotid. c.17.* & *lib 6. c.24.* Guillel. Forner. *lib.1. select. c.10.* Scipio Gentil. *lib.1. parerg. c.31.* Solorzanus *lib.2. de pœna parricid. c.17.* D. Nicol Anton. *lib. 1. de exil. c.6.* D. Ioannes Suarez *lib.1. ad l. Aquil. c.2. sect.9.* Grotius *in floribus ad textum in l. aut facta 16. ff. de pœnis*: pleniùs notaui *in d. can 5. Concil. Illiber.* & iuxta sacros canones pro homicidio facto, & imprudenter admisso quinquennalis pœnitentia iniungitur in Concilio Ancyrano *can.22* relato *in c. eos 42.50. dist.* Concil. Epaun. *can.31.* D. Basil. *ad Amphiloch. can.11.* ibi: *Qui autem inuoluntariam cædem fecit, in vndecim annis abundè iudicio satisfecit.* Et *can.51.56. & 57.* quorum verba refert Anton. Augustin. *in epit. iur. lib.35. tit.1.* Igitur si in homicidio casuali, & per imprudentiam admisso culpa datur pœnitentia expianda, debet talis homicida irregularis manere, præcipuè cùm ad irregularitatem contrahendam propter homicidium non desideretur culpa, vt contingit in Iudice reum iustè ad mortem condemnante, qui ob lenitatis defectum irregularis manet.

Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, irregularitatem, de qua in præsenti titulo agitur, communiter ita definiri, vt sit *Canonicum impedimentum ex homicidio prouenniens, quo quis prohibetur ad ordines ecclesiasticos promoueri, & in eisdem ministrare.* Quam adduxerunt Villadiego, Maiolus, Gibalinus, & alij communiter scribentes de irregularitate. Dixi canonicum impedimentum, quia hęc irregularitas omninò est iuris ecclesiastici, non verò iuris diuini; nã in lege veteri homicidę poterant in sacerdotio ministrare, vt refertur *in c. nos incompetenter, §. ista, el 2.2.q.7.* & *in c. non inferenda 23. q. 3.* vbi D. Ambrosius refert Mosem Ægyptium quemdam interfecisse: quod etiam habetur *Exodi c.2.* & tamen is Domino altare erexit, & consecrauit, vt refert *Exodi c. 31.* & *in c.1. de consecrat. dist. 1.* & Probatur *ex c. is qui, de sent. excom. lib.6.* vbi docet Bonifacius VIII. irregularitatem non contrahi nisi in casibus à iure Pontificio expressis. Facit textus *in c.2. de cleric. pugnant.* docuerunt Villadiego, & Maiolus *suprà*, Couuar. *in Clement. si furiosus, 1. par. in initio, n.3.* & *2. part. §.3. n.3.* qui inde rectè inferunt, quod cùm Pontifex sit supra omne ius positiuum, in quacunque irregularitate ex homicidio etiam voluntario prouueniente dispensare potest. Nec contrarium probat textus *in c. miror, 50. dist.* vbi doceri videtur, non posse Romanum Pontificem cum clerico homicida dispensare; nam omissis varijs interpretationibus adductis per Archid. & Præpositum, respondendum est, Episcopum, de quo ibi mentio fit, non petijsse à Pontifice, vt cum clerico homicida dispensaret, sed tantùm vt approbaret factum ipsius Episcopi, qui dispensauerat, vt vlteriùs homicida post peractam pęnitentiam celebraret: quod asperè reprehendit Pontifex, & ægrè fert: tum quia sacerdotio priuatus priùs debuit lachrymarum fonte tam immane flagitium diluere, vt talibus remedijs curatus, salutis possit inuenire suffragium. Tum etiam, quia voluit ostendere Ioannes Pontifex illius textus auctor, non esse Episcopis concedendam licentiam ad dispensandum cum clerico homicida, vt post perpetratum homicidium possit in sacerdotio ministrare: quod adeò verum est, quod prohibeatur etiam Episcopis dispensare circa irregularitatem ex homicidio occulto prouenientem. Conc. Trident. *sess.24. de reform. c.6.* Couar. *in d. clement. parte 2. §.3 n.4.* Syluester *verbo Homicidium 3.q.8.* Nauarr. *in Manual c.27. n.240.* quamuis Summus Pontifex in ea irregularitate faciliùs dispenset, quia cessat scandalum, iuxta textum *in c. nisi cùm pridem, de renunc.* Poterit Episcopus dispensare in homicidio iusto occulto, *ex d. c.6. Concil. Trident.* vt probabile dicit Marinis *lib. 1. resol. c.105.* quamuis ipse contrariæ sententiæ adhæreat. Et cum homicida voluntario dispensari posse quoad beneficium simplex obtinendum, ex textu *in d. c.2. de cleric. pugnant*, docuerunt Socinus & Felinus *in c. ad audientiam, hoc titulo.* 3 De irregularitate ex homicidio.

Nec suprà traditæ sententiæ obstat, quod Apostolus *ad Timoth. cap.3.* prohibuit homicidam ministrare in sacerdotio, vnde videbatur impedimentum hoc esse iuris diuini, nec Pontificem in eo posse dispensare, iuxta textum *in c. sunt quidam 25. quæst.1.* Nam respondendum est, quod licèt in his, quæ pertinent ad articulos fidei, non possit Pontifex dispensare contra Apostolorum decreta, in alijs tamen potest, vt docet Glossa *verbo Apostoli, in d. cap. sunt quidam:* quam sequuntur Turrisсremata *in Summa, lib.3. c.54. & 57.* Dominic. Sotus *lib.5. de iustit. q.1. art.4.* & notauimus iam *in c.3. de bigam. non ordin.* Nec etiam obstat textus *in c.22. & 28. Paralip. lib.1.* ibi: *Non ædificabis mihi templum, quia vir sanguinis es.* Quæ auctoritas etiam habetur *lib.2. Regũ, c.7.* & *in c.1. de consec. dist. 1.* & *in c. si quis omnẽ*, iuncta Glossa *verbo Et quod dixerit, 1. q 7.* Vnde videtur impedimentum hoc prouenire à iure diuino. Nam respondendum est, auctoritatem illã esse intelligendam figuratiuè; illud enim templum designauerat Ecclesiam Catholicam, quæ fundanda erat in pace, & charitate, iuxta illud Pauli *ad Ephes. c.4. Solicitè seruate vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Ecclesia enim, & eius ministri seruare debent lenitatem, & mansuetudinem Christi, *c. pœna, cap. vnum solum, 23. quæst.5.* tra- 4 Exponuntur variæ sacræ paginæ auctoritates.

tradunt D. Thomas 2. 2. q5 40. *art.2.* & *q.64. art 4. ad 3.* Præpos. *in c.miror,* 50. *dist.* Sotus *d.lib.5.de iustit q.1. art.4.* vnde vt figura responderet figurato, oportebat templum illud figuratiuum in pace, & mansuetudine fundari. Et quoniam Dauid Rex bellator erat, & sanguinem fuderat, prohibitus est illud ædificare, vt explicat Glossa *verbo Prohibitus, in c.1.de consecr.dist.1.* Couarr. *d.2.p.§.3. num.3.* Pineda *de rebus Salomonis, lib.3.cap.5.sect.2.* Theophilus Raynaud. *tom.17. tract.de relig. loric.fol.248.*

5 De variis homicidiis. Dixi in definitione *ex homicidio proueniens*, vt comprehenderem quodlibet homicidium, videlicet tam voluntarium, quàm casuale, vel etiam iustum. Et licèt voluntarium homicidium Theologi appellent omne, quod culpam continet, & delicti expers non est; tamen ex Iurisperitorum sententia tantùm voluntarium homicidium dicitur, quod est voluntate directa commissũ ab habente animum occidendi, vel causam dante actioni voluntariæ, *l 1.l.7.l.Diuus 14 ff.ad leg Corn de sicar. l cùm autem, vers.Capitalem, ff.de ædilit.edict.c.sicut dignum, hoc tit.cap.1. §.si quis hominem, de pace tenenda in vsibus feudor.* Quia ex voluntate, & proposito delicta distinguuntur, *cap.cùm voluntate, de sent.excom. l.qui iniuriæ, l. verùm, ff.de furt.* Requiritur ergo, quod dolo malo, animoque occidendi perpetretur, & sequatur actus occisionis; semper tamen desideratur, vt hominis cædes contingat, à qua dictum est homicidium, *cap.homicidium 13.q.5.cap. homicidium, de pœnit.dist.1.l.1.ff.ad leg.Corn.de sicar.* notauit Cironius *ad hunc tit.* Vnde infertur, seuientem in cadauer inimici, aut illud truncantem, etiam eo animo, vt si viuum reperisset, occideret, nullo modo irregularem manere. Gibalinus *de irregul. 4. p. cap.4. consect.1.* Similiter ille, qui odio concepto telo armatus exijt animo occidendi, non tamen occidit, irregularis non est, licèt quoad legem diuinam homicida censeatur. D. Hieron. *lib.1. epist. 39. ad Catharinam*, ibi: *Cùm homicidium ex odio sæpe nascatur, quicunque odit, etiamsi nedum gladio percusserit, animo tamen homicida est.* Immò & si quis aliũ vulnerauit, sanguisque effundatur absque cæde, aut mutilatione, irregularis non manet. Maiol. *de irregul.lib. 5. c.48. num 3.* Similiter nec qui sui ipsius mortem attentauit, irregularis fit. Diana *p.4.tract.2.resol.76.* licèt contrarium teneat Corneio *in 3.part. tract.5. disp.1.dub. 2.* Inde etiam infertur, non contrahi irregularitatem hanc ex ratihabitione eius homicidij, quod iam commissum ab alio est sine proprio mandato, aut consilio. Couarr. *in Clementina si furiosus, 2.p.§.1. num.4.* Maiolus *de irregul.lib.5. c.48.§ 6.* plures quos refert, & sequitur Gibalinus *eod. tract. c.4.consect.15.* non enim homicidium perpetrauit ille, qui nec mandatum, vt fieret, dedit; & ita irregularis non est, etsi peccet lethaliter. Nec obstat ratihabitionem mandato comparari, regula *Ratihabitionem, de R.I.lib.6.l.20 tit.5.p.3.* Sed qui mandauit aliquem occidere, irregularis est, *cap.fin. de homicidio lib.6.* Ergo & qui ratum habuit. Augetur, nam pariter puniuntur delinquentes, ac ratum habentes, *cap.cùm quis, de sent.excom.lib.6.cap.fin. de iureiur.eodem lib.c.felicis, de pœnis, eod.lib.Clement. 1. de pœnis, l. licèt, ff de iudicijs.* Ergo ratum habens homicidium irregularis fit. Nam respondetur, tunc ratihabitionem mandato comparari, cùm quid nomine meo absque mandato gestum est; quia tunc ratihabitio superueniens mandato comparatur: at quod nomine meo non est gestum, ratum habere non possum, *c.ratum, de R. I. lib. 6. leg. si pupilli, §.sed si ego, ff. eod. tit.* Nec obstat textus *in d.c.quicunque*, cum alijs proximè adductis; nam in his iuribus delictum ratum habentes ideò excommunicatione ligantur, quia ipsa sententia lata fuit non solùm contra delictum perpetrantes, verùm & contra ratum habentes, quia cùm talis sententia proferretur ob iniuriam clericis, & statui ecclesiastico illatam, & etiam per ratihabitionem ea inferatur, inde ipsa excommunicatione ratum habentes ligantur. Couarruuias *d.§.1.n. 57.* Nec tantùm irregularis manet, qui homicidium voluntarium perpetrauit, verùm & qui illud fieri iussit, *c. si quis viduam, 50.dist.c.significasti, c.sicut dignum, §.clerici, hoc titulo.* Immò & si quis tantùm iusserit aliquem verberari, homicidium tamen sequatur, irregularis manet, *c.fin. hoc titulo, in 6.* Maiol. *lib. 5. de irregul.c.48.§.2.* Petrus Gregor. *lib.5.partit.tit.18.c.6.* Mendoza *lib.2.Concil.Illib.c.6* Diana *p.4.tract.2. resol.9.* Quod procedit siue homicidium statim sequatur, siue postea, siue occidatur ille, qui mandatum accepit; ampliùs etsi reuocauerit mandatum, inscius tamen mandatarius illud exequatur, irregularis fit Maiolus *vbi suprà*, Diana *d.tract.2. resol.14.* etiam irregularis manet, qui alicuius neci causam dedit, *c.Presbyterum, c.ad audientiam, hoc tit. c.studeat, 50. dist.c.2.de clerico percussore;* veluti qui furem detinuit, donec alij superuenissent, qui eum occiderent, *c.significasti, el 2 hoc tit.* qui infirmum in aliud latus vertit, vt celeriùs moriatur. Maiolus *d.cap.48.§.1.*

Nec solùm hæc irregularitas contrahitur ex homicidio, verùm & ex membri mutilatione, truncatione, seu abscissione. 6 De mutilatione membri. *Clement.vnic.hoc tit.* Gibalinus *de irregul.c.4. in secunda parte propositionis.* An verò tantùm ex debilitatione incurratur, quærunt Interpretes? Affirmat Abbas *in c.cùm illorum, de sent.excom.* Sed communis est contraria sententia, quam post Couarr & alios defendit Gibal. *d. cap 4. notat.2* desideratur tamen, vt mutilatio sit membri, quod habeat propriam, & destinatam operationem per se distinctam à reliquis corporis partibus, non si tantùm iuuet in sua operatione, vt volebant ex Theologis Caietanus *ad 2.2. quæst.65 art.2.* & ibidem Aragon, Sotus *in 4.dist.75.quæst.1.art.3.* & ex Moralistis Layman *lib.3.summæ, tract.3.c.11.* Villalobos *in summa, tract.21. difficult.19.n.4.* veluti oculus, auris, nasus, lingua, manus, aut pes, quorum propriæ operationes sunt, videre, audire, odorari, loqui, tangere, & ambulare, vt pluribus relatis probat Barbosa *de appel. verb. Digitus*, & *verbo Membrum.* Vnde abscindens digitum non fit irregularis, *c.1.de corpore vitiat.* quia licèt habeat officium adiuuandi membrum, per se tamen membrum non est, *l. idem Ofilius, l.quæritur 14.§ si quis 6.ff.de ædilit. edict.* Nec obstat, carentem digito ordinari non posse, *c qui partem, 56. dist.* nam plerumque mutilatus ob corporis vitium manet irregularis; qui verò mutilauit, quia membrum non amputauit, irregularis non fit, vt probat Vgol. *de irregul. c.4.§.7.* Nec etiam obstat textus *in can.77* Concil Later. generalis celebrati sub Alex.III. in illis verbis: *Presbyterum, cui duos digitos cum medietate palmæ à prædone abscissos significasti, Missam celebrare non permittimus, quia non securè, propter debilitatem; nec sine scandalo, propter membri deformitatem, id fieri confidimus.* Vbi cùm Patres de digito egissent, illum membrũ appellant. Nã respondetur, verbum illud membri non referri ad digitos, aliàs dicerent PP. *membrorum*; sed ad medietatem palmę; sufficit enim, vt quis ob corporis vitium ordinari nequeat, quod careat parte membri. Concil. Tarracon. *can.4.* ibi: *Aut carens aliqua parte membrorum.* Ex proximè traditis infertur, excęcantem oculos, excutientem dentem, truncantem auriculam, mordentem labra, euellentem capillos, non fieri irregularem, quia partes hæ membra non sunt, *l quidam. ff. de ædilit. edict.* Barbosa *vbi suprà*, Gibal. *d.c.4.consect.16.* Diana *to.2.tract.15.resol.20.* & *tom.4. tr.2.res.26.*

Etiam inter homicidas voluntarios recensentur cooperantes homicidio: quod varijs modis euenire potest, 7 De cooperante homicidio. circa quos ea regula communiter traditur, eam cooperationem inducere irregularitatem, quę contra quintum Decalogi pręceptum culpam mortalem producit, veluti consulens homicidium; consilij enim ratione vt homicida tenetur, quia consulens delictum, ipsius pœna afficitur, *l si quis vxori, §.cùm Titio, ff.de furtis, l non solùm, §.si mandati, vers.Attilicinius, ff.de iniurijs*, Petrus Faber & Gothofr *in l.consilij 47.ff.de R.I.* vel si quis associet ipsum homicidam causa defensionis, si opus esset, licèt nihil operetur quoad homicidium, ipsa associatio, ob quam homicida redditur audacior, inducit irregularitatem, *c.sicut dignum, §.illi, hoc tit.* vel qui venenum parauit, ligna ad comburendum aliquem congessit, aut arma præbuit illi, quem sciebat homicidium perpetraturum fore. Quid verò dicendum sit de illo, qui arma tradidit illi, quem suspicabatur ea petere ad homicidium perpetrandum, dubium est? Irregularem eum esse docent Vgolinus *de irregul.cap.17 num.3.* Suarez *de censur. disp.45 sect.3. n.5.* Diana *d. tract.2. resol.11.* Negat Hurtado *de irregul.disp. 2.difficult.8.n.32.* Sed in hoc dubio distinguendum est inter vendentem arma ex officio, seu dantem tempore subitaneæ rixę, dum quis est in procinctu; aut tempore pacis. Primo casu, etsi quis vendat cum suspicione futuri homicidij, irregularis non fit, quia facilè ab alio arma obtinere poterat: secundo verò casu si illa vendat, dum quis est in procinctu, irregularitatem contrahit. Idem dicen-

dicendum est de eo, qui arma dedit ad occidendum Titium, si non Titius, sed Sempronius occidatur. Gibal. d.c.4.confess.20. Similiter irregularis manet, qui aliquem leuiter percussit, si inde ab alio occidatur, vel in flumine mergatur, c.studeat, 50. dist. non tamen irregularis fit, contra plurium sententiam, qui aliquem inebriauit, licèt ipse ebrius posteà aliquem occiderit, nisi priùs præuiderit illud periculum adesse. Nec etiam irregularis manet, qui inimicum fugientem persequitur, & ipse fugiens puerum oppresserit. Gibalinus vbi suprà, confess. 10. etiam inter homicidas voluntarios recensentur illi, qui cùm possent homicidium prohibere, illud committi permiserunt: nam eiusdem culpæ reus est, qui occidit, & qui occisum, dum potuit, non defendit, c.non est inferenda, c fin.23.quæst.3.cap.sicut, § 2 hoc tit.c.periculosè, de pœnit. dist 1.cap.quantæ, de sent.excom. D. Ambrosius lib. 1. de officijs, cap. 36. Arnob. lib.4. aduers. Gentes; æquè enim peccat qui delictum commisit, vt qui illud non prohibuit, l.3.& 4 ff de noxal.action.l.scientiam.ff.ad leg. Aquil. Quod non procedit, cùm datur pura, & simplex omissio, sed cùm ipsa omissio coniuncta est cum aliqua dolosa subtractione, & cùm quis tenebatur proximum ex iustitia defendere; tunc enim omittens defensionem irregularis manet, vt post Nauarrum in d. cap. non est ferenda, docent Gibalinus d. cap. 4. confectar. 13. Diana d. tract. 2. resol. 7. & p.7. tract. 10. resol. 3. vnde infertur, iudices non obuiantes homicidio irregulares esse, d. cap. non est ferenda. Similiter & negantem eleemosynam fame pereunti, cap. pasce, 96. dist. Similiter & qui se obligauit aliquem defendere, si eum non defendat, l.metum, §.sed licèt, ff. de eo quod metus causa. Similiter filij, & vassalli, qui tenentur defendere patrem, & dominum, l. 1. §. occisorum, ff. ad Syllan. Item aduocatus, & procurator, qui dolosè defensionem omiserunt, vt reus ad mortem damnaretur. Item ille, qui ramum abscidit illi, qui cùm in flumine mergeretur, illum apprehenderat. Deinde Medicus, qui publico stipendio conductus ægrotum deseruit, & sic decessit. Idem dicendum est de gubernatore nauis, qui post susceptum regimen, illud deseruit, & imperito commisit, vnde naufragium sequutum est. D. Thomas 2 2.quæst.6 rursus si Pater filio, Dominus seruo, maritus vxori alimenta negauerint, & fame decedant, irregulares fiunt, cùm eos alere iure teneantur, l. 1. ff. de agnosc. liberis.

8 De homicidio casuali. Hæc de homicidio voluntario. Sequitur casuale, quod casu, & præter intentionem agentis committitur, quia vt Aristoteles ait lib. 7. physicorum: Casus est causa agens præter intentionem. De quo agitur in l 1. §. Diuus, ff. ad leg. Cornel. de sicarijs, l.si putator, ff. ad leg. Aquil. & passim in hoc titulo: circa quod homicidium communiter distinctio adhibetur inter homicidam dantem operam rei licitæ, & inter eum, qui dabat operam rei illicitæ; ita vt primo casu, sequuto homicidio, irregularitas non contrahatur; secundo verò casu etiam adhibita diligentia homicida irregularis maneat. Ita docuerunt Couarr. in Clement. si furiosus, 2.p.§.4.num.2. Vgolinus de irregul. cap.18. Auila eod. tract.7 p.disput.6-sect.1. opin. 5. iuxta quam distinctionem accipiunt textus in cap. Presbyterum 7. cap. continebatur 8. cap. significasti 18. hoc tit. cap. de his 36. cap. clerico 37. cap. eo verò 42. cap. si quis voluntate 44. cap. is qui arbore 49. cap. sæpe 50. dist. 50. cap. consuluit 20. 2 quæst. 5. cap. si quis non iratus 15. quæst. 1. cap quæsitum, de pœnit. & remiss. Sed illis rectè perpensis neutiquam prædicta opinio probatur; quare rectiùs dicendum est, ex homicidio casuali, siue prouenìat ex actu licito, siue illicito, non nasci irregularitatem, nisi ob culpam latam, leuem, aut leuissimam peccatum lethale detur. Quæ sententia probatur ex d. cap. quæsitum, cap. quantum, 50. dist. cap. lator, cap. ex litteris, cap. significasti 16. cap. exhibita, hoc titulo, c. fin. de his qui filios occiderunt. Concil. Tribur. can. 35. fusè probant Gibalinus de irregul. cap.4. per totum, Diana dicto tract.2. resol.21. & p.2. tract.16. resol.18. Latam culpã appellamus, cùm quis fecit, quod facere non debuit cum ignorantia crassa, l.lege 7 ff. ad leg. Corn. de sicarijs, leg. magna, ff. de R. I. Leuem, cùm quis non prçuidit, quod frugi homines præuidere solent: quam Consulti culpam appellant in leg. si seruus 110. § cùm quidam, ff. de legat. 1 Leuissimam dicimus, cùm quis non prçuidit quod diligentissimus paterfamilias præuidere solet, l. 4. ff. ad leg. Aquil. Extra hos culpæ gradus si quis casu fortuito homicidium perpetrauerit, non fit irregularis, quia sicut casus fortuiti à nemine præstantur, l. quæ fortuito 6. ff. de pign. act. l. procuratore 13 C. mandati, l. in iudicio, C. locati, l. contractus, ff. de R. I. ita ex homicidio casu admisso nemo tenetur, l. respiciendum 11. §. delinquitur, ff. de pœnis, l. ex plagijs, §. fin. ff. ad leg. Aquil. docent D. Ioan Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2. sect. 7 Rodulph. Fornet. lib. 6. rer. quotid. cap. 24. licèt olim ex vtroque iure certa esset statuta expiatio homicidij casualis, vt latè probaui in can. 5. Concilij Illiber Ex qua doctrina infertur, non esse irregularem clericum adulterum, ex eo quòd maritus ob simile adulterium occiderit vxorem suam, vt probant Castro de lege pœnali, lib. 2 cap. 14. Diana 4. p tract. 2. resol 1. nisi clericus suspicaretur tale homicidium futurum ob nimiam zelotypiam ipsius mariti. Gutierrez lib. 2. canonic. cap. 6 Maiolus de irregul. cap. 48. §. 3. quo casu intelligendam esse declarationẽ Pij V. in hoc casu editam, resoluit Gibalin. d. cap. 4. confess. 3. Deinde infertur, consulentem alicui furtum, aut adulterium, etsi homicidium contingat, irregularem non manere. Vgolin. de irregul. cap. 16. num. 6. Item iubentem fœminam ad se venire per loca periculosa, vnde eueniat homicidium ipsius, aut abortus, non manere irregularem. Gibalinus d. cap. 4. confess. 8 Nec etiam irregulares sunt, qui aduocarunt amicos in sui defensionem, etsi aggressoris homicidium sequatur: nec ille, qui consuluit reo, ne appellaret, vnde mori contingit: nec confessarius, qui reo consuluit, vt crimen fateretur, vnde vltimo supplicio damnatus fuit; non enim isti consuluerunt proximè homicidium. Diana 4 p. tract. 7. resol. 99. Deinde irregularis non manet clericus venationi insistens, licèt hominem occidat credens feram esse, adhibita omni diligentia, etsi venatio illi prohibita sit. Sayrus de censur. cap. 6. num. 19 Gibalin. suprà, d. c. 4. confess. 12. Sicut nec ille, qui lapidem ludendi causa in alium proiecit, quem dum fugiens vitare tentauit, vulneratus euasit, cap. exhibita, hoc tit Sayrus d. c. 6. num. 31. nec qui agitationem taurorum procurauit, etsi inde homicidium sequutum fuerit. Gibalin. d. cap. 4. confess. 13. Nec etiam irregularitatem contrahit, qui fenestram ædificauit, ex qua quis se præcipitauit: nec qui mandauit ligna cædere, etsi putator arbore opprimatur; vel aquam haurire, etsi inde suffocetur; vel fabro tectum reficere, & inde cadat: nec qui aliquem misit ad furandum, etsi homicidium sequatur, si nullo modo præcaueri potuit: nec parentes, qui inculpabiliter filios in lecto collocarunt, etsi inde eorum oppressio sequatur; secus verò si culpabiliter, cap. 1. de his qui filios occiderunt: nec qui puerum equitando oppressit, cap. dilectus, hoc tit. Deinde deducitur, irregularitatem hanc contrahere, qui reponit tegulas, si non monuit transeuntes, & aliquem occiderit: & qui benedixit aquam feruentem, aut ferrum candens, ad purgationem vulgarẽ, si homicidium inde sequatur. Tabiena in summa, verbo Irregularitas, n. 18. & qui aliquem ioco de ponte prçcipitẽ agit ad incutiendum metum, & casu interijt, argumento legis qua occasione, §. sed si quis de ponte, ff ad l Aquil. qui canem ferocem in alium etiam loci causa concitauit, argumento legis item Mela, §. item, ff. ad leg. Aquil. & qui torneamenta exercent, si homicidium inde sequatur. Couarr. §. 4. n. 6 qui ad pilam ludunt in loco frequenti, si non adhibeant diligentiam, & homicidium sequatur, argumento dictæ legis Mela, ff. ad leg. Aquil. Prosequitur alios casus Gibalinus d. c. 4. de irregul. per tot.

Sequitur aliud homicidium, non casu, aut voluntate admissum, sed necessitate, & iustè perpetratum. Quod duplici casu contingit, necessitate, aut voluntate. Necessitate, cùm quis se, suaque defendendo; adhibito moderamine inculpatæ tutelæ, alium occiderit, quo casu nullam notam irregularitatis incurrit, cap. 2. cum sequent. cap. significasti 18 §. si verò, hoc tit. Clement. si furiosus, hoc tit. Trident. sess. 14. de reform cap. 7. Diana tom. 5. tract. 1. per tot. Maiolus de irregul. cap. 48. Gibalinus eod. tract. cap. 1. quæst. 3. cùm vnicuique naturaliter liceat ob sui defensionem inuasorem occidere, cap. olim 12. de restit. spol. cap. significauit 3. de pœnit. & remiss. leg. 3 ff. de iustit. & iure, leg. itaque 4. leg. scientiam 45 §. qui cùm aliter, ff. ad leg. Aquil. leg. 1. §. vim, l. possessionem 17. ff. de vi & vi armata, l. iniuriam, ff. de iniurijs: latè illustraui in d. cap. 2. hoc titulo. Si verò non adhibeatur inculpatæ tutelæ moderamen, irregularitas contrahitur, quia 9 De homicidio necessario, seu iusto.

vbi alloquens Celsum ait: *Ecce vestrorum quoque numinum sacerdotes, & delubrorum custodes dextras seruant puras à sanguine causa sacrorum, vt incruentis, impollutisque cæde manibus victimas offerant solemnes ijs, quos habetis pro Dijs.* Kirmanus *suprà*, & *lib.1.cap.12.* Carranza *de partu, c.13.num.32. & sequent.* Inde etiam, tam apud Iudæos, quàm Gentiles, è bello redeuntes antè non admittebantur ad sacrificia, quàm priùs se expiassent, *cap.31. Numerorum.* Philo Iudæus *de vita Moysis*, ibi: *Pontifici autem mandauit, vt lustraret reuersos à recenti cæde hostiũ.* Quamuis enim per leges liceat hominem occidere, tamen qui necauit hominem, etiamsi coactus & propulsans iniuriam, obnoxius videtur, propter antiquam generis cognationem oriundi ab vno capite: hæc tunc fuit lustrandi causa, vt nè species quidem sceleris in eos competeret. Rectè ergo Ecclesia, quæ in eius ministris petit lenitatem, & mansuetudinem, *c.pœna, c.vnum solum, 23. q.5.* repellit à sacerdotio homicidas. Et quia in homicidio casuali non adhibita diligentia in eo præcauendo quodammodo voluntas datur, quia etsi opus sit inculpatum, non tamen fit adhibita cautela, ne ad homicidium perueniatur, ideò cùm ex tali homicidio culpa lethalis contrahatur, eo casu irregularitas per sacros canones iniungitur. Cùm verò homicidium inuoluntariè contingit, adhibita omni diligentia in eo præcauendo, nulla irregularitas incurritur, quia prorsus inuoluntarium est, nec in eo culpa lethalis adest, quæ irregularitatis pœna plectenda sit: nec eo casu iure ciuili attento ex tali homicidio quis puniendus erat, licèt primo casu puniri posset.

12 Exponuntur varij textus. Iuxta quam distinctionem homicidij casualis, quodam modo voluntarij, & omninò inuoluntarij, accipiendi sunt textus *in l.cum, ff. iniuria, ff. de iniurijs*; vbi asseritur, quod si quis intendens Seium inimicum suum occidere, errauit in persona, & occiderit Gaium, credens esse Seium, pœna capitali tenetur. Qui textus difficilis videbatur ex eo, quia dicendum videbatur eum puniri non debere, quia respectu ipsius Gaij nullus intercessit dolus, atque delinquendi animus, qui in maleficijs necessariò desiderantur, *l.1. ff. Diuus, l.in lege, l. Diuus, ff. ad leg. Cornel. de sicar.* sed Consultus contrarium respondet, quia in eo casu licèt delinquens non consenserit in specie erga Gaium, consensit tamen in genere, volens iniuriam irrogare: quod idem in alijs terminis, & facti speciebus docent Consulti *in l.si postulauerit, §. si liber homo, ff. ad leg. Iul. de adult. l. qui aut aliter, §. si quis dum putat, ff. quod vi aut clam, l.falsus, ff. qui alienum, ff. de furtis, l.doli, §.1. ff. de seruo corrupto*, cum alijs adductis per Gomeziũ *tom.2 var.c.3.n.34.* Nec tunc obstant textus *in l illud 3. ff. fin. cum l. sequenti, ff. de iniur.* vbi docetur, quod si quis intendens percutere seruum proprium, errore, vel casu percusserit seruum alienum, vel liberum hominem, iniuriarum actione non tenetur. Nam respondendum est, rectè Vlpianum, & Paulum eo casu actionem denegare, quia nullus intercessit dolus, siquidem dominis licet in seruos suos animaduertere, eosque modicè punire, *l. qui seruum, ff. de V.O. l.quid ergo, §. si hæres, ff. de legat.1. l.eleganter, ff. si vendiderit, vers. Planè, ff. de pignor. act.* ac per consequens consensus, tam in genere, quàm in specie defuerat, qui necessarius est in punitione delictorum. Vnde cùm nullus dolus eo in casu adest, ideò dominus iniuriarum actione non tenetur. Nec etiam huic solutioni obstat textus *in l.scientiam, ff. qui cùm aliter, ff. ad leg. Aquil.* vbi docetur, quod si quis se defendendo tertiũ prætereuntem, vel mediatorem percussit, tenetur lege Aquilia in interesse; & tamen certum est, dolum in eo casu abfuisse, nec consensum adfuisse in genere, vel in specie damnum dandi, sed tantùm se defendendi. Quia respondendum est, ad legem Aquiliam non desiderari dolum, sed tantùm attendi, an damnum datum sit; & ideò Paulus *in d. l.scientiam 45. ff. qui cùm aliter*, docuit actionem legis Aquiliæ eo casu competere, vt docuit Gomezius *lib.3. var.c.3.n.34.* & ipsum § doctè exponit D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib.1.c.2. sect.8. per totam.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam verum est, in delictis affectum, & animum attendi; sed in homicidio casuali, cùm adhibita non fuit omnis diligentia, quæ adhiberi debebat præcauendo homicidium, voluntas quodammodo adest sufficiens ad peccatum lethale; vnde tale homicidium non omninò inuoluntarium creditur, & sufficiens est ad irregularitatem inducendã. Nec obstat secunda dubitandi ratio; nam etsi cùm homicidium casuale omninò inuoluntarium est, aliqua pœnitentia iniungatur, ea imponitur propter causam, nõ propter culpã, sed propter exemplum, vt qui facto suo alios quodammodo ad malos mores prouocauerat, pœnitentiæ, & emendationis testimonio ad rectam viam reuocet; vnde insanis, quod magis mirere, delinquentibus pœnitentia imponitur in Concilio Vuormac. *can.18.* ibi: *Si quis insaniens aliquem occiderit, si ad sanam mentem peruenerit, leuior ei pœnitentia imponenda est, quàm ei qui sana mente tale quid commiserit: cui quamuis pœnitentia sit imponenda, quia ipsa infirmitas causa peccati fuisse creditur; tantùm tamen leuior, quàm ei qui sanus aliquem occiderit, quantum inter insanum, & sanum; irrationabile, & rationabile constat esse discrimen.* Eos etiam, qui in bello publico homicidium perpetrarunt, pœnitentiam agere debere, constat ex Beda *in Pœnitentiali, c.3* ibi: *Qui casu homicidium fecerit, annum vnum; qui in bello publico, dies quadraginta pœniteat.* D. Basilio *ad Amphiloch can.13.* ibi: *Cædes in bellis factas Patres pro cædibus non imputauerunt, vt mihi videtur, ignoscentes eis, qui pro pudicitia, & pietate decertant: rectè autem fortè habent consulere, vt qui sunt manibus non puris, sola trium annorum communione abstineant.* Licèt ergo pro homicidio casuali imponatur pœnitentia, non tamen irregularis manet; nam ea irregularitas non prouenit ex delicto, sed ex defectu lenitatis. Ex hucusque traditis interpretari possunt textus ferè omnes huius tituli, iunctis adductis in eorum notis.

13 Dissoluitur dubitandi ratio.

CAPVT XII.

a Clemens III.

AD audientiam Apostolatus nostri peruenit, quod cùm quidam Presbyter volens corrigere quendam de *b* familia sua, eo cingulo, quo cingi solebat, illum verberare tentaret, contigit quod *c* cultellus de vagina, quæ cingulo adhærebat, elapsus, eum in dorso suo aliquantulum vulnerauit; postmodùm verò cùm ille vulneratus aliquandiu vixisset, & conualuisset à vulnere, grauiore, vt dicitur, infirmitate percussus, sana mente, ac deuotione debita viam est vniuersæ carnis ingressus. Quia verò vtrum occasione vulneris decessisset, dubium habebatur, eodem Presbytero ab omni officio, beneficioque suspenso, quid super hoc vobis esset agendum, Ap. Sedem consuluistis. Nunc itaque vestræ discretionis industriæ duximus respondendum, quod cùm in dubijs semitam debeamus eligere *d* tutiorem, vos conuenit iniungere Presbytero memorato, vt de cætero in sacris ordinibus ministrare non præsumat: iniuncta tamen ei pœnitentia congruenti, poteris ei concedere, vt sit contentus in minoribus ordinibus ministrare. Si verò vobis legitimè constiterit, quod ex alia infirmitate obierit, de nostra licentia poterit (sicut erat solitus) diuina officia celebrare.

NOTÆ.

1 a CLemens III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.1.*

b *De familia.*] Illud autem certũ est iure ciuili attento, quod si domestici scelus aliquod grauiore coercitione dignum admisissent, iudicibus tradebantur duriori pœna plectendi: si verò in mediocre delictum incidissent, moderatiori in eos castigatione paterfamilias vtebatur, *l.vnic. C. de emendat. propinquorum.* Immò &

nouioribus constitutionibus modica tantùm castigatio dominis permittitur, *l. 2. ff. de his qui sunt sui, l. vnic. C. de emendat. seruor.* probat Forner. *lib. 1. rer. quotid. cap. 3.* & latè probaui *in can. 5 Concil Illiber.*

c *Cultello.*] Quem deferre Presbyter licitè poterat, quia armorum appellatione non continetur, vt probat Bobadilla *lib. 1. polit. c. 13. num. 73.* & notaui *in cap. clerici, de vita & honestate clericorum*

d *Tutiorem*] Quod principium varijs exemplis illustrant Grotius *de iure belli lib. 2. cap. 23* Nathen. *de iustitia vulnerat. cap. 10.* & explicat P. Mendo *in statera, dissert. 10. q. 1. §. 4.*

COMMENTARIVM.

2. DIfficilis admodum visa est Interpretibus præsens Clementis decisio, dum in ea docet, in dubio irregularitatem contractam iudicari. Primò quia irregularitas nisi in casibus à iure expressis non incurritur, *cap. is qui, de sent. excom. lib. 6* Igitur in dubio inducenda non est. Deinde quia in dubijs melior est conditio possidentis, vt probant, explicantque Ioannes Sanchez *in select. disp. 42.* Tapia *tom. 1. catenæ moral. lib. 1. q. 8. art. 9.* Prado *tom. 1. Theolog. moral. cap. 1. de conscientia dubia, q. 8* Igitur in dubio quilibet præsumendus est habilis ad ordines, non verò irregularis iudicandus. Quare pro huius textus expositione Ioannes Andreas, Cardinalis, Ananias, & alij repetentes in præsenti, & plures congesti à Ioanne Sanchez *in select. disput. 42. n. 5* Franc. Valens *tom. 2. concord. fol. 321.* Gibalinus *de irregul. cap. 4. 1 p.* asserunt distinguendum esse inter forum interius conscientiæ, & exterius iudiciale; vt in priori casu teneatur quis ab ordinibus se abstinere, irregularemque se credere, argumento textus, *in cap. illud, de cleric. excom.* quo modo accipiunt præsentem textum, & textum *in cap. significasti, hoc tit.* In posteriori verò non posse iudicem ipsum irregularem per sententiam declarari: & ita accipiunt textum *in d. cap. is qui.* Sed hæc distinctio sustineri minimè potest: tum quia decisio textus *in d. cap. is qui*, procedit etiam in foro interiori; tum etiam, quia dispositio præsentis textus *in d. cap. significasti*, ad forum exterius, & iudiciale pertinet, vt ex ipsis decisionibus facilè constat. Quibus fundamentis eam communem distinctionē improbant Nauarrus *in cap. si quis autem, de pœnit. dist. 7. n. 35* Couarr. *in d. Clement. si furiosus, 1. p. in initio, num. 3.* Idcircò veriùs dicendum est, quod si sumus in dubio, an in aliquo casu inducta, seu statuta sit irregularitas iure Pontificio, tunc respondendum esse, non esse irregularitatem constituendam in eo casu, nisi expressum id fuerit in iure canonico, *ex d. cap. is qui.* At vbi certi sumus iure Pontificio irregularitatem induci certo in casu, & tamen ambiguum est, an aliquis id vitium propter eam causam contraxerit, vt planè non de iure, sed de facto dubitemus; dicendum est primò, in casu dubio homicidij nullam incurri irregularitatem ante iudicis sententiam, sed post sententiam condemnatoriam, vt in præsenti textu. Loquor autem de dubio vtrimque æquali, non de illo, cuius vni parti fauet præsumptio probabilis, alteri verò nihil: de quo casu agitur *in c. significasti 18. hoc titulo*, vbi non loquitur Pontifex de dubio vtrimque æquali, sed de illo dubio, cuius vni parti fauebat præsumptio Secundò in casu homicidij dubij, ita scilicet, vt nec præsumptio, nec vlla ratio verè probabilis faueat alteri parti, etiam post sententiam iudicis non incurritur irregularitas, sed suspensio ab vsu ordinum maiorum; vnde nec laici debent ex dispositione iuris priuari ordinibus suscipiendis, nec clerici vsu ordinum minorum: quod probatur ex præsenti textu, vbi Clemens III. non impedit susceptionem ordinū, nec laicis imponit determinatè vllam pœnam, sed præcisè sacerdotibus pœnam suspensionis ab ordinibus maioribus. Igitur quia non incurritur in hoc casu plena irregularitas Confirmatur etiam, quia textus *in d. c. significasti 18.* non loquitur in hoc casu, vt proximè dixi: & quamuis in hoc loqueretur, adhuc nihil obstaret, quia etiam de presbyteris, & de abstinentia à ministerio sacerdotali præcisè loquitur. Vnde nisi aliunde constet, eum presbyterum esse irregularem, vt verè constat ex præsumptione homicidij, eo casu præcisè ex decisione illius capitis nullatenus constare posset. Vt autem priuatio hæc ministrandi in sacris ordinibus locum habeat, & iudex debeat per sententiam imponere hoc genus pœnæ, constare sine dubio debet de homicidio, saltem per legitimam, & verè probabilem præsumptionem; nam si homicidium ipsum sit dubium, quia scilicet non constat, vtrum fœtus fuerit animatus, an inanimatus; vel vtrum homo confossus lethaliter ab alio, quem iacentem tu postea confodisti, fuerit iam mortuus, cùm tuum vulnus superuenit; tunc prædicta pœna locum non habet. Rursus etiam debet constare sine dubio talem occasionem fuisse tibi lethaliter culpabilem, contra quintum Decalogi præceptum, non præcisè ratione alicuius omissionis. sed ratione positiui vulneris à te illati; quia præcauere debuisti, ne homicidium alterius sequeretur. Et ratio est manifesta, quia si de culpa tua dubitaretur, locum haberent inconcussa illa iuris principia, in dubio absoluendum esse reum. dubia in meliorem partem esse interpretanda. Vbi autem delictum vulnerationis lethaliter culpabilis certum est, iam datur materia sufficiens punitionis: iubet autem Pontifex, vt pœna prædicta suspensionis imponatur, cùm delictum simul cum cæde supponitur, & dubium est, an occasione illius cædes ipsa fuerit subsequuta: vnde qui dubius est de occisione licita à se facta, hanc pœnam non incurrit.

Deinde assero, quod cùm aliquis dubitat, vtrum alium occiderit, necne, si parti affirmanti faueat præsumptio aliqua probabilis, debet se gerere vt irregularis in foro interno, si præsumptio in eodem foro locum habeat; aut solùm in foro externo, si præsumptio falsa sit, & solùm in eo foro subsistat, vt deciditur *in d. cap. significasti 18.* Et quamuis non esset decisum, ita deberet affirmari ex ea ratione, quia in rebus moralibus illud pro certo habetur, cuius vni parti fauet ratio aliqua probabilis, alteri verò nihil: atque idem est fauere præsumptionem, ac fauere rationem aliquam probabilem; quia non loquimur de præsumptione temeraria, & leui, sed de præsumptione fundata, & sufficienti ad ferendum prudens iudicium pro ea parte. Deinde quia cæteris paribus minor obligatio est gerendi se vt irregularem vel excommunicatum in dubio iuris, quàm in dubio facti; ideòque quamplures Doctores congesti à Ioanne Sanchez *dicta disput. 42.* communiter docent, neminem in dubio iuris se debere credere irregularem, aut alijs ligatum censuris. Atqui etiam in dubio iuris debet quis se gerere vt irregularem, cùm præsumptio fauet illi parti, quæ affirmat legem esse latam; quia tunc, vt aiunt relati à Ioanne Sanchez, stat pro lege possessio, & hoc est priuilegium præsumptionis, quod onus probandi oppositum in aduersarium reijciat, & si aduersarius eam non probet, causa cadat. Deinde vt homicidio faueat præsumptio, quantum satis est ad irregularitatem incurrendam, non solùm debet præsumi cædes, nec solum vulnus, nec solum peccatum graue contra quintum Decalogi præceptum in vulneratione commissum, nec sola etiam influentia vulneris in mortem; sed hæc omnia simul, ita scilicet vt præsumatur, hunc hominem vulnerasse alium, & vulnerando deliquisse contra præceptum non occidendi, & mortem ex eo vulnere euenisse: quare si de aliquo istorum non sit certitudo, nec præsumptio, sed omnibus inspectis adhuc dubitetur de omnibus, aut de aliquo ex istis, ita scilicet vt pro illis omnibus collectiuè non sit iudicium probabile, cui pro parte oppositi nihil resistat, tunc irregularitas non incurritur. 3 De dubitante an occiderit.

Hinc patet, etiam in dubio iuris, aut facti, si præsumptio faueat parti asserenti tale ius dari, aut tale factum existere, reuerà incurri alias censuras, & pro alijs factis diuersis ab homicidio. Ratio est, quia licèt lex dubia non obliget ad sui obseruantiam, nec delictum verè dubium ad subeundam pœnam; tamen lex dubia, cuius existentiæ fauet præsumptio probabilis, quando nulla exceptio occurrit pro parte opposita, non minùs obligat, quàm certa. Hinc lex quam constat esse latam, si dubitetur an sit abrogata, obligat, ac si certò constaret, non fuisse abrogatam, scilicet quia perseuerare præsumitur, & pars illa dubij in iure pro certa habetur, cui fauet præsumptio. Hinc etiam iure optimo decidit Pontifex *in cap. illud, de cleric. excom.* illum, ad quem perlata est fama suæ excommunicationis, debere se abstinere à sacramentis, nimirum quia fama illa creditur esse probabilis, & quæ onus probandi oppositum in eum, qui subdi nolebat excommunicationi, reijceret. Hinc etiam patet con- 4

tet contra Gibalinum, & alios communiter affirmantes, in foro interno, aut etiam externo minimè contentioso, nullum penitus esse discrimen inter dubium homicidij, & cætera dubia facti, quoad effectum incurrendi irregularitatem, aut alias censuras. Nam si parti asserenti faueat præsumptio, illa pars pro certa habetur dum contrarium non probatur, & tam excommunicatio, quàm reliquæ censuræ incurruntur. Si verò parti asserenti non faueat præsumptio in prædicto foro, nunquam aliquis, etiamsi dubitet an sit homicida, debet se gerere vt irregularis, aut suspensus. Ergo in prædicto foro nullum est discrimen inter dubium homicidij, & cætera dubia facti. Exinde etiam patet, in foro contentioso latum versari discrimen inter dubium homicidij, & reliqua dubia facti; quia quando certò constat de occisione, ac vulnere lethaliter peccaminoso contra præceptum non occidendi, etiamsi non præsumatur homicidium, sed præcisè de illo dubitetur, debet iudex imponere irregularitatem partialem loco pœnæ, aut suspensionem ab vsu ordinum maiorum: at verò in dubio simili aliorum factorum non debet hoc facere iudex, nec est ei taxata præscripta pœna à iure, sicut in dicto casu in dubio facti homicidij est præscripta in præsenti textu.

CAPVT XIII.

Idem a *Episcopo Lingon.*

Dilectus filius A. capellanus in nostra præsentia constitutus sua nobis confessione monstrauit, quod cùm quadam corporis molestia grauaretur, ita quod cibi, & somni desiderium raptum videretur ab eo, vt comedendi appetitum aliquantulum *b* excitaret, equum, *c* quem nutriuerat, ascendit: qui cùm plenè non pareret habenis, sed præter sessoris arbitrium suis saltibus lasciuiret, ipse, vt eius refrenaret impetum, & freno vim intulit, equumque calcaribus stimulauit. Cumque fracto freno equus quasi proprio arbitrio relictus curreret festinanter, quædam mulier veniens ex obliquo, & infantulum baiulans obuiauit, in quam equus irruens, procul abiecto sessore, puerum prædictum oppressit, & capellanus ipse ex repentino casu vix mortis periculum euitauit; sed ad vltimum conualescens, diuina postmodùm celebrare *d* non præsumpsit. Quia verò nobis non constitit de præmissis, f. t. per A. s. m. quat. super his inquiras diligentiùs veritatem, & si rem inueneris taliter processisse, cùm idem capellanus nec voluntate, nec actu homicidium perpetrauerit, nec dederit operam illicitæ rei, non impedias quominus diuina possit officia celebrare.

NOTÆ.

1 a *Lingon.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 1 ex qua transcripsi textum hunc. De Lingoniensi Ecclesia egi *in c* 8. *de rescript.*

b *Excitaret.*] Scilicet vt cruditatem decoqueret, famemque cibis sepultam excitaret; nam etiam veteres motandi corporis gratia spatiabantur, & equitabant. Sidonius *lib.* 2. *epist* 9. ibi: *Excusso torpore meridiano paulisper equitabamus, quo faciliùs pectora marcida cibis cœnatoriæ famis exacuaremus.* Et famem ijs gestationibus exonerabant. Plinius *lib.* 5. *cap.* 36. Vnde inter gestationis species equitationem numerant Aetius Medicus *lib.* 3. *c.* 6. Cælius Aurelian. *lib.* 5. *chronicæ, cap.* 9. Vnde *in l. equissimum*, aliàs *si cuius*, §. *fructuarius, ff. de vsufructu*, existimat Budeus *ad l. qui sella, ff. de seruit. rustic.* gestationē locum esse, in quo sella gestabantur, vel equo vecti exercebantur: quam corporis salubritatem vocat Plinius *lib.* 1. *epist.* 3. & *lib.* 2. *epist.* 17. Hinc gestare, est se equo, aut curru vectum exercere, *l. non est* 7 *ff. de manumiss. vindict.* Hinc Iustinianus *in* §. *furtum, Instit. de obligat. quæ ex delict. nasc.* ait: *Si quis equum gestandi causa commodatum sibi longiùs aliquò duxerit, furtum committit.* Et sanctus Paulinus loquens de duobus cubicularijs Gratiani Imperatoris, ait: *Conscendentes in equos, quasi gratia gestandi, ciuitatem ingressi sunt, & subitò præcipitati miseras animas emiserunt.* Illustrant Pancirola *lib.* 2. *var. c.* 55 & 70

2 c *Equum.*] Proprium, & priuatum, non circensem, seu ludis publicis destinatum, in quem equitare clericis prohibetur, *can.* 24. 6 *Synodi Trul.* ibi: *Ne cui liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere.*

3 d *Celebrare.*] Sed videbatur hoc in casu Diaconum irregularem esse, quia vel propter imperitiam, vel propter infirmitatem equi ferocitatem detinere non potuit, quod saltem ex eo constat, quod in specie huius textus refertur, clericum quadam corporis molestia grauari. At sic est, quod secundùm iuris regulas, quoties quis propter imperitiam, & propter infirmitatem damnum dedit, à culpa immunis non est, vt probat textus *in l. idem iuris* 8. §. *mulionem*, & §. *idem iuris est, ff. ad leg. Aquil.* §. *impetu, Instit eod tit.* Ergo hoc casu irregularis manebat. Sed verius est, in præsenti casu irregularitatem non contrahi, quia nulla sessoris culpa equus puerum oppressit, quia omnem diligentiam adhibuit, cùm ipse nesciisset equum esse durioris oris; aliàs si id nouerat, aliquod periculum homicidij contraxisset, vt docuerunt Maiolus *lib.* 3. *de irregul. c.* 48. §. 3. *num.* 13. Farinacius *in praxi crimin. part.* 5. *q.* 126. *num.* 25. Molina *de iustitia disput.* 77. *nu.* 7. Gibalinus *de irregul. cap.* 4. *regul.* 2. *consect.* 1. Sed cùm in præsenti casu in modo equitandi non peccasset, nec nouisset duritiem oris equi, nullam irregularitatem cōtraxit. Nec tunc obstat textus *in cap. significasti* 16. *hoc titulo*, vbi in eadem specie, cùm præter voluntatem sessoris equus mulierem obuiam obrueret, iubet Pontifex clerico pœnitentiam iniungi, etsi ipse ignorasset duritiem ipsius equi: igitur quia adhuc eo casu aliqua culpa committitur, & per consequens irregularitas contrahitur. Pro cuius textus conciliatione cum præsenti textu varia adduxerunt repetentes in præsenti, quibus omissis, veriùs dicendum est iuxta suprà tradita *in cap. de cætero*, in eo casu iuxta antiquam Ecclesiæ disciplinam pœnitentiam iniungi, non pro culpa, quæ nulla præcesserat, sed pro ipso facto, & homicidio sequuto: vnde cùm nulla culpa mortalis præcessisset in præsenti casu, & in alio simili relato *in d. cap. significasti*; ideò irregularitas non contrahitur.

CAPVT XIV.

Idem a *Metensi Episcopo.*

Ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod cùm lator præsentium A. præsbyter vellet fœnum de curru deponere, perticam superiùs alligatam, cùm neminem circa currum videret, proiecit in terram: & cùm fœno insisteret deponendo, quidam prope ipsum accedens, puerum quendam iuxta currum reperijt semiuiuum, in quo præter modicùm liuoris in fronte nihil inuenire potuit læsionis. Nos autem ab eodem quæsiuimus sacerdote, si priùs quàm deijceret perticam, circumspexit solicitè, an esset aliquis circa currum? qui quod diligenter circumspexit, asseruit: sed quod vidisset aliquem, denegauit. Ad te igitur

remittentes eundem, f. t. per A. f. m. quat. si res ita se habet, nisi contra eundem presbyterum graue scandalum sit exortum, vel tanta laboraret infamia, quod deficiente accusatore oporteat ei purgationem canonicam indici, ipsum liberè permittas exequi officium sacerdotis.

NOTÆ.

1 a Metensi.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Metensi diœcesi egi in *cap. 14. de cleric. non resid.* Huic decisioni omninò consonat textus *in c. 3. hoc tit. in 2. collect.* vbi Clemens III. in hæc verba similem casum decidit: *Scripsistis nobis, fili Decane, & Capitulum, quod cùm B. Sacerdos præsentium lator ad petitionem communitatis inductus, Ecclesiæ ædificationi diligenter intenderet, cùm compagem cuiusdam laquearis vetustate attritam dissoluere voluisset, quidam famulus sibi laboranti in auxilium deputatus, licèt præmonitus esset, vt ab ipso laqueari secederet, neglexit tamen, & id aure surda præteriens, cum laqueari ruit in terram, & hac occasione postea duobus mensibus, & tribus diebus ægrotans, rebus est humanis exemptus. Cùmque super hoc valdè tristatus, Autelegij tunc Episcopi vestri mandatum, & consilium requisisset, ipse eum ad tempus ex abundanti suspendens cautela, deinde habito prudentium consilio virorum duxit restaurandum. Tu verò, frater Episcope, qui nunc Ildenensi Ecclesiæ præsides, ipsum voluisti manere suspensum, donec super hoc recepturus consilium, præsentiam nostram adiret. Nos quoque considerantes, quod idem B. cùm daret operam rei licitæ, secundùm quod in iure cautum est, omne studium adhibuit, dicens: Caue frater; vt damnum quodlibet euitaret: attendentes etiam, quod suspensus ad maiorem cautelā aliquamdiù fuit, & nunc propter hoc specialiter ad Sed. Ap. veniendo, in persona, & sumptibus proprijs laborauit: Consultationi tuę taliter respondemus, per auctoritatem Ap. mandantes, vt prædictus B ob hanc causam non impediatur, quominus integrè suo restituatur officio, & cum omni pace permittatur appellatione remota cum integritate beneficij ministrare. Prætereà volumus, vt quia prædictus B. proprietatem non habens, pro expensis itineris coactus est pecuniam mutuare, facias ei recompensationem congruam expensarum.*

C A P V T XV.

Idem a *Bisuntino.*

EX litteris tuæ fraternitatis accepimus, quod quidam monachus puer tuæ diœc. ad deponendum de campanili campanam subseruiens, quia fortè lignum corruit, ipso momento in Ecclesia sub campanili quendam oppressit puerum, & occidit. Vnde à nobis humiliter postulabas, quid tibi super hoc esset faciendum, petens vt cum ipso misericorditer dispensetur. Quocirca fraternitati tuæ per A. f. m. quat. si monachus ipse rem necessariam agebat, & vtilem, & in loco, per quem aliquem transire *b* non crederet, vel ibidem existere, vel etiam illuc de consuetudine venire, quando lignum mouisse dignoscitur, satis poterit, præsertim in monasterio, ad altiores ordines promoueri.

NOTÆ.

a IDem Bisuntino.] In tertia collectione, *sub hoc tit. c. 3.* tantùm legitur, *Idem.* De Bisuntina diœcesi nonnulla adduxi *in c. 39. de testibus*, & *in c. 14. de accusat.*

b *Transire non crederet*] Vnde omni culpa caruit, etsi non proclamauit, iuxta textum *in l. si putator 31. ff. ad leg. Aquil. §. item si 5. Instit. de lege Aquil. lege 7 ff ad leg. Cornel. de sicarijs*, iunctis traditis à D. Ioanne Suarez *lib. 3. ad leg. Aquil. cap. 6.*

C A P V T XVI.

Idem a *Episcopo Paduano.*

SIgnificasti nobis per litteras tuas, quod cùm F. clericus cum Archipresbyt. Sancti Fiduncij equitaret, equus cui insidebat, tam se, quàm ipsum proiecit in aquam. Inde clericus ipsum grauiter calcaribus stimulauit: equus verò, vt literarum tuarum tenor innotauit, cùm existeret bucca durus, præter voluntatem sessoris raptus in cursum, & malè parens habenis, quandam mulierem, quam obuiam habuit, ex improuiso pedibus interfecit. Cùmque nos ab eodem clerico fecissemus inquiri, vtrum equi vitium priùs sciuisset, illud se asseruit ignorasse. Ideòque f. t. per A. f. m. quat. inquiras super his diligentiùs veritatem; & si rem inueneris taliter processisse, ad maiorem cautelam iniungas eidem clerico *b* pœnitentiam competentem, qua peracta, nequaquam impedias, quominus in susceptis ministret ordinibus, & ad maiores valeat promoueri.

NOTÆ.

a PAduano.] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* De Paduana Metropoli egi in *c. 7. de iudicijs.*

b *Pœnitentiam.*] Quæ pro homicidio casuali, & omninò inuoluntario imponi solet, iuxta tradita suprà *in cap. de cætero.*

Textum hunc exposui suprà *in cap. dilectus*, & commentarium eius dedi suprà *in c. de cætero.*

C A P V T XVII.

Innoc. III. a *Oscen. & N. Tirassonen. Episcopis.*

PEtrus Diaconus, & monachus sancti Ioannis *b* de Pinna, sua nobis insinuatione monstrauit, quod cùm ipsum in sæculari adhuc habitu constitutum, in Ecclesia de Rigulo quoddam beneficium obtinentem N. Abbas ipsius Ecclesiæ illum eodem beneficio spoliasset, cognati, & amici eius Abbati sæpius supplicarunt, vt beneficium sibi restitueret memoratum: quo nolente ipsorum precibus acquiescere, irati plurimùm, & commoti, noctequadam in domo Diaconi conuenere: & cœna facta dixerunt, quod vindictam volebant sumere de Abbate. Inhibiti autem expressè ab eodem Diacono, ne Abbatem occiderent, vel aliquid ei facerent, vnde ordinis sui discrimen incurreret, & animæ detrimentum, in eum nihilominus irruerunt, & plagis impositis abierunt, semiuiuo relicto, vnde post dies *c* aliquot spiritum exhalauit. Ab illo autem tem-

Digitized by Google

tempore vsque hodie prędictus Diaconus de eo, quod contigerat, tristis effectus, ab administratione cessauit; & nondum expleto biennio, habitum induit monachalem. Vnde à nobis suppliciter petijt edoceri, vtrum posset in officio diaconi ministrare; & si hoc ei liceret, an posset ad maiorem ordinem promoueri. Licèt autem (si præmissis veritas suffragatur) præfatus Diaconus super Abbatis interitu non videatur fuisse culpabilis, quia tamen bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est, quod ab administratione officij se propria voluntate suspendit, vel habitum induit regularem, sibi non ad peccatum adscribimus, sed ad meritum reputamus. Quocirca fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si præmissa noueritis veritate subnixa, sæpedictum Diaconum non solùm in diaconatus officio ministrare, sed etiam ad ordinem presbyteratus ascendere, si aliud canonicum non obstiterit, liberam concedatis auctoritate Apostolica facultatem: præsertim si super hoc non fuerit respersus infamia, cùm ei non debeat imputari, quod contra prohibitionem eius expressam, eo causam, vel occasionem non dante, ausu sacrilego proponitur à consanguineis attentatum, diuina Scriptura testante, quod anima quæ peccauerit, ipsa morietur: & filius non portabit iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filij: quamuis hoc ipsum veriùs ad æternam, quàm ad temporalem referatur vindictam. Datum Reat. 2. nonas Augusti, Pont. nostri anno 1.

N O T Æ.

a I*Dem.*] In quarta collectione, *sub hoc tit. c.2* tantùm legitur *Idem:* sed literam, & inscriptionem restituo ex ipso regestro Innocentij III. correcto à Sirleto, vbi *lib. 1. fol. 152.* reperitur textus hic. De Oscensi & Tirassonensi Ecclesia egi *in c. 1. de his quæ vi.*

b *Ioannis de Pinna.*] Ità legendum est, *de Pina*, non *de Puna*, vt legitur in hac sexta collectione, quod percelebre monasterium est in Regno Aragoniæ, vt retuli *in cap. cùm olim, de cens.*

c *Post dies aliquot.*] Vnde credebatur ex ea percussione obijsse, iuxta ea quæ adduxi *in can. 5. Concil. j Illiber.*

C O M M E N T A R I V M.

1 IRregularitatem hanc ex homicidio contrahunt, non solùm qui illud propria manu perpetrarunt, verùm & qui consilium homicidio, aut mutilationi dedit, *cap. perniciosè, de pœnit. dist. 1.* vbi præbens consilium, vt homicidium fiat, dicitur homicida. Probant textus *in cap. si quis viduam, 50. dist. c. 2. de cleric. pugnant. cap. sicut dignum, §. qui verò, & §. vltimo, hoc tit.* Quæ sententia accipienda est, dummodo homicidium, vel mutilatio re ipsa sequatur; & dum is, qui consilium accepit, reuerà moueatur ex tali consilio, argumento legis *non solùm, §. si mandato, ff. de iniurijs:* vel saltem roboretur eius voluntas, & animus augeatur, vt docent Abbas *in cap. ad audientiam, hoc titulo, & in c. 1 de offic. deleg.* Suarez *de censur. disp 44. sect 3.* Auila *eod. tract. 7 part. sect. 2. dub. 3.* Sanchez *lib. 1. in Decalog. c. 10. n 44.* Gibalinus *de irregul. c 4. consect. 11. fol. 140.* Illud tamen dubitari solet, an si ille, qui consuluit homicidium, retractet consilium, & conetur homicidæ suadere, vt à tali homicidio recedat, & cùm id assequi non possit, homicidium sequatur, maneat irregularis? Et irregularem eum non manere, communiter docetur, dummodo post prædictam retractationem, si eam non sufficere agnouerit, admoneat ipsum occidendum, in cuius perniciem consilium datum fuit, in genere, ne peccatum consulentis detegatur, vt post Nauarrum *c. 27 nu. 233.* docet Suarez *vbi suprà,* Gibalinus *d. c. 4. consect. 12.* Limitatur autem suprà tradita doctrina, vt non procedat in Principibus, vel eorum Consiliarijs legem condentibus, vel eam rogantibus, in qua transgressoribus pœna mortis, vel mutilationis membri imponitur; nam tunc non erunt irregulares iudicandi, quia non imminet casus, propter quem similis lex conditur, etsi postea eueniat, vt transgressores capitali pœna afficiantur. Ratio est, quia in tali casu similes Consiliarij non animaduertunt in certam personam, sed tantùm prouident, vt homines se abstineant à delictis. Pro qua sententia faciunt textus *in cap. eos, ne clerici vel monachi, cap. fin. 31. distinct.* vbi docuere Dominicus, Gemio Diaz *in praxi crim c. 61. n. 3* Archid. *in cap. officia, 23. q. 5.* prædicatores Principum, & eorum confessores hortantes illos generaliter, & indistinctè, vt iustitiam faciant, malefactoresque puniant, si exinde moueantur, & aliquem pœna capitali afficiant, irregulares non fieri.

2 Etiam mandans homicidium fieri per alium, eo sequuto, irregularis manet, *cap sicut dignum, §. clericus, hoc tit* & apertè probatur *ex cap. vltimo, hoc tit. lib. 6.* vbi iubens aliquem verberari, etsi expressè caueat, ne occidatur, tamen homicidio sequuto manet irregularis, propter homicidium saltem indirectè voluntarium. Ergo qui directè mandat homicidium fieri, sine dubio incurrit irregularitatem homicidij voluntarij, quia ille causa est homicidij: & qui per alium facit, perinde habetur, ac si per se ipsum faciat. Docent Suarez *d. disp. 44. sect. 3.* Petrus Gregor. *lib 3. partit. tit. 18 c. 6.* Bronchorst. *cent. 2. assert. 75.* Manrique *de different. vtriusque fori, quæst. 98* Gibalinus *de censur. disquisit. 5. q. 3. per totam.* Quæ doctrina procedit etiamsi fuerit mandatum tacitum de occidendo, veluti si iniuriam passus dixerit alicui ex filijs, vel familiaribus. Non venias in domum meam, donec aliquid noui audiam de te; vt docent Bartolus, Baldus. & Angelus *in l. si quis mihi bona, §. sed quid si mandauero, ff. de acquir. hæredit.* Maiolus *lib. 5. de irregul. c. 48. nu. 8.* Couarruuias *in præsenti, 2 part § 1. n. 13.* Dubitari tamen meritò solet, an iubens homicidium euitet irregularitatem reuocando mandatum, antequam homicidium fiat. Et dicendum est, irregularem eo casu non manere, etiamsi non moneat ipsum occidendum. Ratio est, quia facta reuocatione, qui dederat mandatum, non potest dici causa homicidij; nam qui illud commisit. ex sua voluntate potiùs, quàm ex mandato alterius illud perpetrauit, vt docent Suarez *d. sect. 3.* Nauarrus *d. c. 27 nu. 233.* Ioannes Brunellus *in c. 1 hoc tit. n. 43.* Candelabrum aureum *2 part. de irregul. § 3* Suarez *d. sect. 3.* Similiter nec irregularis manet qui homicidium ratum habuit, si consilium, aut mandatum non dedit, vt docent Suarez *d. sect. 3.* Hurtado *de irregul. difficult. 7. num. 25.* Maiolus *d. lib. 5 c. 48 § 5.* quæ sententia apertè probatur primò ex eo, quia irregularitas non contrahitur nisi in casibus à iure expressis, *d. cap. is qui, de sent. excom. lib 6.* & in iure Pontificio nunquam talis irregularitas statuta legitur: Ergo incurri non potest. Secundò, quia nemo irregularitatem ob homicidium contrahit, nisi illius causa fuerit aliquo modo: sed qui homicidium ratum habuit, non potest dici eius causa: ergo irregularitatem non contrahit. Tandem facit, quia lex aliquem actum prohibens, nunquam comprehendit illum ratum habentem, nisi specialiter id in ea caueatur, vt *in cap. cùm quis, de sent. excom. lib. 6. cap felicis, eod. lib. Clement. 1. eod tit.* Ergo cùm nulla canonica sanctione cautum legamus, ratum habentem homicidium irregularem manere, non possunt aliæ sanctiones de homicida agentes ad ratum habentem homicidium extendi. Nec obstat, ratihabitionem mandato comparari, *cap. ratihabitio, de R. I. lib. 6.* Nam respondendum est, eam regulam procedere in vniuersum quoties specifica decisio minimè desideratur, vt in præsenti casu contingit; tunc enim non valet argumentum à ratihabitione, quæ mandato per æquipollens, non in specie comparatur, nec idem est cum mandato, argumento legis *melius,* & legis *qui hærede, ff. de condit. & demonstr. §. vlt.* Vnde licèt irregularitas ex mandato contrahatur, non idem erit dicendum in ratihabitione. Deinde etiam quæri solet, an ad hoc, quod mandator incurrat irregularitatem, necessarium sit quod mandatarius acceptet mandatum; quia contingere potest, quod eo tempore, quo illi mandatur, dicat se nolle illud munus assumere, postea verò mutata voluntate homicidium exequatur sine nouo iussu; immò potiùs contra voluntatem ipsius mandantis, si iam iram mutauit. In qua quæstione dicendum est, non esse necessariam acceptationem, & ita eo in casu man-

De iubente homicidium.

mandantem manere irregularem, etiamsi nihil denuò iusserit, vel si retractauerit voluntatem suam, dum sufficienter non reuocauerit mandatum. Et ratio est, quia crimen quod mandando commiserat, adhuc perseuerat, & sic semper manet ex vi prioris mandati non reuocati exhortatio in mandatario; vnde licèt à principio non consenserit, potest tamen ex vi prioris mandati moueri, & induci ad homicidium; & ita illud imputatur mandanti, dum mandatum non reuocauit, vt docuerunt Innocent. *in d. cap. ad audientiam, hoc tit.* Suarez *d. sect.* 3. Maiolus *lib.* 5. *de irregularit. c.* 48.

3 His præmissis, cùm in præsenti casu Petrus, nec consilio, nec exhortatione homicidium fieri suasisset, aut illud fieri mandasset, immò potiùs inhibuisset ne Abbas læderetur, irregularitatem non contraxit, etsi eius causa homicidium perpetratum fuisset, vt de simonia in non dissimili casu probaui *in cap. per tuas, de simonia:* quare illa verba huius textus, *Concedas auctoritate Apostolica*, potiùs referenda sunt ad declarationem, quàm ad dispensationem. Si autem in præsenti casu, dum de occidendo Abbate, seu vulnerando in præsentia Petri agebatur, ipse taceret, sequuto homicidio, eum irregularem manere docuerunt Gibalin. *de irregul. c.* 4. *con. sect.* 14. *fol* 155. Felinus *in præsenti:* qui alia dubia de suadentibus, vel non homicidium, proponit, & exponit.

C A P V T XVIII.

Idem a *Abbati sanctæ Trinitatis de Maleleon.*

SIgnificasti nobis per literas tuas, quod cùm quidam maleficus ingressus Ecclesiam de Brucio, Dei timore postposito, *b* Eucharistiam cum altarium ornamentis & libris ecclesiasticis extra Ecclesiam asportasset, dilectus filius Laurentius presbyter Ecclesiæ lator præsentium, regularis canonicus, quem in prędicta Ecclesia de Brucio institueras capellanum, præfatum iniquitatis filium fossorio arrepto percussit: *c* sed si ad mortem fuit ictus huiusmodi, tu, & ipse pęnitus ignoratis. Cùm autem parochiani Ecclesiæ memoratæ audirent prædictum maleficum ornamenta Ecclesię asportantem, ipsum arreptis gladijs, & fustibus in eodem loco protinus occiderunt. Prædictus verò Laurentius de sua salute præcogitans, euoluto anno, sub titulo confessionis rei ordinem tibi *d* reuelauit, pro quo nobis humiliter supplicasti, vt cum eo misericorditer agere dignaremur. Licèt autem contineatur in canone, *e* quod si quatuor homines, aut quinque, vel plures contra hominem vnum rixati fuerint, & ab his mortuus fuerit vulneratus, quicumque illorum ei plagam imposuerit, homicida, sęcundùm statuta canonum iudicetur; quia tamen in aliò canone *f* dicitur de presbytero, qui Diaconum equitantem percussit, & ipse cadens ex equo, ceruice fracta interijt, quod si non ad mortem percussus est, incautè agenti presbytero competens pœnitentia est indicenda, ita quod aliquanto tempore à Missarum suspensus solemnijs, denuò ad sacerdotale officium reuertatur: quod si veraciter qualicumque percussione presbyteri mortuus est Diaconus, nulla ratione more sacerdotis permittendus est ministrare, etiamsi voluntatem *g* non habuerit occidendi. Nos in præmisso casu credimus distinguendum, vtrum constare possit, quod præfatus sacerdos non inflixit percussionem lethalem, de qua videlicet, si aliorum vulnera non fuissent subsequuta, percussus minimè interijsset; & si percussor voluntatem non habuerit occidendi, nec ipsius studio, vel *h* consilio, vel mandato processerint alij contra illum: & quidem si hoc ita se habet (quod forsan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta, tam modica, & tam leuis, in ea corporis parte, in qua quis de leui percuti non solet *i* ad mortem, vt peritorum iudicio *j* medicorum talis percussio assereretur non fuisse lethalis;) cùm de cæteris credendum sit ipsi sacerdoti, qui non accusatur, vel denuntiatur ab aliquo, sed per seipsum de sua salute solicitus consilium appetit salutare, post pœnitentiam eidem ad cautelam iniunctam, in sacerdotali poterit officio ministrare, religionis accedente fauore, cùm sit canonicus regularis, & sine omni scandalo possit sacerdotale officium exercere Quod si decerni non possit, ex cuius ictu percussus interijt, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi tunc sacerdos: & si forsan homicida non sit, à sacerdotali officio abstinere debet; cùm in hoc casu cessare *h* sit tutius, quàm temerè celebrare, pro eo quod in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. Vtrum autem de illis sit simile sentiendum, quorum vnus, sed quis, omninò nescitur, *l* homicidium perpetrauit, si forsan ad sacros ordines recipiendos præsententur, vtrum omnes sint pariter repellendi, cùm discerni non possit qui debeant inculpabiles iudicari, diligens inuestigator aduertat; quamuis hic casus sit ab illo valdè diuersus. Si verò quemadmodum perhibetur, sacerdos ille priùs ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit, quamuis vim vi repellere omnes leges, & omnia iura permittant; quia tamen id debet fieri cum *m* moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam, non videtur idem sacerdos à pœna homicidij pęnitus excusatus; tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cùm graue sit, non solet leuem plagam inferre; tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis solet lethaliter lædi; maximè cùm secundùm vulgare prouerbium asseratur, quod qui ferit primò, ferit tangendo; qui ferit secundò, ferit dolendo: vnde pensatis omnibus ei creditur expedire, vt cũ humilitate abstineat à sacerdotali officio exequendo.

N O T Æ.

a MAleleon.] Ità legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. In hac autem sexta legitur *Mandelberg.* Sed adhuc non inueni vrbem, seu locum, vbi monasterium hoc sanctæ Trinitatis esset.

b *Eucharistiam.*] Quæ seruari debet in Ecclesia, iuxta tradita *in cap.* 1. *de custod. Eucharist.*

c *Percussit.*] Cùm furem diurnum non possit occidere, præcipuè quia proclamatio hoc casu sufficiebat, cùm parochiani propè essent, vt notaui *in cap.* 3. *hoc tit.*

d *Reuelauit.*] Concessa videlicet facultate patefaciendi casum Romano Pontifici, vel alijs, iuxta tradita *in cap.* 2. *de offic. ordin.*

e *Canone.*] Videlicet *cap. vlt.* 23. *quæst. fin.* qui citatur ex Concilio Vuormac. ab Iuone Carnotensi *part.* 10. *Decreti, cap.* 179. Burchardo *lib.* 6. *Decreti, cap.* 42. & in Pœnitentiali Romano *tit.* 1. *cap.* 15.

f In

f *In alio canone.*] Relato *in cap. studeat*, 50. *distinct.*

1 g *Voluntatem habuerit.*] Non quia voluntas tantùm occidendi possit irregularitatem inducere, nisi sequuta occisione, seu membri mutilatione; siquidem certum est ex deliberata voluntate occidendi hominem, etiam ad actum externum deducta, si modò nec homicidium, nec membri amputatio sequuta fuerit, non incurri irregularitatem, vt constat *ex cap. fin.* 15. *quæst.* 1. *cap. sicut dignum*, §. *illi autem*, *hoc tit* ibi: *Si de illa captione mors eius sequuta fuerit;* vt docent Maiolus *lib.* 5. *cap.* 48. *num.* 4. Suarez *de censur. disp.* 44. *sect.* 2. Couar. *in Clement. si furiosus*, 2. *p. in initio*, *num.* 2. Nec contrarium probant textus *in cap. si præterea* 29. *cap. si quis* 30. *de pœnit. dist.* 1. & præceptum illud diuinum, *Non concupisces;* quo inordinatus solius mentis appetitus damnatur. Et *in l. si quis cum telo*, *Cod. ad leg. Corn. de sicarijs:* vbi sola voluntas occidendi ad actum exteriorem deducta punitur. Ergo irregularitas etiam incurri potest ex deliberata voluntate. Nam respondendum est, animum delinquendi in mente retentum, & opere non declaratum, non puniri in foro exteriori, sed tantùm in interiori, vt constat *ex d. cap. præterea*, *d. cap. si quis*, vbi dicitur furti teneri, qui solo timore non furatur; & non minùs delinquere eum, cui sola est voluntas peccandi, quàm si in ipso facto deprehenderetur: quod est intelligendum quoad Deum, non quoad homines, iuxta textum *in l. cogitationis*, *ff. de pœnis*, relatum *in cap. cogitatis*, *de pœnit. dist.* 1 Deus enim, cui actus internos comprehendere, & perscrutari reseruatum est, *lib.* 1. *Regum*, *cap.* 16. D. Paulus 1. *ad Corinth cap.* 4. non ex opere, & effectibus iudicat, sed ex corde, *cap. qui peierare*, 22. *quæst.* 5. & ex corde procedere adulteria, & cætera peccata, traditur *in cap.* 15. *Matthæi*, *cap.* 1. 15. *quæst.* 6. in quem sensum accipiendi sunt textus *in cap si quid inuenisti* 14. *q.* 5. *cap. Christianæ* 32. *q.* 5. *cap. erubescant*, 32. *dist.* cum alijs adductis per Felinum *in cap.* 1. *de præsumpt.* Itaque in foro exteriori voluntas in mente retenta, non deducta ad actum externum, puniri non debet, *d. l. cogitationis*, *l.* 1. §. *hæc autem*, *in fine*, *ff. quod quisque iuris.* Vnde cùm irregularitas sit impedimentum inductum lege canonica, vt probaui suprà *in cap. de cætero;* ideò propter actum internum incurri non potest irregularitas. Nec etiam obstat quod in nonnullis priuilegijs Romani Pontificis conceditur facultas dispensandi in irregularitate purè mentali, vt constat ex Concilio Basileensi *sess.* 14. & in Bulla Cruciata concessa à Pio IV. anno 1561. Non potest autem irregularitas vocari purè mentalis, nisi ex actu purè mentali. Ergo supponit Pontifex dari aliquam irregularitatem mentalem, aliàs illusoria essent illa priuilegia. Nam huic difficultati vt satisfaciant Doctores, varia adducunt. Henriquez *lib.* 6. *summæ*, *cap.* 14. §. 4. *liter. X*, affirmat illam clausulam positam esse ad cautelam, propter conscientiam scrupulosorum. Ledesma *in* 2. 2. *quæst.* 26. *art.* 2. asserit clausulam illam non esse summi Pontificis, sed à quæstoribus impositam fuisse. Sed rectiùs Suarez vbi suprà, *num.* 9. Corduba *lib.* 5. *quæst.* 43. *dub.* 2. asserunt irregularitatem mentalem vocari eam, quæ licèt per actum externum contrahatur, pendet tamen ex aliqua conditione purè mentali, veluti quod fiat ex certa scientia, contemptu, odio, præsumptione, aut pertinacia, vt quando quis excommunicatus est, quia egit, vel omisit aliquid scienter, dolosè, & præsumptuosè, iuxta speciem textus *in cap. penult. vers. cæterùm*, *de cleric. excom.* vel si Ecclesia imponat irregularitatem celebranti baptismum sine intentione; nam talis irregularitas dicetur mentalis, quia originaliter prouenit ex illo animo culpabili.

h *Consilio*, *vel mandato.*] Iuxta tradita commentario antecedenti.

2 i *Ad mortem.*] Non tamen omnis, qui lethaliter vulneratus est, moritur, *l.* 1. §. *vlt. ff. ad Syllan.* sicut nec omnis moritur, cui lethalis morbus est, auctore Galeno *lib.* 6. *aporism. Hippocrat. aphorism.* 18. quia in vulneribus alia sunt, in quibus plus medicamenta, alia in quibus manus plus proficit, ex Cornel. Celso *lib.* 5. *c.* 26. itaque euentus expectandus est; nisi enim mors sequuta sit, existimari non poterit antea vulnus fuisse mortale: & ideò si seruus mortiferè vulneratus, postea ruina, vel naufragio perierit, de occiso, non de vulnerato agendum esse docuit Vlpianus *in l. huic scripturæ* 15. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* eam rationem assignans, quia post ruinam, vel naufragium non potest apparere, an seruus sit occisus. Inde etiam Celsus, *in l. item* 11. §. *Celsus*, *ff. ad Aquil.* docet quod si alius lethale vulnus inflixerit, alius postea occiderit, priorem non teneri de occiso, sed de vulnerato; posteriorem teneri de occiso, quia occidit, & meritò, quia propter posterioris homicidium non apparet fuissetnè vulnus lethale. Nec contrarium docet Iulianus *in l. ita vulneratus* 51. *ff. ad leg. Aquil.* vbi docet, seruum vulneratum esse ab vno, ex cuius ictu certum est moriturum esse; & postea ab alio exanimatum: & existimat, vtrumque de occiso teneri. Quia facilè procedit Iuliani sententia, si obseruemus verba illa: *Certum est moriturum esse.* Quibus non tantùm significatur vulnus esse mortale, sed omninò moriturum esse, vt in simili casu docuit Papinianus *in l. in ratione* 11. §. *si seruus*, *ff. ad leg. Falcid.* ibi: *Qui moriente domino ea valetudine affecti fuerant, vt eos non posse viuere certum esset.* Sunt enim quædam vulnera insanabilia, veluti cordis percussio, quæ omninò hominem perimit. Iulius Solinus *Polyst. cap.* 3. ibi: *Conuenit inter omnes corda primùm ex vniuersa formari carne, eamque in diem quintum & sexagesimum crescere, deinde minui, ac ex ossibus spinas: ea propter capitale esse, si pars altera noceatur.* Similiter percussio celebri, medullę spinę, item pulmonis percussio insanabilis est, necnon si diaphragma ruptum sit; nam diaphragma est musculus, qui diuidit cor, & pulmones à liene, & iecore. Æquè etiam mortalia sunt vulnera, si arteriæ ruptæ sint, veluti arteria venosa, arteria vocalis, & arteria aspera. De quibus, & alijs vulneribus agunt Hippocrat. *aphorism.* 18. *sect.* 6. ibi: *Cui vessica perforata fuerit, aut cerebrum, aut cor, aut septum transuersum, aut tenue quoddam intestinum, aut ventriculus, aut iecur, lethale est.* Cornel. Celsus *lib.* 5. *c.* 26. ibi: *Seruari non potest, cui basis cerebri, cui cor, cui stomachus, cui iecinoris portę, cui in spina medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut ieiunum, aut tenue intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt, cuiue circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præcisæ sunt.* Alia autem vulnera sunt, quę quamuis ad sanitatem vix perueniant, non tamen de eorum incolumitate desperatur. Idem Celsus *dicto c.* 26. Quare in illis non expectatur euentus, in his verò euentus expectandus est. Vnde fit, quod si quis alteri vulnus in corde, vel in pulmone inflixerit, illicò nullo expectato euentu occidisse creditur, ac proinde quamuis postea ex plaga, quam alius imposuit, celeriùs mortuus sit, vterque de occiso tenetur, *d. l. ita vulneratus.* Si autem vulnus non ita lethale sit, primus de vulnerato, secundus de occiso tenetur, vt docuerunt Cuiac. *lib.* 86. *Digestor. in d. l. vulneratus*, Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. de lege Cornel. de sicarijs*, *c.* 3. D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib.* 1. *cap.* 3. *sect.* 3. Quoad irregularitatem autem, de qua in præsenti textu agitur, certum est, non solùm eum qui occidit, verùm etiam qui morti ferè vulnerauit, irregularitatem contrahere, vt ex hoc textu communiter resoluunt repetentes *hic*, Villadiego *in tract. de irregul. cap. de clerico percussore*, *num.* 3. Valentia *tom.* 2. *illustr. tract.* 4. *c.* 4. *n.* 33.

j *Iudicio medicorum.*] Qui adhibendi sunt vt periti in arte, iuxta tradita *in cap.* 3. *de probat.* quia in his quæstionibus medici iudicant, non Iureconsulti: creditur autem illis, si cum iuramento deponant, absque eo tamen non facilè fides habetur, sicut nec vni, nisi fortasse plures haberi non possint; quo casu necessariò vnius iudicio standum est, argumento legis 6. *C. de re milit. l.* 1. *in princip.* & §. *de inspiciendo*, *ff. de ventre inspic. l.* 1. §. *idem*, *l.* 20. *ff. de quæst. nouella* 7. *Iustin. c.* 3. 3

k *Cessare sit tutius.*] Verba hæc exposui suprà *in cap. ad audientiam.*

l *Homicidium perpetrauit.*] Si propter hominem occisum criminaliter agatur, & plures præmeditato consilio 4
in eum irruerunt, siue omnes percusserint, siue aliquis, siue vnus, omnes tamen vltimo supplicio tanquam homicidæ puniuntur, quia omnium idem dolus, & facinus æquale est, *l.* 2. §. *si quis non homines*, *ff. de vi bonor. rapt. l.* 3. *ff. ad leg. Iul. de vi priuat. cap. vlt*, 23. *quæst. vlt. l.* 57. *Styli:* & ita omnes manent irregulares. Docent Paz *in d. l.* 57. Anton. Gomez *lib.* 3. *var. c.* 3. *n.* 36. Couar. *in Clement. si furiosus*, 2. *part.* §. 2. *vers. Primus casus*, Sesse *tom.* 1. *decis.* 103. Sed si non præmeditato consilio, sed casu rixa orta fuerit, & constet quod vulnus lethale sit, & quis illud intulerit, ille tantùm, qui hominem morti ferè vulne-

vulnerauit, tenebitur de occiso, cæteri si non vulnerauerint, non tenebuntur; si autem vulnerauerint, propter vulnera solummodò, non propter mortem puniendi erunt, cùm singulorum dispar culpa, & inæquale fuerit delictum, *l. 1. §. Diuus, l. vlt. ff. ad leg. Cornel. de sicarijs*: quo casu ille solus, qui lethale vulnus intulerit, irregularis fit. Gomez, & Couar. vbi suprà, nisi non ex vno potiùs, quàm ex altero, sed ex omnibus pariter vulneribus mors fuerit illata; tunc enim omnes homicidæ censentur, & irregulares ex hoc textu, & ex *c. fin 23. quæst. 5.* Quod si omnes vulnera intulerint, & vnum tantùm lethale vulnus fuit, nec appareat à quo illarum fuerit, licèt iure ciuili pœna pecuniaria omnes teneantur, *l. item Mela 11. §. si plures, ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. vlt. ff. de his qui deiecerunt*: criminali tamen ordinaria pœna mortis puniri non debent, ex ratione legis *absentem 5. ff. de pœnis*: sed potiùs extraordinaria coercebuntur, vt defendunt Gomez, & Valentia *vbi suprà*, Faber *in ration. ad textum in d. l. ita vulneratus.* Similiterque si vnus tantùm lethale vulnus intulerit, cæteri autem non vulnerauerint, & quis eorum fuerit, non appareat, omnes à pœna mortis erunt immunes, sed arbitrio iudicis coerceri debent, *d. l. 57. fin.* Iulius Clarus *lib. 5. sent. § homicidium, num. 3.* sed eo casu omnes irregulares esse resoluunt Couar. *vbi suprà, n. 5.* Valentia *d. cap. 4. num. 33.*

5 m *Moderamine inculpatæ.*] Occidens enim aliquem se defendendo, quando aliter mortem vitare non valet, irregularis non est, *Clement. vnic. hoc tit.* Ratio est, quia ad irregularitatem contrahendam propter homicidium priuatum necessaria est culpa homicidij, saltem aliqua: is verò, qui ad defensionem aliquem occiderit, nullam culpam homicidij contrahit: ergo non erit irregularis. Minor probatur, nam vnicuique naturali ratione permissum est se ab aggressore defendere, *l. vt vim, ff. de iust. & iur. l. 1. §. cùm arietes, ff. si quadrupes pauperiem fecisse dic. l. sed etsi, l. scientiam, §. qui cùm aliter, ff. ad leg. Aquil. l. 1. §. vim vi, l. 3. §. eum igitur, ff. de vi & vi armata, l. furem nocturnum, ff. de sicar. l. 2. & 3. C. eod. tit. l. 1. C. vnde vi, l. 1. C. quando liceat se vindicare, cap. 2. cap. suscepimus, §. significasti 1. & 2. de homicid. cap. 3. de sent. excom. cap. dilecto, eod. tit. in 6.* & *Clement. pastoralis, §. cæterùm, de re iudicata*: quibus consonant leu 3. 4. & 8. *part. 7* lex 4. *tit. 13. lib. 8. Ordin.* leu 4. *tit. 23. lib. 8 recopil* quibus suffragatur, quod Cicero in oratione pro Milone sic scribit: *Est enim hæc, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, vt si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset, honesta omnis ratio esset expediendæ salutis.* Est enim à natura concessum, vt vim vi repellere possimus, vt omne animal natura duce ad conseruandum se, & speciem suam impellitur, vt ait Aristoteles *lib. 1. polit.* & probaui suprà *in cap. 3. hoc tit.* Ampliatur præsens doctrina, vt procedat etiam casu, quo occidens se defendendo animum, & intentionem occidendi habet: cuius resolutionis ratio duplex est. Prima, quia in quolibet actu inseparabiliter inest voluntas potestati, argumento textus *in l. multùm interest, C. si quis alteri, vel sibi.* Ergo dum leu permittit potestatem occidendi aggressorem, permittere etiam videtur intentionem, & voluntatem occidendi. Secunda, quia defensio à iure permissa est: ergo iure debet etiam permitti voluntas occidendi; quia occisio est medium necessarium defensionis, tanquam præambulum necessarium ipsius, argumento legis *illud, ff. de acquir. hæredit.* docuerunt Nauar. *in manuali, cap. 15. num. 2* Sotus *de iustitia, quæst. 1. art. 1.* Nec obstat textus *in cap. de occidendis, 23 q. 5* vbi permittitur iudici, & militi occidere se defendendo animo occidendi, quasi secus sit in alijs. cuius textus, & aliorum iurium, & rationum argumento contrariam sententiam defendunt D. Thomas 2. 2 *quæst. 64. art. 7* & Caietanus *ibi*, Tabiena *verbo Homicidium, quæst. 7.* & Abulensis *super Matthæum cap. 5. part. 26.* nam tenendo priorem opinionem respondendum est, textum *in d. cap. occidendis*, loqui quando non occidit quis se defendendo, sed occidit præueniendo ad cauendam iniuriam, vel mortem futuram: quo casu dicitur homicida, quia non occidit se defendendo; secus verò est quando aliquis occidit in ipso actu aggressionis, quia tunc occidere permittitur, quamuis habuerit animum occidendi. Hoc tamen homicidium defensionis causa commissum debet fieri seruato moderamine inculpatæ tutelæ, ex præsenti textu; aliàs voluntarium dicitur, *l 1. Cod. vnde vi*: docet Acuña *in cap. mirar, 50. dist.* Bartholomæus Sanchez *in repet. ad eundem textum*:

COMMENTARIVM.

DVbium enim, & non leue, tam apud Canonistas, quàm Theologos est, an in casu dubio debeat quis irregularis iudicari, vel non? Et in dubio neminem irregularem censendum esse, docuerunt Innocent. *in cap. ad audientiam, suprà hoc tit.* Couar. *in Clement. si furiosus, 1. part. in initio*, Nauarrus *in cap. si quis autem, de pœnit. dist. 7.* Garcia *de benefic. 7 part. cap. 1 n. 21.* Ioannes Sanchez *in select. disp. 42. num. 14.* Hurtado *de irregul. lib. 1. diffic. 4.* Turrianus *de censur. lib. 8. disp 17. dub. 3.* affirmant verò irregularem esse iudicandum Sanchez *tom. 1. summæ, lib. 1. cap. 10.* Auila *de censur. part 7. disp. 2. dub. 5.* Villalob. *in summa, tom. 1. tract. 1. difficult. 22 num. 2.* Flores de Mena *variar. quæst. 9.* Sayrus *de censur. lib 2. cap. 2. num. 16.* Vgolinus *eod. tract. cap. 4. §. 2. num. 3.* Azor *1. part. lib. 2. cap. 19. quæst. 20.* Alij docent in foro exteriori neminem in casu dubio irregularem credi, secus verò in foro interiori, quia probi hominis est ibi culpam timere, vbi culpa minimè reperitur, *c. fin. 5. dist. c. 2. de obs. ieiun.* Ita docuerunt Abbas, Hostiensis, & Ioannes Andreas *in d. c. ad audientiam*, Armilla *verbo Irregularitas, num 8.* Tabiena *eod. verbo, num. 3.* Ledesma, Maiolus, Philiarcus, & Farinac. quos refert Escobar *de vtroque foro, art 1 §. 5.* Alij discrimen constituunt inter irregularitatem prouenientem ex homicidio, & inter prouenientem ex alijs causis. In irregularitate proueniente ex homicidio etiam in dubio præsumi quem irregularem asserunt, quia id expressum est in præsenti, & suprà *in c. ad audientiam*; secus verò in alijs casibus, quia id expressum non est. Ita Layman *part. 2. moral. lib. 1. cap 5. §. 4 n. 39.* Bonac. *de censur. disp 7. quæst. 1 puncto 5.* Alij relati à Barbosa *in d. cap. ad audientiam, num. 3.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 73.* Tandem alij existimarunt aliter distinguendum esse, videlicet aut dubium est iuris, an scilicet irregularitas pro certo delicto inflicta sit, & eo casu nullo modo quem irregularem credi; aut dubium erat facti, an videlicet factum propter quod irregularitas imposita est, commissum fuerit; & in hoc casu præsumi quem irregularem, quia in dubijs tutiorem partem sequi debemus, *cap. 3. de sponsal. cap. 2. de consanguin. cap. vnic. de scrutin.* Ita docuerunt Couar. *vbi suprà*, Suarez *disp. 40. sect 6.* Gibalin *de irregul. cap 2. consect 6.* Sed placet opinio negatiua, scilicet quocumque casu dubium vertatur, excludi irregularitatem in vtroque foro, dum ita res dubia est, vt nullo modo veritas probari valeat etiam præsumptionibus. Et quidem si dubium iuris est, constat irregularitatem tantùm contrahi in casibus à iure expressis; & si dubium facti sit, etiam probatur hæc sententia, quia nemo punitur ob peccatum dubium, *c. nos, cap Iudex, 2. q. 1. l. 3. §. 1 ff. de minor. l. absentem, ff. de pœnis, l. fin C. de probat.* In dubijs enim fauendum est reo, *cap. cùm sunt, de R. I. in 6* quia procliuiores sumus ad liberandum, quàm ad ligandum, *l. Arrianus, ff. de O. & A.* Nec hoc solùm procedit in foro exteriori, sed etiam in interno; si enim quis dubitet, an votum fecisset, necne, non tenetur ipsum adimplere, vt viginti auctoritatibus relatis probat Diana *4. part. tract. 3. resol. 11.* & dubitans an damnum intulerit, ad restitutionem non tenetur. Diana *ibidem, resol. 27.* & in dubio an casus sit reseruatus, necne non creditus reseruatus. Portel. *in dubijs regularib verbo Casus reseruatus, num. 7.* Diana *suprà, resol. 4.* & si dubitetur, an aliquis legitimus filius sit, necne, præsumitur legitimus: Diana *suprà, resol. 4.* & si dubitetur, an aliquis legitimus: ipse Diana pluribus relatis *resol. 6.* Ergo similiter in dubio facti, an quis ex homicidio, vel alio casu irregularis sit, dicendum est, irregularem non esse, immò vti posse possessione sua, in qua antequam dubium emergeret, erat. Ita tenet Escobar *de vtroque foro, art. 1 §. 5* Giballinus *vbi suprà.* Vnde infertur, procurantem abortum, & dubitantem an fœtus esset animatus, necne, non manere irregularem. Sanchez *lib. 1. in Decal. cap. 11. num. 43.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 51. num. 141.* Carranza, Diana, alij-

6

na, alij-

na,alijque apud Escobar *suprà*, *num.* 89. Sotus, Sayrus, & Scortia apud Gibalinum *d. cap.* 4. *consectar.* 7. Idem circa militem dubitantem an aliquem occiderit, resoluit Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 3. & 52. Escobar, & Gibalin. *vbi suprà*. Idem dicendum est de cõsulente homicidium, & dubitante an eius suasu sequutum sit: quem casum explicant Petrus Corneio *in* 3. *part. tract. de irregul. disp.* 1. *dub.* 2. Diana *part.* 4. *tr.* 2. *resol.* 25. Escobar suprà, *n.* 45.

CAPVT XIX.

a Idem.

TVa nos duxit fraternitas consulendos. *Et infrà*: Tertiò quæsiuisti Apost. Sed. responso explicari, quid sit de quodam monacho sentiendum, qui credens se quandam mulierem à gutturis tumore curare, vt chirurgicus cum ferro tumorem illum aperuit: & cùm tumor ille aliquantulum resedisset, monachus ipse mulieri præcepit, ne se vento exponeret vllo modo, ne fortè ventus gutturis apertionem intrans, sibi causam mortis inferret. Sed mulier eius mandato contempto, dum messes colligeret, vento se exposuit incautè, & sic per apertionem gutturis sanguis multus effluxit, & mulier diem finiuit extremum: quæ tamen confessa est, quòd quia vento exposuit semetipsam, sibi dederat causam mortis. Vtrùm videlicet, cùm prædictus monachus sit sacerdos, liceat ei sacerdotale officium exercere. Nos igitur f. t. taliter respondemus, quòd licèt ipse monachus deliquerit alienum officium vsurpando, quod sibi minimè congruebat; si tamen causa pietatis, & non cupiditatis id egit, & peritus erat in exercitio chirurgię, omnemque studuit diligentiam, quam debuit, adhibere, non est ex eo, quòd per culpam mulieris contra consilium eius accidit, adeò reprobandus, quod non post satisfactionem condignam cum eo misericorditer agi possit, vt diuina valeat celebrare: alioquin interdicta est ei sacerdotalis ordinis executio *b* de rigore.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 3. sed inscriptio restituenda est *ex cap. tua nos, de sponsal.* vbi integram epistolam Innocentij transcripsi.

2 b *De rigore*.] Quia dabat operam rei illicitæ artem chirurgicam monachis prohibitam exercendo. Docuerunt Couarr. *in Clement. si furiosus*, 2. *part.* §. 4. *n.* 2. & omnes illi, qui communem distinctionem agnoscunt inter eum qui dedit operam rei licitæ, vel illicitæ. Ita hunc textum acceperunt Molina *de iustitia disp.* 77. Auila *de censur.* 7. *part. disp.* 6. *sect.* 1. *dub.* 2. Villalobos *in summa*, *tract* 21. *tom.* 1. *diffic* 24. Sed rectiùs Sotus, Propositus, & Hurtado, quos refert, & sequitur Gibalinus *de irregul. c.* 4. *regul.* 2. *consect.* 1. docuerunt in præsenti monachum non declarari irregularem, sed tantùm Innocentium asserere, monachum grauiter deliquisse alienum officium vsurpando, vt constat ex illis verbis: *Multùm deliquerit*. Vnde docet Innocentius iuxta iuris rigorem suspendendum esse à sacerdotalis ordinis executione. Ex quibus verbis apparet, monachum istum non esse irregularem, quia eius culpa non contigit homicidium, quamuis peccaret alienum officium vsurpando: si autem vel imperitia, vel negligentia ipsius contigisset mors mulieris, certum est irregularem futurum fuisse. In præsenti ergo casu suspensio incurritur; & ita docet Innoc. post condignam satisfactionem posse ex misericordia diuina celebrare. Nec verba illa, *poterit misericorditer cum ipso agi*, important irregularitatem; nam idem dicitur de eo, qui in duello partem digiti amiserat, *in c.* 1. *de corpor. vitiat.* cùm tamen ille minimè sit irregularis, sed deponendus, *c.* 1. *de clericis pugnant*. Etiam *in c. vlt de bigamis*, dicitur dispensare Episcopum cum sacerdote, qui plures habuit concubinas, sicuti cum fornicatore simplici, vt sacerdotalia munia obeat; & tamen constat ex ibi traditis, sacerdotem in ea specie nec esse bigamum, nec per consequens irregularem: igitur ex simili loquendi formula non rectè deducitur, irregularitatem contractam esse.

§.

AD vltimum fuit ex parte tua propositum, quòd quidam scholaris metuens, ne latrones in domo sua essent, paruo assumpto gladio, vt ignem quæreret, de strato surrexit; & cùm venisset ad ostium, ignarus reperit ibi furem, qui cum scholari luctari incipiens, non solùm ipsum scholarem prostrauit ad terram, sed etiam penè ad mortem vulnerauit eundem. Scholaris verò prouocatus ab illo, vim vi incontinenti repellens, extracto, vel extorto latronis gladio, eundem seruato iuris moderamine repercussit, qui perterritus fugam, quamcitiùs potuit, maturauit. Manè itaque lucescente, scholares latronem quæsiuerunt eundem, qui vulneratum inuentum Potestati Vicentiæ tradiderunt, coram quo constanter negauit, quòd præmissa minimè perpetrauit. Vnde præfata Potestas ad eundem scholarem suos nuncios destinauit, vt exponeret, si qua sciret de fure prædicto, vel traderet intersigna: qui cultrum, quod ipse latroni abstulerat, & sotulares ab eodem in ipsius domo dimissos, quos abstraxerat sibi, ne pedum strepitus audiretur, nuntijs tradidit memoratis, super eodem facto se nihil ampliùs *a* intromittens. Potestas igitur receptis talibus intersignis, latronem ipsum apparitoribus suis tradidit puniendum, qui illi amputauerunt *b* virilia, & oculos eruerunt: latro verò se ad quoddam cœnobium transtulit, & ibi per triduum ira, & dolore commotus, nec potum sumpsit, neque cibum, & sic de medio est subtractus. Vnde per nostrum postulas oraculum edoceri, vtrum præfatus scholaris ad sacros ordines valeat promoueri? Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd si præfatus scholaris dignis meritis adiuuatur, propter præscriptum euentum à susceptione sacrorum ordinum nullatenus est arcendus.

NOTÆ.

1 a INtromittens.] Idest nec accusans, nec testimonium perhibens, aliàs esset irregularis, nisi præmissa protestatione, de qua *in c.* 2. *hoc tit. in* 6. vbi plures congessit Cenedus *collect.* 12. Gibalinus *de irregul. c.* 4. *diffic.* 11. *& sequenti*, Iranzo *de protest. consideral.* 46. Ratio est, quia quando clerici, vel laici aliquem accusant absque protestatione, eorum voluntas per talem accusationem manifestè fertur ad homicidium, vel membri mutilationem; vnde in præsenti scholaris non iudicatur irregularis, etiamsi

signa

signa dedisset, vt cognosceretur fur, qui posteà ex punitione iudicis decessit; quia signa illa nullo modo ad mortem, vel membri mutilationem referri poterant, sed tantùm aliquod leue indicium præbebant: quæ quidem causa remota fuit homicidij, & ita irregularitas contracta non fuit.

2 b *Virilia.*] Forsan iuxta morem ipsius prouinciæ; nam in alijs prouincijs furibus aures amputantur, vt probat, & illustrat Langieus *lib.10. semestr. cap.2.* & in ipsa Gallia lex Salica iubet seruum, qui quadraginta denarios surripuerat, castrari, *tit.3. de furta*, §.2. Apud alios in aure signum inurebatur. Sanctus Vincentius Ferrerius *serm.4. dominicæ 2. Epiphan.* ibi: *Sicut latroni datur cauterium igneum, vel sciuditur in aure, signum furti vt cognoscatur: sic Deus in signum illius furti, quod Adam faciebat, homines circumcidi in illa parte verecundosa iussit.* Et de Persis refert Thom Morus *in sua Vtopia.* Apud Baiubarios manus furibus seruis amputari iubentur, *cap.6. legum Baiubar.* in hæc verba: *Si quis in exercitu aliquid furauerit pastorium, capistrum, freuum, feltrum, vel quæcumque innolauerit, & probatum fuerit, si seruus est, perdat manus suas.* Castratio de qua in præsenti, dicitur extrema pœna ab Apuleio *lib.7. in fine*, & puerile supplicium à Martiali *lib.2. epigram.60.* vbi notauit Ramiresius: & plura de hac pœna cumulauit Theophilus Raynaud. *tom. 14. tract. de triplici eunuchismo.* An verò talis abscissio hodie in pœnam delicti à iudice imponi possit? quærunt DD. Negat Guill. Benedict. *in cap. Raynuntius, vers. Qui cum alia, n.16. de testam.* Affirmat Gibal. *tom.1. de negot. lib.1. cap.4. art.3. consect.9. nu.6.*

CAPVT XX.

Idem *Priori, & fratribus* a *Cartusien.*

SIcut ex litterarum vestrarum tenore accepimus, cùm quidam presbyter vestri Ordinis, qui priùs fuerat *b* niger monachus, quandam mulierem prægnantem, cum qua contraxerat consuetudinem inhonestam, & quæ asserebat se concepisse ab eo, per *c* zonam arripuerit quasi ludens, ipsa postmodùm mulier sic ex eo se asserit fore læsam, quod occasione huiusmodi abortiuit: propter quod idem presbyter proborum virorum vsus consilio seipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum. Quare nobis humiliter supplicastis, vt cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos verò deuotioni vestræ insinuatione præsentium respondemus, quòd si nondum erat *d* viuificatus conceptus, poterit ministrare, alioquin ab altaris debet officio abstinere. Datum Later. IV. Non. Oct. Pont. nostri anno XIV.

N O T Æ.

1 a C*Artusien.*] Ità etiam legitur in quarta compilatione, *sub hoc tit. cap.4* & in ipsis epistolis Innoc. III. *lib 2. regestr. 14. epist. 107.* ex quo regestro textum hunc transcribo. De hoc præclaro Cartusiensium Ordine nonnulla adduxi *in cap. per tuas, de simonia.*

2 b *Niger monachus.*] Idest Benedictinus, vt probaui *in c.10. de temp. ord.* Possunt enim omnes Religiosi cuiuscumque Ordinis ad Cartusiensium Ordinem, tanquam strictiorem, se transferre, vt probaui *in cap. licèt, de regular.*

c *Zonam.*] Zona est genus cinguli, quo modo accipitur tam apud profanos, quàm sacros scriptores. De profanis zonis plura congessit Salmasius *in notis ad Spartianum, fol.153.* De sacris fusè agit Sansay *in Panopl. sacerdot 1. p. lib.3. cap.6* 3

d *Viuificatus.*] Iuxta tradita *in cap. si quis, suprà hoc tit.*

CAPVT XXI.

Idem *S.* a *Episcopo.*

POstulasti. *Et infrà*: Quæsiuisti præterea, vtrùm contra quosdam contempta excommunicationis sententia debitas Ecclesiæ decimas subtrahentes, tibi Regiam implorare liceat *b* potestatem, cùm ad solutionem earum vix absque sanguinis effusione valeant coarctari? Ad quod respondemus, quòd si te huiusmodi querimoniam simpliciter deponente, Rex cui ad bonorum laudem, vindictam verò malorum gladius est commissus, in eosdem rebelles traditam sibi exercuerit potestatem, eorum erit duritiæ, aut malitiæ imputandum.

N O T Æ.

1 a S*Episcopo.*] Ita habetur in hac sexta collectione: sed inscriptionem, & litteram restitues ex capite *postulasti, de foro compet.* vbi integram epistolam dedi.

2 b *Potestatem.*] Auxilium brachij sæcularis, cùm opus fuerit, inuocandum esse à iudicibus ecclesiasticis, statuit Ioannes VIII. in Synodo Trecensi, illis verbis. *Et cùm opus fuerit, publicum conuocent auxilium, non ad præiudicandum, sed potiùs ad ea, quæ placita sunt Deo, consequendum.* Cùm enim vltra anathema ecclesiastica potestas non extendatur, hi, qui Episcoporum monitis parere, vel fulmine ecclesiastico percussi ad cor reuerti noluerint, sæculari imperio necessariò coercendi sunt. Synodus Turon. 3. *can.41.* ibi: *Quos oportet per sæcularis pœnitentiæ disciplinam à tam praua consuetudine coerceri, qui per salutifera sacerdotum monita noluerint reuocari.* Probaui latè *in 2. part. textus in c.1. de offic. ordin.* Sed cùm in his canonibus, & nouiter in Tridentino, dum de implorando hoc auxilio agitur, semper adijciantur ea verba, *si opus fuerit*, vidi sæpiùs in Regia Cancellaria pronunciatum, teneri omninò iudicem ecclesiasticum ad capturam laici, etiam concubinæ clerici, auxilium brachij sæcularis petere, nec propria auctoritate posse laicum etiam in delictis ecclesiasticis carceri mancipare: sed an rectè, & secundùm sacrorum canonum mentem procedat, non est nostrum disputare in præsenti: videndi sunt Palacios Rubios *in cap per vestras, notab.2. n. 30. & 31.* Auendaño *1. part. de exequend. mandat. c.1. ex n.22.* Barbosa *lib.3. voto 92.* Couarr. *in pract. cap.10. nu 2.* Iul. Clarus *lib.5. sent. q.37* Germon. *lib.3. de sacr. immunit. c.12. nu.177.* Cenedo *q.39. canon.* Paz *in praxi, 2. tom. prælud.2.* Bobadilla *lib.2. polit. c.17. nu.170.* Anguianus *lib.1. de leg. c.30.* Larrea *decis.1. Grauat.* Menchaca *de success. creat. §.22. n.28* Bellet. *in c.1. de offic. ord. part.1. n.55* Amaya *in l.2. Cod. de exact. tribut. nu.35.* Gutierrez *lib.1. pract. q.45.* & *lib.3. q.31.* Salgado *de Regia protect. 2. part. c.4. n.36.* Carleual *de iudic. tom.1. disp.2. à n 773.* Frances *de competentijs, quæst.73.* Et semper placuit communior sententia, videlicet iudicem ecclesiasticum in illis casibus, in quibus contra laicos procedere potest, etiam carceri eos mancipare valere: tum quia concessa iuris-

Digitized by Google

iurisdictione, omnia ea concessa videntur, sine quibus exerceri non valet, *l.2.* cum vulgatis, *de iurisdict.* tum quia quo iure finis inductus est, inducuntur etiam media necessaria ad finem tendentia. D. Thomas 1. *part. q.39. art.3.* & *q 82. art.1.* & *q.119. art.4.* Faciunt textus ferè diserti *in cap. fraternitatis 7. dist.34. cap. attendendum* 13. 17. *q.4. cap. contra* 10. 26. *q.5. c.2. de adult. c.2. de maledicis, l. sanctissimarum* 44. *§. tua igitur, Cod. de Episc. & cleric.* & alij congesti ab Agia *de exhib. auxilijs*, Vela *in c.1. de offic. ord. 2. part. nu.1.* quod faciliùs procedit accedente consuetudine, vt præscripta est in Episcopatibus Salmant. & Placent.

CAPVT XXII.

Episcopo a Ebroicensi.

EXhibitâ nobis humilis Ioannis *b* clerici confessio patefecit, quod cùm in *c* puerili constitutus esset ætate, cum quibusdam coætaneis suis ludens, & insequens vnum ex illis, lapidem post eum, non animo quidem *d* lædendi, sed timorem incutiendi proiecit: qui licèt ex proiecto lapide percussus non fuerit, nec tactus, ad alium tamen lapidem corruens, & caput offendens, tum propter *e* imperitiam medicantis, tum propter patris incuriam, qui ex tunc campestribus laboribus, & sudoribus ipsum exposuit, post quadraginta dierum spatium exspirauit. Quia verò dictus clericus, vt mitigaretur *f* dolor patris defuncti, tanquam puer inscius ab amicis inductus veniam super hoc *g* postulauit ab ipso, tu eum hac occasione à sacrorum ordinum susceptione repellis, quamquam idem defuncti pater in extremis laborans tibi, & Archidiacono tuo, necnon presbytero, cui suam aperuit conscientiam, confessus fuerit, & præstito firmauerit iuramento, nihil ipsum in morte filij sui, prout sibi plenè constiterat, commisisse. Quare idem clericus tam suppliciter, quàm humiliter postulauit à nobis, vt cùm de scientia, & vita laudabili commendetur, nec de illius obitu læsam habeat conscientiam, dignaremur agere misericordiam cum eodem. Quocirca f. t. p. A. f. m. quat. inquisita super his solicitè veritate, si constiterit ita esse, ipsum propter hoc à receptione sacrorum ordinum non repellas.

NOTÆ.

a EBroicensi.] Ita legitur *in c.1. hoc tit. in 5. compil.* Sed in hac sexta legitur *Eboraeensi*: sed quamlibet literam retineat, parum interest. De Ebroicensi diœcesi egi *in c 6. de testibus*.

1 b *Clerici.*] In minoribus videlicet ordinibus constituti, vt constat ex finalibus verbis, vbi prohibetur illis ad sacros ordines, quos adhuc non habebant, ascendere; licèt enim nomine clericorum veniant propriè ministri in maioribus ordinibus constituti, vt sæpiùs in hoc opere notaui; tamen minoribus ordinibus initiati plerumque comprehenduntur, vt pluribus relatis probat Barbosa *de iure ecclesf. lib.1. c.39.* Vnde intelligitur textus *in can 1. Concilij Arausic.* in illis verbis: *Pœnitentiam desiderantibus et iam clericis non negamus.* Quæ verba referri nequeunt ad clericos in maioribus ordinibus constitutos, vt iam notauit Albaspineus *obseruat. 7. in Optatum Mileuit.*

2 c *Puerili.*] Puerilis ætatis, siue puerorum appellatione intelliguntur filij statim nati, iuxta illud *Hieremiæ c.10. verf.44.* ibi: *Qui nunciauit patri meo, puer natus est tibi.* Etiam puerorum appellatione continentur serui, siue seruientes, *l. vxorem 41. §. testamento, ff. de leg.3. l. pueri 204. ff. de V. S. cap. cùm pastori 58. 1. q.7. cap. si qualibet, §. Abraham, 22. q.2.* Virgil. *ecloga 1.* ibi:

Pascite vt ante boues, pueri submittite tauros.

Pueritia ergo, siue puerilis ætas incipit à septennio, & durat vsque ad decimumquartum annum; quo in sensu accipiuntur pueri *in cap. pueri 15. 22 q.5. c.1. de delictis puer.* Concil. Mediolan. 3. *part. §. his temporibus, l. tutela 14 ff. de aliment. legat. l. in tabulis 36. ff. de statulib. cap. in veteri, 77. dist. cap. pueri 1. q.1. cap. puellæ, cap. desponsatas, 20. q.2. cap. super 35. de præbend. cap. tuæ 25. de sponsal.* notarunt plures relati à Narbona *in annal. anno 14. q.41.* licèt aliquando puer accipiatur pro existente in septimo anno, *l. vxorem 41. §.4. ff. de leg.3. cap. duo 12. de desponf. impub. cap. vel non est, de tempor. ordin.* In præsenti textu accipitur pro illo, qui habet quatuordecim annos, aut illis proximus est, qui ex delictis tenetur, cùm sit doli capax, vt de lege Aquilia docetur *in l. sed & si, §. & ideò, ff. ad leg. Aquil.* de iniuria *in l.3 §. fanè, ff. de iniur.* de furto *in l. impuberum 23. ff. de furtis*: de sepulchro violato *in l.3. §.1. ff. de sepulchro violat.* de pœna Syllaniani *in l. excipiuntur 14. ff. ad Syllan.* & generaliter de capitali delicto *in l. cùm autem 23. §.2. ff. de ædilit. edicto.* Probant Farinac. *in praxi crimin. tom.3. q 91.* Ioannes Robertus *lib.3. animadu. c.23.* Schifordeg. *ad Fabrum, tract.9 cap.5.* licèt ex delictis, quæ omittendo perpetrantur, mitiùs pueri puniantur, *l.1. Cod. si aduersus delict. l.6. Cod. de his quibus vt indign. authent. si captiuus, Cod. de Episc. & cleric. l.1. Cod. de falsa moneta*, dicemus infrà *in cap.1. de delict. puer.* Vnde cùm in præsenti specie puer fuisset doli capax, vt constat ex verbis illis, *non animo*, rectè poterat puniri ex homicidio, si illud per imprudentiam non admisisset.

d *Ludendi.*] Licèt Gentilium ludos exercere, & adire clericis prohibitum sit, *cap. clerici 15. de vita & honest. cleric. cap. inter, de excessib. Prælator.* tamen ludos honestos, & statui clericali non incongruos exercere non prohibentur, vt probaui suprà *in cap. lator.* Vnde 3
cùm in præsenti specie ludus ille proijciendi lapides inter pueros licitus esset, præcipuè cùm non offendendi animo exerceretur, de quo ludo Martial. *lib.4. epigram.*

Splendida cùm volitent Spartani pondera disci,
Este procul pueri, sit semel ille nocens.

Ex Homero, & alijs probat Couarr. *in Clement. si furiosus, 2. part. §.4.* Pantoia *de aleatoribus, ad leg.2.* Inde meritò in præsenti textu non fit irregularis, quia adhibuit omnem diligentiam in præcauendo homicidio. His tamen casibus, cùm ex ludo homicidium originem trahit, solet suspensio quoad maiores ordines imponi, concesso vsu minorum, & retento beneficio, vt *in cap. 5. hoc tit. in 2. collect.* vbi Clemens III. ita scribit: *Inspectis literis, quas bonæ memoriæ Vrbano prædecessori nostro misisti, plenè cognouimus, quod præsentium lator C. Subd. dum olim in minori ætate positus cum quodam puero ludum exercens, ictu lapidis vteretur, ipsum puerum non studiosè, sed casualiter vulnerauit, de quo vulnere vix fuit cura medicorum agente in breui temporis spatio, sicut credebatur, plenè curatus; tamen elapso anno vulnus fecit postmodùm aperturam: sed quia medicus, qui fuit adhibitus ad curandum, circa ipsum negligentia, seu ignorantia, vel etiam alia culpa, minus necessariam solicitudinem creditur habuisse, puer occasione ipsius vulneris exspirauit. Respondentes igitur ad hoc, f. t. m. quatenus cùm res ita processerit, eundem in minoribus ordinibus ministrare permittas, acturus circa eundem de beneficio, quod per te illi postulas conferendum, sicut eius merita postulant, & tuę meliùs insederit voluntati: ad altaris verò officium nõ accedat, qui occasionem mortis eiusdem pueri dedisse videtur.* Et *in c.2. hoc tit. in 5. compil. Significauit nobis R. canonicus Virdunensis, quòd cùm olim cum quibusdã alijs canonicis vestris intrasset Primicerij vestri domũ, & ipso Primicerio in cęna vna cum bonæ memorię H. Virdunensi canonico residente, dictus R. & alij, qui cum eo intrauerant, ludendo cępissent alterutri inter se iacere nucleos persicorum, tandẽ ludo crescẽte, aquam, & cęnum iacere inceperunt. Idem igitur R. paruũ proiecit lapillũ contra eos, non credens quòd illo aliquis lędi possit;*

posset; nec etiam tunc audiuit aliquem esse læsum. Verùm præfatus Archidiaconus illo fuit iuxta oculum, prout videbatur, leuiter vulneratus, qui vulnus huiusmodi vilipendens, continuè sequenti die, ac tertio equitauit, & sic per incautelam eius capite tumescente, non post multùm temporis diem clausit extremum. Vnde dictus R. nobis humiliter supplicauit, vt secum, qui præter dolorem quem concepit de morte Archidiaconi memorati, de cuius speciali amicitia lætabatur, iam per quatuor annos, & amplius in amaritudine pœnitentiæ vitam duxit, misericordiam facere dignaremur. Eius igitur supplicationibus inclinati, disc. v. m. quatenus de misericordia, quæ superexaltat iudicium, fructus præbendæ suæ tribuatis eidem, & sacris sibi ordinibus interdictis, ipsum permittatis in psalmis, & canticis spiritualibus Domino famulari, dummodo grauari scandalum non contingat.

4 e *Imperitiam medicantis.*] Vt plerumque contingit, vt supponitur *in l. illicitas 6. §. sicuti, ff. de offic. Præs. d. l. 2 l. 8. l. si seruus 27. §. si ex plaustro, ff. ad leg. Aquil.* plura de simili imperitia, & quomodo culpæ annumeretur, congesserunt Mornac. *in d. l. illicitas, §. sicuti,* D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquiliam lib. 3. cap. 2. sect. 6.* & nos *in c. ad aures, de ætat. & qualit.*

5 f *Dolor patris.*] Qui maximus est, *l. nam etsi parentibus, ff. de inoffic. l. nec in ea, ff. ad l. Iul. de adult. l. vlt. C. de curat. furios.* probat latè Perez de Lara *de vita hominis c. 36.* plus enim parentes amant filiorum vitam, quàm suam, iuxta ingentem & intensum amorem paternum, quo nullus est maior. Latinus Pacatus *in panegyr. ad Theodos.* ibi: *Quod ita instituente natura plus ferè filios nostros, quàm nosmetipsos diligamus.* Tertul. *lib. 2. aduers. Marcion.* ibi: *Duritia populi talia remedia compulerat, vt vel posteritatibus suis prospicientes legi diuinæ obedirent; quis enim non magis filiorum suorum salutem, quàm suam curat?* Idque confirmant Aristot. *lib. 8. Ethicor. cap. 12* Sabellicus *lib. 3. c. 4.* & eleganti icone expressit Alciatus *emblem. 193.* & latè illustrant Tiraquel. *in præfatione ad leg. si vnquam, n. 7.* Ascanius Clementius *de patria potest. cap. 4.* Petrus Gregor. *in prælud. optimi Iurisconsulti, lib. 5. cap. 7.* Petrus Faber *lib. 3. semestr. c. 8.* Robertus *lib. 2. rer. iudic. c. 15.* Vnde maximè lugent parentes filiorum obitū; Iacob enim scissis vestibus indutus est cilicio lugens filium suum, congregatisque liberis suis dicebat: *Descendam ad filium meum lugens in infernum,* vt refertur *Genes. c. 42. vers. 36* & Dauid *lib. 2. Regum, c. 8.* aiebat: *Fili mi Absalon, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.* Et quidam pater apud Ouidium *epist. 1.* ita Deos precabatur:

Dii, precor, hoc iubeant, vt euntibus ordine fatis,
Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Probaui *in cap. 2. de præsumptionibus.*

g *Postulauit ab ipso.*] Non tamen exinde homicidium ipsum fateri videtur; siquidem qui extraiudicialiter petit veniam ad cautelam, non censetur fateri delictum, vt probant latè Farinac. *in praxi, tom. 1. tit. de inquisit. q. 5. n. 24.* Azeuedo *in l. 1. tit. 25. lib. 5 recopil.* Decianus *to. 1. tract. crimin lib. 3. cap. 35. n. 85.* Couarr. *in c. alma, part. 1. §. 12. n. 1.* nisi veniam petat in iudicio, & non ad cautelam, quia tunc eo ipso fatetur reatum; quo modo intelligitur textus *in cap. Venerabilem, de elect.* 6

h *Confessus fuerit.*] Cui fides hoc casu adhibenda erat, *l. vlt. C. ad l. Iul. repetundar.* Secus si dixisset filium suum ab eo occisum fuisse, quia tunc talis depositio neminem onerat, *l. si quis 3. §. 1. l. Gaius 22. ff. ad Syllan. l. 4. ff. de inoffic. l. 28. in fine, ff. ad Velleianum, l. 39. ff. de pignor.* notauit Gothofr. *in l. 6. C. de testam.* 7

CAPVT XXIII.

Episcopo, & Capitulo a Venetensi.

IOannes sacerdos humili nobis insinuatione monstrauit, quòd cùm die quadam pulsaret campanas, vt *b* signo dato conueniret populus fidelium ad diuina, cadens tintinnabulum percussit quendam manentem puerum coram eo, qui licèt vulneratus in capite per mensem curam recepit medicorum, post mensem tamen, quia vulnus erat mortale, decessit. Vnde nobis humiliter supplicauit, vt misericorditer agentes cum ipso, permitteremus sibi exequi officium sacerdotis. Nos igitur attendentes, quod dicto sacerdoti, qui dabat operam rei licitæ, nihil potuit imputari, si casus omnes fortuitos non præuidit: disc. v. m. quatenus, si vobis constiterit rem ita esse, dictum sacerdotem, si aliud canonicum non obstiterit, sacerdotale officium, sublato cuiuslibet appellationis obstaculo, exequi permittatis.

NOTÆ.

1 a VEnetensi.] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* De diœcesi Venetensi nonnulla notaui *in cap. 22. de regular.*

2 b *Signo dato.*] Plerumque pulsatio campanæ ad fideles congregandos in Ecclesia dicitur signum datum, *c. solent. 50 de consecr. dist. 2.* ibi: *Solent plures, qui se ieiunare putant in quadragesima, mox vt signum audierint, ad horam nonam comedere.* Greg Turon. *de vitis Patrum, in Gregor. Lingon. Episcopo,* ibi: *Commotoque signo, sanctus Dei, sicut reliqui, nouus ad officium Dominicum consurgebat.* Et inde campana ipsa signum dicitur. Idem Turon. *in Nicetio Episcopo Lugdun.* ibi: *Quod presbyter audiens, gauisus iussit signum ad vigilias commoueri.* Einardus *de translat. sancti Marcellini, & Petri, lib. 3. cap. 15.* ibi: *Turricula, quæ signa basilicæ continebat, ab eis conspici potuisset.* Et *lib. 6. cap. tit. 168.* ibi: *Vt sacerdotes signa tangant horis canonicis.* Alia adducit Rosucidus *in Onomast. to. 2 de vitis Patrum, verbo Signum percutere.* Nouarin. *lib. 1. schediasmat. c. 27.* De origine conuocandi populum ad Ecclesiam per sonum campanæ, egi *in cap. 1. de offic. custod.* & textum hunc exposui suprà *in cap. de cætero.*

CAPVT XXIV.

Pelagio dicto a Serotino Presbytero.

PEtitio tua nobis exhibita continebat, quòd cùm inimici crucis Dominicæ, ac blasphemi nominis Christiani castrum quoddam, in quo morabaris, grauiter inuasissent, exeuntibus inde habitatoribus, tam clericis, quàm laicis contra eos, & inuicem confligentibus, hinc inde occisi quamplurimi extiterunt. Vnde cùm eo quòd aliquos percussisti, irregularitatem metuis incurrisse, nobis humiliter supplicasti, vt quid agere debeas, tibi scribere dignaremur: quocirca disc. t. m. quatenus si de interfectione cuiusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reuerenter, cùm sit consultius in huiusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.

NOTÆ.

a SErotino.] Ità legitur in quinta compilatione Honorij III. *sub hoc tit. cap. fin.* ex qua textum hunc transcribo.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clericus pugnando in bello, etiam contra inimicos fidei, si quemquam percusserit, irregularis manet.* Quam conclusio- 1 Conclusio traditur, & probatur

clusionem probant textus omnes in quibus prohibetur clericis in bello dimicare, militiæque nomen dare, *cap. clericorum, c. de his, c. eos qui, 20. q. 3. c. clerici, c. quicumque, cap. ex multa, de voto, c. porrò 16. 43. c. quisquis 17. q. 4. c. in audientia, de sent. excom. can. 83. Apostol.* Concil. Chalcedon. *can. 7.* ibi: *Eos, qui semel in Clero cooptati sunt, & monasticam vitam expetiuerunt, statuimus nec ad malitiam, nec ad sæcularem dignitatem venire; aut hoc audentes, nec pœnitentiam agentes, vt ad id reuertantur, quod propter Deum priùs elegerant, anathematizari.* Heraldus *in suis Capit. can. 50.* ibi: *Vt presbyteri, & diaconi, si in bello cum armis processerint, ita deponantur, nec laicam communionem habeant.* Concil. Andegau. 4. celebratum anno 453. *can. 5.* ibi: *Si qui clericorum tradendis, vel capiendis ciuitatibus fuerint interfuisse detecti, non solùm à communione habeantur alieni, sed ne conuiuiorum quidem admittantur esse participes.* Turon. 1. *can. 5. Si quis clericus relicto officij sui ordine laicam voluerit agere vitam, vel se militiæ tradiderit, excommunicationis pœna feriatur.* Toletan. 4. *can. 44.* Toletan. anno 1473. celebratum temporibus Sixti IV. *can. 15.* Matisc. *c. 3.* Conc. Francicum, seu Germanicum celebratum sub sancto Bonifacio Maguntino, ibi: *Seruos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, vel hostem pergere prohibuimus omninò.* Magunt. 1 sub Leone III. *can. 17.* ibi: *Nos qui relinquimus sæculum, id omnibus modis obseruare volumus, vt arma spiritualia habeamus, sæcularia dimittamus.* Meldense sub Sergio II. anno 835. *Quicunque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant.* Concil. Suessionense *can. 3. Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantùm homines eorum transmittant.* Meldense tempore Arnulphi Regis, anno 890. *can. 3.* Triburiense *can. 27.* Andegauense celebratum anno 1060. Preside Stephano Cardinali Legato Nicolai II. *can. 7. Quicunque clericorum deinceps in armis militaribus militauerint, & beneficium, & consortium clericorum amittant.* Sanctus Innoc. I. *epist. ad S. Vitricum, cap. 2.* D. Gregorius *lib. 7. epist. 1.* Zacharias Papa *epist. 3. ad Francos,* Hadrianus I. *epist. ad Carolum Magnum,* quæ est 77. in collectione Grethseri, Nicolaus I. *in epist. ad Michaelem Imperat.* Ioan VIII. *epist. ad Angelbergam Imperatricem,* D. Thomas 2. 2. *quæst. 4. art. 2. extrauag. 1. de maiorit. & obed.* Firmant plures sancti Patres, quorum verba & facta refert Theoph. Raynaud. *tom. 17. in tract. de religioso loricato, apod. 3. & 4.* Illustrant Chopinus *lib. 3. de sac. pol. tit. 2. nu. 3.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 25.* Dartis *ad 25. quæst. 1. de bello, cap. 4.* Montaynus *in tract. de armis cleric.* Couarr. *in Clement. Si furiosus, part. 2. §. 3. nu. 2.* Guttierrez *lib. 2. qq. canonic. cap. 6.* Petrus Gregor. *lib. 3. de repub. cap. 3. num. 23. & libro 31. syntag. cap. 22. num. 4.* Petrus Bellinus *de re milit. tit. 8. num. 3.* Tambur. *de iure Abbat. tom 3. disp. 12. q. 5.* Auila *de censur. part. 7. disp. 6. sect. 3. dub. 2.* Suarez *eod. tract. disp. 47. sect. 6. num. 9.* Molina *de iustit. tract. 2. disput. 111. concl. 2.* Barbosa *lib. 3. iuris Eccles. cap. 4.* Rousselius *lib. 7. histor. Pontif. iurisd. cap. 6. num. 5.* Diana *part. 10. tract. 2. per totum,* Gibalinus *de irregul. cap. 4. diffic. 4.* fusè, & doctè Theophilus Raynaudus *d. tom. 17. de religioso loricato,* Grotius *lib. 1. de iure belli, cap. 5.* Espenceus *lib. 2. digress. cap. 5.* Acuña *in principio 21. dist.* Amaya *in l. 31. C. de Decur.* Balsamon *in can. 43. S. Basil.* Suarez *de charitate, disp. 13. sect. 3.* Burgensis *cent. 1. obseru. 19.*

2 Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: clericos, ac religiosos licitè in bello defensiuo, iusto, & necessario dimicare posse, constat; siquidem bellum defensiuum supponit inferre vim, quam quilibet repellere valet, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vt probaui suprà *in cap. 2. & in cap. significasti 18.* & latè firmant Robertus Aboricensis *tom. 2. de vtroque gladio, theorem. 9. pag. 278.* quo casu etiam clericos cogi ad vigilias faciendas in muris, probaui *in cap. 2. de immunit. Eccles.* Et licèt iuxta sacros canones Ecclesia non possit incastellari, idest conuerti in propugnaculum, vel arcem contra hostes, *cap. sanctorum, 10. quæst. 2.* vt communiter docetur *in cap. cùm Ecclesia, de immunit. eccles.* tamen in bello defensiuo fas esse Ecclesia vti pro arce, docuerunt Suarez *tom. 2. de relig. lib. 3. cap. 4. num. 17* Layman *lib. 4. summæ, cap. 7. tract. 10. num. 8.* & ita clericos licitè, & impunè posse in bello defensiuo pugnare, probant Andreas Gaillus *lib. 1. de pace, cap. 8. num. 23.* Azor *tom. 3. instit. lib. 2. cap. 16. quæst. 8.* Molanus *lib. de iurament. tyranni, cap. 9.* Lælius Mancinus *lib. 6. de iurib. Princip. cap. 11.* & varijs exemplis sanctorum virorum probat Theophilus *d. tract. de relig. loricato, pag. 216. cum sequent.* Sed in præsenti casu agebatur de bello defensiuo contra inimicos Ecclesiæ, qui inuaserunt castrum, in quo morabatur Serotinus presbyter. Igitur potuit ipse licitè, & impunè se defendere: & si in tali bello aliquos percussisset, non ideò peccauit, & per consequens nullam irregularitatem contraxit. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam & in bello aggressiuo plerisque in regionibus ecclesiasticos, piosque viros operam dedisse legimus apud Gregor. Turon. *lib. 4. histor.* apud Aymonium *lib. 5. cap. 40. & 41.* Godofredum monachum anno 1167. & 1237. Rodericum Tolet. *lib. 8. cap. 3. 9. & 10.* Gomezium *lib. 4. de gestis Francisci Ximenij:* ex quibus varia exempla referunt Diana *d. part. 10. tract. 2. resol. 4.* Castillo *de tertijs, tom. 7. cap. 9. num. 95.* Theoph. Raynaud. *vbi suprà, apod. 7.* Igitur quia generaliter, & indistinctè prohibitum non est clericis, & Ecclesiarum Prælatis bellis adesse, ac contra hostes, præcipuè Sarracenos, ac hæreticos pugnare.

Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio: pro cuius expositione, omissis his quæ de bello adduxi *in cap. sicut 29. de iureiur.* sciendum est, bellum aliud esse aggressiuum, aliud defensiuum: bellum aggressiuum, seu offensiuum vocatur illud, quo alius impetitur; defensiuum autem, quo quis se ab impetente tuetur, vim vi repellens; & ita hæc insurrectio, ad tutelam, & defensionem, non ad aggressionem pertinet. Item bellum aliud est iustum, aliud iniustum. Iustum est, quod à legitima potestate, & iusto titulo, necessitate quadam suscipitur; iniustum verò, quod deficientibus his conditionibus geritur: de qua iustitia in bello necessaria latè egerunt Victoria *relect. 6.* Molina *de iustit. tract. 2. disput. 98.* Ayala, Alberic. Gentil. & Hugo Grotius *de iure belli.* 3

De varijs duelli differentijs.

Deinde sciendum est, in bello considerari varia opera: primò actionem ipsam bellandi, quæ clericis omninò prohibetur: secundo functiones alias, quæ per clericos, & religiosas personas obiri possunt, veluti comitari exercitū ad causas militares de iure tractandas, ad annonam ministrandam, sumptusque bellicos suppeditandos, necnon ad consilium circa bellica negotia pro Ecclesiæ vtilitate præbendum: quod facilè probatur *ex cap. ex multa, de voto, cap. quod hortatu, 13. quæst.* Item comitari possunt exercitum ad Missarum solemnia celebranda, & sacramenta administranda. Concil. Francicum celebratum sub Carolo Magno Principe, præsente sancto Bonifacio anno 742. Vnde cùm vetitum esset ne serui Dei adstarent exercitui, excipiuntur illi tantùm, qui propter diuinum ministerium, & Sanctorum patrocinia ad hoc electi sunt. Facit Decretum Caroli Magni apud Auentinum *lib. 1. annal. Boiorum,* ibi: *Nemo sacris initiatus, diuinisque ministerijs mancipatus arma omninò ferat, aut in bellum, aut in hostem pergat: vnus, aut ad summum duo Episcopi delecti suffragio, cum suis sacerdotibus Principem comitentur ad bella sacrificandi, comprecandique causa.* Etiam possunt exercitui adesse ad gestandas reliquias Sanctorum, inter quas solemne erat Francis gestare cappam D. Martini. Vualfridus Strabo *de rebus Eccles. cap. vlt.* ibi: *Dicti sunt primitus capellani à cappa B. Martini, quam Reges Francorum ob adiutorium victoriæ in prælijs solebant secum habere: quam ferentes, & custodientes cum cæteris sanctorum reliquijs, clerici Capellani cæperunt vocari.* Monachus Sangallensis *lib. 1. de vita Caroli Magni, cap. 4* ibi: *Cappellæ nomine Francorum Reges propter cappam sancti Martini, quam secum ob sui tuitionem, & hostium oppressionem iugiter ad bella portabant, sancta sua appellare solebant.* Item possunt crucem præferre, quem morem varijs exemplis illustrat Grethserus *lib. 1. de cruce, cap. 90.* Mariana *lib. 1. histor. Hispanæ, cap. 24.* Theophil. Raynaud. *de religioso loricato, pag. 211.* qui idem probat de prælatione sacræ lanceæ. Item clericis, & religiosis licet assistere bello aggressiuo absque pugna. Vnde innumeri Episcopi accepta cruce militiæ nomina dederunt in varias expeditiones cruciatas aduersùs Sarracenos, & hæreticos, vt illustrat Grethserus *tom 1. de cruce,* & *lib. 2. in apolog. pro expeditionibus cruciatis, cap. 7.* Nec ita assistentes, hortantesque milites ad strenuè pugnandum, absque specifica sanguinis intentione, vt fecerunt D. Gregor. *epist. 21. & 22.* sanctus Leo IX. *cap. omni timore, 23. quæst. 4.* vllam irregularitatem contrahere constat *ex cap. Maximianus, 23. quæst. 3.* & probant S. Thom. 2. 2. *q. 40. art 2.* Suarez *de censur. disput. 47. sect. 6. num. 8.* Molina *tract. 2. de iustit.* 4

De diuersis actionibus in bello præstandis.

*iustit. disp.*108. Valentia 2. 2. *disput.*3 *quæst.*16. *puncto* 4. Gutierrez *lib* 2. *canonic. cap.*6. *num.*52. Nauarrus *in manuali*, *cap.*27. *num.*215. Couarr. *in Clement. si furiosus*, *part.*2. § 3. *num* 2. Nec contrarium docet Innocentius *in cap. quod in dubijs*, *de pœnis*, dum ait, enormiter peccare, ac deponendum esse clericum, qui alios incitat ad pugnam; id enim intelligendum est de incitatione ad pugnam iniustam, vel cum sanguinis specifica intentione, aut etiam determinatione vnius singularis personæ hostilis, quæ confodienda, aut mutilanda designetur, vt docent Suarez *d. disp* 47. *sect.*6. *num.*8. Lurca *disp.*5. *de charitate*, *num.*22. talis enim adhortatio ad vnum aliquem determinatè occidendum, vel mutilandum inducit irregularitatem, quod non facit confusa adhortatio ad strenuè pugnandum, & hostes (si aduersentur) generosè obtruncandos; quia hoc perinde est, atque hortari ad strenuè incumbendum in adeptione victoriæ, & eius obice repellendo; quod non est specificè intendere sanguinis effusionem. Latius prosequitur Theophilus *d. tom.*17. *de relig. loricato*, *pronunc.* 2.

5 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis ratio præsentis prohibitionis, quare videlicet clericis non liceat in bello aggressiuo dimicare, prouenit ex auersione, quam Ecclesia habet à sanguinis effusione, ita vt nulli Ecclesiæ ministro liceat humanum sanguinem fundere, vt probaui *in cap. sententiam*, *ne clerici vel monachi*. Vnde nec arma deferre possunt, *cap. clerici arma*, vbi probaui, *de vita & honest. cleric.* Quare Ecclesia iam à primis eius sæculis prohibuit clericis militiæ nomen dare, *can.*83. *Apost.* ibi: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, qui militiæ vacauerit, & simul vtramque retinere voluerit, tam officium Romanum, quàm functionem sacerdotalem deponito; quæ enim Cæsaris sunt, Cæsari; & quæ Dei, Deo.* Et licèt Balsamon ibi referat canonem illum ad ambitum cuiusque præfecturæ sæcularis, eo nixus fundamento, quòd vox Latina *militia*, æquè comprehendat dignitates Palatinas, quàm Castrenses, vt constat *ex l.* 1. *Cod. de tabularijs*, *l.*7. & 12. *Cod. de proximis sacror. scrin.* & ex Lucano *in Panegyrico Calphurnij Pisonis*:

—Tamen etsi bella quierunt,
Non perijt virtus; licet exercere togatæ
Munera militiæ: licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub iudice bella mouere.
Hinc quoque seruati consurgit gloria ciuis,
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

Probant Brisciola *lib.*11. *horar. succes. cap.*3. Iuretus *ad Symmachum*, *epist.*15. Tamen militiam in eo canone propriè pro armata militia, non pro togata accipit Theoph. Raynaud. *d. tract. de religioso loricato*, *apod* 1. Facit etiam exemplum Gentilium, qui suos qualitercunque sacerdotes à bellis omninò separarunt. Lipsius *lib.*1. *de militia Romana*, *dialog.*4. Valtrinus *de re militari*, *cap.*5. Immò iure ciuili Flamini Diali classem procinctam extra pomerium, idest exercitum armatum, ne videre quidem fas fuit, vt refert Gellius *lib.*10. *noctium*, *cap.*15. addens, idcircò Flaminem raro Consulem creari, quia bella Consulibus mandabantur, immò è bello redeuntes non aliter sacra contingere poterant, quàm præmissa purificatione. Seneca *in Hercule Furente*, ibi:

— Manantes prius
Manus cruenta cæde, & hostili expia.

Et Virgilius *lib.*2. *Æneid.* digressum è iusto bello Æneam, non ausum sacra contingere ante purificationem, ita describit:

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates;
Me bello tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

Quem morem Gentilium eleganter pro confirmatione præsentis assertionis expendit Origenes *lib.*8. *contra Celsum*, his verbis: *Quod vtique si iure id fieri apud istos videat, quantò magis vel alijs militantibus, & nostri homines, vt Dei sacerdotes, preces, & vota subministrando pro his, haud dubiè sunt orando potiùs, quàm belligerando militaturi, qui bella iusta gesserint, & rectiùs dominentur, vt hostilia cuncta, & his aduersantia, qui iustiores sint, tollant è medio? Nos verò precando, supplicando longè magis dæmones omnes, qui vel prælia excitant, vel iusiurandum confundunt, vel pacem perturbant, dum perdimus, Regibus ipsis præsidio sumus, quàm si bella gerere videremur. Rebus prætereà publicis cum cæteris vnà & nos insudamus, quia æquitate seruata, cum operibus & vota offerimus, & multa meditando conscribimus, quæ ad voluptatis contemptum, vt ab ijs duci se nihil homines sinant. Nos, inquam, & pro Imperatore longè acriùs bella suscipimus; & si cum eo non militemus, priuatim tamen intereà eius ob gratiam militiæ munere fungimur. Hoc est pietatis, & cultus, cùm Deũ precando, & votis hunc enixè iuuamus. Quòd si velit insuper Celsus pro patria nos depugnare, intelligat id ipsum nos sedulò facere, non ostentationis, & gloriæ cupiditate ab omnibus vindicandæ; siquidem de nostræ mentis recondito preces funduntur, vt per sacerdotem pro patria tutanda emissæ.* Vnde bella sacris Ecclesiæ ministris infeliciter cedere pluribus exemplis probat Theoph. *vbi suprà*, *apod.* 8. *per totam*. Facit ratio, quam perpendit D. Dhomas 2. 2. *q.*40. *art.*2. nam clerici, cæterique Ecclesiæ ministri ratione sui status addicuntur cultui diuino, qui magnam petit animi quietem, & separationem à tumultu: atqui bellum suaptè natura est quid inquietũ, & tumultuosissimum, vt graphicè exhibet sanctus Chrysost. *lib.*6 *de sacerdote*, *ad finem*. Ergo bellum abhorret ab statu clericali, & clericus, qui illi implicatur, peccat contra statum proprium. Prosequitur alias rationes præsentis prohibitionis Theoph. vbi suprà *apod.*9. *per totam*.

Affine argumentum est, quod deduci potest ex sanctitate templi Christiani, quæ tanta est, vt in eo homicidium quantumuis iustum perpetrare, vel noxium sanguinem effundere sacrilegum sit, & templi pollutionem inducat, etsi tale homicidium ex parte occisi Deo sit acceptissimum, vt contigit in nece S Thomę Cantuariensis, vt probaui *in cap. proposuisti*, *de consec. Eccles.* Atqui longè intimior est nexus personæ ad sacrificium quoquo modo interuenientis, quàm templi; nam templum est mera circumstantia extrinseca inanimata, nihil influens in sacrificium; persona verò est eius causa efficiens, vel cooperans: quare maius piaculum erit pollui personam cæde humana, quàm locum. Accedit, nam si in diebus sanctitate festis non licet bellare, etiamsi bellum iustum sit, ne effusione humani sanguinis dici sanctitas quodammodo polluatur, vt probaui *in c.*1. *de tregua*, & *pace*, quantò magis abhorret à persona sacra quocunque tempore ea effusio? Videtur enim per se euidens intimiùs iungi cum ea effusionem sanguinis, quàm ipsa causat, quàm cum tempore, quod merè extrinsecè adiacet actioni, vt rectè perspexit Nyssenus *homilia* 7. *in Eccles.* Igitur ea actio multò magis contaminabit personam sacram, quàm festum diem, ac proinde est à clericis omninò euitanda. Quarum rationum breuiculum confecit Petrus Ioannes Oliu. Ordinis Minorum, *quodlibet.*1. *q.*19. Si ergo clerici sui status immemores, contra tot Ecclesię leges militiæ nomen dederint, ac bellum gerere, seu in eo pugnare præsumpserint, varijs pœnis afficiuntur. Primo lethaliter peccant, vt probant Valentia 2. 2. *disp.*3. *q.*16. *puncto* 4. Lælius Zecchius *de Repub. Eccles. cap.*30. *vers.*3. *n.*35. Ioannes Capistran. *in tract. de potest. Papæ*, *part.*2 *secundæ partis princip. nu.*196. quòd & ad quosuis clericos beneficiarios in minoribus ordinibus constitutos extendunt Grassis *de effectibus cleric. n.*28. Suarez *in* 2. 2. *disput.*13. *de charitate*, *sect.*3. *n.*5. Azor *tom.*3. *instit. lib.*2. *cap.*16. *q.*3. Diana *part.*6. *tract.*4. *resol.* 33. Deinde irregulares manent, quantumuis bellum iustum sit: item priuilegio canonis priuantur, ita vt eos percutientes excommunicationem non incurrant, *c. contingit*, *cap. in audientia*, *de sent. excom.* Syluester *in summa*, *verbo Bellum* 3. *n.*1. Sayrus *lib.*3. *thesauri*, *cap.*27 *num* 8. & si in bello decesserint, suffragijs Ecclesiæ non iuuantur, nec oblatio pro eis admittitur. Concil. Tribur. relatum *in c. quicunque* 23. *q.*8. ibi: *Quicunque clericus aut in bello, aut rixa, aut in Gentiliũ ludis mortuus fuerit, nec in oblatione, neque in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis, sepultura tamen non priuetur.* Quam sepulturæ concessionem meritò admittit Molina *tract.*2. *de iustit. disput* 108. *sub finem*; si ante obitum eos pœnituerit, & piè obijsse videri possint.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt verum sit iuxta proximè tradita, clericum in bello defensiuo pugnantem irregularitatem non contrahere, tamen vltra defensionis iustitiam eo casu vt clericus pugnet, vel regat bellum, debet interuenire necessitas, nec qualiscunque sufficit, sed summa desideratur: quia nec in defensiuo quidem bello probandus est vltroneus, & lubens clericorum ad bellandum occursus, quippe abhorrens ab eorum statu, & grauiter malus, nisi necessitate ineuitabili excusetur, & sit etiam ineuitabilis necessitas, si non suppetant alij, qui possint, aut velint exercitum ducere, aut militaria 7 *Dissolutio dubitandi ratio.*

munia

Digitized by Google

munia obire, itaut certò, vel admodum probabiliter defutura sit iusta defensio, nisi Religiosus ad bellum defensiuum regendum, aut gerendum accingatur: & extra huiusmodi necessitatem peccant lethaliter, & irregulares fiunt clerici bellicis negotijs se implicantes, quia canones qui clericos arcent à bello, non minùs vigent hoc casu, quàm in bello aggressiuo. Et ratio ducta ex natura status clericalis abhorrentis ab effusione humani sanguinis idem euincit. Quæ omnia defuerant in præsentis textus specie, cùm essent alij laici, qui possent castrum defendere; vnde clericus, etsi in bello defensiuo pugnaret, tamen erat absque necessitate, & per consequens irregularis manebat. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis ex varijs exemplis piorum virorum, qui bellis interfuerunt; nam vel referenda sunt exempla illa ad prauos mores illius sæculi, vel ad necessitatem belli defensiui, aut supponenda est licentia Romani Pontificis; nam ex eius voluntate, & dispensatione rectè possunt Prælati etiam maiores Ecclesiastici bellum ducere, ac regere, vt pluribus relatis probat Theophilus *dicto tract. de religioso loricato, apod.* 10. *§.* 3. Diana *part.* 10. *tract.* 2. *resol.* 3.

8 Sed suprà traditis adhuc obstat Concil. Illerdense relatum à Gratiano *in cap. de his* 36. 50. *dist.* vbi clerici, qui intra ciuitatem obsessi sanguinem hostilem fuderant, à communione per biennium arceantur, pœnitentia illis iniuncta. Igitur quia nec in bello defensiuo licet clericis propria manu pugnare. Pro cuius canonis expositione dicendum est, quòd etsi in bello defensiuo liceat cuicunque, etiam clericis, arma sumere, tamen si homicidium perpetretur non seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vel quia absque necessitate clericus bello se immiscuit, aut cùm posset inuasorem absque cæde declinare, maluit eum confodere, irregularitatem homicida contrahit, & peccat lethaliter; quia tunc supergreditur iustam defensionem, & potiùs intendit vltionem, quàm necessariam defensionem: de quo homicidio, non seruato iusto moderamine commisso, accipiendi sunt D. Basilius *in epist. ad Amphiloch. can* 43. ibi: *Qui mortis ictum dedit proximo, est homicida, siue prior percussit, siue vltus est*. Concil. Tribur. sub Formoso *can.* 11. ibi: *Si quis clericus, quamuis nimium coactus, homicidium fecerit, siue sit presbyter, siue diaconus, deponatur.* Et *c. præsentium, de cleric. percussore.* Et exemplum, quòd refert Balsamon *in d. can.* 43. *sancti Basilij*, de quodam Episcopo, qui depositus fuit tanquam irregularis, eo quòd in bello interfecisset quendam Agarenum, qui ense ipsum appetierat. Illi enim textus procedunt iuxta præsentem casum, videlicet cùm homicidium ob defensionem perpetratum fuit, sed absque necessitate, nec seruato moderamine inculpatæ tutelæ: & ita rectè pro eo pœnitentia iniungitur, & irregularitas statuitur.

Exponitur c. de his clericis 50. dist.

Hinc etiam exponendus est textus *in cap. fin. de cleric. coniug.* iunctis per me adductis in eius commentario.

TITVLVS XIII.

De torneamentis.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio a *Lateran.*

Felicis memoriæ Papæ *b* Innocentij, & *c* Eugenij prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, detestabiles illas nundinas, vel ferias, quas vulgò torneamenta vocant, in quibus milites ex *d* condicto conuenire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temerè congrediuntur, vnde mortes hominum, & animarum pericula sæpè proueniunt, fieri prohibemus. Quòd si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamuis ei poscenti *e* pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

NOTÆ.

a Lateran.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & reperitur textus hic *in cap.* 20. *Concilij Lateran. Generalis*, celebrati sub Alexandro III. de quo Concilio nonnulla adduxi *in capite* 27. *de rescript.*

b *Innocentij.*] Secundi videlicet, qui in Synodo Romana *can.* 10. prohibuit omninò torneamenta, quæ fiebant ad virium ostentationem.

1 c *Eugenij.*] Tertij videlicet, qui in Concilio Rhemensi *can.* 12. prædictam constitutionem Innocentij minùs exactè seruatam restituit per hæc verba: *Temerariam similiter audaciam quorundam, qui ad detestabiles nundinas, vel ferias ex condicto solent ad concertationem virium suarum conuenire, vnde hominum sæpè pericula proueniunt, omninò fieri interdicimus: quòd si quis ibidem mortuus fuerit, viaticum ei non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura*. Refertur *in capite* 2. *hoc tit. in* 1. *collect.* & ab Illustrissimo Manrique *tom.* 2. *annal. Cist. anno* 1148. *cap.* 4.

d *Condicto.*] Alij legunt *conducto*, alij *ex edicto*, vt notauit Salmutius *ad Pancirolam lib.* 2. *memorab. tit.* 20. Sed retinenda est vulgaris lectio, vt etiam habetur in Concilio Rhemensi, à quo accepit Alexander III. nam condictum, vt Festus eodem verbo interpretatur, est simul dictum, & concidere nihil aliud est, quàm diem, locumque communi consensu constituere: & quia accedentes ad torneamenta tempus, locumque communi consensu constituunt, ideò ab Alexandro III. eos ex condicto conuenire dicitur. 2

e *Pœnitentia.*] In dicto canone 12. Concilij Rhemensis legitur *viaticum*, quod pro pœnitentia plerumque admittitur, vt dicemus infrà, *in c.* 2. *de raptor.*

C A P V T II.

Alexander III. a *Albarien. Episcopo.*

AD audientiam nostram noueris peruenisse, quòd cùm accessisset quidam ad locum deputatum torneamentis causa requirendi *b* debita sua à quibusdam militibus, quoseò venturos putabat, accidit, quòd violenter, & inconsideratè ab equo, in quo sedebat, super eum cadente compressus, & mortuus est; sed priùs dominicum corpus suscepit, & sacri olei vnctione perunctus est. Vnde pro eo, quòd in torneamento mortem accepit, ei sepultura fidelium prohibetur. Nos verò attendentes, quòd his tantùm, sicut credimus, ecclesiastica sepultura debeat interdici, qui ad torneamentum animo id faciendi tantùm accedentes ibidem decedunt: fraternitati tuæ m. quat. si tibi constiterit, quod præfatus I. ad prædictum torneamentum non animo ludendi, sed animo recipiendi credita peruenisset, licèt ibi fortuito casu obierit, corpus eius dispensatiuè facias ecclesiasticæ tradi sepulturæ, maximè si dominicum corpus susceperit, & sacri olei fuerit vnctione perunctus.

N O T Æ.

1 a *Albariensi.*] Ità legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.*1. in hac autem sexta collectione legitur *Auatensi*; sed legendum est *Ambianensi*, vt in margine dictæ collectionis notatur, de qua Ecclesia egi *in cap.* 10. *de regul.*

2 b *Requirendi debita.*] Non per singulare certamen, monomachiam videlicet, seu duellum, de quo agemus infrà *titulo sequenti*; sed vt à militibus, qui ibi torneamentorum causa conueniebant, debita exigeret, vt ex sequentibus verbis apertè constat.

COMMENTARIVM.

3 Conclusio dicitur, & probatur. EX his duabus constitutionibus sequens communiter deducitur assertio: *Qui pugnandi animo ad torneamentum accedit, in eisque occiditur, sepeliri non debet in Ecclesiastica sepultura, etsi pœnitentia illi non denegetur* Probant eam textus *in cap. quicumque, el* 1. 23. *quæst.*8. Synodus Romana sub Innoc. II. *cap.*10. ibi: *Detestabiles illas nundinas, vel ferias, in quibus milites ex condicto venire solent, & ad ostentationem virium suarum, & audaciæ temerè congrediuntur, vnde mortes hominum, & animarum pericula sæpè proueniunt, omninò fieri interdicimus. Quòd si quis eorum ibidem mortuus fuerit, quamuis ei poscenti pœnitentia, & viaticum non negetur, ecclesiastica tamen careat sepultura* Concil. Rhemense *in can* 10 suprà relato. Lateran. Generale sub Innoc. III. in fine, ibi: *Licèt torneamenta sint in diuersis Concilijs sub certa pœna generaliter interdicta; quia tamen hoc tempore crucis negotium per ea plurimùm impeditur, nos illa sub pęna excommunicationis firmiter prohibemus vsque ad triennium exerceri.* Refert Anton. Augustinus *in epit. iuris, lib.*35. *tit.*1. *part.*8. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Coruinus *lib.*4. *aphorism. tit.*14. Scortia *in select. Pontific. const. epit.*99 *theor.*244. Petrus Gregor. *lib.*39. *syntag. cap.*5 Couar *lib.*2. *variar. cap.*1 *num.*11. Sanctus Raymundus *in summa, lib* 2. *tit.*2. Luna & Arellanus *de iur. ration. lib* 2. *cap.*9. *num.*14 Azor *tom.*3 *instit. lib.*2. *cap.*15. Pantoia *in l. fin. C. de aleatoribus, num* 84 Pancirola *lib* 2. *memorab. tit.* 20. vbi Salmutius, Petrus Gregor. *lib.*1. *partit. tit.*17 *cap.* 7 Mariana *de spectacul. lib.*4. *cap.*17. Guzman *de el honesto trabaio. discursu* 6. §. 3. Alcozer *de ludo cap* 53. Murga *tom.*2. *tract.*1. *disquisit.*9. *per tot.*

4 Traditur ratio decidendi. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Etsi certamina gladiatoria iure prohibita sint, *l. vnic. Cod. de gladiator. l.* 12. vbi plura D. Nicolaus de Castro; tamen certamina, quæ virtutis causa fiunt, veluti hastæ, pilæue, iactus, cursus, saltus, lucta, pugillatus, permittuntur, *l solent, ff. de aleatoribus, l.* 1. *Cod. eod. tit* Tum quia populus in otio ferox, effrenis in pace, permissis voluptatibus deliniendus, detinendusque est, ne ruat ad illicita. Bene apud Tacitum Iulius Agricola: *Bello faciles, quieti, & otio per voluptates assuescunt.* Hanc habuere perpetuam eius rei curam boni Principes, & amatores pacis, prout liquet ex eorundem constitutionibus *in l.*1. *C. de spectaculis, l.*1. *C. de expensis ludorum, l* 2. *Cod. Theodos. de spectaculis, l.*3. *eod. Cod de scenicis, l.*2. *Cod. Theodos. de maiuma*, ibi: *Ne ex nimia restrictione tristitia generetur.* Rectè Theodoricus apud Cassiodorum *lib.*1. *variar. cap.*20. de ijsdem spectaculis ait: *Vndecumque præstare possumus, dignum nostris sensibus æstimamus, præsertim cùm beatitudo sit temporum lætitia populorum, tum gratiâ ostendendæ virtutis, tum causa experiendarum virium.* Et *l.* 1. §. *item Senatus, ff. de postul.* Nec interest, quòd aliquando mors contingat, siquidem non iniuriæ causa, aut gratia damnum dandi, sed virtutis ostendendæ gratia contingit, & ideò legi Aquiliæ locus non est, *l. qua actione*, §. *Si quis in colluctatione, ff. ad leg. Aquil.* Suarez *ad leg. Aquil. lib.*1. *cap.*2. *sect.* 3. Igitur non rectè in præsenti prohibentur torneamenta, quæ inter milites, vt aptiores ad pugnam, & magis expediti reperiantur, fiunt. Accedit, quòd quando finis, ad quem actus dirigitur, bonus est, actus quoque bonus iudicatur, *l. si ita stipulatus* 14. *l. in insulam* 124. *ff. de V. O. l. cùm aurum* 19. §. *perueniamus, ff. de auro & argento, l. rem non nouam* 14. *Codice de iudicijs.* Euerard. *in topicis, loco* 131. *à virtute finis.* Sed torneamenta facta ad virium ostentationem respiciunt finem exercitij militaris, *d. l. qua actione* 7. §. *si quis in colluctatione, l.* 9. §. *fin. ff. ad leg. Aquil.* textus elegans *in l. nomine*, §. *pro limitaneis, Cod. de offic. Præfecti Afric.* quia vt ait Vegetius *lib.*1. *de re milit. cap.*1. in omni prælio non tam multitudo, & virtus indocta, quàm ars, & exercitium solent præstare victoriam: ergo non rectè in præsenti prohibentur torneamenta, cùm ad virium exercitium fiant cum magna Reipublicæ vtilitate, cuius publicum bonum attendi, & præferri debet, *l. vnic. in fin. C. de caduc. tollend l.*3. §. *vtrum, in fine, ff. ad Syllan. l. actione* 65 §. *Labeo, pro socio.* Etiam difficilis est pœna priuationis sepulturæ concessa pœnitentia; nam quibus communicamus viuis, communicare debemus defunctis, & è contrà, vt probaui *in cap. sacris, de sepultur.* Facit textus *in cap. quæsitum* 13. *quæst.*2. Igitur si decedentibus in torneamentis conceditur pœnitentia, iniustè denegatur sepultura ecclesiastica.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, torneamenta esse hastiludia, siue ludicram pugnam equestrem, & præparationem ad bellum: de illis agunt Cæsarius *lib.*2. *miraculor. cap.*12 ibi: *Causa laudis humanæ torneamentis totus deditus.* Et *lib.*7. *cap.*39. *Cùm properaret ad quoddam torneamentum.* Candenus *in sua Britannia, pag.*191. pro ijsdem habet torneamentum, & mensam rotundam; sed apertè separat Matthæus Parisius *in Henrico III. ad annum* 1252. ibi: *Milites vt exercitio militari peritiam suam, & strenuitatem experirentur, constituerunt vnanimiter, non vt in hastiludio illo, quod communiter, & vulgariter torneamentum dicitur, sed potiùs in illo ludo militari, qui mensa rotunda dicitur, vires suas attentarent.* Dicuntur torneamenta, vt aliqui volunt, à Græco verbo τορνεύειν, quod est circuire. Couarr. *in thesauro, verbo Torneo.* Alij à Troiano ludo ducere malunt torneamentum, quasi Troiamentum. Firmatur eorum sententia ex eo, quòd equestri pugna Troianum excidium apud veteres iuuentus soleret repræsentare: de quo Troiano ludo agunt Tacitus *lib.*6. *annal.* Virgilius *lib.*5. *Æneid.* 5 De torneament.

Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cùm cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo, secum quo Troia pubes,

Alba-

Albani docuere suos: hinc maxima porrò
Accepit Roma, & patrium seruauit honorem,
Troiaque: nunc, pueri, Troianum dicitur agmen.

Ideò Troiani ludi dicebantur, & à pueris tantùm maioribus, & minoribus in circo celebrabantur. Tacitus *lib.11.* ibi: *Sedente Claudio Circensibus ludis, cùm pueri nobiles equis ludicrum Troiæ inirent.* Suetonius *in Iul. cap.39.* ibi: *Troianum lusit turma duplex maiorum, minorumque puerorum.* Et *in Augusto, cap.43. Sed & Troiæ ludum edidit frequentissimè magnorum, minorumque puerorum, delectu pasci decoris minores existimans, & claræ stirpis indolem sic innotescere.* Diocasius *lib.43* ibi: *Et iam Troiam antiquo more Patriciorum filij luserunt; iuuenes, qui dignitate æquales erant, curribus certauerunt.* Troianum ludum appellant torneamenta, Rosin. *lib.5. antiquit. cap.15.* P. Raderus *in comment. ad Martialem, lib.7. cap.11.* Nauarr. *in Manuali, cap.15. num 9.* Vnde cognoscitur, torneamentum non solùm significare prælium fictum, verùm & cruentum, *l.27. tit.13. part.2.* vbi referens Magnus Alfonsus bellorum differentias, ait: *Otra manera ay de lidiar, laqual llamaron torneo.* Et *l.18. tit.2. ead. part. Torneo que se boluiesse de dos guestes, que estuuiesse vna cabo de otra.* Sed corrupta voce torneamenta tandem dicta esse à Teutonicis primùm auctor est Vuolfangus Lazius *lib.10. Reip. Romanæ, cap.2.* Sed in hoc differunt à veteri Troiano ludicro, quòd non solùm pueri, verùm etiam viri hodie certant, nec aperto capite, coronatoque, sed casside tecto certamen initur, & fiunt torneamenta in communi lætitia, vt victoria, nuptijs, aduentuque Principis.

6 Deinde sciendum est, hæc quidem torneamenta, seu hastiludia dupliciter exerceri, aut fieri posse: primò si ad ostentationem virium vesana audacia temerè lanceis acutas cuspides habentibus congrediantur; qualia fuerunt olim ea, de quibus D. Isidor. *libro 18. orig. cap.53.* ait: *Genera gladiatorum plura, quorum primum ludus equestrium; duo enim equites præcedentibus priùs lignis militaribus, vnus à porta Orientis, alter ab Occidentis procedebant in equis albis, cum aureis galeis, minoribus, & vilioribus armis; sicque atroci perseuerantia pro virtute sua inibant pugnam, dimicantes vsque alter in alterius mortem prosiliret, vt haberet qui caderet casum, gloriam qui perimeret.* Quorum torneamentorum descriptionem elegantissimè in annalibus suis metricis repræsentauit Ianus Douza *lib.2. fol.33.* & de eorum vsu & incommodis plura Douza eius filius *annal. Hollandiæ lib.9. fol.457.* Sed hæc spectacula gladiatoria sublata fuerunt noua constitutione Imperat. Constant. *in l. vnic. C. de gladiatorib. lib.12.* licèt iam Digestorum tempore similes ludos prohibitos fuisse teneat Pantoia *in l. fin. Cod. de aleat. num.85.* Secundò cùm in his hastiludijs, seu torneamentis mortis periculum non timetur, quia virtutis causa tantùm fiunt hastis sine cuspide, vt sunt ea, quæ vulgò dicimus, *torneos y iustas reales*; & lusorijs lanceis, hebetibusque ensibus exercentur, & sæpè vallo in medio curriculi in directum ducto, vulgò *tela*, ita vt equi vtrimque ex aduerso positi currentes obuiare sibi nequeant: & hæc hastiludia clericis prohibita, laicis verò omni iure permissa constat ex Concilio Herbipol. tempore Honorij IV. celebrato, *can.4.* ibi: *Hastiludia, & torneamenta clerici qui sunt in dignitatibus, personatibus, seu in sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi nouerint interdicta.* Et probant Syluester *in summa, verbo Ludus, & Torneamentum.* Iul Clarus *lib.5 sentent §. ludus, num.4.* Tuschus *verbo Ludus, concl.456.* Alcozer *de ludo cap.51. & 52.* & de ijs edidit constitutionem Cœlestinus III. *in epist. ad Episcopos Angliæ*, quam refert Rogerius *in annalibus*, prohibens-ne in Terra sancta, vbi steterunt pedes Domini, torneamenta tyronum exercendæ virtutis causa inuenta fiant: vbi torneamenta intelliguntur, non hastiludia, & cruenta prælia, sed prædicta torneamenta, quæ licita sunt, de quibus etiam accipiendus est Innoc. III. *in Concil. Lateran.* supra relato, dum in eo ob crucis expeditionem vsque ad triennium torneamenta prohibet exerceri: ea enim hastiludia Christianis permittebantur, vt ita expeditiores contra Christi hostes essent, vt in Richardo Rege Angliæ refert Matthæus Paris. *ad annum 1194.*

7 His suppositis apparet ratio præsentis constitutionis; nam ludus cùm omninò inculpatus esse debeat, & innoxius, *l. nam 10. ff. ad leg. Aquil. l. in furti 50. §. fin. ff. de furtis*, nec quis rectè ludos appellauerit, ex quibus crimina oriuntur, vt inquit Iustinianus *in §. illud verò*, in oratione ad Antecessores, quæ extat in præfatione Pandectarum; & ex his torneamentis plerumque hominum neces sequantur, vt contigit infaustè Henrico II. Galliæ Regis, is enim in torneamentis, quæ ad pacem cum Philippo II. Hispaniarum Rege recens initam, nuptiasque huius, & Elizabethæ filiæ cognomento Pacificæ celebrandas edidit, postquam plures hastas feliciter ruperat, dum ad vltimam manum mitteret, cum Comite de Montgomery satellitum suorum Duce congrediens, lancea aduersarij lorica percussa ictu vehementi, fragmen scissum cassidis prospectum intrauit, & oculo dextro saucius, intra 10. dies occubuit, non sine magnó vtriusque Regni, totiusque Reipublicæ Christianæ mœrore, vt refert Illescas *lib.6. histor. Pontific. cap.30. §.2.* Itaque Gemes Selimi Turcarum Regis frater Romæ à Pontifice Alexandro interrogatus post multos ictus, quid ipsi placerent ludrica hæc belli simulacra? Sancte Pater, respondit, si seriò hoc fit, parum mihi videtur esse; sin ioco, posset etiam id nimium esse. Refert Pancirola *lib.2. memorab. tit.20.* Ideò tam repetitis legibus Ecclesia prohibuit huiusmodi torneamenta sub pœna priuationis sepulturæ: & quia adhuc percrebuerat in Italia consuetudo, vt non solùm priuati priuatos, verùm etiam populi populos ad controuersias dirimendas torneamentis vterentur, Innoc. III. scripsit ad Antistites Lombardiæ, vt huiusmodi torneamenta exstirparent per sacrorum interdictionem, vt refert Spondanus post Baronium anno 1198. *nu.12.* & cùm alio quoque colore, videlicet quia ab ordinario Terræ sanctæ subsidio, & crucis assumptione fideles abstraherentur, Clemens V. in Conc. Viennensi omnia torneamenta, & hastiludia, etiam innoxia prohibuit sub excommunicatione Sedi Apostolicę reseruata, & sub interminatione generalis interdicti: quas censuras Ioannes XXII. instantibus Rege Franciæ, & Nauarræ, necnon Germaniæ Magnatibus, reuocauit Extrauag. vnica *de torneam.* Ad instar torneamentorum prohibita etiam est taurorum agitatio intra circum constitutionibus Pij V. anno 1567. Gregorij XIII. anno 1575. Sixti V. anno 1586. Clementis VIII. anno 1597. quas exposuerunt præcipuè pro vsu nostræ Hispaniæ, Marian. *de spectacul. cap. penult. & vlt.* Gutierrez *lib.1. canonic. cap.7.* Azor *part.3. instit. moral. lib.2. cap.15.* Scortia *in select. epit.99. theorem.244.* Prado *tom.1. Theolog. Moral. cap.25. quæst.9.* Baronius *anno 120. num.30.* & *anno 179. num.47.*

Traditur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt varia ludorum genera iure ciuili permitterentur ex rationibus suprà adductis, de quibus peculiares tractatus ediderunt Petrus Faber *in agonist.* Mercurial. *de re gymnast.* Pantoia *de aleatoribus*, Zerda *in Virgil. libro 5. Æneid.* Franc. Modius *lib.3. tom.2. Pandect. Triumphal.* Marian. *in opusc. de spectac.* Bulengerus *in opusc. de circo*: tamen torneamenta, etsi strenuitatis, ac virtutis argumentum præbeant, tamen non carent ingenti periculo, vt in præsenti textu docetur; vnde tanquam ludus noxius iustè prohibentur ab Ecclesiæ Patribus. Nec obstat alia difficultatis pars, quia licèt regulariter verum sit, concessa pœnitentia, quod maius est, concedi etiam sepulturam ecclesiasticam; tamen aliquando ad terrorem, & correctionis exemplum concesso viatico sepultura ecclesiastica denegatur, vt *in cap. super eo, de raptoribus*, in Concilio Rauennat. 2. *rubric.28.* vbi de persistentibus per annum in excommunicatione, ita cauetur: *Et si in morte beneficium absolutionis satisfactione præstita meruerit obtinere, nihilominus tamen in pœnam contumaciæ ecclesiastica careat sepultura.* Et de adulterijs *rubric.29. Et si in morte de prædictis satisfecerit cum effectu, nihilominus tamen in ipsorum contemptum, & pœnam ecclesiastica careant sepultura.* Leuiter autem interdicitur sepultura ecclesiastica aliquando, quia sicut impio non prodest sepultura pretiosa, ita non obest pio sepultura vilis, aut nulla, *cap. anima, 13. quæst.2.* plura de hac pœna priuationis sepulturæ congessi *in cap. sacris, de sepultur.* 8

8 Dissoluitur dubitandi ratio.

Ex suprà traditis exponendus est textus *in can.4. Concilij Arelat.* in illis verbis: *De agitatoribus, qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agitant, à communione separari.* In quo canone agitur de Christianis, qui in circensibus ludis aurigæ, & agitatores erant, qui per tempus, in quo in circo agita- 9

9 Exponitur can. 4. Concil. Arelat.

6 De eorũ differentiis.

agitabant, à communione pellebantur, quia in his spectaculis aurigæ, & agitatores erant diuersarum factionum, facileque eorum, quibus inseruiebant, factionibus sese implicabant, ac in leges ecclesiasticas peccantes crimina diuersa committebant: quare similia spectacula Ecclesiæ Patres fidelibus Christianis prohibuerunt, communione illis, dum equos agitarent, denegata, vt post Baronium notauit Coriolanus *in d. can.4. Concilij Arelat.* Ex eadem etiam ratione, quia in ludis scenicis, & theatralibus facilè contingit ipsos fabularum actores lethaliter peccare, ideò in canone 5. ipsius Concilij Arelat. ipsis, dum in theatris agunt, communio denegatur his verbis: *De theatricis, & ipsos placuit, quamdiu agunt, à communione separari.* Ex simili etiam ratione, quia apud Gentiles Magistratus Duumuir tentabatur suo anno populo ludos edere, vbi homicidia contingebant, & plerumque idololatria, ideò in canone 56. Concilij Illiber. Magistratibus eo anno, quo Duumuiratum gerunt, permittitur, vt ab Ecclesia se cohibeant, illis verbis: *Magistratum verò anno quo agit Duumuiratum, prohibere placuit, vt se ab Ecclesia cohibeat.* In cuius commentarijs iam notaui.

10 Sed suprà traditis primò obstat textus *in can.64. Concilij Carthag.* in illis verbis: *Ne in Dominico, & reliquis Sanctorum festis spectacula vllo modo peragantur, illud quoque præterea petendum est, vt theatralium iudiciorum spectacula in Dominico, & reliquis festis diebus à fide Christianorum arceantur: maximè quia in sancti Paschæ octauæ turbæ magis in hippodromia, quàm in Ecclesias conueniant, debent præfiniti ipsorum dies transferri, quando euenerint, nec debet vllus Christianus cogi ad hæc spectanda.* Vbi tantùm prohibentur spectacula edi diebus Dominicis, & Paschalibus: ergo quia absolutè spectacula, quorum appellatione veniunt torneamenta, non censentur prohibita. Pro cuius canonis expositione dicendum est, discrimen esse constituendum inter ludos vetitos, ac inter permissos. Vetiti omni tempore, & inter omnes personas prohibiti censentur, vt torneamenta, de quibus in præsenti.

Explicatur can. 64. synod. Carthag.

Alij verò ludi liciti sunt, etsi non omnibus, nec omni tempore; laicis enim plerumque permittuntur, qui clericis prohibentur, *can.24 Synodi 6. Trul.* ibi: *Ne cui liceat eorum, qui in sacerdotali ordine enumerantur, vel monachorum, in equorum curriculis subsistere, vel scenicos ludos sustinere; sed & si quis clericus ad nuptias vocetur, quando ad deceptionem comparata ludicra ingressa fuerint, surgat, & discedat.* Sic ergo hæc prodromia, curricula, & venationes, & similia, licèt laicis permittantur, tamen diebus Dominicis, aut tempore paschali edi non debent, ex rationibus quas congesserunt Balsamon *in dicto can.64.* Brissonius *in l. die Dominico, C. de spectac.*

Secundò obstat textus *in cap. quicumque 4. 23. quæst.4.* ibi: *Quicumque clericus, aut in bello, aut in rixa, aut in Gentilium ludis mortuus fuerit, nec in oblatione, nec in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat iudicis, sepultura tamen non priuetur.* In quibus conceditur sepultura decedentibus in torneamentis. Igitur non rectè in præsenti asseritur, illis qui in torneamentis decedunt, concessa pœnitentia denegari sepulturam. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu agi de clericis tantùm, quibus ludi cum pace minùs cohærentes, & veluti belli prælydia prohibentur, vt probat Abul. *in cap.6. Matthæi, quæst.52.* qui inter ludos refert saltationem, & torneamenta. Et quoad hæc hastiludia Concil. Salisburg. sub Martino IV. anathemate damnauit clericos, aut ecclesiastica dignitate fulgentes, qui vel armis adhibitis, vel absque eis vacauerint tali exercitio. Tametsi enim remotis armis nullum immineat profligandæ vitæ periculum; tamen vel ipsa species bellicæ exercitationis à pace abhorrens dedecet clericos. Præsertim quia à torneamentis absque armis facilè progredi poterat ad torneamenta cum armis, vbi frequenter homicidia eueniebant, vt videre est apud Cantipratanum *lib.2. apum, cap.49. nu 3.* apud Cæsarium *lib.12. miracul. cap.16. & 17.* In præsenti verò agitur de laicis in torneamentis decedentibus, quibus diuersa pœna imponitur, quia sunt professione diuersi.

11 Exponitur c. quicumque, 23. q. 4.

T I T V L V S XIV.

De clericis pugnantibus in duello.

C A P V T P R I M V M.

a Alexand. III.

Porrò si clericus alicui sponte duellum obtulerit, vel si oblatum susceperit, & subierit, siue victor, siue victus fuerit, de rigore iuris est deponendus. Sed quantumcunque eius in hac parte grauis sit, & enormis excessus, euadere potest depositionis sententiam, si cum ipso suus Episcopus duxerit misericorditer dispensandum, dummodo ex ipso duello homicidium, vel *b* membrorum diminutio non sit subsequuta.

N O T Æ.

1 a Alexander III.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.1.* & post Concilium Lateran. *part.26. cap.4. & 5.* legitur, *Salernitano Archiepiscopo:* & in dicta prima collectione additur, *pars capitis Licèt præter.* Vnde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap. licèt, de sponsa duor. cap.1. de corpore vitiatis*, vbi iam notaui.

2 b *Membrorum diminutio.*] Vnde dispensat Episcopus in specie textus *in cap.1.* de corpore vitiatis, quia amissio partis digiti propriè non est membri diminutio, vt notauit Vasconcellos *in harmonia rubric. ad tit. de corpore vitiat.*

C A P V T II.

a Cœlestinus III.

HEnricus presbyter lator præsentium ad nos cum litteris tuis humiliter accedens intimauit, quod cùm laicum quendam super *b* furto in sæculari *c* placito conuenisset, ipsi, quia testes sui defecerunt, pugilem *d* secundùm prauam terræ consuetudinem indixit, qui reum vsque adeò ictibus gladij, vulnerauit, quoad coactus est nocte proxima exspirare. Quia ergo super hoc nos consulere voluisti, ambiguitatem tuam responsione huiusmodi remouemus, quod tales pugiles homicidæ veri existunt, nec prædictus sacerdos, licèt non ipse, sed aliquis pro eo in duello pugnauerit, debet in sacris ordinibus ministrare: sicut enim tradunt sacrorum cano-

num

Digitized by Google

num *e* instituta, homicidium tam facto, quàm præcepto *f* siue consilio, aut defensione non est dubium perpetrari: poteris tamen cum eo circa habendum beneficium misericorditer *g* dispensare.

NOTÆ.

1 a *COelestinus III.*] Ità legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & in hac sexta collectione legitur, *Clemens III.* nullibi tamen exprimitur cui rescribat Pontifex, seu in qua prouincia præsens casus contigit.

2 b *Super furto.*] Ciuiliter agendo, non criminaliter ad vindictam, aliàs ex ipsa accusatione, sequuta morte naturali Henricus irregularis maneret, iuxta tradita suprà *in cap. significasti 18. de homicid.*

c *Sæculari placito.*] De placito, & eius acceptionibus egi *in cap. 1. de ferijs.*

3 d *Pugilem.*] Qui apud Longobardos dicitur *Campio*: plerumque enim clerici duellum subibant olim per se, aut per alium, vt infrà dicemus.

e *Instituta.*] *In cap* 1. *hoc tit.* & alijs suprà pro illustratione conclusionis adducendis.

f *Præcepto, consilio.*] Iuxta tradita suprà *in cap. 11. de homicid.*

4 g *Dispensare.*] Nam cùm priuatus esset officio, non poterat stricto iuris rigore retinere beneficium, *cap. ex litteris, de excessibus Prælat.* sed ex dispensatione illud retinet, vt in specie textus *in cap .. de homicidio.* Non tamen inde inferas, beneficium irregularis ipso iure vacare, aut collationem beneficij factam irregulari ipso iure nullam esse; nam contrarium verius est, vt probat Gibalinus *de irregul. cap. 2. quæst 4.*

COMMENTARIVM.

5 *Conclusio traditur, & probatur.* EX his duabus Decretalibus sequens communiter deducitur assertio: *Clericus iniens duellum, siue obtulerit, siue susceperit, deponendus est: sed non sequuto homicidio, Episcopus cum eo dispensare valet.* Probant eam textus *in cap. Monomachiam 22. 2. quæst. 5. cap. sententiam, ad finem, ne clerici vel monachi, cap. 1 de corpore vitiat. cap. 1. de purgat. vulgar.* Concil. Valent. Galliæ *can. 12. Et quia ex huiusmodi iuramentorum, immò periuriorum contentione etiam vsque ad armorum certamina solet prorumpi, & crudelissimo spectaculo effunditur cruor belli in pace, statuimus iuxta antiquum ecclesiasticæ obseruationis morem, vt quicumque, tam iniqua & Christianæ paci inimica pugna alterum occiderit, seu vulneribus debilem reddiderit, velut homicida nequissimus, & latro cruentus, ab Ecclesiæ, & omnium fidelium cœtu separatus, ad agendam legitimam pœnitentiam modis omnibus compellatur: ille verò, qui occisus fuerit, tanquam sui homicida, & propriæ mortis spontaneus appetitor, à Dominicæ oblationis commemoratione habeatur alienus, nec cadauer eius iuxta sacrorum canonum decretum, cum psalmis, vel orationibus ad sepulturam deducatur. Super quibus duobus titulis, propter tam funesta, & horrenda animarum, vel etiam corporum exitia, Christianissimi Imperatoris pietas sacerdotali omnium nostrum supplicatione imploranda est, vt tantum malum à populo fidelium suis publicis sanctionibus amoueat, & nostrum super hoc tam necessarium ecclesiasticum decretum propria auctoritate confirmet.* Et *c. 1. hoc tit. in 5. compil.* Honorius III. Potestati, & Populo Florentino in hæc verba scribit: *Rem audiuimus hactenus inauditum, & tam iuri scripto, quàm æquitati contrariam, quod videlicet Ecclesiam sanctorum Apostolorum Florent. cogere nitimini ad duellum pro causa, quam super cœmeterio, & rebus alijs habet cum filijs Longobardi ciuibus Florentinis. Cùm igitur tam manifestam eiusdem Ecclesiæ, ac ipsius iuris iniuriam nec possimus, nec debeamus sub dissimulatione transire, vniuersitatem vestram rogamus, & obsecramus in Domino, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus à re tam insolita, tamque detestabili penitus desistentes, causam ipsam marte suo, videlicet ordine iudiciario, procedere faciatis: scientes nos venerabili f. n. Pistoriensi Episcopo, & dilecto filio Archipresbytero Florent. per nostras dedisse litteras in mandatis, vt si secus præsumpseritis attentare, ipsi præsumptionem vestram per censuras ecclesiasticas appellatione remota compescant, irritum nuntiantes, si quod occasione huiusmodi factum, vel statutum inuenerint contra Ecclesiam memoratam.* Toletanum annum 1473. temporibus Sixti IV. celebratum, *can. 20.* Trident. *sess. 25. de reform. cap. 19.* Celestinus III. Iul. II. Innoc. IV. in constitutionibus relatis à Quaranta *in summa Bullar. verbo Duellum.* Rualdus *in in act. in dugl pag. 54. 55. & 56.* Clemens VII. *constit. 2.* Pius IV. *const. 25.* Greg. XIII. *const. 8.* Clemens VIII. *const 19.* vt refert Coriolan. *in breuiario, anno 1503.* faciunt textus *in l. vnic. C. de gladiat. lib. 11. l. 10. tit. 8 l. 8. Recopil.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & *de potest. Episcop. alleg. 50. num. 120.* & ad Concil. Trident *d. can. 19.* Salmutius *ad Panciolam, lib. 2 memorab. tit. 20.* Marinis *lib. 1. resol. cap. 110.* Pantoxa *in l. fin. C. de aleator. num. 87.* Coruinus *lib. 4. aphorism. tit. 15.* Iuretus *in notis ad epist. 168. Carnot.* Roussellus *lib. 6. histor. Pontific. iurisd. capit. 32.* Ioan. Tabor. *in Armament. fol. 169.* Lucas Floronus *in tract. de prohibitione duelli,* Becanus *in opuscul. de bello, cap 26.* Roa *de iurib. Princip. quæst. 5.* Gibalinus *de censur. in synopsi, verbo Duelium,* Petrus Gregor. *3. part. syntag. lib. 48. cap. 15.* & *lib 4. partit. tit. 8. cap* 10. Gutier. *de delict. quæst* 105. Azor *tom. 3. instit. lib. 2. cap. 5.* Hotomanus *lib. 3. obseru. cap. 4.* & *de feud. cap. 45.* Fragoso *de regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 1. disp. 3. §. 10.* Scortia *in select. Pontific. constit. epit. 155. theorem. 390.* Grotius *de iure belli, lib. 3. cap. 20.* Diana *part. 11. tract. 6. resol. 26.* & *tract. 8. resol. 21.* Chopinus *de priuil. rustic. lib. 3 cap. 13.* D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 2. sect. 2.* Osualdus *lib. 17. Douel. cap. 2. littera M,* Bocerus *in tract. de duello,* Philippus Camer. *tom. 2. horar. succissiu. cap. 19. 20 & 21.* fusè Murga *tom. 2. disquisit. moral. tract. 1. disquisit. 11. per totum,* Martinez à Prado *tom. 1. Theolog. Mor. cap. 15. quæst. 8. § 3.* Ayala *de iure belli, cap. 3. lib. 1.* Theodorus Reinchingk *de regim. Eccles. lib. 2 class. 3. cap. 2. num. 41.* Theoph. Raynaud. *tom 4. lib. 5. de virtut. sect. 3. cap. 3.* Burgensis *cent. 2. obser 79.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Duellum ad decidendas controuersias, tam ciuiles, quàm criminales, de quibus in præsenti textu agitur, honestum sanè, & religiosum videtur, siquidem in eo pugnantes Deum Optimum Maximum veluti veritatis, & æqui iudicem sibi constituunt, & in causa, quæ per testes, seu alias probationes non liquet, sinceriorem, certioremque iudicem eligere nequeunt; & ita ipsum, qui duello vincit, Deo auctore vicisse, nemo prorsus est qui non fateatur: & quemadmodum Imperatores Diocles. & Maxim. statuerunt iudicem, si inopia probationum laborat, iureiurando causa cognita decidere debere, quia iurisiurandi contemptæ religionis Deus vltor est, *l. 2. & 3. Codice de rebus creditis*; ita & Deum vltorem, & iudicem duello statuere, si res aliter non potest per homines, deficientibus probationibus iudicari, sanum & religiosum videtur. Accedit vsus diuersarum gentium, apud quas dubiæ controuersiæ duello decidebantur. Germani in causis ambiguis, maximè criminibus, quæ nullo humano testimonio comprobari poterant, ad summam Dei Maiestatem, quæ falli non potest, tanquam ad iudicem omnium rectissimum confugiebant: Senatus, Populus, atque Sacerdotes, qui singulare certamen, ac aliam huiusmodi probationem spectabant, in interim, vt est in lege Salica, diuinam opem implorabant, beneficia memoriter commemorabant, quæ in simili negotio Deus ipsis contulisset, comprecabantur vt ipse in re præsenti innocenti adesset, victoriamque cœlitus concederet: verba sunt Ioannis Auentini *lib. 4. annal Boior.* Longobardi etiam in Italia ambiguum ius de possessionibus, & obiecta crimina grauiora, quæ vel saluti, vel famæ obessent, sic decidebant, causam huius moris adducentes legum defectum, quibus ambigui casus resoluerentur, & tritum illud proponentes: *Si non sufficiunt iura, veniamus ad arma.* Et *lib. 11. tit. 54 legum ipsorum,* cauetur vt in criminalibus causis accusator & defensor in campo cum fustibus pariter contendant, nec eorum iureiurando res committatur. Lege etiam Imperatoris Othonis IV. in Romaniola de Principum Italorum sententia promulgata, sciente, & non contradicente Ioanne Papa III. vt constat *ex l. antiquis,* eiusdem tituli 54. statuitur, ne deinceps tota in Italia, etiam ijs in locis, in quibus iure Romano, idest Iustinianeis legibus vtebantur, controuersias iureiu- 6 *Impugnatur tradita assertio.*

gando disceptent, propter periuriorom multitudinem; sed duello, & certamine illas dirimant. Quod Imperator obseruari iussit *in l. vlt.* eiusdem tituli, non solum in priuatorum laicorum causis, verùm etiam in Ecclesiarum litibus. Et Federicus Imperator *in tit. de pace tenenda in vsibus feud. §. si quis hominem*, duellum inter legitimos modos probationum refert. Et Fronto III. Rex Danorum legem tulit, vt omnes controuersiæ, qualescumque essent, duello definirentur, vt refert Saxo *lib.5.* speciosius viribus, quàm verbis confligendum existimans: quod adhuc in Moscouia vsitatum esse testatur Ioannes Bodinus *lib.4. de Republica, c. finali*: & de alijs gentibus idem refert Bronchorst. *cent.2. assert.76.* Hinc leges latæ apud varias nationes, in quibus forma, & conditiones obseruandæ in ipsis duellis præscribuntur. Apud Hispanos *in l. 1. tit. 21. lib.4. fori, l. 1. & 2. tit. 3. l. 4. tit. 4. partit. 7. l. 8. tit. 14. ead. partit.* Apud Longobard. *l. 39. tit 9. l. 1.* ibi: *Duello liberi, seruenti aqua serui innocentiam suam probant*. Apud Neapolit. *lib. 2. tit. 32 & 33.* Apud Francos *in appendice legis Salicæ*, & *lib. 4. cap. 33.* Apud Anglos *tit. 14* apud Frisones *tit. etiam 14.* quas & alias congessit Lindembrog. *verbo Duellum, Pugna, & Monomachia*. Omitto innumera exempla duellorum diuersarum gentium, quæ referunt Rualdus *vbi suprà, pag. 102.* D. Ioannes de Larrea *alleg. 17.* Igitur quia duella omni iuri, & moribus gentium consona sunt, & per consequens vt iniusta prohiberi non debent.

7 Duellum quid sit. Sed hac dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, duellum latè sumptum omne bellum significare, vt apud Horatium *lib. 2 epist. 1.* qui Græciam dicit barbarè *lento collisam duello*. Ciceronem *de Oratore*, ibi: *Antiqui nomina contrahebant, quo essent aptiora, vt duellum, bellum*. Liuium *lib. 6 belli Macedon* ibi: *Populus Romanus cùm eo tempore duellum inijsset cum Rege Antiocho*. Varronem *lib. 6. de ling. Latina*, ibi: *Perduellum, duellum, id postea bellum*. Ex eoque perduelles dicti, quos hostes vocamus, *l. quos 234. ff. de V. S.* Illustrat Petrus Gregor. *lib. 48. syntag. cap. 16. nu. 2.* Duellum ergo non quasi duorum bellum, sed quasi duarum partium bellum dicitur; nam si duo tantum manus conferant, dicitur singulare certamen, vt probant Cuiac. *in cap. vnic. tit. de pace tenenda in vsibus feudorum*, Menchaca *lib. 1. illustr. cap 11. num. 36. & cap. 48. num. 16.* Alciatus *in tractatu de singulari certamine*. Varias duelli definitiones adduxerunt Ioan. Lignanus, Antonius Massa, Ferretus, Alciatus, Vuicherus, Bocerus, & alij communiter scribentes de duello. Communiter autem ita definitur, seu describitur: *Duellum est singulare certamen, quod homines quidam legum contemptores, specie, ac nomine conseruandi, recuperandiue honoris, & ignominiæ propulsandæ; re autem vera pecuniarum, aut falsæ gloriæ, seu affectatæ vindictæ, vel æmulationis causa, missis vltrò, citròque libellis, ad locum, & diem certum conuenientes, armis à prouocato electis committunt*. Quam definitionem probat D. Ioannes de Larrea *d. alleg. 117. num. 4.* etsi Medices *de definitionibus, 2. part. diffinit. 13.* duellum definiat vt sit, pugna corporalis deliberata hinc inde duorum, pluriumue, ad eruendam veritatem, purgationem gloriæ, & odij exaggerationem.

8 Duelli diuisio. Deinde sciendum est, duellum doplex esse, extraiudiciale videlicet, & iudiciale. Extraiudiciale dicitur, quod partes citra iudicis auctoritatem capessunt, idque committitur vel publicæ vtilitatis, virtutis, aut honestæ gloriæ causa, vel ostentationis, aut defensionis gratia, de quo fosè agit Bocerus *de duello cap. 3. cum sequent.* & de duello vtilitatis publicæ causa commisso, cùm propter patriæ publicam salutem decertatur ad bellum vitandum, doctè agit D Ioannes de Larrea *d. alleg 117.* Theophilus *d. lib. 4. fol. 699.* Et de duello ob defensionem honoris videndus est Auendaño *de metu lib. 2. cap. 47. per tot.* Iudiciale, de quo in præsenti textu agitur, est quod auctoritate iudicis in causis controuersis, deficientibus plenis probationibus, litigatores ad iodagandam veritatem ineunt, vt qui cedat, vel succumbat, eius causa inferior sit. Vsu enim receptom fuit io aliquibus prouincijs, vt si accusator, vel actor intentionem suam contra reum plenè in iudicio non probasset, vnus alium prouocare ad duellum posset, vt qui vicisset in eo duello, ea ipsa victoria suam intentionem, vel defensionem probare diceretur. Huius duelli mentio fit *in cap. vnic. vers. Si autem omnibus, de pace tenenda*: & *lib. 2. feudor. tit. 27. vers. qui hominem*, & *§. si rusticus*. Apud Danos ferè omnes lites, & contentiones duello committebantur, Krantzius *lib. 2 Daniæ*: quem morem sublatum ab Haraldo Rege restituit, & reuocauit Canutus eorum Princeps, vt idem scribit *lib 5.* Ab his populis ad Saxones vsus transijt, tum deinde à Saxonibus ad Francos, & Gallos, atque Longobardos, vt suprà ex eorum legibus probaui. Siquidem Longobardi ex Scania, siue Scandia Daniæ regione in Italiam, & aliaa deinde prouincias exundarunt; sed inter omnes nulli hisce duellis sese magis implicarunt, quàm Galli, & Hispani, vt ex eorum legibus supra relatis patet, in quibus forma, & conditiones seruandæ in his duellis præscribuntor. Nec tantùm moris fuit laicis omoes controuersias dubias duello definire, vt constat *ex c. 1. de purgat. vulgari*, & *ex præsenti cap. 2.* ex S. Agobardo in opusculo tum de hoc argumento, tum in epistola ad Ludouicum Imperatorem: ex Anonymo *de miraculis sancti Benedicti c. 11.* ex Gofrido Vindocinensi *in epist. ad Petrum Sanctonensem Episcopum*, ibi: *Audiuimus, dilectissime Pater, Raynaldum Chesuellum clericum vestrum, cum Domino Guillelmo monacho nostro duellum cœpisse; nullum tamen ex sua parte testem, vel ex parte monachi habuisse: quod quia sæculi leges nulla ratione fieri permittunt, & sacri canones omninò ne fiat, interdicunt, humiliter vos rogamus, vt quod in Episcopatu vestro ab ecclesiasticis viris contra ecclesiasticas regulas præsumptum dignoscitur, vestra auctoritate irritum fiat, & corrigatur, ne fortè peruersa consuetudine præualeat hominum iniquitas canonicæ æquitati; & sic, quod absit, subdatur veritas falsitati. Si verò Raynaldus vester claues sanctæ Ecclesiæ agitare, & Romanorum decreta Pontificum, quæ inter ecclesiasticos viros monomachiam penitus inhibent, annullare conatur, contra eius inflatos conatus humilitatem Romanæ Ecclesiæ, quæ inflata crepare, & superba premere nouit, appellamus*. Ex veteri historia Canonici Laudunensis de quodam Anselmo religioso, cui thesaurus Ecclesiæ seruandus tradebatur, relata à Iureto *in notis ad epist. 168. Carnot.* in illis verbis: *Non exiguam partem furtim discerpens, aurifici cuidam vendendi causa tradidit, priùs ab eo accepta fidei sponsione, quod nulli se huius rei fuisse auctorem propalaret: sed cùm idem artifex aurum illud, siue lapides Suessione venderet, nutu Dei Canonici Laudunenses superuenientes auri sculpturas recognouerunt, & statim queremonia facta præfatum aurificem à iudice comprehendi fecerunt. Ille comprehensus, atque perterritus, ab Anselmo sibi ea tradita fuisse confessus est. Vnde Laudunum reductus, & contra Anselmum hæc negantem duelli certamine congressus, protinus superatus, & victus est, forsitan, vt multi putarunt, pro fidei violatæ reatu, quia promiserat eidem Anselmo, quod eum non detegeret. Pro hac ergo victoria Anselmus nimis elatus, quia sibi conscius erat & se furtum fecisse, & tamen aduersarium superasse, multamque laudem ab hominibus, qui se innocentem esse clamabant, acquisijsse, ad maiora securus perpetranda prouocatur*. Et cùm duellorum concessio apex esset supremæ potestatis, quæ tale ius tantùm Dominis intra ditionum suarum terminos concedebat, vt notauit Chopinus *lib 1. de iure Andium*; clerici qui exempti sunt à iurisdictione sæculari, non poterant huic legi satisfacere; ad eam tamen inuiti vocabantur, vt refert Matthæus Paris. in Henrico III. ibi: *Clerici collectis, & tallijs affliguntur; non solùm trahuntur ad iudicium sæculare, sed vt asseritur, coguntur id iudicium subire*. Exempla huius duelli refert Delriua *lib. 4. disquisit. mag. cap. 4. sect. 2.*

Deinceps sciendum est, duellum hoc omni iuri contrarium esse, diuino scilicet, gentium, & ciuili, vt probarunt Ayala *de iure belli lib. 1. cap. 3.* Bronchorst. *cent. 2.* 9 Duellum omni iuri aduersatur.
miscel. assert. 76. Beyerlinch *verbo Duellum, tom. 2* alijs relatis Bocerus *de duello, cap. 2. per totum*, D. Ioannes de Larrea *d. alleg. 117. ex nu. 35.* Iuri diuino opponitur, primò quia ille actus iuri diuino contrarius est, per quem Deus tentatur, contra præceptum illud relatum *c. 4. Matthæi*: *Non tentabis Dominum Deum tuum*. Sed per tale duellum Deus tentatur, *cap. monomachia 2. q. 4* D Thom. 2 2. *quæst. 95. art. 8.* Nec obstat factum Dauidis relatum 1. *Samuel. cap. 17.* nam S. Rex duellum cum Goliath iniuit ex inspiratione diuina, & instinctu prophetico, & ita hoc singulare factum Dauidis in exemplum trahendum non est; siquidem per illud intenditur, vt Deus ea pugna manifestum reddat per victoriam, vtra pars foueat iustam causam, *c. 1. & fin. de purgat. vulgar.* Secundò, quia cum ali-

Digitized by Google

aliquid prohibetur, quodam iure videtur etiam prohibitum omne id, per quod peruenitur ad illud, *l. oratio 16. ff. de sponsal. cap. cùm quid vna, de R. I. lib. 6* sed iure diuino prohibetur homicidium, *cap. 5. Deuteron.* Igitur & duellum, per quod peruenitur ad illud. Iuri etiam gentium hoc duelli genus contrarium esse, ita probari potest. Ille actus inhibitus est iure gentium, qui repugnat æquitati naturali, qua ius gentium nititur. Sed hoc duellum repugnat naturali æquitati; nam æquitas naturalis suadet, vt facinorosi puniantur, & innocentes absoluantur; quod in duello non contingit, cùm in duello succumbat sæpe iustus, & innocens; vincat autem iniustus, & qui malam causam fouet: ergo duellum contrarium est iuri gentium. Etiam iuri ciuili duellum aduersari constat, siquidem in criminalibus ius ciuile requirit probationes luce meridiana clariores, *l. vlt. C. de probat.* sed tales probationes in duello non adsunt: ergo ius ciuile duellum ad probandum delictum non admittit. Deinde quia eo iure attento reus absoluitur, actore non probante, *l. qui accusare 4. C. de edendo.* Vnde absurdum est, vt reus quando probationes deficiunt actori, eius arbitrio armis decertare compellatur. Accedit quia Magistratus subditos suos ad arma prosilire pati non debet, *l. si cuius 13. §. sed si inter duos, ff. de vsufructu, l. quidam 21 ff de rebus credit.* Igitur deficientibus probationibus, aut iureiurando, iudex causam decidere debet, *l. admonendi, ff. de iureiur. l. generaliter 12. C. de rebus credit.* aut reum absoluere, *l. negantes, C. de O. & A.* Facit textus *in l. vnic. C. de gladiat. lib. 11.* vbi Constantinus ita statuit: *Cruenta spectacula in otio ciuili, & domestica quiete non placent; quapropter omninò gladiatores esse prohibemus.* Et licèt Imperator ibi agat de his, qui vel in ludo gladiatorum gladiabantur, de quibus *in l. eius qui, §. fin. ff. qui testamenta, l. si quis mihi, §. si quis planè, ff. de acquir. hæredit. l. si quis filio, §. sed & si quis, ff. de iniusto rupto;* vel qui operas suas locabant, vt cum bestijs pugnarent, *l. 1. §. sed & si quis operas, ff. de postulando:* tamen eius dispositio sua generalitate rectè quoque de huiusmodi duello accipi potest, vt post Bartolum, Iasonem, & alios probat Bocerus *de duello cap. 2.*

10 Traditur ratio decidendi. His præmissis apparet vera ratio præsentis prohibitionis, quare videlicet clericis inhibeatur duellum inire illud offerendo, vel acceptando. Nam cùm omnis effusio humani sanguinis illis prohibeatur, vt probaui suprà *in cap. penult. de homicid.* & in duello plerumque homicidium, vel saltem sanguinis effusio contingat, vt ait Carnotensis *epist. 241.* ibi: *Monomachia vix, aut nunquam sine sanguinis effusione transigi solet;* meritò clericis prohibetur. Si ergo dimicatio in bello agressiuo, quantumuis iusto, clericis prohibetur, vt probaui *in cap. penult. de homicid.* quantò magis pugna in duello illis interdici valet. Iustè ergo Alexand. III. in præsenti statuit clericũ sponte duellum offerentem, vel acceptantem, deponendum esse; non tamen hanc depositionem incurrunt ipso iure, vt voluerunt Syluester, Armilla, Angelus, & Tabiena relati à Gibalino *in Synopsi censur. verbo Duellum.* Nam dumtaxat sententia deponendi sunt, vt probarunt Suarez *de censur. disp. 31. sect. 4. n. 4.* Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 39. n. 18.* Gibalinus *vbi suprà.* Omnes etiam alij duellum ineuntes varijs pœnis, tam temporalibus, quàm spiritualibus ex nouis constitutionibus plectuntur. Pœnis spiritualibus primò excommunicantur, absolutione Pontifici reseruata, ex constitutione Clementis VIII. Trid. *sess. 25. c. 19.* Secundò priuantur ecclesiastica sepultura, vt probat Diana *p. 11. tr. 6. resol. 26.* latè Murga *tom. 2. disquisit. mor. tra. 2 disquisit. 11.* etiamsi signa pœnitentiæ dederint. Marin. *lib. 1. resol. cap. 110.* Tertiò si clerici sunt, priuantur beneficijs obtentis, & inhabiles redduntur ad alia obtinenda. Pœnæ temporales sunt, primò priuatio dominiorum, quam patiuntur Principes subiecti Romanę Ecclesię. Secunda infamia perpetua. Tertia pœna læsæ Maiestatis. Ex quibus omnibus tantùm pœna excommunicationis est latæ sententiæ; cæteræ verò sententiæ ferendæ. Personæ autem, quæ his pœnis afficiuntur, sunt primò pugnantes, eorumque patrini, qui excommunicantur, & priuantur Ecclesiastica sepultura, si in duello decesserint, & perpetuò infames existunt. Secundò excommunicantur Principes, qui locum ad monomachiam inter Christianos concesserint, qui etiam priuantur dominio loci. Tertiò excommunicantur qui consilium dederint, aut quacunque ratione fauerint duello. Tandem simili censura feriuntur prouocantes, diffidantes, comitantes, & spectantes duellum, quas, & alias pœnas referunt & exponunt Sanchez *lib. 2. summę, c. 39. n. 27.* Bonac. *de censuris, disput. 2. q. 6. puncto 2. nu. 15.* Castropalao *tract. 6. oper. mor. disput. 5. puncto 7. nu. 19.* Gibalinus, & Scortia suprà. Et an hodie prætextu innocentiæ aperiendæ possit duellum offerri, vel acceptari honoris tuendi causa, examinat latè P. Mendus *in stat. dissert. 1. quæst. 21.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam duellum potiùs iniustum est ex ea causa, quia continet quandam speciem falsitatis & mendacij, propter imparitatem, & defectum causæ, & effectus; & pluries euenit victum fuisse, & mortuum in palæstra illum, qui iustè pugnabat; victorem verò euadere eum, qui mendacium sustinebat, quia vt inquit Liuius *lib. 30. c. 30. Mars belli communis; nec vsquam minùs quàm in prælio, euentus respondent.* Permittit enim Deus plerumque in istis duellis innocentes ab eo, à quo accusantur, crimini succumbere, & necari propter alia eorum peccata. Vnde Rhotarius Rex *lib. 1. legum Longobard. tit. de monomachia,* inquit: *Quia incerti sumus de iudicio Dei, & multos audiuimus per pugnam sine iusta causa suam causam perdere; sed propter consuetudinem gentis nostræ Longobardorum legem impiam vetare non possumus.* Et *l. 8. tit. 3. p. 7.* ibi: *Que en tales casos se pierde la verdad, y vence la mentira.* Facit illud Thucididis *lib. 4. pag. 293. Quod si quis, siue iure suo, siue viribus nixus, certò aliquid confectum sibi pollicetur, ne is, si sua spe frustetur, ægrè ferat, cùm videat complures iam antea, & qui iniurias aliorum vlcisci voluerunt, & qui viribus suis, ac potentia aliquid acquirere posse sperarunt, illos non modò vindictæ repetendæ potestatem non habuisse, sed ne ipsos quidem incolumes euasisse. Eos verò vt aliena acquisiuerint tantùm abfuisse, vt sua quoque amiserint; non enim idcircò vltio semper est felix, quia iniurijs expressa; nec robur, & potentia, quoniam cum bona spe coniuncta, firma existunt: vt plurimum autem sors, & fortuna in rebus dominantur.* Varijs exemplis probant Ferretus *de duello,* Lancellotus Conradus *eod. tr. p. 1. conclus. 5.* Ioannes Baptistas Fusius *in tra. de iniustitia belli,* Hieronymus Vrrea *in libello Hispano de duello,* Bernegerus *ad Tacitum q. 51.* D. Ioannes de Larrea *allegat. 117. n. 38.* Vnde duellum iniuriosum vocat remedium Hothomanus *de feudis c. 45.* & elegantissimè inuehitur in duella Carolus Scribanius *in polit. Christ. 1. p. c. 41.* Quare nec deficientibus probationibus lis ambigua per duellum decidenda est. Nec obstat argumentum deductum ex varijs legibus diuersarum nationum, apud quas duella permittebantur; nam quamuis inter eas duellum susceptum fuisse reperiatur, tamen id nunquam iure factum fuit: quare in Hispania Reges nostri Catholici Ferdinandus, & Elizabeth anno 1480. omninò duella prohibuerunt, adiunctis pœnis pugnantibus, mediatoribus pugnæ, & patrinis, vt incurrant notam proditorum, & bonorum amissione plectantur fisco applicandorum; & pugnantes pœnis corporalibus afficiuntur, vt si prouocans ad pugnam aduersarium occiderit, seu vulnerauerit, capitali supplicio puniatur, *l. 10. tit. 8. lib. 8. Recopil.* In Gallia etiam Regijs edictis duella prohibita fuisse, probat Ruardus *act. in duella, pag. 63. vsque ad 81.* quibus prohibitionibus addenda sunt elegantissima Theodorici Regis verba apud Cassiodorum *lib. 3. var. c. 24.* ibi: *Illud præterea vos credimus admonendos, vt non in vos, sed in hostem sęuire cupiatis: res parua non vos ducat ad extrema discrimina, acquiescite iustitiæ, qua mundus lætatur: cur ad monomachiam recurritis, qui venalem iudicem non habebitis? Deponite ferrum, qui non habebitis inimicum: pessimè contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriosè moriendum. Quid prodest homini lingua, si causam agat manu armata? aut vnde pax esse creditur, si sub ciuilitate pugnatur?* Quare etsi inter improbos homines duella nec hodie radicitus exstirpare, tam ecclesiastici, quàm sæculares Principes, nec euellere quiuerint, non ideò tamen ea iusta, & honesta credi debent.

11 Dissoluitur dubitandi ratio.

Suprà traditæ assertioni opponi possunt textus *in c. 1. de treuga & pace,* iuxta Cironij interpretationem ad eundem titulum, quam retuli, & reijci in eius commentario: & textus *in can. 17. Concilij apud Vuermer.* in illis verbis: *Si qua mulier se proclamauerit, quod vir suus nunquam coisset cum ea, exeant inde ad crucem; & si verum fuerit, separentur, & illa faciat quod vult.* Cuius veram interpretationem dedi *in cap. 3. de frigidis & maleficiatis.*

TITV-

TITVLVS XV.

De sagittarijs.

CAPVT PRIMVM.

a Innocent. III.

ARtem illam mortiferam,& odibilem ballistariorum, & *b* sagittariorum aduersus *c* Christianos,& Catholicos exerceri de cætero sub anathemate prohibemus.

NOTÆ.

1 a INnocent. III.] In prima collectione, *sub hoc tit. cap. vnic.* legitur Innoc. II. & rectè; addendumque est *in Concil. Lateran. generali, cap.* 29. vbi ita præsens canon habetur: *Artem autem illam mortiferam, Deo odibilem, ballistariorum, & sagittariorum, aduersus Christianos, & Catholicos exerceri de cætero sub anathemate prohibemus.* De hoc Concilio nonnulla adduxi *in cap.* 1. *de treuga & pace.*

2 b *Sagittariorum.*] Sagitta dicitur iaculum quod arcu mittitur, *cap.* 2. *de delict. pueror. l. fin. ff. de iure immunit. l.* 2. *C. quæ res exportari.* Hinc sagittarius, qui sagittas intorquet. Suetonius *in Vespasiano*, ibi: *Syriacum præmisit exercitum, hic quadraginta millia sagittariorum.* Omnium optimi sagittarij sunt qui fugientes, & auersi iaculantur, & lædunt perinde ac aduersi Lucanus:

Ocyor & missa Parthi post terga sagitta.

Plura de sagittis, & sagittarijs D. Petrus de Abaunza *ad tunc titulum*, vbi recenset nationes apud quas bella cum sagittis aguntur.

c *Christianos, & Catholicos.*] Non enim omnes Christiani sunt Catholici; nam qui in hæresim prolapsi sunt, Christiani dicuntur, non verò Catholici, vt fusè probaui *in can.* 22. *Concilij Illiber.*

COMMENTARIVM.

3 LIcèt in primo hominum statu & ætate arma tantùm

——Manus, vngues, dentesque fuere,
Et lapides, item siluarum fragmina rami.

Lucretius *lib.* 5. *de rerum natura*, *l. armorum* 41. *ff. de V. S. l.* 3. *§.* 2. *ff. de vi & vi armat. §. recuperandi, in fine, Instit. de interdict.* proinde Horatius *satyra* 3. canebat:

Vnguibus, & pugnis, dehinc fustibus, atque ita porrò.
Pugnabant armis, quæ mox fabricauerat vsus.

Tamen crescente hominum malitia, & dominandi cupiditate, cùm bella crebra essent, arma sæuiora inuenta fuerunt, quibus nullum sæuius, crudeliusque fuit genus armorum, quàm sagittarum, & ballistarum: tum quia sagittæ veneno essent illitæ, vt referunt Ælianus *lib.* 9. *histor. animal. cap.* 15. Dioscorides *lib.* 6. *cap.* 20. Rhodiginus *lib.* 23. *lection. cap.* 10. Ouidius 1. *de Ponto, elegia* 2. & *lib.* 5. *Tristium, eleg.* 8. Lucanus *lib.* 3. ibi:

Tinxere sagittas errantes Scythiæ populi.

Sidonius *in panegyrico*. Quare aliquando Reges legitimis armis certare satius duxerunt, quàm sagittis, aut ballistis vti. Ideò Guillelmus Britto *lib.* 2. *Philippidos*, refert Philippi Augusti temporibus incognitos fuisse arcus; & ballistas:

Francigenis nostris illis ignota diebus
Res erat omninò, quid ballistarius arcus,
Quid ballista foret.

Ballistæ autem sunt catapultæ, siue machinæ quædam, quibus in hostes vibrantur, & emittuntur grauioris ponderis lapides, ad eos contundendos. De his Synesius *epist.* 133. ibi: *Non mihi otium alienæ arti mentem applicandi; accingor enim, vt ex turribus iacula emittentes valida lapidibus, graues machinæ petras mittentes, instrumenta ad iaciendos lapides.* Cicero 11. *Tusculan.* ibi: *Vt ballistæ lapidum, & reliqua tormenta eo grauiores emissiones habent, quo sunt contenta, atque obducta vehementius.* Iosephus *lib. excidij Hierosol. Talenti pondere erant lapides, qui mittebantur.* Ægesippus *lib.* 33. *cap.* 12. Alij telis, alij ballistis hostem vrgebant. Illustrat Lypsius *lib.* 9. *polyorgeticon, dialog.* 3. Sed & ferè trabes eiusmodi tormentis maximo impetu in mediam hostium aciem contorquebantur. Silius Italicus *lib.* 1. *de bello Punic.*

——Adductis stridula neruis
Phocais effudit vastos ballista molares,
Atque eadem ingentis mutato pondere teli,
Ferratam excutiens ornum, media agmina rumpit.

Hoc nomine veniunt tamen tormenta bellica ad muros diruendos, aut concutiendos, vt refert Liuius *lib.* 21. dum Sagunti oppugnationem describit. Ouidius *lib.* 1. *tristium, eleg.* 2.

Nec leuius laterum tabulæ feriuntur ab vndis,
Quam graue ballistæ mœnia pulsat onus.

Seneca *in Hippolyto:*

Non arma sæua miles aptabat manu,
Ne torta clausas fregerat saxo graui
Ballista portas.

Eiusdem generis fuerunt arietes. Cicero *lib.* 1. *officior.* ibi: *Qui positis armis ad Imperatorum fidem confugerint, quamuis aries murum percusserit, sunt recipiendi.* Vtebantur verò ballistarij, & sagittarij vario genere telorum, catheis, & fallaricis, & sagittis. Differentiam tradit D. Isidorus *lib.* 18. *orig. cap.* 7. & 8. quædam erant in modum sphæræ, aut cylindri, quæ propter grauitatem longè non ferebantur. Illis pennas addiderunt Cretenses, vt velociores facerent. Fuerunt etiam quadrelli ideò dicti, non vt quidam putauerunt, quòd arctius quadrarent arcubus, & ballistis; sed quia cuspidem quadratam habebant. Eorum meminit Guillelmus Britto *lib.* 2. *Philippidos*, ibi:

Nec tamen interea cessat ballista, nec arcus:
Quadrellos hic multiplicat, pluit ille sagittas.

Sed hæc tandem desierunt, non tam vi præsentis constitutionis, quàm quia grauiora, & sæuiora instrumenta reperta fuerunt, tormenta videlicet ignea, vulgò *tiros, y alcabuces*, quibus pilæ plumbeæ cœperunt mitti.

His suppositis, vt ad veram præsentis textus interpreta- 4
tionem perueniamus, Glossa & communiter repetentes existimarunt, in præsenti prohiberi artem ballistariorum, sagittariorum, idest sagittis, & ballistis vti in bello iniusto contra Christianos, non verò in bello iusto, in quo vtrum aperta pugna, an insidijs vincatur, nihil ad iustitiam interest, vt ait D. Augustin. *in cap. Dominus* 2. 23. *q.* 2. & vt Poeta cecinit:

Dolus an virtus, quisquis in hoste requirat.

Homerus:

Confice siue dolo, siue stricto cominus ense.

Vnde docent artem hanc ballistariorum, & sagittariorum non prohiberi ab Innocent. II. in bellis iustis, quia tunc vt alijs armis, ita & his mortiferis vti licet. Verum hæc communis interpretatio sustineri nequit: tum quia absolutè Innocent. II. improbat artem istam in bellis contra Christianos motis: tum etiam, quia si bellum iniustum erat, alia potiori ratione, videlicet iniustitiæ, nec his armis, nec alijs contra Christianos, immò nec contra Paganos vti potest. Hac omissa solutione, Torreblanca *de magia lib.* 2. *cap.* 39. *ex num.* 24. Martinus Delrius *disquisit. magic. lib.* 3. *cap.* 1. *q.* 4. *sect.* 4. quos sequitur Barbosa *in præsenti, n.* 2. asseruerunt sagittarios, seu ballistarios esse homines fœderatos cum dæmone, qui illis vicissim pollicetur, se adfuturum, vt quem longissimè dissitum volent, infallibili ictu traijciant; & ita artem hanc nefariam improbare Innoc. II in præsenti. Sed nec hæc sententia sustineri potest ex ratione proximè adducta; nam si ars hæc malefica esset, & ex pacto cum dæmone inito procederet, nec ea etiam contra Paganos, aut hæreticos vti liceret. Tandem Cironius *in parat. ad hunc titulum*, docet in præsenti ballistas, & sagittas prohibitas non fuisse, sed potius quoddam mili-

militum genus his vtentium, qui impij, & crudeles admodum erant, Ruptarijque dicebantur, de quibus egi *in cap. sententiam, ne clerici vel monachi*. Sed cùm expressè agat Innocentius II. de ballistarijs, & sagittarijs, non est ratio, cur de Ruptarijs eum accipiamus. Quare his omissis, verius dicendum credo, in præsenti textu non damnari omninò artem ballistariorum, & sagittariorum, sed tantùm caueri, ne cuiquam liceat artem eam exercere aduersus Christianos, & Catholicos; vt enim *in cap. ita 6. cap. quod olim 12. de Iudæis*, prohibitum est sub excommunicatione arma, ferrum, lignamina ad infideles contra Christianos deferre; ita etiam in præsenti sub eadem pœna prohibetur artem ballistariorum, seu sagittariorum contra Catholicos exercere, eas fabricando, & ad inimicos fidei deferendo, vt eas ad exteros exportari vetant Imperatores *in l. 2. C. quæ res export.* vel eas iaciendo contra Christianos, vt ita validiores barbari reddantur.

T I T V L V S X V I.

De adulterijs, & stupro.

C A P V T P R I M V M.

In a Exodo.

SI *b* seduxerit quis *c* virginem necdum *d* desponsatam, dormieritque cum ea, *e* dotabit eam, & habebit eam vxorem. Si pater *f* virginis dare *g* noluerit, reddet pecuniam iuxta *h* modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt.

N O T Æ.

1 a EXodo.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & ex Exodi libro citat textum hunc Iuo Carnot. *p. 16. Decreti, cap.* 291. reperiunturque hæc verba *in c. 22. Exodi*, prout in præsenti referuntur. Vnde constat textum hunc deductum fuisse ex præcepto veteris legis Moysi datæ, & ab Ecclesia fuisse suscitatum, & renouatum præceptum illud; nam licèt præcepta legis veteris iudicialia post Christi passionem sint mortua, cæremonialia autem mortifera, vt probaui *in cap. translato, de constit.* tamen possunt per Ecclesiam aut supremos Principes suscitari, & leges ferri eius sensus, cuius sunt leges per Moysem datæ, nisi si quæ sunt leges, quarum tota substantia ad tempus Christi venturi, & Euangelij nondum reuelati pertineat; aut nisi Christus ipse contrarium in genere, aut in specie constituerit: nam his casibus demptis, nulla potest ratio excogitari, cur quod olim fuit Moysis lege constitutum, hodie non possit suscitari, & pro lege caueri; nam vt aiebat Tertul. *de pudicitia*, libertas in Christo non fecit innocentiæ iniuriam: manet lex tota pietatis veritatis, constantiæ, castitatis, iustitiæ, misericordiæ, beneuolentiæ, pudicitiæ. Vnde varia præcepta legis veteris innouata legimus *in cap. 1. suprà de homicidio, cap. 1. & sequentibus, de iniurijs, & damno dato*: notauit Grotius *lib. 2. de iure belli, cap. 1.* & nos *in d. cap. translato*.

2 b *Seduxerit.*] Hinc notant Doctores, seductionem esse causam huius constitutionis; & latè disputant, an seductio hæc ita necessaria sit, vt sine ea non detur obligatio in stupratore dotandi, aut contrahendi matrimonium cum virgine a se corrupta; nam seducere in præsenti accipitur pro blanditijs factis aut verbis, aut precibus importunis virginis voluntatem allicere, vt apud Terentium ibi:

Etiam nunc me seducere istis dictis postulas.

Et ita seductionem necessariam esse, vt virgine consentiente non detur obligatio in strupatore ducendi, aut dotandi eam, docuerunt Sotus *lib. 4. de iust. q. 2. art. 1.* Bañez, Salon, & alij, quos refert & sequitur Sanchez *lib. 2. de matrim. disp.* 14. Suarez, Azor, & alij, quos laudat & sequitur Barbosa *in præsenti*, Fagundez *in 6. Decalogi præcepti, lib. 6. cap.* 8. Quod verum credo, si tam procax puella fuerit, vt abiecto omni pudore, meretricio more iuuenem vltrò appellauerit; nam si non aperto interpellauerit ornatu, tamen vultu, & blanditijs effecerit, vt ipsa appellaretur, nihilominus adesse obligationem ducendi, seu dotandi eam putauerim; alioquin ferè semper cauillari possent stupratores, captos se munditia, & illecebris puellarum; quo casu accipiendi sunt Ant. Matthæus *de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 3. cap. 7.* Cancer. *lib. 3. var. cap. 11. nu.* 47. & eo casu, quo sponte virgo defloratur, non dari obligationem confitendi hanc circumstantiam, probabile dicit P. Mendo *in statera, dissert. 5. quæst. 8.* licèt contrarium probabilius dicat. Et virgini iuranti se ab aliquo cognitam, credendum esse docet Faber *in suo Cod. lib. 4. tit. 14. diffin.* 18.

c *Virginum.*] Licèt aliàs pro virgine etiam accipiatur vidua honestè viuens, *l. inter 101. ff. de V. S. l. 3. §. 1. ff. de concubin. l. 41. ff. de ritu nupt. l. 6. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult.* tamen in præsenti strictè pro virgine accipitur, cum qua committitur stuprum. 3

d *Nondum desponsatam.*] Aliàs adulterium, non stuprum cum ea daretur: vnde constat præsentem textum spectare non ad priorem partem huius rubricæ de adulterijs, sed ad secundam, videlicet de stupro. 4

e *Dotabit.*] Glossa hic interpretatur, idest donationem propter nuptias faciet, quæ donatio appellatur dos vxoris, seu dotalitium, *cap. ex parte, de foro compet. cap. plerumque, de donat. inter*: probaui latè *in cap. est necesse, cap. nuper, de donat. inter*: & obseruauit Cuiac. *lib. 5. obseru. cap.* 4. & verè; nam apud Hebræos non solùm vxores viris suis dotem assignabant, vt constat *ex lib. 2. Machab. cap. 1. vers* 14. ibi: *Vt acciperet pecunias multas dotis nomine*. Et ex historia Regum, vbi dicitur: *Pharao Rex Ægypti ascendit, & cœpit Gazer, accenditque eam igni, & Cananæum qui habitabat in ciuitate, interfecit: & dedit eam in dotem filiæ suæ vxori Salomonis*. Expressius ex Tobia *cap. 8. vers* 24. ibi: *De omnibus autem, quæ possidebat Raguel, dimidiam partem dedit Tobiæ, & fecit scripturam, vt pars dimidia quæ supererat, post obitum Tobiæ dominio deueniret*. Verùm & mariti aliquid de suo dotis augendæ causa largiebantur, vt constat *ex cap. 34. Genesis, vers.* 12. vbi cum Sichem Dinam requireret, eiusque nuptias ambiret, aiebat: *Quæcunque statueritis, dabo: augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem*. Et *lib. 1. Regum, cap. 28. vers.* 25. vbi Dauid dotauit Michol centum præputijs Philistinorum. Probat Menochius *de Repub. Hebræor. cap.* 21. & ita verbum hoc, *dotabit*, accipitur pro dote vxori à marito assignanda: sequentia autem verba ea, *iuxta modum dotis*, sunt accipienda de vera dote, quam virgines accipere consueuerunt à parentibus suis, vt exponunt Menochius suprà, *cap.* 21. 5

f *Si verò pater virginis.*] Quibus verbis supponitur magna potestas parentum in matrimonijs filiarum apud Hebræos, quam varijs sacræ paginæ auctoritatibus probat P. Menochius *d. cap.* 21. & apud Romanos, aliasque nationes eandem potestatem Patres habuisse in nuptijs filiorum, fusè probaui *in cap. 1. de despons. impub.* 6

g *Noluerit.*] Sed quæritur, an quod lege diuina patri conceditur, idem filiæ concedendum sit, videlicet vt si ipsa, quæ vitiata est, nubere stupratori nolit, tamen sit dotanda. Et placuit dotandam esse: tum quia si patre dissentiente, de cuius coniunctione principaliter non agitur, manet obligatio dotandi, quantò magis dissentiente ea de cuius coniunctione agitur. Tum quia cùm dos pœna iniuriæ irrogatæ sit, sequeretur ipsa puella dissentiente, nulla pœna affici stupratorem; quod absurdum est, vt docuerunt Iul. Clarus *§. stuprum, n. 3.* P. Menochius *de arbitr. casu 288. n.* 18. Farinac. *in praxi, quæst. 147. num.* 105. Ant. Matthæus *dicto cap. 7. num.* 17. 7

Iuxta

8 h *Iuxta modum dotis*.] Modus enim in dotibus præscriptus fuit secundum statum, & dignitatem vxorum, tam apud Hebræos, vt probat Pineda *de rebus Salomonis*, *lib. 5. cap. 2. n. 4.* quàm apud Romanos, ex lege Iulia de maritandis ordinibus, cuius vestigia extant *in l. si filiæ 41. de legat. 3. l. cùm de in rem verso 6. ff. de vsuris*, *l. quæro 59. l. siue 60. de iure dotium*, *l. non tantùm*, *de tut. & curat. l. Mæuius*, *de pact. dot. l. Seia 10. de dote prælegat. l. Mæuia 49. ff. solut. matrim. l. 68. §. gener*, *ff. de iure dotium*, ex qua tutor dabatur ad dotem dicendam, promittendamue. Vlpianus *lib. singul. regul. tit. 11.* eoque pertinet lex *siue generalis 61. ff. de iure dotium*: siue ex lege Papia, vt nonnulli probant *ex l. 2. Cod. Theodos. de inofficiosis dotibus*, ibi: *Dote ab vxore marito data, filijs ex priori matrimonio, si neque vltra dodrantem, nec in fraudem legis Papiæ constituatur, de hac repetenda nullam constat esse actionem*. Sed malè, vt obseruat Merillus *lib. 3. obseru. cap. 6.* Maxima dos apud Romanos fuit quadraginta millia æris, postea creuit ad decies sestertium, idest quinque & viginti millia aureorum, *l. auiæ 77. §. vlt. ff. de condit. & demonstr. l. cùm de in rem verso, §. 4. ff. de vsuris*. Horatius *lib. 1. satyr. 3.*

——Decies centena dedisset
Huic parco paucis contento quinque diebus.

Iuuenal. *satyr. 10. in fin.*

——Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur, & ritu decies centena dabuntur:
Non nisi legitimè vult nubere.

Martialis *lib. 2. epigr. 65.*

Centena decies, quæ tibi dedit dotis.

Illustrat Gothofredus *in d. l. cùm de in rem*, § 1. Scipio Gentil. *ad Apulei. in apolog. pag. 434* latè Henellius *de dotalitiu, p. 1. §. 3.* Gothofr. *in l. 6. §. 1. ff. de vsur.* Cuiac. *lib. 11. qq. Papin. in l. 39. ff. solut. matrim. & lib. 29. qq. Papin. in d. l. 6. §. 1. & in nouella 22. colum. 4. & 7. qq. Pauli in l. 43. tit. de administr. tut.* Ant. Augustin. *lib. 2. emend. cap. 6.* Suarez *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 1. sect. 3.* Lipsius *ad lib. 2. annal. Taciti, annot. 177.* Samuel Petit. *ad ius Atticum lib. 6. tit. 2. pag. 453.* Philip. Camer. *cent. 2. horar. success. cap. 43.* Lindembrogius *in glossar. verbo Dos*, Ramirez *ad Martial. lib. 2. epig. 64.* Bignon. *ad veter. formul. cap. 52.* Merillus *lib. 3. obs. cap. 6.* & apud alias nationes modum dotibus præscriptum fuisse, probant Alexander *ab Alex. lib. 4. dier. genial. cap. 8.* D. Iosephus de Retes *in l. quæro*, *ff. de iure dot.* In præsenti casu dos æstimanda est iuxta morem regionis, in qua stuprum contingit, & iuxta qualitatem tam virginis vitiatæ, quàm vitiantis, argumento textus *in l. cùm post 64. §. gener*, *ff. de iure dotium*, *l. si filia 43. ff. de leg. 3. l. tam dementis 28. C. de Episcop. aud. l. si furiosi 25. Cod. de nupt. l. si curatoris 9. C. de administr. tut.* ita vt attendatur omninò quantitas, quàm dotis nomine pater eius assignare valebat, vt considerant Salcedo *in praxi*, *cap. 83.* Didacus Perez *in princip. tit. 15. lib. 8. ordin.* Ansaldus *de iurisdict. p. 4. tit. 7. cap. 1. num. 81.* Gomez *in l. 8. Tauri*, Castillo *de aliment. cap. 26. §. 7.*

C A P V T II.

a Gregorius *Felici Episcopo Sipontino.*

EXpectabamus fraternitatem tuam sua aliquos ad Deum prædicatione conuertere, & malè agentes ad rectitudinem reuocare. Qua de re nimis contristamur, quia è diuerso in nepotis tui Felicis prauitate, tua euidenter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Peruenit itaque ad nos, quod suprascriptus Felix Euangeli tui Diaconi filiam, quod nefas est dici, stupro deceperit. Quod si verum est, quamuis graui esset de lege pœna plectendus; nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, huiusmodi disponendo præcipimus, vt aut quam stuprauit, vxorem habeat; aut certè si renuendum putauerit, districtius, ac corporaliter castigatus, excommunicatusque, in monasterium, vbi pœnitentiam peragat, *b* retrudatur: de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia. Ita ergo fraternitas tua, vt hæc compleantur, studeat, quatenus nihil de his aliquo modo possit omitti. Nam si quid, quod non credimus, lentatum fuerit, & illi graue postea periculum imminebit, & te non leuis incipiet culpa respicere.

N O T Æ.

1 a GRegorius.] Textus hic tribuitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* S. Augustino, sed malè, cùm sit sancti Gregorij Magni, & reperitur in registro epistolarum ipsius *lib. 1. epist. 42.* ex quo illum transcribo, & ex eo citatur à Carnotensi *part. 8. Decret. cap. 29.* & ad eundem casum spectat epistola 40. ipsius Gregorij in eodem libro 2. vbi Pantaleoni notario in hæc verba scribit: *Questus est nobis Euangelus Sipontinæ Ecclesiæ Diaconus, filiam suam à Felice fuisse, quod dici nefas est, stupratam. Pro qua re te huius præcepti auctoritate suffultum ad Sipontinam ciuitatem proficisci necesse est, & adhibitis tibi sapientibus illic viris, cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere: & si ita reperies, eam quam stuprauit, aut vxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum in monasterium cum priuatum communione, vbi pœnitentiam peragat, tradere festinabis, ita vt nulla exinde ei sit quoquo modo egrediendi licentia, nisi hoc nostra permiserit fortasse præscriptio. Præterea quia supradictus Diaconus de hostibus se redemptum, ac propterea debitum habere commemorat, ideò si talem eius substantiam non esse cognoueris, quæ ad reddendum debitum ipsi possit sufficere, Felici fratri, & Coepiscopo nostro te imminere præcipimus, vt eius pretium de Ecclesia dare non differat: quatenus supradictus Euangelus Diaconus sine tarditate aliqua à debiti possit necessitate, cui est suppositus, liberari.* De Metropoli Sipontina egi *in cap. 12. de celebrat. Missar.*

2 b *Retrudatur*.] Iuxta morem Ecclesiæ antiquum, quem probaui, & illustraui *in cap. 1. de regul.* Ex hoc tamen textu, nescio quo ducti fundamento, Ant. Gomez Menochius, Farinacius, Iul. Clarus, & cæteri Criminalistæ deduxerunt, stupratorem virginis cogi eam ducere, aut dotare; cùm in hoc textu talis alternatiua non statuatur, sed tantum iubeat Gregorius, vt qui vitiauit virginem, eam ducat, aut corporaliter castigatus detrudatur in monasterium pœnitentiæ peragendæ causa; nec sit aliqua lex ciuilis, canonica, vel Regia, vbi talis electio stupratori concedatur.

COMMENTARIVM.

EX his duobus textibus communiter DD. sequentem deducunt assertionem: *Stuprans virginem tenetur eam in vxorem ducere, aut dotare*. Quæ assertio probari potest ex canone 66. Apostol. ibi: *Si quis virginem sibi non desponsatam admota vi detinet, à communione suspenditor: non licitum autem esto ei aliam ducere, sed eam detineor, quam sollicitauit, quamuis paupercula sit*. Illustrant eam vltra congestos a Barbosa *in præsenti*, Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 14. cap. 13.* Amaya *in l. fin. num. 66. C. de iure fisci*, Delbene *de immunit. Eccles. tom. 1. quæst. 8. dubit. 29.* Balsamon *in nomocan. tit. de laicis, cap. 5.* Bermondus *de concubinis, cap. de stupro*, Ægidius *in l. Titiæ, fol. 98. ff. de condit. & demonstr.* Diana *part. 11. tract. 6. resol. 54.* Cancerius *tom. 3. variar. cap. 11. num. 20.* Gibalinus *de vsuris, lib. 3. cap. 2. art. 6. consectar. 1.* Pichardus *in manuduct. ad praxim. crimin. verbo Stuprum*, Sanchez, Fagundez, cæterique Moralistæ *in 6. Decalogi præcept.* Ansaldus *de iurisd. part. 4. tit. 6. c. 3.* 3 Conclusio traditur, & probatur.

The-

Thesaurus *decis. 3. per totam*, Matthæus *de crimin. tit. de adulter. & stupro, cap. 7.* Gutierrez *lib. 1. canonic. cap. 37.* Fontan. *de pactis nupt. glossa 6.* Basilicus *decis. 15. crimin.*

4 Impugnatur traditio assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Matrimonia omninò libera esse debent, nec quis compelli debet ad matrimonium contrahendum, *cap. cùm locum, cap. veniens, cap. ad id, cap. gemma, de sponsal.* vbi latè probaui: ergo non debet cogi stuprator ad matrimonium contrahendum cum ipsa virgine vitiata: immò etsi cogatur, matrimonium nullum erit, ex traditis in eo commentario. Augetur hæc difficultas primò ex eo, nam qui damnum dat, tenetur illud resarcire, *cap. fin. de iniurijs:* sed qui virginem corrupit, damnum dedit, non solùm illi, verùm & parentibus eius; quia vt aiebat Catullus *in carmine nuptiali:*

Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est.
Tertia pars matri data: pars data tertia patri.
Tertia sola tua est: noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.

Igitur non solùm debet virginem vitiatam ducere, verùm & parentibus damnum resarcire. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam ex lege diuina relata *in cap. 1. hoc tit.* tenebatur stuprator virginem à se corruptam ducere, & dotare, vt constat ex illis verbis, *dotabit eam, & vxorem habebit:* igitur nec Doctores potuerunt disiunctìm statuere, vt ducere, aut dotare teneatur.

5 Stuprum quid? Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, antiquos stuprum pro turpitudine accepisse, vt in carmine Nelei:

Fœdè, stuprèque castigator quotidie.

Et apud Næuium: *Seseque ij perire malunt, quàm cum stupro redire ad suos populares;* vt notauit Festus Pompeius *verbo Stuprum:* postcà tamen ad certam criminis speciem vsus restrinxit eam vocem, videlicet ad illicitam virginis deflorationem, licèt etiam stuprum ad corruptionem pueri, & viduæ honestæ extendatur, *l. inter 6. §. 1. ff. ad leg. Iul. de adult. l. inter stuprum 101. ff. de V. S. §. item lex, Instit. de public. iudic. can. 65. Concil. Illiber.* Vnde stuprum diffiniebat Anton. Matthæus *de crimin. Stuprum est corruptio virginis, vel viduæ honestæ:* licèt à Consultis ea differentia agnoscatur inter adulterium, & stuprum, quòd adulterium committatur tantùm in nuptam, stuprum in virginem, vel viduam, *l. & stuprum, ff. ad leg. Iul. de adult.* licèt sæpiùs in iure vnum pro alio sumatur, *l. inter, ff. de V. S. cap. nemo, 32. quæst. 4.* sicut etiam vtrumque, nempe adulterium, & stuprum pro incestu posuit Tullius *in orat. pro Sextio*, ibi: *Adulterium sororis.* Et pro Milone: *Clodius cum sorore germana nefarium stuprum fecit.* Dixi, stuprum esse corruptionem virginis, vel viduæ honestæ, vt agnoscatur non esse reos stupri, qui cùm fœminis inhonestis congressi fuerint; excluduntur enim ancillæ, quæ etsi vitiatæ sint, non publicum, sed priuatum iudicium competit, *l. & si libidine 25. Cod. ad leg. Iul. de adult. l. inter 6. l. si quis seruum 9. §. 1. ff. eod. tit. l. si stuprum 25. ff. de iniurijs.* Excluduntur etiam meretrices, quarum consuetudo extra legis pœnam est, quoniam licentiam stupri apud Ædiles profitebantur, *l. verum est 39. ff. de furtis, l. si ea quæ 22. Cod. de adulterus.* Excluduntur etiam personæ viles, veluti in cauponis, & tabernis seruientes, cum quibus congressus stupri nomine accusari nequit, *l. quæ adulterium 29. Cod. de adult. l. 1. ff. de concubin.* Quæ omnia eleganter complexus est Plautus *in Curcul.*

PAL. *Ita tuum amorem conferto semper, si sapis,*
Ne id quod ames, populus si sciat, tibi sit probro:
Semper curato ne sis intestabilis:
Quod amas, ama testibus præsentibus.
PHÆD. *Quin leno hìc habitat.* PAL. *Nemo hìc prohibet, nec vetat;*
Quin quod palam est venale si argentum est, emas.
Nemo ire quemquam publica prohibet via,
Dum ne per fundum facias semitam,
Dum te abstineas nupta, vidua, virgine,
Iuuentute, & pueris liberis, ama quod lubet.

Non tamen talis congressus cum his fœminis impunitus manet; nam si illis vis illata sit, publica animaduersione res vindicanda est, quemadmodum si raptæ forent, *l. vnic. C. de raptu virgin. l. 3. §. præterea, l. 5. §. qui vacantem, ff. ad leg. Iul. de vi public.*

Vt ad stupri pœnas, tam ex iure canonico, quàm ciuili, & Regio perueniamus, sciendum est, ex iure Cæsareo pœnam huius criminis esse publicationem dimidiæ partis bonorum, si stuprator honestus sit; sin verò humilis, coercetur in corpore cum relegatione, *§. item lex, Instit. de publicis iudicijs.* Nec aduersatur Paulus *in l. 1. §. vlt. ff. de extraordin. crimin.* vbi docet, non solùm eum, qui puero, verùm & qui mulieri, puellæue stuprum fecerit, perfecto flagitio capite puniendum; imperfecto, in insulam deportandum. Nam omissis Bartolo *ibi*, Catelliano Cotta *in memorab. verbo Stuprum*, dicendum est cùm Alciato *lib. 5. parodox.* Antonio Matthæo *d. tit. de stupro, cap. 5.* regulariter stupri pœnam capitalem non esse; sed cùm maior eius improbitas fuit, veluti si valdè honestas, & pudicas fœminas prauis persuasionum illecebris circumuenerit, vt probat Duarenus *ad tit. ff. de adult. cap. 5.* vel si virginem immaturam corrupit, si honestior est, in insulam relegatur stuprator; sin humilior, in metallum damnatur, *l. si quis aliquid 38. §. qui nondum, ff. de pœnis*, Zamar. *part. 1. rer. iudic. definit. 16.* & eo casu pœna abscissionis narium, & amissio dimidiæ partis bonorum reperitur statuta *lib. 60. Basilic. tit. 37. de adulter. cap. qui vitiat 82.* Alia de stuprante immaturam virginem congerunt Balsamon *ad nomocan. Phocij, tit. 13. cap. 15.* Iul. Clarus *§. stuprum, n. 9.* Grammaticus *decis. 22* Gomez *in l. 80. Tauri*, Menochius *de arbitr. casu 294.* Salcedo *ad B. Diaz, in praxi cap. 83.* Farinac. *de delict. carnis, quæstione 147. ex num. 37.* Suarez *ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 3. sect. 5.* Harpprectus *in §. item lex, Instit. de publicis iudicijs, num. 59.* Fontanella *de pact. nupt. tom. 2. clausula 5. glossa 5. part. 2. num. 73.* Elisæus Danza *decis. 107. in addit. ad decis. 22.* Carrobius *part. 2. rerum crim. quæst. 75. à num. 29.* vel si ad concipiendum eam ineptam reddiderit. Exasperatur etiam pœna, cùm tutor pupillam corrupit, *l. vnic. Cod. si quis eam, cuius tutor fuerit*, Borellus *tom. 3. decis. tit. 6. ad finem:* si seruus corrupit dominam, corruptor enim flammis subijcitur, *l. vnic. Cod. de mulier. quæ se proprijs seruis.* Tandem pœna augetur, si vis adhibeatur, siquidem stuprator lege Iulia de vi publica tenetur, *l. 3. §. præterea, ff. ad leg. Iul. de vi public. l. mariti 29. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult.* Etiam ob stuprum damnati infames manent, quemadmodum & alijs iudicijs publicis damnati, *l. infames 7. ff. de public. iudic.* priuantur testimonij dictione, *l. 3. §. lege, l. ex eo 18. ff. de testibus.* Nec possunt sibi inuicem aliquid testamento relinquere, immò relicta auferuntur tanquam indignis, *l. mulierem 14. l. cùm tabulis 16. §. 1. ff. de his quæ vt indign. l. miles 41. §. 1. ff. de testam. milit.* Viduæ etiam intra annum luctus stupro cognitæ priuantur omnibus illis rebus, quas amittunt transeuntes ad secundas nuptias, *nouella 39. Iustin. cap. 2. §. vlt.* explicat Menochius *de arbitr. casu 288. num. 28.* Quæ pœnæ locum habent, si stuprator accusetur intra quinquennium ex die admissi criminis, *d. l. mariti 29. §. hoc quinquennium;* & si cùm vidua admissum sit, intra sex menses vtiles, *d. l. 29. §. sex mensium.* Stuprum verò violentum intra annum vicesimum accusari potest, *d. l. 21. §. vlt. l. querela 12. Cod. ad leg. Corn. de falsis.* Iure Pontificio stupratori clerico in foro interno imponitur pœnitentia decem annorum, *cap. presbyter, 83. dist.* laicis iniungitur pœnitentia septem annorum, *cap. deuotam, 27. quæstione 1. cap. hoc ipsum, 33. quæst. 2.* In foro externo clericus deponitur, aut pœna pecuniaria damnatur, *cap. si quis clericus, 81. dist. cap. lator, 2. quæst. 7.* laicus cogitur corruptam ducere, & si pater noluerit dare, eam dotare; & si renuat eam ducere, corporaliter castigatus in monasterium detruditur pœnitentiæ peragendæ causa, ex præsenti textu. Iure nostro Regio approbata est pœna iure ciuili statuta *in l. 2. tit. 19. partit. 7.* Sed generali consuetudine huius Regni pœna præsentis textus à iudicibus sæcularibus etiam imponitur, vt referunt Gomez *in d. l. 80. Tauri, num. 5.* Iul. Clarus *§. stuprum.* Vela *de delict. cap. 33. num. 7.* & condemnatur stuprator pœnis corporalibus in defectum non contracti matrimonij; nam si illud celebret, ab omnibus pœnis sententia comprehensis liberatur: & ita rectè pronunciat iudex sæcularis, videlicet condemnando in pœnis corporalibus stupratorem in casum matrimonij non contracti: quod facere potest, etsi iudex ecclesiasticus cognoscat de fide data matrimonij contrahendi, quia crimen hoc est mixti fori, vt probant Ansaldus *de iurisd. part. 4. tit. 6. cap. 3.* D. Iosephus Vela *in cap. 1. de officio ordin.* 6 De pœnis stupri.

ordin. verbo Stuprum. An verò iudex sæcularis competens sit ad compellendum per carcerem, vel alias pœnas, eum qui fidem dedit matrimonij contrahendi, examinant Sanchez *lib. 1. de matrim. disput. 29. num. 9.* Bobadilla *lib. 2. polit. cap. 18. n. 236.* Baio *lib. 2. praxis, quæstione 3.* Fontanel. *de pactis nupt. claus. 5. glos. 5. part. 1.*

7 *Traditur decidendi ratio.* His suppositis apparet ratio præsentis assertionis; nam cùm ob amissionem virginitatis per corruptionem non ita facilè possit corrupta inuenire maritum, debet stuprator, qui illi damnum intulit, iniuriamque irrogauit, eam in vxorem ducere, aut legitimè dotare, vt pecunia suppleat defectum virginitatis, vt ita maritum æqualem inuenire possit. Et licèt hæc electio ducendi, aut dotandi, nullo expresso iuris testimonio firmetur; tamen rectè deducitur *ex cap. 1. hoc tit.* vbi statuitur, vt stuprator casu quo pater virginis eam dare noluerit, teneatur tantùm eam dotare; & *in hoc cap. 2.* iubetur stupratori, vt virginem ducat, aut si eam ducere renuat, corporaliter castigatus detrudatur in monasterium pœnitentiæ peragendæ causa: vnde loco huius pœnæ corporalis vsu receptum fuit, vt stuprator dotem constituat. Quomodo autem stuprum probetur, & alia, quæ ad hoc delictum spectant, latiùs prosequitur Ansaldus *vbi suprà*.

8 *Dissoluitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius solutione Innocent. in præsenti docet, propter viri delictum virtute consensus tacitè præstiti tempore stupri, in ipsa delicti perpetratione virum libertatem amisisse, & quodammodo in hoc matrimonium consensisse. Aliter Ananias in præsenti, *num. 3.* ait coactionem, de qua hic, non esse præcisam, seu causatiuam; & ita libertatem matrimonij non impedire. Sed faciliùs responderi potest ex traditis *in d. cap. cùm locum*, discrimen esse constituendum inter metum iustum, & iniustum; nam licèt metus iniustè illatus tollat voluntatem, & vitiet matrimonium; tamen metus iustus, vt in præsenti adest, eius valorem non impedit. Nec interest, quòd *in hoc cap. 2.* corporali pœna afficitur, qui virginem, quam stupro decepit, vxorem habere renuit: quod non statuitur in pœnam non contracti matrimonij, sed potiùs in pœnam illati stupri, ne aliàs cum tanto seductæ mulieris incommodo maneret impunitum; atque ita non quia non duxit, sed quia seduxit, imponitur pœna. Nec obstat quod dicebamus, per deflorationem virginis iniuriam inferri non solùm illi, verùm & eius parentibus, & ita omnibus satisfaciendum esse. Nam respondetur, quòd cùm principaliter iniuria inferatur virgini, illi satisfaciendum est eam ducendo, aut dotando. Nec obstat secunda difficultas deducta *ex d. cap. 1. hoc tit.* cui variè satisfaciunt Interpretes, dum docent, sæpe coniunctiuam pro disiunctiua apponi, *l. sæpe 53. ff. de V. S.* Sed verius credo, ex lege veteri stupratorem virginem seductam ducere, & dotare teneri eo modo, quo viri dotem constituebant vxoribus, hoc est in dotis augmentum aliquid assignando, non verò dotem omninò constituendo. Cùm tamen hæc dos vxoris à marito assignanda hodie non ita necessària sit, ideò vsu receptum est, vt struprator tantùm virginem seductam ducere teneatur, non verò donationem propter nuptias in eam conferre: & rectè potuit vsus disiungere, quæ lex diuina coniunxerat. Non enim simpliciter Deus iubet vtrumque fieri, sed ita iubet, si non dissentiat pater. Si igitur patri permittitur coniuncta separare, multò magis vsu talis disiunctio admitti potuit. Quid enim si virgines fiducia legis diuinæ licentiùs peccent? vt Hollandiæ contigisse narrat Grotius *lib. 3. manuduct. cap. 35.* Nonne hæc iusta disiunctionis causa erit? Rectè ergo vsu forensi receptum est, vt tantùm ducere, aut dotare teneatur: & si cum stupro contigerit raptus, tenebitur raptor ducere, & dotare, iuxta Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 6. de reform.*

9 *Exponitur can. 14. Concil. Illiber.* Sed suprà traditis obstat textus *in can. 14. Concilij Illiber.* in illis verbis: *Virgines, quæ virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violauerint, acceperint, & inuenerint maritos, eo quòd solas nuptias violauerint, post vnius anni pœnitentiam reconciliari debebunt*: Ex quibus verbis apparet, pœnitentiam iniungi virginibus corruptis, etiam nubentibus stupratoribus. Igitur quia licitum non est matrimonium inter seductorem, & puellam seductam. Pro cuius difficultatis expositione sciendum est, primis Ecclesiæ sæculis omninò permissas nuptias non fuisse inter stupratorem, & virginem seductam, sed tantùm pœnitentia priùs iniuncta ad communionem recipi. D. Basilius *ad Amphilochium can. 40.* ibi: *Puellæ, quæ præter patris sententiam fornicatores sequutæ sunt, reconciliatis parentibus videtur res remedium accipere: sed non protinus ad communionem restituantur, sed triennio punientur*. Quo modo canones inuicem quodammodo dissidentes Carnotensis componit *in epist. 16.* missa à Vualtero Meldensi Episcopo, in hæc verba: *Litteris vestris per portitorem præsentium nuper ad me directis, humilitatem meam consuluit vestra fraternitas, vtrum quis habere possit eam mulierem in coniugem, quam priùs habuit pellicem: quod idcircò vobis videtur illicitum, quia apud vos hactenus fuit insolitum: Nunc verò dicitis hoc ipsum idcircò venisse in dubium, quòd Rogerius Romanæ Ecclesiæ Legatus Romæ hanc consuetudinem Siluanectis asseruit, & hoc posse fieri, Beati Augustini sententia confirmauit. De qua re vobis respondemus, quia super hoc diuersas habemus sententias, alias prohibentes, alias remittentes; dicit enim beatus Gregorius in epistola ad Felicem Siciliæ Episcopum: Eam, quam aliquis aliqua illicita pollutione maculauit, in coniugium ducere nulli Christianorum vel licet, vel licebit. Legitur quoque in Concilio Cabilonensi, cap. 24. quia iuxta canonicam auctoritatem raptores ad coniugia legitima raptas sibi iure vindicare non possunt. Habemus enim in decreto Hormisdæ Papæ, nuptias occultè factas non esse legitimas. Et Papa Euaristus contubernia, non coniugia dicit esse illarum mulierum, quæ non sunt à parentibus traditæ, & legibus dotatæ, & à sacerdotibus solemniter benedictæ. Habetur & in Concilio Aquisgrani habito: Qui mulierem rapuerit, vel furatus fuerit, aut seduxerit, nunquam eam vxorem habeat. Et in hunc modum plurima reperiri possunt. E diuerso verò legimus in decretis Eusebij Papæ, cap. 5. Virgines, quæ virginitatem non custodierint, si eosdem, qui eas violauerint, maritos acceperint, eo quòd solas nuptias violauerint, post pœnitentiam vnius anni reconcilientur. Dicit quoque B. Augustinus in libro de bono coniugali: Posse sanè fieri legitimas nuptias ex malè coniunctis, honesto posteà placito consequente, manifestum est. Quantum ergo mihi videtur, quòd quidam Patres concubinas vxores fieri vetuerunt, honestatem coniugij commendantes, & fœdam concubinatus consuetudinem coercere cupientes, rigorem iustitiæ teneri decreuerunt. Quod verò alij aliter scripserunt, hoc intelligo, quia intuitu misericordiæ quorundam imbecillitati occurrentes, rigorem canonum temperare maluerunt. In quibus sententijs non alia mihi videtur esse distantia, nisi ea, quam inter se habent iudicium, & misericordia, quæ quoties in vnum negotium conueniunt, in discretione Rectorum ita consistunt, vt habita consideratione salutis animarum, pro qualitate personarum, pro opportunitate locorum, & temporum, nunc seueritas canonum possit exerceri, nunc indulgentia, quibus oportebit, impendi. De his hactenus. De eo, quod monetis, vt pro pace vobis impetranda Dominum Regem suo tempore conueniant, secundùm Comici sententiam vobis respondeo: Quia opus est huic patrono, quem defensorem paras. Hoc vobis consulo, vt coniugium eius, quod ante factũ ratione resistente non laudastis, post factum nec dicto, nec facto inconsultè approbetis: sed commune consilium, & iudicium comprouincialium Episcoporum, & cęterorum studiosè expetatis, & longanimiter expectetis; & si quid aduersi pro amore iustitiæ vobis acciderit, æquanimiter supportetis: hoc attendendo, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in vobis. Valete*. Vnde PP. Concilij Illibert. accipiendi sunt iuxta perfectionem illius sæculi, & antiquam Ecclesiæ disciplinam: sed cùm indistinctè matrimonium inter strupatorem, & virginem vitiatam permitti cœpisset, nulla pœnitentiæ facta mentione, illud stupratori iniungit Gregorius in præsenti *cap. 2.* notaui iam *in d. can. 14.*

Deinde suprà traditæ assertioni obstat textus *in cap. placuit 11. 36. quæst. 2.* vbi ex canone 3. Concilij Aquisgranensis ita legitur: *Placuit, vt hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur, aut seducunt, eas nullatenus habeant vxores, quamuis cum eis postmodùm conueniant, aut eas dotauerint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint*. Ex quibus expresè deducitur, seducentem virginem, non solùm eam ducere non teneri, verùm nec eam in vxorem accipere posse. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, canonem illum procedere in raptore virginis, 10 *Exponitur c. placuit 11. 36. q. 2.*

nis, iuxta quęstionem, sub qua compilatus est à Gratiano; cùm enim secundùm antiquos Ecclesiæ canones raptor non posset vxorem accipere virginem raptam, vt probabimus infrà *in cap. fin de raptoribus*; ideò PP. Concilij Aquisgran. *in d. cap. placuit*, statuerunt rapientem, seu seducentem virginem, non posse, etiam parentibus consentientibus, eam in vxorem accipere.

11 Exponitur Concil. Illerdense can. 6. — Tertiò suprà traditæ assertioni opponi potest textus *in can. 6. Concilij Illerdensis*, in illis verbis: *Qui pœnitenti viduæ, vel virgini religiosæ vim stupri intulerit, si se ab eo sequestrari noluerit, pariter à communione, & à Christianorum consortio segregetur: si verò illa, quæ vim passa est, ad sanctam religionem redierit, in illa solùm sententia excommunicationis teneatur, quousque publicè pœniteat*. Vbi cùm agatur de virgine corrupta, & seducta, nulla imponitur necessitas contrahendi matrimonium cum virgine à se vitiata. Igitur non rectè in præsenti asserimus, stupratorem teneri virginem à se corruptam ducere, aut dotare. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo canone agi de fœmina religiosa, aut in statu pœnitentiæ solemnis existente, cum qua connubium non datur, vt de virginibus Deo deuotis probaui *in cap. 6. qui clerici, vel vouent. de pœnit. in can. 13. Concilij Illiber.* Vnde cùm ratione status religiosi in casu dicti canonis matrimonium celebrari non posset, ideò stupratori non iniungitur necessitas ducendi vxorem, aut eam dotandi. Accedit, nam in eo textu non agitur de pœna, aut pœnitentiæ iniungenda stupratori; sed de pęnitentia imponenda virgini religiosæ, aut pęnitenti lapsæ.

C A P V T III.

Ex Concilio 2 Arelatensi.

SI vir sciens vxorem suam deliquisse, quæ non egerit pœnitentiam, sed permanet in fornicatione, vixerit cum illa, reus erit, & eius peccati particeps. Quòd si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum suum reuerti, debet, sed non semper, recipere peccatricem.

N O T Æ.

5 2 A*Relatensi.*] In prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3* legitur *Aurelian.* sed in nullo ex Concilijs Aurelianensibus, siue Arelat. hucusque editis reperitur textus hic. Carnot. *part. 8. Decreti*, *cap.* 243. Gratianus *in cap. ego 7. 34. quæst.* 1. citant illum ex Hermete *in lib. Pastoris*, *mandat.* 4. quod verius credo. Hermes, siue Hermas, scripsit librum, quem inscripsit *Pastorem*, apud veteres celebrem: is liber, quamuis à sancto Hieronymo *in lib. 1. de scriptoribus Ecclesiæ*, vtilis esse dicatur, & nomine scripturæ à Sancto Irenæo *lib. 4. cap. 37.* citetur, & ab alijs antiquissimis scriptoribus, vt Clemente Alexandrino, & Origene, in testimonium adducatur; tamen illum inter apocrypha scripta reiecit Gelasius in Synodo Romana relata *in can. de libellis*, 15. *dist.* & sanctus Hieronymus *in Prologo Galeato*, & sanctus Athanasius *in lib. de decret. Nicænæ Synodi*, Eusebius *lib. 3. histor. cap.* 3. Tertull. *in lib. de pudicitia*, dicunt librum hunc non esse in canone. Quis autem iste Hermes fuerit, non leuis quæstio est: nam Origenes *in cap. 16. ad Romanos*, Eusebius *lib. 3. histor. cap.* 3. D. Hieronymus *in lib. de scriptor. Eccles.* asserunt, hunc esse illum Hermam, quem salutari iubet Apostolus *in epist. ad Romanos*, *cap.* 16. cùm ait: *Salutate Asyncritum, Phlegontem, Hermam.* Anastas. Bibliothecarius *de vitis Pontificum*, scribit, Hermam, siue Hermetem auctorem libri Pastoris, fuisse fratrem sancti Pij Romani Pontificis, & librum appellatum esse Pastorem, quoniam Angelus in habitu Pastoris Hermeti apparuerat, & vt ea scriberet, quæ illi reuelauerat, iusserat. Bellarminus *de Scriptor Eccles. sæcul. 1. fol.* 48. existimat duos fuisse Hermetes, scripsisseque libros sub nomine Pastoris: sed librum Hermetis fratris Pij citò interijsse; librum verò prioris Hermetis diutiùs durasse: & ita credo transcriptum fuisse canonem hunc à Carnotensi, & Gratiano ex illo priori libro Hermetis, quem salutat Apostolus.

C O M M E N T A R I V M.

2 Conclusio traditur, & probatur. — EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Vir sciens vxorem suam adulterium commisisse, & in eo persistentem, tenetur eam deserere; post peractam verò pœnitentiam debet eam recipere.* Quæ assertio quoad primam partem probatur ex D. Augustino *lib. 2. de adulter. ex cap. non solùm*, 28. *quæst.* 1. D. Hieron. relato *in cap. dixit Dominus*, D. Chrysostomo relato *in cap. si quis vxorem, cap. si vt crudelis*, 32. *quæst.* 1. *cap.* 4. *de eo qui duxit in matrim. quam priùs polluit*, *cap. quàm sit 9. de excess. Prælat.* Concil. Nannet. *can.* 12. ibi: *Si cuius vxor adulterium perpetrauit, & hoc à viro deprehensum fuerit, & publicatum, dimittat vxorem, si voluerit propter fornicationem; illa verò septem annis publicè pœniteat; vir verò eius illa viuente nullam aliam accipiat: quòd si voluerit adulteram reconciliare, licentiam habeat; ita tamen vt pariter cum illa pœnitentiam agat, & exacta pœnitentia post septem annos ad communionem vterque accedat. Similis forma & in muliere seruabitur, si eam vir eius adulterauit.* D. Isidoro *lib. 2. de officijs Eccl. cap.* 19. Theodoro *in suo Pœnitent.* ibi: *Si quis vxorem suam scit adulteram, & non vult dimittere eam, sed in matrimonio habere, tribus annis pœniteat, & quamdiu pœnitet, abstineat se ab ea.* D. Clemente *lib. 6. constit. cap.* 14. ibi: *Qui retinet adulteram, quæ legem naturæ violauit, legis violator est: qui adulteram retinet, stultus, & impius est. Abscinde eam à carnibus tuis, quia non est auxiliatrix, sed insidiatrix, quæ mentem ad alium declinauit.* Ex *l. 2. tit. 9. partit.* 4. D. Thomas *in 4. dist. 35. quæst. vnic. art.* 2. D. Bonauentura *in eadem dist. art. vnic. quæst.* 2. Secundam partem probant textus *in cap. quod autem, cum sequenti*, 32. *quæst* 1. Hermes noster *in superiori cap. ego*, 34. *quæst.* 1. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Mendoza *lib. 3. Concilij Illiber. cap.* 54. Cuiacius *in cap. ex parte*, *de sponsal.* Vigbellius *in method. iuris can fol.* 102. Basilius *de matrim. lib. 9. cap.* 17. *num.* 2 Hurtado *de resid. tom. 2. resol.* 1. *subresol.* 21. Caietanus *tom. 1. opusc. tra.* 29. Mancinus *de triplici iuris collat. cap.* 123. *num.* 5. Anguianus *de legibus lib.* 3 *cap* 21. Petrus Herodius *lib. 4. Pand tit.* 17. *cap.* 12. I. Dartis *in* 32. *quæst.* 1. & nos *in cap. 65. Concilij Illiber.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo; nam si solam adulterij rationem attendimus, nullum extat præceptum diuinum diuertendi ab vxore adultera in reatu permanente, siquidem Christus Dominus tantùm ob adulterium diuortium permisit, non verò iussit. Igitur vir non tenetur præcisè dimittere vxorem adulteram. Augetur primò hæc difficultas, nam quilibet fauori pro se introducto renunciare valet, *l. si quis in conscribendo, Cod. de pactis, l. penult. Cod. de Episcop. & cleric. l. fin. Cod. de non num. pec. l. si quis inquilinos* 112. §. 1. *ff. de legat.* 1. Sed diuortium ob adulterium inductum est in fauorem innocentis, & in pœnam nocentis, ob iniuriam ab eo irrogatam, *cap. idololatria* 28. *quæst.* 1. Igitur vir cogendus non est dimittere vxorem adulteram. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam sine culpa non est aliquis puniendus, regula *Sine culpa*, *in 6.* Sed si maritus cogatur dimittere vxorem ob eius adulterium, punitur sine culpa, siquidem priuatur ipsa cohabitatione cum periculo incontinentiæ: igitur non est cogendus dimittere vxorem propriam. — 3 Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, adulterium significare improbam, & illicitam cum vxore aliena commixtionem, vel coniunctionem, vt ait Consultus *in d. l. fugitiuus, de V. S.* Hinc dicimus, adulterare rationes, vel monetas, adulterare testamentum, adulterinas literas, *in l. Diuus, ff. ad leg. Pompeiam de parric. l.* 1. §. *fin. de seruo* — 4 Adulterij Etymol.

corru-

Digitized by Google

corrupto, *l. aut facta 16. §. euenit, ff. de pœnis*, *l. annonam 8 ff. de extraordin. crimin. l. si quis 6. ff. ad leg. Cornel. de falsis*. Nam adulterare, est omne, quod sincerum est, corrumpere, vt tradunt Brissonius, Vetrucius, Ludouicus Carrion *lib. 2. emendat. cap. 10. tom. 3. thesauri critici*, & Hothomanus *de verbis iuris, verbo Adulterium*. Dicitur autem adulterium in nostra significatione alterius thori accessio, à præpositione *ad*, & nomen *alter, altera, alterum*, quasi ad alteram vxorem accessio, vt placuit Festo Pompeio, Brissonio, & Rebuffo *vbi suprà*: & hæc est vera etymologia, reiectis quas adducit Laurentius Valla *lib. 6. elegant. cap. 45.* Bermondus *de public. concubin. in rubric. de adult.* Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. de adulter. cap. 1.*

5 *Adulterij definitio.* Deinde sciendum est, variè definiri adulterium per repetentes in præsenti, Couarruuiam *de matrim. part. 1. cap. 1. num 8.* Iul Clarum *§. adulterium*, & alios de adulterio scribentes. Bocerus *de adulter. cap. 1.* ita illud definit: *Adulterium est crimen publicum, quo per concubitum viri cum aliena fœmina fœdus coniugale violatur*. Quam definitionem ipse explicat numeris sequentibus. Sed breuius definiri potest, adulterium sit: *Coitus mentalis, vel realis, per quem alterius thorus violatur*. Quæ definitio constat genere, & differentia. Dicitur enim coitus mentalis, vel realis loco generis, in quo cum simplici fornicatione, stupro, incestuque conuenit: mentalis verò, quia quoad forum internum mentalis coitus cum alterius coniuge adulterium est, vt probatur auctoritate Exodi *cap. 20.* Matthæi *cap. 8.* & Pauli *ad Romanos cap. 7.* Adijcitur, *per quem alterius thorus violatur*, loco differentiæ; in simplici enim fornicatione, stupro, & incestu alterius thorus non violatur, indeque tantùm cum coniugata committitur adulterium, vt docetur *in l. inter liberam 6. §. lex, ff. ad leg. Iul. de adult.* & *in d. l. inter stuprum 121. ff. de V. S.* & hanc definitionem probauit lex *1. tit. 17. partit. 7.* & illustrant Couarr. *in 4. 1. part. cap. 1. num. 8.* Bermondus *vbi suprà*, Rebuffus *in d. l. inter stuprum, n. 1.* Syluester *in summa, verbo Adulterium*, Azeuedo *in rubric. tit. 20. lib. 8. Recopil.* Cantera *lib. 2. qq. crimin. cap. 14. num. 24.* alij relati à D. Ioanne Vela *de delict. cap. 1.* Ex qua definitione colligitur, coniugatum cognoscentem mulierem solutam, adulterium non committere, iure ciuili attento, cùm non violet alterius thorum; ac proinde non posse de adulterio accusari ab vxore, tam ciuiliter, quàm criminaliter, *l. 1. Cod. de adult. l. 1. Cod. Theodos. de repud.* docent Tiraquell. *ad leges connub. in l. 7. num. 42.* Paleotus *de nothis & spurijs, cap. 42.* Couarr. *in 4. part. 2. cap. 7. §. 6.* iure autem diuino, & canonico verè adulter est; nam Dominus creauit marem, & fœminam, non fœminas, *Genes. cap. 1. vers.* disrumpit enim, atque violat fidem coniugalem, qui adhæret meretrici, *1. ad Corinth. cap. 6. vers. 15. & 16.* Iure canonico id expressè docetur *in cap. dixit, c. nemo, 32. q. 4. cap. non mœchaberis, 32. q. 6. cap. ille 14. 32. quæst. 5. cap. transmissæ, de eo, qui cognouit consanguin. cap. intelleximus, hoc tit.* Et licèt vir non possit criminaliter ab vxore accusari, *cap. apud misericordem, 32. quæst. 1.* poterit tamen ad thori separationem, vt docet Couarr. *vbi suprà*: quo modo accipiendi sunt textus *in cap. præcepit, cap. christianæ, 32. quæst. 5. cap. quemadmodum, §. illud, de iureiur.* dicemus infrà *in cap. fin. hoc tit.*

6 *Adulterij atrocitas.* Deinde sciendum est, nullum detestabilius probrum adulterio patrari, aut aliquod fœdius contra ius gentium facinus committi. *Genesis cap. 26. Potuit coire quisquam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum*. Et *Leuitic. cap. 20. Deuteron. cap. 22. Ioannis cap. 8. Danielis cap. 13. l. probrum 41. ff. de ritu nupt. cap. quid in omnibus, 32. q. 7.* D. Ambrosius *lib. de Abraham, c. 2. & 7. l. auxilium, §. in delictis, ff. de minor.* Vlpianus *in frag. tit. de dotib. §. inter atrociora*. Stobæus *sermonum cap. 6 Non est adulterio maius vllum malum*. Dicitur sacrilegium nuptiarum *in l. quamuis, ff. hoc tit.* Faciunt Nicostratus *in lib. de nupt. Quanta turpitudo, nequitia, & iniustitia sit in adulterio, quantùm vtrique sexui ignominiæ inurat, &c.* Clemens Alex. *lib. 3. Pædagog. cap. 2.* Pelusiota *lib. 3. epist. 76.* Inter atrociora, & immania scelera recensetur *in l. 1. Cod. Theodos. quorum appel.* Vnde adulteri non gaudent indulgentia Paschali, *l. 4. 6. 7. 8. eod. Cod. de indulg. crimin.* vbi Gothofr. Illustrant Palatios Rubios *in repetit. rubric. de donat. inter, §. 77. nu. 3.* Vega *in cap. 4. 5. de adulter. iudic.* qui asserunt, adulterium esse homicidio grauius: & probare intendunt *ex l. codicillis 88 §. matre, ff. de leg 2.* Quod admittendum non est; nam reuera adulterio grauius est homicidium, vt constat *ex cap. si quis verius, 33. quæst 2.* Nec contrarium probat Consultus *in d. § matre*; nam omissa interpretatione asserentium, leuius in ea specie fuisse homicidium, quia necessarium fuit ad defensionem propriæ substantiæ, cùm occisus rapinam fecerit proprio occisori, argumento legis *2. ff. ad leg. Aquil. c. 2. de homicid.* quia illa verba, *dum ei rapinam facit*, potiùs ponuntur à testatore ad augendam malitiam fratris homicidæ; filius enim rapinam faciebat, idest locum parabat ad rapas ferendas; id enim significat interdum rapinam facere, vt docent Columella *lib. 2. c. 2.* Cato *de re rustic. c. 31.* & Pulueus *in libello de re alienat.* Veriùs respondendum est, illa verba non esse accipienda comparatiuè, nec significare fratrem adulterium vxoris commisisse, cùm testator vxorem appellauerit Charissimam in principio testamenti; sed accipienda esse positiuè: *Sed & alia mihi deteriora fecit*. Hoc est, sed & alia mala mihi fecit: sic enim Cicero *in oratione pro Balbo*, dixit: *Hoc illi deterius contigit*; vt explicat D. Ioannes Vela *de delict. cap. 1.* Nec tunc obstat textus *in cap. 4. §. de adulterijs, de iudicijs*: cuius interpretationem in eius commentario dedimus. Denique satis ostendit huius criminis grauitatem Vlpianus *in l. probrum 42. ff. de V. S.* vbi appellat adulterium probrum naturę, quia per illud inuiolabilia iura matrimonij confunduntur, ac deturbato parentis sanguine, ordineque naturæ, incerti auctores vitę redduntur. Quod ea ex causa adeò abhorruerunt bruta animalia, naturæ communi nexu illigata, vt adulteri sanguine sparso proprij thori vindicarent iniuriam, vt de leone refert Plinius *lib. 8. c. 16.* de elephante Ælianus *lib. 1 hist. anim. cap. 15.* de turture Cassiodorus *lib. 5. var. c. 33.* de alijs idem probant Tiraquellus *in l. 13. connub.* Beyerlinch *in theatro vitę hum. tom. 1. verb. Adulterium*, Theophilus Raynaud. *tom. 4. lib. 3. sect. 3. c. 6. fol. 397.* Lorinus *in c. 20. Leuit.* Broseus ad Cassiodor. *d. epist. 33.* Ferrandus Eduensis *in l. inter liberos, ff. ad leg. Iul de adult.* Inde etiam prouenit, nec fœminam, nec militem excusari in hoc crimine, *l. 2. §. si simul 8. l. mariti 29. in princip. l. vim 39. ff. hoc tit.* cùm agatur de crimine inspirante natura damnato, ac huius primæua fœditatis inspectione. Nec releuat eum rusticitas, *l. 2. de iure fisci, l. 3. §. etsi 22. ad Syllan. l. quicunque 8. Cod. qui admitti*: nec etiam minor ætas, quia in executionibus pœnarum cessat legis auxilium, *l. auxilium 37. ff. de minor.* Seldenus *lib. 2. de vxor. Hebr. cap. 12.*

Inde etiam suadente ipsa natura adulterium vindicatum fuit varijs pœnis, etsi inultum legamus apud aliquas barbaras gentes, quas refert Roman. *2. part. Respub. Gentil. cap. 11.* Procopius *in histor. arcan. fol. 77.* Apud Hebræos enim adultera comburebatur, *Genesis cap. 38. vers. 24.* lege Moysis ita cauebatur: *Quicunque mœchatus fuerit cum vxore proximi sui, morte moriatur*. Vnde apud eos adulteri lapidari cœperunt. *Leuitici cap. 2. Exodi cap. 22. Deuteron. cap. 22. Danielis cap. 13. Ioannis cap. 8. Marci cap. 10.* D. Paulus *1. ad Corinth cap. 6.* Apud Ægyptios in adulterio deprehensus virgis cædebatur ad mille plagas: mulier naso mutilabatur. Diodorus Siculus *lib. 2. Bibliotb. cap. 3.* De Vandalis ita ait Saluianus *lib. 7. de prouidentia*. *Addiderunt quoque ad libidinem comprimendam seueras pudicitiæ sanctiones, gladio impudicitiam coercentes, vt puritatem scilicet vtriusque sexus, & domi connubio reseruaret affectus, & in publico metus legum; ac sic in duplici præsidio castimonia niteretur, cùm & intus esset quod amaretur, & foris quod timeretur*. Parthos refert Iustinus *lib. 41.* nulla delicta adulterio grauius, aut seuerius vindicasse. Lydij adulteram sine venia & misericordia puniebant. Ælianus *lib. 17. hist. c. 12.* Apud Danos parte corporis spoliati adulteri necabantur. Saxo *lib. 5. de rebus Dan.* Apud Locrenses adulterij damnatus vtroque oculo priuabatur, vt refert Valerius Max. *lib. 6. cap. 5.* Germani adulteram abscissis crinibus nudatam coram propinquis expellebant, vt tradit Tacitus *de moribus German.* quorum ius nouum refert Henelius *de dotal. vbi suprà*. Omitto pęnas apud alias nationes statutas, quas referunt Petrus Gregor. *lib. 36. syntag. c. 6.* Tiraquel. *in l. 13. connub.* Bocerus *de adulterio c. fin.* Ant. Matthæus *de crimin. tit. ad leg. Iul. de adult.* Vt ad ius ciuile Romanorum perueniamus, apud eos primus Romulus ita sanxit: *Adulterij conuictam vir, & cognati vti volent necanto*. Plutarchus *in vita Romuli*, Halicarn. *lib. 1.* Liuius *lib. 39. cap. 28.* Valer. Max. *lib. 6 c. 3.* Gellius

7 *De pœnis adulterij.*

Gellius lib.10. noctium, cap.23. Sed hæc sanctio seuera visa est statim Romanis; ideò Numa Pompilius leuiorem legem tulit his verbis: *Pellex sedem Iunonis ne tangito; si tetigerit, crinibus demissis agnam fęminam cædito*. Gellius lib.4. noct. cap.3. Festus Pompeius lib.1. de V.S. Posteà verò crescente matronarum luxu, varijs pęnis vindicatum fuit adulterium: aliquando pœna capitis. Liuius lib.7. Valerius Maximus lib.8. cap.2. Sæpiùs mulcta. Suetonius in Iulio, cap.2. & 48. Tacitus lib.2. histor. Plerumque relegatio extra ducentesimum lapidem irrogata fuit, donec Augustus legem Iuliam rogauit, quæ ab eius latore Iulia dicta fuit; quia Augustus Iulij nomen adoptione sortitus fuerat, de qua agunt Consultus in leg.1. ff. ad leg. Iul. de adult. Suetonius in August. cap.34. Horatius lib.4. carminum, od.5. qua lege stabilita fuit pęna tantùm relegationis, leg. si quis 5. ff. de quæst. leg. miles 11. ff. hoc tit. non autem pęna capitalis statuta fuit. Vnde D. Augustinus lib.10. de Ciuit. Dei, cap.5. aiebat, adulteria Romæ morte non fuisse punita antiquitus: & Apuleius lib.9. ait: *Ac ne iuris quidem seueritate, lege de adulterijs ad discrimen vocabo capitis*. Faciunt lex 4. §. Adulterij, ff. de re milit. leg.13. ff. de his quibus vt indign. leg.14. ff. de testibus. Paulus libr.2. sententiar. tit.26. §. adulterij. Non tamen ea lege abrogata fuit facultas imponendi pęnam capitalem, exacerbata vltione certis casibus, veluti adulterio commisso cum incestu, leg. si quis viduam 5. ff. de quæst. & in casu textus in leg. miles 11. ff. hoc tit. Vnde pęnam capitalem lege Iulia de adulterijs perpetraroribus impositam fuisse supponitur in leg. transigere 17. Cod. de transact. l. de crimine 9. Cod. hoc tit. leg. si vir, C. Theodos. eod. tit. l.2. Cod. Theodos. de indulg. apud Arnobium lib.4. contra Gentes, ibi: *Adulteria legibus vindicant, & capitalibus eos ad officium pęnis, quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione iecisse*. Saluianum lib.7. de prouid. Iuuenal. Satyr.2. vers.9. Virgil. 6. Æneid. Ammian. Marcel. lib.28. Apuleium lib.9. Metamorph. *Ac ne iuris quidem seueritate, lege de Adulterijs ad discrimen vocabo capitis*. Et ita capitalem pęnam lege Iulia impositam esse docuerunt Cuiac. lib.21. obseruat. cap.17. Gedeus in leg. inter 101. ff. de V.S. Marc. Lyclama lib.2. membran. eclog.3. & 10. Henell. de dotal. vbi suprà, fol.283. Deinde lex hæc Iulia de adulterijs, vt vocatur in leg.5. ff. hoc tit. leg.3. & 17. Cod. eod. leg. auxilium 38. §.10. ff. de minor. apud Saluianum lib.7. de prouid. vel de pudicitia, vt dicitur in leg. 8. & 9. Cod. hoc tit. apud Suetonium in Augusto, cap.34. inter publica iudicia recensita fuit, l.2. §. si in publico, ff. hoc tit. l.2. Cod. Theod. eodem, §. item 7. Institut. de public. iudic. Inde damnatus lege Iulia infamia notabatur, l. maritus, 24. ff. hoc tit. & ita priuilegijs hominis integræ frontis priuabatur, l. infamem 7. ff. de public. iudic. l.1. ff. de his qui notantur infam. l.5. ff. de calumniat. ideòque testis in testamento adhiberi non poterat, l.13. 14. & 18. ff. de testib. Etiam eadem lege ius occidendi adulterum patri, ac marito datum fuit, l. patri, 20. cum seq. l. nihil 32. in princip. ff. hoc tit. l. Gracchus, Cod. hoc tit. l.4. §.2. ff. de his qui notant. infam. Paulus lib.2. sentent. tit.17. §.1. & 2. & lib. singul. de adult. plura de ipsa lege Iulia congesserunt Cuiac. lib.6. obseruat. cap.14. I. Gothofred. ad leg.4. C. Theodos. quorum appell. Henel. de dotalitio, c.10. Arniseus de iure connub. cap.5. Borellus tom.3. decis. tit.6. Brissonius ad l. Iul. de adult. Ant. Matth. de crimin. ad eundem tit. Forner. lib.3. rer. quotid. cap.9. & lib.4. c.16. & lib.6. cap.9. Anastas. Germon. lib.2. animadu. cap.4. Demsterus ad Rosinum lib.8. cap.24. Mancinus lib.1. de triplici iuris collat. cap.46.

8 De penis capitis. Manet ergo, lege Iulia impositam non fuisse pęnam capitis, etsi ea lege abrogata non fuisset potestas imponendi pęnam capitalem in atrocioribus adulterijs: quo modo conciliari possunt variæ Doctorum opiniones circa auctorem huius pęnæ capitalis ob adulterium. Nam Constantinum auctorem fuisse huius pęnæ mortis in leg. quamuis 30. C. hoc tit. in illis verbis: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet*; existimarunt Brisson. lib. singulari de hac lege, pag.105. P. Faber lib.1. semestr. cap.4. Ant. Faber lib.2. coniect. c.20. Pitheus in collat. legum Mosaic. tit.4. de adulterio, Marsil. & Ritherursius in §. item lex, Instit. de public. iudic. Ant. Matth. de crimin. ad lib.48. Pandect. tit.3. de adult. c.2. n.1. Vnde docuerunt Brisson. vbi supra, Balduinus de legibus Constan. pag.192. verba quæ extant in l. castitatis 9. C. hoc tit. (quæ auctorem habet Alexandrum Imperatorem) ibi: *Qui autem adulterij damnatam, si quocunque casu pęnam capitalem euaserit, sciens duxerit, vel reduxerit eandem, ex causa lenocinij punietur*; esse Triboniani, non autem Imperatoris, cuius etiam esse verba illa, excepto adulterio, in lege transigere, C. de transact. docuit A. Faber lib.2. coniectur. cap.20. Sed rectiùs Cuiac. lib.20. obseruat. cap.18. affirmat iuxta suprà tradita, quòd quamuis lege Iulia de adulterijs pęna capitis statuta non esset in adulteros, nihilominus quandoque extra ordinem adulteros capite damnatos fuisse, vt fecit Augustus cum Iulio Antonino. Vnde Alexander Imperator in dict. leg. castitatis, quia suo tempore incæperant obsolescere adulterij pęnæ, & lex Iulia dormire, vt aiebat Iuuenalis Satyr.2. vers.27. ipse ait, castitati, & disciplinæ suorum temporum conuenire, vt lege Iulia damnata, in legitimis pęnis perseueret; hoc est, vt illi imponantur pęnæ, non solùm quas lex Iulia sanxit, verùm & capitalis, si grauitas sceleris exigat: & ideò subiunxit ea verba: *Eum, qui fortè non damnatam capite, quæ casu quodam euaserit pęnam capitalem, duxerit, vel reduxerit, tanquam lenonem reliqui pęnis legis Iuliæ*. Quo modo etiam intelliguntur textus in d. l. transigere, l.4. C. Theodos. quorum appellat. l.2. C. de iudic. reliquorum. Itaque Constantinus in dict. l. quamuis 30. capitalem pęnam in hoc delicto minimè de nouo introduxit, sed iam velut obsoletam, ac sepultam postliminio quasi reduxit. Etiam ex nouella 32. Leonis adulteri truncatione narium, aut aurium plectebantur: hinc lepidè Martialis lib.3. epigr.85. ait:

Quis tibi persuasit nares abscindere mœcho?
Non hac peccatum est parte, marite, tibi.
Stultè quid egisti?

Iustinianus verò in nouella 134. gladij pęnam in viros quidem retinuit; adulteræ verò remisit verbera, eamque in monasterium detrudi voluit: inde est authentica Sed hodie C. hoc tit. à qua non admodùm dissimile est ius nostrum Septempartitum; nam in l.15. tit.17. partit.7. statuitur, vt adulter ad mortem damnetur, adultera verò vapulata in monasterium detrudatur: & nouioribus legibus, videlicet l.2. tit.15. lib.8. ordin. l.80. Tauri, leg.4. tit.20. lib.8. recopil. adulteri traduntur marito puniendi vnà cum omnibus bonis suis, instaurata lege 1. tit.7. lib.5. fori Iudicum. Explicant Villadiego, Anton. Gomez, Didacus Perez in eiusdem legib. Iul. Clarus, & Bayardus ibi, verbo Adulterium, Bossius in tit. de raptu. Et quomodo adulterium probetur, vt pęnis his locus sit, explicant Quesada qq. iuris q.16. Paz in l.12. styli, Borell. to.3. decis. tit.6.

Vt ad pęnas adulterij ex iure canonico perueniamus, priscis Ecclesiæ canonibus publica pęnitentia adulteris imponebatur, c. si quid 23. q.2. immò & aliquando communio etiam in fine denegata fuit, vt probaui in c.1. Conc. Illiberit. Etiam iure canonico approbata fuit pęna per Iustinianum statuta in nouella 134. c.10. videlicet detrusio in monasterium, c. intelleximus, hoc tit. c. gaudemus, de conuers. coniug. c. consuluit, de appell. Salcedo in praxi, c.85. 9 De penis & iure Canonico

Facultas autem occidendi adulterum omninò denegata fuit, cap. admonere, c. quicunque, c. si quid, 33. q.2. docent Basil. lib.9. de matrim. c.15. Escobar de vtroque foro, §.7. Diana p.3. tit.4. resol.223. Mendo in statera, differt. q.2. Prado tom.2. Theolog. Moral. c.20. q.1. §.4. latè Gibalin. to.2. de negotiatione, lib.6. c.6. art.1. regul.2. Theoph. tom.4. lib.3. sect.3. c.6. fol.389. Couarr. 2. p. de matrim. c.7. §.7. Fornerius 3. rer. quotid. cap.10. Licèt si maritus clericum cùm vxore inuenerit, & percusserit, non debeat pro absolutionis beneficio Sedem Apostolicam adire, cap.3. de sent. excommun. Couarruu. 2. part. de matrimon. cap.2. §.7. quia inconsideratè, & iusto dolore motus hoc fecit, vt ait Consultus in leg. nec in ea, ff. hoc tit. Etiam propter adulterium vxor priuatur dote, & maritus adulter amittit dotalitium, seu donationem propter nuptias, vt latè probaui in cap. plerunque, de donat. inter. Tandem propter adulterium alterutrius ex coniugibus matrimonium dissoluitur quoad thorum, & mutuam cohabitationem, c. interueniente, cap. Apostolus, 32. q.7. nisi vterque adulterium commiserit, cap. significasti cùm seq. hoc tit. vel maritus vxorem prostituat, cap. discretionem, de eo qui cognouit consang. nisi animum committendi adulterium non habuerit, scilicet cùm per errorem ab eo, quem maritum esse credebat, fuit cognita, cap. in lectum 34. quæst.1. vel per vim oppressa, cap. proposito, 32. q.5. vel si maritum credens esse mortuum, alij nupserit, cap. cùm

Digitized by Google

per bellicam, *quæst.*1. vel si vxor tempore infidelitatis à viro repudiata cum alio consummauerit matrimonium, nam si ambo ad fidem Catholicam conuertantur, non poterit repudians obijcere coniugi repudiato consummationem illius secundi matrimonij, *cap. gaudemus de diuortijs*. His tamen casibus exceptis licitè ob adulterium diuortium fit quoad thorum, iuxta legem diuinam, de qua D. Matthæus *cap.*19. Quod prouenit ex natura ipsius matrimonij, quia cùm coniuges teneantur mutuam sibi seruare fidem, vt probaui *in cap.fin. de condit. apposit.* iustè coniux innocens separatur à cohabitatione cum nocenti, nec tenetur cum eo iuxta promissa cohabitare, argumento textus *in cap. peruenit* 3. *de iureiur. l. fidem*, *ff. de transact.* iunctis traditis à Barbosa *axiom.*98. Vt autem diuortium hoc fieri possit, debet præcedere adulterium, copula habita cum tertia persona, ob quam caro diuidatur. Vnde infertur, non sufficere ad diuortium adulterandi animum, nisi opere subsequuto. Leander 2.*par. de sacram. disput.*26.*q.*7. nec etiam oscula, aut similes amplexus præstare causam diuortio, etiamsi adulterandi animo habeantur, *cap. lex*, 27.*quæst.*2. Salmut. *ad Pancirolam lib.* 1. *tit.*46. Nec etiam sufficiunt ad hoc diuortium peccata contra naturam perpetrata ab altero ex coniugibus, quia diuisionem carnis, quæ ad adulterium desideratur, accipimus pro eâ, quæ iuxta vsum naturalem habetur, vt pluribus relatis docet Leander *dict. disp.*26. *quæst.* 11. licèt contrariam sententiam in praxi tenendam esse dicat Trullench. *de matrimon. cap.*12. Hæc autem facultas deserendi adulterum reciproca est, itavt non solùm maritus diuertere possit ab vxore ob eius adulterium, verùm & vxor ob adulterium viri, *cap. fin.* 32. *quæst.*5. *c. placuit*, 32.*q.*7. Cùm enim vterque æqualiter sibi ad inuicem ad fidem ex iustitia seruandam obligentur, sicut vir innocens potest dimittere vxorem adulteram, ita & vxor discedere valet à viro adultero, vt contra Caietanum probat Leander *d. disp.*26. *q.*3. Nec vllum tempus præfinitum est, intra quod coniux innocens possit deserere nocentem; sed licitum est innocenti quocunque elapso tempore diuortium petere, *cap. admonere*, 33.*quæst.*2. Licèt enim ius accusandi adulteram legitimo tempore præscribatur, *l. adulter. C. hoc tit.* tamen quoad petendum diuortium nulla temporis præscriptio admittitur. Basil. Legion. *lib.*9. *de matrim. c.*16. *n.*4. An autem propria auctoritate liceat dimittere adulteram, & alia de hoc diuortio, exposui *in cap. significasti, de diuort.*

10 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis, ratio præsentis assertionis, quare videlicet teneatur maritus dimittere vxorem adulteram, prouenit ex eo, quia eam retinendo præstat ansam suspicandi suo consensu adulterium commissum fuisse; & qui retinet adulteram, particeps creditur ipsius criminis, & patronus turpitudinis censetur, *cap. quemadmodum*, §. 1. *de iureiur.* & ideò Domitianus Imperator Equitem Romanum ob reductam in matrimonium vxorem, cui dimissæ adulterij crimen intenderat, erasit è iudicum albo, vt refert Sueton. *in Domitiano*, *c.*8. Vlpian. *in l.*2. §. *vnde quæri*, *ff. hoc tit.* Claudium Gorgum virum clarissimum, cùm deprehensam in adulterio vxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore lenocinij damnatum fuisse à Seuero refert Laonicus. Chalcondillas *lib.*3. *de rebus Turcis*, ait apud gentes quasdam diram esse, & infamem imprecationem illam, vt quis repudiatam vxorem iterum recipiat. D. Paulus, qui inter priscos monachos vitæ sanctitate, & morum auctoritate claruit, non aliam instituti sui, & solitarij voti occasionem habuisse fertur, quàm quòd vxorem in adulterio deprehensam retinere nolens, in solitudine, & desertis locis monasticam vitam professus obijt, vt refert Nicephorus Calixtus *lib.*8. *hist. c.*40. Solonis lex maritum adulteram retinentem infamia notauit. Demosthenes *in orat. contra Nicætam*. Iure ciuili lex Iulia coercet eum, qui non statim post adulterium vxorem dimittit; siue eum, qui in adulterio deprehensam retinet, *l. mariti* 29. *ff. ad l. Iul. de adult.* quia hoc lenocinij loco habet, *l.*2. *C. eod. tit.* eademque, qua & adulterium, pœna persequitur, *l. auxilium*, *in fine*, *ff. de minor. l.*3. §. *etsi*, *ff. de accusat.* & hinc Paulus *lib.*2. *sent. tit.*27. in hæc verba scribit: *Eum, qui deprehensam in adulterio vxorem non statim dimisit, reum lenocinij postulari placuit*. Tantam enim mariti lenitatem, qui vxori matrimonium violanti non irascatur, adulterumque in ipsa turpitudine deprehensum non coerceat, non esse ferendam lex existimauit; & ita in lenocinij crimine iure optimo ponit, quandoquidem aut lenonem esse, aut planè ferreum necesse est, cui scienti, prudentique sine dolore tanta iniuria infertur. Atque in Claudium Gorgum clarissimum virum, cùm deprehensam in adulterio vxorem retinuisse detectus esset, sine accusatore damnatum lenocinij Vlpianus refert *in l.*2. §. *vnde*, *ff. ad l. Iul. de adult.* Nec reprehensione caruisse illam Tribuni militum patientiam, qui post delatum adulterium vxorem retinuerat, quasi contentus æmulum remouisse, narrat Plinius *lib.*6. *epist. ad Cornel.* docuerunt Reuardus *lib.*4. *variar. cap.*6. Brissonius *ad leg. Iul. de adult. pag.*183. Vnde rectè in præsenti docetur, maritum teneri dimittere vxorem adulteram, vt ita vitetur scandalum, quòd eo sciente, & patiente adulterium perpetrauit. Inde infertur, maritum non teneri vxorem dimittere, quando adulterium ita occultum est, vt probari nequeat, cùm in hoc casu cesset ratio scandali, vt docuerunt Glossa *verbo Patronus, in c.* 1. 32.*quæst.*1. Alberic. *in dictionario verbo Matrimonium* 8. *vers. Quod si aliquis*, Turriscrem. *in c. Apostolus* 32.*q.*7. *art.*2. Inde etiam deducitur, vxorem non teneri dimittere maritum adulterum, pertinacem, & publicum; nam cùm scandalum prorsus cesset in vxore non dimittente virum adulterum, cùm vxores ægrè ferant, vt viri alijs commisceantur, non tenentur dimittere virum adulterum, vt docet Sanchez *lib.*10. *de matrim. disp.*14. *n.*29. Nec tunc obstat textus *in cap. si quis vxorem*, el 1. 32.*quæst.*1. vbi docetur, virum, & vxorem æquales iudicari quoad obligationem diuertendi propter adulterium vtriusque; nam intelligendus est quoad facultatem diuortij celebrandi ratione adulterij, non autem quoad obligationem diuertendi. Tandem infertur, non teneri maritum diuertere ab vxore eo casu, quo scandalum inde consurgens alijs remedijs auferri valeat, vt docet Sanch. *d. disp.*13. *num.*15.

Vt rationem secundæ partis præsentis assertionis assignemus, sciendum est, quòd licèt iure ciuili attento maritus vxorem adulteram, & dimissam iterùm recipere nequiret, *l. castitati*, *C. ad leg. Iul. de adult.* tamen ad eam redire valebat post abolitionem criminis, *leg. generali* 34. §. *ream*, *ff. de ritu nupt.* aut si maritus ab accusatione destitisset, *l. fine* 27. *ff. de adult.* quam exponit Dartis *in* 32. *q.*1. *ad fin.* & cùm per pœnitentiam delicta aboleantur, rectè potest maritus vxorem adulteram, sed pœnitentem recipere. Et licèt non teneatur ex iustitia eam pęnitentem recipere, tamen tenetur ex charitate, de qua charitatis obligatione accipiendi sunt textus *in cap. quòd autem*, 32.*q.*1. *c. de benedicto*, *cap. ego dixi*, 35. *q.*1. & præsens textus *in verbo Debet*. D. Bonauent. *in* 4. *dist.*34. *art.*1. *q.*5. docuit Basilius *lib.*9. *de matrimon. cap.*19. Germonius 1. *animad. cap.*8. etsi contrarium defendat Arniseus *de iure connub. cap.*5. *sect.*9. intendens probare, in his verbis tantùm consilium contineri, & nunquam debere innocentem recipere nocentem. Si autem velit innocens nocentem recipere, tenetur nocens eum sequi, quia à sententia diuortij tantùm prolata est in fauorem innocentis. Sunt etiam casus, in quibus innocens omninò cogitur recipere peccatricem emendatam. Primus est, si suspectus sit de propria incontinentia. Secundus si innocens etiam adulterium commisit ante, vel post sententiam diuortij, quia tunc etiam innocens infert iniuriam coniugi dimisso, & paria delicta mutua compensatione tolluntur, *l. viro*, *ff. soluto matrim.* ideò innocens post adulterium tenetur recipere coniugem dimissam, *cap. ex litteris*, *de diuortijs*, *c. penult.* & *fin. hoc tit.* Nec interest quod sententia diuortij iam prolata sit, quia cùm talis sententia respiciat statum præsentem, iuxta quem prolata est, non tollit ius compensationis, si innocens adulterium committat. 11 *Traditur ratio secundæ partis assertionis.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius solutione examinandum est, an maritus statim ac agnouit vxorem adulteram esse, teneatur eam dimittere, ac deserere? Et distinguendum est inter adulterium occultum, & publicum. Primo casu potest maritus vxorem retinere, & cum ea cohabitare, *cap. de benedicto*, *cap. quod autem*, *cap. non erit*, *cap. apud misericordem*, 32. *quæst.* 1. nisi animum habeat ascendendi ad sacros ordines, quia cùm irregularitatem contrahat, si eam posteà cognoscat, *cap. si laici*, 34. *dist.* tenetur eam abijcere. Secundo verò casu, cùm adulterium notorium est, propter scandalum quod inde nascitur, & quia eam retinendo patronus turpitudinis videtur, ideò iuxta suprà tradita tenetur ipsam adulteram dimittere, immò & si cùm ipso scandalo eam retinuerit, per triennium pęnitere debet, *cap. si quis vxorem* 6. 31. *q.*1. Basil. Legionensis *lib.*9. *de matrim. cap.*18. 12 *Dissoluitur dubitandi ratio.*

Adhuc

13 Exponitur cap. quemadmodum, §. illud, de iureiur.

Adhuc suprà traditæ assertioni obstat textus *in c. quemadmodum, §. illud, de iureiur.* vbi proponitur quendam maritum iurasse, nunquam se deserturum vxorem suam pro nullo crimine. Consultus fuit Innocent. III. an tale iuramentum seruandum esset, necne. Et respondet summus Pontifex, simile iuramentum temerarium esse, quia si mulier infidelis sit, & nolit cohabitare sine contumelia Creatoris, debet illam deserere, & accusare; & nisi se corrigat, dimittere. Consequitur alter casus, quid si iurauerit, se non accusaturum, aut deserturum propter crimen adulterij? Et quæritur vtrùm tale iuramentum sit obseruandum, necne? Et respondet Innocent. III. tutius esse iuramentum obseruare, & vxorem peccatricem ad pęnitentiam reducere. Quem textum ita expendo. Si maritus teneretur vxorem publicè adulteram adhuc non peracta pœnitentia deserere, non valeret iuramentum in contrarium factum, tanquam illicitum *ex cap. in malis, cap. iuravit, c. Innocens 22. q. 4. c. Quintauallis, cum alijs, de iureiur.* Ergo maritus non tenetur vxorem adulteram dimittere. Quam difficultatem vt aliqui dissoluant, asserunt, maritum eo casu posse deserere vxorem, tutiùs tamen facere, si eam non deseruerit, itavt verbum *tutiùs*, in eo textu consilium, non præceptum inducat, vt *in c. commissum, de sponsal.* Sed hæc solutio sustineri non potest, quia veriùs est, in eo textu verbum *tutiùs*, inducere necessitatem, quia in his rebus, quæ ad salutem animæ spectant, multò veriùs est, teneri nos ex præcepto tutiùs eligere, *c. ad audientiam, de homicid.* Deinde quia iuramentum seruari debet semper ac quando nullum datur dispendium salutis æternæ, *cap. debitores*, cum alijs ibi adductis, *de iureiur.* Ergo in specie illius textus debet omninò iuramentum seruari. Quare Anguianus *de legib. lib. 3. c. 21.* docet in specie illius textus non teneri maritum vxorem deserere, quia cùm iuramentum illud emittendo renunciasset iuri suo, quod eius fauore introductum erat, ideò tale iuramentum validum fuit; & cùm ratione illius iuramenti maritus non desereret vxorem, vlla lenocinij suspicio dari non poterat, nec præsumi ex eius voluntate adulterium committi.

Etiam suprà traditæ assertioni opponi potest textus in canone 65. Concilij Illiberit. ibi: *Si cuius Clerici vxor fuerit mœchata, & sciat eam maritus suus mœchari, & eam non statim proiecerit, nec in fine accipiat communionem, ne ab his qui exemplum bonæ conuersationis esse debent, videantur magisteria scelerum procedere.* Igitur laici, in quibus bona conuersatio ad exemplum aliorum non desideratur, non tenentur vxores adulteras statim dimittere. Augetur difficultas ipsius canonis ex Concilio Toleran. 8. *can. 7.* relato *in c. placuit, 33. q. 2.* vbi in eadem specie docetur, clericos non debere eijcere vxores peccantes, ne fortè illis maiorem peccandi licentiam præbeant; sed potiùs in domo retinere, ieiunijsque, & alijs pęnis eas coercere. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est *in dict. c. 63. Concil. Illiberit.* tantùm iuberi Clericis vxorem peccantem dimittere, quia de laicis idem districtiùs cauebatur *in can. 70. eiusdem Concilij, ibi: Si conscio marito, & ipso consentiente fuerit vxor mœchata, placuit nec in fine eis dandam esse communionem: si verò eam reliquerit, & separati fuerint, & dignè pęnituerint, post decem annos accipiant communionem.* Vbi de lenocinij turpitudine nonnulla notaui: & licèt deesset hæc constitutio, adhuc argumentum à contrario sensu deductum non obstat, cùm sequeretur absurdum. Nec obstat textus *in d. c. placuit.* Nam in eo canone expressè iubetur, vt clericus mulierem peccatricem à cohabitatione abijciat, nec cum ea cibum sumat: iubetur tamen, vt in domo propria, tanquam in carcere priuato, vt exponit Forner. *lib. 3. rer. quotid. c. 10.* eam retineat, vt ieiunijs, & alijs pijs operibus maceretur; non tamen quia cum ea cohabitare possit.

14 Exponitur can. 65. & 70. Conc. Illiberit.

C A P V T IV.

Ex Concilio a *Parisiensi.*

MAritis etiam ex *b* suspicione vxores accusare permissum est: & ipsi plus cæteris de adulterio & accusare possunt, & *c* defendere.

N O T Æ.

1 a PArisiensi.] Etiam ex Concilio Parisiensi citatur textus hic a Burchardo *lib. 6. Decr. tit. 3. c. vlt.* in prima autem collectione, *sub hoc tit. c. 5.* Igitur *Alexander III. Parisiensi Episcopo.* Quam inscriptionem veriorem credo, cùm in nullo ex Concilijs Parisiensibus hucusque editis reperiantur verba in præsenti transcripta: & forsan hic refertur fragmentum alicuius Epistolæ missæ ab Alexandro III. Parisiensi Episcopo. De Parisiensi diœcesi nonnulla adduxi *in cap. fin. de rescript.*

2 b *Ex suspicione.*] Licèt regulariter ex sola suspicione nullus accusandus, damnandusque sit, *c. multi, 2. q. 1.* D. Thom. *2. 2. q. 60 art. 3.* quia nemo nisi legitimis probationibus, & luce meridiana clarioribus conuictus fuerit, damnari valet, *c. 1. cum seq. 2. q. 1. l. qui sententiam 16. C. de pęnis*: quare secundum Tullium Cassiodor. *lib. 1. variarum, epist. 3.* Siculæ gentis naturam damnat, vt quæ facilior ad querelas, etiam de suspicionibus accusare soleat; proinde maritus lenocinij crimine teneri dicitur, si vxorem in ipso scelere deprehensam, non verò si suspectam de adulterio retinuerit, *l. 2. C. ad l. Iul. de adult.* Tamen interdum ex suspicionibus proceditur, & quis damnatur. Vnde Imperatores *in l. 2. C. de hæret.* eos etiam, qui vel leui argumento detecti fuerint ab orthodoxæ religionis tramite deflexisse, vt hæreticos damnant, & quandoque criminum suspicionem pariter, ac ipsa crimina vitari iura præcipiunt, *l. 2. l. ciuile 5. C. de furtis, l. 2. C. Theodos. de famosis libel.* vbi pro *abdicationem*, reponit, *vindicationem*, Forner. *lib. 1. rer. quotid. c. 26.* Quare ob solam suspicionem accusari posse mulierem adulterij, docetur in præsenti, *& in l. quamuis 30. C. ad l. Iul. de adult. l. vxor. 7. C. de repudijs*: & refert Quintilian. *declamat. 284 de adultero sacerdote*, ibi: *Sed finge me ex suspicione egisse cum illo adulterij, nempe damnatus caruisset sacerdotio*, &c. Hoc enim singulariter admissum est in crimine adulterij, quò magis in officio contineretur pudicitia mulierum, quas non ab adulterio tantùm, sed ab eius etiam suspicione alienas esse oportet; ideò iure ciuili conceditur marito post trinam denunciationem occidere eum, quem de adulterio suspectum habet *nouell. 117. §. his quoque.* Legimus etiam Crispum Constantini Magni filium iam Cæsaris dignitate præditum, ob suspicionem consuetudinis cùm Fausta nouerca à patre occisum indicta causa, apud Suidam verbo *Crispus*, Zonaram *lib. 3. annal.* Et vxorem non tantum ob fornicationem, verùm & ob fornicationis suspicionem, vt accusari à viro, sic & dimitti posse testatur D. Hieronymus *in cap. dixit; 32. quæst. 1.* idque Caio Cæsari contigisse memorat Plutarchus *in eius vita.* Hic enim cum fortè Pompeiam vxorem repudiasset ob suspicionem stupri noctu cum Clodio in sacris Bonæ Deæ commissi; cumque testis in ream ipse citatus, nihil se eorum, quæ obiecta fuerant, nosse respondisset; interrogauit accusator, cur ergo vxorem tuam repudiasti? At ille: *Quoniam*, inquit, *meam nec suspicionibus quidem obnoxiam esse oportere censui.*

c *Et defendere.*] Verba hæc exposui *in cap. tuæ 5. de procurat.*

C O M M E N T A R I V M.

IN præsenti tantùm agitur de accusatione vxoris adulteræ, circa quam varia singulari iure recepta sunt, quæ in alijs publicis iudicijs non procedunt. 3
Et primò licèt ad accusationem publicorum criminum omnes admitterentur, pensatis accusatorum personis, dignitate, ætate, moribus, alijsque causis, *leg. si plures 16. ff. de accusat. leg. 2. leg. 3. §. 1. ff. de popular. action. leg. 3. §. si ad plures 9. ff. de sepulchro violat. leg. 15. §. lege Iulia, l. mariti 29. §. penult. ff. hoc tit.* at in accusatione adulterij proprium, præcipuumque ius fuit mariti, parentisque, atque in primis mariti, cui meritò, ob violatum adulterio thorum, injuriamque pręcipuè illatam, dedit lex

Iulia primum in accusando locum, vtpotè iniuriæ propriæ vindici, ideòque idoneiori accusatori, *l.2. §. si simul 8. l. si maritus 15. in princip. ff. ad l. Iul. de adult.* Tertullian. *de cultu femin. Maritus est castitatis exactor: mulieribus (certò) ratio castitatem persuadet, pena legis imponit, terror maritalis extorquet.* Quintilianus *declamat. 339. Mariti mores excutiant, mariti seueritatem desiderent.* Post maritum, eique deficienti, aut non accusanti, succedit parens, suæ itidem iniuriæ vindex, ob naturale permanens, etiam in matrimonio, pudoris, & amoris vinculum, *d. l. 2. §. 8. l. 4. §. 1. d. l. si maritus 15.* Quòd adeò procedit, vt si maritus præueniatur à patre, vel vir, parensve ab extraneo accusatore, adhuc semoto eo, vt minùs idoneo, debitus cuique ex lege Iulia accusandi locus seruetur. Deinde post maritum admittuntur cæteri necessarij, exclusis extraneis, *l. quanto 30. in princ. C. hoc tit.* Nec contrarium probat textus *in l. 4. §. extraneus, ff. hoc tit.* vbi Vlpianus post maritum, & patrem accusandi facultatem extraneis concedi tradit. Nam respondendum est, Pandectarum iure hac in materia extraneos omnes censeri præter maritum, & patrem, vt constat *ex l. 2. §. marito, §. si simul 8. l. 3. hoc tit.* Noua verò Constantini constitutione relata *in d. l. 30.* cùm extranei arcerentur ab accusatione adulterij, ibi: *Extraneos procul arcemus:* ab hac lege extraneorum eximuntur pater adulteræ, eius frater, & proauus, immò & filij quoque, & consobrini, *ex l. 2. C. Theodos. de adult.* Aliud singulare huius accusationis versatur circa tempus præscriptum ad eam proponendam; nam licèt alijs criminibus accusandis viginti anni definiti sint, *l. querela 21. C. ad l. Corn. de falsis, l. 2. & 3. C. de requrend. reis*, adulterij tamen accusatio quinquennio perimitur; etenim adultero accusando quinquennium computatur ex die admissi criminis; adulteræ sex menses vtiles à die diuortij: qui tamen ita sunt computandi, ne excedant quinquennium continuum ex die admissi criminis numerandum, *l. mariti 29. §. sex mensium, & seq. l. quinquennium 31. ff. hoc tit. l. 5. & 28. C. eod. l. 1. §. accusationem, ff. ad l. Turpil.* Ex his sex mensibus vtilibus, quos adulteræ accusandæ definitos diximus, primi duo, idest sexaginta dies vtiles, dantur marito, patrique ad accusandum iure mariti, vel patris; reliqui verò quatuor menses cedunt extraneis ad accusandum, maritoque & patri, sed iure extranei, *l. 2. §. penult. & vlt. l. 3. l. 4. §. 1. l. 11. §. sexaginta, l. 14. § penult. l. 30. §. 1. ff. hoc tit. l. 6. C. eod.* Enimverò sexaginta hi dies diuersè numerantur in mari, ac in femina accusandis. Etenim quoad adulterum à die commissi criminis computantur, *l. mariti 29. §. sex menses, l. pater 30. §. 1. ff. hoc tit. l. iure 3. C. eod. l. 1. §. accusationem 10. ff. ad Turpil.* quia & statim accusare adulterum licuit. At quoad vxorem non à die criminis admissi, sed diuortij dinumerari dies obtinuit, quia nec ante diuortium maritus, parensve instituebant accusationem, *l. prospexit 12. §. 1. & 2. ff. qui, & à quibus, leg. crimen 11. C. hoc tit.* etsi nouo iure id facere permittatur, *nouell. 117. c. 8. authent. sed nouo, C. hoc tit.* Nec extraneus vxoratam feminam nuptam, ream adulterij postulare poterat, ne liceret cuiuis extraneo bene concordans matrimonium subuertere, nisi simul de mariti lenocinio conquereretur, *l. 11. §. volenti 10. l. constante 26. ff. hoc tit.* Aliud singulare etiam procedit in ipsa accusatione; nam cùm in alijs publicis iudicijs instituendis actor cogatur in libello accusationis subscribere, ex traditis *in c. super his 16. de accusat.* in hac tamen accusatione remittitur marito hæc necessitas, cessante præsumptione calumniæ, *l. is cuius 14. §. penult. & vlt. ff. hoc tit. l. auxilium 37. §. 1. ff. de minor. l. 3. C. de calumn. l. 1. §. quæri, ff. ad Turpil. l. iure 6. C. hoc tit.* Et ita ex calumnia non tenetur, nisi euidentissimis probationibus liqueat, eum habuisse animum calumniandi, *l. si maritus, 15. §. fin. ff. hoc tit.* in illis verbis: *Iure mariti, qui accusant, calumniæ periculum non euitant.* Docent Cuiac. *de præscript. c. 13.* Ant. Matthæus *de crimin. ad lit. de adult. cap. 4.*

Hactenus egimus de accusatione adulterij iure mariti; nunc videamus de accusatione iure extranei ex iudicio publico de adulterijs instituendo. Et quidem elapso prędicto tempore, marito, & patri ad accusandum concesso, vel si intra id tempus constiterit eos accusare nolle, *l. 15. §. si negauerint, ff. hoc tit.* succedebat ex iudicio publico accusatio, & cuilibet extraneo ex populo concedebatur, *l. 2. §. vlt. l. 4. §. extraneus, ff. hoc tit.* & marito etiam intra id tempus iure extranei accusare vxorem licebat, modò subscriberet in accusatione, *l. 3. C. de calum.* non tamen contra elapsum tempus accusationis iure meriti restituitur maritus minor, quoniam, vt eleganter Papinianus ait, restitutionis auxilium exequutionibus pęnarum paratum non est, *l. auxilium 37. §. 1. ff. de minor. l. si cum 10. §. 1. ff. si quis caution. l. 1. §. qui lege 2. ff. ad l. Iul. de ambitu, l. qui 35. l. pœna 42. ff. de cond. indeb.* Arcentur tamen ab hac accusatione iure extranei serui, libertiue contra patronum, qui de adulterio accusare nequeunt, *l. 7. ff. ad l. Iul. Maiest. l. 6. ff. de accus. l. 26. §. vlt. C. qui accusare, l. quoniam, C. de test.* sicut & lenocinio, vel infamia notatus; censuit enim Augustus inter idoneos accusatores in criminibus publicis admitti non debere eos, quos vel status, vel natura indignos facit, *l. qui accusare, ff. de accusat. l. vlt. C. qui accusare, l. 38. §. vlt. ff. de adult.* Vnde quamuis generaliter, & propter ætatem excludantur à quocunque criminali iudicio (si immanissimum Maiestatis scelus excipias) fœmina, pupillusue: tamen speciali iure in adulterio, in quo robustæ ætatis accusatorem exigimus, ab accusando arcemus minorem, *l. si quis 15. §. lex Iulia 6. ff. hoc tit. leg. cùm Prætor, ff. de iudic.* Vlteriùs accusatio hæc iure extranei permissa, sicut & illa iure mariti, tempore suo circumscribitur, finiturque, quia post sexaginta dies marito datos, de quibus suprà, cedunt statim alij quatuor menses cuicunque extraneo. Contra reum autem adulterij porrigitur accusatio vsque ad quinquennium, *l. 4. §. extraneus, l. maritus 29. §. sex menses, l. quinquennium 31. ff. hoc tit. l. 5. §. fi. ff. ad l. Iul. de vi, l. 1. §. accusatio, ff. ad Turpil. l. 5. & 28. Cod. hoc tit.* Eo quinquennio elapso accusandi ampliùs ius non est: idque peculiare est in adulterio, quia in alijs, vt in cæteris publicis iudicijs, non nisi vicennio præscribitur accusandi ius, *l. querela 12. C. ad l. Cornel. de falsis, l. 5. C. hoc tit. l. 2. C. Theodos.* & intra annum crimen, *l. submersis 6. C. Theodos. de naufrag.* Alia etiam differentia versatur circa hoc tempus præscriptum ad accusationem adulterij, quia videlicet in adultero accusando tempus continuum est, *l. 1. §. 4. l. mariti, 29. §. 7. ff. hoc tit.* ideòque computantur in eo etiam dies feriati, & in quibus accusator experiri non potuit. E contrario in adultera à die diuortij, & in adultero à die commissi criminis tempus computatur, diesque vtiles sunt, *d. l. 29. §. sex menses.* Adeò autem quinquennio præscribitur facultas accusandi, vt nec eo elapso duret ius mariti, parentisue tempore non consumptum, si fortè tardiùs quàm debuit, accusauit, *d. l. maritus 29. §. sex menses, ff. hoc tit.* & è conuerso etiam mortua adultera vxore ante elapsum quinquennium, permanet accusatio contra adulterum postulatum adulterij, *l. qui donum 8. l. maritus 29. §. quinquennium, ff. hoc tit.* iuxta quæ iuris principia hucusque præiacta rectè Alexander III. in præsenti docuit, maritis specialiter competere ius accusandi vxores, immò hodie extraneis non datur facultas accusandi adulterum, *d. l. 80. Tauri, l. 2. tit. 2. lib. 8. recopil.*

C A P V T V.

Idem a *Carnotensi Episcopo*.

SIgnificasti nobis, quendam Presbyterum cum alterius coniuge diabolico instinctu in Ecclesia frequenter, sicut asseris, dormiuisse; quæ vtique se, & illum sacerdoti cuidam huiusmodi delictum *b* confessus fuisse, publicè tibi detexit. Et hoc ipsum idem sacerdos nomen adulterij celans in præsentia tua dixit. Super quo quid fieri debeat, cùm negante adultero mulier in confessione persistat, ab Apostolica Sede consilium requisisti. Nos ergo iuxta Sanctorum Patrum decreta volumus, vt condignam pœnitentiam adulteræ præfatæ imponens Ecclesiam prælibatam per adspersionem aquæ sanctificando *c* reconcilies. Prædicto autem sacerdoti, ne contra *d* Apostolum,

ſtolum; infirmorum corda mala fama ipſius percutiantur, & ne noſtrum vituperetur miniſterium, ne ſecuriores Presbyteri exiſtentes, prolabantur licentiùs in peccatum, cùm vicinis quinque Presbyteris, quos nolle peierare cognoueris, iuxta arbitrium tuum *e* purgationem indicas. Quod ſi ſe purgare poterit, in officio ſuo permittas ipſum miniſtrare: ſi verò non poterit, ipſum ab officio ſuo ſuſpendere nulla ratione poſtponas.

N O T Æ.

1 a *CArnotenſi.*] Tantùm *Alexander III.* habetur in hac ſexta collectione, & in prima, *ſub hoc tit. c.6.* Sed tam inſcriptionem, quàm literam reſtituo ex Concil. Lateran. vbi *p.50. c.21.* reperitur textus hic. De Diœceſi Carnotenſi egi *in c.3. de tranſact. c.10. de offic. delegati.*

b *Confeſſos fuiſſe.*] Verba hæc expoſui *in cap.2. de offic. ordin.*

c *Reconcilies.*] Iuxta tradita *in c.5. de conſecr. Eccl.*

d *Apoſtolum.*] *Primæ ad Corinthios cap.8. & ad Corinth. cap.9.*

2 e *Purgationem.*] Et ſi regulariter res inter alios acta, vel iudicata, alijs neque noceat, neque proſit, *l. ſæpè, ff. de re iudic.* latè probaui *in cap. penult. eod. tit.* tamen ſi Titius accuſatus ſit de adulterio perpetrato cum Seia, & Titius abſoluatur, poteſt Seia, ſi poſteà accuſetur, ſe defendere exceptione rei iudicatæ pro Titio latæ: quòd ſi condemnatus ſit, ſententia non nocet Seiæ, *l.25. tit.22. partit. 3. l.9. tit.17. partit.7.* vbi redditur ratio huius diſcriminis, & hæc doctrina limitatur, niſi Seia accuſetur de adulterio commiſſo poſt ſententiam pro Titio latam, quia ad delicta denuò commiſſa iudicatum non extenditur: & notat vtrobique Gregorius, deſumi ſententiam hanc ex lege *denunciaſſe 17. §. vlt. ff. ad l. Iul. de adult.* vbi extat eadem deciſio. Verùm benignior fuit lex patria, quàm ius commune; quoniam hæc regula iuxta illud non eſt perpetua, ſed tantùm locum habet fauore nuptiarum, ſi durat matrimònium, quando adultera accuſatur. Cæterùm ſi diſſolutum ſit, veriùs eſt nec prodeſſe, nec nocere ſententiam, *l. adulter, 19. §. eo tempore 2. cum ſeq. ff. ad l. Iul. de adulter.* Quamuis autem ſententia contra vnum lata non noceat alteri, præſumptionem tamen aliquam facit, & ita illi indicenda eſt purgatio canonica, vt in præſenti textu, & *in c. interrogatum, 24. 2. q. 2.* & hoc præiudicium, quod generatur ſocio, eſt tantùm præiudicium exemplaris, ideſt præſumptio delicti, quam vnus iudex ſumit ex ſententia alterius: ſi enim iudex pronunciat Seium commiſiſſe adulterium, de quo cum Titia fuerat accuſatus, non poteſt non moueri alter iudex, qui de cauſa Titiæ cognoſcit, ex ſententia contra Seium lata: quamuis enim exemplis non ſit iudicandum id quod alter iudex iudicauerit, ſed legibus, & iuris ratione, *l. ſed licet 12. ff. de offic. Præſid. l. nemo, C. de ſent. & interl.* hoc intelligendum eſt, vt nullus iudex indiſcuſſa partium iuſtitia, & iuris ratione non librata, exiſtimet acquieſcendum eſſe illi iudicio, quod iure ſimili alter iudex fecit. Tuſchus *practicar. litt. E, concluſ. 543.* Barboſa *axiomat. 86. n.3.* Valenzuela *conſ. 121. n.160.* Sed licèt hæc quæſtio olim controuerteretur apud nos, nullius vtilitatis eſt, quia *ex l. 80. Tauri*, quæ eſt lex 2. *tit. 20. lib.8. recopil.* non poteſt ſeorſim ab altero alter accuſari, ſed ſimul omnes in iudicium trahendi ſunt, & vna ſententia cauſa terminatur. Notarunt Gregor. *in d. l.9. gloſſ.2.* Didacus Perez *in l.2. propè fin. tit.15. lib.8. ordin.* & apud alias nationes idem receptum eſſe dicit Bayardus *ad Iul. Clarum, §. adulterium, ex n.30.* Vnde in præſenti caſu etſi fœmina damnata eſſet adulterij, non ideò talis condemnatio clerico obeſſet; propter infamiam tamen imponitur illi purgatio canonica, de qua agemus *in c.1. de purgat. canon.*

C A P V T VI.

Idem a *Turonenſi Archiepiſcopo.*

INtelleximus per litter s, tam ven. f. n. *b* Pictauien. Epiſcopi, quàm per eã, quæ coram dil. fil. A. Subdiacono, [a]& Capellano noſtro, ſuper hoc auditore conceſſo, propoſita pro partibus extiterunt, quod cùm S. laicus Elizabeth vxorem ſuam à maritali conſortio ſine cauſa rationabili depuliſſet; & item Epiſc. Diœceſanus eorum audiens mulierem eandem cum quodam adultero fornicari, eam, & illum vinculo excommunicationis adſtrinxit. Quæ tandem eum, qui dicebatur eius adulter, abiurans, abſolutione recepta, coram Epiſcopo memorato prædictum virum ſibi reſtitui poſtulauit: at ille huiuſmodi ei obijciens adulterium, de quo prolem genuiſſe dicebat, & quod ab ipſo non expulſa, ſed ſpontanea receſſiſſet, reſtitutionem ſui propoſuit minimè faciendam. Quod mulier memorata prorſus inficians, replicabat id ipſum quòd fuerat fornicatus, & per fornicationem ſobolem procrearat, propter quod tali exceptione vti non poterat contra ipſam. Cùm autem vtrique parti probandi hoc facultate conceſſa, præfata mulier per quoſdam teſtes eiuſdem viri adulterium probauiſſet, quos vir ipſe dicebat, tanquam minùs idoneos reprobandos, ab eo tandem fuit ad noſtram audientiam appellatum. Quocirca f. t. p. A. ſ. m. quat. niſi conſtiterit, vel per euidentiam rei, vel confeſſionem legitimam mulieris, quòd taliter adulterata fuiſſet, adulterij etiam, quod vir dicitur commiſiſſe, probatione ceſſante, ipſum recipere compellas eandem. Quòd ſi prædicto modo de mulieris fornicatione conſtiterit, niſi teſtes, per quos viri adulterium eſt probatum, fuerint reprobati, cùm matrimonij ius in vtroque conſiſtat, & paria delicta mutua *c* compenſatione tollantur, nihilominus eum cogas, vt eam recipiat, & maritali affectione pertractet: alioquin mulieri prædictæ ſilentium imponere non poſtponas.

N O T Æ.

a *TVronenſi.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.1.* De Metropoli Turonenſi egi *in cap.5. de tempor. ordin.*

b *Pictauienſis.*] Mauritius videlicet, anteà Epiſcopus Nannetenſis. De Pictauienſi Diœceſi egi *in cap.20. de reſcript.*

c *Compenſatione.*] De qua agemus proximo commentario.

C A P V T VII.

Idem a *Epiſcopo Ambianenſi.*

TVa fraternitas requiſiuit à nobis, vtrùm aliquo denegante vxori ſuæ in adulterio deprehenſæ debitum coniugale, ſi poſtmodùm ipſe cùm alia perpetraret adulterium ma-

Digitized by Google

nifestè, & vxore agente pœnitentiam de commisso, & veniam humiliter postulante, vir cogi debeat, vt eandem maritali affectione pertractet. Super quo tibi taliter respondemus, quòd cùm paria crimina compensatione mutua deleantur, vir huiusmodi fornicationis obtentu suæ vxoris consortium nequit declinare.

NOTÆ.

a *Ambian.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. De Ambianensi diœcesi egi *in cap.*10. *de regul.*

COMMENTARIVM.

1 Licèt iure ciuili attento vxor non haberet facultatem postulandi maritum reum adulterij criminali iudicio, *l.* 1. *C. de adult. l.* 8. *C. de accusat. l.* 5. *C. qui accusare, l.* 6. *ff. de popul. action. l.* 3. *§. sed si mulier, ff. de liber. hom. exhib.* Quintilian. *lib.* 6. *instit. c.* 23. Gellius *lib.* 1. *noctium, cap.* 23. ibi: *In adulterio si vxorem tuam deprehendisses, sine iudicio impunè necares; illa te, si adulterares, digito non auderet attingere, neque ius est.* Quia non patitur iniuriam violati lecti, cuius domina mulier non est. Quas Romanas leges incusat D. Ambrosius *lib.* 1. *de Abraham, cap.* 4. ibi: *Nemo sibi blandiatur de legibus hominum, omne stuprum adulterium est, nec viro licet, quod mulieri non licet.* Asterius *homil.* 5. *Continentiæ lex non fœminis tantùm, sed etiam viris à Deo lata est; qui tamen legislatoribus adhærentes humanis, per quas libidinarijs ipsis licet*, &c. Sanctus Chrysostomus *homil.* 5. *in primam ad Thessal. Quemadmodum mulieres nos punimus, quando nobis nuptæ, alijs seipsas coniungunt; ita puniemur & nos, & si non Romanis legibus, certè à Deo.* Sanctus Zeno sermone de pudic. *Quid hic respondere possint lubrici mariti, non video, qui humanarum legum iniqua impunitate decepti, iustitiam veram nec ex sua ipsa voluntate noscentes, quod pati nolunt, libenter efficiunt.* D. Hieronymus in initio Epistolæ ad Oceanum: *Aliæ sunt leges Cæsarum, aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit: apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, & solo stupro, atque adulterio condemnato passim per lupanaria, & ancillulas libido permittitur, quasi culpam dignitas faciat, non voluntas. Apud nos, quod non licet feminis, æquè nec licet viris.* Nazianzen *orat.* 31. *n.* 2. immò & apud Hebræos solis viris ius erat repudij mittendi, quamuis Salome Herodis Ascalonitæ soror id sibi contra leges patrias vsurparet, vt refert Iosephus *lib.* 15. *antiquit. c.* 11. Tamen iure ciuili vxor iudicio de moribus contra maritum experiri valebat, quia accusatio priuata, & ciuilis erat, etiam quando ob graues mores instituebatur, *leg. viro,* 39. *leg.* 47. *ff. solut. matrim. leg. vnic. §.* 5. *vers. Quid enim, C. de rei vxor. act. leg.* 4 *C. Theodos. de incest. nuptijs; l.* 3 *C. Theodos. vtilium ciuilis action.* Vlpian. *in fragm. tit.* 6. §. 9. 12. & 13. & ita in hoc ciuili iudicio paria delicta mutua compensatione tolluntur, *d. l. viro* 39. *d. l. cùm mulier*, 47. *ff. solut. matr.* quia æquum est, vt ea lege, quam ambo contempserunt, neuter vindicetur, *l. si duo* 36. *ff. de dolo, l. ambo* 10. *ff. de compens. l. ex facto* 30. *ff. de negot. gest. l.* 2. *§. idem ait, ff. ne quid in loco public. l. qui bona* 13. *§. si quis, ff. de damno infect. leg. quoniam, C. de hæretic. l. in arenam* 11. *C. de inoffic. testam. l. si filium* 3. *C. de liber. caus.* aliter atque in lenocinij replicatione, in qua etiam cessabat compensatio, *l.* 2. *§. si publico, l. si vxor* 13. *§. si iudex, ff. hoc tit.* Similiter iure canonico marito petenti diuortium ob adulterium opponi potest exceptio alterius adulterij à se commissi: & ita in hoc iudicio ciuili paria delicta mutua compensatione tolluntur, *cap. significasti, c. ex litteris, de diuortijs*: quia periniquum videtur, vt ab vxore pudicitiam vir exigat, quam ipse seruare recusat, *cap. nihil iniquius* 32. *q.* 4. *c. apud* 23. *q.* 5. *d. l. si vxor* 13. *§. si iudex*, ibi, *Periniquum est, vt pudicitiam vir ab vxore exigat, quam ipse non exhibet.* Quod sumptum est ex quadam constitutione Imperatoris Antonini, quæ relata est in fragmentis Codicis Gregoriani, *l.* 6. ex titulo incerto, cuius partem refert D. Augustin. *lib.* 2. *de adulter. coniugijs, c.* 8. in hæc verba: *Sanè meæ litteræ nulla ex parte causæ præiudicabant. Nec enim si penes te culpa fuit, vt matrimonium solueretur, & secundùm legem Iuliam vxor tua Eupasia nuberet, propter hoc rescriptum meum adulterij damnata non erit, nisi constet esse commissum. Habebunt autem ante oculos hoc inquirere, an cùm tu pudicè viueres, illi quoque bonos mores colendi auctor fuisti. Periniquum mihi videtur esse, vt pudicitiam ab vxore exigat, quam ipse non exhibet. Quæ res potest & virum domnare, non ob compensationem mutui criminis rem inter vtrumque componere, vel causam facti tollere.* Idem D. Augustinus *serm.* 48. *de verb. Domini*, ibi: *Si ducturi estis vxores, seruate vos vxoribus vestris; quales vultis eas inuenire, tales & ipsæ inueniant vos. Quis iuuenis est, qui non castam velit ducere vxorem? Et si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quæris? intactus esto. Puram quæris? num enim illa potest, & tu non potes? Tu exigis ab vxore, videlicet ne mœchetur? & non vis reddere hoc vxori? Et vis vxorem tuam victricem esse libidinis, tu victus iaces?* Egregiè quoque in hoc argumento exultant idem D. August. *lib. de decem chordis, c.* 4. & 9. & *hom.* 49. & 50. Similiterque Ausonius apud Stobæum *serm.* 6. Senec. *epist.* 95. & 96. Gregorius Nazianz. relatus à Cuiacio *in nouell.* 22. *Iustinian*, Lactant. Firmian. *lib.* 6. *diuinar. institut.* ibi: *Exemplo continentiæ docenda est vxor, vt se castè gerat; iniquum enim est, vt id exigas, quod ipse præstare vel nolis, vel non possis.* Seneca *epist.* 34. *Improbus est, qui ab vxore pudicitiam exigit, ipse alienarum corruptor vxorum.* Plautus quoque iuris ciuilis hac de re constituti iniquitatem arguit, cùm *in Mercat.* sub persona Syræ ita queritur *actu* 4. *Scen.* 7.

Ecastor lege dura viuunt mulieres,
Multòque iniquiore miseræ, quàm viri.
Nam si vir scortum duxit clam vxorem suam,
Id si resciuit vxor, impunè est viro.
Vxor viro si clam domo egressa est foras,
Viro fit causa, exigitur matrimonio.
Vtinam lex esset eadem, quæ vxori est, viro.
Nam vxor contenta est, quæ bona est, vno viro.
Qui minùs vir vna vxore contentus sies?

Alia dedi in canone 69. Concilij Illiberit. Ratio autem, cur in actione criminali ciuiliter intentata compensatio admittatur, non vero in criminaliter instituta, prouenit ex eo, quia expedit Reipublicæ, ne delicta maneant impunita, *cap. vt famæ, de sent. excommun. leg. item, ff. ad leg. Aquil. l. locatio* 9. *§. quod illicitè, ff. de publicanis*: & ideò in delictis non datur compensatio, *l.* 2. *§. qui hoc dicit, ff. hoc tit. l.* 1. *C. de crimin. expil. hæredit.* nec in præiudicium Reipublicæ pacisci licet, aut compensatio admitti potest, *l. iuris gentium, §. si paciscar, ff. de pact.* ideò compensatio admittitur, quando agitur de adulterio ad exactionem dotis, vel ad diuortium, vt *in d. l. viro* 39. *d. l. cùm mulier* 47. *ff. solut. matrim.* quia cùm principaliter agatur de priuata vtilitate, nihil impedit, vt compensatio admittatur, cùm pœnam ad inuicem soluant, argumento legis *si debitor, ff. qui potiores.* Nec tunc obstat textus *in leg. apud* 4. *§. item quæritur, ff. de doli except.* quia ibi non admittitur compensatio doli, etsi ciuiliter ageretur, ne excluso reo actor ex malitia sua commodum reportaret. Qua etiam ratione procedunt textus *in l. si duo, ff. de dolo malo, c. dilecti, de except.* vbi si admitteretur replicatio alterius excommunicationis, admitteretur etiam excommunicatus ad agendum; & in præsenti textu etiam admittitur replicatio adulterij, quia aliàs maritus ex delicto suo lucrum faceret. Sed adhuc suprà traditis obstat textus *in l. cùm mulier*, 47. *ff. solut. matrim.* vbi compensatur adulterium cum lenocinio, etsi criminaliter agatur. Quia respondetur cum Glossa *ibi, & in d. §. si ex publico*, discrimen constituendo inter casum, in quo mulier recepta erat inter reos; & inter eum in quo nomen eius inter eos relatum non erat, iuxta solemnitatem, quam referunt Carolus Sigonius *lib.* 2. *de adulter. c.* 10. Brissonius *de V. S. verbo recipere*, Cortasius *lib.* 2. *miscel. c.* 20. Primo casu cum iam vxor recepta est inter reos, excipere de lenocinio viri non potest: secundo verò casu marito accusanti lenocinium obijcere valet. Cùm ergo in præsenti textu, & antecedenti agatur de iudicio ciuili, videlicet diuortio ex causa adulterij ciuiliter intentato, ideò rectè ait Pontifex, mutua delicta pari compensatione tolli, & ita marito agenti de adulterio ad diuortium faciendum iustè opponi posse exceptionem similis adulterij, docuerunt post alios Balboa *in c.* 2. *ex n.* 23. *de except.* Basil. *lib.* 9. *de matrim. c.* 18. Doctor Baio-Arroio *in c. Quintauallis, n.* 70. *de iureiur.* Henellius *de dotalit. c.* 10. §. 8. Et posse vxorem ob adulterium mariti petere diuortium, probauit Valenzuela *consil.* 45.

TITV-

Digitized by Google

TITVLVS XVII.

De raptoribus, prædonibus, incendiarijs, & violatoribus Ecclesiarum.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio a *Meldensi.*

DE illis autem, qui infra parochiam beneficium, aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, & rapinas, & deprædationes peragunt, placuit vt excommunicentur, nec ante ex parochia exeant, quàm quæ perpetrarunt, dignè emendent; quorum excommunicatio seniori eorum, & proprio Episcopo *b* significanda est, ne eos recipiant antequam illuc redeant, vbi rapinam fecerunt, & omnia pleniter emendent.

NOTÆ.

1 a MEldensi.]Ex quo Concilio *in cau.2.* citatur textus hic à Burchardo *lib.11. Decreti*, *c.45.* Carnot. *p.14.c.109.* Gratiano *in c.fin.6.q.3.* Bernard. Papien. *in c.1. hoc tit. in 1. collect.* de quo Concilio Meldensi nonnulla adduxi *in cap.1. de constitut.*

b *Significanda.*] Iuxta morem Ecclesiæ, quem probaui *in cap. ad reprimendam 8. de offic. ordin.* a

Ex hoc textu communiter deducitur, ratione delicti reum sortiri forum in loco ipso, vbi deliquit. Quam conclusionem latè exposui *in cap. postulasti, de foro competent.* Ex quo commentario præsens petendum est.

CAPVT II.

a Eugenius III. *Vniuerso Clero.*

SVper eo, quod de raptoribus, & Ecclesiarum violatoribus, atque Presbyteris, qui pœnitentiam eis iniungere, vel eorum oblationes contra *b* statutum nostrum suscipere attentauerint, à nobis communi deliberatione statutum est in Concilio cum fratribus nostris: Statuimus, in constitutione ipsa Sanctorum Patrum vestigia subsequentes, & auctoritate Dei, & Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli pariter confirmamus statuentes, vt quicumque ex ijs raptoribus, qui in vrbe suggerente diabolo violenter surrexerint in rapinam, siue Ecclesiarum violationes, qui manifestè deprehensus est, vel amodò fuerit, nisi priùs ablata restituat, si poterit; vel emendandi firmam, & plenam securitatem fecerit, pœnitentiæ beneficium eis *c* penitus denegetur. Si verò vsque ad obitum, quod absit, in sua contumacia durauerit, & in extremis positus remedium *d* pœnitentia humiliter postulauerit, si emendationem, vel emendandi securitatem præstiterit, ac fideiussores, qui oblata restituere debeant, idoneos dederit, ei pœnitentia, & sepultura Ecclesiastica concedatur. Qui autem in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emendauerit, & in morte securitatem, ac fideiussores, sicut diximus, præstare nequiuerit; pœnitentia quidem parum prodesse videtur, sicut credimus: sed *e* viaticum non negetur. Ita tamen, vt nullus Clericorum *f* sepulturæ illius intersit, nec eius *g* eleemosynam præsumat accipere. Quod si quis *h* Presbyterorum, vel Clericorum contra statuta nostra in vita, vel in morte pœnitentiam dare, aut sepulturæ illorum interesse, vel eorum eleemosynas accipere *i* attentauerit, si huiusmodi rapinæ participes inuenti fuerint, & ordinis sui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Ecclesiastico beneficio careant.

NOTÆ.

a EVgenius III.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.5.* & post Concil. Lateran. *p.34. cap.2.* ex quo inscriptionem, & literam huius textus restituo.

b *Statutum.*] Forsan in aliquo Concilio ex celebratis ab Eugenio III. quorum meminerunt Seuerin. Binius *tom.7. Concil.* Coriolan. *in summa Concil.* licèt in hucusque editis non reperiatur constitutio, cuius meminit Eugenius III. in præsenti.

1 c *Penitus denegetur.*] Hæc prima pars præsentis textus difficilis redditur ex eo; nam pœnitentiam denegare alienum videtur à doctrina Euangelica, & disciplina Ecclesiæ; cùm quacunque hora ingemuerit peccator, debeat audiri, *c. agnouimus 26. q. 6. cap. sunt plures, de pœnit. dist. 3. cap. quod quidam, de pœnit. & remiss.* probant Ambianas *ad Tertul. de pudic. ferè per totum*, Lorinus *aduers. hæreses*, Baron. *ea. 2. anno 216. n.3. & 253. n.77. & 254. ex n.38. & 98. & anno 255 ex n.2.* Mendoza *lib.2. Concil. Illiberit. c.6. n.46.* Ergo malè in præsenti denegatur pœnitentia. Pro cuius difficultatis solutione Glossa *in præsenti*, quam sequuntur antiquiores, asserit hæc verba ad terrorem tantùm posita fuisse. Alij etiam asserunt, pœnitentiam denegari raptori respectu illius peccati, ita ut de alijs possit pœnitentia concedi. Sed hæc solutio facilè conuincitur ex eo, nam pœnitentia nequit esse fructuosa, nisi omnia peccata remittantur, vt docent D. Th. *q.86. art.1.* Sotus *in 4. dist. 15. q.1. art.3.* Quare veriùs dicendum est, pœnitentiam in præsenti non denegari, sed tantùm donec ablata non restituantur; quia cùm non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, *regul. peccatum, de R. I. lib.6.* iustè nolenti restituere bona vi ablata, pœnitentia denegatur, cùm non credatur in eo verum adesse dolorem peccati, cum adhuc contrectet aliena sine animo restituendi, quæ pœna insolens non est in nostro iure canonico; nam vsurario etiam denegatur pœnitentia, nisi restituat vsuras, *cap. fin. §. finali. de vsur. lib.6.* Hoc tamen intelligendum est, si raptor possit restituere, aliàs ad pœnitentiam admittitur, cùm ob paupertatem excusetur à restitutione, *cap. olim, de restit. spol. cap. si res, 14. q. 6. cap. sicut dignum, de homicid, c. cùm tu, de vsur.* Couarr. *in reg. peccatum, 1. p. §.4.* & potest interim satisfacere fideiussoribus præstitis, vel firma data, idest securitate de re restituenda, licèt aliter firma accipiatur *in cap. 2. de locato, c. ex litteris, de iurepatron. cap. secundùm 6. ne clerici, vel monachi, Clement. 1. de excessib. Prælat.*

d *Pœnitentia, & sepultura.*] Idem probatur *ex cap. si res, 14. q. 6. cap. si quis clericus, 22. q. 4. cap. si quis membrorum, 23. q. vlt. c. falsa, cum alijs, de pœnit. dist 5.* nec tunc obstat textus *in cap. si quis positus, de pœnit. dist. 7.* in illis verbis: *Si quis positus in vltima necessitate ægritudinis suæ voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & vadit, fateor vobis, non illi negamus quod* 2

petit,

Digitized by Google

petis, sed non præsumimus, quod benè exijt: pœnitentiam dare possumus, securitatem dare non possumus. Ex c. idcircò, ead. dist. vbi D. Cyprianus ait: Idcircò frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde testantes, prohibendos omninò censuimus ab spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari; quia rogare illos, non delicti penitentia, sed mortis vrgentis admonitio compellit: nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitauit esse moriturum. In quibus doceri videtur, in vltimo vitæ spiritu pœnitentes nullo modo esse audiendos. Nam potiùs verum est, in vltimo vitæ spiritu de peccatis præteritis pœnitentiam peti posse, & iuxta dolorem pœnitentis peccata remitti, vt docent Leo in cap. nemo, D. August. in cap. nullus, de pœnit. dist. 7. Et idem sanctus Doctor in d. c. si quis, non docet, desperandum esse de salute eorum, qui in vltimo vitæ spiritu pœnitentiam petunt, sed solùm non audere promittere illis securitatem; & meritò, cùm timeri possit, vt Deus illis suam deneget gratiam, qui in vita penitentiam contempserunt, iuxta illud Prouerb. cap. 1. ibi: Quia vocaui, & renuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo: tunc inuocabunt me, & non exaudiam. D. autem Cyprianus in d. cap. idcircò, accipiendus est de illis, quos constat in mortis articulo non veram, sed fictam agere penitentiam, vt constat ex illis verbis, pœnitentiam non agentes, & docuit Barbosa in cap. nullus, de pœnit. dist. 7.

3 e Viaticum non negetur.] Sed si penitentia non prodest, quare viaticum præstatur, cùm ad hoc vt quis admittatur ad Eucharistiæ sacramentum, debeat habere primam gratiam per sacramentum penitentiæ: quomodo ergo si iste non accepit penitentiam proficuam, admittitur ad Eucharistiam? Cui difficultati vt satisfaciam, dicendum est, raptorem hunc in morte penitentiam efflagitasse, ac de peccato commisso contritionem habuisse, sed satisfacere nequiuisse, idest non potuisse: vnde licèt ratione contritionis liberaretur à pena æterna, non tamen à temporali, quæ pro peccato debetur, soluendaque est in hac vita, vel in alia, cap. quid ergo, 23. qu. 1. docent Theologi scholastici in 4. dist. 15. vnde ad eam respiciens Eugenius in præsenti ait, penitentiam parum prodesse debere, sed pro peccato commisso viaticum dari, hoc est reconciliationem concedi; viaticum enim accipitur varijs modis, pro sacramentis illis videlicet, quæ morientibus prodesse poterant: vnde baptismus in morte collatus appellatur viaticum à sancto Basilio in homilia de Baptismo: notauit Balsamon in can. 18. Concil. Carthag. Sæpè sæpiùs accipitur pro Eucharistia, vt in can. 29. Concilij Nicæni: Concil. Tolet. 1. can. 18. In præsenti tamen textu, ni fallor, accipitur pro minori reconciliatione. Sciendum enim est, quòd olim cùm quis excommunicatus, vel alius notorius peccator, qui ob criminis grauitatem debebat penitentiæ solemni caput subdere, si in morbum, & vitæ discrimen incidebat, illicò aduocato Presbytero penitentiam humiliter efflagitabat, quam Presbyter non temerè, & statim, inconsulto Episcopo concedebat, sed cùm desperata salute diem supremum sibi instare peccator præuidens, pacem ecclesiasticam, ac reconciliationem petebat; & tunc Presbyter ipsum reconciliabat, eaque reconciliatio minor erat, quæ etiam solemniter penitentibus, & in tertio, aut quarto gradu existentibus dabatur, per quam Fidelium orationum, communionisque ecclesiasticæ participes fiebant. Et hæc reconciliatio viaticum necessarium appellatur à Patribus Concilij Nicæni can. 76. Dicitur verò minor reconciliatio ad differentiam maioris, quæ solemnis erat, de qua accipiendi sunt textus in cap. qui recedunt, 26. q. 6. ibi: Qui recedunt de corpore pœnitentia accepta, placuit sine reconciliatoria manus impositione communicare eos: quod morientis sufficit consolationi secundùm Patrum definitionem, qui huiusmodi communionem congruenter viaticum nominauerunt. Concilium Ancyranum can. 77. Carthag. 4. can. 9. Gerundense can. 13. Epaun. can. 24. Nicænum can. 29. Siricius in epist. ad Tarracon. Tolet. 2. can. 12. docuerunt Albaspineus lib. 1. obs. cap. 1. Bosquetus in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 149. Loaysas in not. ad Concil. Tolet. 11. can. 11. Coriolanus in notis ad can. 1. Concilij Illiber. Zerda in aduers. cap. 138. num. 7. Menardus in notis ad lib. sacram. D. Gregorij, fol. 234. D. Ioannes de Otalora de irregul. ex penit. part. 2. excursu 1. Sed licèt per viaticum penitens reconciliaretur, non censebatur plenè absolutus, nisi accepta solemni reconciliatione. Concil. Carthag. 4. can. 74. ibi: Penitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperunt, non se credant absolutos sine manus impositione, si superuixerint. Vnde facilè intelligitur præsens textus in verbis suprà relatis. Nam cùm raptor bonorum sit excommunicatus, cap. in litteris, hoc tit. & quia publicus, & notorius raptus erat, debebat solemniter penitentiam peragere, cap. 1. de penit. & remiss. inde ait Eugenius III. ipsum raptorem in vltimis constitutum penitentiam petentem, viatico non esse priuandum, vtpotè remedio necessario ad salutem æternam, cap. penitentes, 50. dist. cap. qui recedunt, cap. si quis de corpore, 26. q. 6. cap. quod in te, de penit. & remiss. Sed quia solemnem reconciliationem post satisfactionem non accepit, parum illi prodesse solemnitatem penitentiæ dixit Eugenius.

f Sepulturæ illius.] Hoc difficilè admodum videtur ex eo principio, quo docemur, penitentem etiam in vltimo vitæ spiritu, qui meruit reconciliari Ecclesiæ & fidelium communioni, non posse priuari ecclesiastica sepultura, cap. quæ situm 13. qu. 2. iunctis traditis in cap. sacris, de sepultur. & quæ docuerunt Iacob. Durantius lib. 1. var. cap. 4 & lib. 2. cap. 3. Gamma post decisiones quæst. 3. Espenceus de adoratione Eucharistiæ lib. 2. cap. 2. Iul. Lauor. variar. lucubr. tit. 2. cap. 12. num. 51. Ergo si in præsenti conceditur viaticum raptori, iniustè sepultura ecclesiastica denegatur. Cui difficultati vt satisfaciant antiquiores repetentes hic, asserunt in præsenti non denegari raptori sepulturam ecclesiasticam, sed tantum ne sacerdotes illi intersint, aut cum psalmis cadauer ad Ecclesiam deferant. Sed hæc solutio non conuenit disciplinæ canonicæ, cùm nunquam legamus, sepulturam ecclesiasticam concedi, prohiberi autem sacerdotibus illi interesse. Quare verius dicendum est, quod licèt ille, cui conceditur Eucharistica communio, regulariter non priuetur sepultura, tamen plerunque ob grauitatem sceleris, & vt alij terreantur, concessa communione denegatur sepultura ecclesiastica, vt in cap. 1. de torneam, cap. monachi, de statu monach. cap. quia in omnibus, de vsur. Vnde licèt in præsenti casu raptori concedatur reconciliatio, tamen iustè denegatur ecclesiastica sepultura. Facit textus disertus in Concilio Toletano anni 1473. tempore Sixti IV. can. 22. Raptores, quos diuinus timor à malo non reuocat, temporali saltem pena meritò sunt puniendi, ideòque sancto approbante Concilio statuimus, vt tales scelerati, quando ab hac luce migrauerint, ecclesiastica careant sepultura; si verò fuerint sepulti, exhumentur, etiamsi huiusmodi raptores antè obitum sacramentum penitentiæ receperint; nec pro eis diuina dicantur, aut oblationes admittantur. 4

5 g Eleemosynam præsumat accipere.] Quod consequens est suprà traditis; nam si denegatur ecclesiastica sepultura, per consequens nec oblationes, nec eleemosynæ debent admitti, vt etiam statuitur in cap. de viro 12. q. 2. cap. miror 17. qu. 4. cap. nos, de consecr. dist. 5. cap. quia in omnibus, de vsur. cap. oblationes, 90. dist. cap. non est putanda 1. qu. 1 & alijs congestis ab Anton. August. lib. 15. epit. iuris Pont. tit. 23. Rationem assignarunt Carnotensis epist. 186. §. de oblationibus, his verbis: Ne simplicium ex hoc infirmetur conscientia, cùm talibus coniecturis existimant bonis eorum malefacta placere. D. Thomas 2. 2. qu. 86. art. 3. Propter scandalum, ne videatur Ecclesia fauere peccato. Plura ad rem Philo Iudæus de monach. lib. 2. & integro lib. de mercede meretricis non admittenda ad sacrarium. Augustin. in cap. 23. Deuteron. qu. 38. Hieronymus ad illud Isaiæ cap. 66. Qui mactat pecus. Nazianz. orat. 3. Lorinus in d. cap. 23. Deuter. vers. 18. docent Suarez de relig. tract. de cultu diuino, lib. 1. cap. 6. Lantdmeter de veteri monach. cap. 40. Mendoza lib. 2. Concil. Illiber. cap. 55. Rosuueid. in notis ad epist. 1. Diui Paulini, Albaspineus lib. 1. obseru. cap. 5. Sed adhuc hæc pars præsentis constitutionis, vbi prohibetur oblationem, & eleemosynam recipere pro raptore, difficilis redditur ex sequentibus iuris principijs. Primum nascitur ex eo, nam eleemosynam à meretrice factam recipi posse, docent Glossa in d. cap. oblationes, Turrecrem. & alij in d. cap. non est putanda. Ergo etiam raptoris eleemosyna suscipi debet, præcipuè post reconciliationem. Secundò, quia oblationes non solùm à peccatoribus, verùm & à Iudæis peti, & exigi debent, cap. quantò, de vsur. Ergo multò magis raptorum oblationes, eleemosynæque à sacerdotibus recipi possunt. Tandem facit textus in can. 12. Concilij Arelat. vbi agitur de his etiam, qui in fine viaticum receperunt: & aiunt Patres, quod pro eo, quod honorarunt penitentiam, oblatio eorum recipiatur. Igitur similiter in præsenti casu, cùm raptori viaticum concederetur,

Digitized by Google

tur, eius etiam oblationes, & eleemosynæ admitti debebant. Sed adhuc asserendum est, rectè Eugenium III. in præsenti asserere, nec oblationem, aut eleemosynam raptoris esse admittendam, quia Deus honorandus est de substantia propria, non de aliena, *Prouerb. cap. 3.* quia hostiæ impiorum abominabiles sunt coram Deo, *Prouerb. c. 22.* nec dona iniquorum probat Altissimus, *Ecclesiastici c. 34.* nec est eleemosyna facienda de illicitè acquisitis, *cap. non est putanda, 1. q. 1.* Nec obstat quod de eleemosyna à meretrice facta dicebamus; nam ea admittenda est: & iuxta Babyloniorum ritum meretrices Veneri mercedem obtulisse constat *ex cap. 1. Michææ,* ibi: *Omnia idola eius ponam in perditionem, quia de mercedibus meretricis congregata sunt.* Quod lege veteri prohibitum fuisse constat *ex c. 23. Deuter.* ibi: *Non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui: abominatio est vtrumque apud Dominum Deum tuum.* Illustrat P. Roa *l. 3. singul. c. 12.* apud Romanos etiam meretrices tempore Caligulæ Imperatoris ex quæstu meretricio tributum pendebant, idest quantumcunque vno concubitu meruisset meretrix, fisco inferebat: refert Sueton. *in Caligula, cap. 40.* de quo tributo aliqui accipiunt textum *in l. eam quidam 17. §. si fiscus, ff. de vsur.* sed meritò ab eis discedit D. Nicol. de Castro *in leg. vnic. C. de capitatione ciuium, n. 17.* qui videndus est pro eius interpretatione: & vt ad difficultatem accedamus, dicendum est, discrimen esse constituendum inter eleemosynam factam à meretrice, & factam à raptore; nam meretricis eleemosyna recipitur, quia quæstus meretricij dominium transit in ipsam, adeò vt condictio danti non competat, *l. 2. ff. de condict. ob turpem:* vnde cùm dominium eius pecuniæ habeat, rectè potest de ea eleemosynam facere: at verò raptor dominium rerum vi ablatarum non assequitur, sed penes dominum remanet, *l. 1. ff. de condict. furtiua.* Nec obstat textus *in d. cap. quantò, de vsur.* loquitur enim Pontifex ibi de oblationibus realibus necessarijs, quæ à Christianis fidelibus fieri solebant ex proprijs domibus ratione possessionum ad sustentationem parochi; quo casu Iudæi etiam ad onus hoc reale tenentur, vt docuit Lemaistre *l. 2. de iuribus Ecclesiæ, c. 13.* Nec tandem obstat dictus canon 12. Concilij Arelat. 2. qui accipiendus est de eo, qui in vita efflagitauit pœnitentiam, atque in Ecclesia solemni pęnitentiæ caput subdidit: pro quo, si ante expletam pęnitentiam, & solemnem reconciliationem decesserit, oblationes admittuntur, immò Ecclesia similes oblationes recipiendo, cum restituit communioni, à qua fuerat segregatus, vt docetur in Concilio Vasensi *can. 11.* Tolet. 11. *can. 12.* obseruauit Albaspin. *l. 2. obs. c. 12.* At in præsenti casu raptor nec pęnitentiam petierat in vita, nec susceperat; vnde cùm non honorasset pęnitentiam in vita, meritò oblatio pro eo non admittitur, iuxta dictum canonem 12.

6 h *Presbyterorum, vel clericorum.*] Sed quænam differentia adhiberi potest in præsenti casu inter Presbyteros, & clericos, præcipuè cùm pęnitentiam iniungere, oblationes recipere, & sepulturæ corpora defunctorum tradere, sint actus Presbyterorum, non verò inferiorum clericorum? Sed adhuc dicendum est, rectè Eugenium apposuisse non solùm Presbyteros, verùm & clericos; nam Presbyter propriè accipitur pro eo, qui beneficium parochiale cum cura animarum obtinet. Concil. Chalcedon. *can. 6.* probat Cironius *ad tit. de officio Archipresbyt.* Clericus verò dicitur, qui capellaniam, aut beneficium obtinet, sacramenta in ea conferre valens, *c. Capellanus, de ferijs, c. 1. de secundis napt.* Et si adhuc instes, pęnitentiam dare tantùm ad Episcopum spectare, cęteros verò Presbyteros, seu clericos pęnitentiam concedere non posse, *c. si iubet, cap. si Presbyter, 26. q. 6.* plura Ant. August. *in epit. iur. l. 4. tit. 89. & l. 6. tit. 42.* Albaspineus *l. 1. obs. c. 33. & 34.* Morinus *l. 2. exercit. c. 7.* Mendoza *l. 2. Concil. Illiber. c. 65.* Cęsar *de ecclesiastica hierarch. disp. 8. §. 2. & 5.* Filesacus *in c. 15. de offic. ordin.* Ergo non rectè in præsenti supponitur, Presbyteros, vel clericos pęnitentiam raptori bonorum, seu violatori Ecclesiæ dare posse. Ad id respondeo, magnam differentiā versari inter pęnitentiam solemnem, & priuatam, seu auricularem; solemnis enim non nisi ab Episcopo pro grauioribus peccatis, & semel in vita dari potest, vt probant de ea agentes Cironius *ad tit. de pęnit. & remiss. & l. 1. obs. cap. 6.* Loaysas *in can. 6. Concil. Tolet.* Souchetus *in notis ad epist. 228. Carnotens.* Lanidmeter *l. 2. de veteri monach. c. 98.* Gibal. *de clausur. reg. disq. 3. c. 2. §. 3.* at verò priuata, vt sacramētū est, de qua in pręsenti agitur, à quolibet parocho, seu Presbytero per Episcopū approbato administrari potest.

i *Attentauerit.*] Licèt conatus regulariter in delictis non puniatur, nec affectus delinquendi, nisi sequatur effectus, *l. cogitationis, ff. de pœnis, l. 1. ff. quod quisque iuris,* plura Barbosa *in axiom. verbo Affectus,* Robertus *l. 1. rer. iudic. c. 6.* tamen in atrocissimis delictis conatus punitur, *l. generaliter, ff. de calumniat. l. si à seruo, ff. de cond. ob turpem, l. quisquis, C. ad leg. Iul. Maiest. l. is qui cum telo, ff. ad leg. Corn. de sicar. l. si quis non dicam, C. de Episcop. & Cleric.* probant Farinac. *in praxi, p. 5. q. 122. n. 14.* Cuiac. *l. 8. obs. c. 21.* Hothomanus *l. 11. obs. c. 18.* Amaya *l. 1. obs. cap. 2.* Forner. *l. 3. rer. quotid. cap. 17.* vnde cùm delictum, de quo in præsenti, atrox esset, ideò Presbyteri illud attentantes deponuntur, & beneficio priuantur. 7

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Raptor manifestus, vel Ecclesiæ violator, si ablata restituit, vel de restituendo cauet in vita, vel in morte, ad pœnitentiam, & sepulturam ecclesiasticam admittitur: si verò nolit, cùm possit, & in morte non potest restituere, pœnitentia concessa, denegatur ecclesiastica sepultura.* Quæ assertio per partes probari potest *ex c. immolans, c. nemo, & per totam 14. q. 5. c. si res, c. comperimus, 14. q. 6.* ex Concilio Matiscon. *can. 7.* Altissiod. *can. 23.* Cabilon. *can. 6.* & alijs congestis ab Ant. August. *l. 35. tit. 9.* in quibus varijs pœnis plectuntur raptores, & Ecclesiarum violatores. Consonant lex 10. *tit. 3. partit. 1.* lex finalis, *tit. 10. ead. partit.* Illustrant Ioannes Calderinus *in repet. ad hunc textum,* Couarr. *in c. ulma, p. 1. §. 4. n. 12.* Salcedo *in praxi, c. 109.* Suar. *de censur. disp. 42. sect. 5. n. 6. & tom. 1. de relig. tr. 2. l. 1. c. 6. n. 6.* Sanctus Raymundus *l. 2. summæ, tit. 5.* Coruinus *l. 4. aphorism. iur. Pont. tit. 20.* Murga *tom. 2. disquisit. moral. disquisit. 21.* 8 Conclusio traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Peccata manifesta, publicèque commissa per solemnem pœnitentiam debent expiari, *cap. placuit 68. §. fin. 50. dist. c. admonere 8. c. latorem 15. 33. q. 2. c. falsa 6. de pęnit. dist. 5. cap. 1. de pęnit. & remiss.* sed in præsenti peccata fuerunt publicè commissa; ergo solemni pœnitentia debebant expiari. Augetur hæc dubitandi ratio *ex c. de viro nefando, 12. q. 2.* vbi cùm agatur de quodam raptore, & violatore Ecclesiarum, qui vasa sacra, chrisma, & alia Ecclesiæ bona surripuit, quæsitum fuit à Nicolao, an si pœnitentiam peteret, recipiendus esset? Et asserit, ita admittendum esse, vt vno anno consistat extra Ecclesiam violatam; alio antè fores Ecclesiæ sine communione maneat; tertio Ecclesiam ingrediatur, & inter audientes stet, non comedens carnem, nec bibens vinum sine oblatione: quarto denique si fructuosior fuerit pœnitentiæ labor, communioni fidelium restituatur. Ergo non rectè in præsenti affirmat Pontifex, raptorem pœnitentiam efflagitantem statim ad pœnitentiam admittendum esse. 9 Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, rapinam esse *violentam ablationem rei mobilis factam dolo malo, animo lucri faciendi.* Et licèt vis generaliter dolum includat, *l. 2. §. doli, ff. de vi bonor. raptor. l. 14. §. cum qui metum, ff. de eo quod metus;* tamen quia aliquando datur vis sine dolo, vt contingit in vi iustè illata à Magistratu, *l. 3. §. 1. ff. de eo quod metus, l. 4. ff. de statu hominum:* ideò in præsenti definitione vltra vim adijcitur *dolo malo:* & signanter ponitur dolus malus, quia plerunque res aufertur vi, & absque dolo malo, vt contingit in domino, qui repetit rem propriam, sibi licere existimans eam propria auctoritate occupare: quia enim dolo malo non facit, nec lucri faciendi causa, sed tantùm iuris ignorantia recuperandi animum habet, raptor dici nō potest, *l. 2. §. hæc actio 18. ff. de vi bonor. rapt.* Sed ne homines priuati ius sibi dicant, cautum fuit constitutione Theodosij & Arcadij, vt si dominus id fecerit, dominium rei amittat; sin non dominus, non solùm rem, verùm & eius æstimationem restituere compellatur, *l. si quis in tantum 7. C. vnde vi.* Similiterque Imperator Marcus constituerat, vt si creditor debitori vim fecisset debiti extorquendi gratia, amitteret ius crediti, *l. penult. ff. ad leg. Iul. de vi priuat. l. extat 13. ff. de eo quod met. caus.* Dixi etiā rei mobilis, quia res mobilis debet esse, vt rapta dicatur; immobilis autem rei quemadmodum nec furtum, ita nec rapina fit, quia nec ferri, auferriue valet, *l. 1. & 2. Cod. de vi bonor. rapt.* circa eam ergo tantùm datur inuasio, cuius causa vel interdictum competit, vel condictio triticaria, vel iudicium publicum legis Iuliæ, *l. 1. ff. de vi & vi armat. l. 7. C.* 10 De rapina.

Digitized by Google

l.7.C.eod.l.2.ff.de condict.tritic.l.3.§.fin.ff.ad leg. Iul. de vi public. Omnis ergo vis, siue publica, siue priuata, constituere potest rapinam à furto contradistinctam, nec aliter se ad furtum simplex habentem, quàm includens ad inclusum. Tota enim furti quidditas reperitur in rapina; nam furtum essentialiter constituitur per ablationem iniustam rei alienæ. Quod autem ea ablatio sit occulta, spectat dumtaxat ad modum auferendi accidentarium; vnde accidentaria aliqua distinctio, non autem specificatio furto aduenit: itaque tota furti substantia rapinæ innititur, adiuncta insuper noua iniustitia in personam, propter vim ei illatam: quæ iniustitia est differentia rapinæ intima, & essentialis, vt proinde furtum & rapina asserantur specie differre. Ex ijs constat, quàm grauius simplici furto sit crimen rapinæ, quod latè confirmat Gabriel *in 4.dist.15.q.3.* adducens textum *in c.penale, 14.q.5.* perspicuum autem est, multò acerbius delictum esse; siquidem ex parte raptoris inferentis iniuriam maior audacia, & iniquitas se prodit, propterea sanctus Chrysostomus *homil.10.in 1. ad Thessal.* affirmat, raptorem propter vim, & violentiam, maximam iniuriam inferre, his verbis: *Illud vis est & violentia, vt faciliùs quis mille talenta spontè dabit, & nihil se passum esse putabit, quàm vt tres obolos præter animi sententiam abreptos mansuetè ferat.* Genera raptorum varia sunt. Alij effractores sunt, qui domos, aut horrea furandi causa effringunt, aut parietes perfodiunt, *l.1.§ fin.l.1. mada, l.2.ff.de effract.* quos describit Iuuenalis inter incommoda vrbis *satyr.3.* Alij sunt latrones, & grassatores, qui ferro obsident latera viarum, spoliantque obuios. Prædones alij, qui prædas agunt, inter quos, & latrones nihil interesse existimauit Accursius *in l.hostes 118.ff. de V.S.* Sed contrarium rectiùs docuit Cuiac. *l.15.obs.c.31.* Galli prædones appellant Burgandos, à Burgando insigni prædone, qui in partibus Aquitanicis tempore Nicolai I. violentas deprædationes etiam in Ecclesias exercebat, vt refertur *in d.c.de viro 12.q.2.* Vel Brigandos à Brigantibus populis Hiberniæ, latrocinio, & prædæ deditis, de quibus Tacitus *lib.12. annal.*

11 De pœnis raptorum.

Deinde sciendum est, contra raptores varias esse proditas actiones, tam criminales, quàm ciuiles. Et primò datur publicum iudicium legis Iuliæ de vi: si vis facta sit armis, de vi publica: si sine armis, de vi priuata, *l.1. & 3.ff. ad leg. Iul.de vi priuat.l.3.l.penult.ff.ad leg.Iul.de vi public.§.item lex, Instit.de public.iudic.* Secundò actio legis Corneliæ de sicarijs, si rapinis cædes mixtæ sint, aut furti faciendi causa cum telo quis ambulauerit, *l.1.ff.ad leg.Corn.de sicar.l.2.3.& 4.C.eod.tit.* Datur etiam iudicium publicum legis Iuliæ de sacrilegijs, & peculatu, si quis ædes sacras, aut ærarium effregerit, *l.4.§.mandantis, l.6.9.& 11.ff.ad leg.Iul.pecul.* etiam extra ordinem raptorem accusari posse, constat *ex l.fin.ff.de priuat.delict.l.1.§.1.ff.de incendio & ruina.* Ciuiles quoque actiones in raptorem dantur: prima intra annum vtilem in quadruplum, post annum in simplum. Quadruplatur autem verum rei pretium, non etiam quod interest: nec quadruplum totum pœna est, sed inest quadruplo rei persequutio, *l.2.§.in hac 13.ff. de vi bonor. rapt. princip.Instit.eod.tit.§.vi autem, Instit.de action.* Sed nec in omnes bonorum raptores pariter animaduertitur; nam distinctio adhibenda est inter manifestos, & nec manifestos. Raptor manifestus is dicitur, quem dominus agnoscit, & deprehendit sua rapientem, & appetentem: nec manifestus, qui cautè vim infert, vt si absente domino fores ipsius effringat, & intus grassetur, *l.si quis vxori, §.vlt.ff.de furtis.* Raptor autem, siue manifestus, siue non manifestus, is intelligitur, qui vi dolo malo, & coactis hominibus armatis deprædatur, *l.2.ff.de vi bonor.raptor.* Vtrique eadem pœna imponitur, *l.1.ff.eod.c.in antiquis, 12.qu.7.* Sed quia hæc pœna proueniens ex publico iudicio, scilicet ex lege Iulia de vi priuata, leuior erat, quàm pœna furti, Prætori visum fuit dare electionem, vtrùm aduersus manifestum raptorem quis actione furti priuata agere velit, an verò actione vi bonorum raptorum ex lege Iulia, *d.l.2.§.2.* ne minorem pœnam exigeret, quàm si cogeretur agere publico iudicio vi bonorum raptorum. Contra nec manifestum raptorem idem non procedit, cùm pœna nec manifesti furti sit in duplum; satius enim erit tunc agere vi bonorum raptorum in triplum, vt docuit Papinianus *in l.si vendidero, §.cùm raptor, ff.de furtis.* Raptor ergo manifestus existimandus est, qui conueniri potest ex lege Iulia, & plecti in quadruplum actione priuata manifesti furti: si verò collectis hominibus armatis ita callidè, & dolosè versatus sit, vt non fuerit deprehensus, tunc furti nec manifesti pœna, quia leuis est, non punitur, sed potiùs vi bonorum raptorum. Quem iuris ciuilis ordinem sequutus est Eugenius in præsenti, innuens grauiùs agendum esse cum raptore manifestè deprehenso: de quibus iudicijs, & eorum cursu videndi sunt Reatigui *l.3.select.c.5.* Donel. *l.15. comment.c.30.* Cuiac. *l.17.qq.* Papin. *in d.l.80.§.cùm raptor, ff.de furt.& l.12.qq.* Pauli *in l.10.ff.de dolo:* & obseruandi sunt textus *in l.5.C.de nauicular.l.51.l.2.ff. de extraord.cognit.l.44.ff.de acquir.possess. l.1.§.3.ff. de publican. l.si rogandæ, §.1.ff.de præscript.verb.l.1.§.aleæ.ff.de aleat.*

His suppositis apparet ratio præsentis assertionis; nam cùm raptor bonorum non solùm teneatur de peccato commisso pœnitentiam facere, & ita Deo satisfacere; verùm & pro damno illato in proximum satisfacere, & bona ablata restituere, *c.cùm tu, de vsur.* ideò asserit Eugenius, raptorem etiam penitentiam petentem cogendum esse restituere, præcipuè cùm non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum, regula *peccatum, de R.I.l.6.* & si, cùm potuit, restituere noluit, posteà tamen in vltimo vitæ spiritu positus, cùm restituere non poterat, penitentiam petierit, reconciliatio illi non est deneganda, sed sepultura ecclesiastica non est concedenda, vt sic alij terreantur, & cùm possunt, ablata restituant. 12 Traditur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam procedit, quando publicus peccator sanus penitentiam petit pro crimine graui, & notorio, ex quo cæteri fideles scandalum passi sunt; nam tunc procedit principium textus *in d. c.1. de penit & remiss.* videlicet vt peccata publicè commissa publicè defleantur: at verò in præsenti casu raptor penitentiam petebat in vltimo vitæ spiritu, vnde reconciliatio illi conceditur; quia quacunque hora ingemuerit peccator, audiendus est, iuxta suprà tradita: sepultura autem non conceditur, quia cùm potuit, restituere noluit. Vnde cùm *in d. cap. de viro*, agatur de penitentia solemni iniungenda Burgando publico raptori, ideò Nicolaus formam penitentiæ solemnis præscriptam illi iniungit. 13 Dissoluitur dubitandi ratio.

C A P V T III.

a *Ex Concilio Lateran.*

EXcommunicationi quoque subdantur, qui Romanos, aut alios Christianos pro *b* negotiatione, vel alijs honestis causis nauigio vectos, aut capere, aut rebus suis exspoliare præsumunt. Illi etiam, qui Christianos naufragium patientes, quibus secundùm regulam fidei auxilio esse tenentur, *c* damnanda cupiditate rebus suis exspoliare præsumunt, nisi ablata reddiderint, excommunicationi se nouerint subiacere.

N O T Æ.

1 a LAteran.] Ità etiam legitur in prima collectione, *sub hac tit. cap. 2.* vbi additur, *pars capitis Ita quorundam;* vnde cognoscitur in præsenti referri secundam partem textus *in cap. ita quorundam, de Iudæis*, & integer canon extat in Concilio Lateran. celebrato sub Alexandro III. *capite 24.*

b *Negotiatione.*] De plena securitate, qua gaudere debent negotiatores, etiam tempore belli, egi *in cap. 2. de treug. & pace.*

c *Damnanda.*] Ita legitur in prima collectione, & in ipso Concilio locis supra citatis. Sed in hac sexta collectione legitur *damnata*: forsan allusit Raymundus

mundus ad authenticam *nauigia*, *C. de furtis*: & hæc lectio poterit retineri, quæ displicebat Ant. Augustino *in notis ad hunc textum*.

COMMENTARIVM.

2 PRo huius textus expositione nonnulla præmittenda sunt de naufragijs, & naufragorum bonis. Et primò sciendum est, merces, quæ subactæ tempestate, & leuandæ nauis causa in mare proijciuntur, manere in dominio eorum, quorum fuerant, nec haberi pro derelictis, *l. qua ratione*, *ff. fin. ff. de acquir. dominio*. Ratio est, quia ad leuandam, saluandamque nauim propter necessitatem in mare proijciuntur, *l. 2. §. fin. l. qui leuandæ*, *ff. ad leg. Rhodiam*, *l. quæcumque*, *ff. de acquir. domin. l. interdum 21. §. 1. ff. de acquir. possess. §. fin. Instit. de rer. diuisione*. Inde prouenit, vt qui eas surripuerit, furtum committat, cùm dominus non animo delinquendi eas proiecerit, *l. in eum*, *authent. nauigia*, *C. de furtis*, *l. 1. & per totum ff. de incendio & ruina*. Explicant Cæpola *de seruit. cap. 27.* Pancirola *lib. 1. var. cap. 57.* Pinel. *lib. 2. select. cap. 9. num. 1.* Gomez *in l. 45. Tauri*, *num. 61*. Nec contrarium probat textus *in l. falsus 44. §. si iactum*, *ff. de furtis*, de cuius solutione videndi sunt Amaya *lib. 2. obs. cap. 7. num. 24.* Pinel. *lib. 2. select. cap. 9. num. 1.* & in hac parte obseruandi sunt textus *in l. 3. §. 1. ff. de incend. & ruina*, *l. fin. §. 1. ff. de muner. & honor. l. qui seruandarum*, *ff. de præscript. verb. l. penult. ff. de rerum diuis. l. 2. Cod. de naufrag. lib. 11. l. 3. ff. Labeo*, *l. Pomponius 44. §. idem*, *ff. de acquir. possess.* iuncto Amaya *lib. 2. obseru. cap. 7. num. 25. l. fin. §. 4. ff. de publican. l. 55. ff. de condit. & demonstr. l. 58. ff. de acquir. dominio*.

De lege Rhodia. 3 Deinde sciendum est, licere propria auctoritate merces naui vectas in mare proijcere, quia id communis salutis causa, & ob bonum commune totius nauis fit, vt etiam arcendi ignis causa licet vicinas ædes incidere absque eo, quòd actio in factum, vel legis Aquiliæ detur, *l. 3. vers. idem*, *ff. de incendio & ruina*, *l. si quis fumo*, *§ 1. ff. ad leg. Aquil.* Verùm si pereant merces ita iactatæ, simile damnum non est tantùm illius, cuius merces tantùm iactatæ sunt, sed commune totius nauis, & quilibet, qui se, mercesque suas inde saluas fecit, tenetur pro rata ad contributionem, iuxta legem Rhodiam, de qua *in l. 1. & 3. ff. ad leg. Rhodiam*: *l. item 13. §. 1. l. in nauem 31 ff. locati*, *l. si quis fullo 45. ff. 1. ff. ad leg. Aquil.* cuius legis historiam, & capita refert Morisotus *lib. 1. orbis marit. cap. 30*. Ratio est, quia æquum videtur, vt commune sit damnum eorum, qui ob res socij in mare iactatas suas saluas fecit, *l. 2. §. æquissimum*, *ff. ad leg. Rhodiam*. Circa quam contributionem obseruandi sunt textus *in l. qui seruandarum*, *ff. de præscript. verb. l. 3. §. ait*, *ff. nautæ*, *caupones*, *l. Pomponius 44. ff. 1. ff. de acquir. domin. l. 2. ff. 1. ff. de negot. gestis*, *l. si ex legati 23 ff. de V. O. l. in conductu*, *C. si certum petatur*, *l. 55. ff. de condit. & demonstr. l. 4. §. 9. ff. de ædilit. edict. l. fin. C. de naufrag. lib. 11. l. 3. §. est & alia*, *ff. quod vi aut clam*, cum lege 3. *ff. si quis 45. ff. ad leg. Aquil.* Et pro illustratione difficilis textus *in l. deprecatio*, *ff. ad leg. Rhodiam*, videndi sunt Amaya *lib. 1. obseru. cap. 1. num. 70.* D. Ioannes Ramos *in analect. ad ipsum textum*, I. Gothofr. *in opuscul. ad eundem textum*, Mancinus *lib. 3. de triplici iuris collat. cap. 214.* Salcedo *ad D. Thomam de regim. Princip. lib. 3. cap. 13. dissert. 39.* D. Iosephus de Retes *l. 8. opusc. cap. 19*.

De rebus naufragor. 4 Deinde sciendum est, apud varias gentes, præcipuè barbaras, in vsu fuisse, esseque, vel ex eorum constitutionibus, vel ex veteri corruptela, vt naufragantium bona, quæ ad eorum litora appellerent, vel in eorum portus colliderentur, fierent fisci, siue, quod idem est, publicarentur. Curtius Fortunatianus *lib. 3. artis Rhetoricæ*, ibi: *Nulla certior definitio est, quàm naufragantium bona esse publicanorum, id est eorum, qui publica vectigalia, aut portoria conducta habebant*. Sopater *in Aphtonium*, *pag. 107.* Allusit Iuuenalis *satyra 4. Res fisci est vbicumque natat*. Quam legem apud varias Septentrionales gentes in vsu fuisse probant Grotius *lib. 2. de iure belli*, *cap. 7. §. 1. & in notis Salmut. ad Pancirolam, lib. 1. memorab. tit. 11.* Guillelmus Benedictus *in cap. Raynuntius, de testamentis*, *verbo Vxorem nomine Adelasiam, num. 935*. Rebuffus *ad leges regias*, *glossa 5. num. 74*. Hinc querela in naufragij raptorem mari ipso sæuiorem, Paulini ad Macharium *epist. 36. Ne patiaris inuidia diaboli per hominem improbum Secundiniano eripi, vel iam ereptum negari, quod illi de naufragio redonauit Deus: procurator Christiani viri fratris nostri Posthumiani esse dicitur, qui eam nauem in Brutiorum litore, quò possessio Senatoris alluitur, adlapsam, auarior mari, & sine myoparone, piraticam in terra agere occupauit, & captam vacuefecit; nam etiam nunc in ipso litore inanis manet, vt damnum oneris frustra in pelago seruati, & in terra perditi contestetur: depositæ iam sæpè apud iudicem prouincialem super hoc patrocinio querelæ, sed Pharao noster indurauit cor suum*. Immò de Græcis, & alijs politioribus populis idem notat Fornerius ad Cassiodor. *l. 4. epist. 7.* Immò & hoc ius ad territorij quoque dominos translatum fuisse probat Dadinus Altesserra *de Ducibus l. 2. c. 13*. Nec his naufragis parcebat Agathensis Episcopus in ora maritima Orcitaniæ: quare reus postulatus fuit apud Innoc. III. *in c. cùm dilecti, de accusat.* & crudele hoc latrocinium solere ad Rupellam exerceri, refert I. Bielius *l. 1. obs. sacrar. c. 6. Nimirùm si grauior tempestas in nauem aliquam incubuerit, & magna ex parte fractam in litus eiecerit, miseros naufragos eo tantùm nomine, quòd nondum plenè miseri sint, tetriori tempestate in litore subiacere, omnibus quæ fluctus ipsi reliqua fecerant, occurrentium direptioni patentibus*. Quam immanitatem Honorius Papa in rescripto ad Hildebertum Cenomanensem (est inter eius epistolas 67.) acerrimè corripuit, & quotannis fulmine Apostolico damnari iussit; hancque censet Theophilus Raynaud. *to. 4. de vitijs*, *l. 3. sect. 3. c. 6.* fuisse primam originem percellendi anniuersario anathemate diripientes naufragorum bona; fortassis quòd non ad Rupellam dumtaxat, sed alibi quoque eadem barbaries locum haberet. Certè iam olim apud Britannos idem in vsu fuisse constat ex Ildeberto Cenoman. *epist. 95*. In Stadensi ora idem viguisse scribit Albertus Stadensis: sed & in Brutiorum litore idem obseruatum fuisse constat ex dicta epistola sancti Paulini, vbi Fronto, & Duceus hanc immanitatem paucis, sed luculenter exagitant. Et quidem adeò inualuit lex hæc, vt non tantùm res, verùm & homines quoque ipsi ex naufragio seruati fisci commodis adscripti in seruitutem abducerentur. Cuius rei exemplum habemus apud Abbatem Stadensem *pag. 153.* ibi: *Friderici auia, & mater de Anglia nauigantes in Comitatu Stadensi naufragium passæ sunt, & secundùm prisci iuris rigorem, tam homines, quàm res regię ditioni sunt mancipati*. Et statim: *Quæsiuit in sententia, an licitè possit vindicare sibi mancipium suum vbicumque reperiret: & cùm lata esset sententia, quod posset, dedit magnam alapam clerico*. Et tandem ait: *Auia & mater sub prætextu naufragij seruituti sunt addictæ*.

Apud Romanos in primis lege Cornelia de sicarijs pęna statuta fuit aduersùs eum, qui naufragium suppresserit, 5 De iure Romanorum. *l. 3. §. item is 4. ff. ad leg. Corn. de sicarijs*, & ex rescripto Antonini, testante Vlpiano *in l. vlt. ff. de incendio & ruina*, vnicuique licuit naufragium suum colligere: quod rescriptum extat *In l. 1. C. de naufrag. l. 11.* Dudum enim viris doctis placuit, non Constantini, sed Antonini esse illam constitutionem. Quas causas breuiter, leuatoque velo esse decidendas Imperatores Honorius, & Theodosius sanxerunt *in l. de submersis 5. Cod. eod. tit.* quæ in Theodosiano est *6*. Inter legem Corneliam, edictumque Antonini Senatusconsultum intercessit factum Claudiani temporibus, ne naufragus opprimeretur, neue clauus vnus ex naufragio supprimeretur, *l. 1. §. vltimo*, *l. 3. §. fin. cum l. sequenti*, *ff. de incendio & ruina*; in cuius legis 4. §. 1. Antonini aliud rescriptum proponitur, quo grauissimæ pęnæ statutæ sunt in naufragij, naufragorumque direptores: de cuius legis sensu, & lectione agit cum iudicio Petrus Faber *l. 2. semestr c. 5. pagina mihi 59*. Anterior alia constitutio Hadriani refertur à Calistrato contra possessores prædiorum iuxta litora maris, *in l. nec 7. eod. tit.* qua tanquam latrones puniuntur, qui aliquid ex naufragio subripuerint, aut suppresserint, edictumque Prætoris, de quo *in l. 1 ff. eod. tit.* & *in l. 18. Cod. de furtis*, eos punit in quadruplum tanquam raptores, qui ex hoc infortunio, vel ex hac calamitate aliquid rapuerint, vel receperint, vel retinuerint: quam quadrupli pęnam reperio etiam sancitam inter leges Rhodiorum, *c. 48.* & *in l. 18. tit. de furibus, lib. 7. legum Visigoth.* notauit Petrus Gregorius *l. 37. syntag. c. 3.* quod edictum Prętoris imitatus postea fuit Imperator Leo Philosophus, more solito prudentiam Romanorum taxans; sed immeritò, quasi ex æquo non punierint eos, qui naufragos exspoliarint, ac eos, qui res ex naufragio suppresserint; sed hoc falsum est, vt patet ex constitutionibus suprà laudatis, ma-

tis, maximè ex lege Cornelia de sicarijs. Sanxit ergo Leo nouella sua 64. vt in quadruplum suppressor teneretur; sed & quod ait, olim capitaliter, siue pęna mortis punitum fuisse, qui res naufragio diripuisset, non video vnde collegerit, quippe legis Corneliæ de sicarijs, nec edicti Antonini tam grauis pęna non fuit. Sed ad rem nullus asperius in direptores naufragij animaduertit, quàm Andronicus Comnenus Imperator, qui Imperium arripuit ad annum Christi M.C.LXXXIII. occubuitque malè à populo mulctatus, immò mactatus anno M.C.LXXXV. vt comperiunt Baronius, Gualterus, & alij Chronologi. Hic prout iracundus, asper & inexorabilis erat, sed iustitiæ tenax, vt ex gestis ab eo constat; videns iam in prauam consuetudinem abijsse apud Romanos, eosque solos, vt naues tempestate in litus eiectæ, non modo à nemine adiuuarentur, sed ab accolis quouis turbine sæuioribus diriperentur; iniquissimæ isti rationi tam acriter est aduersatus, & ita piraticam illam rapacitatem compescuit, vt hæc vna res amplissimas eius laudes complectatur, orationeque in Senatu, & coram Procetibus habita ita sanxit: *Si quis vestrum nostra authoritote Magistratum aliquem gerit, si quis fundos maritimos possidet, is primùm seipsum, deinde subditos quoque ad iustitiam, & imperij nostri obseruantiam, ac reuerentiam confirmet: vt autem pœnæ quoque modum noueritis, quam edicti mei contemptor luet, in malo nauis pendebit: si malum marinus fluctus deturbauerit, in alto litore, editaque specula altissimæ arbori affigetur.* Hæc ex Niceta Coniate *lib. 2. de vita Andronici Comneni*, vbi prout est floridus, & amœnus, amplificationibusque, & figuris gaudet, multa in detestationem huius crudelitatis, & in commendationem huius edicti Imperialis scribit omninò legenda. Sub idem tempus Fridericus Ænobarbus, qui imperauit ex anno 1150. vsque ad annum 1190. vt constat ex ijsdem Chronologis, legem non multò dissimilem in Occidente tulit, quæ in corpus iuris redacta est, *authent. nauigia, C. de furtis, cap 4. de consuetudine, in 5. compil.* illaque sancitur, vt qui res ex naufragio diripuerit, suppresserit, retinuerit, publicatione bonorum puniatur, & extraordinariæ subiaceat pœnæ, prout audacia efflagitauerit, idest arbitrariæ, vt sensit Menochius *de arbitr. casu* 297. quem, aliosque sequitur Farinac. vtiliter videndus 3. *part. prax. crimin. tit. de furtis, qu.* 168. *cap* 4.

6 De eodem iure. Ex quo facilè suspicor, tam in Oriente, quàm in Occidente prauum morem viguisse illis temporibus occupandi res naufragio deperditas, licèt dominus cognosceretur, & quæ forsan in litora, vel portus perueniebant, siue nauigia ipsa essent, siue merces, vt suprà probaui, & constat ex Siranio Soprato *in Hermog.* & ex Iuuenali *satyra* 4. qui tamen potiùs taxat tempora, moresque sæculi Domitiani tota illa satyra, & frequentissimas delationes, quàm propriè loquatur de naufragijs.

Si quid Palphurio, si credimus Armiliato,
Quidquid conspicuum, pulchrumque est æquore toto,
Res fisci est vbicumque natat: donabitur ergo,
Ne pereat, &c.

Ergo teterrimus ille mos à Græcis, Barbarisque iam olim vsurpatus, nouissimis temporibus in terris vtriusque Imperij serpere cœpit, donec prædictis duabus constitutionibus auerruncatus fuit. Non ita tamen apud Rhodios receptum erat, ex quorum lege quidquid leuandæ nauis causa eiectum erat à naufragis, aut timentibus naufragium, veteribus dominis restituebatur, *l. 1. & 2. l. qui leuandæ 8. ff. ad leg. Rhodiam, l. falsus 43. §. si iactum, ff. de furtis.* Cùm qua Rhodiorum lege conuenit rescriptum DD. fratrum *in l. fin. §. si propter 8. ff. de publican. & vectig.* qui rescripserunt, ad publicanos non pertinere quod in mare iactatum fuit nauis leuandæ causa: ergo pristino domino restitui debent, vt iam suprà probaui. Inde etiam publicani habitantes insulas Cycladas maris Ægæi, voluerunt diripere Eudæmonem, & socios Nicomedienses naufragium facientes circa Icariam, quæ est vna ex Cycladibus, *in l. deprecatio, ff. ad leg. Rhodiam de iactu*: quibus Antoninus consuluit præcipiens, vt eorum causa lege Rhodiorum decideretur, in quantum Romanis institutis contraria non esset; quod fuit iubere, vt sua cuique propria restituerentur, secundùm quod ipse Antoninus rescripserat *in l. 1. C. de naufrag. iuncta l. fin. de incendio, & ruina.*

7 Amplius de eodem iure. Sed quod Fornerius, & alij existimant *ex l. 2. & per totum ferè C. de naufrag.* & ex eodem titulo *in Theodos. lib.* 13. *tit.* 18. post biennium, & ex nouioribus constitutionibus post annum non fuisse ius repetendi res suas illis, qui naufragium passi fuerant, sed apud occupatores remanere, adeò incertum est, vt nihil a verò sensu illorum textuum magis distet; loquuntur enim de periculo corporis, collegij, cœtus nauiculariorum publicas species transportantium, à quo liberantur, si probent ex facto naufragij, vel naues, vel merces iactatas perijsse, nisi prædecens culpa sit ipsorum, qui posteà sustinuerunt naufragium, vel ex leui causa merces iactarunt: quo in casu adhuc post naufragium sustinent periculum, *l. vlt.* sic intelligenda, *Cod. eod. tit.* vel si in tempore nauigationi præstituto non nauigarunt, *l. quoties 3. Cod. Theodos. eod. tit.* ibi: *Placuit sanè, vt Nouembris mense nauigatione subtracta, Aprilis qui æstati est proximus, susceptionibus applicetur, cuius susceptionis necessitas ex Kalendis Aprilis in diem Kalendarum Octobris mensura seruabitur, & in diem Iduum earundem nauigatio porrigetur.* Quò alludunt verba textus *in l. vtique 16. §. 1. ff. de rei vindic.* ibi: *Sin autem petitam tempore nauigationis trans mare misit.* Et *in l. qui petitorio 36. in fine, eod. tit.* ibi: *Et qui nauem à se petitam aduerso tempore nauigatum misit, si ea naufragio perempta est, & pactum quo Callimachus promisit intra idus Septembris nauigare in Syriam, mercesque reparare.* Apud Scæuolam *in l. qui Romæ* 12. *§. 1. de verb. oblig.* quod ad hunc textum obseruauit Alciatus *lib. 10. parerg. cap.* 19. ne mare antè clauderetur: de quo iteru expressiùs quàm alij Flauius Vegetius *lib. 4. de re milit. cap.* 39. verba sunt: *Phenitæ de cursu, idest ab ortu Pleiadum, à die 6. Kalend. Iun. vsque ad Arcturi ortum, idest in diem* 18. *Kalend. Octobris, secura nauigatio creditur, quia æstatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur: post hoc tempus vsque in 3. Idus Nouembris incerta nauigatio est, & discrimini propior, propterea quia post Septembris Idus oritur Arcturus, vehementissimum sydus. VIII. Kalend. Octobris æquinoctialis euenit acerba tempestas: circa nonas verò Octobris hœdi pluuiales, VIII eiusdem Taurus: à Nouembri autem mense crebris tempestatibus nauigia conturbat Vergiliarum hyemalis occasus. Ex die igitur III. Id. Nouembris vsque in diem 8. Id. Martij maria clauduntur; nam lux minima, noxque prolixa, nubium densitas, aeris obscuritas, ventorum, imbrium, vel niuium geminata sæuitia non solùm classes à pelago, sed etiam commeantes à terrestri itinere deturbat: post natalem verò (vt ita dicam) nauigationis, qui solemni certamine, publicoque spectaculo multarum gentium celebratur, plurimorum syderum, ipsiusque temporis ratione vsque in Id. Maias periculosè maria tentantur.* Seruius ad illud Virgilij *primo Georg. versu* 137.

Nauita tum stellis numeros, & nomina fecit,
Pleiadas, Hyadas, claramque Licaonis Arcton.

Sic ait: *Pleiades signum est antè genita Tauri, quod ortu suo primum nauigationis tempus ostentat; dictæ ab eo, quod est pleo nauigo, latinè Vergiliæ dicuntur à verni temporis significatione. Hyades sunt in fronte Tauri: quòd ortu suo concitant pluuias, latinè suculæ dicuntur.* Alia testimonia ibidem adducit eximius Zerda *num.* 23. Lunaque, siue Diana sic alloquitur Apuleium *lib.* 11. *suarum transform.* non procul à principio: *Diem, qui dies ex ista nocte nascetur, æterna mihi nuncupabit religio, quo sedatis hybernis tempestatibus, & lenitis maris procellosis fluctibus, nauigabili iam pelago rudem dedicantes carinam primitias commeatus libant mei sacerdotes.* Et paulò inferiùs: *Inter hæc, & festorum victorum tumultum paulatim progressi iam proximamus ripam maris, atque ad ipsum illum locum, quò pridie meus stabulauerat asinus, peruenimus: ibidem simulacris ritè dispositis, nauem fabrerimè, picturis miris Ægyptiorum circumseptum variegatam, summus sacerdos tæda lucida, & ouo, & sulphure solemnissimas preces de casto præfatus ore, quam purissimè purificatam Deæ nuncupauit, dedicauitque: huius aluei felices mittens carbasus litore votum inæstuans progerebat*, &c. Cicero *lib. 2. epist. ad Q. frat. epist.* 5. illic: *Erat autem iturus, aiebat, ad III. Eid. April. vt aut Labroue, aut Pisis conscenderet: tu mi frater simul ac ille venerit, primam nauigationem, dummodo idonea tempestas sit, ne omiseris.* Et propè finem: *Tuas mirificè litteras expecto, atque adhuc clausum mare scio fuisse, sed quosdam venisse Ostia dicebant, qui te*, &c. Alia videas apud Ferretum *de re nauali lib. 11. §. 2. & 3.* Ioannem Seldenum *in præfat. ad libros maris clausi*, Henricum Salmut.

ad

Digitized by Google

ad memorab. Panciroll.l.2.tit.11.pag.239. Carranzam *in tr. de la reduccion de las monedas,1.p.c.2.§.2.pag.c.5.& 46.*

8 Nulla tamen constitutio expressius quàm nouissima Friderici de naufragijs cauit: ita enim naufragis prospexit, vt eius bona restitui iussit, si non essent ex his, qui piraticam exercent, vel Imperij, nominisque Christiani hostes sint, siue, vt textus loquitur, inimici, id est qui diuersas partes sequuntur, quamuis inter vtrumque populum bellum actualiter non sit; quibus bona non iubentur restitui, si patiantur naufragium. Videamus tamen, quibus ex veteri iure Romano hæc bona adiudicarentur? Placet mihi ita distinguere sub eruditorum censura: Si hostes populi Romani naufragium facerent, publicanis hæc bona adiudicari, qui publica fisci conducebant, probat non malè textus iam allegatus *in d.l. vlt.§. si propter 8.ff. de publicanis*; alioquin nullus erit locus dubitationi, si nulla essent omninò naufragia, quæ ad publicanos pertinerent: quò etiam tendit commodius intellectus Fortunatiani locus suprà relatus, in quo nullam esse certiorem definitionem tradit, quàm naufragium ad fiscum pertinere: si ciues, & subditi, & socij, qui cæteras partes in bello sequebantur, naufragabant, ipsis restituenda esse naufragia, compertum est ex legibus, & constitutionibus suprà relatis. Quod si gens naufragium passa fit, cum qua nec bellum erat Romanis, nec fœdus pacis inierant, sed omninò exteri erant, quamuis homines capti ab eis serui capientium fierent, vt constat *ex l.postliminium,§.in pace, ff. de captiuis*, notauit D. Iosephus de Retes *l.6. opuscul. cap.4.num.1* post Desiderium Heraldum *l.1. animadu.ad Salmasium,cap.3.num.9.* contra Grotium *l.3. de iure belli, cap.9.num.18.* tamen miseriæ, & naufragantium misericordiæ puto datum fuisse, ne res ipsorum opprimerentur, subtraherentur, publicarentur: quod ita probo. Olim lege Cornelia de ficarijs vindicatum fuit delictum eorum, qui naufragium suppressérint: mox pœna repetita fuit Senatusconsultis factis temporibus Imperatoris Claudij, deinde Hadriani constitutione, item quadrupli pœna ex auctoritate perpetui edicti, tandem Antoninus acres pœnas imposuit aduersùs eosdem direptores, vel occultatores, vt suprà notatum manet: & post hæc omnia laudatur simpliciter eiusdem Antonini rescriptum, quòd naufragium facientibus res suas restitui iussit, nulla in contrarium pœna imposita. Ergo vt hoc rescriptū dignū sit laudibus, quibus solet extolli, immò vt aliciuismomēti sit, debet de naufragis peregrinis exterarum nationum accipi, erga quos misericordiores fuerunt Romani, quàm si naufragium non fecissent, ne genus crudelitatis ipsis repetaretur, vltra naufragium *velle sæuire*, vt vsurpem Cassiodori verba *l.4. epist.7.* quod fortè sensit Hugo Grotius magni iudicij auctor *l.2 de iure belli, cap.7.§.1.* vbi docet à ratione naturali abhorrere leges ciuiles, quæ naufragorum bona fisco adducunt, quia ius suum alicui auferre fine causa, mera iniuria est: adducitque locum Euripidis in Helena: *Suum*, inquit, *naufragos spoliare, quod genus est nefas?* Dionis etiam Prusiensis *orat.7. Absit, ô Iupiter, vt lucrum captemus tale ex hominum infortunio.* Quibus testimonijs annectit dictam legem 1. *Cod. de naufrag.* quæ solam inter homines naturalem cognationem redolent, nec peculiarem iustitiam inter conciues respiciunt. Ergo denotat, esse contra fas, & contra iustitiam omnibus hominibus naturaliter debitam bona naufragi exteri diripere, subripere, occultare: & ita, vt censeo, etiam de iure Romanorum ex Antonini constitutionibus à naufragorum præda fiscus, & priuati repulsi fuerunt, ne ex aliena calamitate compendium facerent, *l.1.C.de naufragijs*, ibi: *Nihil istis habere fiscum in aliena calamitate, vt ex re tam luctuosa compendium quærat.* Et pœnæ generaliter propositæ fuerunt in direptores earum mercium, earumque vsucapio, aut collectio omnibus vetita fuit, *l.1.§.4.§. vlt.ff.de incendio, l.vlt.C.de naufrag.l.21.§.1 ff.de acquir.possess.l.9.§.vlt.l.44.ff.de acquir.domin.* ita vt nunquam in commissum, aut fiscum cadant, *l.16.§.si propter,ff.de publican. l.7.ff.pro derelict.l.2. ff.ad leg.Rhodiam de iact.* Vnde in rescripto, quod extat in synopsi Basilic.*l.54.tit.8.* ita legitur: *Si quando naufragio nauis expulsa fuerit ad litus, vel si aliquando aliquam terram attigerit, ad dominos pertineat, & fiscus meus sese non interponat; quod enim ius habet fiscus in aliena calamitate, vt de re tam luctuosa compendium sectetur?* Quia vt aiebat Cassiodor *l.4.epist.7. Ferinæ inhumanitatis genus est vltra naufragium velle desæuire.* Qua mente Iusulanus Euboicus naufragorum deprædationis crimen sibi obiectum, vt nimis inhumanum, & à se longè alienum detestatur apud Dionem Chrysostomum *in Eboic.orat.7.* ibi: *Nunquam enim mihi obtingat, ô Iupiter, accipere, & facere tale lucrum hominum infortunio.* Sed vix fiscus, nedum priuati, manus à captura, & direptione naufragorum: qua re commoti Fridericus III. *in authent. nauigia, Cod.de furtis*, & Leo Imperator *in nouel.64.* legem de naufragis non attingendis repetierunt, & prauam consuetudinem legibus aduersantem damnarunt. Humaniores quoque Principes diras huiusmodi consuetudines paulatim edictis sæuioribus abolere conati sunt. In Oriente etiam naufragorum spoliatores acriter repressit Andronicus Comnenus, proposita pœna suspendijè malo nauis, vel in litore maris è procera arbore. Nicetas *in Andron.l.2.ibi: Cùm autem apud Romanos, eosque solos (vt opinor) iniquissima consuetudo valeret, vt naues tempestatibus in litus eiectæ, non modò à nemine adiuuarentur, sed ab accolis quouis turbine sæuioribus diriperentur, si qua fluctus reliqua fecerant; iniquissimæ isti rationi tam acriter est aduersatus, ita piraticam illam rapacitatem compescuit, vt hæc vna res eius amplissimas laudes complectatur.* De Henrico Rege Angliæ hæc refert Guillelmus Neubrig. *lib.4 histor. Angliæ, cap.26. pag.372. Antiquam inhumanam circa naufragos consuetudinem in ipsis regni sui initijs eximia pietate correxit, atque huiusmodi hominibus ab æquoreo discrimine liberatis humanitatis officium exhiberi præcipiens, graues in eos pœnas sanxit, qui fortè illis in aliquo molesti esse, vel de rebus eorum quippiam vsurpare præsumerent.* Quid verò Scythis contigisset, qui fortunarum expilatione, & cæde naufragorum opes cumulabant, refert Ioann. Cantacuzenus *apolog.2.ibi: Scythis mos erat Deo suo eos, qui ex naufragijs saluati erant, immolare, quotquot saltem deprehendi possent. Sic quos propria seruauerat salertia, illorum trucidabat crudelitas.*

Necnon Romani Pontifices, vt huic labi mederentur, partes suas interposuere, & naufragorum res religiosis præsidio tutas præstare omni studio contenderunt. Gregorius VII. *l.5.epist.14.*& in Concil. Roman. *can.5.* ait: *Quoniam Dei iudicio nonnullos naufragia perire cognoscimus, & eos quasi legali iam iure, immò diabolico instinctu ab his, à quibus misericorditer subleuari, & consolari deberent, deprædari conspicimus: statuimus, & sub anathematis vinculo, vt à prædecessoribus nostris statutum est, iubemus vt qui naufragum quemlibet, & bona illius inuenerit, securè tam eum, quàm omnia sua dimittat.* Paschalis II. in Concilio incerto, *cau.9.ibi: Quicumque res naufragorum diripiunt, vt raptores, & fratrum necatores ab Ecclesiæ liminibus excludantur.* Hildebertus Episcopus Cenoman. *in epist.65* ad Honorium II. ibi: *Siquidem vsque in diem præfati conuentus Synodi Nannetensis huiusmodi consuetudo in terra Comitis extiterat, vt decedente marito, vel vxore, vniuersa decedentis mobilia in proprietatem Potestatis transirent: prætereà quicquid euadebat ex naufragijs, totum sibi fiscus lege vindicabat patriæ, passasque naufragium miserabilius violentia Principum spoliabat, quàm maris rapina, quàm procella. Vtramque autem exactionem sub oculis totius Concilij Comes in nostra manu deposuit, postulans in eos excommunicationis gladium extendi.* Quod decretum pleniùs confirmauit Honorius II. *epist. 67.* apud eundem Hildebertum, ibi: *Iniquum censemus esse, vt quem diuinæ clementiæ magnitudo à sæuientis pelagi voracitate exemit, hominum sæua rapacitas audeat spoliare. Priorum namque Imperatorum emanauit auctoritas, vt etiam earum rerum, quæ in tempestate maris leuandæ nauis causa eijciuntur, non amittatur dominium, non enim eas quis eo animo abijeit, quòd habere noluit, sed quòd periculum effugere possit: & qui res ipsas lucrandi animo abstulerit, furtum committit.* Tandem Alexander III. in Concilio Lateran. canone in præsenti relato, & in cap. ita quorundam, *de Iudæis*, statuit, ne Christiani Sarracenis arma vendant, ne ipsos nauigio vectos quisquam spoliare præsumat: & vt etiam illi, qui Christianos naufragium patientes damnata cupiditate spoliant rebus suis, nisi ablata reddiderint, excommunicationi subiaceant. Cui constitutioni ansam dederunt piratæ, latrunculique nequissimi, qui nauigantes Christianos, & in ipsorum litora appellantes, non mitiùs, liberaliusque tractabant, quàm Turcæ, aut Sarraceni, aduersùs quos vt armis decertent, Principes Christiani nos monuit, ipse verò pro Pontificia iurisdictione excommunicauit. Appellat enim latrunculos istos, vel à patria, vel ab sceleribus, his nominibus, Brabantiones, Aragoneos, Nauarros,

De nouis constitutionibus.

9 De sacris canonibus eadem bona.

Digitized by Google

uarros, Basculos, Coterellos: & Matthæus Paris. *in epit. huius Concilij, ad annum* 1179. ita titulum fecit: *de Ruptarijs, & Brabantijs, & Prædonibus, qui fideles affligunt*. Et paulò post: *Ne Christiani Sarracenis arma vendant: nec patientes naufragium quisquam spoliare præsumat*. Itaque quod Petrus Abbas Cluniacensis enixè efflagitauerat ab Euerardo Magistro Templariorum, & à Summo Ecclesiæ Præsule Eugenio III. *l.6. epist.27. & 28.* qui sedit ex anno 1145. vsque ad annum 1153. nec fuerat exequutus, ad effectum perduxit Alexander in præsenti: obseruauit Baronius *anno* 1179. Et licèt huius excommunicationis absolutio in præsenti non sit reseruata à Romano Pontifice, extat tamen reseruata *in §.4 Bullæ Cœnæ Domini*, in qua quotannis excommunicatio profertur in eos, qui subripiunt Christianorum naufragorum bona, siue in nauibus existentia, siue ex eisdem eiecta, siue in litore inuenta, cuiuscumque generis bona sint, & in quocumque mari inuenta, non obstante quouis priuilegio, aut consuetudine. Docent Duardus *in expositione Bullæ, l.2. c.4.* Fragoso *de regim. Christ. Reipub. in dicto §.4 Bullæ Cœnæ Domini*, Castro Palao *operis moral. disp.3. punct.5. n.5.* Scortia *in select. Pont. constit. epit.4 theorem.7.* Gibalinus *de censur. in synopsi, verbo Naufragantium*. Ex quo primò apparet, non posse iustificari leges Principum, vel Rerumpublicarum, quæ naufragorum bona, si de domino sciri possit, fisco addicunt; quia sunt contra iustitiam naturalem, vt docent post Azonem *in summa, C. de naufragijs*, Nauarrus *in manuali, c.27. n.60. ex nu.118.* & alij relati à Barbosa *in præsenti, n. fin.* Rebuffus *ad leges Regias, glos.5. nu.74.* Couarr. *in regul. peccatum, 3. p. §.1. n.5.* Ioannes Gutier. *l.2. canonic. c.9. ex n.20.* Grotius *l.2. de iure belli, c.7 §.1.* Solorzanus *l.6. polit. Indiæ, c.6. pag. 963.* Hæc excommunicatio non incurritur, nisi eo animo res naufragi occupata sit, vt inuito domino retineatur, secundùm quod accipienda est pœna, quæ propter naufragium occultum imponitur Agathensi Episcopo *in c. cùm dilecti 18. de accusat.* Vnde in prædictam excommunicationem non incidunt, qui ea occupant, vt restituant; vel qui ignorantes prorsus dominos, vel existimantes res pro derelictis haberi, illas sibi detinent: quippe iniusta acceptio, & solus malus animus punitur. Aloysius Riccius *in praxi var. resol.191.* & totidem ferè verbis Zerola *in praxi, verbo Naufragium*, Barbosa *in præsenti, num.7.* Cessat etiam aduersus eos, qui res occupant Christianorum fidelium naufragium facientium, si hostes tamen sint illi populo, & genti, quæ occupat; quia tunc occupatio ex iure belli iustificatur Syluester *in summa, verbo Excommunicatio 7. num.55. vers. Vigesima est*. Ex quo non inuenio Auctores, qui bona ignotorum naufragantium, quæ omninò incerti domini sunt, suadeant vt pauperibus distribuantur; sed stando in terminis iuris naturalis ea addicunt occupanti absque vllo restitutionis onere faciendæ pro anima naufragi; quod Doctores suprà citati potiùs supponunt, quàm exponunt. Mihi tamen hæc sententia probatur ex eo, quia hæc bona vt possunt esse, vel fuisse conciuis amici Christiani, ita possunt esse hostis publici, infidelis Turcæ, aut piratæ, quæ iure belli cedunt occupanti. Ergo in hoc dubio iuris, & facti melior est conditio occupatoris, vt nulli, nec nullo modo restituere teneatur, nec pro anima naufragium facientis.

10 *De iure nostro regio.* Sed vt ad ius nostri Regni circa bona naufragorum perueniamus, Glossa incerti Auctoris *in c. dispensationes 16. 1. q.7. verbo Despicimus*, quæ Reges Hispaniæ taxat, qui naues fractas occupabant, de naufragij rebus nihil loquitur; & tamen de toto naufragio illam accipiunt Ioannes de Platea *in d. l.1. Cod. de naufrag. l.11.* Guillelmus Benedictus *in c. Raynunt. verbo Vxorem nomine Adelasiam, n.374.* Haud difficilè id credo, si mores illorum temporum spectem, ita etiam apud nos increbuisse, cùm ijdem, & detestabiliores vigerent in alijs prouincijs. Verùm legem nullam inuenio, quæ ita iusserit: potiùs referam contrarias. In primis habemus legem 1. *tit. vlt. l.4. fori legum*, quæ antè præclarum opus iuris Septempartiti edita fuit, vel ab Alphonso X. vel à Ferdinando III. eius patre, non multò post Concilium III. generale Lateranense. Ita in ea sancitur: *Si naue, ò galera, ò otro nauio peligrare, ò quebrabre, mandamos que el nauio, y todas las cosas que en el andaban, sean de aquellos cuyas eran antes que el nauio quebrasse, ò peligrasse: y ninguno no son osado de tomar ninguna cosa de ellas sin mandado de los dueños, fuera si las tomare para guardar, y darlas à sus dueños. Y antes que las tome en esta guisa, llame à el Alcalde del lugar, si lo bauer pudiere, y otros hombres buenos, y escribanlas, y guardenlas todas por escrito, y por quenta, y de otra guisa no sean osados de las tomar: y quien de otra manera las tomare, pechelas como de furto. Esso mismo sea de las cosas que fueren echadas del nauio, para aleuiarlo, ò cayeren, ò se perdieren por alguna guisa*. Idem expressiùs tamen, sancitur *in l.7 tit.9. part.5.* abrogatis priuilegijs, moribusque, vel immemorabilibus etiam consuetudinibus in contrarium obseruatis, vel vigentibus, vtpotè contra ius naturale, & iustitiam: *Fuera* (inde inquit) *si tales cosas fueren de los enemigos de el Rey, ò de el Reyno; ca entonce quien quier que las fallasse, deuen ser suyas*. Quod iure communi decisum non inuenio; in multis enim leges septempartitæ ius commune ampliarunt, suppleuerunt, & explicarunt, *l. ex fori*, quæ totidem verbis repetita extat *in l.3. tit.12. l.6. ordin. & in lege 9. tit.10. l.7. Recopil.* Sed prout praui mores citò subrepunt, aliquid cœpit extorqueri petitionis, subleuaminis, aut hospitij nomine ab illis, qui naufragium facientes, naui fracta, aut conuulsa in portum appellebant, *en nombre de Pitio*, vt dicit lex 1 *tit.12. l.6. ordin.* aut *Pecio*, vt legitur in summario legis septempartitæ, vel *Precio*, vt hodie extat *in l.11. d. tit.10. l.7. compilat.* Præfero tamen priorem lectionem; *Picio* enim significat petitum etiam hodie apud aliquos rusticos, qui veterem linguam tenaciùs retinent. Hanc consuetudinem auerruncarunt sub grauissimis pœnis Catholici Reges Ferdinandus, & Elizabeth *in d. l.10. & 11* vnde difficile est credere aliam esse gentem, quæ tam exactè, benignèque naufragis prouiderit, vt nostra: si quid verò contrà fit, contra leges, & contra Principum voluntatem fit.

Ex quibus legibus patrijs possunt decidi quæstiones, quæ in praxi solent apud nos esse frequentes, præsertim in his, qui naufragium patiuntur in nauigatione ad Indos; solent enim alij perspecto loco naufragij argentum, & alia pretiosa inde post aliquos annos extrahere per urinatores, non sine maximo opere, periculo, & expensis. In primis si ex signis, sigillisque, quibus vectores vtuntur, potest certa, vel morali probabilitate sciri de vero domino rerum, qui non sit hostis, vel pirata, illi, hæredibusue eius restituendæ sunt, ad quos natura pertinent, tam ex iure communi, aut Regio, quàm ex ipso iure naturæ: nam propter naufragij casum aliquem rebus suis spoliare mera iniustitia est, vt dixi: & ita supremum Indiarum Consilium decreuit in auro, argentoque extracto per Franciscum Mexiam ex naufragio, quod fecit classis Indica anno 1626. omne enim aurum, argentumque, cuius domini potuerunt agnosci, dominis restitutum fuit, solutis extractionis expensis, vt refert, iudicatum Solorzanus *l.6. polit. c.6. pag. 965.* certò enim sciebatur, non hostium esse, sed Hispanorum, qui vehebantur in naui, cui nomen *la Margarita*, in cuius submersa carina inuentum fuit. Secundò, supposito quòd Princeps noster habeat ius prohibendi nauigationem per mare Indicum, vt probauit D. Iosephus de Retes *l.7. opusc. c.1. n.6.* potest quæri, si non impetrata Regis nostri facultate, vt semper faciunt aliqui, per vrinatores extrahant diuitias naufragio deperditas, vel ab antiquo, vel de quarum dominis sciri moraliter non possit, factis omnibus diligentijs, vtrùm illas licitè retineant, & securi sint quoad forum interius, tanquam de rebus partis secundùm ius naturale? In qua quæstione, quam nondum excogitatam, ne dicam disputatam ab alio inueni, ita philosophandum censeo. Verum est annulorum, lapidum, & aliarum rerum pretiosarum, quæ naufragio in flumen decidunt, possessionem statim amitti, quia deficit facultas, & facilitas eas retinendi, aut repetendi pro libito: dominium verò non amitti, quia eius retentio non pendet à facultate retinendi rem, sed à iure, *l. Pomponius 13. in princip. de acquir. possess. iuncta l.3. §. Nerua, eod. tit.* quod valet, vt quandiù dominus inueniri possit, nemo eas sibi possit retinere sine crimine furti: quando verò de domino prorsus ignoratur, non puto hæc bona esse comparanda bonis adespotis, quæ dominos amiserunt; sed illis, quæ communia sunt per naturam, quia nunquam dominos habuerunt, & per consequens cedunt occupanti, iuxta superiùs dicta. Ratio est, quia flumina, & multò magis maria censitorum vice funguntur; & quæ occupant, faciunt publica; quæ deserunt, priuata. In summa omnis res illam induit qualitatem, quam habet flumen, vel mare, quod illam occupauit, *l. Aristo, penult. de rer. diuis. l. ergo 30. § alluuio 3. de acquir. rer. domin. l.1. § si in insula 6. cum sequent. de fluminibus*: explicant, ne immoremur, Guillelmus Fornerius *l.3. select. cap.2.* alijque apud Osualdum *ad Donel. l.4. cap.27.* 11 *Resoluuntur variæ quæstiones.*

Digitized by Google

cap.27.littera C. Ergo cùm mare natura commune sit, erit etiam quicquid mare occupauerit, postquam priuatum dominium amisit. Deinde à posteriori, quia si prorsus ignoratur cuius sit, potest esse hostis, & piratæ. Cùm ergo hæc iure belli cedant occupanti ex iure gentium, consequens est, vt etiam licitè retineantur, secundùm hoc ius: nec Principis prohibitione impedit dominij acquisitionem ex re natura communi, quamuis prohibitum subijciat alijs pœnis, quas in prohibitione imponit. Quod mihi probat textus *in l. Diuus Pius 16. de seruit. rustic. præd.* vbi Callistratus refert constitutionem Imperatoris Antonini Pij ad Aucupes emissam, qua sanxit, ne quis aucupandi, vel venandi causa fundum alienum ingrederetur inuito domino. Pone de facto, & prohibente domino ingressum fuisse venatorem, vel aucupem, & in alieno fundo auem, vel feram cepisse: quæritur cuius sit, capientis, an domini fundi? Et sanè cessante prohibitione palàm est, aues, vel feras captas in alieno fundo proprias fieri capientis, quia non sunt eius, in cuius arbore insederint, sed in libertate, & laxitate naturali permanent, & per hoc nullius sunt, & capienti acquiruntur, *leg.3. §.1. ff. de acquir. domin. l. si apes 26. de furtis:* docet expressiùs Cuiac. *l.4. obseru. c.2.* Accedente verò prohibitione non adeò expresè decisa est quæstio, vt habeamus alicuius Iurisconsulti responsum, quod eam in proprijs terminis determinet. Acursius tamen *in d. l. Diuus 16.* resoluit, prohibitum teneri domino fundi actione in factum ad instar, propter damnum datum glebæ, frugibus, aut arboribus, *l. in laqueum 55. ff. de acquir. domin* & actione iniuriarum propter contumeliam, aut contumaciam iusti præcepti contempti, *l. iniuriarum 13. §. vlt. ff. de iniur.* facere tamen propria nihilominus animalia capta, quia cùm per prohibitionem propria non fiant domini fundi, sed in libertate adhuc naturali permaneant, consequitur, vt capienti acquirantur, nec illa domino fundi restituere teneatur, tam in foro interiori, quàm exteriori. Docent idem cum Accursio Vuesembechius post veteres Legistas *in comment. ad tit. de acquir. domin. n.7.* Forcatulus *in alueario iuris, c.4. n.3.* multisque alijs laudatis Lessius *l.2. de iust. & iur. c.5. dub.8. cum duabus sequent.* & cum nuperis Moralistis Eligius Bassæus *in floribus, verbo Venatio, ex num.4.* Tapia *2. tom. catenæ mor. l.5. qu.26. art.5.* Igitur si prohibitio venandi in fundo proprio neutro in foro impedit acquisitionem dominij, multò minùs impediet in mari, quod natura omnibus patet, acquisitionem dominij rerum extractarum.

Tertiò frequentissimè solet quæri, an bona ex naufragio eiecta, vel extracta à priuatis, quorum prorsus domini non apparent, fiant Principis, tanquam regalia? Et sanè non dubito, quin hæc possint fieri regalia, vt piscatio, vniones, & similia, quæ ex mari extrahuntur: nec dubito, quin apud multas nationes, & regna inter regalia connumerentur, vt ex fide historica memorat Grotius *l.2. de iure belli, c.7. §.1.* De Regno Neapolitano, in quo dicitur esse expressam constitutionem, tradunt Ponte *decis.21. nu.3.* Mastrillus *de Magistratibus l.3. c.10. n.393.* & de Regno Franciæ Guillelm. Benedictus *in c. Raynutius, verbo Vxorem, n.374.* apud quas nationes leges istæ seruandæ erunt, quia supposito totali defectu dominij, non sunt iniustæ; immò & longi temporis consuetudines hoc regale inducentes, ex eadem ratione debent obseruari, quas ferè apud vniuersum orbem inoleuisse testantur Chopinus *de dominio Franciæ, l.1. tit.16. à n.9.* Petrus Rebuffus *ad leges Galliæ, in proœmio, gloss.5. ex n.4.* Mastrillus *vbi proximè, n.393.* Regnerus Sixtinus *de regalibus l.2. c.3. ex nu.91.* Solorzanus *in polit. Indiana, l.6. c.6. pag.964.* idcircò tales leges, & consuetudines iustas, obseruandasque esse censent Couarr. *in regul. peccatum, 3. p. §.1. nu.5.* Suarez *de censur. disp.21. sect.2. n.34.* Duardus *ad Bullam Cœnæ Domini, can.4. q.17.* Petrus Gregor. *l.3. syntag. cap.14. num. vlt.* In nostro tamen Regno non video legem, quæ bona naufragorum fisco applicet, vt liquidò apparet ex suprà adductis. Ergo ex iure naturæ cedent occupanti, & hoc iure cedent etiam Principi, si naues, triremes, vel alia tempestate maris in litus eiecta, per milites, nauarchos, aut per ministros suos occupet, vel etiam extrahat, quæ in profundo maris larent, dum prorsus domino careant. Ex quo infertur, schedulas, & diplomata Regia, quorum meminit Solorzanus *vbi proximè*, emissa ad eos, qui perquirunt naufragia, quæ acciduut in nauigatione Indica, tantùm in suo casu esse intelligẽda ad extractionem eorum, quæ amissa sunt à nostris nauigantibus, quæ Princeps sibi reseruat, & de quibus pactum fuit cum extractoribus, vt partem retineant, partem fisco inferant; nec videntur mihi posse applicari alijs casibus naufragiorum, nisi in partibus, in quibus hoc Regale legitima consuetudine receptum sit, quam fisci Regij Aduocatus, aut Procurator probare tenebitur. 12 *Resoluitur alia quæstio.*

C A P V T IV.

Alexand. III. a *Panormit. Archiepiscopo.*

IN Archiepiscopatu tuo dicitur contingere quandoque, quòd Sarraceni mulieres *b* Christianas, & pueros rapiunt, & eis *c* abuti præsumunt, & quosdam etiam interdum occidunt. Cùm autem excessus huiusmodi charissimus in Christo filius noster Illustris *d* Rex Siciliæ Vu. tibi, & alijs personis ecclesiasticis, quæ Pontificali sunt præditæ dignitate, commiserit *e* puniendos, quid de Sarracenis agendum sit, qui fuerint in tam nefario scelere intercepti, tua nos duxit prudentia consulendos. Super quo consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si tales in iurisdictione tua sunt, vel in posterùm fuerint intercepti, eos *f* pecuniaria poteris pœna mulctare, & etiam *g* flagellis afficere, ea *h* moderatione adhibita, quòd flagella in vindictam sanguinis transire minimè videantur. Si verò ita fuerit super hoc grauis Sarracenorum excessus, quòd mortem, vel detruncationem membrorum debeant sustinere, vindictam ipsam exercendam reserues Regiæ potestati.

N O T Æ.

1 a PAnormit.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.3.* & post Concilium Lateran. *part.34. cap.2.* In præsenti rescribit Alexander Hugoni Archiepiscopo Panormit. & *in cap. super eo, de vsur. cap. de illis, de condit. apposit.* De Metropoli Panormit. egi *in cap.4. de elect.*

b *Christianas.*] Vnde pœnam mortis incurrebant, *l. ne quis Christianam, Cod. de Iudæis:* & notaui *in cap. 1. suprà de Iudæis.* 2

c *Abuti.*] Ad præposteram libidinem, de qua agemus *in cap. clerici, de excessibus Prælat.*

d *Rex Siciliæ.*] Vuillelmus videlicet secundus, à moribus cognomento Bonus, qui regium suscepit diadema anno 1166. à prædicto Hugone Panormit. Archiep. vt refert D. Rochus Pirro *tom.1. Siciliæ sacræ, fol.32.*

e *Puniendos.*] Princeps enim potest mandare merum imperium, præcipuè cùm in præsenti extra ordinem non vni, aut alteri, sed omnibus Episcopis crimen propè ecclesiastici fori delegasset. Quintanadueñas *de iurisdict. lib.2. cap. de iurisd. mandat. num.12.* 3

f *Pecuniaria.*] Quia pœna pecuniaria ex iustis causis, præcipuè cùm magis timetur, imponi potest à iudicibus ecclesiasticis, dum vxorum vtilitatibus non applicetur, vt dicemus *in cap.3. de pœnis.* 4

g *Flagellis.*] De pœna fustium, seu flagellorum, & quando in pœnam sanguinis transire dicatur, egi *in cap.1. de calumniat.*

h *Ea moderatione.*] Sed quomodo Iudex inferior potest minuere, aut moderari pœnas à iure statutas, contra tradita *in cap. 4. §. de illis, de offic. deleg.* Sed respondetur, ideò in præsenti Archiepiscopum imponere pœnam mitiorem, quia ipse pœ- 5

nam

nam sanguinis infligere non valebat, *capite sententiam, ne clerici, vel monachi.* Et ideò in calce huius textus ait Alexander, quod si pęna sanguinis infligenda sit, regiæ cognitioni sententia reseruetur. Docuit Angnianus *libr. 2. de legibus, controuers.5. num.44.*

C A P V T V.

Alexand. III. a *Claromontensi Episcopo.*

IN litteris tuis, quas I. lator præsentium detulit, continebatur, quòd cùm pater eius multis fuisset criminibus irretitus, qui per appositionem ignis Ecclesiarum excidium, diabolo instigante, commiserat, tandem in vltima ægritudine constitutus confessus est se peccatorem, & accepta pœnitentia de commissis, per manum *b* capellani sui fuit à sententia absolutus anathematis; sed moriens sepulturam ecclesiasticam habere *c* nequiuit. Quapropter si ita res se habet, f.t.p.A.f.p.m.quat. corpus eiusdem patris I. supradicti ap. cess. facias in cœmeterio *d* sepeliri, & hæredes eius moneas, & compellas, vt ijs, quibus per incendium, vel alio modo damna contra iustitiam irrogauerit, iuxta facultates suas condignè satisfaciant., vt sic à peccato *e* valeat liberari.

N O T Æ.

a CLaromontensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit.cap.6.* & post Concil.Lateran. *part.34.cap.2.* De dięcesi Claromont.egi *in cap.38.de testibus.*

b *Capellani sui.*] Clerici videlicet, qui ex officio sacramenta administrabat, de quo egi *in cap.capellanus, de ferijs, cap.1.de secund.nupt.*

1 c *Nequiuit.*] Quia cùm non satisfecisset pro damnis illatis, existimabat capellanus pęnitentiam illi parum prodesse, & ideò indignum esse sepulturæ ecclesiasticæ, iuxta textum *in cap.2.* suprà *hoc tit.*

2 d *Sepeliri.*] Quia licèt ipse per se non satisfecisset pro damnis illatis, tamen hæredibus suis iussit vt satisfacerent, & ita potuit sepeliri in sepultura ecclesiastica, vt *in c. fin.hoc tit.in 1.collect.* rescribit Alexander III. Lucensi Episcopo in hæc verba: *De secunda verò quæstione hoc tuam volumus discretionem tenere, quòd propinqui eius, quem pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta iniectione manuum in clericos, violatione multarum Ecclesiarum, & incestu vinculo excommunicationis adstringis, monendi sunt, vt pro eo ex eo satisfactionem exhibeant: quod si fecerint, quia laborans in extremis, præstito iuramento per presbyterum fuerit ab excommunicationis sententia relaxatus, in cœmeterio poterit sepeliri. Si autem propinqui tuis acquiescere monitis contradixerint, quia iam non est purgatum peccatum, defuncto neganda est ecclesiastica sepultura.*

3 e *Valeat liberari.*] *Valeant liberari*, legit Nauarrus *in manuali Latin.c.27.n.68.* à quo discedit Barbosa *in collect. ad hunc textum.* Aliter Arauio *in decis.moral.tr.3.q.25.* retinet aliam interpretationem ipsius Nauarri, qui retenta littera, *valeat liberari*, accipit ea verba de ope, quam obtinet anima defuncti accidentaliter per orationes creditorum, siue pauperum benè satisfactorum; nam teste D. Thoma *in 4.dist.45.art.2.qu.2 ad 4.* solutio debiti aliquantum prodest defuncto, in quantum creditoris orationibus adiuuatur. Sed adhuc crederem, mentem Alexandri III. fuisse, hæredem debere satisfacere pro damnis illatis à defuncto, quia cùm ipse valdè negligens fuisset in satisfactione, si eius onus hæredibus iniunxerit, ipsi debent ex bonis eius satisfacere: quòd si prætermittant, incurrunt in peccatum, à quo non liberabuntur nisi restituendo. Non igitur fuit mens Alexandri incendiarium in gratia antè restitutionem defunctum, vt liberetur à purgatorio, egere restitutione per hæredes facta; sed mens eius fuit hæredibus eam restitutionem esse necessariam, vt liberentur à culpa, idest ne eam incurrant: nam ob neglectam, aut dilatam restitutionem ab hæredibus faciendam, non detineri animas in purgatorio, docent D. Thomas *quodlibet.6. art.13.* Nauarrus *suprà*, Hadrianus *quodlibet.8.* Syluest. *in summ.verbo Testamentum, q.9.* Petrus Sot. *lect.3. de purgat.* Dominicus Sotus *in 4.dist.45.art.3.q.2.* & *l.6.de iustit.qu.1. art.1.* Molina *tr.2.de iust.disp.251* Suar *tom.4.in 3.p. disp. 48.sect.8.n.28.* Valentia *in 2.2.disp.5. q.6 punct.2.* Bellarm. *l.2.de purgator.c.16* Peltanus *l.de purgat.c.16.* Nauarra *de restit.l.4.c.4.n.75.* Cenedo *in qq.pract.q.31.n.6.* Theoph. *to. 15.in Heterocl.p.2.sect.1.c.3.fol.404.* Quatenus verò hæres teneatur satisfacere pro damnis illatis à defuncto, exposui *in cap.fin.de sepult.*

C O M M E N T A R I V M.

INcendium committitur ex dolo, culpa, aut casu, vt explicant D. Ioann. Vela *de delict.c.18.per totum*, Petrus Gregorius *l.36.Syntag.c.19.* Martha *de iurisdict.2.p.c.25.* Antonius Matthæus *de crimin.l.48.tit.5.cap.6.* In præsenti agitur de incendio ex dolo admisso, cuius ratione tenetur incendiarius, qui dolo malo incendium fecit, siue ipse manu sua stupam, tædasue intulerit, siue per alium id fieri curauerit: & si cœtu, turba, aut seditione incendium fecerit, etiam legi Iuliæ de vi publica subijcitur, *l.1. & 10.ff. ad leg.Corn.de sicar.l.5.ff.ad leg.Iul.de vi public.l.11. Cod.qui accusare.* Sed cùm non omnia incendia æquè grauia sint, non semper eisdem pœnis incendiarij sunt plectendi; qui enim intra oppidum incendium fecerint, prædæ, aut inimicitiarum causa, plerumque viui exuruntur: qui verò casam, aut villam incenderint, aliquo leuiùs puniuntur: qui aceruum frumenti iuxta ædes positum combusserint, vincti, verberatique igne necantur, *l.qui ædes 9.ff.de incendio & ruina, l.aut facta 16.§.penult.l.capitalium 28. §.incendiarij.ff.de pœnis, l.10.ff.ad leg.Corn. de sicar.* Farinac. *in praxi, q.110.num.157.* D.Ioannes Vela, & Anton. Matthæus *vbi suprà*, Iul Pacius *ad tit.de incendio.* Ad quod delictum, & eius pœnas spectant textus *in l. in eum, Cod.de furtis, l.Pomponius 44. §. idem, ff. de acquir. rer. dom. l.7. §. est & alius, ff. quod vi aut clam, l.si quis fumo, §.qui dicitur, ff.ad leg. Aquil.l.1.§ fin. l.8.ff.ad leg.Rhodiam, l.3.§.Senatus, l.si quis, § si quis, ff. ad Syllan. l.21.§.sed etsi, de furt.l.3.§.item si, ff. ad leg.Corn.de sicar. l.3. §.in seruum, ff.de vi bonor.raptor. l.4.Cod.de sepulchro violat. l.5.ff.de aqua pluuia, l.Pomponius 15.ff. de negot.gestis, l.1.Cod. de naufragijs, l.1. §. fin. ff. ad leg. Iul.de vi public. l.presbyteri, Cod. de Episcop. & cleric. l.44.§.si iactum, ff.de furtis, l. 27. §. si fornicarius, ff.ad leg. Aquil.l.29.§.idem, eod.tit. l.hoc ampliùs, §. Neracius, ff.de damno infecto, l.4.Cod. de nauibus, l.interdum 58.§. si quis furem, ff.de furtis, iunct. princ. leg.fin.Cod.quand.ciuil.l.4. §. fin. de rebus credit. l.data 11.Cod.qui accusare, l.28.§.nam incendiarij, ff.de pœnis, l.in arborem, eod. tit.l.5.ff.ad leg. Iul. de vi priuat. l.inter, §.penult.ff. de furtis, l. 28. §. si dominus, ff.de dolo, l.7.§. si paciscar, ff.de pactis, l. si vendita, ff.de periculo & commodo, l.24.§.præterea, ff.de damno infecto, l.1.§.si suspicio, l.3.§.item, ff.de incendio & ruina, l. quamuis, Cod.ad leg.Iul.de adult.l.interdum 58.§.qui furem.ff.de furt.cum l.1. Cod.quando ciuilis actio, l.fin.ff.de offic. Præfecti vigil.cum l.qui ædes, ff.de incendio, l.5.Cod.de nauicular.lib.11.l.11.l.30.§.fin.ff.locati.* 4

Iure nostro Regio vltra damni satisfactionem incendiarij comburi iubentur, *l.11.tit.15.lib.4.fori*: quæ pœna quoad nobiles partitarum iure mutata est in exilium perpetuum, *l.9.tit.10.part.7.* hodie verò contra nobiles mortis pœna imposita est, *in l.6.tit.12. lib.8. Recopil.* & si hominis occidendi causa fiat incendium, 5

etiamsi

etiamsi mors non sequatur, dimidia pars bonorum incendiarij publicatur, *l. 36. tit. 19. lib. 8. Ordin. l. 8. tit. 26. lib. 8. Recopil.* & tandem immuoitate Ecclesiæ non gaudent, *l. fin. tit. 5. lib. 1. fori, l. 3. tit. 2. lib. 1. Recopil.* Basilic. *decis.* 18. *crim.* Iure Saxonum pœna incendiarij omoinò capitalis fuit, etiamsi incendium noctu, vel diu factum fuisset, *tit. 5. §. 2. legum Saxon.* Salicis verò, & Longobardis nouies compositio fiebat, quas sequuti sunt Frisones *tit. 7.* & de illis intelligendus est textus *in cap. cùm deuotissimam, 12. quæst. 2.* Et hæc compositio, seu pœna appellatur Vuere, seu Vuirgildum, *in cap. omnes 17. quæst. 4.* idest pretium, quo damnum appretiatum fuerit, vt exprimitur *lib. 4 capitul. cap. 13. 15. & 18.* Iure Caooòico in incensores statuta est excommunicatio; ea tamen differentia adiecta inter incendiarios rerum Ecclesiarum, & aliarum rerum, quod illorum absolutio reseruata est Romano Pontifici, ex præsenti textu, & *cap. tua nos, de sent. excom.* istorum verò tantùm Episcopo, *cap. si quis membrorum*, cum sequenti, 23. *quæst. vlt. cap. nuper, de sent. excom.* Et licèt nonnulli asseruerint, sententiam hanc excommunicatioois incurri ipso iure *in cap. si quis membrum, cap. pessimam, 23. quæst. 8. cap. tua nos, de sent. excom.* tamen contrarium, immò incendiarium non esse ipso iure excommunicatum, sed excommunicandum, docuerunt ex Innocent. III. apud Sirletum *fol. 275.* ibi: *Sicut ex parte tua nostro fuit Apostolatui reseratum, prædecessores nostri felicis recordationis Clemens & Cælestinus, & deuotionem tuam & gentis tibi subiectæ duritiam attendentes, vt absoluere, ac iudicare posses incendiarios in tua diæcesi constitutos, fraternitati tuæ de benignitate Sedis Apostolicæ indulserunt. Nos igitur tibi, quem inter fratres, & Coepiscopos nostros syncera diligimus in Domino charitate, abundantiorem deferre volentes honorem, & illud nihilominus attendentes, quod ex hoc vita hominum faciliùs corrigatur, ad exemplar eorundem prædecessorum nostrorum potestatem incendiarios tuæ diæcesis absoluendi deuotioni tuæ auctoritate præsentium indulgemus, nisi fortè tantus sit aliquorum excessus, vt eos oporteat ad Sedem Apostolicam destinari. Nulli ergo, &c. Datum Later. XI. Kal. Martij.* Suarez *de censur. disp. 22. sect. 2. numero* 19 Barb. *de potest. Episcop. alleg. 5. num. 89.* Castropalao *disput. 3. puncto 24. num. 5.* Gibalinus *in synopsi censur. verbo Incendiarius*, Murga *tom. 2. disquisit. 20. dub. 19.*

C A P V T VI.

Lucius III. a *Nonbebergensi Episcopo*.

CVm causam, quæ inter E. militem latorem præsentium, & vxorem eius vertitur, tuæ commisissemus experientiæ terminandam, E. miles *b* repetens, mulierem legitimè sibi nupsisse, per probationes canonicas se constanter asserit probaturum. Fœmina quoque proposuit, quòd dominorum, & parentum suorum suggestione alteri viro tradita, ab illo militis amore diuertit, quià parentibus priùs rapuit eam; illa tamen volente, vt dicitur, & postmodùm prius quàm eam cognosceret, desponsauit: demùm inclusa est in monasterio monialium, vbi etiam detinetur. Vnde quoniam super his prudentia tua Sedem duxit Apostolicam consulendam, significatione tibi præsentium respondemus, quod cùm ibi raptus dicitur admitti, vbi nihil antè de nuptijs agitur, iste raptor dici non debet, cùm habuerit mulieris assensum, & priùs eam desponsauerit, licèt parentes forsitan *c* reclamarent. Præterea cùm post matrimonium carnis commixtione perfectum, teste Apostolo, vxor sui corporis potestatem non habeat, sed maritus, & econuerso; si præcessisse matrimonium, vel ex probationibus viri canonicis, vel ex mulieris confessione claruerit, postmodùm sine *d* assensu viri non potuit fœmina monasterium ingredi, aut aliter continentiam profiteri. Nec ergo pro eo, quòd post matrimonium consummatum rapta per vim de monasterio fuerit, eius poterit consortium declinare, dummodo probari nequeat virum, vt mulier profitetur, continentiam *e* assensisse.

NOTÆ.

1 a NOnbebergensi.] Ità legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* Post Conc. verò Laterao. *part. 5. c. 24.* Nohebergensi legitur: in hac sexta collectiooc habetur *Burgensi*; sed credo legendum esse *Neubergensi*, qui Episcopatus est in Germaoia, & eius Ecclesiam his temporibus regebat Vtho secundus, vt refert Buccliòus *tom. 1. Germaniæ, part. 2 fol. 41.*

b *Repetens.*] Et vindicans, iuxta tradita *in cap. 1. de ordin. cognit.*

c *Reclamarent.*] Quorum consensus desideratur de iure Canonico, non tamen adeò præcisè, vt absque eo matrimonium non consistat, vt probaui *in cap. 1. de despons. impub.* & pro huius textus expositione notauit Basilius *lib. 1. & 2. de matrim. cap 1. num. 1.* 2

d *Sine assensu viri.*] Iuxta tradita *in cap. coniugatus, de conuers. coniug.*

e *Assensisse.*] Quia tunc cùm ex mutuo consensu habitum religiosum suscepisset, noo poterat eam repetere.

C A P V T VII.

Innocent. III. *Episcopo* a *Glasconiensi*.

ACcedens ad Ap. Sed. dilectus filius B. frater Hierosolymit. Hospitalis, à nobis ex parte tua quæsiuit, vtrùm clericus *b* absens gratia studiorum de ecclesiastico beneficio possit inuestiri; & vtrùm si rapta puella, & in alienam delata diœcesim, in Ecclesiæ facie consenserit in raptorem, matrimonium huiusmodi legitimum sit habendum. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod & clericus absens per alium, vel alius magis per ipsum pro eo potest de beneficio inuestiri: & rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodùm in consensum; & quod antè displicuerit, tandem incipiat complacere, dummodo ad contrahendum sint legitimæ personæ.

NOTÆ.

a GLasconiensi.] Ità legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* in hac sexta legitur *Saronensi*; sed rectè Antonius Augustinus in dicta tertia collectione ad marginem emendat *Crocouiensi*, de qua diœcesi egi *in cap...*

b *Absens per alium.*] Hæc verba extant *in cap. accedens, de præbendis*, vbi iam notaui.

COMMENTARIVM.

EX his duabus decisionibus sequens communiter deducitur assertio: *Rapta potest contrahere matrimoniū* 1

Digitized by Google

Conclusio traditur, & probatur. cum raptore, vbi datur libera facultas in contrahendo. Probant eam textus in canone 66. Apost. Conc. Meldense can. 64. ibi: *Raptores virginum, & viduarū, qui etiam postea voluntate parentum eas quasi desponsantes sub dotalitij nomine in coniugium duxerunt, publicæ pœnitentiæ subigantur, & post publicam penitentiam, prout præuiderit Episcopus peractam, ne in peius corruant, iterùm conuenientes, de cætero eleemosynis, & cæteris quibusque religiosæ, & salutiferæ conuersationis actionibus inseruire procurent, vsquequò ab opere coniugali ex consensu se valeant abstinere.* Conc. Romanum sub Zacharia can. 4. vbi excommunicatur raptor, nisi raptam desponsatam habuerit. Nicolaus I. *epist.* 30. Trident. *sess.* 24. *de reform. cap.* 6. Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa Basilius Legion. *lib.* 7. *de matrim. c. fin.* Didaeus Perez *in l.* 2. *tit.* 15. *l.* 8 *ordin.* Grotius *in flor. spars. ad tit. C. de rapt. virginum*, Balsamon *in can.* 30. *sancti Basilij ad Amphiloch.* Borrel. *tom.* 3. *decis. tit.* 1. *nu* 567. Bignonius *in notis ad Marculf. lib.* 2. *c.* 16. Petrus Gregor. *lib.* 3 *partit. tit.* 21. *c.* 14 & *lib.* 4. *tit.* 14. *c.* 6. & *in c.* 1. *de sponsal num.* 79. Sauarus *in notis ad Sidonium, lib.* 5. *epist.* 19. Acosta *in §. si arbitratu, nu.* 4. *fol.* 145. Christineus *tom* 1. *decis.* 334. Dartis *in* 27. *c.* 2. Azor 1. *part. instit. lib.* 5. *cap.* 20 Trullench *de matrim. c.* 9. *dub.* 17. Leander *eod. tractatu, disp.* 22. *quæst.* 3. Hurtado *eod. tract. disput.* 23. Zypæus *in respons. ad tit. de sponsal.* Tondutus *resol. canonic. cap.* 117. Forner. *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 5. Ansaldus *de iurisdict. part.* 4. *tit.* 4. *c.* 1. & 2. Sesse *tom* 1. *decis.* 94. *cum quatuor sequent.* Moralistæ de impedimentis matrimonij scribentes, Villaroel. *part.* 1. *regim. eccles. quæst* 9. *art* 4.

2 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Si matrimonium inter raptorem, & raptam permittatur, exempli impunitate publicis moribus officitur; nec nisi pluris est apud nos pudoris priuati ratio, quàm disciplina morum, eiusmodi concubitu matrimonij honorem dedecorari patiemur, argumento legis *post liminium* 19. *§. filius*, *l.* 3. *Cod. de primipil. lib.* 12. quia nec sequens consensus contractam anteà maculam sic delere potest, quin litura maneat; ideòque Imperator *in l.* 5. *C. Theodos. de raptu sanctimon.* iubet, neminem sibi ex posteriore consensu raptæ blandiri, *l.* 1. *eod. Cod. de raptu virginum*, vbi Gothofr. & Iustinianos eiusmodi coniugia, nec interueniente quidem parentum, partiumque consensu valere voluit, *l. vnic. §. & si quidem, Cod. de raptu virginum, nouel.* 143. & 150. Quarum constitutionum mentio fit *in c. cùm secundùm, de hæretic. in* 6. Ex edicto Theodorici, si consentiat rapta raptori pariter occiditur. Idem apud Vuisigothos cautum legimus *in l.* 1. *tit.* 3. *in l.* 14. *tit.* 4. *lib.* 3. *Vuisigoth.* Lege etiam Caroli Magni *lib.* 7. *cap.* 311. vetatur fœminam ducere, qui eam rapuit, vel seduxit, ac prætereà mulctam soluere tenetur. Eiusdem Caroli Magni temporibus raptor, qui sub lege Romana viueret, morte puniebatur, & varijs Ecclesiæ canonibus matrimonium inter raptorem & raptam celebratum nullum esse, cautum legimus *in cap. de puellis, cap placuit, cap. si autem* 10. 36. *q.* 2. Concil. Meldense *can.* 66. 67. & 68. Trosleian. *can.* 8. & testatur Carnot. *epist.* 16. Igitur non rectè in præsenti textu affirmatur, matrimonium inter raptam, & raptorem consistere posse, contra ius ita receptum. Vnde Treutlerus *vol.* 2. *disp.* 6. *de nupt. ad finem*, ausus fuit hæc verba proferre: *Coronidis loco sit, pessimo exemplo à posterioribus canonibus permitti, vt raptor cum rapta liberè possit contrahere matrimonium; quod enim in l. vnic. Cod. de raptu virgin. cap. placuit, cap. de puellis, 36. quæst. 2. contrà statuitur, id iustissimam rationem habuit iure diuino, & humano suffultam, contra quam non potuit, nec debuit aliud ius induci in cap. fin. de rapt.*

3 De raptu personarum. Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, verbum rapere commune esse & ad res, & ad personas; nam qui personam rapit, raptor dicitur, *l. si quis ex domo, ff. de furtis*: & qui personam abducit, propriè raptum committit, *l. si quis non dicam, C. de Episcop. & clericis.* Is enim committit raptum, qui de loco ad locum per vim mulierem amouet libidinis causa, *c. lex illa, vers. Raptus*, 33. *q.* 1. *d. l. si quis non dicam*: ideòque in præsenti rubrica non solùm agitur de prædonibus, & latronibus, sed etiam de impuris hominibus vim fęminis inferentibus, qui prædonibus similes sunt, vnde & furtum facere dicuntur *in cap. placuit*, 36. *quæst.* 2. in Synodo Romana sub Gregorio II. *can.* 11. ibi: *Si quis virginem, nisi desponsauerit, furatus fuerit in vxorem, vel consentiens ei, anathema sit.* Synodus Romana sub Zacharia *can.* 7. ibi: *Si quis temerario ausu præsumpserit virginem, aut viduam furari in vxorem, præter si desponsatam habuerit, anathema sit.* Et hoc crimen furtum dicitur à Virgilio *lib.* 6. *Æneid.*

—— Supposita furto
Pasiphae.

Furtum enim fit pudoris, & castitatis in virginibus, quæ ideò repudiari dicebantur à Saberio apud Gellium *lib.* 6. *noctium, cap.* 7. & nulla atrocior iniuria fęminis potest inferri, quàm quæ pudicitiam aggreditur, eo quòd pudicitia illa nunquam reparetur, vt ait D. Hieronymus *in epist.* 22. *ad Eustochium*: & Ouidius *epist.* 5.

—— Nulla reparabilis arte
Læsa pudicitia.

Hinc exponenda est quæstio satis vexata apud Interpretes, an mulier rapta dicatur, quæ non est abducta de loco ad locum, sed in cubiculo, aut alio loco sola deprehensa, oppressa, & violata fuit. Et tunc raptum non committi, immò etsi puella per passus aliquot abducta, stuprique causa protracta fuerit, penis raptus oppressorem non teneri, docuerunt Tiberius Decianus *lib.* 8. *tract. crimin. c.* 7. *num.* 34. Farinac. *in praxi, quæst.* 145. *num.* 69. Iul. Clarus *§. raptus, in princip* Bossius *in praxi, tit. de raptu mulier. num.* 3. Petrus Gregor. *lib.* 36. *syntagm. cap.* 33. *num.* 1. Quæ sententia firmatur sequentibus iuris principijs. Primò, quia quemadmodum vi bonorum raptorum non tenetur, nisi qui violenter res eripuit, & abduxit, *l.* 2. *§. si publicanus, cum sequent. ff. de vi bonor. raptor. l.* 4. *ff. ne quis eum qui in ius vocatus*; ita nec raptus accusari poterit, nisi qui personam violenter abduxit: & sicut abduxisse non dicitur, qui in eodem loco hominem retinuit, *d. l.* 4. *l.* 3. *Cod. ad leg. Iul. de vi*: ita nec rapuisse mulierem dici potest, qui in loco solam deprehensam vi compressit. Secundò quia in iure semper separatur stuprum per vim factum à raptu, *l.* 3. & 5. *ff. ad leg. Iul. de vi priuat.* & in legibus Vuisigoth. *lib.* 3. *tit.* 3. & 4. Igitur quia ad raptum desideratur abductio, seu amotio de loco in locum. Contrariam sententiam tenuerunt Rebuffus *in l. Marcellus, verbo Rapere, ff. de V. S.* Anton. Matthæus *de crimin. ad lib.* 48. *Pandect. tit* 4. *c.* 4. Pro qua sententia faciunt textus *in c. fin.* 36. *q.* 1. vbi is appellatur raptor, qui per vim virginem stuprauit: & *in c. de raptoribus, eadem quæstione*, traditur raptum dupliciter fieri, vel cùm ipsa mulier rapitur, vel cùm flos virginitatis violenter eripitur: quare licet mulier de loco in locum nō amoueatur, sed retineatur vbi deprehensa est; raptus tamen committitur, quoniam pudicitia ei eripitur. Tandem quia quidquid vi eripitur, rapi dicitur, *l. si eximendi, ff. ne quis eum qui in ius vocatus, l.* 3. *§. non solùm, ff. de incend. ruin.* ex Seneca, & Quintiliano probat Ant. Matthæus *vbi proximè*. In quo Interpretum dissidio verius credo, hoc casu raptum virginitatis, non verò virginis committi; & ita oppressorem puellæ non teneri pœnis raptus, præcipuè si virgo non erat in potestate parentum, sed sui iuris.

Deinde sciendum est, ad raptum committendum vim desiderari, *cap. lex illa, vers. Raptus*, 36. *quæst.* 1. idque ipsius verbi proprietas postulat, cùm rapi solùm dicatur, quòd vi eripitur, *d. l. si eximendi, l.* 3. *§. non solùm, ff. ad leg. Iul. de vi.* Vnde si fœmina consentiens abducatur, quia nulla vis committitur, raptus non datur, *c. cùm causa, hoc tit.* Quod procedit, quando inter eos præcessit tractatus matrimonij, etsi iure ciuili adhoc hoc casu raptum committi certum sit, & probat Ant. Matthæus *vbi suprà*. 4 De muliere rapta consentiente. Quare etiam consentiente filiafamilias, eam rapiens punitur pęna mortis, vt contra Decianum tenent Ceuallos *quæst.* 596 *nu.* 33. Peguera *decis* 40. & 43. Farinac. *q.* 145. *à num.* 34. Sanchez *de matrim. disput.* 12. *lib* 7. *nu.* 23. Giurba *consil.* 2. *nu.* 50. Salgado *de regia protect. part.* 3 *cap.* 14. *nu.* 38. Inde etiam infertur, multò fortius raptum committi, vbi suasionibus, donis, aut alijs amatorijs artibus mulier viro consensit; habent enim vim persuasoria verba, *l.* 1. *§. persuadere, ff. de seruo corrupto, l.* 3. *§. si quis volentem, ff. de libero homine exhib. l. penult. C. de apost.* probat Balsamon *in can* 30. *Sancti Basilij ad Amphilochium*: & quia in dubio mulier semper præsumitur seducta blanditijs, & suasionibus viri, *l. vnic. C. de raptu virgin.* Baldus *in l. raptores, C. de Episc. & cler.* Decianus *lib.* 8. *cap.* 13. *num.* 13. & *part.* 7. *n.* 7. Gomez *in l.* 80. *Tauri, nu.* 5. Paz *in l* 74. *styli*, Guttierez *canonic. cap.* 37. *à num.* 21. Azeuedus *in l.* 2. *tit.* 13. *libro* 8. *num.* 38. Vela *de delictis cap.* 37. ideò hoc

casu

Digitized by Google

casu raptor probare debet ipsam vltrò consensisse; quod difficile est, nisi ipsa fateatur, vt post Mascardum, & Bossium probat Vela *de delictis cap.29. num.9.* Inde etiam deducitur, fœminam rapientem virum, raptum committere, pœnisque raptus teneri, vt probant Gomez *in l.80.Tauri, nu.37.* Vela *d. cap.29. nu.9.* Ant. Matthæus *d. cap.2. nu.1.* Et sanè si mulier raptori opem ferens capite punitur, *l. vnic. §. pœnas, C. de raptu virgin.* vtique multò magis capite punienda erit, si ipsa virum rapuerit. Nec obstat in pęnalibus, & odiosis verbum masculini generis fęminam non comprehendere; nam si crimen tale sit, quod in fęminam cadat, fęminæ quoque continentur, vt contingit in edicto de albo corrupto, *l. si quis id quod 7. §. 1. ff. de iurisd.* in lege Aquilia, *l. 2. l. item si obstetrix 9. ff. ad leg. Aquil.* in Syllaniano, *l. 1. §. iustè, & impubes, ff. ad Syllan.* facit Cicero *in orat. pro Cluentio*, ibi: *Vbi omnes mortales lex obligat; ita loquitur: Qui venenum malum fecerit, omnes viri, mulieres, liberi in iudicium vocantur.* Etsi contrariam sententiam tenuerint Menochius, Iul. Clarus, & Farin. & plures fęminas hoc commisisse crimen refert Tiraquel. *in ll. connub. l. 9. nu. 112.*

5 De pœna raptorum. Delictum hoc raptus virginis seuerissimè punitur, tam per leges, quàm per sacros canones. Iure ciuili si raptores in ipso ratu deprehendantur, possunt impunè occidi propria auctoritate à propinquis, vel cognatis ipsius raptæ, *l. vnic. vers. Ne igitur, C. de rapt. virgin.* quæ pęna imponitur etiam illis, qui auxilium raptori præbuerunt: & raptor accusatus, aut conuictus vltimo supplicio afficiendus est, nulla habita distinctione eius conditionis, seu qualitatis, *ex d. l. vnic. l. si quis non dicam, l. raptores, C. de Episcop. & cleric. l. qui cœcu, §. qui vacantem, ff. ad leg. Iul. de vi, §. item lex Iulia de vi, Instit. de public. iudic. l. 3. 4. 6. & 7. C. Theodos. de indulg. crim.* Phocius *in nomocan. tit. 9. cap. 30.* Sauar. *ad Sid. lib. 5. epist. 10.* Bona quoque eius, licèt regulariter aliàs damnati ad mortem, fisco applicantur, *auth. bona, C. de bonis proscrip.* & olim applicabantur in hoc casu, *l. si quis dicatam, C. de raptu virgin. in Theodos.* Marinis *lib. 1. resol. cap. 301.* ad ipsam tamen raptam spectant, si ingenua est, *d. l. vnic. vers. & si quidem, §. 5.* Papinianus *tit. 10. respons.* Iure nostro Hispano antiquo raptores, si raptam cognouissent, vltimo supplicio plectebantur; si autem copula non sequebatur, mulcta pecuniaria puniebantur pro æqualibus applicanda fisco, & raptæ, *l. 1. 2. & 3. tit. 10. lib. 4. fori.* Lege partitæ contra raptores, & eorum fautores statuta est pęna mortis, & bona applicantur raptæ, nisi contrahat cum raptore; quia tunc applicantur fisco, *l. 3. tit. 20. part. 7.* quæ pęna in solo conatu ad actus externos deducto locum habet, licèt non perficiatur raptus, *l. 2. tit. 31. part. 7.* Quòd si raptus committatur in eremo, est casus vulgò *de la hermandad;* & ideò punitur pęna sagittæ, *l. 2. tit. 13. lib. 4. recopil.* Iure Canonico raptus punitur pęna depositionis in clericos, excommunicationis in laicos, qui & seruire iubentur patri puellæ, *cap. de raptoribus*, cum alijs, *36. quæst. 2.* Cõcil. Meldense *can. 66.* ibi: *Qui deinceps rapere virgines, vel viduas præsumpserint, secundùm Synodalem B. Gregorij definitionem, ipsi & complices eorum anathematizentur, & raptores sine spe coniugij perpetuò maneant.* Chalcedon. *act. 11. can. 27.* Aurelian. 4. *can. 12.* Roman. 1. sub Gregorio II. *can. 10. & 11.* Sexta Synodus Trul. *can. 92.* Vuormac. *can. 77.* Metensis *can. 7.* Ipsi raptores, ac eorum filij manent infames, ac inhabiles ad dignitates ecclesiasticas. Concil. Aurel. 1. *can. 4.* Alexander III. post Concil. Lateran. *part. 6. cap. 4.* Trident. *sess. 24. de reform. cap. 6.*

6 Traditur decidendi ratio, & dissoluitur difficultas. His suppositis, vt ad matrimonium permittendum, vel non, inter raptorem & raptam deueniamus, sciendum est, tam apud iuris conditores, quàm oratores controuersum fuisse, vtrùm puella rapta volentibus ita parentibus, raptoris contubernium sequi possit, vt constat ex Quintiliano *declamat. 261. 262. 270. 276. 280. 286.* Seneca *lib. 1. declamat. 5. & lib. 7. declamat. 8.* Et raptam raptori nubere posse, vel ex lege Dei relata *Exodi cap. 22. & in collat. legum Mosaic. tit. 4. de adult. & ex can 67. Apost.* D. Hieronym. relato *in cap. tria legitima, 36. quæst. 1.* D. Ambrosio *in apolog. Dauid, cum sequent.* Carnot. *epist. 16.* docuerunt Balsam. *in d. can. 67.* Sauar. *ad Sidon. lib. 5. epist. 19. ad fin.* Et iure Attico non solùm matrimonium inter eos permittebatur, verùm & iniungebatur lege ita expressa: *Raptor virginem, quam vitiauit, ducito.* Quam laudant Syrianus, & Marcellinus *in Hermogenem*, Plautus *in Aulular.*

Si quis ego erga te imprudens peccaui, aut natam tuam,
Vt mihi ignoscas, eamque vxorem mihi des, vt leges iubent.

Terentius *in Adelphis, actu 4. sc. 7.*

D. *O stulte, tu de psaltria me somnias*
Agere: hoc peccatum in virginem est ciuem.
M. *Scio.*
D. *Hoc scis, & patere?* M. *Quidni patiar?*
D. *Dic mihi,*
Non clamas? Non insanis? M. *Non.* D. *Malim quidem.*
Puer natus est. M. *Dij bene vertant.* D. *Virgo nihil habet.*
M. *Audiui.* D. *Et ducenda indotata est?* M. *Si licet.*

Vt autem duceret raptam, qui rapuerat, exorare necesse habebat patrem virginis, vt sibi despondere, daretque. Hinc apud eundem Plautum Lyconides adolescens de nuptijs Phedriæ Euclionem illius patrem appellat his verbis:

Si quid ego erga te imprudens peccaui, aut natã tuam,
Vt mihi ignoscas, eamque vxorem mihi des, vt leges iubent.

Exorandus quoque à raptore pater, vt nuptijs auctor sit: quare Mitio ex hoc more apud Terentium, ne Æschinum metu amittendæ puellæ excruciet diutiùs, non appellatus ab eo de nuptijs, vltrò exoratum se ostendit.

In qua ciuitate tandem te arbitrare viuere?
Virginem vitiasti, quam te ius non fuerat tangere.
At postquam id euenit, cedo.
Nunquid circumspectè, aut nunquid tutè
Quid fieret? Si teipsum mihi puduit dicere,
Bono animo es: duces vxorem hanc.

Verùm si pretium accepisset, siue virgo, siue mater illius ab adolescente, qui compresserat, leges non cogebant eam in vxorem ducere, vt colligitur ex his Terentianæ sostratæ verbis *in Eunucho*:

Peiore res loco non potest esse, quàm in hoc, quo nunc sita est.
Primùm indotata est: tum præterea, quæ secunda ei dos erat
Perijt: pro virgine dari nuptui non potest: hoc reliquum est,
Si inficias ibit, testis mecum est annulus, quem amiserat.
Postremò quando ego conscia missam à me cu lpam hanc procul esse, nec
Pretium, neque rem vllam interesse illam, aut me indignam experiar Geta.

Et *lib. 60. Basilicon, tit. 37.* ibi: *Si quis cum virgine consentiente rem habuerit inscijs parentibus, re comperta nuptiæ iure contrahentur, modò raptoris ac parentum consensus accedat.* Byzantiorum quoque statutum refert Achilles Statius *lib. 2. de Clitophont. & Leucip. amoribus*, quòd nullam aliam raptori pęnam infligebat præter virginis raptæ in vxorem ducendi necessitatem: sed iure ciuili nouiori omninò matrimonium inter raptorem, & raptam prohibitum fuit, vt probaui suprà in dubitandi ratione. Iure autem Pontificio nulla lege Ecclesiæ generali, aut vniuersali prohibitum fuit matrimonium inter raptorem, & raptam, nisi consensus voluntarius defuisset, propterea quòd consensus sequens ruinam omnem, & damnum videatur reparare, *cap. tria 36. quæst. 2.* & eorum, qui iniuriam acceperunt adhibito consensu lenitur dolor, & quasi dissimulatione aboletur iniuria, *l. non solùm 11. §. 1. ff. de iniurijs*: Sidonius Apollin. *lib. 5. epist. 19.* ibi: *Nam meam hæc sola, seu compositio, seu satisfactio, vel non mediocriter contumeliam emendat, qui tuis votis, ac amicitijs hoc acquiesco, si laxat libertas maritum, ne constringat pęna raptorem.* Et ita nec raptæ quidem nomen habere posse, quæ nupta est, ait Quintilianus *declamat. 280.* & D. Augustin. *de bono coniugali*, nuptias ait posse fieri ex malè cõiunctis, honesto placito consequente. Vnde rectè in præsenti docetur, inter raptorem & raptam legitimo accedente consensu matrimonium licitè contrahi, etsi aliquibus legibus specialium prouinciarum tale matrimonium damnetur, vt in Synodo Regiaticina, vt vulgò citatur, cùm sit Ticinensis in vrbe regia Ticino celebrata sub Leone IV. *can. 10.* ibi: *Quæ verò vel viduæ, vel adhuc sponsæ non fuerunt, & absque ipsarum, & parentum voluntate rapiuntur, nihilominus vel parentibus, vel propinquis restituantur, & alijs, si voluerint, nubant: nam ipsorum, à quibus raptę sunt, legitimę demùm vxores nullatenus esse possunt.* Conc. Meld. *can. 67.*

can.67. *Qui sanctimoniales, virgines, vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in coniugium sumunt, publicæ pœnitentiæ iuxta modum, quem præuiderit Episcopus, subigantur: ipsæ verò locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur: vterque autem sine vlla spe vxoriæ copulationis perenniter maneat.* Quibus Patribus placuit constitutio Iustiniani relata *in l. vlt. C. de rapt. virg.* iuxta quam iuris ciuilis, & canonici distinctionem, necnon canonum generalium, & prouincialium differentiam accipiendi sunt textus suprà pro dubitandi ratione adducti. Nouissimè in Concilio Trid. *d. sess. 24. cap. 6.* decernitur, non consistere matrimonium inter raptorem, & raptam, nisi ea ponatur in loco tuto extra potestatem raptoris. Quod decretum non procedit in fœmina rapiente virum; quia lex Synodalis solùm loquitur de raptore, & rapta. ita docent Sanchez *lib. 7. de matrim. disp. 12. nu. 25.* Farinac. *in praxi*, *q 145 num. 45.* Bonac. *quæst. 4. de matrim punct. 18.* etsi contrarium teneant Henriquez *lib. 12. summæ, cap. 14. num. 4.* Gutierrez *de matrim. cap. 88.* Similiter si quis rapiat fœminam volentem, & consentientem raptui, etsi posteà renuat, Lessius *lib. 4. de iust. cap. 3. dub. 9. num. 70.* Martinus Perez *de matrim. disput. 38. sect. 4.* etsi contrarium teneant Sà *verbo Matrimonium*, *num. 9.* Toletus *lib 7. summæ*, *cap. 18.* Candidus *disquisit. 28. artic. 14. dub. 2.* Similiter decretum illud locum non habet, si quis rapiat sponsam suam de futuro. Sanchez *suprà*, *num. 5.* alia plura de hoc crimine cumularunt Sesse, & Ansaldus *vbi suprà*.

TITVLVS XVIII.

De furtis.

CAPVT PRIMVM.

a *In Exodo*.

QVi furatur *b* hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte moriatur.

NOTÆ.

1 a EXodo.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & verba hæc reperiuntur *in cap. 21. Exodi.* Ad huius inscriptionis illustrationem repetenda sunt, quæ adduxi *in cap. 1. suprà, de adulterijs*.

b *Hominem.*] Liberum videlicet; nam seruus in iure homo non dicitur, siquidem quadrupedibus æquiparatur, *l. Ædiles 38. §. 1. & 2. ff. de ædilit. edict. l. illud 40. ff. de petit. hæredit.* Artemidorus *lib. 1. Oneirocriticon*, *cap. 39. Canis, aut equi, aut asini, aut alicuius aliorum quadrupedum, aut volucrum caput pro suo habere sibi videris si quidem quadrupedis fuerit, seruitutem, & ærumnas significat.* Illustrat D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 3.*

COMMENTARIVM.

2 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter venit disputanda assertio: *Qui furatur hominem, & vendit, vltimo supplicio afficiendus est.* Probant eam textus *in cap. 24. Deuteron* ibi: *Si deprehensus fuerit homo solicitans fratrem suum de filijs Israel, & vendito eo acceperit pretium, interficietur, vt auferas malum de medio tui.* Conc. Palentin. anno 1322. *Execrabilem quorundam Christianorum abusum, quo nonnulli Christianos rapiunt, vel furantur, & eos Sarracenis vendunt, aut alio quomodocumque trahunt, abhorrentes, statuimus vt nullus Christianus prædicta exercere audeat* Et *l. lege*, *l. frequens*, *l. fin. ff. ad leg. Flauiam de plag l. fin. C. eod. tit. §. antepenult. Instit. de public. iudic.* Faciunt de iure Regio textus *in l. 1. & 2. tit. 14. lib. 4. l. 1. & 2. tit. 3. lib. 7. fori*, *l. 22. tit. 14. partit 7. l. 80. styli.* Illustrant Connanus *lib. 1. comment. cap. 9 nu. 10.* Corrasius *in l. congruit*, *nu. 9. ff. de officio Præsid.* Balduinus, Pichardus, & alij Institutarij *in d. §. antepenult.* Pitheus *in collat. legum Mosaic. tit. 14.* Petrus Greg. *lib. 4. partit. tit. 10. cap. 8.* & *lib. 36. syntag. cap. 31.* Mancinus *de triplici iur. collat.* Duarenus *lib. 2. disp. cap. 20.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 2. cap. 7.* Salmut. *ad Panciròl. lib. 1. tit 3.* D Nicolaus *de Castro in l. vnic. C. de gladiat. num. 7.* Antonius Matthæus *de crimin. ad lib. 48. Pandect. tit. 12.*

3 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Homo liber naturali ratione, & iure à commercio exemptus est, *l. in exemptione 36. §. omnium 1. de contrahend. emptione*, vt rectè docuit Cuiac. *in l. 4. eod. tit.* Abhorret enim à naturali hominum dignitate, vt sit homo merè alterius hominis, permuteturque alijs mercibus, aut comparetur pecunia is, cuius gratia pecunia inuenta fuit, cæteraque fuerunt comparata, quæ humanis vsibus possunt deseruire, vt in simili casu Consulti loquuntur *in l. 68. de vsufructu*, *l. in pecudum 28. de vsuris*, *l. iustissimè 44 de ædilit. edicto*, *§. in pecudum*, *Instit. de rer. diuis.* Cicero enim ex sententia Chrysippi Stoici sapientiæ Principis agnouit hominum causa omnia nata fuisse, *lib. 3. de finibus*: & Ouidius ingeniosè *lib. 1. Metamorph. versu 76.* cecinit, natum hominem fuisse, vt posset inter cætera dominari: & Diuinus Vates *psalmo 8. versu 8. & 9.* omnia subiecta esse illius pedibus. Quod expressit rectè, & cum dignitate verborum, ex nuperis Florentius Esconohouius *emblem. 1. morali*, ibi: *Ad hoc illud cœleste animal sumus, quod diuinæ in terris prouidentiæ quandam quasi repræsentat in se imaginem, sagaces, multiplices, acuti, memores, plenæ rationis, & consilij, denique præclara quadam conditione generati, nimirum vt cæteris animalibus imperemus.* Hactenus ille. Vnde & natos esse homines liberrimos, & vt animantia subijciant. ipsi verò nulli subijciantur, philosophatur Iacob Vander. Græfius *de iure publico*, *ad legem non dubito, de captiuis*, *cap. 6. ex nu. 1.* Efficit ergo, ne homo liber commercio subijciatur, humanæ dignitatis conditio, quam ex multis vtriusque eruditionis testimonijs extollunt Vasquez Menchaca *lib. 2. Illustrium*, *cap. 82. nu. 13.* Amaya *lib 3. obser. cap. 1. §. 1. num. 3. & sequent.* Carranza *in sua erudita disput. de partu*, *cap. 3. ex num. 21.* & Amicus meus D Martinus de Sarauia *in disput. de humanæ naturæ dignitate*, *num. 3. & 11.* alijs laudatis. Ex his constat, hominem liberum vendi non posse, *l. bona 22. §. 1. ad SC. Velleianum*, *l. sed Celsus 6. l. si cui emptione 34. §. 1. de contrahend. empt. l. continuus 137 §. cùm quis 6. hoc tit.* nec in stipulationem deduci, *l. 1. §. id quod*, *de oblig. & action. l. liber homo 130. §. idem iuris 2. Instit. de inutil. l. continuus 137. §. cùm quis*, *hoc tit.* nec possideri, *l. si quis liberum 20. de probat. l. cùm hæredes 2. §. vlt. l. vniuersa*, *§. 1. de acquir. possess.* nec vsucapi, *l. vsucapionem 9. de vsucap. §. sed aliquando*, *Instit. eod. tit. l. vlt. C. de longi temporis præscrip quæ pro libertate*: nec inter hæredes diuidi, *l. quædam 41 ff. famil. ercisc. l. vlt. de iurepatron.* nec vindicari, *l. 1. §. per hanc, de rei vindicat.* nec pignori conuentionaliter obligari, *l. 1. de patribus qui fil. distraxerunt*, *l. ob æs alienum, C. de oblig. & action. l. per filios 6. C. quæ res pignori*, *c. 2. extra de pignor.* Eademque ratione dicitur, corpus liberum nullam æstimationem recipere, quia nec pretium capit, *l. 1. §. sed cùm homo*, *l. vlt. ff. de his qui deiecerunt, vel effuderunt*, *l. 3. ff. si quadrupes fecisse pauperiem dicatur*, *l. 2. §. cùm in eadem*, *ff. ad leg. Rhodiam de iactu.* Ergo malè in præsenti docetur, in hominem liberum furtum cedere, & ipsum vendi posse, præcipuè cùm ad furtum committendum necesse sit, vt res contrectetur inuito domino: sed nullus est dominus liberi hominis, quo inuito ipse contrectari possit: ergo in eo furtum dari non valet. Deinde etsi admitteremus, furtum dari propriè in homine libero, non ideò pœna mortis imponenda erat eo casu: tum quia pro furto etiam manifesto pœna capitalis non imponitur, vt dicemus infrà *in cap. fin.* tum quia Ecclesia nunquam consueuit pœnam mortis infligere, *cap. inter 6. 33. quæst. 2.* ibi: *Gladium non habet, sed viui-*

viuificat. Textus ab specie *in c. ex literis, de excess. Prælat.* probaui *in cap. sententiam, ne clerici vel monachi*. Ergo non rectè in præsenti imponitur vltimum supplicium pro furto liberi hominis, seu plagio. Augetur hæc difficultas *ex cap. in Archiepiscopatu, de raptoribus*, vbi cùm agatur de Sarracenis, qui mulieres Christianas, & pueros rapiebant, vt eis abuterentur, statuit Alexander III. eos pecunia esse mulctandos, aut verberibus afficiendos, ea moderamine adhibita, vt flagella in vindictam sanguinis non transeant, aliàs si ita grauis excessus fuerit, vt mors, vel membri mutilatio sequi debeat, talis vindicta regiæ potestati reseruetur. Igitur quia ob furtum liberi hominis non potest pœna capitalis iniungi.

4 Furti et non definitio, & diuisio. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, furti nomen alios deducere à fraude, alios à ferendo, alios tandem à furuo, siue nigro, eo quòd per obscuras noctes opportuna sit eius delicti perpetratio, vt inquit Nonius ex Varrone *lib.4.* & ad eam alludens Nazianzenus *orat.40.* impudicitiæ opera appellauit noctis furta, quòd furtiuè, & in obscuro admittantur. Alij tandem à Græca voce *fora*, furtum dictum esse contendunt, vt constat *ex l. 1. ff. de furtis, Instit. de obligat. quæ ex delict.* Gel. *lib. 1. noctium, cap. 18.* Illustrant Bonifac. & Farinac. *in tract. de furtis*, Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. ff. de furtis.* Definitur autem à Theologis cum D. Thoma 2. 2. *quæst. 66. art. 3. Occulta rei alienæ inuito domino acceptio*. A iurecconsultis verò *in l. 1. §. fin ff. de furtis, & in §. 1. Instit. de obligat. quæ ex delicto*, dicitur *Contrectatio fraudulosa rei alienæ inuito domino, lucri faciendi causa, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius, possessionisue; quod lege naturali prohibitum est admittere*. Quæ definitio cum priori sancti Thomæ conuenit, & quamuis paulò longior videatur, furti tamen tum naturam, tum eius omnes causas continet. Eam fusè & doctè explicant nouissimè Gibalinus *tom. 2. de negot. cap. 9. art. 1.* D. Iosephus de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 2.* Antonius Matthæus *de crimin. ad tit. de furt.* Diuiditur autem ratione temporis in diurnum, & nocturnum, vt probaui *in cap. 2. de homicid.* & ratione loci, nam si in balneis, aut alijs locis publicis admittatur, maximum censetur ab Aristotele *in problem. sect. 8. quæst. 14.* De furibus balnearijs agunt Langleus *lib. 8. semestr. cap. 2.* Pancirola *lib. 2. variar. cap. 119.* Ant. Matthæus *ad eundem tit.* Item si fiat in loco sacro, etiam rei, quæ sacra non est, sacrilegium committitur, vt probaui *in cap. 20. de foro compet.* Etiam diuiditur furtum ratione obiecti, siue rei, quæ surripitur, in varias species, veluti si pecora subtrahantur, quod dicitur abigeatus, *l. 1. ff. de abigeis*, vbi Ant. Matthæus, Langleus *lib. 8. semestr. c. 1.* Mancinus *de triplici iur. collat. cap. 86.* si res publica auferatur, dicitur peculatus, *l. 1. ff. ad leg. Iul. pecul.* vbi plura Ant. Matthæus. Ad quam furti speciem spectant textus *in l. 9. ff. ad leg. Corn. de falsis, l. 7. C. de iure fisci, l. 2. C. ex quibus causis infam.* Tandem si homo liber surripiatur, dicitur plagium, de quo in præsenti agendum est.

5 De plagio & eius pœnis. Furtum ergo liberi hominis dicitur plagium, *l. 1. §. penult. l. vlt. ff. ad leg. Flauiam de plag. l. quoniam, l. si quis seruo 12. l. penult. C. eod. tit. l. 12. C. de ingenuis:* & ita appellatum est hoc delictum iuxta D. Isidorum relatum ab Alciato *lib. 1. parerg. cap. 47.* à Græca voce *plagios*, quæ non solùm transuersè, seu obliquè, verùm etiam dolosè sonat: inde plagiarij dicti, qui dolosè homines supprimunt: & eosdem à veteribus Lauernas dictos, notauit Cuiac. *ad tit. C. de lege Flauia*. Inde etiam translata est metaphora ad crimen plagij. Ijs quoque iungendi, qui alienos filios mentales, libros inquam ab alijs compositos, sibi supponunt per furtum, quod plagij pœna notari voluit Ptolom. apud Theoph. *tom. 4. de vit. lib. 3. sect. 3. cap. 6.* De plagio leges Cornelia & Flauia latæ fuerunt. Corneliæ meminit Apuleius *lib. 8. metamorph.* ibi: *Crimen Corneliæ legis incurram, si ciuem Romanum pro seruo vendidero.* Vbi per legem Corneliam nec illa, quæ de sicarijs, nec quæ de falsis, sed quæ plagio lata est, necessariò intelligi debet, quoniam venditio ciuis Romani plagium est, *d. l. ad mutandum 12. Cod. de ingen. manumiss. l. 2. C. vbi de crimin.* Legis Flauiæ meminit Cicero *pro Roscio Amerino*, ibi: *De seruis alienis contra legem Flauiam retentis plura dicenda sunt.* Etsi in eadem lege alia de seruorum manumissione statuta essent, vt constat *ex l. 1. & per tot. D. & C. ad leg. Flauiam:* de qua lege accipiendus est Marcel. *in l. si à milite 29. §. 1. ff. de testam. milit.* pœna huius delicti apud Athenienses capitalis fuit, vt constat ex Xenophonte: probat Petitus *ad ius Atticum lib. 6. tit. 5.* Iure ciuili pœna pecuniaria olim fuit, sed ea exsolescente, pro delicti modo animaduerti cœpit, & plerunque quidem in metallum plagiarij dabantur, *l. vlt. ff. ad leg. Flauiam.* Ex constitutione verò Diocletiani, necnon Constantini vltimo supplicio afficiuntur, *l. 7. & vlt. C. eod. tit.* in qua Constantini constitutione pro *teneatur*, legendum esse *tenebatur*, vt habetur *in l. vnic. C. Theodos. ad leg. Flauiam de plag.* docuerunt Duarenus *lib. 2. disp. c. 20.* Solorzanus *de Iure Indiar. lib. 2. cap. 7.* Petrus Gregor. *lib. 36. syntag. cap. 31.* Castro *in l. vnic. C. de gladiat. nu. 7.* I. Gothofr. *in d. l. vnic.* Iure nostro regio speciales pęnæ statutæ sunt *in l. 1. & 2. tit. 14. l. 1. tit. 15. lib. 4. fori, l. 22. tit. 14. part. 7.* nec solùm procedit, & committitur, quando quis surripuit hominem, & vendidit, verùm & quando donauit, & permutauit; vel in dotem dedit, *l. 4. ff. ad leg. Flauiam:* & in præsenti textu *verbo Tendiderit*, omnis contractus comprehenditur, argumento legis *statuliberi, §. Quintus, ff. de statulib.* Et cum hac actione concurrit interdictum *de libero hom. exhib.* Nec alterum iudicium alterum consumit, quod regulare est, *l. vnic. C. quando ciuil. act.* Paulus *lib. 5. sent. §. aduersus 14.* vbi Cuiacius.

His suppositis, ratio præsentis assertionis prouenit ex grauitate huius delicti; nam res ipsa surrepta graue furtum constituit, veluti si res sacra, aut religiosa intercipiatur, *l. 5. & 9. ff. ad leg. Iul. pecul.* cùm quis pecudes abegit, *l. 1. & vlt. ff. de abigeis*, cùm quis ex aratris furatus est vomeres, aut quid aliud ad agriculturam pertinens, ex constitutione Friderici II. *de statu & consuet. §. agricultores.* Et generaliter quoties res ablata magni fuerit pretij, *l. sacrilegij 6. in princip. ff. ad leg. Iul. pecul. l. 4. §. 1. ff. de incend. & ruina, l. si is qui 31. §. vlt. ff. de excusat. tutor. l. aut facta 16. §. quantitas, ff. de pęnis, l. 1. §. sed & qui porcam, ff. de abigeis:* quare & qui liberos homines intercepit, aut suppressit, plagium committit, & ob tanti sceleris atrocitatem vltimo supplicio afficitur: sed qui hominem liberum subduxit, non lucri faciendi animo fecit, nec vllum alienauit, sed penes se detinuit, ex plagio non tenetur, vt in casibus relatis & decisis *in cap. 2. de præsumpt. cap. dilecti, de ordin. cognit. cap. vnic. de iniurijs, lib. 6.* 6 Traditur decidendi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt verum sit, rem alienam esse oportere, vt furtum committatur, *d. l. 1.* & rem alicuius propriam esse, vt surripiatur, *l. rectè 25. ff. de V. S.* tamen cùm de furto agimus, rem alienam longiori modo accipimus, & rem, quæ in commercio non est, vt est homo liber; non enim tam significamus rem subreptam esse alterius, quàm subripientis non esse propriam, vt ait Osualdus *lib. 5. comment. cap. 29. littera S.* Vel vt voluit Donel. *lib. 15. comment. cap. 30. in princip.* alienam rem dicimus, cuius modò potestas aliena est: vnde si quis filiumfamilias, filiamue subripuerit, furti actione tenetur, *l. cùm quis, §. cùm filius l. filius 37. l. mater 38. ff. de furtis, §. interdum, Instit. de oblig. quæ ex delicto nascuntur.* 7 Dissoluitur dubitandi ratio.

Nec obstat secunda difficultas, pro cuius solutione aliqui asseruerunt, verba illa *moriatur*, non de morte naturali, sed de morte ciuili, hoc est excommunicatione, esse accipienda: nam in iure nostro canonico per mortem excommunicationem accipimus, *cap. venerabilem, qui filij sint legitimi:* vbi Innocent. referens legem antiquam mortem corporalem inferentem, intelligit quoad iudicem ecclesiasticum de excommunicationis sententia; & sic intelligunt DD. textus *in cap. 10. de vsur. cap. 2. de maiorit. & obedient.* secundùm Abbatem, & Ananiam ibi. Sed verius est in præsenti legem ecclesiasticam non condi, sed tantùm transcribi verba legis antiquæ: vnde ea referenda sunt ad iudices sæculares, non verò ad ecclesiasticos, vt contingebat in lege antiqua. Compilata autem fuerunt hæc verba in iure Canonico, vt agnoscant iudices ecclesiastici, quàm acriter punire debent eos, qui plagium admittunt; sed pęnis ecclesiasticis, ita vt ad effusionem sanguinis non perueniatur, vt notaui *in cap. sententiam, ne clerici vel monachi.*

CAPVT II.

Ex Concilio a Triburiensi.

FVres, & *b* latrones, si in furando, & deprædando occiduntur, *c* visum est pro eis non orandum: si comprehensi, aut vulnerati *d* presbytero, vel diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.

NOTÆ.

1 a TRiburiensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & ex ipso Concilio citant textum hunc Burchardus *lib.* 11. *Decreti, cap.* 59. Carnot. *cau.* 14. *Decreti, c.* 123. Gratianus *in cap. fures*, 13. *q* 2. & in ipso Concilio Tribur. anno 845. *can.* 31. ita legitur: *Si iuuentus fuerit quis furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare; & eleemosyna pro eo data in memoriam nec clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat.* B. Augustinus de talibus horribilem profert sententiam dicens: *Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti.* Refert Ant. August. *in epit. lib.* 27. *tit.* 3. *c.* 6 apud Carnotensem autem *d. c.* 123. ita plenior constitutio refertur: *Tranquillitatem sanctæ Dei Ecclesiæ inquietari, & pacem fraternam infestari testantur fures, & latrones, qui ambulant inter nos ouina pelle obumbrati, sed lupina mente recedunt alienati, sua mente res Ecclesiarum adducti rapientes, & gregem Dominicum spoliando lacerantes. De quibus Saluator in Euangelio commemorat: Qui non intrat per ostium in ouile ouium, ille fur est, & latro. Atque subiunxit: Fur non venit nisi vt furetur, & mactet, & perdat. Vbi quamuis hæreticos, qui idem furantur Ecclesiæ, designet; tamen insequutione furum & latronum turbatam monstrat pacem Ecclesiarum. De talibus Apostolus ad Philip. Videte canes, videte malos operarios. Canes vocauit, qui non habent verecundiam; malos operarios, qui nulla faciunt, quæ pietati conueniunt. Et Dominus per Isaiam Prophetam: Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam. Vnde nos, quæ Dominus diligit diligentes, & quæ odit odio habentes, statuimus, & iudicamus, vt si quis post hæc Euangelia, & Apostolica, atque Prophetica verba, & diffinitionem pacatissimæ Synodi iuuentus fuerit furtum, aut rapinam exercere, & in ipso diabolico actu mortem meretur incurrere, nullus pro eo præsumat orare, aut eleemosynam dare; & eleemosyna pro eo data, in memoriam clericorum, nec pauperum veniat, sed execrabilis sordescat. B. Augustinus de talibus horribilem profert sententiam dicens: Nemo te post mortem tuam fideliter redimit, quia tu te redimere noluisti. Si autem ille fur, vel latro vulneratus elabitur, & expectatione mortis desperatus putatur, atque reconciliare se mysterijs sacrosanctis habitu corporis, & voluntate piæ mentis deprecatur, Deoque & sacerdoti vita comite emendationem, & actus confitetur, communionis gratiam non negamus tribuendam.*

2 b *Fures & latrones.*] Verba hæc vt diuersa ponuntur, aliàs superfluò iterarentur, *l. si idem, C. de codicill.* Nam dictio, &, inter diuersa poni consueuit, iuxta rubricam, & Glossam ibi, *ff. de iur. & facti ignor.* quo modo etiam accipi debet textus *in cap* 2. *de homicid.* ibi: *Interfecisti furem, & latronem.* Sed quæ sit differentia inter furem, & latronem examinant DD. hic, quibus communiter placuit, furem dici, qui nocte; latronem, qui die furtum committit. Consentiunt Socinus *in d. cap.* 2. *de homicid.* Bartolus *in auth. sed nouo, C. de seruis fugit.* Sed verior ratio est, quod fur dicatur ille, qui domum aggreditur cum armis, & sine eis, vt docent Abbas & Ananias *hic*; suadeturque ex dicta authentica *sed nouo iure*, vbi notauit Castrensis *nu.* 10 latro verò, qui aggreditur cum armis in domibus degentes, aut viatores. Farinac. *in praxi, quæst.* 116. qui rectè inde docent, quòd latro per vim furatur; fur sine vi: vnde in illis verbis nostri textus, *comprehensus, aut vulneratus*, primum ad fures, secundum ad latrones referri debet.

Visum est] Formulam hanc Concilij exposui in apparatu ad hæc commentaria.

3 d *Presbytero, vel Diacono*] Sed potestas iniungendi pœnitentiam, & audiendi confessiones tantùm competit Sacerdotibus, *cap. verbum* 51. *de pœnit. dist.* 1. *cap. omnis, de pœnit. & remiss.* Trident. *sess.* 14. *de pœnit. cap.* 10 non verò Diacono, qui potestatem clauium Ecclesiæ non habet, *cap. bene quidem*, vbi Glossa *verbo Propter*, 95. *dist.* Ergo non poterat in præsenti casu fur, aut latro confiteri peccata Diacono. Cui difficultati vt aliqui satisfaciant, asserunt verbum illud *Diacono*, non esse authenticum; siquidem non reperitur apud Gratianum *in d. c. fures*: immò nec in ipso Concilio, nec apud Carnot. & ideò vocem illam delendam esse putauit Ant. Augustin *in notis ad* 1. *collect. Decret. in præsenti*. Sed omissa hac solutione, & alijs traditis à Glossa & Abbate *in præsenti*, Sotus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 4. *art.* 1. & Basilius *de imped. matrim. cap.* 15. *in parnis*, existimant præsentem textum accipiendum esse de eo, qui erat in pœnitentia solemni, cuius reconciliatio, absente Sacerdote ad Diaconum spectabat, & sic de solemni reconciliatione, non de sacramentali absolutione, textum hunc esse accipiendum: quam solutionem sequitur etiam Barbosa *in cap. verbum* 51. *de pœnit. dist.* 1. vt iuxta eam accipiendus sit D. Cyprianus *epist.* 13. vbi Sanctus reconciliationem ægri commisit Diacono: & notaui iam *in can.* 77. *Concilij Iliber* Sed hæc doctrina licèt vera sit, tamen præsenti canoni minimè adaptatur: quare ea omissa verius credo, illa verba: *Presbytero, vel Diacono confessi fuerint*; significare, quod si fures, & latrones, antequam decedant, comprehensi, vel vulnerati dederint signa pœnitentiæ coram Presbytero, vel Diacono, ad communionem admittantur, ita vt Presbyter, vel Diaconus, non tanquam absolutionem impendentes, & confessionem audientes, sed tanquam testes signorum pœnitentiæ adfuerint: & tunc verum est illis non denegari communionem, quam non accipio de Eucharistia, sed de communione ecclesiastica, iuxta quam & oratur pro mortuis, & offertur sacrificium, iuxta illud: *Cui communicamus viuo, & communicemus defuncto*; vt *in cap. sacris*, vbi probaui, *de sepultur.* Quæ interpretatio suadetur ex priori huius textus parte relata à Carnotensi suprà, vbi proponunt PP. duo illa hominum genera, videlicet eos, qui in crimine comprehensi occiduntur, nullis pœnitentiæ signis datis; & eos, qui signis exhibitis decedunt: illis negant communionem, oblationem, & orationem. Ergo eandem concedunt istis per illa verba: *Communionem eis non negamus.* Sed antequam hinc abeamus, exponendi sunt textus *in c.* 1. *de pœnit. dist.* 6. in illis verbis. *Tanta est vis pœnitentiæ, vt si deest sacerdos, confiteatur laico.* Et *in cap. sanctum, de consecr. dist.* 4. in quibus doceri videtur, deficiente sacerdote posse peccata confiteri laico; nam textus illi non sunt accipiendi de confessione sacramentali, sed de confessione peccatorum facta coram laico, non ad assequendum sacramentum, sed ad promerendas alias vtilitates, videlicet ad maiorem verecundiam, humilitatem, & ruborem, ad contritionem perfectam eliciendam, vt docuerunt Martha *de iurisdict. p.* 2. *cap.* 13. Couar. *in c. alma*, 1. *part.* §. 11. *nu.* 9. *de sent. excom. in* 6. Hæphtenus *in vita S. Bened. prolog* 18 § 10. Balbos *in cap. omnis, num.* 69. *de pœnit. & remiss.* nisi textus illos accipiamus iuxta veterem vsum, secundum quem laici in extrema necessitate, ingruente videlicet morte, nec suppetente confessario sacerdote, excipiebant confessionem, & absolutionem impendebant: cuius vsus meminerunt Gerson *in compend. Theolog. tit. de confessione speciali*, Nauarrus *in Enchir. cap* 21. *nu.* 41. & *in cap.* 1. *de pœnit. dist.* 6. *num.* 76. Theoph. *tom.* 16. *in Heterocl. spirit. puncto* 9. *in princip.* ex qua doctrina Neuileus *in vita S. Ludouici, cap.* 45. fatetur, Guidonem de Bellon, Regni Cypri Equitum Magistrum, in extremo vitæ discrimine ipsi Ioinuillæ fecisse hexomologesin, & peccata sua confessum, absolutione eorum donatum esse Idem fecerunt in summa procella quidam piratæ, de quibus Gaufrid Gros. *in vita S. Bernardi Tyron. cap.* 16. *Nihilominus tempestatis perseuerante sæuitia, timoris vehementia exagitati, peccata sua, quæ turpiter gesserant, turpiùs in audientia cunctorum confitendo propalare cœpisse, sacerdotale sibi officium vsurpantes, dum pœnitentias alternatim & dant, & accipiunt.* Idem de latrone Tridentino refert Cæsarius *lib.* 7. *cap.* 59.

COM-

COMMENTARIVM.

4 Conclusio traditur & probatur. EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Pro furibus, & latronibus in fragranti crimine occisis non orat Ecclesia: si verò in morte peccata confiteantur, communionem illis non denegat*. Probant eam textus *in c. pro obeuntibus*, 13. *q*. 2. *c. placuit*, 23. *q*. 5. *c. si quis, de pęnit. dist* 4. *cap. quicunque*, 23. *q*. 8. *cap*. 1. *de reliquijs & venerat Sanctor. c*. 1. *de torneam. cap. quia in omnibus, de vsur. cap. super eo, de raptor. Prouerb. cap*. 11. ibi: *Mortuo impio nulla erit vltra spes*. Illustrant Sotus *in* 4. *dist*. 45. *q*. 2. *art*. 2. Bellarminus *de Purg. lib*. 2. *cap*. 18. Azor 1. *p. moral. tit*. 10. *cap*. 22. *q*. 60. & *lib*. 9. *cap*. 31. *q*. 2. plures Barbosa *de offic. parochi cap*. 26. *nu*. 49. Petrus Gregor. *lib*. 4. *partit. tit*. 10. *c*. 8. Murga *tom*. 2. *disquisit* 20. *dub*. 2.

5 Impugnatur traditia assertio. Sed hæc assertio difficilis valdè redditur ex sequenti consideratione; nam fures, & latrones, etsi in ipso deprædandi actu decedant, possunt habere perfectam contritionem, ita vt remissionem illius peccati, & aliorum à Deo consequantur. Ergo interim dum contrarium non apparet, pro eis orari debet, præcipuè cùm Ecclesia non iudicet de occultis, *cap. sicut tuis* 33. *in fin. & sequent. de simonia, cap. erubescant*, 32. *dist*. Augetur hæc difficultas ex eo, quia orare pro peccatoribus etiam damnatis prohibitum omninò non videtur; siquidem legimus, D. Gregorium orasse pro Imperatore Traiano, Gentili, & sine baptismo decedente, vt constat ex Traiani historia, quam receperunt, & probarunt D. Thomas *in tract. de verit. q*. 6 *art*. 6. *ad* 4. Nauarr. *in tract. de oratione, cap*. 12. F. Alphonsus Carera *in tract. de obseru. Traiani*, plures congesti à Barbosa *in cap. cùm Marthæ, de celebrat. Missar*. Accedit vsus Ecclesiæ, quæ orare videtur pro damnatis, dum in Missà Defunctorum ait: *Libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, &c*. qua precandi formula pro damnatis orat Ecclesia; nam ipsi sunt, quibus imminent illa mala profundi laci, tartari, & leonis tartarei. Et quid est quod Ecclesia passim orat, *A porta inferi, erue Domine animas eorum?* Sanè istæ portæ nihil aliud sunt, quàm infernæ, & diabolicæ potestates, de quibus dicitur *cap*. 16. Matthæi: *Et portæ inferorum non præualebunt aduersùs eam*. Ergo non rectè in præsenti docetur, pro furibus, & latronibus decedentibus in ipsa deprædatione orandum non esse.

6 Traditur ratio decidendi. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cuius ratio prouenit ex eo, nam pro eis, quos in peccato mortali decessisse constat, non orat Ecclesia, nec permittit pro eis preces effundi, *cap. placuit*, 23. *quæst*. 5. *cap. pro obeuntibus*, 13. *quæst*. 2. *cap. Cyprianus*, 22. *quæst*. 3. *cap. pro delicto*, 95. *de pęnit. distin*. 2. Sed fures, & latrones in ipso actu deprædandi occisos, in peccato decedere notum est. Ergo rectè in præsenti docetur, pro eis tanquam in statu damnationis decedentibus orandum non esse, præcipuè cùm dicat Paulus 2. ad Corinthios, *Fures non possidebunt regnum Dei*. Consequens etiam est, vt pro eis eleemosynæ, aut oblationes non recipiantur, nec nomina eorum ad altare possint offerri, seu recitari, iuxta tradita in canone 29. Concilij Illiber. Sed si tales fures, & latrones in ipso vltimo vitæ spiritu signa contritionis dederint, quæ non præsumuntur, ex quo manifestè constat de peccato præcedenti, & ideò oportet, quòd per aliqua signa exteriora de ipsa contritione constet; tunc non denegat Ecclesia eis communionem, nec suffragia, aut ecclesiasticam sepulturam, *cap. à nobis* 28. *de sent. excom. cap. si quis* 2. & 4. *de pęnit. dist*. 4. quia Ecclesia nulli etiam in extremis posito claudit gremium, *cap. super eo, de hæretic. in* 6. Vnde rectè in præsenti asseritur, furibus, aut latronibus signa pœnitentiæ exhibentibus coram Presbytero, aut Diacono, pœnitentiam non esse denegandam, cùm redierint ad Ecclesiam per pœnitentiam.

7 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam in præsenti casu Ecclesia iudicium non profert contra furem de occultis, sed de apertis, & quæ ad sensum externum patent, veluti de furtis, & prædationibus; quin immò si de contritione furis iudicaret, tunc de occultis sententiam diceret, cùm furis peccatum videat, contritionem non videat. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam omissà quæstione, an prædicta Traiani historia vera sit, quam post Baronium, & alios historicos disputant relati à Barbosa *in d. cap. cùm Marthæ*, sciendum est, pro damnatis orandum non esse, cùm viuorum preces, & suffragia nihil prorsus emolumenti, solatij, aut refrigerij damnatis afferre possint, vt pluribus sacræ paginæ auctoritatibus, & Sanctorum Patrum testimonijs probat Alfonsus à Mendoza *quæst*. 5. *scholastica per tot*. tamen quoties iure speciali contrarium à Deo conceditur, orare pro eis potest; nam licèt generalis illa lex nullam dispensationem admittat, vt docet Suarez *p*. 3. *in* 3. *part. disp*. 44. *sect*. 3. nihilominus potest Deus gratiam particularem, quibus sibi placuerit, facere; & ideò frequenter aliquibus concessit, vt liceret pro eis mortuis, & damnatis orare, vt ad vitam hanc miraculosè reuerterentur, & saluarentur, vt ex mente sanctorum Augustini, Thomæ, & aliorum notauit Nauarr. *de orat. p*. 22. *num*. 44. & defendunt Bellarminus *lib* 2. *de Purgat. cap* 8 Castro *aduersùs hæreses, verbo Infernum, num*. 2. Nec obstat quod de vsu Ecclesiæ expendebamus; nam Ecclesia in his precationibus non orat nisi pro in purgatorio existentibus, qui infernus dicitur, & tartarus non impropriè appellatur, vt explicant Henriquez *in summa, lib*. 9. *cap*. 10. §. 2. Sotus *in* 4. *dist*. 45. *quæst*. 2. *art*. 2. Azor 1. *p. instit. cap*. 22. *quæst*. 8. Fagundez *in Eccles. præcept. lib*. 3. *cap*. 8. *num*. 6. Bellarm. *d. lib*. 2 *de Purgat. cap*. 1. Mendoza *d. quæst*. 6. *scholastica, cap*. 3. quo modo etiam stygis, tartari, stagni, carceris sulphuris nomine, non infernum damnatorum, sed locum purgatorij designauit Prudentius *in hymno de lumine Paschali*, dum refert in nocte resurrectionis Domini, quam totam olim fideles in orationibus peragebant, animas damnatorum vi suffragiorum quiescere à tormentis, ibi:

Sunt & spiritibus sæpè nocentibus
Pœnarum celebres sub styge feriæ:
Illa nocte sacer, qua redijt Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis,
Marcent supplicijs tartara mitibus,
Exultatque sui carceris otio
Vmbrarum populus liber ab ignibus,
Nec fœtent solito sulphure flumina.

Quem locum de existentibus in purgatorio accipit Mendoza *d. quæst*. 6. & similiter exponit sanctum Ioannem Damascenum, qui in sermone *de mortuis adiuuandis*, refert, quòd cùm sanctus Pater Macharius assiduè pro mortuis deprecaretur, & aliquando per viam incederet, caput cuiusdam mortui, qui fuerat Gentilis, locutum ei fuerat dicens: *Quando tu, ò Machari, pro mortuis offers preces, nos interim aliquid lenimenti sentimus*. Et D. Chrysost. *homil*. 3 *in epist. ad Philippenses*, dum ait: *Ijs, qui in diuitijs mortui sunt, nec peccata sua diluerunt, prodesse orationes viuorum*.

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. tempus* 23. 13. *quæst*. 2. vbi dum agit Augustinus de suffragijs, & orationibus pro defunctis factis, concludit: *Quibus autem prosunt, vt sit plena remissio, aut certè vt tolerabilior fiat ipsa damnatio*. Ex quibus verbis deduci videtur, etiam pro damnatis sacrificium Missæ offerri posse. Igitur etiam pro furibus, & latronibus in ipsa deprædatione decedentibus orare licet. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Augustinum ibi non agere de damnatis in inferno, sed potius de existentibus in purgatorio, quibus sacrificia oblata prodesse affirmat, vt sit plena remissio, vel tolerabilior ipsa damnatio, hoc est punitio. Nec obstabit si dicas, verba illa, *vt tolerabilior fiat*, ad valdè malos referri debere, de quibus proximè D. August. locutus fuerat. Nam verius est referenda esse ad non valdè malos, quos constat esse in purgatorio detentos: nec Augustinus in eis verbis probat sacrificia valdè malis prodesse, vt aliqui suo tempore existimabant; sed potiùs docet, illis, quibus sacrificia prosunt, aut ad hoc prodesse, vt plena fiat remissio, aut vt tolerabilior fiat damnatio: & cùm valdè malis sacrificia non prosint, nec ad vnum, nec ad alterum prodesse valent. Eadem interpretatione accipiendus est textus *in cap. cùm Marthæ, de celebrat. Missar*. in illis verbis, *pro mediocriter malis*. In quibus doceri videtur, sacrificia pro malis offerri posse. Nam ea verba referenda sunt ad fideles in purgatorio existentes. Distinguuntur autem in eo textu mediocriter mali à mediocriter bonis, qui nullum habent mortalium, vel venialium reatum, sed solùm pœnæ temporalis: at verò mediocriter mali sunt, qui non solùm habent reatum illum, sed etiam veniales culpas expurgandas, vt explicant Durantius *de ritibus eccles. lib*. 2. *cap*. 23. Bellarminus *vbi suprà*, Azor 1. *p. instit. mor. lib*. 9. *cap*. 31. & *lib*. 10. *cap*. 22. *quæst*. 6. 8 Exponitur cap. tempus 23. 13. q. 2.

Etiam suprà traditæ assertioni obstat textus in canone 15. Concilij Aurel. 2. in illis verbis: *Oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti, recipi debere censemus; si tamen non ipsi sibi mortem probentur proprijs manibus intulisse*. Ex quibus deducitur, recipi posse oblationes etiam pro illis defunctis, qui in ipso crimine fuerint interempti. Igitur & pro furibus, & latronibus, qui in furto, aut deprædatione fuerint occisi, orari valet. Pro cuius textus expositione dicendum est, defunctos, de quibus in eo canone, pœnitentiam petijsse, & accepisse, & ita oblationem pro eis admitti; aliàs si pœnitentiam non petijssent, etiamsi in ipso delicto, vel pro eo pœnam luendo occiderentur, oblationes pro eis non admitterentur: quo casu procedit textus *in cap. placuit 23. quæst. 2.* ibi: *Similiter & eis placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur*. Vnde cognoscitur, quàm iniustè olim in Gallia negarentur Pœnitentia, & Eucharistia vltimo supplicio destinatis, vt referunt Spondanus post Baronium *anno 1397. num. 2.* Theoph. *tom. 16. in Heterocl. spirit. puncto 8.*

C A P V T III.

Ex pœnitentia a *Theodori.*

SI quis pro necessitate furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem pœniteat *b* hebdomadas tres. Si reddiderit, non cogatur ieiunare.

N O T Æ.

1 a THeodori.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & in pœnitentiali Romano *tit. 4. cap. 4.* Theodorus hic fuit Archiepiscopus Cantuariensis, qui Pœnitentiale, seu peccantium iudicia composuit, vt referunt Reginus *in chron. anno Domini 676.* his verbis: *Per id tempus Theodorus Archiepiscopus, & Hadrianus Abbas doctissimus à Vitelliano Papa missi sunt in Britanniam, plurimasque Ecclesias Anglorum doctrinæ Apostolicę fruge fœcundauere, è quibus Theodorus Archiepiscopus peccantium iudicia, quantis scilicet annis pro vnoquoque peccato quis pęnitere debeat, mirabili, & discreta consideratione describit*. Sigisbertus in chronicis, anno DC.LXVIII. *Theodorus Archiepiscopus, & Hadrianus Abbas à Vitelliano Papa in Angliam diriguntur anno DC. LXXIV. Theodorus in Anglia Synodo habita constituit multa Ecclesię vtilia. Hic Theodorus scripsit pęnitentialem librum, mirabili, & cauta discretione distinguens modum singularum culparum. Anno DCXC. Theodorus Archiepiscopus Anglorum obijt.* Ioan. Trithemius *de Scriptor. Eccles* ibi: *Theodorus septimus Archiepisc. Cantuariensis à Vitelliano Papa consecratus, natione Græcus, ex Tarso Ciliciæ, monachus Ordinis nostri in vrbe Romana, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis nulli suo tempore secundus, in Græco, & Latino sermone peritissimus, Carmine quoque excellens, & prosa, & non minùs sanctitate, quam scientia clarus, habita Synodo in Anglia, multa ad Anglicanę Ecclesiæ vtilitatem constituit. Scripsit autem inter cætera ingenij sui monimenta egregium opus de qualitate pęnitentiæ iniungendæ, pro his, qui in multis criminibus deliquissent; cuius operis titulus est, Pęnitentiale Theodori, & epistolas ad diuersos. Moritur non sine opinione sanctitatis sub Iustiniano minore Imper. anno DCXC. in d. 3. ætatis 78. Episcopatus 22.* Idem *lib. 2. cap. 18.* de viris illustribus Ordinis sancti Bened. *Theodorus monachus Romanus, natione Græcus, à Vitelliano Papa septimus Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia destinatus, vir in diuinis scripturis valdè eruditus, & in obseruantia Catholicæ traditionis studiosissimus, habita Synodo in Anglia multa ad vtilitatem Ecclesiæ constituit, de cuius laude, sanctissimisque laboribus Beda in 4. & 5. Eccles. histor pluries fecit mentionem. Scripsit autem librum de pęnitentiæ qualitate notabilem, quem Gratianus Decreti compilator sæpè allegat. Moritur anno Domini DCXC. in d. 3. ætatis suæ 78. Pontif. 22.* Hic Theodorus primus videtur apud Latinos de pœnitentijs scripsisse, quem sequutus est Beda, eius fortasse discipulus. Sumpsit pęnitentias Theodorus Græcus ex Basilio, & alijs Græcis Patribus: ita videtur eorum acerbitatem, ac seueritatem sequi, quæ res effecit, vt paulatim hæc ratio puniendi delicta abolita sit. Sed malè in contraria lapsi sumus, vt dum acerbitatem fugimus, faueamus morbis, vel foueamus potiùs hæc crimina, impunitate data.

b *Hebdomadas.*] Et quot diebus in qualibet hebdomada debeat quis ieiunare, exposui *in cap. accusati, de accusat.*

COMMENTARIVM.

2 Conclusio probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Committenti furtum ex necessitate leuis pęnitentia est iniungenda.* Probant eam textus *in cap. 3. hoc tit in 1. collect.* vbi *ex c. 6. Prouerb.* ita legitur: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, vt esurientem impleat animam.* Et *c. sicut is, 47. dist. cap. pasce, c. non satis, 86. dist. cap. discipulos, de consecr. dist. 5.* Pęnit. Romanum *tit. 4. cap. 16.* ibi: *Si fecisti furtum necessitatis causa, sic dico, vt non haberes vnde viueres, & propter famis penuriam, & tantùm furatus es victualia extra Ecclesiam, nec propter consuetudinem fecisti, redde quod tulisti, & sex ferias in pane & aqua pęniteas. Si autem reddere non potueris, decem dies in pane & aqua pęniteas.* D. Thomas 2. 2. *q. 66. art. 7.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & à Cenedo *ad Decretal. collect. 92.* Farinac. *de furtis quæst. 174. num. 68.* Tiraquel. *de pęnis temper. caus. 33.* Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 10. cap. 5. & 80.* Mendoza *lib 2. Concil. Illiber. cap. 15.* Mancinus *lib. 1. de triplici iur. collat. cap. 106. nu. 3.* Bobadilla *tom. 1. polit. lib. 3 cap. 3. num. 23.* Guttierez *lib. 1. canonic. cap. 23. num. 19* Acuña *in cap. sicut 47. & in cap 1. 48. dist.* Diana *p. 11. tract. 1. resol 32.* Forcatulus *in penu, cap. 13. & fin.* Vuesembach *disput. 41. nu. 4.* Velascus *de priuil. piæ causæ, p. 1. q. 27. & p. 2. q. 65.* Castillo *de alimentis cap. 6.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Furtum probrum est à natura, *l. probrum, ff. de V. S.* iuri naturali contrarium, *l. 2 §. fin. ff. de furtis, §. furtum, Instit. de obligat. quæ ex delict.* lege diuina prohibitum, *Exodi cap. 20. Leuit. cap. 18.* D. Paulus *ad Ephesios cap. 4.* Sed quæ iure naturali, aut diuino prohibita sunt, non possunt vllâ alia lege permitti, *cap. si quidem, 25. q. 1. cap. fin. de consuet. l. eas, ff. de capit. minut. l. abdicatio, C. de patria potest.* Ergo non rectè in præsenti permittitur furtum propter necessitatem. 3 Impugnatur traditæ assertio. Augetur difficultas ex eo, quoniam nullatenus ignoscendum est ei, qui obtentu paupertatis turpissimam vitam agit, *leg. palam, §. non est, ff. de ritu nupt.* & nulla ratione, nec etiam vitæ conseruandæ, fas est peccare, potiùsque famem. mortem, ac mala omnia debet quis pati, quàm peccato consentire, *c. Lotharius, 31. q. 3. c. sacris 5. de his quæ vi, metusue, l. isti 8. §. penult. ff. de eo quod metus causa.* Plura Scaccia *de commercijs 2. p. q. 7. §. 1.* Faciunt Seneca *epist. 77.* ibi: *Omnia pro honesto patienda sunt.* Et *lib. 6. declamat. 7.* ibi: *Mori potiùs debuit frater, quàm sanari turpiter.* Et *lib. 1. de ira: Abominandum remedij genus est, sanitatem debere morbo.* Seneca Tragicus *in Medea, actu 3.*

Remedia totiens inuenit nobis Deus
Periculis peiora.

Et *in Oedippo actu 3.*

Vbi turpis est medicina, sanari piget.

Fuitque Zenonis sententia, pro vita tuenda ab honesto non esse recedendum: cuius meminit Iuuenal. *satyra 15.*

——Melius nos
Zenonis præcepta monent, nec enim omnia, quædam
Pro vita facienda putat.

Quintilianus *declamat. 3.* ait: *Non interest, an supersit remedium, quod tentare non debeas; & vbi tantumdem periculi speres, quantùm desperatio habet, melior exitus est, qui facit miseros innocentes.* Ergo nec pro subleuanda necessitate licet furtum committere. Deinde difficilis est secunda pars huius textus, vbi asseritur, restituenti rem ablatam ob necessitatem non esse vllam pęnitentiam iniungendam; nam furi etiam post restitutionem rei ablatæ pęnitentia imponitur, *cap. fin. hoc tit. cap. si quis domum, de iniurijs, c. sicut dignum, §. eos de homicid.*

&ab

& ab specie probatur *ex dicto cap. 16. pœnit. Romani*. Ergo non rectè in præsenti docetur, post restitutionem furem cogendum esse ieiunare.

4 *Traditur decidendi ratio.* Sed hac dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, cuius ratio prouenit ex illo vulgari principio, Necessitas facit licitum, quod aliàs erat illicitum, *cap. quod non est, de R. I. lib. 6. cap. 2 de obseru. ieian. cap. quantò, de consuet. cap. sicut, de consecr. dist. 5. l. 2. C. de patribus qui filios, l. 2 ff. de ferijs*. Accedit quòd necessitas extrema omnes res communes facit, *d. cap. discipulos*: & ideò qui tali necessitate premitur, potest illis iure suo citrà crimen furti, labemque peccati vti, quia is, qui re communi vtitur, potiùs facere videtur iure suo, quàm furandi animo, *l. marito 52. ff. pro socio*. Nec hanc communionem impedit possessoris contraria voluntas, seu prohibitio; nam cùm ea iniusta sit, & iuri naturali contraria, ideò non attenditur: diuisio enim rerum, quæ iure gentium facta fuit, *§. 1. Instit. de iure natur.* non derogat iuri naturali, quod disponit, ex rebus temporalibus subueniendum esse extremæ hominum necessitati, vt sentire videtur Couar. *in regula peccatum, 2. part. §. 1. num. 3.* Tum quia per eam diuisionem non derogatur alia lex, quæ dictat, vt quis non possit alteri homini facere, quòd sibi fieri noluit, *cap. cùm omnes, de constit. l. 1. ff. quòd quisque iur.* docuerunt Sayrus *in claui Regia, cap. 14. nu. 18.* Lessius *lib. 2. de iust. cap. 12. dub. 12.* Bonacina *in tract. de restit. quæst. 8. puncto 8. num* 4. Et ideò dominus rei non potest ægrè ferre, quòd extrema egestate laborans rem propriam occupet: quod intelligendum est, dummodo dominus ipse non sit in pari necessitate constitutus; tunc enim non licèt illum re sua priuare, cùm in pari periculo, & necessitate melior sit conditio possidentis. Accedit: nam necessitas moderamen non diligit, vt Cassiodorus ait: *lib. 4. epist. 13.* quia vt loquitur Horatius, omnia rapit

> —— *Æqua lege necessitas*
> *Sortitur insignes, & imos.*
> *Omne capax mouet vrna nomen.*

Instante enim necessitate nulla legum ratio habetur. Plato *de legibus*, ibi: *Immò habet suas necessitas leges tam duras, vt nullæ eis resistere possint, nec Deus eas queat violare*. Diog. Laert. *lib. 1. de vit. Philosoph. cap. 5.* dixisse ait Pittacum, *tantam esse necessitatis vim, vt nec Dij ipsi reluctari possint*. Ergo qui extrema necessitate laborans propter famem, aut nuditatem rem alienam occupauit, furtum non committit. Necessitatem hanc necessariam necessitatem dixit Tertul. *de coron. milit.* obscœnissimam famem appellauit Imp. Valent. *nouel. 11.* in illis verbis: *Nihil est ad quod non desperatio salutis impellat. Nihil turpe, nihil vetitum credit esuriens. Sola cura est, vt qualicunque sorte viuatur*. Facit Cassiod. *lib. 9. epist. 13. Sub quali excusatione peccare creditur, cui necessaria non præbentur*. Seneca *lib. 4. contron. 4. Necessitas est lex temporis*. Chrysolog. *serm. 35. In arduis languoribus dat crebrò consilium vis doloris: in desperatis causis est sæpe magistra necessitas, inueait ipsa sibi passio medicinam*. Alia de necessitate congessit Filesac. *lib. 3. select. fol.* 221.

5 *Exponitur præsens textus.* Vnde meritò difficilis videtur præsens textus, dum in eo docetur, ob famem, aut nuditatem rem alienam occupanti imponendam esse pœnitentiam ieiunij per tres hebdomadas; nam si coactus fame hoc fecit, nullum delictum admisit: quare pro huius textus expositione varia adduxerunt Interpretes. Plerique existimarunt, præsentem textum esse accipiendum de necessitate extrema, per quam is, qui surripuit, non omninò liberatur à culpa, quoniam ex quadam supererogatione tenetur tribus hebdomadis pęnitere, eo quòd illa occupatio imaginem furtiuam habeat, à qua per pœnitentiam liber, & immunis redditur, vt docuit Couarr. *in regul. peccatum, 2. part. cap. 1. num. 3.* Alij docent, ideò in præsenti pœnitentiam iniungi, quia qui egestate laborans extrema, rem occupauit, ad pinguiorem fortunam rediens, eam non restituit, vt facere tenebatur, argumento capitis *Odoardus, de solut. l. Nesennias, ff. de negot. gestis*. Sed vtraque solutio displicet: tum quia cùm res ita occupata tempore necessitatis extremæ communis esset, consequens est, eam vt propriam ab inope occupari, vltra alicuius peccati reatum: & ita nulla debet affici pęna, tam in foro externo, quàm interno, vt docent Abbas *hic, num. 6.* Archid. *n. 10.* tum etiam, quia qui extrema necessitate coactus rem furatur, non tenetur illam restituere, etsi ad pinguiorem fortunã peruenerit, vt docent Richardus *in 4. sent. dist. 15.* Angelus Sylnester *in summa, verbo Furtum, q. 5.* Couarr. *vbi suprà*, Ceuallos *communium q. 729. num. 15.* Aliter exponunt textum hunc Glossa 1. *hic*, Hostiensis, & Cardin. *in princip.* Abbas *n. 2. & 5.* qui asserunt, in præsenti dumtaxat agi de necessitate graui, seu modica, quę cùm extrema non sit, minimè excusat à peccato. Sylnester *vbi suprà, qu. 3.* vnde cùm peccatum eo casu committatur, meritò imponitur pęnitentia per tres hebdomadas: quo modo etiam accipiunt textum *in cap. fraternitatis, 12. q. 2.* Verùm hæc interpretatio, præterquam quòd diuinatoria est, siquidem ex textus serie non constat, de qua necessitate in eo agatur, si de graui, aut modica tantùm accipitur, etiam post restitutionem pęnitentia erat iniungenda. Quare his, & alijs omissis, veriùs dicendum credo cùm Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 15.* in præsenti pęnitentiam imponi non propter culpam, sed propter causam, vt de homicidio ob vitæ defensionem admisso, probaui *in cap. 2. de homicid.* Veteres enim Ecclesiæ Patres non tantùm pro malis, verùm & pro his omnibus, quæ mali speciem præ se ferebant, pęnitentiam iniungere consueuerant, vt pęnæ metu in officio, & æquitate fideles continerent, dum videbant non solùm pro culpis, verùm & pro illis casibus, in quibus suspicio mali dabatur, pęnitentiam imponi. Vnde cùm in præsenti casu, etsi ob necessitatem res auferretur ab inope, suspicari possit furtum committi, ideò Patres pęnitentiam, etsi leuem, iniunxerunt. Sed huic solutioni obstare videtur, quod in eodem textu asseritur, post restitutionem rei ablatæ non cogi eum, qui eam surripuit, ieiunare: ergo quia propter furti suspicionem ieiunandi obligatio iniuncta non fuerat. Nam dicendum est, potiùs inde deduci, pęnitentiam iniunctam fuisse, non propter culpam, sed propter culpæ suspicionem; nam cùm & ea cesset post restitutionem, non cogitur, qui rem alienam tempore necessitatis abstulit, post restitutionem ieiunare.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam licèt furtum, quatenus furtum est, sit probrum à natura; 6 *Dissoluitur dubitandi ratio.*
tempore tamen extremæ necessitatis propriè furtum non committitur, quia cùm vrget extrema necessitas, res illæ, quæ alienæ videbantur, communes efficiuntur quoad eos, qui extremam necessitatem patiuntur. Vnde talis ablatio non videtur contraria iuri naturali, cùm potius nitatur permissione ipsius iuris naturalis. Nec obstat eiusdem difficultatis augmentum deductum *ex d. l. palam, §. non est*: cui omissa solutione Glossæ *in præsenti*, dicendum est, discrimen prouenire ex diuersitate malitiæ vtriusque delicti; nam peccata adulterij, periurij, fornicationis, & similia, sunt simpliciter, & intrinsecè mala, adeò vt eorum malitia non possit tolli consensu, aut voluntate humana, aut alia qualibet circumstantia; & ideò nec mariti consensus, nec ipsius fęminæ voluntas sufficit ad tollendam adulterij, aut simplicis fornicationis malitiam: vnde extrema necessitas, veluti vitæ conseruandæ, non potest reddere fornicationem licitam, nec propriam vxorem, quæ vxor non est: at verò furtum non est simpliciter, & intrinsecè malum, sed tantùm ex eo, quod proximo iniuriosum, & iniquum est; ideòque eius malitia, & proximi iniuria cessat ex nonnullis circumstantijs, veluti ex consensu Domini expressè præstito, vel præsumpto, aut aliàs debito, qualis contingit tempore extremæ necessitatis. Vnde hæc circumstantia remouet furti malitiam, facitque vt licitè quis in extrema necessitate possit rem ab alio possessam auferre. Quam discriminis rationem præsenserunt Panormit. *in c. quorundam, de simonia, nu. 50.* Couarr. *d. §. 1. num. 7.* quæ etiam ratio facit, vt licitè quis seruato moderamine inculpatæ tutelæ, possit in sui defensionem alium occidere, non autem pro vita conseruanda possit aliqua fornicationis specie vti; nam cùm peccatum hoc sit intrinsecè, & simpliciter malum, nulla circumstantia etiam vitæ conseruandæ potest tollere eius malitiam: at verò homicidium est malum, quatenus est iniuriosum proximo; vnde necessitas vitæ conseruandæ potest illud licitum reddere.

Sed suprà traditis obstat textus *in c. sicut 33. q. 4.* in illis
verbis: *Sicut satiùs est mori fame, quàm idolothytis vesci*. 7 *Exponitur cap. sicut sitius, 11. q. 4.*
Ex quibus expressè deducitur, nec etiam ob extremam famis necessitatem licere idolothytis, idest carnibus idolo immolatis, vesci: igitur nec etiam aliena rapere propter extremam necessitatem licèt. Pro cuius difficultatis so-

lutione

Digitized by Google

lutione dicendum est, verum esse, non licere idolothytis vesci, *cap. si quis carnem* 13. 30. *dist.* docent Petrus Gregorius *lib 9. syntag. cap.* 1. Dorleans *ad Tacitum lib.* 2. *fol.* 291. Mancinus *de trip. iur. collat. cap.* 95. ne ita sacrificijs Gentilium Christianus assentire videatur: tamen vrgente famis necessitate licet illis vesci, quia cùm præceptum vitæ conseruandæ sit iuris naturalis, prohibitio autem illa tantùm sit iuris positiui, ideò quando duo præcepta simul concurrunt, quorum vnum est iuris naturalis, aliud verò iuris positiui iuri naturali, quod præualet, est standum, vt tradunt in specie Molina *de iustitia tract.* 5. *disput.* 62. Ægid. Coninch *tract. de fide, disput.* 15. *num.* 54. Vasquez *in* 1. 2. *disput.* 162. *cap.* 2. *&* 5. Si autem cogatur quis idolothytis vesci in idolorum cultum, tunc procedit textus *in d. c.* 10. *sicut satius*; quia potiùs debet pati mortem, quàm idololatriæ consentire, vt docuerunt Victoria *in relect. de vsu cibor. num.* 3. Acuña *in cap. presbyter* 33. *num. fin.* 50. *dist.*

CAPVT IV.

Hieronymus a *super Parabolas*.

QVi cum fure partitur, odit animam suam. Non fur solùm, sed ille reus tenetur, qui furti conscius, quærente possessore non indicat.

NOTÆ.

1 a D. *Hieronymus.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 6. priora verba sunt capitis 29. Prouerbiorum; posteriora verba D. Hieronymi, seu alterius Interpretis ea exponentis. *In d. c.* 29. ita legitur: *Qui cum fure partitur, odit animam suam, adiurantem audit, & non indicat.* Quæ exponit Salazar *tom.* 2. *in Prouerb. cap.* 29. *vers.* 24. Illa verò *non fur solùm*, &c. sunt D. Hieronymi, vt leguntur in ipsa Glossa ordinaria.

COMMENTARIVM.

2 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens deducitur assertio: *Non solùm fur est, qui rem furatur, verùm & qui Domino requirenti rem furtiuam non indicat.* Quæ assertio probari potest ex *d. c. dilectus, de excessib. Prælat. l.* 1. *&* 2. *ff. de receptatoribus, l.* 2. *C. eod tit. l. congruit* 13. *ff. de offic. Præsid. l. sed si quis, §. si duo, l. falsus, §. qui alium, l. qui vas* 48. *§. qui cum fure, ff. de furtis, l. inciuile* 2. *l ciuile* 15. *l. si mancipium* 23. *C. eod. l. idem, §. si tibi, ff. de condict. ob turp. l. solet, ff. de præscript. verb. l. ex quibus, §. Dominus, ff. de iure fisci, l. si Barsatorem, C de fideiuss. l. rationem, C. ad leg. Cornel. de falsis, l. penult. C. ad leg. Iul. de vi public. l. præsenti, C. de his, qui ad Ecclesiam l.* 1. *ff. ad leg. Iul. de vi public.* Ex D. Gregorio *in c.* 7. *Iosue*, qui affirmat propterea cunctum populum propter vnius Acham furtum, qui contra præceptum Domini pretiosa quædam supellectilia ex anathemate vrbis Iericho surripuerat, seuerè punitum, quia differebatur manifestatio criminis; & ideò populus in peccati consortio esse videbatur, quamdiù crimen suppressum erat, ex legibus Ripuar. *tit.* 4. ibi: *Quod si in domo fuerit, & ei scrutinium, cuius est domus, contradixerit, fur habetur.* Illustrant vltra repetentes à Barbosa relatos *in præsenti*, Petrus Gregor. *lib.* 1. *partit. tit.* 10. *cap.* 7. Couarr. *in regul. peccatum,* 2. *part. §.* 3. *num.* 4. Osualdus *lib.* 14. *Donel. cap.* 25. *littera L*, Cuiac. *lib* 11. *obser. cap.* 48. Gutierrez *lib.* 1. *canonic. cap.* 11. Flores de Mena *lib.* 1. *var. cap.* 18. Farin. *in praxi, quæst.* 125. *num.* 306. Molina *de iustitia, tom.* 4. *tract.* 3. *disput* 4. *num.* 2. Suarez *de censur. disput.* 17. *sect.* 3. *num.* 4. Mancinus *sacri iuris controu. cap.* 11. Sayrus *in claui Regia, lib.* 9. *cap.* 14. Gibalinus *de censur. disquisit.* 2. *quæst.* 6. *consect.* 4.

3 Impugnatur tradita assertio. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam vel in præsenti fur iudicatur, qui furem non indicat, vel qui rem furtiuam non exhibet: sed neutro casu, qui celat furem, aut rem furtiuam, vt fur tenetur: ergo malè in præsenti asseritur, cum participem furti iudicari. Prior pars minoris propositionis probatur ex eo, nam nemo tenetur, immò nec potest infamare proximum, qui adhuc latet, nisi in crimine hæresis, vt latè probat Gibalinus *de censur. d. disquisit. quæst.* 6. *consect.* 3 *per totum.* Igitur non tenetur quis Domino indicare furem occultum. Secunda pars propositionis probatur ex eo; nam si teneretur, vt furti particeps, propriè teneretur, vt fur non manifestus: sed tenetur pœna furti manifesti, *ex l.* 12. *Tabul.* 2. ita concepta: *Si furtum lance, licioque conceptum excit, atque vti manifestum vindicator.* Facit Aul. Gel. *lib.* 11. *noctium, cap. vltimo*, ibi: *Decemuiri in* 12. *Tabulis ea furta, quæ per lancem, liciumque concepta essent, perinde ac si manifesta essent, vindicauerunt.* Igitur non rectè in præsenti docetur, eum, qui celauit rem furtiuam, nec domino requirenti, & reposcenti indicauit, vt participem furti teneri.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera 4 Traditur ratio decidendi.
est præsens assertio, cuius ratio prouenit ex eo, quia noua contrectatione noua nascitur furti obligatio: & ideò furtum committit, qui rem alienam scienter receptat, *l.* 2. *l. eos, Cod. de furt. l.* 1. *ff. pro emptore, l.* 5 *§. quinimò, ff. commodati*; nam non dissimile crimen est rapere, quàm raptam rem celare, *l.* 1. *ff. de recept l. congruit* 13. *ff. de offic. Præsid. l.* 1. *C. de his qui latrones*; quia agentes, & consentientes pari pœna puniuntur, *l. is qui opem* 34. *cum duab. sequent. ff. de furt. l. si seruus* 27. *§. si quis, ff. ad leg. Aquil. l. hac lege, §.* 1. *ff. ad leg. Iul. pecul. §. interdum, Instit. de obligat. quæ ex delict.* docent Osualdus *lib.* 15. *comment. Donel. c.* 29. *litera D*, Farinac. *de furtis, quæst.* 166. *ex num.* 56. Quare is, penes quem res furtiua inuenitur, eam restituere Domino petenti tenetur, etiamsi rem pretio emerit, *l.* 2. *l.* 5. *C. de furtis, l.* 2. *&* 3. *Cod. de R. V.* propter suspicionem participati furti: quare ab ignotis res emere inciuile est, *l.* 5. ibi: *Ab ignoto & transeunte te emisse dicere non conuenit: C. de furtis*, Carolus Pipinus *lib.* 5. *cap.* 4. *cap.* 29 *Vt nullus comparet cauallum, bouem, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel vbi manet.* Et *l.* 8. *tit.* 2. *lib.* 7. *leg. Vuisigoth.* notauit Sauarus *ad Sidonium lib.* 6. *epistola* 4. Hæc tamen doctrina procedit eo casu, quo is qui à fure rem subreptam, vel eius partem accepit, sciens & dolo malo fecit, non si ignorans accepit, quia tunc particeps criminis non est, nec actione furti tenebitur. Cantera *qq. crimin. cap.* 8. Farinac. *de furt. quæst.* 133. *num.* 99. nam ad hoc vt furem receptans, vel rem furatam celans teneatur ex furto, necessarium omninò est, vt scienter id faciat, *d. l. eos, C. de furtis, l.* 1. *&* 2. *ff. de recept. l.* 2 *§. quamuis, ff. de seruo corrupto, l. sacrilegij* 6. *§. vlt. ff. ad leg. Iul. pecul.* Et ideò sciens si receperit, tenebitur, quamuis non habeat animum sibi lucrandi, *l. si quis præferendum, ff. eodem.* Vnde rectè D. Hieronymus in præsenti ait, participem furti credi eum, qui domino quærenti, & reposcenti rem furtiuam celat, & non restituit. Dubium tamen est, an ex eo, quòd res furtiua apud aliquem reperiatur, præsumatur ipsam subtraxisse, nisi doceat à quo habuerit? Et dicendum est, simpliciter, & absolutè præsumendum non esse contra eum, qui talem rem furtiuam habet; sed ita demùm, si propter qualitatem personæ, & frequentiam huiusmodi actuum censeatur suspectus de furto, & participatione cum fure; vel si minori pretio, vel clandestinè quis emerit: nam ex his indicijs, & alijs similibus præsumitur scientia, dolus, & malitia, *l. dolum, C. de dolo:* notant Bartolus, & Baldus *in l. inciuile, Cod. de furtis*; qui docent ex his, & alijs circumstantijs posse iudicem deuenire ad torturam, argumento legis de minore, *§. tormenta, ff. de quæst.* Vnde si persona, apud quam res furtiua inuenitur, sit grauis, & honesta, tunc nec contra eum præsumitur, nec debet torqueri, *l. non omnis, §. à Barbaris, ff. de re milit.* Nec contrarium probat textus *in l. minorem, C. ad leg. Corn. de fals.* vbi docetur, quod qui vtitur falso instrumento, præsumitur indistinctè illud fabricasse. Nam respondeo, illum textum procedere eo casu dumtaxat, in quo loquitur, nempè quando quis falso instrumento vtitur: nam tunc præsumitur illud

illud fabricasse, nisi exprimat personam, quæ fecit; non verò quando instrumentum falsum reperitur penes eum. Docuit Angelus *ibi*.

5 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, pro cuius prioris partis solutione quærunt DD. an iudex possit imperare manifestationem, non modò furti, verùm & auctoris ipsius? & Guttierez *lib.1.canon.cap.11.n.11.* Neuizanus *lib.3.syluæ nuptialis, n.30.* docent iudicem ex officio posse iubere, sibi prodi furem, non verò si ad instantiam partis procedat. Sed communiter repetentes in præsenti docent, ex mandato iudicis furem indicandum esse, ex præsenti textu, & *ex cap. 2. de offic. ordin. cap. dilectus, de excessib. Prælat.* Quod verum credo præcipuè vbi necessitas adest cognoscendi furem, quia etiamsi notum sit vbinam habeatur res furtiua, recuperari tamen nequit, nisi manifesto fure, vt docuit Gibalinus *de censur. disquisit. 2.q.6.consect.4.* Hoc tamen non procedit, quando indicato fure timeri potest eius vltimum supplicium; tunc enim melius est tacere, vt D. August. affirmat *in cap. ne quis arbitretur, cap. 14. 22. q. 2.* vbi scribit, quòd licèt perfectus, & spiritualis homo pro alterius vita non possit mentiri, potest tamen, & debet verum occultare; quoniam illud est mentiri, hoc tantùm verum celare: sicut aliud est falsum dicere, aliud verum tacere. Et sic ex sententia D. Augustini nemo tenetur furem prodere, quando periculum vitæ timetur. Generaliter ergo iudex potest subditos compellere ad indicandum furem, argumento legis *3. ff. de offic. Præsid. l. 1. cum duab. sequent. ff. de seruis fugitiuis*. Vnde deducitur, iure optimo Episcopos literas monitorias decernere, non solùm pro rebus subreptis, verùm & pro fure indicando, iuxta Concilij Trident decretum *sess.25. de reform.cap.3.vers. Quapropter:* cuius dispositio non solùm fulcitur decisione textus *in cap. ad nostram 20. de iureiur.* verùm & ea ratione, nam ad officium iudicis spectat fures inquirere, & punire, *d.l.3. & c.1. de offic.ord.* Et cùm Episcopus ratione peccati iudex sit competens, etiam inter laicos, *c. nouit*, vbi proba ui, *de iudicijs*; ideò potest per dictas literas monitorias cogere laicos fures indicare, iuxta dictum canonem Concilij Trid. quem latè explicat Theophilus Raynaud. *tom.14 in tra.de lit. monit.* Nec obstat alia pars ipsius dubitandi rationis, quæ propriùs ad præsentem textum spectat; siquidem in eo non agitur de obligatione indicandi furem, sed exhibendi rem furtiuam. Pro cuius solutione sciendum est, olim furtum conceptum dici, quando res furtiua per lancem, & licium inquisita requirebatur, iuxta formam, quàm ex Gellio, & alijs illustrat Petrus Pitheus *lib.1.aduersar.c.1.* & is apud quem res inuenta erat, tanquam fur manifestus tenebatur, vsquedum Iustinianus eam furti speciem cum alijs abrogauit *in §. furtorum, Instit. de obligat. quæ ex delict.* Et ita nouo iure pœna tantùm furti non manifesti tenetur. Vnde præsens textus, dum ait, eum qui rem furtiuam quærenti domino non indicat, furti teneri; intelligendus est de furto non manifesto, iuxta nouam Iustiniani constitutionem; non verò de furto manifesto, secundùm antiquam legem decemuiralem suprà relatam.

6 Exponitur textus in l. 4. ff. de condict. ob turp. Verùm suprà traditæ assertioni obstat textus *in l. idem 4. ff. de condict. ob turpem caus.* vbi inquit Consultus, quod si Titio indicium dedero (indicium est præmium, quod indici præstatur, *l. qui vas 48. §. 9. ff. de furt.*) vt fugitiuum seruum meum indicet, vel furem rerum mearum, non potero, quòd dedi, repetere, quia turpiter Titius non accipit. Igitur quia ad rem furtiuam indicandam nemo tenetur, aliàs non liceret pecuniam pro tali indicatione accipere: & etiam deducitur, licitum esse accipere pecuniam, vt quis rem furtiuam non indicet; si enim rem furtiuam indicare mihi liberum est, non indicare itidem mihi liberum erit; cùm contrariorum eadem sit ratio, & doctrina, *l. 1. & 2. ff. de his qui sunt sui, vel alieni, l. etsi contra 35. ff. de vulgar. l. qui filium 64. ff. de legat. 3. l. vlt. C. de indict. viduitate*. Vnde cognito vno de contrarijs, cognoscitur & aliud, *d. l. etsi contra, l. penult.* & ibi Baldus, *C. de solut.* & posito vno contrariorum in esse, remouetur reliquum, *l. inter me 15. ff. de except. rei iudic. l. Pomponius 40. §. sed & is, ff. de procurat. l. hæc verba 124. ff. de V. S.* Hinc quod operatur propositum in proposito, idem operatur oppositum in opposito, *l. vltima de calumniat. l. fin. C. de fruct. & litium expens.* Ergo si licet pretium accipere pro indicanda, vel non, re furtiua, ex eo maximè est, quia talis indicationis nulla necessitas à iure competit. Pro primæ difficultatis expositione dicendum est, in specie textus *in d. l. 4.* & *in l. solent, ff. de præscript. verb.* pecuniam acceptam, vel promissam in præmium non fuisse pro simplici manifestatione serui fugitiui, vel furis, quia pro ea pretium recipi non poterat, vt post alios docet Lessius *de iustit. lib.2. cap.14. n.66.* sed tantùm pro labore, & industria requirendi seruum fugitiuum, aut aliam rem furtiuam, eiusque furem. Quę interpretatio colligitur *ex d. l. solent*, ibi: *Solent etiam mercedes huius rei accipere*. Vbi Consultus appellat mercedem, quod datum est causa indicandi furem: sed merces propriè dicitur, quod datur respectu proprij laboris; vnde constat, in eo textu non tam pro indicatione, quàm pro ipso labore mercedem accipi. Iuxta quam solutionē accipiendus est Vlpianus *in l. falsus 44 §. qui alienam, ff. de furtis*, vbi scribit, eum qui rem alienam inuenit, non posse petere inuentionis præmium pro restitutione rei inuentæ: quod non procedit, vt excludatur iusta compensatio laboris, & expensarum factarum in inuentione eiusdem rei; nam pro labore habito in requirenda re, iustè merces recipitur, vt notarunt Albericus, & Iaso *in d. l. 4. §. si tibi, ff. de condict. ob turp.* Felinus *in cap. dilecti, n.3. de accusat.* sed eo casu procedit Consultus, quando nihil inuentum est; tunc enim gratis alienam rem inuentam dominò restituere tenetur inuentor, *cap. si quid inuenisti, 14. q. 5.* Molina *de iustit. tract. 2. disput. 83. n. 6.* Lessius *d. cap.14. n.66.* Gomez *lib. 3. var. cap. 5. n. 2.* Azeuedus *in leg. 6. tit. 15. lib. 4. recopil.* Barbosa *hic, num. fin.* Nec obstat secunda difficultas, quia in præsenti casu ratio diuersa est, quæ diuersum ius inducit; nam indicare furem respicit publicam vtilitatem, vt scelera puniantur; & propterea permissum est, pecuniam accipere, vt fur indicetur, nec turpiter accepta dicitur: at non indicare furem, est contra publicam vtilitatem, & propterea pecuniam turpiter datam, & acceptam esse traditur *in d. l. idem si, vers. Item si dederit*. Per hoc enim lucrum, quod quis percipit, infertur damnum Reipublicæ, cuius interest ne crimina contegantur, sed malefactores pœnis subijciantur, *d. leg. congruit, ff. de offic. Præsidis:* docuit Andreas Cludius *ad tit. ff. de condict. ob turp. cap. 3. num. 70.*

Secundò suprà traditis obstat textus *in l. qui vas 48. §. qui furem, ff. de furtis*, in illis verbis: *Qui furem nouit, siue indicet eum, siue non indicet, fur non est*. Ex quibus expressè deducitur, eum qui furem non indicat, furem non esse. Ergo non rectè in præsenti asserimus, furti participem esse eum, qui domino requirenti rem furtiuam illam non indicat. Pro cuius difficultatis solutione Anania *hic, nu. 3.* Barbosa *num. 1.* Couarr. *d. §. 3. num. 5.* Suarez *de censur. disput. 17. sect. 3. num. 8.* Mena *d. q. 18. nu. 8.* asserunt Hieronymum in præsenti agere de furti culpa, non quoad obligationem restituendi, ita vt conscius furti illud quærenti domino non indicans lethaliter peccet, quod probari videtur ex illis verbis, *Occidit animam suam*, quæ de interiori reatu mortali accipienda sunt; non verò asserere sanctum Doctorem, cum actione furti teneri, iuxta dictam legem *qui vas*, *§. qui furem*. Sed hæc interpretatio facilè refellitur ex verbis præsentis textus, ex quibus constat, reum furti esse, qui Domino non indicat rem furtiuam: quare veriùs dicendum est, *in d. §. qui furem*, non agi de indicante, vel non rem furtiuam, quàm etiam iure ciuili quis exhibere cogebatur, aliàs furti concepti, vel non exhibiti actione tenebatur; sed de indicante furem, vel non, quem etsi celans furti teneatur, tamen non indicans vt fur non punitur, vt expressè docetur in fine eiusdem *§. qui furem*, & notauit Gothofr. *in d. l. 4. ff. de condict. ob turp.* 7 Exponitur l. qui vas 48. §. qui furem ff. de furt.

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in l. seruus 36. ff. de condict. indeb.* vbi refert Paulus, seruum cuiusdam magidem (id est vas, quo farina subigitur) insciente domino commodasse, & eum cui commodauerat, pignori tradidisse: & ait Consultus, quod si is, qui pignori accepit, alienam esse sciebat, furti eum teneri, quia sciens rem alienam pignori accepit; secus verò si nescijsset alienam rem esse: nam seruus, qui non habebat pecuniæ administrationem, distrahens magidem nesciente domino, furtum commisit, *l. interdum, §. cùm autem, ff. de furtis, l. si liber, Cod. quòd cùm eo, l. qui à seruo 16. ff. de O. & A.* docuit Cuiac. *lib. 15. obseru. cap. 18.* Vnde qui sciens magidem ipsam pignori accepit, furtum commisit, quia quamuis non haberet animum lucrifaciendi tamen rem furtiuam scienter detinebat, nec domino inquirenti indicabat. 8 Exponitur l. seruus 36. ff. de condict. indeb.

C A-

CAPVT V.

Alexander III. a *Cremonensi Episcopo*.

EX literis tuis, si benè meminimus, auribus nostris innotuit, & dil. fil. I. *b* subdiaconi nostri diligens relatio patefecit, quod B. lator præsentium *c* calicem quendam in Ecclesia minùs cautè dimissum inuenit: quem licèt auaritiæ cupiditate rapuerit, & insipienter longo tempore detinuerit, posteà tamen pœnitentia ductus Presbytero in confessione excessum suum humiliter, & reuerenter aperuit, & Ecclesiæ iuxta eundem Presbyteri consilium, prout dignum fuit, exinde satisfecit. Vnde quoniam propter hoc ipsum tuæ fraternitatis discretio dubitat ordinare, prudentiæ tuæ per A. s. p. m. quat. si prædictus B. spontanea voluntate sui animi confessus fuerit huiusmodi præsumptionis excessum, & exinde Ecclesiæ, cuius calix fuerit, satisfecit, nec est super hoc nota, vel infamia manifesta respersus, post peractam pœnitentiam, aut congruam partem pœnitentiæ, dummodo aliàs ipsum idoneum esse cognoscas, ad sacros ordines non dubites *d* promouere.

NOTÆ.

1 a *CRemonensi*.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* Cremona est vrbs Italiæ in Liguria, non procul à Mantua, quæ etiam hodie nomen retinet: cuius ciues cùm contra Augustum Antonio adhæsissent, Cęsar victor veteranis suis eorum agros assignauit; qui cùm non suffecissent, adiecit etiam Mantuanorum agros, nullam aliam ob culpam, nisi quòd Cremonensibus vicini essent. Hinc Virgil. *eclog. 9.*

Mantua væ miseræ nimiùm vicina Cremonæ.

Habuit Ecclesiam Cathedralem iam à primis Ecclesiæ sæculis; siquidem Eustachius eius Præsul subscripsit Concilijs Romanis 3. & 6. sub Papa Symmacho.

b *Subdiaconi nostri*.] De officio subdiaconi Romanæ Ecclesiæ egi *in cap. 1. de testam. cap. 1. de transact.*

c *Calicem*.] De calice, & eius materia egi *in cap. 1. de pignoribus, cap. fin. de celebrat. Missar.*

2 d *Promouere*.] Absque vlla absolutione; vnde deducitur, eum, qui furatur rem sacram de loco sacro, non esse excommunicatum ipso iure, cùm in præsenti iubeat Alexander, furem calicis promoueri ad sacros ordines: si autem esset excommunicatus, non permitteret Pontifex absque absolutione eum promoueri. Facit etiam, nam si excommunicatus esset ipso iure, indigeret absolutione, etiam post satisfactionem, vt probaui *in c. 1. de iudicijs*. Verumtamen est, eum grauiter peccare, & excommunicandum esse, *cap. conquestus, de foro compet.* vbi latè probaui. Nec contrarium probat textus *in cap. conquesti 22. de sent. excom.* vbi Pontifex declarat sacrilegos, & ipso iure excommunicatos esse eos, qui quasdam Ecclesias spoliarunt. Nam respondetur, textum illum procedere, quando quis rem Ecclesiæ rapuit per violentiam, vel Ecclesiæ fracturam, vt expressè constat ex illis verbis, *violenter confregerunt*: secus verò quando quis absque violentia surripuit rem Ecclesiæ; tunc enim non est ipso iure excommunicatus, vt docuerunt Abbas, & Cardinalis *in præsenti*, Caietanus *in summa, verbo Excommunicatio 21.* Nauarrus *in manuali, cap. 27. num. 44.* Molina *de iust. tom. 3. tract. 2. disput. 94. nu. 2.* Azor *p. 1. moral. lib. 9. cap. 27. q. 13.* vbi ex prædicta distinctione exponit textus *in cap. quisquis, cap. omnes Ecclesiæ, 17. q. 4. cap. Canonicus 11. q. 3.* Et hæc est vera sententia, licèt alij contrariam tenuerint. Videndi sunt Suarez *de censur. disp. 22. sect. 5.* Gibalinus *in synopsi censurar. littera I, num. 6.* Inde etiam infertur, quòd is, qui furando criminosus effectus fuit, præstita satisfactione post pœnitentiam, non creditur criminosus quoad effectum promotionis ad ordines, non autem quoad pœnam sibi infligendam ex tali delicto, *l. qui ea mente, ff. de furt.* Quia licèt per pœnitentiam liberetur quis à reatu quoad forum internum, non tamen à pœnis impositis simili delicto quoad forum externum.

COMMENTARIVM.

3 EX hoc textu communiter deducitur, furem occultum post pœnitentiam, & satisfactionem posse ad sacros ordines promoueri. Quam conclusionem generaliter in omnibus delictis occultis examinaui, & probaui *in cap. ex tuarum, de tempor. ordin.* sed præsens decisio de furto tantùm agens difficilis redditur ex eo; nam is, qui furtum perpetrauit, eo ipso iuris infamia notatur: nam quocumque genere furti damnatus infamis est. Paulus *lib. 2. sent. tit. 31. §. 14.* sed infamia notatus, ab officijs, & dignitatibus ecclesiasticis remouetur, *cap. inter 11. de excess. Prælat. cap. querela, de iureiur.* regula *Infamibus, de R. I. lib. 6.* ex principio textus *in l. vnic. C. de infamibus, lib. 11. l. infamia, C. de Decur. eod. lib. l. 1. Cod. de dignit. lib. 12.* Ergo, qui furtum commisit, etiam post pœnitentiam, & satisfactionem ad ordines sacros promoueri nequit. Pro cuius difficultatis solutione sciendum est, infamem infamia iuris irregularem esse, ita vt neque possit promoueri ad sacros ordines, nec in susceptis ministrare, *c. qui in aliquo, cap. fin. 51. dist. cap. Euphemius, §. hinc, 2. q. 3. cap. ipsi Apostoli, 2. q. 7.* quod procedit etiamsi infamia statuta sit à iure ciuili; nam qui secundùm ius illud infamis est, etiam secundùm sacros canones infamis iudicatur, *cap. 1. 6. q. 1.* vbi Pontifex generaliter ait: *Omnes eos infames esse dicimus, quos leges sæculi infames appellant.* Infamis verò infamia facti, qualis est ille, cuius opinio ex facto, vel delicto apud probos, & graues viros onerata est, *cap. omnipotens, de accusat. cap. infames 3. q. 7. leg. 2. ff. de obsequijs, l. cogi; ff. de var. & extraord. cognit. l. ea quæ, C. ex quibus caus. infam.* irregularis censetur quantum ad suscipiendos sacros ordines, vt probatur ex hoc textu, ibi: *Nec est super hoc nota, vel infamia;* vbi notauit Anania *num. 10.* & probatur *ex cap. non debet, de testibus*. Vbi accusatores, qui pendente accusatione infamia facti notantur, repelluntur à susceptione ordinum: plura congessit Gibalinus *de irregul. cap. 5. per totum*. Inter infamiam autem iuris, & facti duplex differentia versatur. Prima, quòd in iuris infamia tantùm Summus Pontifex dispensare valet, argumento textus *in cap. cùm te, de sent. & re iudic.* in infamia verò facti dispensare potest Episcopus, nimirum vt illa notatus possit in susceptis ordinibus ministrare. Secunda differentia est, quòd irregularitas ex infamia iuris proueniens non tollitur per pœnitentiam, *cap. Euphemium 2. quæst. 3.* vbi dicitur, quòd quamuis animas per pœnitentiam saluare possimus, infamiam abolere non possumus: illa verò, quæ prouenit ex infamia facti, tollitur per pœnitentiam, & per emendationem vitæ purgatur. Glossa *in cap. ille qui 6 q. 1.* docet Abbas *in cap. ex diligenti, de simonia*: vbi huius discriminis rationem reddit; nam tunc infamia facti tollitur per actum contrarium, idest emendationem vitæ, quia per quascunque causas res nascitur, per easdem dissoluitur, *cap. testimonium, de testibus, cap. 1. de R. I.* Nec contrarium probat textus *in cap. at si clerici, §. de adulterijs, de iudicijs*: vbi deciditur, post peractam pœnitentiam adhuc desiderari dispensationem, vt infamia facti tollatur. Quia omissis varijs solutionibus dicendum est, textum illum procedere in infamia iuris, veluti præcedente iudicis sententia, vt docuerunt ibi Imola *num. 6.* Abbas *num. 14.* Felinus *num. 16* Decius *num. 18.* & colligitur ex generalitate eiusdem §. iuncto versiculo *Si verò*; in quo probabatur, clericum conuictum, vel confessum deponendum esse ab Episcopo, atque ita quòd Alexander III. subiungit *in §. de adulterijs*, intelligi debet post sententiam; vnde sensus illius textus erit, quòd clericus conuictus de crimine, suspendendus est, vel deponendus perpetuò, nisi Episcopus cùm eo dispenset: quod facere potest in adulterijs, & alijs minoribus criminibus. Nec hoc repugnat doctrinæ, quàm nuper tradidimus, videlicet in irregularitate ex infamia iuris proueniente tantùm Romanum Pontificem dispensare posse. Nam id intelligitur de immediata irregularitatis dispensatione, non verò de indi-

indirecta, quàm poteſt facere Epiſcopus diſpenſando directè in delicto: quo facto acceſſoriè tollitur infamia proueniens ex delicto tali, & per conſequens irregularitas. Docuerunt Villadiego *de irregul. cap.* 10. Henriquez *in ſumma, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 3.

4 Vnde iam apparet vera ratio præſentis textus, quare in præſenti ſpecie is, qui calicem in Eccleſia minùs cautè dimiſſum ſurripuit, poſſit ad ſacros ordines promoueri: quæ in eo conſiſtit, nam furtum hoc fuit occultum, & ita fur non fuit infamia iuris notatus, & ipſe pœnitentiam de crimine egit, ac pro calice ſubrepto ſatisfecit: quibus exiſtentibus circumſtantijs, ſi aliàs idoneus eſt, ceſſat irregularitas, vt docuerunt in præſenti Anania *num.* 1. Abbas *num.* 5. Socinus *num.* 5. Nec contrarium probant illa verba præſentis textus, *ſponte confeſſus*; ex quibus deducitur, per confeſſionem ipſius furis furtum hoc notorium factum fuiſſe; propter furtum autem notorium iuris infamia incurritur, *d. l. poterit*: quæ per pœnitentiam tolli non poteſt, iuxta ſuprà tradita. Nam reſpondendum eſt, confeſſionem, de qua in præſenti, non fuiſſe factam in iudicio, ſed in foro pœnitentiæ; ideòque per eam furtum notorium factum fuiſſe, & per conſequens iuris infamiam non irrogari, vt docuerunt hic Ancharanus *num.* 44. Abbas *num.* 3.

TITVLVS XIX.

De vſuris.

CAPVT PRIMVM.

Alexand. III. *in Concilio* a *Turonenſi.*

PLures clericorum, & quòd mœrentes dicimus, eorum quoque, qui præſens ſæculum profeſſione vocis, & *b* habitu reliquerunt, à canonibus vſuras quaſi manifeſtiùs damnatas exercentes, commodata pecunia indigentibus, poſſeſſiones eorum in pignus accipiunt, & prouenientes fructus percipiunt vltra ſortem. Idcircò generalis Concilij decernit auctoritas, vt nullus amodò conſtitutus in Clero, vel hoc, vel aliud genus vſuræ exercere præſumat, & ſi aliquis alicuius poſſeſſionem data pecunia ſub hac ſpecie in pignus accepit; ſi ſortem ſuam, deductis expenſis, de fructibus iam perceperit, abſolutè poſſeſſionem reſtituat debitori: ſi autem aliquid minùs habet, eo recepto poſſeſſio liberè ad dominum reuertatur. Quòd ſi poſt huiuſmodi conſtituta in clero quiſquam extiterit, qui deteſtandis vſurarum lucris inſiſtat, eccleſiaſtici officij periculum *c* patiatur, niſi fortè beneficium Eccleſiæ fuerit, quod *d* redimendum ei hoc modo de manu laici videatur.

NOTÆ.

1 a TVronenſi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 1. & poſt Concil. Lateran. *p.* 16. *cap.* 2. addendumque eſt *can.* 2. iuxta Coriolanum *in ſumma Concil. fol.* 524. De hoc Concilio iam nonnulla notaui *in cap. maiorib.* 8. *de præb.*

b *Et habitu.*] Monachi videlicet.

c *Patiatur.*] De pœna clerici vſurarij agemus infrà *in cap. præterea.*

d *Redimendum.*] De hac altarium redemptione egi *in cap. quiſquis, de elect.* & commentarium huius textus dedi *in cap. cùm contra, de pignoribus.* 2

CAPVT II.

Idem a *Cantuar. Archiepiſcopo, & eius ſuffraganeis.*

QVoniam non ſolùm viris eccleſiaſticis, ſed etiam quibuslibet alijs periculoſum eſt vſurarum lucris intendere, auctoritate tibi præſentium duximus iniungendum, vt liceat tibi clericos tuos, qui de poſſeſſionibus, vel arboribus, quas tenere in pignus noſcuntur, ſortem ſuam, deductis expenſis, inde iam receperunt, ad eadem pignora reſtituenda ſine exactione, eccleſiaſtica diſtrictione compellere.

NOTÆ.

a CAntuarienſi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 4. & poſt Concil. Later. *p.* 16. *cap.* 3. De Cantuarienſi Metropoli egi *in cap.* 2. *de reſcript.* & textum hunc expoſui *in cap. cùm contrà, de pignor.*

CAPVT III.

Ex Concilio a *Lateran.*

QVia in omnibus ferè locis ita crimen vſurarum inualuit, vt multis alijs negotijs prætermiſſis, quaſi licitè vſuras exerceant, & qualiter vtriuſque Teſtamenti pagina condemnentur, non attendant: ideò conſtituimus, vt vſurarij *b* manifeſti, nec ad *c* communionem admittantur altaris, nec chriſtianam, ſi in hoc peccato deceſſerint, accipiant *d* ſepulturam: ſed nec *e* oblationes eorum quiſpiam accipiat. Qui autem acceperit, aut chriſtianæ tradiderit ſepulturæ; & ea quæ accepit, reddere compellatur; & donec ad arbitrium ſui Epiſcopi ſatisfaciat, ab officij ſui maneat executione ſuſpenſus.

NOTÆ.

a LAteranenſi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap.* 2. & extat textus hic in ipſo Concilio generali Lateranenſi celebrato ſub Alexandro III. *cap.* 25. De quo Concilio nonnulla adduxi *in cap. nonnulli, de reſcript.*

b *Manifeſti.*] Manifeſti vſurarij dicuntur primò, qui ita palam vſuras exercent, vt ipſa operis iniquitas eos vſurarios publicè demonſtret, & nulla tergiuerſatione poſſit celari eos vſurariam artem exercere, iuxta textum *in cap. euidentia, & ibi tradita, de accuſat.* Secundò etiam dicuntur manifeſti, qui in iudicio confeſſi ſunt crimen vſu- 1

ræ;talis enim confessio in iure facta rem facit manifestam, & notoriam, *cap. vestra, cap. fin.* vbi probaui, *de cohabit. cleric.* immò ob delicti detestationem, si vsurarius coram pluribus testibus de fide dignis fateatur se vsurarium esse, præcipuè si exprimat personas, à quibus vsuras accepit, manifestus vsurarius dicitur, vt pluribus congestis, probat Caballos *to.1.q.11. & q.537.n.5.* Dicuntur etiam vsurarij manifesti, qui sententia iudicis ita declarati sunt. Glossa verbo *manifestos, c.1. hoc tit. in 6.* quia iudicis sententia rem facit notoriam, *cap.fin. de cohabit.cleric.* Vnde non dicetur manifestus vsurarius ille, contra quem extat legitima testium probatio asserentium, vsurarium esse, vt vltra repetentes in præsenti docent Couarr. *lib. 3. var. cap. 3. nu. 4.* Iul. Clarus §. *vsura*, Gibalinus *lib. 1. de vsuris, cap.11. art. 1.* Menochius *de arbitr. casu* 235. Villaguth. *de vsur. q. 35.* Gutierrez *lib.2.canonic. c. 19.* Molina *de iustit.2.tom.disput.333.* Lessius *de iustit. lib.2.cap.20. disput.22.* Canisius *de vsur.cap.7.n.2.* Ex quibus illud notandum est, non esse necessarium, vt quis manifestus vsurarius dicatur, quòd exercuerit manifestas vsuras, vel claras; sed satis esse, quòd palliatas, vel manifestas, quascunque scilicet, vel cuiusuis generis vsuras vno ex dictis modis exercuerit.

2 c *Communionem.*] Hanc pœnam Innocentius in præsenti *n. 1.* ita exponit: *Vt vsurarij non admittantur ad communionem Eucharistiam.* Quem sequitur Couarr. *lib. 3. var. c.3.n.5.* quæ est vera interpretatio. Nec audiendi sunt Abbas antiquus, & Panormit. in præsenti, *n. 2.* qui ea verba explicant, vt non admittantur in Ecclesia, quamdiù diuina officia celebrantur. Nam si de hac excommunicatione sensissent Patres Concilij, frustrà adderent verba illa, *accipiant sepulturam, sed nec oblationes;* cùm iam in præsenti pœna hæc comprehenderetur.

3 d *Sepulturam.*] Consonant textus *in cap. cùm tu 5. cap. cùm in diœcesi, hoc tit. cap. quamquam, eod. tit. in 6. clement. 1. eod. tit. l.9. tit. 13. p 1.* & meritò hæc pœna imponitur vsurarijs manifestis, quia decedentibus in peccato notorio denegatur ecclesiastica sepultura, *c.fin.13.q.2.c.fin.88.dist. c.placuit, 23.q.5.c.1.de torneam.c.2.de raptor. c. super quodam, c. cùm ad monasterium, de statu monach.* D. Ioan. Vela *de delict.cap.fin.n.20.* Ab hac autem pœna, & reliquis excusabitur vsurarius, quem pœnituit, & propter notam omnibus paupertatem restituere non valet; tunc enim præstita iuratoria cautione excusatur, *d. cap. cùm tu, hoc tit. d. cap. quamquam*, ibi: *Pro suarum viribus facultatum.* Pluribus relatis docet Villaguth. *d.q.35.de vsur.conclus.6.*

4 e *Oblationes.*] Consonat D. Clemens *lib.4. constit. cap.5.* nam cùm oblationes in propitiationem pro peccatis offerantur, vt constat *in cap.5. & 13. Deuteron. cap. quia sacerdotes, cap. Sanctorum, 10.q.1.* ab vsurario manifesto, & à peccato non recedente, sed in eo permanente, non debent admitti, *cap. oblationes, 96. dist.* Accedit, quia per huiusmodi oblationes profitebatur quædam communio inter viuos, & defunctos, pro quibus offerebantur. Concil. Arelat. 2. *can.* 12. Concil. Vasense 1. *can.* 2. Altissiodor. *can.*17. Aurel.2.*can.*15. Tolet. 11.*can.*12. Quare generaliter eorum, qui non communicant, oblationes reijciuntur, *cap.28. Concil. Illiber.* vbi notaui: & eorum, qui in peccata grauiora lapsi sunt, veluti, qui sibi mortem consciuerunt, *d. can. 17. Concilij Altissiod.* Aurelian. 2. *can.* 15. qui filios suos hæreticis baptizandos tradiderunt. Concil. Illerdense *can.* 13. oppressores pauperum. Concil. Carthag. 4. *can. 93. & 94.* & alijs, de quibus Suarez *de relig. tom.1. lib.1. c.6. n.4.* Albaspineus *lib. 1. obseru. c. 5. & 6.* Lemaistre *de bonis Eccles. 2. p. lib. 1. de decimis, c. 15.* Theoph. Raynaud. *de liter. monit. p 2. c. 2. n. 22.* Spondanus *de cœmeter. p. 1. lib 4. cap. 4. ex n. 3.* quia iuxta Ecclesiasticum *c. 34. vers. 23. Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.*

COMMENTARIVM.

5 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc canone sequens communiter deducitur assertio: *Manifesti vsurarij, siue clerici, siue laici à communione Ecclesiæ repelluntur.* Probant eam textus *in c. fin. 46. dist. c. 1. & per totam 47. dist. cap. 1. & per totam 14. q. 4. cap. vnic. 15. q. 2. cap. 1. & per totum, hoc tit. c. 1. cap. quamquam, eod. tit. lib. 6. Clement. 1. & 2. hoc tit. cap. 2. de vita & honest. cleric. cap. inter, de excessibus Prælat. can. 44. Apostol.* Gregorius VII. *in Synodo Romana, can. 16. Vsurarij, & qui tenent pignus, postquam inde habent, quòd præstauerunt, excommunicentur.* Innocentius II. in Synodo Romana *can. 13. Insatiabilem fœneratorum rapacitatem damnamus, & ab omni ecclesiastica consolatione sequestramus.* Meldense *can. 55. Vt Episcopi seipsos, atque ministros suos, & maximè ecclesiasticos, cunctosque Christianos in sua parochia, perpendentes ex hoc statuta Nicæni Concilij, & cæterorum Conciliorum, ab vsuris sine excusatione compescant; & quos compescere aliter non potuerint, canonicam in eos sententiam proferant.* Valentinum sub Lothario *can. 10. Vsurarum turpia lucra canonica seueritate inhibemus.* Illiberit. *can.* 20. Arelat. 1. *can.* 12. Arelat. 2. *can.* 14. Aquisgran. *can.* 61. Agathense *can.* 69. Aurel 3. *can.* 23. Chartag. 1. *can.* 13. Carthag. 4. *can.* 67. Laodic. *can.* 4. Magunt. sub Carolo *can.* 10. Rhemense *can.* 32. Tarracon. *can.* 10 Trosleian. *can.* 15. Turon. *can.* 10. alia iuris testimonia congesserunt Ant. Augustin. *in epit. iur. lib. 35. tit. 6.* Crespetius *in summa, verbo Vsura.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Petrus Gregor. *lib. 3. partit. tit. 5. cap. 5. & in tract. de vsur.* Tapia *tom. 2. lib. 5. cap. 17. ex art. 3.* Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 28.* Acuña *in cap. Presbyter, 50. dist.* Fontanel. *decis.* 210. Pineda *de rebus Salomonis, lib. 6. cap. 20. num. 14.* Fragoso *de regim. Christ. Reipub. p. 1. lib. 2. disput. 4. §. 21.* Mendoza *lib. 2. Concil. Illiber. cap. 39. & 40.* Balsamon *in can. 17. Concilij Nicæni*, Coriolanus *in can. 44. Apost.* Binsfeld. *in præsenti*, Scribentes de vsuris, & nouissimè Leothardus, & Gibalinus, Hurtado *de vero martyr. resol. 70. §. 3.* Roussel. *lib. 6. Histor. Pontif. iurisdict. cap. 3.* Mancinus *lib. 1. de triplici iur. collat. cap. 153. & 226.* Murga *tom. 2. disquisit. 14. per totam*, Selden. *lib. 6. de iure natur. Hebr. cap. 10.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti considera- 6 Impugnatur tradita assertio.
tione. Omni iure, tam naturali, diuino, quàm positiuo, vsuræ permissæ sunt: igitur eas accipientes puniri non debent. Iure naturali vsuras permitti cõstat; nã ius hoc dictat, hominum commercia, & societates conseruari, sine quibus Respublica vix seruari potest: auctor est Cicero *lib. 7. de legibus.* Sed maior pars humani commercij consistit in vsuris exigendis, *leg. lectæ 40. ff. de rebus creditis.* Ergo vsuræ iuri naturali consonæ sunt. Accedit, nam quid naturali rationi magis congruum est, quàm, vt qui mercedem recipit, gratificetur, *l. sed si 25. §. consuluit, ff. de petit. hæredit. l. 6. ff. de seru. exportand.* Osualdus *lib. 17. Donelli, cap. 2.* Ergo qui pecuniam mutuauit, iustè ob remunerationem vsuras exigit. Iure diuino, tam legis veteris, quàm nouæ vsuras indistinctè improbatas non esse, constat *ex cap. 23. Deuteron.* ibi: *Non fœneraberis fratri tuo ad vsuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem; sed alieno: fratri autem tuo absque vsura id, quod indiget, commodabis.* Et in eodem libro, *cap. 15.* ibi: *Fœneraberis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies.* Ex quibus, & alijs locis congestis à Villaguth. *de vsur. q. 4.* ipse probat vsuras non fuisse indistinctè prohibitas in lege veteri, sed tantùm prohibitum fuisse Hebræis, ne inter se ad inuicem vsuras exercerent, non autem vt Gentilibus, & cæteris nationibus mutuarent sub vsuris: quòd probatur *ex cap. fin. 14. q. 4.* Lege gratiæ vsuras approbatas fuisse, constat *ex cap. 19. Lucæ*, ibi: *Et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cùm vsuris vtique exegissem illam.* Et *cap. 25. Matthæi*, ibi: *Oportuit ergo te committere pecuniam meam nummularijs, & veniens recepissem vtique, quod meum est, cum vsura.* In quibus locis expressè Dominus seruum increpat, qui pecuniam sibi commissam non dedit ad vsurã; qui sanè non reprehenderetur, si vsura illicita, aut damnata esset. Iure etiam positiuo vsuras permitti facilè probatur *ex l. socium 60. ff. pro socio, l. 5. leg. Iulianus, C. de actionib. empti:* & ex quampluribus legibus compilatis *in tit. ff. & C. de vsuris, cap. conquestus, cap. salubriter, hoc tit.* Ergo non rectè in præsenti statuitur, vsurarios manifestos puniendos esse. Deinde aduersùs pœnam priuationis communionis Ecclesiæ, quam PP. Concilij Lateran. imponunt manifestis vsurarijs, sic insurgo: In eo, quis puniri debet, in quo peccauit, *cap. nemo, de tempor. ordin.* vt ita pœna respondeat delicto, *l. respiciendum 11. l. aut facta 16. ff. de pœnis, l. sancimus, C. eod tit.* Sed vsurarius peccat auaritiæ peccato, iniustoque pecuniæ, vel alieni lucri desiderio, vt patet *ex cap. virum, cap. bonorum, cap. sicut, 47. dist.* ergo pœnis pecuniarijs, non verò priuatione cõmunionis puniendus erat.

Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens 7 Vsuræ etymon, & definitio.
assertio, pro cuius expositione sciendum est, vsuram ab vsu,

vsu, seu vtendo dictam fuisse, & ita, quod ex vsu cuiusque rei alicui accedit, vsuram nuncupari. Cicero lib. 1. Tuscul. ibi: Naturæ dedit vsuram vitæ tanquam pecuniæ, nulla præstituta die. Idem in Verrem 7. vsuram lucis dixit: & lib. 3. epist. ad Appium, vsuram temporis posuit pro vsu. Plautus etiam in Ttinummo ait: Nec adeò hasce emi mihi, nec vsuræ meæ; idest ad vsum meum. Et hac significatione creditor ipse vsuram dat, nullumque mutuum est sine vsura, idest sine vsu. Vsura verò, quam debitot pro vsu pecuniæ soluit, longè aliam notionem habet; sicut enim vectura vocatur merces, quæ pro vectione datur, mercatura lucrum de merce; similiter & vsura est merces, quæ pro vsu pecuniæ datur, vt notarunt Salmasius de vsur. c. 4. Arnoldus Vinius lib. 2. select. c. 9. Et licèt in stricta significatione vsura accipiatur pro ea quantitate, quæ penditur pro vsu fœnebris pecuniæ; lato tamen modo accipitur pro ea, quæ ex alia causa, quàm mutui, vt ex conuentione, aut mora debetur, l. tutor 41. §. 1. ff. de vsur. l. acceptam 19. C. eod. l. 4. C. de compens. Et in hoc præcipuè differt vsura à fœnore; nam fœnus significat pecuniam ipsam creditam sub vsuris, idest æs alienum sub vsura contractum. Tacitus de moribus German. ibi: Fœnus agitare, & in vsuras extendere ignotum. Ideòque magis auersantur, quàm si vetitum esset. Prosequuntur Salmasius, & Vinius suprà, Besoldus in delibat. iuris, ad lib. 22. ff. q. 1. Paladorius lib. 2. rer. quotid. c. 2. per totum, Gaspar Rodriguez de annuis reddit. lib. 2. c. 1. nu. 18. Peguera in quæst. crimin. c. 30. num. 1. Deinde sciendum est, varias vsuræ definitiones adduxisse Couar. lib. 3. var. c. 1. P. Gregorium lib. 22. syntag. c. 3. Gaspar. Rodriguez suprà, Felicianum de censib. lib. 1. cap. 1. Botcholten, Hothom. Canisium in suis tract. de vsur. Binsfeldium in præsenti rubric. Quibus omissis dicendum est cum Leothardo de vsur. quæst. 1. num. 2. vsuram esse, accessionem sortis debitæ ex solo tempore tardæ solutionis: quàm ipse doctè explicat per totam quæstionem illam.

8 Deinde sciendum est, vsuram inhonestum lucrum esse docuisse Philosophos, & sanctos viros. Aristot. lib. 4. Ethicor. c. 1. fœneratores eodem loco ponit, quo lenones. Seneca 7. de beneficijs, inquit: Quid fœnus, & calendarium, & vsuræ? nisi humanæ cupiditatis extra naturam quæsita nomina. D. Gregorius Nyssenus, vsuram partum esse ait, quem parturit auaritia, obstetricatur inhumanitas. Philo de charitate, fœnus vocat seruilis, & illiberalis animæ studium degenerantis in immanitatem. D. Ambrosius lib. 3 officior. rapinam & latrocinium appellat. D. Basilius ad Amphiloch. can. 14. iniustum lucrum. Plutarchus in Lucullo, veterem, ac intolerabilem pestem: ac tandem Petrarcha de remedijs vtriusque fortunæ, fœnus obscœnam rapinam esse ait, & studium, quo fœdius vllum inueniri non potest. D. Ambrosius de Tobia cap. 5. sic mari comparat: Pecunia fœneratoris est fluctus quidam maris, nunquam quiescit, labitur veluti scopulo illisa; ita gremium debitoris percutit, & continuò relabitur vnde processit; cùm murmure venit, cùm gemitu reuertitur: frequenter tamen placidum extat ventis mare; semper fœnoris vnda iactatur, mergit naufragos, vestitos exuit, & insepultos relinquit. Et cap. 10. inquit, nihil interesse inter funus, & fœnus, inter mortem, & sortem. Sanctus Leo sermone 6. de ieiun. septimi Mensis: Multiplicatur quidem facultas iniustis, & tristibus incrementis; sed mentis substantia contabescit, quoniam fœnus pecuniæ funus est animæ. Quid enim de huiusmodi hominibus sentiat Deus, sacratissimus Proph. Dauid manifestat psal. 14. vnde interrogatus Cato, quid de fœnore sentiret, respondet idem esse fœnerari, ac hominem occidere, vt refert Cicero lib. 2. de officijs. Huc spectat sanctus Ambrosius lib. de Tobia, cap. 14. Vsuram petere, suffocare est. Illustrat Nouatinus lib. 10. schediasmatis, cap. 23. Hancque nefariam vsurarum artem ostendunt mala, quæ ex fœnerandi licentia proueniunt; siquidem patrimonia ciuium euertit, totas familias in summam egestatem redigit, suisque laribus ciues, oppida denique ipsa destitui facit. Vnde Iustinianus in nouel. 32. refert, incolas Thraciæ ita olim à fœneratoribus vexatos fuisse, vt plerique diffugerint, plerique fame perierint. De ciuitatibus Asiæ hæc refert Plutarchus in Lucullo: Vrbes Asiæ fœneratores vsque adeò dilacerabant, vt priuatim ingenui liberi, filiæque virgines, publicæ picturæ, donaria, Deorumque statuæ venderentur.

9 Deinceps sciendum est, vsuram omni iure prohibitam esse, naturali videlicet, diuino, & positiuo. Fusè probat Castillo de alimentis, cap. 48. Paulus Melius in addit. ad ipsum, Beyerlinch in theatro, verbo Vsura, Kling. lib. 5. loc. communium, c. 3. & naturali iure probrum esse, probatur ex eo, nam creditor lucrum ex re aliena percipiens locupletatur cùm alterius iactura; quòd per naturam fieri non debet, l. nam hoc natura, ff. de condict. indeb. l. iure 207. ff. de R. I. Cicero lib. 3. de offic. ibi: Illud natura non patitur, vt aliorum spolijs nostras facultates, copias, & opes augeamus. D. Augustin lib. 19. de ciuit. Dei, c. 4. plura Connanus lib. 1. comment. cap. 1. & 2. Piuel. in rubric. de rescind. p. 1. cap. 2. n. 26. Lara in leg. si quis à liberis, §. si quis, n. 94. ff. de liber. agnosc. Deinde quia pecunia non parit pecuniam; quàm ob rem recipere aliquid vltra summam illam pecuniæ, contra naturam est, potiusque capi dicitur ex industria, quàm ex pecunia, quæ non germinat, vt tradit Aristot. lib. 1. polit. c. 6. & lib. 4. Ethic. c. 1. Quibus, & alijs rationibus moti hanc sententiam tenuerunt Couarr. d. cap. 1. Molina de iustit. 2. tom. disput. 304. Lessius de iustit. lib. 2. cap. 20. Leothard. de vsur. q. 2. num. 26. Gibalinus eod. tract. lib. 1. cap. 7. art. 1. Etsi contrarium tenuerint Abulensis in cap. 25. Matthæi, qu. 171. & 172. Molineus de contract. q. 74. n. 528. Grotius de iure belli, lib. 2. cap. 12. nu. 20. Iure etiam diuino, tam legis veteris, quàm nouæ vsuras improbatas esse, constat ex cap. 25. Leuit. ibi: Ne accipias vsuras ab eo, nec ampliùs quàm dedisti. Et cap. 18. Ezechielis, ibi: Si ad vsuram non commodauerit, & ampliùs non acceperit, ab iniquitate auertit manum suam, hic iustus vita viuet, & non morietur. Et expressiùs ibidem: Ad vsuram dans, & ampliùs accipiens, nunquid viuet? Non viuet. Et psalmo 54. Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram. Et capite 6. Lucæ, ibi: Benè facite, & mutuum date, nihil inde sperantes. In quo textu licèt aliqui, vt Sotus lib. 6. de iustitia, q. 1. existiment, non præceptum, sed tantùm consilium contineri, verum tamen est, præceptum exprimi; ideoque Ecclesia sæpe sæpiùs asseruit, vsuram vtriusque Testamenti pagina condemnari, vt in præsenti textu, & in c. si quis 14. q. 4. c. super eo, c. consuluit, hoc tit. probant Villaguth de vsur. q. 4. conclus. vnic. Gibalinus eod. tract. lib. 1. cap. 7. art. 2. Felicianus de censibus tom. 1. lib. 1. cap. 5. n. 16. Lessius de iust. lib. 2. cap. 20. dubit. 4. Aragon ad D. Thomam q. 78. art. 1. & ita à iure diuino vsuram prohibitam esse docuit Basil. Imperator apud Harmenopulum lib. 3. promptuarij, cap. 7. ibi: Etsi maiorum nostrorum plerisque visum, est tolerandam esse vsurarum solutionem propter creditorum fortè molestias, & incommoda; nos tamen à nostra Republica Christiano penè indignam, auersandam, & execrandam esse censuimus, tanquam iure diuino interdictam. Leo Imperator nouel. 84. Notarunt Faber de error. decad. 10. errore 1. Leothardus de vsur. q. 2. n. 27. 10

Iure etiam ciuili diuersarum gentium vsuræ improbatæ fuerunt; nam Megarenses non solùm vsuras vetuerunt, verùm & solutas repeti iusserunt. Plutarchus in qq. rerum Græcarum. Solon Athenis legem tulit, ne pecuniarum creditarum actio, petitioue esset. Diogenes Laertius lib. 1. cap. 7. Samuel Petitus ad ius Atticum lib. 5. tit. 4. Lucullum etiam Asiæ Regem inter cætera illud decreuisse, ne vltra duplum vsuræ exigerentur, quòd ante ab Ægyptijs constitutum fuerat, refert Diodorus Siculus lib. 2. & ex eo Cuiac. lib. 5. obseru. cap. 38. Romani etiam maiori odio persequebantur fœneratores, quàm fures; siquidem fures dupli pœna, fœneratores verò quadrupli condemnabant, teste Varrone in initio de re rustica: & vsurarium fœnus, quod olim ex libidine locupletum agitabatur, ex iure ciuili, primò lege 12. Tabul. vnciarium fœnus permissum fuit, idest vncia singulis mensibus pro centum. Tacitus lib. 6. annal. quòd deinde anno ab vrbe condita 396. repetitum fuit lege Dulia Menenia. Liuius lib. 7. Posteà anno 422. lege Genutia redactum fuit ad semiunciam, idest dimidium vnciæ. Tacitus d. lib. 6. deinde lata fuit alia lex Marci Luculli, quam tulit in Proconsulatu Asiæ, teste Plutarcho in eius vita, vt vsuræ non possent excrescere vltra duplum sortis; acceptamque Romæ fuisse credo ex Tacito vbi proximè, vbi de Tiberio agens narrat, consuluisse egestati debitorum, dispositis per mensam nummis, & facta copia mutuandi sine vsuris per triennium, si debitor populo in duplum prædijs cauisset: vbi prædijs cauere, est hypothecas prædiorum supponere in duplum, idest pro sorte, & pro altero tantùm vsurarum nomine, quia inde non poterant excedere vsuræ, nouella 121. & 138. Suadetur etiam ex lege si non sortem 26. §. 1. ff. de condict. indeb. & ex Paulo lib. 2. sent. tit. 14. §. 2. iuncta interpretatione Aniani, quam etiam sequutus fuit

Cuia-

Vsura mala.

Vsura est prohibita iure naturæ.

De vsuris ex iure ciuili.

Cuiacius *in parat. ad tit. Cod. de vsur.* & *lib. 4. obseru. cap. 38.* & *lib. 3. respons. Papin. in l. 4. §. 1. ff. de nautic. fœnor.* Reuardus *in l. non debet 41. §. in re, ff. de R. I.* Sauarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 24.* quamuis aliter idem Cuiac. *in notis ad Paulum suprà*, & *lib. 2. qq. Papin. in l. 1. ff. de vsuris*: quæ lex ita accepta fuit constitutione Antonini *in l. vsuræ 10. Cod. de vsur.* vt reciperetur in illis, quæ excurrunt, & exactæ non sunt, ne excedant alterum tantùm sortis; sed non in exactis, quæ possent in infinitum excrescere, quamdiù sors non soluatur: notat Budeus *ad tit. de leg. Iul. Maiest. in fine*. Sed Iustinianus *in nouel. 121. 138. & 160.* abrogauit constitutionem Antonini, sanciens ne vllo modo vsuræ excederent duplum, idest alterum tantùm sortis. Postremò vitiata fuit omnis versura, vt inquit Tacitus *vbi proximè*, lege scilicet Gabinia, de qua Cicero *lib. 4. epist. ad Atticum*. Quid sit versura, nihil mirum si Iustus Lipsius *ad lib. 6. annal. Taciti, annot. 53.* non percepisset; cùm Cuiacius *in d. l. 1.* dicat à nemine intelligi posse, & exposuit sumere pecuniam sub vsuris, vt vsuræ debitæ exsoluantur: sed nullo probari auctoris testimonio vtitur; quare verius credo, versuram facere, esse cambiare, & recambiare, indeque reportare quæstum, atque vsuras ex vsuris exigere, vt suadetur ex Suetonio *in Augusto, cap. 39.* ibi: *Notauitque aliquos collectoribus vsuris mutuare, grauiori fœnore collocare, hoc est facere versuram*. Alia de lege Gabinia, & modo vsurarum congessit Masius *lib. 1. singul. opin. cap. 8.* Igitur quia conniuentibus Magistratibus sensim fœneratio in mores hominum irrepsit: cui malò cùm vix mederi possent Reipublicæ Principes, fœnori modum præscripserunt: & cùm Romani ad as, & centenarium numerum referrent, ita vsurarum præstationes ad eundem numerum referebant, & vsura centesima, quæ summa est, *l. qui sine, ff. de negot. gest. l. tutor qui, ff. de administr. tutor.* nuncupatur ea, quæ ex centum nummis duodecim nummos annuos parit, & centesimo mense æquat sortem, vnde eius nomen tractum est, quia videlicet centesimo mense sortem æquaret, vel quòd sortis pars centesima singulis mensibus præstabatur. Cicero *1. ad Atticum, epist. 9.* & *lib. 5. epist. 21.* Seneca *epist. 128.* dicitur vsura legitima *in l. 2. Cod. Theodos. de vsuris, l. lecta, ff. de rebus credit.* à Plinio *lib. 10. epist. 53.* Petro Rauen. serm. 25. *Vsura mundi centum ad vnum, Deus vnum accipit ad centum.* Sauarus ad Sidonium *lib. 4. epist. 24.* Veteres enim in singulos menses vsuras stipulari consueuerunt, vt liquet *ex l. lecta, ff. de rebus credit.* Quare menses à D. Basilio *ad Amphiloch. cap. 14.* dicuntur PP. fœneratores: & in comędijs Aristophanis debitor quidam optat luna carere, & ne vnquam redirent Kalendæ. Et Horatius *satyr. 3.* tristes Kalendas dixit. D. Ambrosius *lib. de Tobia, cap. 12. Veniunt Kalendæ, parit sors centesimas: veniunt menses, singulæ generantur vsuræ.* Quia in singulis Kalendis vsuræ stipulabantur, etsi earum solutio in Idus differretur. Vnde Horatius *od. 2.* ait:

Omnem redegit idibus pecuniam,
Quærit Kalendis ponere.

Besses vsuræ erant, cùm ex centum nummis octo singulis annis debitores pensitabant, *l. eos, §. 1. Cod. de vsuris, l. Publia, §. Titius, ff. depositi*. Semis vsura dicebatur, quæ ex centum nummis senarios anniuersarios parit, & ducentis mensibus sortem æquat, & media centesimæ vsuræ dicitur *in l. vlt. Cod. de fiscal. vsur.* Eam ciuilem, & modicam vsuram appellat Plinius *lib. 14. histor. cap. 4.* & legitimam esse dixit Iustin. *in l. eos, Cod. de vsur.* quincunces vsuræ dicebantur cùm ex centenario anniuersarius quinarius conficitur, idest ex centum annua quinque, *l. cùm quidam, ff. hoc titulo, l. alimenta, §. Basilicæ, ff. de alimentis*. Hucusque allusit Horatius *lib. 1. sermon.*

Quinas hic capiti mercedes exigit: atque
Quanto perditior quisque est, tanto acriùs vrget.

Et Persius *satyr. 5.*

Quid petis vt nummi, quos hîc quincunce modesto
Nutrieras, peragant auido sudore deunces?

Trientes vsuræ erant, quæ in singulos centenarios quaternos nummos quotannis pariunt, & continent tertiam partem centesimæ, *l. cùm quidam, §. vlt. ff. de vsur. l. eos, §. 1. Cod. eod. tit.* Itaque leuiores nuncupantur *in l. si legatum, ff. de oper. public.* Huc pertinet lex *3. §. vlt. ff. ad leg. Falcid.* quæ auctore Hermolao barbaro, cui assensit Budeus *de asse*, sic accipienda est, vt si duodecim in annos singulos relinquantur, & dubium sit, quantùm hæres legatarijs expensum ferre debeat, statuamus quoties priuato fuerit legatum, ad semisses vsuras summam esse reducendam; atque ideò ducenta legatarijs imputari in ineunda ratione Falcidiæ. Quòd si Reipublicę in annos singulos duodecim relinquantur, trecenta Reipublicæ imputabuntur, idest, auctore Marcello, quantùm sufficiat sorti ad vsuras trientes. Tandem vsura vnciaria dicitur, quæ ex centum quotannis singulos nummos conficit, vt *in l. Titius, §. Præfectus, ff. de administr. tut.* Prosequuntur alia de vsuris apud Romanos vsitatis Guibertus Costanus *lib. 1. qq. iur. c. 1.* Molinæus, & Hothomanus *in tract. de vsur.* Ant. August. *lib. 2. emend. c. 10.* Ant. August. *lib. 2. emend. cap. 10.* Pancirola *lib. 2. var. cap. 104.* Salmut. *ad ipsum, lib. 1. memorab. tit. 19.* Marcellus Donatus *in notis ad Capitolinum, fol. 870. tom. 6. Thesauri critici*, Leothardus *de vsur. quæst. 4.* Bronchorst. *cent. 2. assert. 7.* Salmasius *de vsur.* Gibalinus *eod. tract. c. 7. art. 4.* quid tamen ius Iustinianeum circa vsuras statuerit, latè prosequuntur Gibalinus *d. cap. 7. art. 5.* Leothardus contra ipsum *in disput. speciali, Quid ius Iustinianeum circa vsuras statuerit?* Iure etiam ecclesiastico vsuras prohibitas semper fuisse, constat ex canonibus suprà pro illustratione conclusionis relatis.

Maneт ergo, vsurarum exactionem omni iure improbatam esse: vnde à Doctoribus sæpiùs quæritur, an ad iudicem ecclesiasticum, vel sæcularem cognitio, punitioque huius delicti spectet. Et aliqui asseruerunt, crimen hoc merè ecclesiasticum eius punitionem spectare: pro qua sententia faciunt textus *in cap. 1. cap. cùm tu 5. cap. præterea 7. hoc tit. cap. 1. & 2. eod. tit. lib. 6.* in quibus videmus, ecclesiasticos iudices, tam contra sæculares, quàm contra ecclesiasticos vsurarios procedere. Vnde ita docuerunt Glossa, & repetentes *in cap. quamquam, hoc tit. in 6.* alij congesti à Couarr. *lib. 3. var. cap. 3. num. 1.* alij relati à Cenedo *collect. 30. ad Decretal. num. 2.* & vltra eos alij laudati à Ceuallos *tom. 1. commun. opin. quæst. 11. num. 7* & Glossa *in cap. ex literis 32. de iureiur.* vsurarum causam quasi spiritualem esse dixit. Alij discrimen agnouerunt inter quæstionem facti, & iuris circa vsuras, idest vt cum solum dubitatur, an contractus celebratus sit vsurarius, necne, iudex sæcularis possit adiri, quia non cognoscit, vtrum sit peccatum, vel non, sed tantum illud punit: at verò quando vertitur quæstio iuris, vtrùm contractus tali modo celebratus sit vsurarius, vel non, tunc iudicem sæcularem incompetentem esse, ne cognoscat de peccato. Ita docuerunt Bartolus *in l. Titia, num. 7. ff. solut. matrim.* Alciatus *in cap. 1. de offic. ordin. num. 77.* Iul. Clarus *lib. 5. sent. §. vsura, num. 8.* & *§. fin. quæst. 37. num. 2.* Guttierez *lib. 2. canonic. cap. 18. num. 21.* Spino *in specul. testam. gloss. 13. rubric. num. 67.* Sed his omissis, verior sententia docet, crimen hoc esse mixti fori, & posse puniri in laicis etiam a potestate vtraque, & proprijs pœnis damnari, nec quæstionem iuris, & facti esse hoc loco distinguendam, sicut nec in sacrilegio, alijsque eiusmodi delictis, quæ ab vtraque potestate damnari, & puniri constat, distinguitur, vt pluribus relatis docet Binsfeld. *in præsenti rubr. notab. 14. conclus. 6.* Rodriguez *de annuis redditibus, lib. 3. quæst. 3. num. 122.* Gibalinus *lib. 1. de vsur. cap. 7. art. 8. consect. 9.* D. Ioseph. Vela *in cap. 1. de offic. ordin. num. 71.* Omitto Molineum *de vsufr. quæst. 10. num. 155.* Salmas. *de vsur.* & cæteros heterodoxos, qui prosequuntur odio Romanos Pontifices, illisque omnem huius criminis cognitionem adimunt; nec pœnis etiam ecclesiasticis ab eo plecti posse contendunt sine iniuria laicæ potestatis: quòd quam falsò, & temerariè affirmetur, iam notaui *in can. 28. Concilij Illiber.*

11 De iudice vsurarum.

Quibus ita constitutis apparet, quàm rectè Patres Concilij Lateran. in præsenti iuxta ius naturale, diuinum, & positiuum statuerint, vsurarios manifestos esse communione Ecclesiæ, & sepultura priuandos; nam cùm vsurarij manifesti præbeant scandalum populo, & manifesta peccata, non occulta, sed publica correctione puniri debeant, ad vitandum scandalum, *cap. 1. de pœnit. & remiss. cap. si peccauerit, 2. quæst. 1. cap. 42. de consecr. dist. 2.* D. Greg. *lib. 12. epist. 31. ad Felicem Siciliæ Episcopum*, Trident. *sess. 24. de reform. cap. 8.* ideò manifesti vsurarij priuatione communionis, & sepulturæ ecclesiasticæ, ac alijs etiam pœnis afficiuntur, tam laici, quàm clerici, quas dabimus infrà *in cap. præterea*.

12 Traditur ratio decidendi.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam etsi 8

com-

Dissolutio dubitandi ratio. commercia iuri naturali consona sint, tamen id procedit in commercijs, & negotiationibus licitis, non verò in illicitis, vt sunt contractus vsurarij. Nec interest, quòd iure naturali teneamur ad remunerationem beneficij accepti; nam alio modo possumus rependere gratias, aut remunerationem, quàm vsuris promissis, & solutis. Nec obstant testimonia sacræ paginæ vtriusque Testamenti. Non primum *ex dicto cap. 28. Deuteron.* in illis verbis: *Et fænerabis gentibus multis, ipse autem à nullo fænus accipies.* Nam respondendum est, fœnerari in eo loco non significare mutuum dare sub vsuris, sed tantùm mutuare: in qua significatione accipitur *in cap. 22. Prouerb.* ibi: *Diues pauperibus imperat, & qui accipit mutuum, seruus est fænerantis.* Et *c. 29. Ecclesiast.* ibi: *Fænerare proximo tuo in tempore necessitatis illius.* Promisit enim Deus *in dicto cap. 28.* Iudæis legem suam obseruantibus omnium rerum abundantiam, diuitiasque multas, & in illius obseruantiæ præmium dixit, *fænerabis indigentibus multis;* quasi diceret, rerum omnium affluentia abundabis, vt egentibus multis mutuum dare possis, à nemine autem indigeas accipere, vt exponunt congesti ab Aragon *d. q. 78. vers. Tertia conclusio.* Nec obstat textus *in d. cap. 23. Deuteron.* in illis verbis: *Non fænerabis fratri tuo, sed alieno.* Nam omissa solutione Ioannis Paniscotti apud Lorinum *in comment. illius textus*, qui existimat illud, *sed alieno*, esse notam marginalem, quæ in textum irrepsit: & Hieron. de Luca *in tract. de cambijs, c. 2. num. 15.* qui ait, particulam illam adiectam fuisse à Concilio Sanedrin, quos refellit Gibalinus *d. cap. 7. art. 2.* dicendum est, Iudæis permissum fuisse exigere ab alienigenis vsuras ad vitandum maius malum, vt etiam illis permissum fuit repudium, ne scilicet ob suam duritiam, & auaritiam fratres spoliarent. D. Thomas 1. 2. *quæst. 108. art. 3.* erantque alienigenæ, de quibus loquitur textus ille, Chananæi, Amalechitæ, & Amorrhæi, qui iniustè detinebant terram populo Hebraico promissam, nempe Palæstinam: quo fit, iure optimo Hebræos ab iniustis possessoribus pecuniam exigere potuisse, argumento textus *in c. 1. in fine, hoc tit. cap. 3. Exodi, c. dixit Dominus 14. quæstione 5.* vbi docetur, populum Hebraicum Dei auctoritate absque furti obligatione vasa aurea, & argentea ab Ægyptijs abstulisse: iuxta quam interpretationem intelligendus est textus *in cap. finali, 14. quæst. 4.* vbi D. Ambrosius asserit, vsuras iustè exigi posse ab ijs, quorum bona iure belli capi possunt; nam intelligendus est, quoties accipitur vsura, & retinetur in damni compensationem ab hoste iniusto illati, vel vbi bona ab hoste possessa sunt ipsius mutuantis, aut ad eum pertinent, quemadmodum prædia Terræ Promissionis à Chananæis possessa ad Iudæos diuina largitione pertinebant: quo modo textum illum, & locum D. Ambrosij *in d. cap. vlt.* explicant Cardinalis *in Clement. 1. de vsur. §. vlt. quæst. 13.* Conradus *de contract. quæst. 42. conclus. 2.* Turrisrem. *in d. cap. vlt.* Sotus *lib. 6. de iustit. quæstione 1. art. 1.* alij relati à Couarr. *d. lib. 3. cap. 1. num. 7.* post Gersonem Roussellius *lib. 6. histor. cap. 1. nu. 9.* Azor *3. part. instit. lib. 7. cap. 8* P. Gregor. *lib. 3. partit. tit. 5. cap. 5.* Nec obstant auctoritates D. Matthæi, & Lucæ; nam intelligi debent metaphoricè de vsura spiritualium bonorum, vel virtutum, vt latiùs constat *ex eodem cap. 25.* quinimmò etsi in sensu naturali, vel rerum naturalium parabola illa acciperetur, facilè responderi posset, verbum *vsura*, non esse accipiendum de vsura reproba, & iniusta, sed de lucro iusto; vnum enim, & alterum sensum habere potest vsuræ nomen, vt textum illum exposuerunt Sotus, Molina, & Aragon suprà laudati. Nec obstant iuris Cæsarei testimonia, vbi vsuræ permittuntur; nam vsuræ iure ciuili tolerabantur, non tanquam iustæ, sed tanquam impunitæ, vt suprà notaui. Nec tandem obstant textus *in d. c. conquestus, c. salubriter, hoc tit.* quorum veram interpretationem dabimus in eorum commentarijs. Nec tandem obstat, quòd vltimo loco expendebamus, videlicet in præsenti casu imponendam esse pœnam pecuniariam, seu temporalem; nam etsi in præsenti vsurarij manifesti tantùm priuentur communione Ecclesiæ, tamen non negatur alijs pœnis ecclesiasticis, & sæcularibus eos afficiendos esse, vt dicemus infrà, *in c. præterea.*

Sed suprà traditis obstat textus *in cap. 3. de fideiuss.* in illis verbis: *Præsentium quoque auctoritate iniungimus, vt si debitum, vel accessiones ille negauerit, consuetudine, quæ est legi contraria, non obstante, iuramentum calumniæ subire cogatur.* Ex quibus expressè deducitur, fideiussorem non solùm teneri in sortem principalem, verùm & in accessiones, idest in vsuras; siquidem vsura dicitur accessio, *l. frumenti, Cod. de vsur. l. fin. in fin. Cod. de iure dot.* Igitur quia vsuræ non sunt improbatæ per sacros canones. Cui difficultati satisfaciendum est asserendo, verum esse fideiussorem in sortem principalem acceptum iure ciuili etiam in vsuras teneri, vt in eo textu probant; attamen in eo textu Pontifex per accessiones non vsuras intellexit, sed pœnam obligationi principali adiectam, vt fructus prædiorum, vel arborum, seu pensiones domorum. Quæ omnia accessionum nomine continentur, vt probat Leothard. *de vsuris quæst. 1. num. 2* Etiam opponi possunt textus *in cap. 1. de feudis*, iunctis adductis in eius commentario, *cap. per vestras, de donat. inter:* iunctis ibi notatis, *can. 10. Concil. Illiber.* cum ibi adductis, *cap. quoniam, 47. dist.* cum dicto Leothardo *de vsuris quæst. 3.* 14 Exponitur cap. 3. de fideiussoribus

C A P V T IV.

Alexand. III. a *Panormit. Archiepiscopo.*

SVper eo verò, quòd à nobis tua deuotio postulauit, vtrùm possit in recipienda pecunia ad vsuram fieri dispensatio, vt pauperes, qui in *b* Saracenorum captiuitate tenentur, per eandem possint pecuniam liberari; præsentibus tibi literis duximus respondendum, quòd cùm vsurarum crimen vtriusque Testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam non videmus adhibendam, quia cùm Scriptura sacra prohibeat vel pro alterius vita *c* mentiri, multò magis est prohibendus quis, ne pro *d* redimenda vita captiui vsurarum crimine inuoluatur.

N O T Æ.

a *PAnormitano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concil. Later. *part. 16. cap. 1.* De Panormitana Ecclesia iam nonnulla adduxi *in cap 4. de elect.*

1 b *Saracenorum.*] Nam paulò antè tempore Alexandri III. tota ferè Sicilia occupata erat à Saracenis, cum quibus Siculi his temporibus sæuum bellum gerebant, vt post alios refert D. Rochus Pirro *tom. 1. Siciliæ sacræ, in notitia Panormit. Ecclesiæ, anno 819.*

2 c *Mentiri.*] *Cap. is autem 4. 22. quæst. 2. cap. si quis coactus 3. 22. quæst. 5.* plura Theophilus Raynaud. *tom. 14. tract. de restrict. mentali, cap. 2. ex num. 16.* Alb. Gentilis *de abusu mendacij, c. 13.* D. Ioseph. de Retes *lib. 7. opuscul. cap. 3.* qui latè agunt de mendacio officioso, & quando liceat amphibologicis clausulis vti.

d *Redimenda.*] Et ita nec etiam pro pia causa licet vsuram exercere, quia non sunt facienda mala, vt inde eueniant bona; licèt legamus, aliquando in belli subsidium pecuniam Ecclesiæ accipi à Principe sæculari sub annuo censu, non sub specie mutui, sed precarij, vt in Concilio Leptinensi sub Zacharia I. Concil. Ratisbonensi sub eodem notauit Cironius *ad tit. de precarijs.* Inde apud Antiquos valde dubitatū fuit de montibus Pietatis. Est autē mons pietatis cumulatus æris aceruus, qui subleuandis per mutuum miserijs pauperum destinatur ea lege, vt mutuatarius pignoribus datis pro securitate, exiguum aliquid soluat pro quantitate accepta. Et Caietanus *3. tom. opusc. de monte Pietatis*, Sotus *lib. 6. de iustit. q. 1. art. 6.* tenuerunt, huiusmodi montem pietatis illicitum esse, quia iam recipitur aliquid ratione mutui vltra sortem principalem. Sed contraria sententia, immò 3

licitum esse, verior, & receptior est, & etiam approbata per Sixtum IV. Innocentium VIII. Iul. II. & Leonem X. in Concil. Lateran. *sess.* 10. & per Trident. *sess.* 22. *de reform. c.* 8. vbi inter alia pia opera montes isti recensentur. Eorum æquitatem, & iustitiam defendunt Molina *de iust. tr.* 2. *disp.* 325. Lugo *eod. tract. disp.* 25. *n.* 188. Castropalao *eod. tract. disp.* 4. *n* 24. Azor 3. *part. instit. lib.* 5. *c.* 9. *q.* 2. & *c.* 22. *q.* 4. Scaccia *de commercijs*, §. *q.* 1. *nu.* 461. Sarmiento *lib.* 7. *select. cap.* 2. *n.* 13. Leothardus *de vsuris q.* 22. Arauio *in qq. moral. disp.* 1. *de statu ciuili*, *quæst.* 6. Lessius, & alij apud Gibalinum *de vsuris lib* 4. *c.* 7. *art.* 2.

COMMENTARIVM.

4 CVm vsurarum prohibitio à Iure naturali, & diuino proueniat, non potest Pontifex, vel alius supremus Princeps dispensare, permittereue vsurarum exercitium, cùm iure naturali, aut diuino refragari vllus legislator non possit, *cap. sunt quidam* 25. *q.* 1. *cap. non debet, de consanguin. & affin. l. eas. ff. de capite minut.* facit Cicero *lib.* 2. *de natura Deorum.* ibi: *Vniuersam autem naturam nulla res potest impedire.* Et *lib.* 3. *de republic.* ibi. *Huic legi nec derogari fas est, nec abrogari ex hac aliquid licet, nec tota abrogari potest, nec verò aut per Senatum, aut per populum solui hac lege possumus: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia post; sed in omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna erit immutabilis.* Quæ verba maxima cum laude refert Lactantius Firmianus *de vero cultu Dei, lib.* 6. *c.* 8. pro qua sententia facit etiam, legem à superiore latam inferiorem abrogare non posse, *cap. cùm inferior, de maiorit. & obed.* Vnde cùm Deus huius legis diuinæ, & naturalis auctor sit, *c.* 1. *de summa Trinit. cap. incommutabilis,* 22. *q* 4. oportet legem ab eo latam immutabilem esse. Quare rectè in præsenti docetur, non posse Pontificem dispensare, vt pro redimendis Christianis captiuis à Saracenis vsuræ exercerentur, quia etiam prætextu boni malum fieri non debet, *cap. non est putanda,* 27. *q.* 1. *cap. nec arbitris,* 22. *q.* 2. docuerunt Couarr. *lib.* 3. *var. c.* 1. *n.* 8. Lupus, Antonius, & alij, quos laudat, & sequitur Gibalinus *lib.* 1. *de vsur. cap.* 7. *art.* 8. *consect.* 2. Maiolus *dier. canicul. colloq.* 1. *de perfid. Iudæorum.* Inde etiam infertur, nulla consuetudine vtcumque immemorabili, induci posse, vt vsurarum exercitium licitum sit, *Clement. vnic. in fine princip. hoc tit.* argumento capitis finalis, *de consuet.* docent Couar. *vbi suprà*, Conradus *de contract. quæst.* 25. Lupus *de vsur. comment.* 4. §. 4. *n.* 7. Maiolus *vbi proximè:* quod intelligendum est quoad forum internum, in quo consuetudo non excusat quoad Deum, in foro verò contentioso respectu pœnæ temporalis longè diuersum erit; nam ab ea proculdubio excusabitur, qui prætextu consuetudinis vsuras extorquet, argumento textus *in l. quis sit fugitiuus* 17. §. *apud Labeonem, vers. Ego puto, ff. de ædilit. edicto*, vbi notauit Bartolus.

CAPVT V.

Idem a *Salernitano Archiepiscopo*.

CVm tu, sicut asseris, manifestos vsurarios, scilicet qui in illo peccato decesserint, communione altaris, & ecclesiastica, iuxta decretum nostrum, quod nuper in *b* Concilio promulgatum est, præceperis sepultura priuandos, donec reddatur quod tam prauè receperant: quidam eorum dicunt, ad soluendas perceptas vsuras proprias non sufficere facultates: alij verò promittunt partem vsurarum, quas habent præ manibus, reddituros; sed vsuras alias, quas extorserant, cùm de his possessiones comparatæ sint, & eorum filijs, vel parentibus traditæ, se non posse reddere confitentur. Alij verò ad excusandas excusationes in peccatis, imprudenter affirmant, illas dumtaxat vsuras restituendas, quæ sunt post *c* interdictum nostrum receptæ, nec aliquos ad soluendas vsuras, quas ante interdictum nostrum receperant, debere compelli. Super his duximus t. d. respondendum, quod siue ante, siue post interdictum nostrum vsuras extorserint, cogendi sunt per pœnam, quam statuimus in Concilio, eas his, à quibus extorserint, vel eorum hæredibus restituere; vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant vnde ipsas restituere possint; cùm iuxta verbum Beati *d* Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem, qui non habent in facultatibus, de quibus vsuras valeant restituere, non debent illa pœna mulctari, cùm eos nota paupertas euidenter excuset. *e* Possessiones verò, quæ de vsuris sint comparatæ, debent vendi, & ipsarum pretia his, à quibus vsuræ extortæ sunt, restitui, vt sic non solùm à pœna illa, sed etiam à peccatis possent, quæ per vsurarum extorsionem incurrerant, liberari.

NOTÆ.

a *Salernitano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & post Concil. Laterant. *part.* 16. *c.* 1. De Salernitana diœcesi egi *in c.* 1. *de offic. iudic.*

b *Concilio.*] Lateranensi, relato suprà *in c* 3.

1 c *Interdictum nostrum.*] Quæ excusatio vera esset, si prohibitio hæc vsurarum proueniret ab hoc Concilio Lateranensi, ex traditis *in cap. ex literis, de constit.* Sed in præsenti casu omninò irrationabilis erat, cùm præsens prohibitio sit iuris naturalis, & diuini, vt probaui suprà *in cap.* 3.

d *Augustini.*] *Epist.* 54. *ad Macedonium.* ex qua citant verba hæc Carnotensis *p.* 13. *Decreti, c.* 4. & *p.* 15. *c.* 25. Gratianus *in c.* 1. 14. *q.* 6. Bonifacius VIII. *in regul. peccatum, de R. I. lib.* 6.

2 e *Possessiones.*] Quarum dominium non ad soluentem vsuras spectat, sed ad vsurarium, quia res empta ex pecunia aliena, veluti Titij, non fit Titij, sed mea, in meoque dominio manet, *l. si ex ea pecunia* 6. *l. si vt proponis* 8. *C. de R. V. l. ex pecunia* 12. *C. de iure dot. l. fin. C. de seruo pign dato, l.* 49. *tit.* 5. *part.* 5. notaui *in cap. inquirendum* 4. *de pecul. cleric.* Vnde nec bona vsurarij, etiam ex ipsis vsuris empta, sunt tacitè hypothecata pro vsurarum restitutione, *l. quamuis* 17. *C. de pignor.* probant Couarr. *d. c.* 3. *n.* 6. Binsfeldius *in præsenti*, *q.* 4. Leothardus *de vsur. q.* 97. *n.* 1. & 2. Salas *eod. tract. dub.* 41. Gibalinus *eod. tract. lib.* 1. *c.* 10. *art.* 6. *consect.* 3. Tapia 2. *tomo catenæ, lib.* 5. *quæst.* 17. *art.* 11. Ratio est, quia tacita hypotheca tantùm contrahitur in casibus à iure expressis, *l.* 1. *ff. quibus modis pignus.* Vnde cùm talis hypotheca ex iure naturali, ciuili, vel canonico colligatur, ideò non est ratio cur eam inducamus. Nec obstat quod Alexander in præsenti iubet possessiones ex pecunia vsuraria comparatas vendi debere; nam non iubet Alexander eas possessiones à tertio possessore auferri, sed tantùm vendi debere, vt cætera bona ab vsurario acquisita; quia possessiones illæ non sunt magis obstrictæ restitutioni vsurarum, quàm cætera vsurarij bona: nam quilibet alius, ex cuius pecunia prædium comparatum est, tantùm habet actionem ad pecuniam repetendam, *l.* 1. & 8. *C. si quis alteri, vel sibi, l.* 16. & 17. *C. de pignor.* Prosequitur Arauio *in qq. moral. disp.* 1. *de statu ciuili, quæst.* 7.

COMMENTARIVM.

PRo huius textus expositione sciendum est vsuram impiam esse contra Deum, iniquam contra proximum, & periculosam in seipsum; ideòque dare ad vsurã peccatũ lethale est, vt probant D. Thomas 2. 2. *q* 78. *art.* 1. omnes Theologi de vsuris agentes, & constat *ex l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 8. *Recopil.* ibi: *Es muy gran pecado.* Tum etiã, quia ex iure

Iure diuino, & humano prohibitum est vsuras exercere: quare hęreticum esse, affirmare, vsuras accipere, peccatū non esse, est Clementina vnica, *§. sanè hoc tit.* defendunt Nauarrus, & alij congesti ab Azeuedo *in d. l. 1. n. 47.* Vnde quemadmodum tenetur quis ablatum restituere ratione acceptionis iniustę, vt constat *ex c. si res aliena 14. quæst. 6.* D. Augustino suprà relato, D. Thom. 2. 2. *quæst. 62. art. 1.* ita etiam tenetur vsurarius ad eius restitutionem, quod per vsuram extorsit, *c. præterea 7. c. tua 9. cap. tuas 13. cum seq. hoc tit. cap. quamquam, eod. tit. in 6. c. ad nostram*, *et l. 1. de iureiur. cap. 1. cum seq. 14. quæst. 4. l. 2. tit. 15. partit. 6.* Hæsitari tamen solet, an dominium vsurarum in accipientem transferatur? Et videtur in eum transferri, nam quæcunque condictio competat pro repetendis vsuris, videlicet ob turpem causam, vt voluerunt Beroius *in c. hoc tit.* Syluester *verbo Vsura 6. n. 6.* siue condictio indebiti, vt deducitur *ex l. si non sortem 26. in princip. ff. de condict. indeb.* & docuit Couarr. *d. lib. 3. cap. 3. n. 7.* supponimus, dominium translatum fuisse in vsurarium, quia condictiones competunt aduersùs eum, qui dominium rei acquisiuit, *l. dominus 53. ff. de condict. indeb.* Vnde hanc sententiam tenuerunt Glossa *verbo Rapinam, in c. si quis vsuram 14. q. 4.* Nauarr. *in manuali, c. 17. num. 265.* Sotus, Henricus, & alij relati à Villagut. *de vsur quæst. 25.* Sed contraria sententia, videlicet dominium vsurarum accipientem non acquirere, solidissimis probatur rationibus. Prima, quia vsura, furtum, vel rapina dicitur, *cap. si quis vsuram 14. quæst. 4.* rei autem furtiuæ dominiū in furem non transmittitur, vt constat *ex l. fin. ff. vsufruct. quemadmod. caueat.* ergo nec in vsurarium vsurę dominium transfertur. Secundò, quia etsi in vsurarum solutione interueniat traditio, cùm tamen non proueniat ex iusta causa, sed potiùs ex turpi, & iniusta, talis traditio non est sufficiens ad transferendum dominium, *ex l. nunquam 31. ff. de acquir. domin.* Vlterius quia ex contractu nullo transfertur dominium, vt *ex l. non dubium, C. de legibus*, notant Bartolus, & Doctores. Quare hanc sententiam tenuerunt pluribus relatis Binsfeld. *hic*, Sotus *lib. 6. de iustitia, quæst. 1. art. 4.* Couarr. *lib. 3. var. cap. 3. num. 6.* Spino *in Specul. testam. gloss. 13. rubricæ, num. 27.* Villagut. *de vsur. quæst. 25.* In quo Interpretum dissidio placuit sententia Bellameræ *in d. c. si quis vsuram*; quam sequitur Didacus Perez *in l. 3. tit. 19. lib. 8. ordin. pag. 363. col. 2.* videlicet, vt attento iuris rigore, & inspecta iuris ciuilis subtilitate, prior sententia verior sit, posterior verò procedat attento iure naturali, & eius æquitate, quam cùm sequatur ius canonicum, credo eo attento dominium vsurarum non acquirere vsurarium, & ita restitutionem earum non in pœnam criminis, nec legis positiuæ auctoritate statutam fuisse, sed à iure naturali præceptam, ex ipsiusque rei natura introductam: vnde etiam deducitur, ad eam restitutionem faciendam non esse necessariam iudicis declarationem, sed ante eam ipso iure fieri debere, vt constat ex præsenti textu, ibi: *ipso iure*. Quia licèt in pœnalibus expectetur iudicis declaratio, *cap. cùm secundùm, de hæreticis in 6. l. eius qui, ff. de iure fisci*; notaui *in c. vergentis, de hæret.* tamen cùm hęc restitutio pro pœna vsurario non imponatur, statim & absque vlla iudicis sententia, vel declaratione fieri debet.

4 Nec tantùm vsuræ sunt restituendæ, verùm & fructus, & accessiones, si res fructifera pro vsura data sit; & omne id, quod interest, mutuatarij sibi vsuras non fuisse oblatas, ratione damni ipsi inde emergentis, aut lucri cessantis, vt probant Gaspar Rodriguez *lib. 3. de annuis reddit. q. 11. n. 14.* Molina *de iust. tract. 2. disp. 327.* Salas *de vsur. dub. 39. n. 5.* Binsfeld. *in præsenti, quæst. 2. conclus. 5.* Leothard. *de vsur. quæst. 96. nu. 19.* nam fur tenetur ad id, quod interest ex rei furtiuæ surreptione, *ex l. 3. ff. de condict. furtiua, l. meritò, ff. de vi & vi armat.* Sed vsurarius furi, & raptori comparatur: ergo tenetur etiam ad id, quod interest. Nec obstabit, si dicas, vsuras repeti per condictionem indebiti, vel per condictionem ob turpem causam, vt suprà dixi: sed in neutra ex his condictionibus veniunt vsuræ, *ex l. 1. C. de condict. indeb. l. quoties 4. C. de condict. ob turp. l. vlt. ff. eod.* immò in condictione furtiua repetuntur vnquam vsuræ, sed rei dumtaxat fructus, *l. 8. ff. de condict. furtiua* Igitur cùm vsurarius non sit peior fure, non debet teneri ad interesse. Nam respondeo, magnum versari discrimen inter vsuras, & interesse; vsuræ enim non proueniunt naturaliter ex ipsa pecunia, & nummorum corpore, nec sunt illius naturales accessiones, *l. si nauis, ff. de R. V. l. 121. ff. de V. S.* interesse autem sequitur naturam, aut rei, aut detentionis eius; ideòque debetur ex æquitate naturali, cùm vsuræ, nisi ex aliquo superaddito, pacto videlicet, stipulatione, aut lege, non debeantur: quare in condictionibus, quæ sunt stricti iuris, vsuræ non veniunt; at verò quanti interest, siue interesse, in omnibus, & ex quamcunque causa debetur, *l. 1. C. de sententijs quæ pro eo*, fusiùs prosequitur Gibalinus *lib. 1. de vsur. c. 10. art. 3. per totum*.

Hæc autem obligatio restituendi vsuras limitatur in præsenti, si vsurarius ad inopiam peruenerit. Faciunt textus *in c. querelam 10. c. breui 17. de iureiur. l. nam his 6. ff. de dolo.* Ratio est, quia nemo ad moraliter impossibile obligatur, nec tenetur ad id, quod proprias vires excedit, vt ex D. Thom 2. 2. *q. 62 art. vlt.* tradit Couarr. *in regula Peccatum, in princip. n. 2.* Si ergo in facultatibus habeat vsurarius vnde restituat, debet restituere, si creditor certus sit; si verò incertus sit, debet restituere pauperibus pro anima ipsius creditoris, vt in præsenti probatur, & *in cap. quia plerique, de immunit. Eccles. c. si dignum 6. §. eos, de homicid. cap. nemo 14. q. 5. l. 2. tit. 15 partit. 6.* Tapia *tom. 2 lib. 5. quæst. 30. art. 3.* Ita tamen, vt quando inuenitur creditor, vel eius hæres, vsurę pauperibus non sunt restituendæ: quare si absens sit creditor, saltem sumptibus eius ad eum vsuræ sunt transmittendæ, argumento legis *opere, ff. de oper. libert.* docuerunt Lælius Mancin. *sacri iuris controv. disp 31 per tot.* Petrus Greg. *lib. 3. partit. tit. 5. cap. 6.* Quæri tamen solet, an hæc restitutio vsurarum pauperibus facienda libera sit, ita vt Episcopi dispensationem non exigat? Et non esse necessariam Episcopi auctoritatem, immò potiùs vsurarium per se, vel per alium à se deputatum restituere vsuras debere, defendunt Felinus *in cap. cùm sit, n. 4. de iudicijs*, Nauarrus *in manuali, c. 17. n. 81.* D. Thomas 2. 2. *quæst. 62. art. 5.* Sotus *de iustit. lib. 4. quæst. 7* Couar. *in cap. 3. de testam. num. 8.* Matienzo *in l. 14. glos. 1. num. 6. tit. 4. lib. 9. recopil.* Nec contrarium probatur in hoc textu, quatenus in eo docetur, vsurarium ab Episcopo cogendum esse vt restituat domino, vel hæredibus, in eorumque defectu pauperibus: nam Episcopi officium in præsenti casu solùm consistit in compellendo vsurarium vt restituat, non tamen in restitutione ipsa facienda. Nec etiam obstat textus *in cap. 3. cap. tua nobis 17. cap. Ioannes, de testament.* vbi probatur in distributione facienda ab executore testamenti debere interuenire auctoritatem Episcopi: quibus iuribus moti contrariam sententiam tenuerunt Hostiensis & Anania *in præsenti*, Couar. & Matienzo *vbi suprà*; nam debent intelligi data restituentis, vel ipsius testamentarij, aut hæredis negligentia, vt similiter in casu legis *nulli, C. de Episcop. & cleric.* vbi desideratur Episcopi auctoritas in distribuendis bonis defuncti, quia defunctus peregrinus erat, & sine hærede decesserat: & etiam *in c. cùm sit, de Iudæis*, desideratur Episcopi auctoritas in restitutione facienda Christianis; quia Iudæus, qui facere eam debebat, suspectus reperiebatur. Quæ omnia cùm cessent in vsurario restituente vsuras pauperibus, ideò in ea facienda non desideratur Episcopi auctoritas.

C A P V T VI.

Idem a *Ianuensi Archiepiscopo*.

IN *b* ciuitate tua dicis sæpè contingere, quòd quidam piper, seu cinnamomum, aut alias merces comparant, quæ tunc vltra quinque libras non valebant, & promittunt per publicum instrumentum se eis, à quibus illas merces accipiunt, sex libras statuto termino soluturos. Licèt autem contractus huiusmodi ex forma non possit censeri nomine vsurarum; nihilominus tamen venditores peccatum incurrunt, nisi dubium sit, merces illas plus minusue tempore quo

quo pretium debent recipere, valituras: & ideò ciues tui saluti suæ bene consulerent, si à tali contractu cessarent, cùm cogitationes hominum omnipotenti Deo nequeant occultari.

NOTÆ.

a *Ianuensi.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. *part.16.cap.2.* & *in 1.collect.sub hoc tit. cap.7.* vbi additur, *pars capitis Fraternitas tua.* Vnde cognoscitur, in præsenti referri partē textus *in c.7. de sponsa duor.*

b *Ciuitate.*] Quę Ianuensis ciuitas mater est mercatorum, vt probaui *in c. per vestras, de donat. inter.*

COMMENTARIVM.

1 *Conclusio traditur, & probatur.* EX præsenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Vendens rem plus quàm valet ob dilationem solutionis, peccat, nisi dubium sit an tempore solutionis pretium augeri posset, & venditor anteà venditurus non esset.* Quam conclusionem probant textus *in cap. consuluit 10. vers. etiam, cap. fin hoc tit. c. ad nostram, de emption. & vend. c. illo vos, de pignor.* Concil. Mediolan. sub Carolo *part. 2. tit. vlt.* Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa Binsfeldius, & Canisius *in præsenti,* Arauio *in qq. moral. disp. 1. de statu ciuili, q. 6.* Fachineus *lib 2. controuers. c 33.* Gaspar Rodriguez *de annuis reddit. lib. 2. q. 7. n. 72.* Molina *de iustitia, tract. 2. disp. 355.* Leothardus *de vsur. quæst. 24. per tot.* Canisius *eod. tract. c. 3.* Salas *eod. tract. dub. 41.* Cyriacus *controu. 169.* Lælius Zaccheus *de vsur. c 12. num. 8.* Lessius *de iustit. lib. 2. c. 21. n. 51.* Petrus Greg. *lib. 3 partit. tit. 5. c. 4.* Tapia *tom. 2 lib. 5. quæst. 17. art. 12.*

2 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Qui vendit rem cariùs ob dilatam solutionem, non violat iustitiam commutatiuam, idest nec vendit cariùs iusto pretio, nec ampliùs quàm iustam suæ rei æstimationem recipit: ergo non peccat. Antecedens probatur, quia in tali venditione inter ementem, & vendentem seruatur æqualitas iustitiæ commutatiuæ, quæ postulat, vt sicut emptor sentit vtilitatem & commodum, re empta statim tradita; sic etiam venditor, cùm ex tali dilatione solutionis pretij incommodum patiatur, aliquid aliud in huiusmodi compensationem accipit: nam quemadmodum qui ante diem soluit, plus soluere dicitur; ita similiter minùs soluit, qui tardè soluit, *l. solidum 85. ff. de solut. l. sicut 12. vers. minus, ff. de V. S.* Vnde propter dilatam solutionem, habita ratione interusurij medij temporis, vsuras deberi, recipique constat *ex l. curauit 5. Cod. de action. empti, l. Iulianus 14. §. venditor, ff. eod.* Ergo licet cariùs vendere ob solutionis dilationem: Accedit, nam qui legis auctoritate aliquid facit, pœnam non meretur, nec peccat, *l. Gracchus, Cod. ad leg. Iul. de adult. l. iustè 11 ff. de acquir. possess.* sed legis auctoritate conceditur, quòd tanti æstimetur res, quanti vendi possit, *l. quærebatur 81. ff. ad leg. Falcid.* ibi, *Quanti nomen distrahi potest:* & *l. 1. §. si hæres, ff. ad Trebel.* & quod plus est, naturaliter licet contrahentibus ad inuicem se decipere, *l. in causæ, la 2. l. in ordine 17. vers. Idem Pomponius, ff. de minor. l. item si pretio 25. §. fin. ff. locati.* Igitur ex iuris permissione rectè potest venditor ob dilatam solutionem rem cariùs vendere.

3 *De mutuo præsumpto.* Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quoddam esse mutuum formale expressum, vel clarum, tam secundùm formam, vel figuram contractus, & intentionē contrahentium, quàm secundùm iuris regulas, & eius declarationes: de quo mutuo agitur *in D. & C. de rebus credit.* Aliud verò mutuum est occultum, palliatum, præsumptumue, quando in verbis, & exteriori figura contractus ostendunt contrahentes celebrare venditionem, vel locationem; sed in rei veritate attenta latet occultū, & palliatum, vel virtuale mutuum, quod ita iuris interpretatione, rei veritate attenta, & neglecta simulatione, mutuum creditur *ex l. 3. & 38. ff. de O. & A. l 3. & per totum C. plus valere quod agitur:* de qua palliati, vel præsumpti mutui specie agitur *in c. illo vos, de pignor. c. ad nostram, de empt. & vendit. cap. consuluit, c. nauiganti, hoc tit.* & in præsenti textu, vbi mutuum facilè deducitur ex intentione venditoris, qui eo quòd iusti pretij solutionem differt, creditur, & præsumitur iustum pretium, tanquam de præsenti tempore contractus, ementi mutuare vsque ad diem, vel terminum dilatæ solutionis, vt accipiat aliquod lucrum, videlicet supercrescentem quantitatem vltra iustum pretium: In qua acceptione vsuram palliatam in hoc palliato mutuo agnouerunt D. Thom. 2. 2 *quæst. 78. art 2 ad 7.* Molina, Salas, & alij, quos refert, & sequitur Leothardus *d. quæst. 24. per totam.* Vnde illa verba præsentis textus, *non possit censeri nomine vsurarum,* intelligenda esse de vsura vera, & formali, non verò de vsura palliata, quæ prouenit ex mutuo præsumpto, ipsi docent.

Deinde sciendum est, pro expositione secundæ partis huius conclusionis, quæ docet propter pretij incertitudinem, & dubium euentum, excusari vendentem rem cariùs, ob solutionis dilationem; sciendum, inquam, est, pretium mercium, vel rerum vendibilium duobus modis considerari posse. Primò secundùm se, idest secundùm verum, & infallibilem valorem, neglecta, vel remota industria contrahentiū, & varietate, vel mutatione temporis non attenta. Secundo modo pretium rerum ęstimatur habita consideratione industriæ partium contrahentium, vel negotiantium; & mutationis, vel varietatis temporum, vt vbertatis, vel sterilitatis. Pretium primo modo acceptum dicitur ab Interpretibus legitimū, vel iustum, vtpote lege iusta taxatum; & in eo pretio res non valere magis in futurum creditas, quàm de præsenti valent, & æstimantur, certissimū est: hoc enim habito respectu ad pretium legitimū, perpetua, vel in perpetuum vna, & eadem rerum ęstimatio est, iuxta legem *1. ff. de contrahend. emption.* ibi: *Cuius publica, ac perpetua æstimatio:* probaui *in c. 3. de empt. & vendit.* hoc enim pretium consistit in indiuisibili, & in eo pretio lege iusta taxato nullus dari potest excessus ratione temporis, vel cuiuslibet alterius respectus, vel circunstantię, sed omni tempore vnum, & idem pretium est, vt resoluunt Sotus *de iustitia lib. 6. q. 2. art. 3.* Molina *de iust. to. 2 disp. 347.* Lessius *lib. 2. de iustitia, c. 21. dubit. 2.* Morla *in empor. tit. 9. q. 6. n. 4.* Nec contrarium probant textus *in l. circa, l. in quantitate 73. § in diem, & §. magna dubitatio, ff. ad leg. Falcid. l. si mandauero 22. §. 1 ff. mandati:* vbi docetur, ratione, vel respectu temporis res pluris, minorisque ęstimari. Nam accipiendi sunt de pretio secundo modo accepto, quod ab Interpretibus dicitur naturale, cùm scilicet ad rei, quæ venditur, valorem ęstimandum habetur ratio, & respectus ad varias circumstantias varietatis temporum, industriæ negotiantium, diuersitatis locorum, vbertatis, vel sterilitatis: propter quas omnes circumstantias, vel respectus pretium hoc naturale crescit, vel decrescit, *l. pretia 63. §. fin. ff. ad leg. Falcid. cum similib.* Fusè causas, ob quas pretium hoc augetur, vel minuitur, prosequuntur Pinel. *in l. 2. C. de rescind. 3. part. cap. vlt.* Molin. *d. disp. 348.* Lessius *de iust. lib. 2. cap. 21 dub. 2.* 4 *De iusto & supremo pretio rei vendite.*

Quibus sic constitutis, apparet, præsentem textū non procedere respectu iusti, seu legitimi pretij, cùm in eo pretio non possit res cariùs vendi ob dilatām, vel creditā solutionem; ac proinde vendens ad creditū, & plus accipiens, quā esset accepturus, si venderet de præsenti, illud, quod plus accipit, tenetur restituere: quare præsens textus necessariò intelligi, vel accipi debet de pretio naturali, in quo iuxta suprà tradita, eo habito respectu, scilicet quòd tempore futuro res vendenda plus, minusue valere potest, & quod hoc sit dubium, & incertum, rectè potest aliquantulum cariùs, vel maiori pretio in futurum, vel creditum vendi, quàm valeat de præsenti, iuxta præsentē textū in vers. *Nisi dubium:* cui iungendus est textus *in c. fin. hoc tit.* in illis verbis: *Si tamen ea tempore contractus nō fuerat venditurus.* Et ità duplex circumstantia hoc casu vt vitetur peccatū, concurrere debet. Prima, quòd incertitudo interueniat respectu pretij: secunda, quòd tēpore contractus non esset venditor venditurus, sed tantùm tēpore creditę solutionis, vt notarunt Glossa *in præsenti, verbo Venditores:* & *in c. fi.* vbi Abbas *n. 3* Beroius *n. 1.* Sotus *lib. 6. de iust. q. 4. art. 2.* Couarr *lib 2 var. c. 3. n. 6.* Gutierrez *lib. 1. canonic. c. 39. n. 2.* Canisius *de vsur. c. 3. per tot.* & ita concurrentibus dictis duabus circunstantijs, rectè potest venditor aliquid ampliùs quàm res valeat de præsenti, accipere ad creditum: illis autē circumstantijs cessantibus, nō poterit res ad creditū vendi cariùs, quàm valeat de præsenti; quia cùm pretium rei existentiā comitetur, & res secundùm se, vel secundùm suam naturā plus non valeat de futuro, quàm de præsenti, nisi habito respectu 5 *Exponitur præsens textus.*

ad

ad adiectas circumſtantias, non autem ſimpliciter ad tranſcurſum temporis, quia vt benè conſiderat Gutierr. vbi ſuprà, *n.* 37. nulla Reſpublica eiuſdẽ rei diuerſa pretia, ad creditum vnum ſcilicet, & alterũ ad præſens conſtituit; conſequens eſt, iniuſtum, & iniquum meritò cenſeri cariùs ad creditum quàm de præſenti vendere, cùm res vnius, & eiuſdem exiſtentiæ, & valoris vno & altero tempore conſideretur, niſi, vt iam diximus, concurrentibus, & expenſis dictis duabus circumſtantijs, vt infrà dicemus. Hoc autem, quod affirmamus, licere ex dictis duabus circumſtantijs rem cariùs vendere ob dilatam ſolutionem, non in immenſum accipiendum eſt, ſed vt vendens poſſit recipere quantitatem iuſti pretij rigoroſi, vel ſupremi; non verò ad libitum, vt reſoluunt Molina *d. diſp.* 355 Leſſius *d. lib. 2. de iuſt c. 21. dub. 6.* Ampliatur etiam præſens doctrina, vt ex eadem ratione procedat reſpectu emptoris, qui propter anticipatam ſolutionem emit rem viliori pretio; in eo ſiquidem caſu ſimiliter conſideratur virtuale, vel præſumptum mutuum, & ferè magis expreſſum in emptore, quàm venditore; qui enim ita emit, & anticipatè ſoluit, mutuare creditur vſque in diem, quo res vendita eſt tradenda; vnde ex eiſdem regulis, quod venditori licet, emptori etiam concedendum eſt: quoniam quod in vno correlatiuorum ſtatuitur, ad alterum trahitur, vt notant communiter Doctores *in l. fin. C. de indicta viduit.* Quotiens igitur incertum eſt, res, quæ anticipata ſolutione emuntur, plus, vel minùs valituras eſſe tempore traditionis, ceſſat vſura, & iniuſtitia contractus, dummodo pretium non ſit infimum omninò, ideſt minus iuſto pretio infimo; ita etenim in emente, & vendente declaranda eſt communis hæc ſententia, quam ad varios caſus in praxi obuios exponunt Leotardus *d. q. 24. per tot.* Arauio *d. q. 6. diſp. 1.* & Barboſa *6 tom. in ſelect. ad hunc textum.*

6 *Traditur decidendi ratio.* Vnde iam apparet vera ratio præſentis aſſertionis; nam licèt hoc caſu, cùm cariùs res venditur ob dilatam ſolutionem, ex forma, & figura talis contractus nullum fœnus contrahi videatur; quid enim commune habet venditio mercium cum illicito fœnore? tamen quia non figura verborum inſpicienda eſt, ſed contractus, & obligationis ſubſtantia, & id, quod verè geſtum eſt, *l. 3 in princip. l. 38. ff. de O. & A. l. 1. & per tot. C. plus valere quod agitur;* inde cùm certum ſit in hoc negotio fœnus occultari, & contrahi, atque ex tali mutuo palliato vſuræ palliatæ proueniant, ideò in præſenti improbantur, tanquã ſi ex vero mutuo vſuræ perciperentur: & cùm hæc præſumptio fœnoris vſurarij ceſſet, quãdo dubium eſt pretiũ rei venditæ in futurum. & venditor tempore contractus non eſt venditurus; ideò licet tunc cariùs rẽ vendere, abſque eo quod in tali vẽditione crimen vſurarũ ſuſpicetur.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta; nam præſens aſſertio procedit quoties ex ſolo tempore tardatæ ſolutionis maius pretium conſtituitur: cæterùm ſi ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis augeatur rei pretium vſque ad ſummam, quæ intereſt, vſura non committitur, quia hoc caſu licitum eſt aliquid exigere ſupra iuſtum rei pretium, ratione eius quod intereſt: vt enim in aperto mutuo hoc licet, ita & in hoc palliato permittitur, vt probat Molina *d. diſp. 355. num 4.* Salas *de annuis reddit. lib 3. q. 7. num. 34* Proinde ſi quis rem fructiferam vendat, vt ferè ſunt res immobiles; & fide de pretio habita rem tradat, poteſt pro modo, & portione fructuum, quas vſque ad tempus cedentis ſolutionis percepiſſet, rei pretium augere, nec committit vſuram, vt docẽt Couarr. *d. lib. 2. c. 3. n. 7.* Gutierrez *de iuram. c. 2. num. 6.* Scaccia *de commercijs, §. 1. q. 7. ampliat. 8* nec enim venditor tenetur rem ſine pretio dimittere, *l. ex empto, ff. de action. empti, l. quod vendidi, ff. de contrahend. emption, l. 31. §. idem Marcel. ff. de ædilit. edict.* Immò licita eſt conuentio inita à principio contractus de certo intereſſe præſtando ob dilatam ſolutionem, ita vt emptor ſe obliget ad ſoluendum venditori quinque, vel ſeptem pro centum, dum integrè pretium non ſoluerit, dummodo hoc intereſſe taxatum ſit veriſimile, & probabile, conſuetumque iuxta morem regionis, in qua celebratur contractus, vt probat pluribus Carleual. *tom 2. de iudicijs, tit. 3. diſp. 8. ſect. 5 per tot.* Nec obſtat quod dicebamus, naturaliter licere contrahentibus ad inuicem ſe decipere; nam hoc procedit, vt dixi *in c. 3. de emption. & vendit.* dum intra metas, & leges ipſius contractus deceptio contingat, non verò vbi verbis celebratur vnus contractus, & alius ſimulatur, vt in præſenti contingit; cùm venditio extrinſecùs ſimulatur, & verè mutuum celebratur, pretio ob dilatam ſolutionem aucto. 7 *Diſſoluitur dubitandi ratio.*

C A P V T VII.

a Idem.

PRæthereà parochianis veſtris vſuram accipere omnimodis interdicatis, quia vſurarum crimen vtriuſque Teſtamenti pagina deteſtatur. Quòd ſi monitis veſtris parere contempſerint, ſi clerici ſunt, eos ab officio & beneficio ſuſpenſos, cum literis rei veritatem continentibus ad præſentiam noſtram mittere non differatis: ſi laici fuerint, vſque ad dignam ſatisfactionem ipſos excommunicationis vinculo conſtringatis.

N O T Æ.

a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 9.* vbi additur, *pars capitis Licèt vniuerſis;* vnde colligitur in præſenti referri partem textus *in cap. licèt 23. de teſt.* Integra eius textus extat in Concil. Lateran. *part. 20. c. 2.*

C O M M E N T A R I V M.

GRauitatem huius criminis, necnon pœnas contra vſurarios ſtatutas in Concilio Lateran. retuli *in c. 3 hoc tit.* quare in præſenti tantùm agendum eſt de alijs pœnis ſtatutis contra ipſos, tam iure canonico, quàm ciuili, necnon & regio: & iam primis ſæculis Eccleſia ſeueriſſimis pœnis hoc crimen caſtigauit, tam in clericos, quàm in laicos; ſiquidem Apoſtoli canone 44 ſacros miniſtros vſuris deditos deponi, & abdicari iuſſerunt: quam abdicationem ad omnes clericos protraxerunt Patres Concilij Nicæni 1. *can.* 17. cui abdicationi abſtinentiam à communione, ſeu priuationem communionis Eccleſiæ adiunxerunt in Concilio Arelat. 1. *can.* 12. Arelat. 2. *can.* 14. & gradus eccleſiaſtici priuationem determinarunt. Concilium Illiber *can* 20. Tarracon. *can.* 10. Aurel. 3 *can* 26 Trul. *can.* 10. quorum verba refert Ant. Auguſt. *in epit. iur. lib. 35. tit. 6.* nec poſſunt vſurarij ad ſacros ordines aſcendere, nec officia eccleſiaſtica obtinere, *cap. inter dilectos, de exceſſib. Prælat.* Salcedo *in praxi, cap. 91.* Barb. *de poteſt. Epiſcop. alleg.* 43. *n.* 3. Petrus Greg. *lib. 3. de vſur. c. 1. n.* 3. & ſi iam clerici hi ordinibus initiati, aut ad beneficia promoti reperiuntur, tam ab officio, quàm à beneficio ſuſpenduntur, ex præſenti textu; & ſi ſic moniti pergant in hoc fœnore exercendo, ab officio, & beneficio deijciuntur, *c. 1. & 2. 47. diſt. c. ſi quis, c. quoniam 14. q. 3. c. 1 hoc tit.* Quem textum cum præſenti ita conciliat Fragoſo *de regimine p. 1. lib. 2. diſp. 4. § 21.* Laici autem excommunicantur, & niſi ſatisfecerint, ad pœnitentiam non admittuntur, *cap. fin. § fin. hoc tit. in 6.* & ſi ita indurati decedant, ſepultura eccleſiaſtica priuantur, *c. 3. hoc cap. quamquam, eod. tit. in 6. Clementina 1. eod. tit.* Petrus Greg *lib. 33. ſyntag. c. 23. n. 32* teſtamenta ab eis condita nulla ſunt, vt dicemus infrà, *in cap. tua.* Iure etiam ciuili vſurarij puniuntur pœna infamiæ, ex conſtitutione Diocletiani, & Maximiani *in l. improbum 20. C. ex quibus cauſ. infam.* ibi: *Improbum fœnus exercentibus, & vſuras vſurarum exigentibus, infamiæ macula irroganda eſt.* Qua in pœna imitati ſunt Imperatorem Auguſtum, qui quoſdam vſurarios infamia notauit, vt refert Suetonius *in eo,* & ex ipſo Petrus Herodius *lib. 3. rerum iudic. tit. 11. c. 4.* eandem pœnam approbarunt Innoc. II. in Synodo Romana *can. 13.* & Innoc. III. *in cap. inter, de exceſſ. Prælat.*

Digitized by Google

Vnde eo iure attento repelluntur vsurarij à dignitatibus, *ex l.2. & 6. C. de dignit. lib.12.* intestabiles redduntur, *ex l.3. & 5. ff. de testibus*. Docuerunt Farinac. *de testibus q.56.n.352.* Salmasius *de fœnore trapezit. lib.2.* Etiam extra ordinem puniuntur, *l.1. §. expilatores, ff. de effractoribus*: docent Canis. *de vsur. c.8.* Leotardus *eod. tract. q.100.* quo iure antiquos Romanos vsos fuisse constat ex Liuio *lib.10.* vbi refert, Ædiles Curules quibusdam fœneratoribus diem dixisse, & bonis mulctasse, & ex illis viam quandam quadrato lapide strauisse: ex Catone & Sigonio refert Herodius *lib.4. Pandect. tit.10. c.1.* Tandem iure nostro Regio vsurarius pro prima vice pecuniam mutuò datam sub vsuris amittit, quæ cedit lucro debitoris; & insuper similem quantitatem soluere tenetur, quarum duæ partes fisco, tertia pars accusatori applicatur: pro secunda vice perdit dimidiam bonorum partem applicandam pro eisdem dictis partibus: pro tertia verò vice priuatur omnibus bonis eodem modo applicandis, & diuidendis, *l.1. & 14. tit.2. lib.8. ordin. l.4. & 5. tit.6. lib.8. Recopil.* explicant Couarr. *lib.2. var. c.3. n.2.* Auendaño *de exeq mandat. 2. part. c.29.* D. Ioan. Vela *de delict. cap. fin. n.12.*

CAPVT VIII.

Idem *Abbati, & fratrib.* a *S. Laurentij.*

COnquestus est nobis G. clericus præsentium lator, quòd licèt de quadam terra, quam pater suus vobis obligauit, sortem vestram, deductis expensis, receperitis; terram tamen ipsam non sine derogatione vestræ salutis, honestatis, & famæ, nihilominus detinetis. Inde est, quòd discretioni vestræ p. A. s. p. m. quat. si terram ipsam titulo pignoris detinetis, & ex fructibus eius sortem vestram recepistis, prædictam terram memorato clerico, dilatione, & ap. cess. reddatis, & in pace, & quiete dimittatis, nisi fortè terra ipsa de feudo sit monasterij vestri.

NOTÆ.

a SAncti Laurentij.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.10.* nullibi tamen exprimitur cuius ordinis esset monasterium hoc, aut in qua prouincia casus hic contigerit. Textum hunc exposui *in c. 1. de feud. & in cap. cùm contra, de pignor.*

CAPVT IX.

Alexander III. *Episcopo* a *Placentino.*

TVa nos duxit fraternitas consulendos, quid sit de vsurariorum filijs obseruandum, qui eis in crimine vsurarum defunctis succedunt: aut de extraneis, ad quos bona vsurarum asseris *b* deuoluta. Tuæ igitur quæstioni literis præsentibus respondemus, quod filij ad restituendas vsuras ea sunt districtione cogendi, qua parentes, si viuerent, cogerentur: id ipsum etiam contra hæredes *c* extraneos credimus exercendum.

NOTÆ.

1 a PLacentino.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.11.* Placentia inter nobiles, vetustasque Insubriæ, olim Togatæ, modò Cispadanæ, ciuitates meritò numeratur, sita prope fluuium Trebiam, in amœna planitie, non longè à Pado: ideò Placentia dicta, quòd vbertas, & copia rerum, qua nobilitatur præ cæteris, quam maximè placeret mortalibus, vt refert eius originem repetens Vghel. *tom.2. Ital. sacræ, fol.244.* Iam à primis Ecclesiæ sæculis Cathedra Episcopali decorata fuit, cuius Præsuli Mauricio dicto missa est præsens Decretalis.

2 b *Deuoluta.*] Sed testamentum vsurarij, nisi vsuras restituat, aut de illis restituendis sufficienter cauerit, ipso iure irritum est, etsi inter liberos, vel piæ causæ conditum sit, *cap. quamquam, hoc tit. in 6.* Menchaca *lib.1. de success. creat. §.1. n.179.* Lugo *de iust. disp.25. n.70.* Molina *eod. tract. disp.334. n.11.* Gibalin. *lib 1. de vsur. c.11. art.2. num 6.* Ergo non poterant bona vsurarij in præsenti casu deuolui, aut peruenire ad hæredes extraneos. Pro cuius difficultatis solutione Osuald. *lib.6. Donel. c.3. litt. S,* asserit in præsenti bona delata fuisse ab intestato consanguineis, quos appellat Pontifex hæredes extraneos, ad suorum differentiam. Sed veriùs dicendum est, prædictam pœnam priuationis testamenti factionis actiuæ esse iuris noui à Bonifacio VIII. statutam. Vnde cùm iure Decretalium talis pęna statuta non esset, ideò testamentum in præsenti casu sustineri potuit.

3 c *Hęredes extraneos*] Consonant textus *in cap. tua nos, cap. Michael, hoc tit.* sed obstat vulgare principium, quo docetur, hęredem ex delicto defuncti nullo modo teneri, nisi quatenus ad eum ex delicto peruenit, vel si lis cum defuncto contestata est, *l. vnic. C. ex delict. defunct. l.1. ff. de priuat. delict. §. nòn tamen, Instit. de perpet. & tempor.* Cui difficultati respondendum est, principium illud procedere, quando agitur contra hęredem actione ex delicto descendente, ad pœnam: quia cùm personam delinquentis pœna egredi non debeat, *l. sancimus 22. C. de pœnis*: hæres tali actione non tenetur, nisi quatenus ad eum peruenit; non autem idem procedit in obligationibus, quæ descendunt ex contractu, vel quasi contractu defuncti; illæ enim etiam in hæredes transeunt, *l. ex depositi 11. ff. de O. & A.* quamuis tales obligationes cum delictis misceantur, *l. ex contractibus, ff. eod. tit.* Menchaca *Illustr. c.96. nu.27.* Canisius *de vsur. c.7. n.4.* Vnde cùm vsurarius teneatur ad restituendas vsuras condictione indebiti, *l si non sortem 26. ff. de cond. indeb.* & hæc conditio ex quasi contractu descendat, *§. item is, Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu, l.2. l si in area 33 ff. de cond. indeb.* necessariò hæres restituere tenetur eas. Accedit, nam restitutio vsurarum non fit ratione pœnæ à iure statutæ, sed eius obligatio à natura ipsa prouenit, vt probaui suprà *in c.1.* & ideò hæredes tenentur restituere ipsas vsuras. Si autem plures sint, non tenentur singuli nisi pro rata portione hæreditatis, non autem in solidum, etiamsi aliqui hæredes nolint restituere. Couar. *lib.3. var. c.3. n.6.* Rebellus *2. p. de iust. lib. 8 c.16. sect.2* qui rectè docent, eum, ad quem de bonis defuncti nihil obuenerit, non teneri ad restitutionem. Quatenus autem hęredes teneantur exonerare conscientiam defuncti, exposui *in cap. parochiano, de parochijs.*

CAPVT X.

Vrbanus III. *a Brixien. presbytero.*

COnsuluit nos deuotio tua, in quo sacerdotalis officij solicitudinem commendamus, an ille in iudicio animarum quasi vsurarius debeat iudicari, qui non aliàs mutuò tra-

diturus,

diturus, eo proposito mutuam pecuniam credit, vt licèt omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat: & vtrum eodem reatu criminis inuoluatur, qui vt vulgò dicitur, non aliàs parabolam iuramenti concedit, donec, quamuis sine exactione, emolumentum aliquod inde percipiat. Item & an *b* negotiator pœna non absimili debeat condemnari, qui merces suas longè maiori pretio distrahit, si ad solutionem faciendam prolixi temporis dilatio prorogetur, quàm si ei incontinenti pretium persoluatur. Verùm quia quid in his casibus tenendum sit, ex Euangelio Lucæ manifestè cognoscitur, in quo dicitur. Date mutuum, nihil inde sperantes; huiusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cùm omnis vsura, & super abundantia prohibeatur in lege, iudicandi sunt malè agere, & ad ea, quæ taliter accepta sunt *c* restituenda, in animarum iudicio efficaciter inducendi.

N O T Æ.

a *Brixiensi.*] Ita legitur in prima collectinne, *sub hoc tit. c.12.* De Brixiensi diœcesi egi *in cap. tuæ, de procurat.*

b *An negotiator.*] Præsentem textus partem exposui suprà *in cap. in ciuitate.*

c *Restituenda.*] Iuxta tradita *in cap. fin. de simon.* vbi textum hunc exposui.

C A P V T XI.

Innocent. III. a *Archiepiscopis, & alijs Ecclesiarum Prælatis in Regno Franciæ constitutis.*

QVàm perniciosum sit vitium vsurarum, discretionem vestram non credimus ignorare, cùm præter constitutiones canonicas, quæ in earum odium emanarunt, per Prophetam detur intelligi, eos, qui suam dant pecuniam ad vsuram, à tabernaculo Domini *b* repellendos: & tam in *c* nouo, quàm in veteri Testamento prohibitæ sint vsuræ, cùm *d* Veritas ipsa præcipiat, Mutuum date nihil inde sperantes: & per Prophetam dicatur: Vsuram, & omnem superabundantiam non accipies. Inde est, quod vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus *e* manifestos vsurarios, eos maximè, quos vsuris publicè renunciasse constiterit, cùm aliquis eos conuenit de vsuris, nullius permittatis appellationis *f* subterfugio se tueri. Datum Later. 5. Kal. Nouemb.

N O T Æ.

a *Archiepiscopis.*] Ita etiam legitur in tertia collectinne, *sub hoc tit. cap. 1.* & in ipsis epistoiis Innocentij editis à Sirleto, *fol. 198.*

b *Repellendos.*] Psalmo 14.

c *Nouo, quàm in veteri.*] Vt probaui *in c. 3. hoc tit.*

d *Veritas ipsa.*] Dominus noster apud Lucam *c. 6.*

e *Manifestos.*] Quinam dicantur manifesti vsurarij, exposui *in c. 3. hoc tit.*

f *Subterfugio.*] Quod procedit in appellatione interposita ab vsurario, dumtaxat ad vitandam sententiæ executionem; quia tales appellationes frustratoriæ, seu ludificationes reijciuntur; nam si appellatio iustam caussam haberet, quia exciperet reus, nullas se ab eo, qui petit, vsuras exegisse; & cùm satis probatum non fuisset ab actore, nihilominus damnatus fuit, aut quid simile opponat, appellationis remedium non est denegandum. Vnde rectè notauit Binsfeldius *in præsenti*, in hac parte nihil speciale cautum fuisse circa vsurarium. Quod & docuit Gibalinus *lib. 1. de vsur. c. 11. art. 3.*

C A P V T XII.

Idem a *Narbonensi Archiepiscopo & suffraganeis eius: Abbat. quoque, Prioribus, & alijs Eccles. Prælat. Comitibus etiam, & Baron. & vniuerso populo in Narbonensi prouincia constitutis.*

POst miserabile Hierosol. regionis excidium, post lachrymabilem stragem populi Christiani, post deplorandam inuasionem illius terræ, in qua pedes Christi steterunt, & vbi Deus Rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari; post ignominiosam nobis vnicæ Crucis translationem, in qua salus mundi pependit, & deleuit chirographum mortis antiquæ, Apostolica Sedes super tantæ calamitatis infortunio conturbata laborauit clamans, & plorans. Itaque præ incessanti clamore raucæ factæ sunt fauces eius, & ex vehementi ploratu penè ipsius oculi defecerunt. Verùm ne si secundùm Prophetam, Hierusalem obliti fuerimus, obliuiscatur nos dextera nostra, adhæreat lingua nostra faucibus nostris; si non M. eius clamat, adhuc Ap. Sedes quasi tuba vocem exaltat, excitare cupiens populos Christianos ad prælium Christi bellandum, & vindicandam iniuriam Crucifixi, vsa ipsius verbo dicentis: O vos omnes, qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor similis sicut dolor meus. Ecce enim hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostræ ad extraneos deuenerunt, viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem: facti sunt inimici eius in capite; sepulchrum Domini, quod Propheta gloriosum fore prædixit, prophanatum ab impijs, inglorium est effectum. Gloria nostra, de qua dicit Apostolus: Mihi sunt a. g. n. m. e. d. n. i. x. sub manu tenetur hostili, & ipse Dominus Iesus Christus, qui captiuitatem nostram pro nobis moriens captiuauit, quasi captiuatus ab impijs, ab hæreditate sua cogitur exulare. Existente quondam in castris Aeham Domini sabaoth, Vrias domum suam ingredi recusauit, à licito etiam vxoris se compescens amplexu. Nunc verò Principes nostri, gloria Israel de loco suo in iniuriam

nostri translata, vacant adulterinis amplexibus, delicijs, & diuitijs abutentes, & dum se inuicem inexorabili odio persequuntur, dum vnus in alium suas nititur iniurias vindicare, non est quem moueat iniuria Crucifixi, non attendentibus ipsis, quia iam insultant nobis inimici nostri dicentes: Vbi est Deus vester? qui nec se potest, nec vos de nostris manibus liberare. Ecce iam prophanauimus sancta vestra: ecce iam ad desiderabilia nostra manum extendimus, & ea loca impetu primo violenter inuasimus, & vobis tenemus inuitis, in quibus superstitionem vestram principium fingitis suscepisse: iam infirmauimus, & confregimus hastas Gallorum, Anglorum conatus elisimus, Teutonicorum vires compressimus, nunc secundò Hispanos domuimus & cùm omnes virtutes vestras in nos duxeritis concitandas, vix adhuc in aliquo profecistis: vbi ergo est Deus vester? Exurgat nunc, & adiuuet vos, & fiat vobis, & sibi protector. Teutonici siquidem, qui se præsumebant inauditum de nobis reportare triumphum, ad nos vehementi spiritu transfretarunt: & cùm solum castrum Baruth, nullo defendente, cepissent, nisi eos, sicut & alios Principes vestros, fugæ beneficium liberasset, in se potentiam nostram grauiter fuissent experti, & eorum stragem ipsorum soboles perpetuò deploraret. Reges enim, & Principes vestri, quos dudum de terra fugauimus Orientis, vt timorem suum audendo dissimulent, ad suas latebras (ne dicamus regna) reuersi, malunt se inuicem expugnare, quàm denuò vires nostras, & potentiam experiri. Quid igitur superest, nisi vt his, quos fugientes in excusationem vestram ad terræ custodiam dimisistis, gladio vltore peremptis, in terram vestram impetum faciamus, nomen vestrum, & memoriam perdituri? Qualiter ergo, fratres, & filij, opprobria exprobrantium repellemus? qualiter eis poterimus respondere? cùm eos pro parte verum prosequi videamus, sicut nuper ad audientiam nostram certa significatione peruenit? Recepimus enim literas de partibus transmarinis, quòd cùm Teutonici Accon nauigio peruenissent, Castrum Baruth obtinuerunt nemine defendente. Sarraceni verò in Ioppen facientes impetum, ex aduerso eam per violentiam occuparunt, & cæsis multis Christianorum millibus, eam funditus destruxerunt. Verùm Teutonici rumoribus de morte Imperatoris acceptis, non expectato passagij tempore, naues reduces ascenderunt. Vnde Sarraceni, qui ad resistendum eis exercitum parauerant copiosum, in terram Christianorum adeò debacchantur, vt Christianis nec sine periculo ciuitates egredi liceat, nec in ipsis sine formidine remanere; immò eis gladius foris imminet, metus intus. Assumite igitur filij spiritum fortitudinis, scutum fidei, & galeam salutis accipite, non in numero, aut viribus, sed Dei potiùs, cui non est difficile in multis, vel in paucis saluare, potentia confidentes: & ei, per quem estis, viuitis, & habetis, secundùm facultates proprias subuenite. Ipse quidē pro vobis semetipsum exinaniuit formam serui accipiens in s ho f. & ha. i. vt homo, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis; & vos eo paupere abundatis, ipso fugato quiescitis, & nec inopi, nec exuli subuenitis. Quisquis igitur in tantæ necessitatis articulo suum negauerit obsequium Iesu Christo, cùm ante tribunal eius astiterit iudicandus, quid ad suam excusationem ei poterit respondere? Si Deus subijt mortem pro homine, dubitabit homo mortem subire pro Deo? cùm non sint condignæ pas. h. s. ad f. g. quæ re. in nobis. Negabit etiam seruus domino diuitias temporales, cùm dominus seruo diuitias largiatur æternas? quas nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt? Thesaurizet igitur homo thesauros in cœlis, vbi fures non effodiunt, nec furantur; vbi nec ærugo, nec tinea demolitur. Omnes, & singuli accingantur, atque in proximè sequenti Martio, quælibet vrbes per se, similiter & Comites, & Barones iuxta facultates proprias ad defensionem terræ natiuitatis Dominicæ certum in expensis suis dirigant numerum bellatorum, illic saltem per biennium moraturorum. Licèt autem instantia nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum solicitudo continua, modò tamen hanc quasi præcipuam inter alias solicitudines reputamus, per quam terræ Orientali totis desideramus affectibus subuenire: ne si fortè fuerit dilata subuentio, residuum locustę comedat brucus, & fiant nouissima deteriora prioribus. Verùm ne nos alijs onera grauia, & importabilia imponere videamur, digito autem nostro ea mouere nolimus, dicentes tantùm, & aut nihil, aut minimum facientes, cùm qui fecerit, & docuerit, magnus vocetur in regno cœlorum, huius exemplo, qui cœpit facere, & docere, vt & nos qui (licèt immeriti) vicem eius exercemus in terris, bonum alijs præbeamus exemplum, in personis pariter & in rebus Terræ sanctæ decreuimus subuenire, dil. fil. nost. sanctæ Praxed. Presbyt. & P. S. M. in Via Lata Diac. Card. viris vtique timoratis, scientia, & honestate præclaris, potentibus in opere & sermone, quos inter alios fratres nostros speciali charitate diligimus, manu propria crucis signaculum imponentes: qui exercitum Domini humiliter, & deuotè præcedant, & non mendicatis suffragijs, sed nostris, & fratrum nostrorum sumptibus sustententur: per quos etiam aliud competens subsidium eidem Terræ disponimus destinare. Interim autem dictum sanctæ Mariæ in Via Lata Diacon. Card. ad charissimorum in Christo filiorum Francorum, & Anglorum Regum Illustrium præsentiam destinamus ad reformandam pacem, vel treguas, saltem vsque ad quinquennium ordinandas, & exhortandos populos ad obsequium Crucifixi. Dictum autem sanctę Praxedis Presbyt. Card. Venetias pro Terræ sanctæ subsidio destinamus. De communi prætereà fratrum nostrorum deliberatione statuimus, & vobis, fratres Archiepiscopi, & Episcopi, & dil. fil. Abbates, Priores, & alij Ecclesiæ Prelati, districtè præcipiendo mandamus, quatenus certum numerum bellatorum, vel pro certo numero certam pecuniæ quantitatem in proximè sequenti Martio, pensata facultate cuiuslibet, ad expugnandam paganorum barbariem, & seruandam hæreditatem Domini destinetis, quam ipse proprio sanguine comparauit. Si quis autem (quod non credimus) constitutioni tam piæ ac necessariæ præsumpserit obuiare, sicut sacrorum canonum transgressorem decernimus puniendum, & vsque ad satisfactionem condignam, ab officio censemus manere suspensum. De Dei ergo misericordia, & beatorum Apostolorum Petri, & Pauli auctoritate confisi, ex illa, quam nobis Deus (licèt indignis) ligandi, & soluendi contulit, potestate, omnibus, qui laborem huius itineris in personis proprijs subierint, & expensis, plenam peccatorum suorum, de

quibus

quibus oris, & cordis egerint pœnitentiam, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis proprijs illuc accesserint, sed in suis tantùm expensis, iuxta facultatem, & qualitatem suam viros idoneos destinauerint, illic saltem per biennium moraturos; & illis similiter, qui licèt in alienis expensis, in proprijs tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impleuerint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Huius quoque remisionis volumus esse participes, iuxta quantitatem subsidij, ac præcipuè secundùm deuotionis affectum, qui ad subuentionem illius terræ de bonis suis congruè ministrauerint. Bona insuper ipsorum, ex quo crucem susceperint, sub beati Petri, & nostra protectione suscipimus, necnon vt sub Archiepiscoporum, & omnium Prælatorum Ecclesiæ Dei defensione consistant, statuimus, vt donec de ipsorum obitu, vel reditu certissimè cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quòd si quisquam contrà præsumpserit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatur. Si qui verò proficiscentium illuc ad præstandas vsuras iuramento tenentur astricti, vos fratres Archiepiscopi, & Episcopi per vestras
2 diœceses creditores eorum, sublato appellationis obstaculo, eadem districtione cogatis, vt eos à sacramento penitus absoluentes, ab vsurarum vlteriùs exactione desistant. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coegerit vsurarum, eum ad restitutionem earum, sublato appellationis obstaculo, districtione simili compellatis. Iudæos verò ad remittendas ipsis vsuras per vos, filij Principes, & sæcularem compelli præcipimus Potestatem, & donec eis remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus, tam in mercimonijs, quàm alijs, per excommunicationis sententiam eis iubemus communionem omnimodam denegari. Ab hoc igitur opere nullus omninò se subtrahat, cùm id non à nobis, sed ab ipsis fuerit Apostolis institutum, qui collectas faciebant in gentibus, vt fratribus Hierusalem laborantibus subuenirent. Nolumus autem vos de diuina misericordia desperare, quantumcunque sit Dominus peccatis nostris iratus, quin in manu vestra perficiat, si (prout debetis) in humilitate cordis, & corporis iter fueritis peregrinationis aggressi, quod maioribus non concessit. Consensissent enim maiores forsitan, & dixissent: Manus nostra excelsa, & non Deus fecit hæc omnia; & sibi, non Deo victoriæ gloriam adscripsissent. Speramus enim, quòd non in ira misericordias continebit, qui cùm iratus est, non obliuiscitur misereri, nos admonens, & exhortans: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Credimus etiam, quod si ambulaueritis in lege Domini, non eorum sequentes vestigia, qui vani facti sunt, post vanitatem euntes, qui comessationibus, & ebrietatibus voluptuosè vacabant, & ea exercebant in partibus transmarinis, quæ in terra natiuitatis propriæ sine multa infamia, & detractione plurima non auderent; sed spem vestram in eo solummodò posueritis, qui non deserit sperantes in se, non tantùm ab illicitis, sed quibusdam etiam licitis abstinentes: is qui currum, & exercitum Pharaonis proiecit in mare, arcus fortium infirmabit, & inimicos crucis à facie vestra delebit, vt lutum platearum; non nobis, aut vobis, sed nomini suo dans gloriam, qui est gloriosus in Sanctis, mirabilis in Maiestate, faciens prodigia; & post lachrymationem, & fletum, gaudium, & exultationem inducens. Ad hæc expeditiùs autem, & meliùs exequenda, vos fratres Archiepiscope Nemausen. & Arausicen. Episcope, duximus deputandos, qui verbum Domini cæteris proponatis, & ad implendum mandatum Apostolicum Coepiscopos vestros, & alios inuitantes, taliter exequamini causam Domini, quod & vos huius sitis remissionis participes, & in hoc deuotio vestra pleniùs elucescat: ad quòd etiam laudabiliùs exequendum, vobis vnum de frat. Militiæ Templi, alterum verò de frat. Hierosol. Hospitalis, viros honestos, & prouidos assumatis. Dat. Reat. XVIII. Kal. Septemb. (In eundem modum scriptum est Lugdunensi, & Viennensi Archiepiscopis, Abbatibus quoque, Prioribus, & alijs Ecclesiarum Prælatis, Comitibus, & Baronibus, & vniuerso populo in vtraque prouincia constitutis. In eundem modum vniuersis de Regno Franciæ, Angliæ, Vngariæ, & Siciliæ.)

N O T Æ.

a N*Arbonensi.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc titulo cap* 2. & in epistolis Innocentij III. editis à Sirleto, *fol.* 163. ex quo regestro restituo literam huius textus.

COMMENTARIVM.

2 CVm iure naturali, & diuino vsuræ prohibitæ sint, ideò Iudæi tantùm legem Moysi datam obseruantes, non possunt à Christianis vsuras exigere; & si exegerint, cogendi sunt eas restituere à iudice ecclesiastico per subtractionem communionis Ecclesiæ, seu à Principibus sęcularibus per pœnas corporales, vt in præsenti textu statuitur, & *in c. quanto, infrà hoc tit.* docent Ricciulus *lib.* 2. *de iure person. c.* 19. Barthius *lib* 5. *aduers. c.* 3. Auendaño *de censibus, c.* 21. *num.* 11. Petrus Gregorius *lib.* 2. *de vsur. c.* 5. Fachineus *lib.* 2. *controu. c.* 48. Morla *in empor. iur. tit.* 8. *quæst.* 25. Simon Maiolus *dier. canicul. colloq.* 1. *de perfid. Iudæorum*, Binsfeld. *in præsenti*: nam licèt de animabus eorum curandum non sit, quia de his qui foris sunt, quid ad nos? vt ait Apostolus 1. *ad Corinth. cap.* 1. & constat *ex cap. multi* 2. *quæst.* 1. *cap. gaudemus, de diuortijs*; tamen iudices ecclesiastici, quando Iudæi peccant contra ius naturale, emungendo Christianos vsque ad sanguinem, & occasione substantiarum, per vsurarum voraginem eos in egestatem detrudendo, poterunt ipsos Iudæos debitis pœnis afficere, vt probant Petrus Gregor. & Maiolus *suprà*, Eymericus 2. *part. direct. Inquisit. quæst.* 46. Tiraq. *de primog. quæst.* 66. *num.* 20. Et licèt in præsenti coercitionem per iudicem sæcularem fieri debere doceatur; in his tamen verbis continetur quasi quædam comminatio, & brachij sæcularis imploratio, alioquin delicta mixti fori (vt est vsura) à Iudæis perpetrata, puniri possunt non solùm à Iudice sæculari, verùm & ab ecclesiastico, vt probant Farinac. *in praxi, seu fragment. crimin. verbo Iudæus, num.* 663. Ricciulus *de iure person. extra gremium, lib.* 2. *cap.* 52. *n.* 6. Carena *de officio Inquisit.* 2. *part. tit.* 14. *§.* 2. qui alios dat. Nec contrarium probat textus *in cap. quantò, hoc tit.* in illis verbis: *Graues, immoderatasue:* in quibus permitti videtur Iudæis vsurarum exercitium, dum tantùm illis prohibetur graues, immoderatasue exigere. Nam omissa solutione Glossæ ibi, dum ait illa verba referenda esse ad vsuras, quæ excedunt legitimum modum, cùm certum sit, iure canonico attento, vsuras etiam in parua quantitate prohibitas esse, veriùs respondendum est, in specie illius textus non posse sumi argumentum à contrario sensu, quia resultat absonus intellectus, & contrarium iure diuino naturali, & positiuo reperitur expressum, argumento legis *conuenticula*, *Cod. de Episc.* *& cle-*

& clerie.l.5.ff.de offic.eius: illa namque verba, *graues, immoderatasue*, referenda sunt ad quascunque vsuras, quæ immoderatæ, & graues, atque prauæ censentur, vt probant Hostiens. & Ioannes Andreas *ibi*. Exemplum est in vsuris apud Romanos probatis, & permissis, quas maximas, & graues appellant Iureconsulti *in l.non existimo 54. ff.de administr.tutor.l.qui sine 38.ff de negot.gest.* Difficilior profectò est lex 22.*tit.*12 *part.*5. vbi expressè permittitur Iudęis vsuras exercere. Cuius textus difficultatem prętер Gregorium *ibi*, Neothericos Iuris nostri Hispani interpretes, eius grauitate deterriti consultò pręteremisisse existimo. Gregorius in eius textus glossa 5. ait, tempore illius legis ex generali consuetudine, permissione, & dispensatione Summi Pontificis, concessione Principum temporalium, ob bonum publicum, vel aliquam iustam causam permissum fuisse Iudæis in hoc Regno vsurarum exercitium. Quæ solutio nullo modo valet sustineri, quia nec Summus Pontifex potest id permittere Iudæis, ita vt ex eius priuilegio tale exercitium vsurarum licitum sit, vt probaui *in cap.4.hoc tit.* præsertim cùm nec Infideli occasio peccandi sit danda, vt patet *ex c.12. lib. 2. Regum*, & notarunt Conradus *de contract.q.25.cum tribus sequent*. Azeuedo *in l.5.tit.6.lib.8.Recopil. num* 51. Couar. *lib.3.var.c.3.n* 8. Qua solutione omissa veriùs dicendum credo, Alfonsum *in d.l.22. partitæ*, sequutum fuisse opinionem antiquorum, qui censuerunt, Principes sæculares posse concedere Iudæis exercitium vsurarum, negareque creditoribus Christianis ius repetendi vsuras ab eis, vt docuerunt Paulus Castrensis *lib.2.consil.295*. Alexander *lib.5.cons.57*. Sed cùm hęc sententia iniusta esset, iurique diuino, ac naturali contraria, ideò prædicta lex 22. nunquam fuit in Hispania recepta, immò potiùs priuilegium ibi concessum Iudæis ad exercendas vsuras, penitus reuocatum fuit à Regibus nostris *in l.3 tit.2. lib. 8. ordin.l.1.tit.6.lib.8.recopil.* vbi notauit Azeuedo. Nisi malis dicere, dictę legis 22. verba esse enunciatiua, aliamque esse legislatoris intentionem, aduersùs quem videlicet debeat dari actio mandati, quando mandatum celebratur gratia mandantis, & mandatarij; & sic principaliter non agi in eo textu de exercitio vsurarum permisso, vel non Iudæis, argumento textus *in l. ex facto 59. ff. de hæredib.instit. Clement.vnica, de prob.*

CAPVT XIII.

Idem a *Mutin. Episcopo*.

TVas dudum ex parte tua recepimus quæstiones, quod quidam vsurarij tuæ diœceseos, quibus dant pecuniam ad vsuram, præstare faciunt iuramentum, quòd vsuras non repetant, & super his, quas soluerint, nullam moueant quæstionem. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus, vt vsurarios ipsos monitione præmissa per censuras ecclesiasticas appellatione remota compellas ante vsurarum solutionem ab earum exactione desistere, vel restituere ipsas postquam fuerint persolutæ, ne de dolo, & fraude sua contingat eos commodum reportare, qui ad hoc præstari faciunt iuramentum, quod super vsuras non valeant molestari.

NOTÆ.

a MVtinensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. De Mutinensi Ecclesia egi *in cap. 12. de tempor. ordin.* & commentarium huius textus dedi *in cap. 1. cap. debitores, de iureiur.*

CAPVT XIV.

a Idem.

QVia frustra legis auxilium inuocat, qui committit in legem, statuimus vt si quis vsurarius à nobis literas impetrauerit super restituendis vsuris, vel fructibus computandis in sortem, nisi priùs ipse restituerit vsuras, quas ab alijs noscitur recepisse, auctoritate literarum ipsarum nullatenus audiatur.

NOTÆ.

a IDem.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit.cap.*3. Et cùm præsens constitutio sit generalis ab Innoc III. facta motu proprio, non ad alicuius casus decisionem, aut consultationem, non exprimitur cui dirigatur. Statuit autem Innocentius in præsenti, quod vsurarius, qui vsuras accepit, & etiam alijs ipse persoluit, si intendat repetere, quas persoluit, non priùs audiatur, quàm ipse restituat quas accepit: atque idem etiam obseruetur, si fructus pignoris acceperit; nisi enim eos sorti imputauerit, arcetur à repetitione vsurarum. Quòd etiam obseruandum esse cum filijs, & hæredibus vsurarij cautum fuit *in cap. Michael, hoc tit.* Rationem huius constitutionis assignat Innocentius in illis verbis: *Quia frustra auxilium legis inuocat, qui committit in legem: l.auxilium 37.ff.de minor.l.isti 8.ff.de eo quod metus causa, l.scimus, §.si verò, ff de iure delib.cap.constitutus, de appellat.* Et æquum est, vt quod iuris in alium quis postulat, ipse sibi priùs dicat, *l. 1. ff. quod quisque iur.* Vnde si vsurarius intendit vsuras à se solutas repetere à Seio, priùs debet ipse restituere, quas accepit à Titio. Quę constitutio illustrari potest *ex l.in arenam, C.de inoffic.testam.* vbi pater arenarius non potest filium arenarium exhæredare, quia alteri non potest opponere vitium, quo ipse laborat, *ex cap.cùm Apostolicæ, de except.* vbi cùm opponeretur agenti ad possessionem præbendæ exceptio pluralitatis beneficiorum ab eo, qui plura beneficia obtinebat, respondit Pontifex, non esse talem exceptionem admittendam; siquidem opponens simili morbo laborabat: notauit Balboa *in cap.2 de excep.num* 122. Si quis tamen alieno nomine, vt pupilli, aut Ecclesiæ, seu vniuersitatis, vsuras solutas restitui petat, non potest hac exceptione repelli, quòd ipse vsuras exegisset, nec adhuc restituisset; nam tunc non repelleretur ille à iudicio, sed ille, cuius nomine agebat, vt docuerunt Panormit. *in c. Michael, hoc tit.num.*3 Molina *tract.2.de iust.disp.*334. Gibalinus *lib.1.de vsur. cap.11. art.2. num.*8.

CAPVT XV.

Idem a *Altissiodorensi Episcopo*.

CVm in diœcesi tua sint quamplurimi vsurarij, de quibus minimè dubitatur, quin sint vsurarij *b* manifesti, contra quos propter timorem Principum, & Potestatum, qui tuentur eosdem, nullus apparet *c* accusator, si ijdem sunt per sententiam condemnati, qualiter procedere valeas contra ipsos, oraculum duxisti Sedis Ap. requirendum. Nos autem f. t. t. respondemus, quòd licèt contra eos non appareat accusator, si tamen alijs argumentis illos constiterit esse vsurarios manifestos, in eos pœnam in *d* Lateranensi contra vsurarios edictam Concilio, liberè poteris exercere.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

a *Altissiod.*] Ità etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* De Altissiodorensi diœcesi egi *in cap. 14. de præsumpt.*

b *Manifesti.*] Quinam illi dicantur, exposui *in cap. 3. hoc tit.*

c *Accusator.*] Iuxta tradita *in c. euidentia, de accusat.* vbi commentarium huius textus dedi.

d *Lateran.*] Relato *in cap. 3. hoc tit.*

CAPVT XVI.

Idem *Electo V. de* a *Octonen.*

SAlubriter. *Et infrà:* Sanè generum ad fructus possessionum, quæ sibi sunt à socero pro numerata dote *b* pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cùm frequenter dotis *c* fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda.

NOTÆ.

a *Octonen.*] Ità legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & cùm præsens epistola non reperiatur inter epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto, cognosci non potest, de quo Episcopo tantùm electo in præsenti agatur.

b *Pignori.*] Etsi fideiussor pro dote dari nequeat, pignus tamen ad eius securitatem constitui valet, vt probaui *in c. 6. de pignor.*

1 c *Dotis fructus.*] Quos ex rebus dotalibus perceptos constante matrimonio maritus suos facit ratione dominij, quod in dote habet, & pro subleuandis oneribus matrimonij, *l. dotis 7. l. plerumque 10. §. sed fœtus 3. l. cùm in fundo 78. ff. de iure dot. l. pro oneribus 20. l. fin. §. præterea 2. Cod. eod. tit. l. fructus 7. l. si fundus 8. l. in insulam 42. §. fructus, l. vsufructu 57. l. fin. ff. solut. matrim. l. vnica, §. cumque 9. Cod. de rei vxor. actione, l. 26. cum sequent. tit. 11. partit. 4.* Desideratur tamen, vt res dotalis marito tradita sit, aliàs si tantùm promissa fuerit, fructus non lucratur, *l. de diuisione 5. ff. solut. matrim.* Item requiritur vt matrimonium sequutum sit, nec præcedens dotis traditio sufficit, *d. l. dotis 7. §. fin. cum l. sequenti, ff. de iur. dot. l. si ante 6. ff. solut. matrim. l. 1. §. & primum secundo, cum §. sequenti, ff. pro dote.* Quare fructus percepti anteà non cedunt lucro mariti, sed augent dotem ipsam, *l. videamus 38. §. ante 12. ff. de vsur.* Præcipuè etiam desideratur, quòd maritus sustineat onera matrimonij, & proprijs sumptibus alat vxorem, *l. in insulam, §. vsuras 3. ff. solut. matrim. iuncta l. si quis 21. §. vlt. ff. de donat. inter, l. fin. in princip. ff. de doli except.* Ideòque si vsuræ dotis à socero promissæ sint genero, quamdiù dos ei soluatur, & mulierem non aluerit vir, sed socer, improbè ab eo vsuras petit, *l. cùm post 69. §. in domum 3. ff. de iure dot.* quia fructus, & vsuræ, quæ pro fructibus promittuntur, cedunt pro oneribus *matrimonij, l. si maritus 46. ff. famil. ercisc. l. dotis 7. d. l. pro oneribus 20.* docent Donel. *lib. 14. comment. cap. 7.* vbi Osualdus, Treutlerus *vol. 2. select. disp. 7. thesi 9.* Cuiac. *ad tit. C. de iure dot. in princip.* & *in l. vnic. §. cumque, C. de rei vxor.* Campegius *de dote, 2. part. quæst. 12.* Constantius Rogerus *eod. tract. quæst. 16.* Franc Hothom. *in disp. de dotibus*, Paul. *post medium*, Fontanel. *de pact. nupt. clausul. 6. glos. 2. per tot.* P. Barbosa *in d. l. de diuisione 5.* Galbanus *de vsufruct. cap. 22.* quomodo autem fructus pendentes soluto matrimonio diuidantur, exponunt Osualdus *in d. c. 7. Donelli lit. E*, Escobar *to. 2. de ratiocin. comp. 19.* Aluarus Valascus *in praxi partit. c. 29.* Benedictus Pinel. *lib. 5. select. cap. 2.*

COMMENTARIVM.

2 CVm certum sit, creditorem teneri imputare in sortem principalem fructus perceptos ex re sibi pignori data, vt probaui *in cap. cùm contra, de pignor.* difficilis meritò visa est Doctoribus tam Iurisperitis, quàm Theologis præsens decisio, dum in ea Innocent. III. docet, maritum non teneri imputare in dotem fructus perceptos ex pignore pro dotis securitate à socero datos: quare varias huic decisioni assignarunt interpretationes Gomez *in l. 50. Tauri, num. 30.* Castillo *3. controu. c. 23.* Valascus *consult. 8 per tot.* Canisius *de vsur. cap. 6. num 6.* alij congesti à Barbosa *in præsenti:* quibus addendi sunt Cyriacus *lib. 1. controu. 8c.* Leothard. *de vsur cap. 28 per tot.* Fontanel. *de pact. nupt. clauf. 6 glos. 2. part. 6.* Hermosilla *in l. 10. tit. 1. p. 5 gloss. 2. n. 149.* Giurba *decis. 72.* Guttierez *de delict. q. 91.* Acosta *de priuileg. credit. regul. 3 limit. 2. per tot.* Carleual. *lib. 1. de iudicijs, tit. 3. disp. 8 num. 20.* Giballinus *de vsur. lib. 4. cap. 5. art. 15. consect. 6.* Pluribus placuit præsentem textum procedere fauore matrimonij: quæ doctrina nullo modo defendi potest; tum quia contractus, de quo in præsenti, non est vsurarius, vt infrà dicemus: tum etiam, quia vsura propter nullam causam piam, & fauorabilem exerceri potest, *cap. super eo 4. hoc tit.* Fortunius Garcia *de vltimo fine, illat. 6* textum hunc sic accipit, dum ait, præsentem textum procedere ratione tacitæ donationis, quam fecit socer genero fructuum pignoris pro dotis securitate traditi. Quæ præsumptio donationis nascitur ex eo, quòd pater tenetur filiæ dotem dare, aut alimenta præstare, *l. fin. Cod. de dotis promiss. l. qui liberos 30. ff. de ritu nupt.* Verùm hæc interpretatio minimè sustineri valet: tum quia Innocent. III. cùm interrogatus fuisset de iure, nihil respondit de donatione; sed quid iuris ratio in præsenti casu dictabat: tum etiam, quia si vera esset dicta sententia, sequeretur inde, fructus pignoris interesse dotis excedentes, ab ipso genero in sortem computandos esse. Alijs communiter placuit, in præsenti casu generum fructus lucrari vi tacitæ conuentionis, in compensationem damni emergentis, ex eo quia interim dum sibi dos non soluitur, ex proprio patrimonio sustinet onera matrimonij, quæ ex dote, vel dotis fructibus sustinere debebat: & consequenter recipit pignoris fructus in compensationem lucri cessantis; siquidem si statim cùm promissa fuit dos, sibi solueretur, posset maritus cum ea negotiari, & ex tali negotiatione lucrum sufficiens acquirere ad sustentanda onerà matrimonij. Ita docuerunt Alexander *in l. in insulam, §. vsuras, n. 3. ff. solut. matrim.* & *consil. 27.* Tiraq. *de vtroq. retract. tit. 1. glos. 18. num. 71.* Plotus *de in litem iur. §. 11. n. 29.* alij congesti à Cenedo *collect. 14. ad Decretal.* Couarr. *3. var. cap. 5. num. 3.* Fontanella *de pact. nupt. clausul. 6. glos. 2. part. 6.* Farinac. *in report. posthum. de contract. quæst. 34.* Noguerol *alleg. 17.* Castillo *de aliment. cap 49. 50. & 51.* Sed hæc interpretatio facilè conuincitur, quoniam ad hoc vt debeatur interesse lucri cessantis, vel damni emergentis, requiritur, quòd præcedat culpa, vel mora debitoris, aut pactio inter eum, & creditorem, vt *in l. 2. §. fin. ff. de eo quod certo loco, cap. 2. de offic. ordin. in 6. c. dilecti, de foro compet.* & post alios docent Arauio *in qq. moral. disp. 1. de statu ciuili, quæst. 1.* quin immò & requiritur probatio talis damni emergentis, vel lucri cessantis, vt post antiquiores docuerunt Andreas Gaillus *l. 2. obs. c. 6.* Canisius *de vsur. c. 5.* quę omnia deficiunt in præsenti casu, siquidem nulla pactione præcedente, aut probatione oblata damni emergentis, asserit Pontifex generum lucrari fructus pignoris pro dotis securitate constituti. Tandem alij docuerunt, in præsenti casu maritum fructus percipiendo vsuras non committere, quia in hoc casu nullum interuenit mutuum, nec formale, vel expressum, nec fictum, aut palliatum: quibus mutui speciebus non interuenientibus committi non potest vsura. Verùm hæc interpretatio etiam conuincitur; nam potiùs in præsenti casu præsumitur, fide habita de dote mutuum contrahi, aliàs quo iure maritus posset percipere fructus pignoris, nisi præsumendo per fictionem breuis manus dotem marito solutam fuisse, & eam statim sub pignoribus mutuasse.

Quare his, & alijs sententijs omissis, vt veram præsentis textus rationem assignemus, præmittendum est, 3 maritum, cui dos promissa non soluitur, non teneri sustinere onera matrimonij; immò patrem, seu extraneum dotem promittentem marito teneri, dum dos non soluitur, onera matrimonij supportare, *l. si is quem 54. §. 1. ff. de*

ff. de iure dot. l. si filiatio 20. §. 1. *l. si maritus* 47. *ff. famil. ercisc.* probant Felicianus *de censibus lib. 2. c. 5.* Petr. Barb. *in rubric. solut. matrim. par. 1. à n. 68.* Arias de Mesa *lib. 3. var. cap. 46. num.* 20. Deinde præmittendum est, quòd si ab initio, cùm de dotis constitutione agitur, conuentum sit inter maritum & dotem constituentem, vt dos intra mensem, vel annum soluatur, pignoribus datis, etsi interim sustineat onera matrimonij, non tamen ideò potest fructus pignoris lucrari, aut vsuras dotis petere, nisi pactum intercesserit, vt interim, dum dos non soluitur, aliquid interessis nomine soluatur: quod pactum latè probant, & defendunt Sesse *tom. 1. decis. 68 per tot.* Gibal. *lib 4. de vsur. cap. 5. art. 55. consect. 3 per tot.* In præsenti autem textu dos de præsenti constituta fuit nulla temporis dilatione data patri ad eius solutionem. Quibus præmissis, apparet vera ratio, quare in præsenti maritus fructus pignoris percipere possit, nec teneatur eos in dotem imputare, quia videlicet eos recipit non ratione mutui, nec dilatæ solutionis, sed ex ea causa, quia scilicet vxorē aluit, & cætera omnia sustinuit absque dote, quæ sustinere debebat socer. Quare quid mirum si gener ex rebus soceri, videlicet ex fructibus pignorum, onera matrimonij sustinuit, quæ pater sustinere debebat; ideò non tenetur similes fructus imputare in sortem principalem. Ita docuerunt Felicianus *de censibus to. 1. lib. 2. c. 5. n. 29.* Gaspar Rodriguez *de annuis reddit. lib. 3. q. 7. à n. 41.* Arias de Mesa *d. lib. 3. var. c. 46. n. 20.* Tota ergo ratio, quare in præsenti casu tutè, & rectè maritus lucratur fructus pignorum, consistit in eo, quia sustinet onera matrimonij, quę socer sustinere debebat. Vnde dubitatur, an cessionarius mariti possit etiam fructus ipsos lucrari, nec imputare teneatur in sortem principalem. Et etiam in cessionarium hoc priuilegium transire docuerunt Rodriguez *vbi suprà, n.* 99. Felicianus *d. lib 2 c. 5.* Sesse *d. decis 68. n. 23.* Amatus *resol. 49. n. 83.* Sed rectiùs contrarium docuerunt Valascus *to. 1. consult. 8. n. 6.* Guzman *de euict. q. 10. n. 46.* Cancerius *par. 1. var. cap. 3. n. 61.* Gibalin. *d. art. 55. consect. 9.* Olea *de cess. iur. tit 6 q 2. n. 43.* Leothard. *de vsur. q. 29.* quia cùm hoc priuilegium marito concedatur, quia sustinet onera matrimonij, & hæc qualitas desit in eius cessionario, cessare debet priuilegium, *l. cùm patronus 29. ff. de legat. 2. l. quia talis ff. solut. matrim.* pluribus exornat Larrea *decis. 35. à n. 20.* Et hac etiam interpretatione admissa varias huius textus ampliationes adducunt circa dotem pro moniali promissam, nec solutam; & circa viduam, cui dos restituta non est debito tempore ab hæredibus mariti: quem casum amplectitur Noguerol *d. alleg. 17.* sed non audet admittere Tapia 2. *tom catenæ mar. lib. 5. q. 17. art. 10.* quos, & alios casus examinant, & exponunt Olea Gibalinus & Sesse *vbi suprà*, Leothard. *d. quæst.* 20.

C A P V T XVII.

Idem *Episcopo* a *Bononien.*

MIchaël laicus suam nobis querimoniam destinauit, quod N. & quidam alij Bon. ciues multa extorserunt ab eodem, & à patre suo, cuius hæres existit, nomine vsurarum. *Et infra*: Attentiùs prouisurus, ne auctoritate nostra in negotio eodem procedas, nisi dictus conquerens restituerit, vel adhuc restituat, si quas aliquando ipse, vel pater eius extorsit vsuras.

N O T Æ.

a BOnoniensi.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 2.* De Bononiensi Ecclesia egi *in cap. 17. de foro competent.* & textum hunc exposui suprà *in cap. quia frustra.*

C A P V T XVIII.

Idem *in Concilio* a *generali.*

QVantò amplius Christiana religio ab exactione compellitur vsurarum, tantò grauiùs super his Iudæorum perfidia insolescit, ita quòd breui tempore Christianorum exhaurientur *b* facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne tenaciter aggrauentur, synodali decreto statuimus, vt si de cætero quoquam prætextu Iudæi à Christianis *c* graues, & immoderatas vsuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato grauamine satisfecerint competenter. Vnde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compellantur ab eorum commercijs abstinere. Præcipimus autem, & iniungimus, vt propter hoc non sint *d* Christianis infesti, sed potiùs à tanto grauamine studeant prohibere Iudæos: ac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos ad satisfaciendum Ecclesiis *e* pro decimis, & *f* oblationibus debitis, quæ Christiani de domibus alijs percipere consueuerint antequam ad Iudæos quoquo titulo deuenissent, vt sic Ecclesiæ conseruentur indemnes.

N O T Æ.

1 a GEnerali.] Lateranensi videlicet celebrato sub Innoc. III. vbi *cap. 67.* reperitur textus hic, & in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* de quo Concilio nonnulla notaui *in cap. 2. de summa Trinit.*

b *Facultates.*] Vt varijs exemplis, & rationibus probat Maiolus *dier. canicul. colloq. 1. de perfid. Iudæorum.*

c *Graues, immoderatasue.*] Hæc verba exposui *in cap. post 12. hoc tit.*

2 d *Abstinere.*] Et ita excommunicatio hæc non in ipsos Iudęos, sed potiùs in Christianos cum eis communicantes imponitur, iuxta tradita *in cap. 2. de Iudæis.*

e *Decimis.*] Hanc partem de decimis prædialibus soluendis à Iudæis exposui *in c. de terris, de decimis.*

f *Oblationibus.*] Quas ex præcepto Catholici plerumque facere tenentur, vt probaui *in can. 28. Concilij Illiber.* Vnde cùm ratione prædij, vel domus Christiani oblationes faciunt pro alimonia parochi, etiam Iudæi in eis domibus commorantes, tanquam ad debitum reale tenentur oblationes facere, iuxta tradita *in d. c. de terris.* 3

C A P V T XIX.

Gregorius IX. a *Fratri R.*

NAuiganti, vel eunti ad *b* nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quòd suscepit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius non est censendus. *c* Ille quo-

Digitized by Google

quoque qui dat x. solidos, vt alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur, quæ licèt tunc plus valeant, vtrùm plus, vel minùs solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc vsurarius reputari. Ratione *d* huius dubij etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum & alias merces vendit, vt ampliùs, quàm tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem: si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus.

N O T Æ.

a F*Ratri R.*] Ita legitur in hac sexta collectione; & cùm Regestro epistolarum Gregor. IX. careamus, agnoscere non possumus, cui fratri R. in præsenti rescribatur.

1 b *Nundinas.*] Nundinæ, quasi Nouendinæ, à nono die dictæ sunt, eo quòd nonis quibusque diebus plebs in vrbem conueniret emendi, vendendique causa. Columella *lib. 1. de re rustic.* Macrobius *lib. 1. saturn cap. 16.* Illustrat earum originem repetens Gibalinus *de negot. to. 1. lib. 2. cap. 3. art. 2.* Nundinæ ergo sunt publici mercatus, quorum libertas in eo cernitur, tum ne conueniantur nundinatores alicuius debiti causa, *l. vnic. C. de nund.* tum ne vectigalibus onerentur, *l. 1. C. de veteranis, nouel. Valentin. & Marc. de filiquar. exact.* Nundinas aliquo in loco ponere sine Principis, vel Senatus auctoritate iure ciuili non licebat, *l. 1. ff. de nundinis:* & à Senatu hoc ius plerumque impetrari, testis est Plinius *in epist. ad Valerianum, lib. 5. epist. 4. Solers vir Prætorius à Senatu petijt, vt sibi instituere in agris suis nundinas permitteretur.* Atque ita Claudium Imperatorem, etsi legibus solutum, ius nundinarum in sua prædia à Consulibus petijsse, refert Tranquil. *in Claudio, cap. 12. Ius nundinarum in priuata prædia à Consulibus petijt.* Probat Altesserra *de Ducibus lib. 2. c. 14.* & de nundinarum vsu agunt Petrus Gregor. *lib. 25. syntagm. c. 3.* Alciatus *lib. 4. disp. cap. 8.* Osualdus *lib. 17. Donel. cap. 14. littera L,* & *lib. 24. c. 7. littera Z,* Æneas Robertus *lib. 2. rerum iudic. cap. 16.* Narbona *in l. 10. tit. 20. lib. 3. recopil. glos. 1. & 2.* Castillo *de tertijs, cap. 41. num 96.* Scaccia *de commercijs, §. 2. glos. 4. per tot.* Camil. Borell. *de præstantia Regis cap. 46.* Petrus Barbosa *in l. hæres, ff. de iudicijs,* Gaito *de credit. tit. 7. c. 2. n. 2181.* Molfes. *de contract. tract. 12. cap. 7. respons. 7.* alij congesti à Barbosa *ad tit. C. de nundin.* Quid autem per ea verba, *nundinas, idest epulas,* velit Vlpianus *in l. cùm societas 69. ff. pro socio,* exponunt Gutherus *de offic. domus August. lib. 1. cap. 13.* Forner. *lib. 13. rer. quotid. c. 28.* Vuisembechius *disp. 4. de V. S.* & *disp. 38.* Desiderius Heraldus *lib. vnic. emend. cap. 4.* Salmasius *ad ius Atticum, c. 5.* Valeron *in animaduers. iur. cap. 8.*

2 c *Ille quoque.*] In hoc versiculo definitur alius casus diuersus à priore, videlicet, vtrùm vsuram committat, qui anticipata solutione emit merces minori pretio, quàm futurò tempore sunt valituræ. Circa quod dubiũ tres casus sunt distinguendi. Primus est, cùm emo à te triticum colligendum mense futuro Augusto, pretio duodecim regalium propter anticipatam solutionem; quod pretium est minus iusto, quo tunc æstimatur triticum. Secundus est, cùm triticum emitur eo pretio, quo tunc valiturum est pretio anticipato pro necessaria venditione. Tertius est, cùm emo à te triticum colligendum mense Augusto pretio 12. drachmarum, cùm dubium est, an triticum eo mense plus, vel minùs valiturum sit. Et primo casu certum est, vsuram committi, cùm ob mutuum palliatum ex anticipata solutione emptor lucrum consequatur. Secundo verò casu etiam patet vsuram non committi, cùm pretij anticipatio tantùm inducat necessitatem vendendi triticum mense Augusto pretio currenti. Tertio casu similiter vsura non committitur, ex præsenti textu, & traditis suprà *in cap. in ciuitate.* Nam etsi taxetur pretium ob anticipatam solutionem, tamen cùm dubium est, an plus, minusue triticum valiturum sit, æqualis conditio est, tam emptoris, quàm venditoris, vt dixi *in cap. in ciuitate,* & probat Arauio *in qq. moral. disp. 1. de statu ciuili, q. 1. dub. 2.*

d *Ratione huius dubij.*] Tertiam hanc partem præsentis textus exposui suprà *in cap. in ciuitate, hoc tit.*

C O M M E N T A R I V M.

3 Conclusio tradita, & probatur. E X hoc textu communiter sequens deducitur assertio: *Vsurarius censendus est, qui à debitore recipit aliquid vltra sortem principalem, etiamsi suscipiat in se periculum.* Non est alia iuris decisio, qua probari possit præsens assertio; eam tamen illustrant Lupus, Canisius, & Binsfeldius in commentario ad hunc textum, Arauio *in qq. moral. disp. de statu ciuili, quæst. 1.* Petrus Gregor. *lib. 3. partit. tit. 5. cap. 32.* & *de vsur. lib. 2. cap. 5. num 7.* Molina *tract. 2. de iust. disp. 318.* Lessius *lib. 2. eod. tract. cap. 20. num. 116.* Canisius *de vsur. cap. 4. n. 2.* Guibert. Costan. *qq. iur. c. 1. num. 12.* pluribus relatis Leothardus *de vsur. q. 23. per tot.* Gibalinus *eod. tract. lib. 4. c. 4. art 3. per tot.* Prado *tom. 2. Theol. mor. cap. 27. q. 3. §. 2.*

4 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. In præsenti casu periculi susceptio pretium, & æstimationem recipit, *l. 5 ff. de nautico fœnore.* Vnde quia contra naturam contractus creditor in pecunia traiectitia periculum suscipit, receptum fuit iure ciuili nauticum fœnus, vt constat *ex l. 1. l. in nautico, l. nihil, l. periculi, eod. tit. l. eos, Cod. de vsur.* Harmenopulus *lib. 3. prompt. tit. 7. l. qui Romæ 122. §. 1. ff. de V. O.* notarunt Sarmientus *lib. 7. select. cap. 2. n. 6.* Padilla *in l. 2. n. 25. Cod. de rescind.* Couarr. *lib. 3. var. cap. 2. num. 5.* Qua ratione etiam docetur *in l. ex hoc iure, §. Labeo, ff. de donat.* & *in l. si remunerandi, §. magnus, ff. mandati,* licere fideiussori pretium accipere pro periculo, cui se exponit, soluendi pro reo principali. Igitur qui periculum suscipit in pecunia mutuo data traiectitia, aliquid recipere valet. Augetur hęc dubitandi ratio ex eo, nam contractus assecurationis, in quo quis suscipit in se periculum mercis, pecuniæ, vel aliarum rerum, quæ de loco ad locum mari, vel terra vehuntur, & transportantur, taliter vt pro iusta mercede, si quælibet rȩs pereat, ad eius æstimationem teneatur, ratione suscepti periculi omni iure licitus est, *l. in nauem, ff. locati:* quia continet rationem vtilitatis, & iustitiæ commutatiuæ. Igitur creditor, qui mutuam pecuniam dedit, & eius periculum in se suscepit, iustè pro eo pretium accipit.

5 De nautico fœnore. Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio; pro cuius expositione scire oportet, fœnus nauticum, quod etiam maritimum appellatur *in l. 6. ff. de nautico fœnore,* percipi ex pecunia traiectitia, quæ merè traiecturo datur ea conditione, vt salua naui appulsa, restituatur vnà cum grandi fœnore; naui verò pereunte, naufragio facto, tum sors, tùm lucrum, & omnis vsura creditori periret: atque ita cùm in communi fœnore sors debitoris periculo sit, in maritimo periculo creditoris existit. Pecunia hæc traiectitia dicitur forensi consuetudine, quia quæcunque pecunia trans mare exportatur, traijci dicitur *in l. 3. ff. ad leg. Iul. pecul. l. tutores 39. §. patruus, ff. de administr. tut.* & fœnus hoc iam olim à Græcis cognitum ab eis ad Romanos deriuatum fuisse, ex Polluce, Demosthene, & Laertio probat Gibalin. *de vsur. lib. 2. cap. 4. art. 3.* Traiectitia hæc pecunia dabatur periculo creditoris duobus modis, nempe vel in totum nauigationis tempus, vel in certam tantùm diem, qua elapsa periculum ampliùs non spectabat ad creditorem, & nauticæ vsuræ cessabant, ac communes currere incipiebant, *l. 4. & 6. ff. de nautico fœnore, l. 7. C. eod. tit.* Quare in cautione exprimebatur numerus dierum, quorum periculum subire vellet creditor, quibus elapsis, licèt nauigatio nondum finita fuisset, ipse ampliùs periculum non subiret. Exemplum extat *in l. qui Romæ 122. §. Callimachus, ff. de V. O.* quam perdoctè explicant Samuel Petitus *ad ius Atticum fol. 409.* D. Ioannes Ramos *in analect. ad l. deprecatio, ff. ad leg. Rhodiam,* Gibalinus *vbi suprà.* Periculum autem hoc, quod contra rationem subibat creditor, respiciebat tantùm naufragium: quare fœnus hoc plerunque exercebant ipsi nauicularij, & nauium exercitores, vt constat *ex d. l. 6. ff. de nautico fœnore, l. vlt. ff. nautæ, caupones:* nam si à piraticis, aut hostibus, incendioue damnum accideret, nisi expresse de eo conuentum fuisset, ad debitorem periculum pertinebat, vt etiam si ex iactura communi vectorum consensu facta obueniret; & denique si quid damni debitor sua culpa sibi accersiuisset, veluti si illicitas merces exportaret, quas fiscus pro iure suo occuparet, *l. 3. ff. de nautico fœnore, l.*

re, l.11. § Dominus, ff. de publicanis. Tandem genus hoc fœnoris nautici suas peculiares leges habebat. Prima, vt naui salua appulsa, cessanteque periculo, vsuræ nauticæ quiescerent, & communes tantum currerent, *l.6. & fin. ff. de nautico fœnore, l.1. C eod. tit.* Secunda, vt liceret debitori mittere seruum, qui comitaretur pecuniam, eamque peteret eo die, quo debitor se soluturum promiserat, *d. §. Callimachus, l. traiectitiæ, ff. de O. & A. l.4. ff. de naut. fœnor.* Illustrat Gibal. *d. art.* 3. Tertia, & specialior lex huius fœnoris erat, vt solo nudo pacto promissum absque stipulatione ciuiliter deberetur, *l. in quibusdam, ff. de nautico fœnore*, propter periculi susceptionem, vt probant plures, quos refert, & sequitur Stracca *de assecurat. num.* 24.

6 *De vsuris nauticis, & earum iniustitia.* Deinde sciendum est, vsuras nautici fœnoris non semper easdem fuisse, immò pro diuersitate nauigationum, & magnitudine periculorum, pro temporis tempestate, in qua suscipiebantur, variæ erant, vt probat Salmasius *de modo vsurarum c.5.* & ideò ait Paulus *lib. 2. sentent. tit. 4. Traiectitia pecunia propter periculum creditoris, quamdiù nauigat nauis, infinitas vsuras capere potest.* Quæ verba ita exponit Anianus, *in quantas conuenerit, hanc pecuniam dare creditor potest.* Probant Duarenus *lib. 2. animadu. c.3.* Lupus *comment. 1. de vsur. §. 3. n.32.* Culac *in nouel. 106 Iustin.* Quare Iustinianus ne in infinitum excresceret vsura nautica, eam ad centesimam restrinxit *in l. eos 26. §. penult. Cod. de vsur.* in traiectitijs autem contractibus, vel specierum fœnori dationibus, vsque ad centesimam tantummodo statuit licere stipulari, neque eam excedere, licèt veteribus legibus hoc esset concessum: vnde *in l. nihil interest, §. 1 ff. de naut fœnore*, ea verba: *Ad finem centesimæ non vltra duplum debetur*; Triboniani esse respicientis ad dictam Iustiniani constitutionem, voluit Cuiacius *in notis ad Paulum vbi suprà*. Sed hæc emendatio illi posteà displicuit *lib. 5 obs. cap* 38 Othomano *lib. 5. obs. c.17* de cuius legis interpretatione videndi sunt Molineus *de vsur. q.4* Strac. *de assecuratione n.17.* Gibalinus *d. art.* 3. Posteà tamen Iustinianus maiorem vsuram permisit *in nouella* 106. quæ deinde abrogata fuit *in nouel.* 120. de quarum constitutionum sensu neruosè contendit Salmasius *c.9 de modo vsurarum*, cum Molineo *in qq. de vsuris legalibus, n.59* Sed perueniamus iam ad iniustitiã huius nautici fœnoris. Et quidem eius iniquitatem agnouerunt Plutarch. *in Catone Maiore*, & Menippus apud Laertium *in eius vita*. Primò enim iniustitia eius apparet, quia supponit vsuras communes, vltra quas pro periculi susceptione aliquid addebatur. Secundò quia cùm hæc quantitas taxata non esset, in immensum excrescebat. Deinde quia cùm periculum rarum esset, tamen fœnerator pro illo ad libitum vsuras exigebat. Deinde quia creditor vsuris communibus non contentus obstringebat ad vsuras has promittendas, & simul pœnam pro pecunia non soluta, *l. vlt. ff. de nautico fœnore*. Tandem quia cùm hi fœneratores nauim, & merces illi impositas obligatas pignori pro sorte sua, & vsuris haberent, ac proinde suæ securitati iam prouiderent, quo iure pro illo periculo tam amplas vsuras exigere poterant?

7 *Variæ præsentis textus interpretationes.* His suppositis, vt ad rationem præsentis constitutionis perueniamus, sciendum est, textum hunc variè à Doctoribus interpretari. Et primò Molineus *de vsur. quæst. 3. n.95.* asserit, Gregorium in præsenti non improbare nauticum fœnus, sed tantùm cùm vsuræ promittuntur pro periculo dubio, aut nullo, & ita suppositio, cuius prætextu fœneratores suam iniquitatem tegebant. Verùm hanc explicationem reijciunt Couar. *lib. 3. var. c. 2. n.5* Lupus *comment. 3. de vsur. num.1.* Stracca *de assecur. n.* 27 nam Gregorius expressè agit de eo, qui in se suscipit periculum nauigationis; & de eo, qui proficiscitur ad nundinas, vbi latronum periculum, & aliorum obuium est. Quare solet Princeps lege sua illuc conuenientibus securitatem præstare, *l.2. ff. de nundinis, l. vnic. C. eod. tit.* Aliter Hadrianus *in 4. tract. de vsur. c. Occurrunt*, exponit Gregorium, & ait, eum loqui de pretio iniusto, quod excedit æstimationem periculi suscepti. Verùm hæc sententia conuincitur à Couarr. Lupo, & Strac. *vbi suprà*, facilè ex illis verbis: *Aliquid vltra sortem*; in quibus de modicis vsuris agitur. Alij docuerunt, Gregorium in præsenti agere de eo fœneratore, qui cogit debitorem cõtractum illum assecurationis celebrare, quia aliter mutuaturus non erat, nisi suscipiendo periculum sortis, & ita ob illud immodicas vsuras exigendo. Ita Antoninus *2. part c.7. §. 21. tit. 7.* Conradus *de contract. quæst. 39. concl. 1.* Syluest. *verbo Vsura 1. §* 35. Caietanus *eod verbo, casu* 8. Nauarrus *in manuali, c.17. num.21.* Lupus *de vsur. comment. 3. §. 1. num* 3. Salas *eod. tract. dub.23 n 7.* Binsfeldius *in præsenti, quæst 1. concl.* 2. Palacios Rubios *in c. per vestras 5. notab 6. §. 9. n.12* Verùm facilè hæc opinio refellitur ex generalitate, qua vtitur Pontifex, nulla facta mentione talis necessitatis contractus assecurationis. Alij tandem censuerunt, in præsenti deesse negationem, legendumque esse, *vsurarius non est censendus*. Ita docuerunt Gudelinus *de iure nouissimo lib. 3 c. 3.* Ioannes Bernacius *lib. 2. de vtilit. legend hist. cap. 15* Narbona *in l. 15. gloss. 2 num 20. tit. 20. lib. 3. recopil.* Layman *lib. 3. summæ, tract. 4. c.16. num. 53* Castropalao *tract. 32. disp. 4. punct. 18.* Facbineus *lib. 2. controu. cap. 48.* Barbosa *in præsenti, n.2.* quos sequitur Gibalin. *lib. 2. de vsur. cap. 4. art. 3* perpensa, vi dictionis, *quoque*, qua vtitur Pontifex in secundo casu, vbi docet, vsuram non committi: & ita videtur in primo casu idem asseruisse, cùm dictio *quoque*, sit implicatiuà prioris casus, *l.3. §. 5. & §. in amittenda, ff. de acquir. possess. l. qui legatorum, § filium quoque, ff pro hærede.* Verùm cùm huic sententiæ repugnet omnium codicum fides, cùm in nullo negatiuè legatur, non ausim ita emendare Gregorium, præcipuè cùm eius sententia aliter explicari possit.

8 *Traditur vera interpretatio.* His ergo interpretationibus omissis, credo eam fuisse Gregorij IX. mentem in præsenti, vt cùm tempore mutui vsuræ promittuntur ob periculum pecuniæ traiectitiæ susceptum à fœneratore, contractus vsurarius censeatur, quia circumstantia illa periculi à creditore suscepti non impedit, quin stipulatio maioris quantitatis, quàm in mutuo numeratum est, fœneratitia sit, & fœnus contineat, quia in contractu mutui, de quo agimus, vitium vsuræ non purgatur, licèt ex pacto periculum ad creditorem pertineat, vt probant Albericus *in l. iubemus, Cod. de sacros. Eccles.* Decius *consil. 123. num. 5.* Alexand. *lib. 4. consil* 121. Corneus *lib. 4. cons. 1.* Leothardus *de vsur. q.23. n* 17. Sed si per se, & simpliciter mutuo celebrato, posteà agatur de assecuratione illius pecuniæ traiectitiæ, tunc propter periculum quod in se suscipit creditor, rectè potest aliquid accipere, dum tamen non obliget ipsum debitorem ad contractum illum assecurationis celebrandum, quia tunc vsura committitur; siquidem vsurarius contractus censetur ille, in quo debitor vltra sortem obstringitur aliquid emere, vendere, locare, etiam iusto pretio, quod facere minimè tenebatur. Couar. *lib. 3 var. c. 2. n.5.* Leothardus *d. q.23. n.6.* Vnde existimo, Gregorium in præsenti improbare nauticum fœnus prout iure ciuili receptum erat, quia simul cum ipso mutuo vsuræ promittebantur, etsi periculi subeundi facta mentione; non autem improbare Gregorium contractum assecurationis, cùm per se, & separatim celebretur, nulla ratione habita mutui, sed periculi suscipiendi: & ita præsenti constitutione sublatæ sunt vsuræ palliatæ, quæ facilè committebantur, eo quòd multi non inuenientes gratuitos mutuatores, qui sine lucro vellent sibi mutuare, fingebant se velle traijcere pecuniam mutuatam in alias prouincias longinquas, & petebant à mutuante assecurationem pro certo pretio: vnde deducit Gregorius prudentissimè præsumptionem, quòd iste sic mutuans pecuniam traijciendam per loca periculosa, suscipiendo periculum in se ob aliquod pretium, est censendus vsurarius; quia præsumitur quod vi mutui vult illud pretium extorquere absque necessitate assecurationis; ideòque forsan Pontifex non dixit, *Est vsurarius*; sed *Censendus est vsurarius*. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam fateor, ob periculum pecuniæ traijciendæ aliquid recipi posse, sed extra mutuum, ratione periculi, & alterius contractus seorsim celebrati; nam aliàs fœnus nauticum fœnus est, & mutui ratione vsuras recipit, quod sacris canonibus omninò improbatur; quare etiam subducta hac Gregorij constitutione, puto nauticum fœnus, & maritimas vsuras esse prohibitas, & contineri sub generali illa prohibitione, qua omnis vsura iure diuino, & Pontificio prohibita est, vt si deficeret hæc constitutio, adhuc nefas esset fœnus nauticum exercere.

TIT V.

TITVLVS XX.

De crimine falsi.

CAPVT PRIMVM.

a Augustinus.

FAlsidicus testis tribus personis est obnoxius: primùm *b* Deo, cuius præsentiam contemnit: inde *c* iudici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso testimonio *d* lædit. Vterque *e* reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit: quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat.

NOTÆ.

1 a AVgustinus.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. cap.1. & ex eodem Sancto textus hic citatur à Burchardo lib.16. Decreti, cap.12. Gratiano in cap. quisquis 80. 11. quæst.3. Sed inter opera Diui Augustini non reperiuntur verba in præsenti relata: extant tamen apud D. Isidorum lib.3. sententiarum, cap.55. de testibus, vt iam notarunt Ant. August. in præsenti, Aldrete in antiquit. Hispan. lib.2. c.11. Integrum caput D. Isidori transcribo, vt faciliùs præsens textus intelligatur: *Et si mendacium gratis dicitur, quantò magis si venale quæritur? neque enim deerit multiplex conuentui falsorum, si tanta præsentia sit nummorum. Testis falsidicus tribus est personis obnoxius. Primùm Deo, quem periurando contemnit: secundò iudici, quem mentiendo fallit: postremò innocenti, quem falso testimonio lædit. Vnum penè crimen habent, & qui falsitatem promit, & qui supprimit veritatem; quia ille obesse vult, & iste prodesse nō vult. Peior est testis, qui lædit, quàm qui præstare non vult. Nam ille malignus est, iste inutilis. Testibus falsis coniunctis tardè mendacij falsitas reperitur. Quod si separati fuerint, examine iudicantis citò manifestantur. Nam sicut in vnitate prauorum grandis est fortitudo, ita in separatione maior infirmitas. Fraudulentię citò reprehenditur mendacium; falsidicorum enim testimonium sibi non conuenit. Iniquus testis, quamuis sua falsitate corpori, rebusque impediat, animo tamen nihil damni confert. Erit autem ille apud Deum condemnatus, qui aduersus innocentem falsum testimonium vel dicit, vel dicentibus credit. Nam non solùm ille reus est, qui falsum de alio profert, sed & is, qui citò aurem criminibus præbet: qui metu potestatis veritatem occultat, eiusdem veritatis iracundiam sibi cœlitus prouocat: quia plus pertimescit hominem, quàm diuinam trepidat indignationem. Beatus cuius testimonio innocens ab scelere obiecto purgatur: impius cuius proditione etiam iniquus perimitur. Neque enim decet Christianum morti obnoxium prodere, & ad effundendum sanguinem infelicium vocem testificationis præbere. Sermo enim iusti hominis tantùm ad ministerium debet esse salutis; ira enim indignationis, & tribulationis, & immissiones per angelos malos.* In hoc capite agitur de testibus falsis, de quibus, eorumque pœnis egi in can 74. Concilij Illiber.

b Deo.] Qui præsens est omnibus actibus humanis: quare ob peccatum ita perpetratum illi pœnitentia iniungitur. Facit lex ultima in fine, tit.12. part 3.

2 c Iudici.] Vnde ab eo extraordinariè puniri potest, lite pendente, l. nullum, Cod. de testib. causa verò finita, ad instantiam accusatoris: & si aliàs sit incompetens, ex eo, quod testis falsus deliquit coram ipso falsum deponendo, fit competens; secus verò si sit incapax, vt laicus respectu clerici; quia tunc illum punire non valet, vt pluribus relatis docet Barbosa in præsenti.

3 d Lædit.] Vnde talis testis falsum perhibens testimonium, vel negans quod scit, tenetur parti læsæ omnia damna resarcire. Toletus lib.5. summę, c.59. num.5. Item si iuridicè interrogatus verum celauit, tenetur etiam ad restitutionem damni, quod patitur alter ex viri occultatione, vt alijs relatis resoluunt Diana part.3. tract.5. resol 54. & 4. part. tract.4. resol 99. Lessius de iust. lib.2. c 13. dub.10. & cap.31. dub.8. Ferro Manriq. de differt. vtriusque fori, quæst.117.

4 e Vterque reus est.] Consonat lex 1. §. cùm, lex si quis obrepserit, ff. ad leg. Corn. de falsis, lex 8. Cod. de Episcop. & cleric. ibi: *Presbyteri, si hoc ipso, quod nihil metuant, vera in testimonio dicendo suppresserint, salua esse debet actio litigatoribus.* Faciunt Plautus in Querulo:

—— Peierat sæpe qui tacet;
Tantùm est enim verum tacere, quantùm & falsum dicere.

Ammianus Marcel. lib.29. hist. *Fallere non minùs videtur qui gesta præterijt sciens, quàm ille qui nunquam facta fingit.* Asconius 3. in Verrem: *Iurati testes produci solent nō solùm ne falsa dicant, verùm etiam ne quæ vera sunt, taceant.* Cicero lib.3. offic. *Quanquam in alia quęstione non videtur neq; ille celare debuisse: nec enim id est celare, quicquid reticeas, sed cùm quod tu scias, id ignorare emolumenti causa velis eos, quorū interfit id scire. Hoc autem celandi genus quale sit, & cuius hominis, quis non videt? Certè non aperti, non simplicis est, non ingenui, non iusti, non viri boni: versuti potiùs, obscuri, fallacis, malitiosi, callidi, veteratoris, vafri.* Nec contrarium probat textus in cap. ne quis arbitretur, 22. quęst.2 quem rectè exponit glossa ibi, dum ait, taceri veritatem posse impunè, & citrà metum, si ex alia causa, quàm testimonij id fiat, sicque accipit textum illum: secus verò si rogatus, accitusque testis, quod in vero est, suppresserit: quo casu procedit præsens textus. Nec etiam obstabit, si dicas, eos in legem Corneliam de falsis incidere, qui ob non dicendum testimonium pecuniam acceperunt, l.1. §. sed & si quis, ff. ad leg Corn. de falsis. Ergo illi, qui nullam pecuniam acceperunt, etsi verùm testimonium suppresserint, vt falsi testes non tenentur. Nam respondeo, sequelam huius argumenti non rectè deduci, quia in eodem textu dicitur, in legem Corneliam eum incidere, qui ob dicendum testimonium pecuniam accepit: non tamen inde sequitur, eum, qui pecuniā non accepit, si falsum testimonium diceret, à crimine immunem esse. Oppositio autem, quam dicta lex prima admittit, talis est: Si quis ob non dicendum testimonium pecuniam accepit, in legem Cornel. incidit: Ergo qui nullam accepit, si surgere testimonij perhibendi causa recuset, non incidit in legem Corn. Ratio est, quia non potest videri falsum commisisse, qui omninò testimonium dicere noluit: at qui surrexit testimonij dicendi causa, & verum suppressit, à falso testimonio immunis non videtur.

Etiam lege Cornelia de falsis tenetur, qui ad falsas testationes faciendas, testimoniaue falsa inuicem dicenda coierit, l. lege 9 § pœna 3 ff. de falsis, l.2. ff de concuss. & qui testimonia falsa instruxit, l.1. in princip. & §.1. l. falsi 20. ff ad leg. Corn. de fals. Paulus lib.5. sent tit.25. §.2 Apud Licinum Rufinum tit.8. de falso testimonio, §.1. Ita inquit Paulus lib. singulari de pœnis omnium legum, sub tit. de lege Iul. de adult. *Qui falsum testimonium dixerit, perinde tenebitur, ac si lege Cornelia testamentaria damnatus esset.* Item qui ob denonciandum verum, vel non denunciandum falsum pecuniam accipit, lege Iulia Repetundarum tenetur, l. lege 6 in princip. ff. ad leg. Iul. repetund teneturque ex capite de sicarijs, si falso testimonio id egit, vt homo occideretur; & si humilior sit, in crucem tollitur, aut bestijs subijcitur; si honestior, capite damnatur. Paulus apud Licinum d. tit.8. l.1. §. præterea, ff. ad leg. Corn. de sicar. l.11. tit.8. partit.3. Qui falsò, vel variè testimonia dixerunt, competenter à iudicibus puniri solent, l. qui falso 7. ff. de testibus, cap. nihilominus 16.3. quæst.9. Eo casu lege Moysi data pœna talionis erat. Deuteron. c.19. vers.15. Danielis cap.13. refert Iosephus lib.4. antiquit. cap.6. meminit Licin. Rufin. d. tit 8. lex septem partita 6. tit 7. part. 7. transcripsit lex 1. §. vlt. ff. de falsis. Sed de pœna falsi testis singulariùs loquuta est lex 26. tit. 11. partit.3. Testis falsus in negotio ciuili rependit parti interesse, & criminaliter 5

5 Amplius de lege Cornel.

image
not
available

f *Characterem.*] Iuxta ius commune littera F, quæ est prima falsarij, sed iuxta consuetudinem, & praxim Franciæ inuritur Lilium, vt referunt ex Paponio Petrus Greg. *l.36.syntag.cap.5. num.7.* P.Herodius *l.9. Pandect. tit.1. cap.1.*

2 g *Abiurare compellat.*] Et ita clericus falsum committens circa sigillum Principis in exilium mittitur, abiurata prouincia, idest iuramento præstito ab eo, se nunquam prouinciam illam ingressurum; quo modo abiuratio accipitur *in cap. Abbas, de his quæ vi, cap. ex litteris, qui clerici, vel vou. cap. cùm venissent, de instit. cap. quia diligenti, de elect. cap. accepta, de restit. spol.* De hac pœna exilij iamdiù ab Ecclesia vsitata plura adduxi *in cap.1. de calumniat.*

COMMENTARIVM.

3 Conclusio traditur, & probatur. DEmpto capite primo, quod est de testibus falsis, totus hic titulus est de concinnatoribus falsarum litterarum, siue rescriptorum, & eorum pœnis: quare ex præsenti textu, & *ex cap. ad falsariorum, infrà hoc tit.* sequens deducitur assertio: *Falsarij litterarum Apostolicarum, si laici sunt, infamia notantur, & excommunicationem incurrunt; si clerici, deponuntur ab officio, & beneficio; & si circa sigillum Principis falsum admiserunt, stygmate notati in exilium mittuntur.* Probant eam textus *in c. si Episcopus, 50. dist. cap. si quis constitutus, 22. qu.5. cap. olim 23. de rescript. cap. tam ex litteris 33. de testib. cap.6. de excessib. Prælat. cap. nouimus 27. in fine, de V.S.* Concil. Salesburg. tempore Martini IV. *Item ad falsariorum malitiam reprimendam desinimus, vt qui clerici, vel laici sigilla, vel litteras Principum, vel Prælatorum falsare, vel falsis scienter vti præsumunt, ipso facto sententiam excommunicationis incurrunt; clerici nihilominus, si de hoc conuicti fuerint, carceri Episcopali mancipandi, laici verò sæculari iudicio sunt condemnandi.* Et *can.6. Bullæ cœn. Domini.* Ab specie consonat textus *in l.60. tit.6. partit.1.* Facit lex *3. tit.17. l.8. recopil.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti,* Petrus Gregor. *l.4. partit. tit.11. cap. penult.* & *de benefic. cap. 26.* Petrus Bollo *œconom. canon. class.1. cap.5. §.4.* Martha *de iurisd. part.2. cap.28.* Fragoso *de regim. Christ. Reipub. p.1. disp.4. §.20.* Luna, & Arellanus *l.5. singul. vtilium.5.* Fermosinus *in c. cùm non ab homine, de iudicijs, qu.30.* Duardus, & alij expositores Bullæ cœnæ Domini *in d. can.6.* Gibalinus *de censur. in synopsi, lit. F, num.3.*

4 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo: Sicuti Dominus noster nunquam vindicauit bis in idipsum, ita nec Ecclesia vnquam pro vno reatu plures pœnas imposuit, *can.74. Apostol. cap. presbyter 71. d. cap. scelerατior, §. hic, de pœnit. dist.3.* Ergo non rectè in præsenti pro vno delicto, videlicet falsitatis, degradatio, inustio, & exilium imponuntur. Deinde difficilis est pœna inustionis, seu impressionis characteris; tum quia pœna hæc sanguinis effusionem continet, vt constat *ex cap. sententiam,* ibi: *Adustionem, ne clerici, vel monach.* Tum quia post Constantini constitutionem *in l. si quis in metallum 17. C. de pœn.* relatam, non licet stygmate, aut nota aliqua faciem hominis maculare, quia facies hominis ad similitudinem pulchritudinis cœlestis est figurata: quam rationem doctè illustrat Forner. *l.6. rer. quotid. cap. 25.* Igitur non rectè pœna inustionis in facie falsario imponitur.

5 De falsi crimine. Qua dubitandi ratione non öbstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, falsum nihil aliud esse, quàm veritatis mutationem. *Nouel.73. Iustin. §.1.* Vnde varijs modis committitur falsitas, tam circa personas, quàm circa res. Circa personas, veluti partum supponendo, *l. qui falsum 19. §.1. ff. ad leg. Corn. de falsis, l. cùm suppositi 16. C. eod. tit.* Et Senatusconsulto Plautiano cautum fuit de ea, quæ subijcitur, *in l.1. ff. de liber. agnosc.* & obstetricem, quæ partum alienum attulit, vt supponi possit, summo supplicio affici placuit Paulo *l.2. sentent. tit.24. §. vlt.* Et pœna suppositi partus capitalis est, *l.1. C. de falsis,* atque accusatio huius criminis præscriptione ordinaria non tollitur, *l. qui falsam 19. §.1. ff. ad leg. Corn. de fals.* nisi vicennij præscriptio sit. Cuiac. *l.4. obseruat. cap. 14.* Item falsum committit libertus, qui pro ingenuo se gessit, cùm neque ius aureorum annulorum impetrasset, neque à Principe restitutus naturalibus esset, *l. vnic. C. ad leg. Visellam, l.1. C. si seru. aut libert. l.10.* Item si quis falsum nomen assumpserit alterius decipiendi gratia, *l. falsi 13. ff. ad leg. Corn. de falsis:* aliàs cuilibet licitum est nomen mutare. Paulus *l.5. sentent. tit. 25. §. qui sibi, l. vnic. C. de mutat. nominis, l. facta 63. §. nominis, ff. ad Trebel.* Illustrant Germonius *de indult. Cardin. §. Hieronymo,* Fornerius *l.5. rer. quotid. cap.17.* Cuiac. *l.15. respons. Papin. in d. l. falsi 13.* Petrus Gregor. *l.36. syntag. cap.4.* Deinde si quis alienis insignijs vsus fuerit, vel falso diplomate vias commeauerit, *l.27. §. vlt. ff. ad leg. Corn. de falsis,* vbi per diplomata intelligit Anton. Matthæus *ad eundem tit.* litteras tractorias, de quibus nonnulla notaui *in cap.1. de offic. ordin.* Item si quis de iudicis amicitia, vel familiaritate mentitus, euentum sententiæ eius vendiderit, quod veteres dicebant fumum vendere. Paulus *d. tit.25. §. vlt. l. qui explicandi 10. C. de accusat.* Explicat Duarenus *l.1. animadu. cap.25.* Ijs proximi sunt, qui hodie nobilitatem, militiam togatam, seu armatam mentiuntur. Circa res falsum committitur, veluti circa monetam, *l.1. C. de falsa monet.* Probaui *in cap. quanto, de iureiur.* Circa mensuras etiam; & quidem Traianus edictum proposuit, quo pœnam legis Corneliæ in eos statuit, qui mensuras corrupissent: & Hadrianus eum, qui falsas mensuras habuit, in insulam relegauit, *l. annonam 6. §.1. & 2 ff. de extraordin. crimin.* & talis falsarius furtum committit, venditorique tenetur, qui maiora pondera emptori commodat, cùm ad pondus emitur, *l. si quis vxori 22. §. maiora 22. ff. de furt.* & simul actionibus ex empto, & de dolo tenetur, *l. si quis 32. ff. de action. empti, l. arbitrio 18. §. de eo 3 ff. de dolo.* Etiam in dardanarios propter falsum mensurarum modum, ob vtilitatem popularis annonæ pro modo admissi criminis extra ordinem vindicari placuit, *l. si quis 38. ff. de pœnis.* Item falsum committitur circa scripturam: de qua vltima falsitatis specie agitur in hoc titulo, & ideò eam tantùm prosequemur. Circa scripturam ergo falsitas admittitur, si rasis litteris aliud in locum eius, quod anteà scriptum non erat, scribatur, *cap. olim 25. de rescript. cap. licet, §.6. hoc tit.* putà in loco suspecto, *cap. ex consequentia 9. hoc tit. cap. cùm olim, de priuileg. cap. inter, de fide instrum. cap. cùm venerabilis, de relig. dom.* si chirographum alienum imitetur, *l. quid sit falsum 23. ff. ad leg. Corn. de falsis,* vel alijs modis scripturæ forma, vel stylus immutetur, *c. licèt 5. cum sequ. hoc tit.* Sesse *tom 2. decis.118.* Acuña *in c. nomina 3. 19 dist.* si absentium nomina, tanquam præsentium scribat, *c. quanto 5. de his quæ fiunt à maiori parte, c. tuis 33. de test.* si falsis litteris quis scienter vtatur, *c. accedens, hoc tit.* testamentum quis amouerit, celauerit, eripuerit, deleuerit, subiecerit, resignauerit, siue viuo testatore aperuerit, *l.1. §.5. l.2. l.7. l.16. l. quid sit falsum 23. ff. de fals. l. eum qui 14 C. eod. tit.* si testamento falso vsus fuerit, *l. si falsos 8. Cod. eod. l.4. Cod. si reus, vel accusator,* Paulus *l.5. sentent. tit.25. §. qui falsis,* D. Ambrosius *l.3. offic. cap.2.* ibi: *De eo quid loquar, qui ex eo testamento, quod ab alijs licèt factum, falsum tamen cognouerit, hæreditatem sibi, aut legatum vindicet, & lucrum quærat alieno crimine; cùm etiam leges publicæ eum, qui sciens falso vtitur, tanquam reum adstringant facinoris.* Item falsi pœna tenetur ex Senatusconsulto Liboniano, qui cum adhibitus esset ad testamentum scribendum, sibi, vel ijs, quos in potestate habet, hæreditatem, legatum, fideicommissum, vel libertatem, vel quod aliud emolumentum adscripserit, licèt dictante, iubenteue testatore; nam si inuito, aut ignorante id fecerit, lege ipsa Cornelia tenetur, *l.1. §.7. l. si quis legatum 6. l. de eo 10. l. filius 14. l.17. 18. & 22. ff. ad leg. Corn. de fals. l.1. & per totam Cod. de his qui sibi adscribunt.* In qua parte obseruandi sunt textus *in l. ex sententia 29. ff. de testam. tut. l. quotiens 9. §.3. ff. de hæred. instit. l. omnia 32. §. cùm 2. ff. de leg.2. l. in fraudem 15. §.3 ff. de testam. mil. l.22. § adimendo, l.26 ff. de falsis, l.8 §. si quis, ff. de bonor. possess. contra tabul. l. Lucius 88. §. Sempronius, ff. de legat.2. l. Pamphilo 39. §. propositum, ff. de legat.3. l. sin ff. de his quæ pro non scribe.* Paulus *l.3. sentent. tit.6. §.14.* quod etiam Senatusconsultum Libonianum induxit, *l. ex sententia 29 ff. de testament. tut.* ad quod Paulus librum singularem scripsit, vbi de hac falsi specie latè agit, vt constat ex inscriptione legis *Impuberem 22. ff. ad leg. Corn. de falsis.* Sed forsan desuetudine illud abrogatum, instauratum fuit edicto Claudij, seu Senatusconsulto eius tempore facto, vt Callistratus commemorat *in l. D. Claudius 15.* & Paulus *in l. filius 14. ff. ad leg. Corneliam de falsis.* Vnde meritò Suetonium reprehendit Cuiac. *ad C. de his qui sibi adscribunt,* eo quòd huius edicti auctorem facit Neronē. Videndus est Paucir.

Digitized by Google

lib.2.var.cap.132. Tandem falsum committitur, si instrumentis, nummis, mensuris, vel alijs rebus falsis quis prudens, sciensque vtatur, *l.4. & 8. l.9. §.2. l.fin. ff. ad l. Cornel. de falsis.*

6 De pœna falsi. Deinde sciendum est, falsi crimen inter grauiora censeri, *l.3. §.1. ff. de Decur.* & fuit olim capitale, ex lege Cornel. *l.1. & 5. ff. ad leg. Corn.* posteà factum fuit non omninò capitale, deportationis pœna imposita; nisi aliud exigeret magnitudo falsi commissi, vt ait Constantinus *in l.22. C. eod. tit.* aut si illud committentes humilis sint conditionis; quia tunc pęna capitis loco deportationis imponitur. Paulus *lib.5. senten. tit.25. §.2.* Tabularijs ciuitatum, quorum fraude factum est, vt quis immunitatem sibi assereret, vltimum supplicium irrogatur *in l.1. C. de immunit. nemin. concedend.* & apud varias gentes notariorum quidem pęna vsitatior fuit, vt dextera manus amputaretur, legibus Longobard. *lib.2. tit.51. c.11.* in legibus Ripuar. *tit.59.* pollex præciditur: Siculi seuerius egerunt cum eis; quia post manus amputationem capitis indixerunt supplicium, *lib.1. tit.92. epist.2.* Alexander verò Seuerus digitorum neruos incidere iubebat, ita vt nunquam scribere possent, teste Lampridio *in eius vita*. Circa alios verò falsum committentes, pro modo criminis mitiùs, vel seueriùs agitur, *lege falsi 13. §. imm̀o, l. qui duobus 21. leg. hodie 32. §.1. ff. de falsis, l. maiorem 4. l. vbi 22. cum sequent. C. eod. tit.* & ita pęna est arbitraria, vt pro modo negotij, attenta causæ qualitate, alia, vel alia pęna imponatur, *nouel.123. Iustin. nouel.77. Leonis, l. annonam 6. §. pęna, ff. de extraord. crimin. l. in Dardanarios 37. ff. de pœnis, l.1. C. de fals. monet.* dummodo dolo admissum sit crimen, *l. neque exemplum 20. C. de fals. l. cùm autem 23. §. scriptura. ff. de ædilib. edict.* docent Farinac. *de falsitate, quæst.150. num.21. par.2.* Menoch. *de arbitr. lib.2. cent.4. casu 343. num 3.* Vela *de delict. cap.10.* D. Ioannes de Larrea *alleg. 97. per tot.* vbi exinde exponit textum *in leg. transigere, C. de transact.*

7 Traditur ratio decidendi. Ex his iam apparet vera ratio præsentis assertionis: nam cùm crimen falsi præcipuè circa literas Apostolicas, seu Regias commissi ita graue sit, vt inter maiora crimina numeretur, *d. l.3. §.1. Decr.* ideò tot, & tantis pęnis in præsenti vindicatur, videlicet excommunicatione, quam laici ipso iure incurrunt, à qua nisi in articulo mortis per alium, quàm Pontificem absolui nequeunt, *d. cap. ad falsariorum*, & expresśe cauetur *in can.6. Bullæ Cœn. Domini*, cuius verba expresśe refert Barbosa *in præsenti*: & depositione, ac exilio in clericis, vel detrusione in carcerem perpetuum. Accedit, nam cùm pęna falsi ex lege Corn. deportatio esset, *l.1 & 5. ff. ad leg. Corn. de fals.* & excommunicatio sit ecclesiastica relaxatio, Tertul. *de pudic. c.4.* ibi: *Non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submouemus: & de præscript. c.30.* siue exilium finitimum, vt vocauit Alexander Papa I. apud Turrian. *contra Magdebur. cap.22.* illustrat D. Nicolaus Antonius *de exilio lib.1. cap. 6. num.11. & cap.13. num.14.* ideò rectè in locum deportationis Ecclesia excommunicationem in laicos falsi criminis reos statuit, & etiam in clericos exilij pęnam sanxit.

8 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam est respondendum, principium illud, Bis non esse vindicandum in id ipsum, procedere quando vna pęna sufficiens est ad puniendum delictum, aliàs ob eius grauitatem plures iniungi solent, vt *in cap. si quis cuilibet 21. q.2. cap. quoniam, §. fin. vt lit. non contest. cap.1. de calumniat. cap. in Archiepisc. de raptoribus, cap. clerici, de excessib. Prælat.* Vnde quid mirùm, vt in præsenti casu propter sceleris grauitatem clericus falsum committens circa Principis sigillum varijs pęnis puniatur? Difficilius est, quod de charactere infligendo huiusmodi clerico expendebamus: pro cuius solutione sciendum est, apud veteres valdè vsitatum fuisse reorum frontes, & seruorum charactere inuri, vt designaretur crimen, quod ipse admiserat: Seneca *de benefic. cap.37.* ibi; *Improbissimo militi, ignauissimo hospiti, auidissimo naufraga stygmata inscriberent, ingratum hospitem testantia.* Et sacrilegos notari stygmate iussit Plato *lib.8. de legib.* ibi; *Si quis sacrilegium commiserit, si quidem seruus, aut hospes fuerit, in facie, manibusque crimen inscriptus, & flagellatus extra fines patrios projciatur.* Fures etiam stygmate signatos docet Iuuenal. *Satyr.4.*

—— Gaudet acerbo
Plagarum strepitu, & nullam Seirena flagellis
Comparat Antiphates trepidi Laris, ac Polyphemus?
Tunc felix quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

Calumniatorum etiam fronti ex lege Rhemia, seu Memia literam K inuri, probaui *in cap.1. de calumniat.* aut qui dominum ita offendissent, vt in ergasterijs compediti mitterentur, stygmate in fronte notabantur, iuxta illud Martialis *lib.3. epigr.31.*

Proscriptum famulus seruauit fronte notatus.

Ausonius *epigr.15.*

Tam segnis scriptor, quàm lentus Pergame cursor
Fugisti, & primo captus es in stadio.
Ergo notas scripto tolerasti Pergame vultu,
Et quas neglexit dextera, frons patitur.

Et rursus subsequente Epigrammate:

Pergame non rectè punitus fronte subisti
Supplicium, lentæ quòd meruere manus.
At tu, qui dominus, peccantia membra coerce:
Iniustum falsos excruciare reos.
Aut inscribe istam, quæ non vult scribere dextram;
Aut profugos ferri pondere necte pedes.

D. August. *ad D. Paulum cap.6. ad Galatas*, ibi; *Stygmata dicuntur quædam pęnarum seruilium notæ, vt si quis seruus in compedibus fuerit, propter noxam, idest propter culpam, vel huiusmodi aliquid passus fuerit, stygmate vri dicatur: & ideò in iure manumissus inferioris est ordinis.* D. Clemens Alex. *lib 3. pædag. cap.2.* *Non secus adulteram floridis coloribus, ac fugitiuum iustis corpori notis indicari.* Seneca *epist.47.* Hinc serui dicuntur literati à Plauto *in Casina, & in Olymp.*

—— Si is literatus me siat.

Martiali *epig.29. lib 2.* Apuleio *lib.9. de Asino*, Plinio *in paneg. ad Traianum.* Faciunt textus *in l. cùm de lanionis 18. §.1. ff. de fundo instruct.* iuncto Connano *lib.2. commentar. c.6.* plura de his notis seruilibus Aloys. Nouar. *lib.3. saerar. elect. excursu 24. pag.433.* Herman. Hugo *in tract. de prima scrib. orig. c.19.* eoque nonnulli referunt textum *in l.1. §. vlt. cum seq. ff. de seruis fugit.* Nec solum notis serui illi inurebantur, verùm & cicatricibus frontes eorum deformabantur, *l. locum, ff. de vsufr.* notauit Cuiac. *lib. 7. obseru. cap.13.* Ramirez *ad Martial. lib.2. epigr.29.* & serui, in quorum facie, vel alia corporis parte indicia ferro impressa fuerant, si manumittebantur, minorem libertatem assequebantur, tantumque dedititij fiebant. Caius *lib.1. instit. tit.1.* Vlpian. *in fragm. tit.1.* notarunt Cuiac. *ibi*, Pignorius *de seruis*, Cuellar. *de manumiss. c.2.* Olanus *lib.4. Paralip. cap.4.* Fornet. *lib.6. rer. quotidian. cap.25.*

Quin & citrà delictum aliquod brachia, & manus aliquorum punctis notata reperio; nam tyronibus stygmata inuri solebant, ita tamen, vt manus, aut suræ, non verò ora notarentur, vt ex Vegetio *lib.1. de re milit. cap.8. & lib.2. cap.5.* notarunt Lipsius *de militia Roman. lib.1. dialog. fin.* Steubechius *ibi*. Et quoniam Fabricensium corpus ad causam militiæ pertinebat, ideò tyronum exemplo nota solebat eorum brachijs infligi, *l. stygmata, C. de Fabricens. lib.11.* & eos, qui alicui Deo consecrabantur, his stygmatibus inuri solitos prodit Prudentius *hymn.144.* 9 Alia de stygmatibus.

Quid cùm sacrandus accipit Sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus,
His membra pergunt vrere, vt igniuerint.
Quamcunque partem corporis feruens nota
Stygmarit, hanc sic consecratam prædicant.
Functum deinde cùm reliquit spiritus,
Et ad sepulchrum pompa fertur funeris,
Partes per ipsas imprimuntur bracteæ;
Insignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo quod perustum est ignibus.

D. Augustin. *epist.1.* D. Gregor. *lib.2. epist.107.* D. Chrysostom. *homil.3. in epist.8. ad Corinthios.* Nec dissimili ratione Zeno aquariorum manibus signum imprimi voluit, vt militiæ quodammodo sociati, excubijs aquæ custodiendæ incessanter inhærerent, *leg. penult. Cod. de aquæductu.* Exequutoribus quoque, qui circa lites malè versati fuerant, corporales maculas imponi iubet Imperator *in leg.2. C. de sportul.* Eo etiam prorupit sæuitia Gentilium erga Christianos, vt seruilibus notis frontes eorum deturparent. Pontius Diaconus *in actis Sancti Cypriani*, ibi: *Quis tot confessores frontibus notarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrij superstites reseruatos incentiuo tubæ cęlestis animaret?* Varijs exemplis illustrat Theoph. *to.14. tr. de stygmatismo sacro, &*

pro-

Digitized by Google

profano, *cap.* 6. Vnde cùm Imperator Constantinus in Synodo Nicæn. agnouisset præclatos fidei confessores ita deformatos, præcipuè Osium Cordubensem Episcopum, vt refert Nicephorus *lib.* 8. *hist. Eccles. cap.* 14. ideò edidit constitutionem, quæ extat *in d. l. si quis metallum*, *l.* 1. *C. Theodos. de pœnis*, qua morem illum sustulit, & manus potiùs, aut suras, quàm faciem notari voluit. Iure etiam nostro Hispano contrahentibus binas nuptias litera Q, in facie imprimi iubetur *in l.* 3. *tit.* 1. *lib.* 1. *recopil.* vbi pro Q, legendum esse P. iam notaui *in cap.* 2. *de sponsa duor.* & Antichristum his stygmatibus vsurum fore erga Christianos, latè probat Maluenda *de Antichristo lib.* 8. *cap.* 18. Nec dissimili exemplo cacodæmones, vbi Christianos insidiosis artibus à recto viuendi tramite ad sortilegas artes, & occulta veneficia traduxerunt, eos quasi captiuos notis quibusdam in secreta corporis parte consignant, vt fusè probant Paulus Zacchias *lib.* 7. *qq. medicolegal. tit.* 4. Theoph. Raynaud. *d. tract.* 14. *de stygmatismo*: prosequuntur alia de his stygmatibus Paneirola *lib.* 2 *var. cap.* 41. Buleng. *de Circe*, *cap.* 9. Solorz. *to.* 2. *de iure Indiar. lib.* 1. *cap.* 13. Forreblanca *de iure spirit. lib.* 11. *cap.* 13. Lipsius *de milit. Romana*, *dialog.* 9. *&* *lib.* 2. *elect. cap* 15. Salmut. *ad Pancirol. lib.* 2 *memorab. tit.* 2. Pater Pinto Ramirez *in Cantic. cap.* 8. *vers.* 6. Demster. *ad Rosinum*, *lib.* 9. *c.* 31. Pellicer. *ad Poës. Gongoræ*, *stantia* 32. *fol.* 234. Steubechius *ad Vegetium lib.* 2. *de re milit. c.* 5. Basilius Legion. *q.* 7. *scholast. c.* 2. Burgensis *cent.* 2. *obseru.* 88. I. Gothofred. *in d. l.* 2. *C. Theod. de pœnis*, Beyerlinch *in theatro*, *verbo Notæ*, D. Nicolaus de Castro *ad l. vnic. C. de gladiat. c.* 26. D. Franc. de la Espada *in præsenti*, P. Mendoza *in quodlibet. q.* 2. *positiua*, *n.* 7. Dorleans *ad Tacitum lib.* 1. *fol.* 74. Cassanate *ad Lactant. Firm. lib.* 7. *diuinar. instit. linea* 44. Zerda *ad lib.* 5. *Æneid. Virgil. vers* 543. Turnebus *lib.* 24. *aduers. cap.* 12. Lælius Manc. *lib.* 1 *de trip. iur. coll. c.* 70. Bouius *lib.* 1. *Romæ subter. c.* 26. Quibus suppositis dicendum est, quòd licèt huiusmodi stygmata in facinorosos candenti ferro inurerentur, ac deinde attamentum infunderetur, iuxta illud Iuuenal.

Tunc felix quoties aliquis tortore vocato
Vritur ardenti duo propter lintea ferro.

In præsenti tamen casu character non ita profundè imprimebatur, vt sanguinem eliceret, sed cutis superficies deformabatur in signum tanti criminis, vt notat Glossa *hic*, *verbo Characterem*, quam sequuntur omnes repetentes *in præsenti*: & ita ex hac pœna sanguinis effusio non sequitur. Nec obstat quòd expendebamus *ex d. l. si quis in metallum*; nam licèt Vrbanus III. in præsenti casu iubeat characterem apponi clerico falsum committenti circa sigillum Regis, non inde sequitur inurendum esse in facie, sed in aure, vel alia corporis parte.

Sed præsenti assertioni obstat textus *in cap. falsariorum* 10
7. *hoc tit.* vbi Innocent. III. statuit, clericos falsum committentes circa literas Apostolicas, à suis ordinibus esse degradandos, & iudici sæculari tradendos, vt ab eo debitis afficiantur pœnis. Ergo non rectè in præsenti docetur, clericos falsum committentes circa sigillum Principis, tantùm deponendos esse, & in exilium mittendos: Fuerunt aliqui, qui asseruerunt, grauius puniri falsatorem literarum Principis, quàm diplomatum Regiorum. sed illis omissis veriùs dicendum est, Vrbanum in præsenti pœnas statuisse in clericum falsarium Regis sigilli, antequam Innocentius III. ederet prædictam constitutionem, cuius ipse sæpius meminit *in cap. licèt*, *hoc tit. cap. nouimus*, *de V. S.* licèt enim iam Carolus Magnus statuisset, vt ex Concilio Triburiensi refertur *in cap. in memoriam*, 19. *dist.* falsi crimen ad Romanæ legis definitionem puniendum esse, idest deportatione, ex lege Cornelia de falsis; tamen vsque ad dictam Innocentij constitutionem cautum non erat, vt clericus falsarius degradatus traderetur iudici sæculari; quòd nouiter se constituisse Innocentium satis ipse innuit, dum *in d. cap. nouimus*, ait, *in nostro decreto contra falsarios edito*. Obseruauit Cironius *lib.* 1. *obseru. cap.* 1. Vnde iuxta hanc temporum distinctionem facilè conciliari potest præsens textus cum dicto capite *ad falsariorum* 7.

Exponit. cap. 7. hoc tit.

C A P V T IV.

Innocent. III. a *Rhemensi Archiepiscopo, Sancta Sabina Cardinali, & Suffraganeis eius.*

DVrà sæpè mandata, & institutiones interdum iniquas à Sede Apostolica emanare multi arguunt, & mirantur, & in hoc ei culpam imponunt, in quo sinceritas eius culpæ prorsus ignara per innocentiam excusatur. Nos enim circa maiora negotia frequentiùs occupati, & curam vniuersorum ex officio nostro gerentes, per quod sumus omnibus debitores, cùm omnibus apud nos instantibus incontinenti satisfacere non possumus, quidam eo quòd à semita iustitiæ oberrantes, aut vltrà quàm permittit honestas suæ petitionis, licentiam extendentes, exaudiri non possunt, in motum propriæ voluntatis irrumpunt, & ad sua ingenia falsitatis, & artes perditionis cum animi exquisita malitia recurrentes, per falsæ astutiam speciei candorem puritatis Apostolicæ denigrare, ac deprauare nituntur. Ex cuius falsitatis ingenio quot, & quanta mala proueniant, cùm per eum, & innocentes quandoque damnentur, & rei ab obiectis criminibus absoluantur, necnon & Apostolicæ Sedis lædatur auctoritas, ipsa rei euidens malitia protestatur. Licèt autem huiusmodi falsitas aliquandiù possit cum operibus tenebrarum abscondi: tamen quia per eam beatis Apostolis specialiter infertur iniuria, ille, à quo in persona eorum Romana Ecclesia auctoritatem super Ecclesias vniuersas accepit, vnde & bulla nostra, per quam totius negotia Christianitatis aguntur, *b* capitum ipsorum charactere præsignatur, perniciem tanti sceleris non patitur in tantùm præiudicium eorum diutiùs occultari. Accidit enim nuper in Vrbe, quòd quidam huiusmodi falsitatis astutiam perniciosiùs exercentes, in suis fuere iniquitatibus deprehensi: ita quòd bullas, tam sub nomine nostro, quàm bonæ memoriæ Cœlestini PP. prædecessoris nostri, quas falsò confixerant, & quamplures literas bullis signatas eisdem inuenimus apud eos, ipsosque captos adhuc in carcere detinemus. Nos autem honori Romanæ Ecclesiæ, & vtilitati omnium paterna volentes solicitudine prouidere, de consilio fratrum nostrorum statuimus, & sub excommunicationis pœna, & suspensionis ordinis, & beneficij districtiùs inhibemus, ne quis apud Sedem Apostolicam de cætero literas nostras, nisi à nobis, vel de *c* manibus illorum recipiat, qui de mandato nostro sunt ad illud officium deputati. Si verò persona tantæ auctoritatis extiterit, vt deceat eam per *d* nuncium literas nostras recipere, nuncium ad Cancellariam nostram, vel ad nos ipsos mittat *e* idoneum, per quem literas Apostolicas iuxta formam præscriptam recipiat. Si quis autem in hac parte mandati nostri transgressor extiterit, si laicus fuerit, *f* excommunicationi subiaceat; si clericus, officij, & beneficij sui suspensione damnetur. Verùm quia (sicut à falsarijs ipsis accepimus) tam ad partes vestras, quàm ad cæteras regiones per literas transmissas ab eis suæ iniquitatis falsitas multipliciter est diffusa, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus,

quatenus prouinciale Concilium euocetis, in quo solemniter, & generaliter statuatis, vt per singulas parochias publicè proponatur, quòd si quis à Sede Apostolica literas impetrauit, quarum tenor possit esse suspectus, & eis vti voluerit, vt statutam pœnam euadat, prius fiat collatio de falsa bulla cum vera; & si eam inuenerit falsitate notandam, Episcopo diœcesano, Abbati vel Archidiacono loci easdem literas non differat præsentare: qui veritate comperta, illum, qui tales literas reportauit, si laicus fuerit, excommunicationi subijciant: si clericus, ab officio, beneficioque suspendant. Ad hæc adijcientes statuimus, vt generalem excommunicationis sententiam, promulgetis, quam per singulas parochias faciatis frequentiùs innouari. Quòd si quis falsas literas se cognoscit habere, infra quindecim dies literas illas destruat, aut resignet, si pœnam excommunicationis voluerit euadere, quam (nisi forsan in mortis articulo) sine speciali mandato nostro à quocunque nolumus relaxari: nec etiamsi præsumpta fuerit contra hoc absolutio, quicquam habeat firmitatis, ne fortè post tempora nostra falsitas interim occultata cuiquam valeat præiudicium generare. Cæterùm ad maiorem illius notitiam falsitatis habendam, vt fieri possit bullæ falsæ cum nostra collatio, præsentibus literis vnam de bullis falsis cùm vera bulla duximus appendendam; districtiùs iniungentes, vt quascunque literas inueneretis hac, vel alia falsitate notandas, si quid actum fuerit occasione illarum, appellatione postposita irritetis, ita vt huiusmodi falsitas nullo temporis spatio valeat excusari: & portitores earum tamdiù faciatis sub arcta custodia detineri, donec receperitis super hoc nostræ beneplacitum voluntatis. Dat. Romæ apud S. Petrum xiv. Kal. Iunij, Pontit. nostri anno primo.

NOTÆ.

1 a V V. *Rhemensi.*] In hac sexta collectione, & in tertia, *sub hoc tit. cap.*2. tantùm legitur *Innoc.II.* sed inscriptionem & literam restituo *ex lib.*1. *epistolar. ipsius Innocentij*, correcto à Sirleto, vbi *fol.*106. reperitur textus hic. Vvido 53. Præsul Rhemensis, Cardinalis Episcopus Prænestinus, Legatus Sedis Apostolicæ, fuit olim Abbas Cisterciensis, floruitque vsque ad ann. 1206. vt referunt Chenu *in serie Præsulum Rhemensium*, Manrique *tom.*1. *annal. Cisterc. in serie Abbatum Cisterc.* Eius mentio fit *in cap. dilectus, de præb.*

2 b *Capitum ipsorum.*] Ex vna parte; nam ex alia solet apponi nomen, seu signum ipsius Pontificis, nisi dum Pontifex tantùm creatus est, non consecratus; quia tunc literæ tantùm Apostolorum Petri, & Pauli vultibus insculptæ expediuntur, quod dimidiam bullam dixit Innocent. III. *lib.*1. *regestr. epist.*83. vt obseruauit Cironius *lib.*1. *obseruat. cap.*2.

c *Manibus illorum.*] Ex his verbis rectè probat Cohelius *in notis Cardin. cap* 74. iam à temporibus Innocent. III. in vsu fuisse scriptores, seu scribas literarum Apostolicarum; de quorum officio & dignitate latè agit Cohelius *vbi suprà*. 3

d *Nuncium.*] Procuratorem videlicet cum speciali mandato, iuxta tradita *in cap. nonnulli 27. de rescript.*

e *Idoneum.*] Idest non excommunicatum, iuxta tradita *in cap. ab excommunicato, de rescript.*

f *Excommunicationi.*] Ipso iure vt docent Suarez *de censur. disp.*21 *sect.*2. *n.*49. Gibalin. *de censur. in Synopsi, littera F, num* 4.

CAPVT V.

Idem *N.* a *Archidiac. N. Archipresb. & Canonicis Mediolan.*

Licèt ad regimen Ap. Sedis, quæ dante Domino, vniuersarum Ecclesiarum mater est, & *b* magistra, insufficientes nos vita, & scientia reputemus: quantum tamen Dominus nobis sua miseratione concesserit, ab his proposuimus abstinere, per quæ nobis possit meritò derogari: quanquam ex infirmitatis humanæ defectu non sic formam perfectionis semper, & in omnibus imitari possimus, quin aliquid aliquando in nostris subrepat operibus, quòd minùs circumspectæ prouidentiæ valeat imputari: quòd tamen non ex industria, vel conscientia certa, sed interdum ex ignorantia, vel nimia occupatione contingit. Significastis siquidem nobis per literas vestras, quòd cùm quædam vobis fuissent literæ præsentatæ, per quas vobis districtè præcipere videbamur, vt I. de Cimilian clericum Ecclesiæ vestræ in Canonicum reciperetis, & fratrem, nec aliquem alium in Canonicum vocaretis, donec ipsæ præbendæ beneficium plenariè fuisset adeptus; earum tenore diligenter inspecto, vix eas credidistis de nostra conscientia processisse: vel si etiam processerunt, per nimiam fuisse *c* importunitatem obtentas. Ceterùm cùm easdem literas, sicut viri prouidi, & discreti, ad nostram remisissetis præsentiam, vt ex earum inspectione pleniùs nosceremus, vtrùm ex nostra conscientia processissent, plus in eis inuenimus, quàm vestra fuisset discretio suspicata. Nam licèt in stilo *d* dictaminis, & forma scripturæ aliquantulum cœperimus dubitare, *e* bullam tamen veram inuenimus, quòd primùm nos in vehementem admirationem induxit, cùm literas ipsas sciremus de nostra conscientia nullatenus emanasse. Bullam igitur hinc inde diligentiùs intuentes, in superiori parte, qua filo adhæret, eam aliquantulum tumentem inuenimus, & cùm filum ex parte tumenti sine violentia qualibet aliquantulum attrahi fecissemus, bulla in filo altero remanente, filum ex parte illa fuit ab ipsa sine qualibet difficultate auulsum, in cuius summitate adhuc etiam incisionis indicium apparebat: per quod liquidò deprehendimus, bullam ipsam ex alijs literis extractam fuisse, ac illis per vitium falsitatis insertam, sicut ex literis ipsis pleniùs cognoscetis, quas ad maiorem certitudinem vobis duximus remittendas. Cùm igitur tantus excessus relinqui non debeat aliquatenus impunitus, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus dictum I. nisi infra viginti dies post harum susceptionem à vobis commonitus, ad præsentiam nostram cùm testimonio literarum vestrarum satisfacturus accesserit, ex tunc ab omni Ecclesiastico beneficio, & clericali officio, sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo, suspendatis; vel si beneficio caret, anathematis eum sententia innodetis: cùm ab hac culpa non de facili sit credendus immunis, cùm nec per fratres, nec consanguineos nostros nos (licèt sæpiùs rogatos) potuisset inducere,

ducere: vt super hoc nostras vobis litteras mitteremus: ex quo fraudem auctoris, etsi principalis falsarius ipse non fuerit, sufficienter agnoscere potuisset, præsertim cùm eo tempore præsens fuisse dicatur, quo contra falsarios de communi fratrum consilio publicè *f* constituimus. Inter cætera sub pœna excommunicationis firmiter inhibentes, ne quis literas Apostolicas, nisi de manu nostra, vel Bullatoris nostri reciperet, illis dumtaxat exceptis, quibus propter dignitatis excellentiam indulsimus, vt per nuncios fideles, & notos id ipsum possent efficere. Vt autem varietates huius falsitatis, quas hactenùs deprehendimus, vos ipsi de cætero deprehendere valeatis, eas vobis præsentibus literis duximus exprimendas. Prima species falsitatis hæc est, vt falsa bulla literis apponatur: secunda vt filum de bulla verum extrahatur ex toto, & per aliud filum immissum falsis literis inseratur: tertia, vt filum ab ea parte, qua charta plicatur, incisum cum vera bulla falsis literis immittatur, sub eadem plicatura similis cannabis restauratum: quarta, quòd à superiori parte bullæ altera pars fili sub plumbo rescinditur, & per id filum literis falsis inserta reducitur intra plumbum: quinta cùm literis bullatis, & redditis, aliquid in eis per *g* rasuram tenuem immutatur. Eos etiam à crimine falsitatis non reputamus immunes, qui contra constitutionem præmissam scienter literas nostras, non de nostra, vel Bullatoris nostri manu recipiunt. Eos quoque, qui accedentes ad bullam falsas literas cautè proijciunt, vt de vera bulla cùm alijs sigillentur. Sed hæ duæ species falsitatis non possunt facilè deprehendi, nisi vel in modo dictaminis, vel in forma scripturæ, vel qualitate chartæ falsitas cognoscatur. In cæteris aut diligens indagator falsitatem poterit diligentiùs intueri, vel in adiunctione filorum, vel in collatione bullæ, vel motione, vel obtusione: præsertim si bulla non sit æqualis, sed alicubi magis sit tumida, alibi magis depressa. Si verò quod contra ipsum I. vobis præcipimus, neglexeritis adimplere, noueritis nos venerabili fratri nostro N. Vercellensi Episcopo præcipiendo mandasse, vt ipse id auctoritate Apostolica, sublato appellationis obstaculo, exequatur. Datum Spoleti 2. Non. Septembris.

NOTÆ.

1 a ARchidiacono.] In hac sexta collectione, & in tertia, *sub hoc tit. cap.2.* legitur *Archiepiscopo*. Sed tam inscriptionem, quàm literam restituo *ex lib. 1. epistolar. Innoc.III.* recognito à Sirleto vbi *fol.169.* reperitur textus hic. Et licèt Bosquetus *in notis ad Innoc.III. lib.2. epist.35.* referat epistolam hanc ad casum relatum *in cap. 6. de fide instrum.* tamen doctus vir apertè fallitur: vt constat ex vtriusque textus contextura: siquidem *in dict. cap.6.* agitur de lite mota inter Archiepiscopum Mediolanensem, & Abbatem Monasterij de Scozuela; at verò in præsenti agitur de literis impetratis ad præbendam. De Metropoli Mediolanensi egi *in cap. cùm adeò, de rescript.*

b *Magistra.*] Vt probaui *in cap. 1. de summa Trinit. cap.1. de rescriptis.*

2 c *Importunitatem.*] Vnde tales literæ non valebant, iuxta tradita *in cap. si quando 15. de rescript.*

d *Dictaminis.*] Dictamina dixerunt mediæ ætatis scriptores formulas ipsas scribendi, vt probat Bosquetus *ad Innocent. III. lib.1. epist.136.* inde dictator, qui formulam ipsam componit, de quo forsan agitur *in l.1. de Leg. & decret Legat.* ibi: *Nullus igitur obsistat dictator, nemo consilijs obloquatur.*

e *Bullam tamen.*] Bulla quid sit, & vnde dicta, notaui *in cap.6. de fide instrum.*

f *Constituimus.*] Extat hæc constitutio infrà, *cap.7.*

g *Per rasuram.*] De hac specie falsitatis egi *in cap. olim, de rescript.* Alia etiam falsitatis indicia congesserunt Sesse *tom.2. decis.118.* P. Franc. Valens *tom.1. concord. iur. in proœmio Clement. cap.5.* & ex diuersitate atramenti oriri suspicionem falsitatis, probant latè Valenzuela *consil.121. num.151.* Barbosa *in cap. inter, de fide instrum. num.3.* ex diuersitate papyri, & similibus. Barbosa *voto 68.* 3

C A P V T VI.

Idem a *Antibarensi Episcopo*.

QVàm graui pœnæ subiaceat. *Et infrà:* Ad audientiam siquidem nostram ex literis in Christo charissimi filij nostri Vvalcan. Diocliæ Regis Illustris, necnon & tenore literarum tuarum, quas dil. fil. I. Capellano nostro apud Durachium direxisti, noueris peruenisse, quòd cùm Dominicus quondam Suacen. Episcopus, qui coram eodem Capellano, & dil. fil. S. Subdiacono nostro, tunc in partibus illis gerentibus legationis officium, fuerat de *b* homicidio accusatus, & in Concilio apud Antibaren. Pontificalem resignauerat dignitatem ad nostram olim præsentiam accessisset, à nobis rediens quasdam tibi literas præsentauit, quibus asserebat, sibi à nobis Pontificale officium restitutum. *Et infra:* Tu verò literis illis fidem adhibens, ven. f. n. G. quem in Suacen. Episcopum electum canonicè diceris consecrasse, ab eadem Ecclesia remouisti, præfato Dominico occasione literarum falsarum in ipsa Ecclesia restituto. Præfatus verò R. sicut suis nobis literis intimauit, non credens literas illas de nostra conscientia emanasse; tam ipsum Dominicum, quàm præfatum Episcopum nostro præcepit conspectui præsentari, humiliter petens rescripto Apostolico edoceri, quid duceremus de ipso negotio statuendum. Nos verò scriptum literarum falsarum diligentiùs intuenres, in eis, tam in continentia, quàm in dictamine manifestè deprehendimus falsitatem: ac in hoc fuimus non modicùm admirati, quia tu tales literas à nobis credideras emanasse, cùm præsertim scire debeas, Apostol. Sed. consuetudinem in suis literis hanc tenere, vt vniuersos Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos fratres; cæteros autem, siue Reges sint, siue Principes, vel alios homines, cuiuscunque ordinis sint, filios in nostris literis appellemus: & cùm vni tantùm personæ nostræ literæ diriguntur, nunquam ei loquimur in plurali, siue vos, siue vester, vel his similia in ipsis literis apponantur. In falsis autem tibi literis præsentatis, in salutatione dil. fil. Christo filius vocabaris; cùm in omnibus literis, quas aliquando tibi transmiserimus, te videre potueris

à nobis fratrem venerabilem appellatum. Propter quòd sic te esse volumus in consimilibus circumspectum, vt per falsas literas denuò nequeas circumueniri, vel falli; sed sic literas Apostolicas studeas diligentiùs intueri, tam in *c* bulla, filo, & charta, quàm stilo, quòd veras pro falsis, vel falsas pro veris aliquo modo non admittas.

N O T Æ.

1 a ANtibarensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.3.* non autem extat præsens epistola inter editas à Sirleto, & Bosqueto; & ita corrupta est præsens litera, vt nullo modo cognosci possit in qua orbis regione præsens casus contigisset; nec apud Hortelium, Gerardum, Mercatorem vlla mentio extat Regni Diocliæ, & ciuitatum Antibarensis, & Suacensis, quarum mentio fit in præsenti textu: nec Carolus à Sancto Paulo in sua Geograph. sacra eas recenset.

b *De homicidio.*] Vnde priuandus erat ipso beneficio, iuxta tradita *in cap.... de homicidio.*

c *Bulla, filo.*] Iuxta textum *in c. licèt, sup. hoc tit.*

COMMENTARIVM.

2 PRo huius textus illustratione sciendum est, iam olim rescriptis tam Imperialibus, quàm Pontificijs salutationem adscribi consueuisse; solebant enim Principes salutationem præponere illis, quibus rescripta dirigebant, & non semper eisdem verbis, sed aliquantulum diuersis. Interdum salutatio adscribebatur hoc modo. *Aue charissime*, vt constat ex inscriptionibus legis 2. *C. de offic. Rector. Prouinc. l.5. C. de priuil. eorum qui, in Theodos. l.1. eod. C. qui petant tut. l. fin. C. ne quid public. lætitiæ, l.34. C. de hæretic. Aue Donate charissime. Et l.4. C. de operib. publicis: Aue Felix charissime. Et l.5. eod. tit. Aue Catilina charissime.* Et ex alijs congestis à Brissonio *de formulis, lib.3. fol.*351. Cuiac. *lib.1. obseru. cap.*15. Iuret. *in notis ad Symmachum, lib.2. epist.69.* Vnde restituenda est inscriptio textus *in l. si quis homicidij, C. de accusat.* in hunc modum: *Aue Crispine charissime nobis.* Notauit Concius *lib.1. disput. cap.* 15. Pontifices etiam hac formula vti solitos in rescriptis, liquet, *ex cap. aliquando, de sent. excomm.* ex proœmio Decret. eaque fuit communis salutandi formula, *Charissime nobis*, vt *in l.2. C. Theodos. de offic. Rect. Prouinc. l.5. eod. C. de priuil. eorum, l.52. eod. C. de appellat.* idque significant notæ illæ K. N. B. *in l.27. C. de Decur. l.17. C. Theodos. de suscept. l.13. C. Theodos. de lustrali collat. l.2. eod. C. de his qui ex publica collat. l.5. & 8. eod. C. de falsa monet.* Vnde restituenda est inscriptio legis primæ *C. Theodos. de erogat. milit. annon.* & corrigendum Codicis Gregoriani fragmentum apud Petrum Piteum *in collat. legum Mosaic.* iuncto Brissonio, *vbi suprà, fol.*314. Etiam notandum est, tam Imperatores, quàm Pontifices personas illas, quibus rescripta mittebant, variis nominibus inscripsisse. Imperatores rescriptis ad Præfectos Prætorio, & Patricios missis, eos parentes appellabant, *l.4. C. de locato*, ibi: *Ad Domitium Vlpianum Præfectum Prætorio, & parentem meum.* Et *l.6. C. de annonis, in Theod.* ibi: *Præfecti Prætorio, parentis, amicique nostri.* Plura congessit Brissonius *de formulis, fol.* 352. Cùm verò Rectoribus Prouinciarum, & Comitibus rescribebant, eos fratres appellabant. Theodosius, & Valent. *in Nouel. de patrimonialib. rei domin.* ibi: *Marcelline frater amantissime*, Cassiodor. *lib.6. var. in formula Rector. prouinc.* ibi: *Quid de te existimatum sit, datur aduerti, cui tot videntur nobiles posse postponi. Additur quod à Principe frater vocaris.* Romani etiam Pontifices pro diuersitate personarum diuersis vtuntur nominibus; si enim Episcopis, Archiepiscopis, aut Patriarchis rescripta mittunt, eos fratres appellant, *cap. peruenit, 84. dist. cap. fratres, 86. dist. cap. dilectus, de offic. deleg. cap. cùm dilectus, de cleric. non resid. cap. venerabilis, de except. cap. venerabilis, de iudicijs, c. venerabilis, de confirm. vtil.* nec sine ratione: nam Episcopi Apostolorum successores pari consortio cum D. Petro, ac eius successoribus honorem, & potestatem acceperunt, *cap. in nouo 22. dist.* & participes sunt dignitatis Episcopalis cum Pontifice, *cap. præterea, 51. dist.* quia vocati sunt in partem solicitudinis, *cap. fundamenta, §. debet, de elect. in 6.* quæ societas iura quodammodo fraternitatis in se habet, *l. verum 63. ff. pro socio*: considerant P. Greg. *in proœm. Decr. n.*14. Franc. Valens *in concord. in eod. proœm. n.5.* Duaren. *lib.2. de sacris, c.6.* alias rationes ex fratris nomine deductas adducunt Sauar. *in notis ad Sidon. lib.1. ep.11. v. Verè habes*, Claud. Espenceus *ad D. Paulum, c.4. ad Timoth.* Dorleans *in not. ad Tacitum, fol.*292. Altamir. *in l.1. c.7. n.68. C. de filijs offic.* Si autem Episcopis tantum electis, non verò confirmatis Pontifex rescribat, eos filios appellat. *c. sanè, de renunc. c. nosti, de elect.* Cardinales etiam Ecclesiæ Romanæ filios appellat, *c. licet 49. de testib. c. coram, de offic. Legat.* nisi reperiantur simul Episcopi, aut cum eis, & Episcopis simul loquatur, vt *in cap. in Gen. 49. de elect. propè fin. extrau. Conditorem*, Ioanni XXII. *de verb. sign. extrau. Execrabilis, §. nos itaque, de præb. c.1. de renunc. eod. lib. c.1. de offic. Legat. eod. lib.* in Concilio Romano sub Calixto *c.12.* Illustrant Baron. *anno 283. n.27.* Anton. Augustin. *lib.2. de emend. Gratiani, dialogo* 5. Duaren. *d. cap.6.* Etiam Episcopus, dum alloquitur cum Canonicis proprijs, fratres appellat, vt probat Cironius *ad titulum de his quæ fiunt à Prælatis*: & Pontifex cùm scribit Capitulo, hac formula vti solet, *Vobis filij Capituli*, vt *c. constitutus 11. de concess. præb. c.3. de testamen. in 3. collect.* Iuxta quem Ecclesiæ vsum passim in hoc volumine Decretalium reperiuntur in Epistolis Decretalibus formulæ illæ, cùm Pontifex scribit Episcopis, *Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus; cap. ad audientiam*, & passim *de rescript.* cùm verò Cardinalibus, *Discretioni vestræ, c. ad decorem, de instit. in 3. collect. cap. quia diuersitatem, de concess. præbend. cap. dilectus, de excessib. Prælat.* Cùm autem Episcopi sunt tantùm consecrati, eos filios appellat, *cap. nosti, de elect. cap.12. de accusat. in 1. collect.* Principes autem sæculares semper filios appellat Illustres, vt *in cap. nouit*, vbi notaui, *de offic. Legati*; charissimos, vt in præsenti textu: gloriosos *in c.1. de arbitris, in 1. compil.* & illustrat Viuar. *ad epist. nuncupator. Marci Maximi*: Orthodoxos, vt probat Valdes *de dignit. Reg. cap.*13. Immò & Concilia etiam prouincialia Principes sæculares filios appellant. Concil. Brachar. *in proœmio*, Concil. Tolet.4. Probant, & illustrant Cironius *in parat. ad hunc tit. & lib.1. obseru. cap.17.* Petrus Greg. *in proœm. Decret. n.4. & lib.1. de rescript. cap.*48. Duarenus *lib.2. de sacr. Eccles. cap.6.* Franc. Valens *cap.1. concord. iuris Pont. in proœm. Decretal. cap.1. ferè per totum*, Germonius *in indult. Cardin. verbo Dilecto*, Pancirola *lib.1. var. cap.1.* Barbosa *de potest. Episcop. p.1. tit.1. cap.1.* Cæsar *de Eccles. hierarch. disp.6. in princip.* Acuña *in c.1. 84. dist. & in cap. fratres, 86. dist.* Nec absque ratione Pontifex Episcopos, Archiepiscoposque fratres appellat; nam illi Apostolorum successores pari consortio cum Diuo Petro, & eius successoribus honorem, & potestatem acceperunt, *cap. in nouo, 21. dist.* quæ societas iura fraternitatis quodammodo in se habet, *l. verum, 63. ff. pro socio*: & sunt in partem solicitudinis vocati, & in executionem sacerdotalis officij coadiutores Pontificis sunt, *cap. per venerabilem, §. sunt autem, qui filij sint legit.* Sic etiam Romani Imperatores solebant salutationem proponere in suis rescriptis, directam illis, quibus scribebant, quos amicos vocabant, hoc modo: *Aue charissime nobis*, vt *in l.2. ff. de offic. Rect. Prouinc. l.4. C. Theodos. de oper. public. l.5. eod. C. de priuil. eorum*; & cùm ad Præfectos Prætorio scribebant, parentes vocabant, *l.4. C. locati, l.6. C. Theodos. de annonis, & tribut. l.1. eod. C. de Episcopal. indict.* Rectores verò prouinciarum, & Comites fratres. Maioranus *in nouel. de bon. caduc.* ibi: *Enodi frater amantissime.* Theodosius *in nouel. de tyranibus*, ibi: *Isidore frater, & in nouel. de lampadarijs*, ibi: *Opilio frater: & in nouellis de ambitu, de metatis, & patrimonialibus.* Cassiodorus *lib. 6. epist.21.* ibi: *Additur quòd à Principe frater vocaris.* Illustrant Brissonius *lib.3. de formul. fol.*353. Sauarus *ad Sidonium lib 1. epist.11. verbo Verè habes.* Est enim fratris nomen summi affectus, charitatis, & beneuolentiæ, *l. nemo 58. §.1. ff. de hæred. instit.* Apuleius *lib.8. de asino aureo.* vbi notauit Beraldus. Quintilianus *declam.31.* ibi: *Certè quotiens blandiri volumus amicis nulla adulatio vltra procedere hoc nomen potest, quàm vt fratres vocemus. Quid est aliud fraternitas, quàm diuisus spiritus?* Homil.4. Apostolor. quæ est Eucherij, sub nomine tamen Eusebij circumfertur, ibi: *Fratres autem, sorores, patres, & matres, vxores, & filij dicuntur, non natura, sed officio, & affectione; quos enim multùm diligimus, fratres vocamus.* Frater enim, si vocis etymologiam spectes, teste Petro Nigidio

apud

apud Gell. *lib.* 13. *noctium Attic. cap.* 10. dicitur quasi ferè alter. Plura congesserunt Haæphtenus *lib.* 3. *disquis. monast. tract.* 4. *disquis.* 2. Claudius Espencæus *ad D. Paulum in epist. ad Timoth. c.* 3. *n* 16 Altamiranus *in l.* 1. *C. de filijs offic. cap.* 7. *n.* 69. Dorleans *ad Tacitum lib.* 1. *fol.* 92. Valenzuela *to.* 1. *cons.* 98. vnde rectè Innocent. docet in præsenti vitium falsitatis præsumi, si inuerso hoc stylo in rescriptis Pontifex Episcopum filium, aut alios Ecclesiæ Prælatos, seu Principes sæculares fratres appellauerit. Aliud etiam indicium falsitatis deducit Innocentius ex eo, quòd cùm vni scriberet, plurali numero vtebatur, cùm stylus Romanæ Curiæ sit, vt Pontifex in suis litteris, dum ipse loquitur, ob dignitatis reuerentiam plurali numero vtatur; erga eum verò, cum quo loquitur, singulari, vt probant Solorzan. *to.* 2. *de iure Indiar. lib.* 1. *c.* 12. Germon. *de indult. Cardin. §. seruus Dei*, Restaurus Castald. *de Imper. q.* 60. Licèt priscis Ecclesiæ temporibus Pontifex singulari de se nomine, plurali cùm cæteris loqueretur, vt constat ex epistola Gregor. Magni ad Eulogium, relata *in c. ecce, dist.* 99. & notauit Exca *in l. vnic. C. de palatijs, fol.* 20. & 21.

C A P V T VII.

a Idem.

AD falsariorum confutandam malitiam iam alia vice recolimus *b* literas Apostolicas destinasse, in quibus falsitatis modos, ne quis se posset per ignorantiam excusare, meminimus pleniùs dixisse. Quia verò nonnunquam euenit, vt falsas literas exhibentes, postquam super his fuerint redarguti, ad excusationem suam se dicant literas huiusmodi per alios impetrasse, de communi f. n. consilio duximus statuendum, vt qui literis nostris vti voluerint, eas priùs examinent; quoniam si falsis literis se vsos dixerint ignoranter, eorum sera pœnitentia euitare nequit pœnas inferiùs annotandas. Nos enim omnes falsarios, qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, cùm fautoribus, & defensoribus suis anathematis vinculo decernimus innodatos, statuentes vt clerici, qui falsarij fuerint deprehensi, omnibus officijs, & beneficijs ecclesiasticis perpetuò sint priuati. Ita quòd qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per ecclesiasticum iudicem fuerint degradati, sæculari *c* Potestati tradantur secundùm constitutiones legitimas puniendi; per quam & laici, qui fuerint de falsitate conuicti, legitimè puniantur, & si clerici fuerint, officijs, & beneficijs ecclesiasticis spolientur; si laici, tamdiù maneant excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter; ita tamen, vt in istis, & alijs malitia grauiùs, quàm negligentia puniatur. Quod & de ijs, qui falsas literas impetrant, statuimus obseruandum.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex, & hanc constitutionem direxerit; quia in ea generalem legem condere voluit contra falsarios: & ita ab omnibus generaliter obseruandam proposuit.

b *Literas.*] Relatas suprà *in cap. licèt.*

c *Sæculari Potestati tradantur.*] Verba hæc, & textum exposui suprà *in cap. ad audientiam.* 2

C A P V T VIII.

a Idem.

ACcedens ad præsentiam nostram P. presbyter lator præsentium, sua nobis insinuatione monstrauit, quòd cùm olim nixus ab Archipresbytero, & Clericis de Casalinouo pro quibusdam causis, super quibus à te se fatebantur indebitè prægrauari, ad nostram præsentiam accessisset, nec posset pro eo, quòd tunc temporis nos eramus infirmitate grauati, suas literas obtinere, moram apud Sedem Ap. faciendo, post paucos dies contigit, ipsum etiam infirmari. Dum autem esset in lecto ægritudinis constitutus, accessit ad eum quidam Clericus de Casalinouo Azo nomine, qui tunc temporis morabatur in Vrbe, & sub spe dilectionis, & gratiæ promisit ei se, quas à nobis postulabat, literas obtenturum: qui credidit verbo eius, & expensas tribuit, quas pro literis ipsis se expensurum præfatus Clericus proponebat. Tandem ad eum quasdam commissionis literas ad ven. f. n. Tranensem Archiep. & dilectum filium Abbatem de Coronata portauit: quas prædictus presbyter credens veras esse, & de nostra conscientia emanasse, ad iudices detulit delegatos: cùmque in præsentia ipsorum iudicum tu literas argueres falsitatis, & sacerdos ipse, & alij Clerici de Casalinouo eas veras esse proponerent, tu easdem literas sub sigillo prædictorum iudicum ad nostram præsentiam direxisti: quas vtique falsas esse deprehendimus manifestè. Pro quo tibi per scripta nostra mandauimus, vt illum, qui præfatas literas impetrauit, officio, beneficioque suspensum ad nostram præsentiam dirigeres puniendum. Verùm cùm sacerdotem prædictum sua redderet conscientia innocentem, postquam tu eum officio, & beneficio suspendisti, ad nostram festinanter accessit præsentiam ad suam innocentiam excusandam. Sed cùm apud nos moram faceret longiorem, & à nobis misericordiam postularet, præfatæ falsitatis omnimodam ignorantiam proponendo, ipsum tamen cum literis nostris ad te duximus remittendum, vt misericordiam inueniat, quam precatur. Inde est, quòd fraternitati tuæ per A. f. m. quat. si præfatæ literæ, in quibus fuit falsitas deprehensa, formam de simplici iustitia habuerunt, cùm præsumi non debeat, quòd pro talibus literis, quæ de facili possunt à quibuslibet obtineri, fraudem commiserit falsitatis ab ipso presbytero canonica purgatione recepta, quòd conscius non fuerit falsitatis, nec *b* literis illis vsus est, postquam eas falsas esse cognouit, tu ei diuinæ pietatis intuitu officium, beneficiumque restituas, & eum super hoc vlteriùs non molestes: quia sicut iustum est excessus corrigere delinquentium, sic iniquum meritò reputatur, si seueritas pœnæ puniat innocentes.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in 4. collect. *sub hoc tit. c.* 1. in epistolis verò editis Coloniæ *lib.* 2. *fol.* 226. vbi reperitur hic textus, prout in præsenti transcribitur, additur *Sipontino Archiepiscopo.*

b *Literis vsus est.*] Aliàs falsi crimen committeret, iuxta tradita *in cap. ad audientiam.* 2

C A P V T IX.

Idem *Episcopo Roffen. Archid. Bathonien. & Magistro Vv. de Sancta Fide, Canonico Vvibelen.*

EX continentia literarum dilectorum filiorum N. Abbatis sanctæ Crucis de Vvalthan, & Magistri Simonis de Suuelle nobis innotuit, quòd cùm olim quæstio, quæ vertebatur inter dilectos filios M. Phil. de Ludeleuue, ex vna parte; & Robertum, & Vincentium clericos, ex altera, super Ecclesia de Streton, ipsis, & N. quondam Abbati de Straford, à bonæ memoriæ C. Papa prædecessore nostro commissa fuisset, eodem Abbate pariter, & prædicto Vincentio de hac luce subtractis, prænominati duo iudices iuxta tenorem rescripti Apostolici procedentes, attestationes, & allegationes vtriusque partis diligentiùs audierunt: tandem cùm renunciatum eis ab vtraque parte fuisset, & secundùm allegata definitiua esset sententia promulganda, contra Magistrum P. aduersa pars literas Apostolicas arguit falsitatis, & eas esse falsas sub periculo causæ se firmiter asseruit probaturam, sibi legem imponens, vt à causa caderet, nisi probaret euidentiùs falsitatem: & ne vlteriùs iudices in causa procederent, Sedem Apostolicam appellauit. Sæpedicto autem Phil. exhibente illum, per quem literas impetrauit, & firmiter promittente, quòd eas veras esse probaret, memoratus R. ab eisdem iudicibus requisitus, vt aliquam notam exprimeret falsitatis, propter quam falsas esse literas proponebat, nihil aliud specificare voluit, nisi quòd eas falsas dixit, & asseruit à Cancellaria nostra nullatenus emanasse. Supradicti verò iudices ab ipso R. iuratoria cautione recepta, quòd accusationem falsitatis prosequeretur, sicut superiùs est expressum, sequentem diem post Dominicam, qua cantatur, *Lætare Hierusalem*, proximò præteritam, ad prosequendum coram nobis appellationem interpositam, vtrique parti terminum præfixerunt. Cæterùm præfatus Rob. in termino prætaxato ad præsentiam nostram accedens, super falsitate literarum, ac processu negotii, veritate suppressa, vt dicitur, à nobis ad prædictos iudices literas impetrauit, & nihil prorsus de falsitatis accusatione proponens, à Sede Apostolica furtiuè recessit. Verùm nos literas ipsas, quæ redargutæ fuerant falsitatis, diligentiùs intuentes, nullum in eis signum falsitatis, vel suspicionis inuenimus, nisi paucarum literarum rasuras, quæ nequaquam sapientis animum in dubitationem vertere debuerunt. Ideòque discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquiratis super his diligentiùs veritatem: & si vobis constiterit iamdictas literas à nobis fuisse veritate tacitè impetratas, & sepædictum Rob. sese obligasse sub periculo causæ, quod priores literas falsas esse probaret, cùm inter ipsum, & aduersarium suum quæstio personalis agatur, & quilibet abrenunciandi iuri suo liberam habeat facultatem, ipsi Rob. super prædicta Ecclesia silentium imponatis: alioquin partibus conuocatis, audiatis causam, & ap. rem. fine debito terminetis. Datum Laterani 12. Kal. Nouembr.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.2* & reperitur textus hic *lib.1.epist.Innoc.epist.* 400 ex quo regestro literarum huius textus restituo. Casus præsentis textus contigit in Anglia, vbi extat Monasterium S. Crucis de Balthan, constructum ab Haroldo Rege Anglorum, vt referunt Matthæus Paris. *in Vvillelmo I.* continuator Bedæ *lib.3. cap.13.*

b *Rasuras.*] Quæ attendi debent, præcipuè si extent in loco suspecto, iuxta tradita *in c.6. de fide instrum.* 2

c *Renunciandum.*] Vt probaui latè *in cap. si diligenti, de foro compet.*

T I T V L V S XXI.

De sortilegis.

C A P V T P R I M V M.

Ex Pœnitentiali a Theodori.

IN *b* tabulis, vel in codicibus sorte *c* futura non sunt requirenda: aut nullus in Psalterio, vel in Euangelio, vel in alijs rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare. Quod si fecerit; xl. *d* dies pœniteat.

N O T Æ.

1 a THeodori.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.1.* & in Pœnitentiali Romano, *tit.6. cap.7.* ita textus hic habetur: *In tabulis, vel in codicibus sorte futura non sunt requirenda, vt nullus in Psalterio, vel in Euangelio, vel in alijs rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas in aliquibus rebus obseruare. Quod si fecerit, xl. dies peniteat.* Et *cap.20.* ita habetur: *Requisisti sortes in codicibus, vel in tabulis, vt plures solent, qui in Psalterijs, & in Euangelijs, vel in alijs huiusmodi rebus sortiri præsumunt. Si fecisti, decem dies pœniteas.* Quæ verba etiam refert Purchardus *lib.19. Decr.* & retinendo illa verba, 40. *dies peniteas*, Papiens. *in 1. coll. sub hoc tit. c.2.* De hoc Pœnitentiali Theodori, & eius antiquitate egi *in c.3. de furt.*

b *Tabulis.*] *In talibus*, legitur hæc in sexta collectione, sed vtrobique malè; & legendum esse *in taleis*, obseruauit Ciron. *lib.1. obser. c.3.* taleæ enim sunt sectiones lignorum, vel præsegmina, teste Varrone *lib.1 de re rustic.* Vnde Nonius Marcel. *c.8.* dici ait rustico vocabulo *intertaleare*, id est diuidere, vel excidere ramum ex vtraque parte æqualiter præcisum. Vnde quia in his surculis, & ramis sortes inquirebantur, ideo rectiùs legendum est, *in taleis.* Morem hunc sortes inquirendi expressit Tacitus *de moribus Germanorum*, his verbis: *Sortium consuetudo simplex: Virgam frugiferæ arbore decisam in surculos amputant, eosque notis quibusdam discretos super candidam vestem temerè, ac fortuitò spargunt: mox si publicè consulatur, sacerdos ciuitatis, sin priuatim, ipse paterfamilias* 2

Digitized by Google

miliat precatus Deos, cælumque suspiciens, ter singulos tollit, sublatos secundùm impressam antè notam interpretatur. Similem Sinarum diuinationem describit Ioannes Mendoza Episcopus Liparensis *l. 2. Histor. Sinarum, cap. 4.* & Philippinensium Ignatius *cap. 8. Itinerarij.*

3 c *Futura.*] *Fursa* legitur in hac sexta collectione, *sed malè*; nam per has sortes Sanctorum in codicibus, & libris sacris non furta inquirebantur, sed futura requirebantur: quæ lectura suadetur ex verbis sequentibus, ibi: *Nec diuinationes aliquas.* Facit canon 4. Concilij Aquisgran. celebrati tempore Caroli Magni, prout habet *tom. 17. Concilior. pag. 45.* ibi: *De codicibus, vel tabulis requirendum, & vt nullas in Psalterio, vel in Euangelio, vel in alijs rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas obseruare.*

d *Quadraginta dies.*] De hac pœnitentia, & eius forma egi *in cap. accusasti, de accus.*

COMMENTARIVM.

4 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc canone, prout iacet in Pœnitentiali, sequens deducitur assertio: *Sortes in libris, vel taleis pro futuris sciendis non sunt faciendæ.* Probant textus *in cap. qui diuinationes 2. cap. non liceat 3. cap. aliquanti 6. cap. sortes 7. cap. si quis clericus 9. 26. quæst. 5.* D. Augustinus *epist. 119. Qui de paginis Euangelij sortes legunt, etsi optandum est, vt hoc potius faciant, quàm vt ad dæmonia consulenda concurrant; tamen etiam ipsa mihi displicet consuetudo, ad negotia sæcularia, & ad huius vitæ vanitatem, propter aliam vitam loquentia, oracula diuina velle conuertere.* Concil. Altissiod. *can. 4.* ibi: *Non liceat ad sortilegos vel auguria respicere, nec ad characteres, nec ad sortes, quas Sanctorum vocant, vel quas de ligno, aut pane faciunt, aspicere; sed quæcunque homo facere vult, omnia in nomine Domini faciat.* Narbon. *can. 14.* Veneticum sub Leone I. *can. 1. Ac ne fortasse id videatur omissum, quod maximè fidem catholicæ religionis infestat, quod aliquanti clerici student augurijs, & sub nomine confictæ religionis, quas Sanctorum sortes vocant, diuinationis scientiam profiteatur, aut quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt, in hoc quicunque clericus detectus fuerit vel consulere, vel docere, ab Ecclesia habeatur extraneus.* Concil. Agath. *can. 42. & 68.* Aurelian. 1. *can. 32.* Brachar. 1. *anathematismo 9. & 10.* Tolet. 4. *can. 29.* Nicolaus I. ad consulta Bulgar. *can. 77.* ibi: *Refertis, quòd Græcorum quibusdam codicem accipientibus in manibus clausum, vnus ex eis accipiens paruissimam particulam ligni, hanc intra ipsum codicem condat; & si vndecunque aliqua vertitur ambiguitas, per hoc affirmant, se scire posse quod cupiunt: vos verò consuluistis, si sit obtinendum, an respuendum? Vtique respuendum est; scriptum est enim: Beatus vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas.* Veneticum *cap. 16.* Raphael à Torre *in 2. 2. qu. 9. sect. 8. disp. 3. dub. 4.* Theophilus *tom. 15. in Heter. spir. p. 2. punct. 4.* quæ & alia iuris decreta congesserunt Anton. Augustin. *in epit. iur. lib. 34. tit. 5.* Basilius Legion. *quæst. 2. scholast. in dicto can. 4.* Concil. Altissiod. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti,* Hunnius *in encyclop. iuris can. tit. 7.* Cotuinus *lib. 4 aphor. tit. 29.* Petrus Greg. *lib. 4. partit. tit. 12. & de elect. cap. 3. & de Republ. lib. 13. cap. 17. cum duobus sequent.* Simon Maiolus *dier. canicular. verbo Vaticinia,* Azor *lib. 9. institut. cap. 20. cum sequent.* Balsamon *in can. 61. 6. Synodi,* Antonius Syluius Clarus *lib. . de legibus, cap. 1.* Aloix *ad vitam S. Abruci, tom. 2. cap. 13.* Mancinus *de triplici iur. collat. cap. 122. & 124.* Victoria *in relect. de arte magica,* Thomas Delbene *2. part. de offic. Inquisit. dub. 225. sect. 5.* Nouus Notator P. Blesensis *epist. 30.*

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consi-

5 *Impugnatur tradita assertio.* deratione. Nam quod à sanctis, & pijssimis viris factum legimus, improbare non debemus: sed sancti, & pij viri sæpiùs futura spectabant, & deducebant ex librorum sortibus, vt de se fatetur D. Augustinus *lib. 8. confessionum, cap. 13.* & de Diuo Francisco narrat D. Bonauent. *vitæ illius cap. 13.* è quo D. Antonin. *3. part. summæ histor. tit. 24. §. 7.* sed carptim, & mutilatè desumpsit; sic ille his verbis: *Immissum est eius menti per diuinum oraculum, quod in apertione libri euangelici aperiretur ei à Christo, quid Deo in ipso, & de ipso maximè foret acceptum. Oratione itaque cum multa deuotione præmissa, sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum vtique Deo deuotum, & sanctum. Sanè cùm in trina libri apertione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quòd sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus, & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret,* &c. Alia piorum virorum exempla dabimus infrà. Ergo non rectè in præsenti asseritur, sorte inquirere futura in libris, & codicibus illicitum esse. Augetur primò hæc difficultas ex eo, nam sors consultoria licita, est quando vallatur necessitate, ac debita reuerentia, vt infrà dicemus *in cap. fin.* & tamen ordinatur ad cognoscendum, quid in futurum agendum sit: ergo sors diuinatoria per librum licita est, quamuis ordinetur ad futura prænoscenda. Secundò fulcitur eadem difficultas, quia quod non est malum ab intrinseco, & secundùm se, aliquando, & cum aliquibus circumstantijs potest reddi licitum: sed sortes diuinatoriæ non secundùm se, & ab intrinseco sunt malæ: ergo cum aliquibus circumstantijs poterunt licitè exerceri. Maior patet, minor autem probatur: tum quia in lege veteri fuerunt licitæ, & ex lege cæremoniali Dei in populo permissæ, & approbatæ, vt in sortoribus Ionathæ, Achoris, & Ionæ, quas nedum diuisorias, sed simul consultorias fuisse, post Liram probat Ribera *super Ionam cap. 1.* Inter duos hircos, quorum vnus erat immolandus, alter in desertum ablegandus, sors mittebatur, *Leuit. cap. 16.* Terra Promissionis sorte diuisa est inter Israelitas. *Numer. cap. 25.* Sacerdotalia munera sorte obtingebant, *lib. 1. Paralip. cap. 24.* ideòque narrat D. Lucas, sorte obtigisse, vt Zacharias Ioannis pater thura Deo intra Sanctuarium succenderit: & Aaron sorte ad sacerdotium alijs prælatus est, sic Deo iubente *Numer. cap. 17.* Tum denique quia sortitio diuinatoria potest aliquando fieri, non diuinatiuè, idest non vsurpando quod diuinum est; sed suscipiendò quod est diuinum, idest cognitionem futurorum ex Dei reuelatione inquirendo, & recipiendo. In hoc autem non esse malitiam diuinationis, probat D. Thomas 2. 2. *quæst. 95. art. 1.* alioquin cuncti Prophetæ in vsu Prophetiæ peccassent, siquidem futurorum cognitionem ex Dei reuelatione susceperunt. Igitur non semper vti sortibus diuinatorijs illicitum est. Tandem fulcitur hæc difficultas ex eo, nam etsi daremus, diuinationem per sortem malam esse, non inde sequitur continere speciem sortilegij, seu superstitionis, sed tantùm vitij curiositatis, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæst. 167. art. 1.* asserens committi vitium curiositatis ex ipsa inordinatione appetitus sciendi veritatem, in quantum aliquis studet addiscere ab eo, à quo non licet; sicut illi, qui à dæmonibus aliqua futura perquirunt, quæ est superstitiosa curiositas; quod probat ex D. Augustino *in libro de vera & falsa religione, cap. 4.* ibi: *Nescio an Philosophi impedirentur à fide curiositatis vitio in procurandis dæmonibus.* Et *dicta quæst. 95. art. 2. in solut. ad 1.* exponens idem Augustini testimonium, ait, quòd diuinatio pertinet ad curiositatem; quantùm ad finem intentum, qui est præcognitio futurorum; sed pertinet ad superstitionem quantùm ad modum operationis. Atqui humani actus sumunt speciem à fine, teste eodem Angelico Doctore 1. 2. *q. 1. art. 3.* ergo huiusmodi diuinatio per sortitionem, non superstitionis, sed curiositatis species est.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens 6 *De sortilegijs.*
assertio, pro cuius expositione sciendum est, sortilegium in genere omnem diuinationis, impietatis, vanitatisque magicæ speciem comprehendere, *cap. si per sortiarias, 33. qu. 1.* Petrus Greg *lib. 34. syntag. cap. 1.* Sanchez *lib. 2. moral. cap. 28.* Sed propriè, & strictè sortilegi dicti sunt à sortibus, cùm sit diuinatio per sortem; indeque sortilegus dicitur, qui per sortes futura prænunciat, aut qui per sortem aliquid eligit, vt Horatius inquit *de arte poetica*: Et diuina futuri sortilegi non discrepuit sententia Delphis. Fiebat autem olim multis modis sortitio, vt ait Cicero *lib. 2. de diuinat.* ibi: *Quid enim sors est? idem propemodum quòd micare, quòd talos iacere, quòd tesseras: quibus in rebus temeritas, & casus, non ratio, & consilium valuit.* Ea enim semper fuit hominum insania, vt suarum rerum euentum ex vanissimis superstitionibus præcognoscere frustra conarentur. Dementia sanè non aliunde profecta, quàm ex veteri illa, innataque auiditate sciendi bonum, & malum, quæ primum hominem ex supremo felicitatis gradu miserè deiecit. Eòque maior, & grauior, quòd cùm argumenta suppeterent, quibus ea vanitas, quàm

Digitized by Google

tas, quàm ridenda est, conuinceretur, nec numero pauca, nec intellectu difficilia, adeò sese humana mens tenebris inuoluit, vt cùm sæpiùs mendacia deprehenderet, sæpiùs eidem scopulo non sine miseranda strage illideretur. Hei quot monstra excogitauit, aut dæmonis astu conficta suscepit, & coluit velut diuina oracula vetustas delusa? cùm eximius eorum Poeta dixerit:

Heu vatum ignaræ mentes!

Hinc diuinatio per terram, Geomantia dicta; per aquam, Hydromantia; per aerem, Aeromantia; per ignem Pyromantia, *cap. igitur genus*, 26. *qu*. 3. *cap. nec mirum*, 26. *qu*. 5. tandem Cleromantia, quæ est diuinatio per sortes, de quibus fusè egerunt Delrius *disquis. magicar. 2. p. ferè per tot.* Petrus Gregor. *lib.* 34 *syntag. cap.* 1. *num.* 11. Torreblanca *de mag. cap.* 22.

7 De sortibus Sanctorum. Sed vt ad sortes, quas veteres fideles vocabant Sanctorum, vel Apostolorum, perueniamus, in quibus ex Scripturarum inspectione futura prænoscebant, sciendum est, apud Gentiles fuisse sortes, quas Virgilianas vocabant; nam aperto Virgilij, vel Homeri codice, versus, qui primi visui occurrissent, in oraculi omen assumebantur. Meminit harum sortium Ælius Spartianus in Adriano: *Cùm solicitus*, inquit, *de Imperatoris erga se iudicio Virgilianas sortes consuleret, incidit in hunc locum.*

Quis procul? Ille autem ramis insignis oliuæ
Sacra ferens? Nosco crines, incanaque menta
Romani Regis, primus qui legibus vrbem
Fundauit, Curibus paruis, & paupere terra
Missus in Imperium magnum.

Et cùm Seuerus Alexander Virgilianas sortes consuleret, incidit in illa verba:

Tu regere imperio populos Romane memento.

Sic sorte mortis suæ diem coniecit. Sic Claudius Macrinus, Gordianus Iunior, & alij Imperatores tempus Regni, vel vitæ agnouerunt, vt referunt Suetonius *in Tiberio*, Lampridius *in Alex.* Lipsius *lib.* 2 *elect. cap.* 12. Huic vanitati Gentilium successit apud Christianos apertio veteris, aut noui Testamenti, quam vocabant sortes Apostolorum, vel Sanctorum; & ad libri sacri apertionem, vel ad sacræ lectionis auditionem ex sententia inibi occurrente vaticinium captabant. Hac sortitione vsi fuerunt Heraclius Imperator apud Cedrenum; & Romanus Diogenes apud Cuspinianum; Andronicus senior apud Gregoram *lib.* 8. Chramnus filius Regis Francorum apud Gregorium Turon. *lib. 4. histor. cap.* 16. ibi: *Positis tribus libris super altare, idest Prophetarum, Apostoli, atque Euangeliorum, orauerunt ad Dominum, vt quid eueniret, ostenderet. Aperto igitur primo omnium Prophetarum libro, reperiunt ex Isaia cap. 5. Auferam materiam eius, & erit in direptionem.* Omnia exactè adimpleta sunt, & subsequuto effectu est comprobatum, non tam fortuitum, quàm diuinitus prouisum. Similia de Clodoueo refert ipse Gregor. Turon. *lib. 2. cap.* 27. & ex apertione libri Euangeliorum facta ad agnoscendam diuinam voluntatem, plures didicisse à Deo vocari ad perfectiorem vitam, constar ex exemplis sancti Danielis Stylitæ apud Metaphrastem: sancti Huberti Leodiensis Præsulis apud Surium *tom.* 6 Theodori Alex. apud eundem Surium *tom.* 6. & apud Rupertum *in vita sancti Heriberti, cap.* 9. & interdum non aperto vllo libro ingredientes in Ecclesia obseruabant, an verba, quæ legebantur, essent congruentia eorum cogitationi, vt inde vaticinium, seu omen sumerent. Plura de his sortibus Sanctorum cumularunt Theoph. Raynaud. *tom.* 15 *in Heterocl. sacr. punct. 4. ad fin. fol.* 277. I. Dartis *in* 15. *dist. fol.* 104. & *in* 26. *qu.* 1 Christ. Lup *ad can.* 8. *Synodi*, *cap. 4. fol.* 1459.

8 Decidendi ratio. Verùm quia in hac sortitione Ecclesiæ Patres superstitionem aliquam adesse agnouerunt, sæpiùs talem vanitatem pullulantem resecare curarunt: in Concil. Agath. relato *in cap. aliquanti*, 26 *qu.* 5. Venetico *cap.* 16. Antissiodor. *can.* 4. & alijs suprà relatis pro illustratione conclusionis; & magna cum ratione desumpta ex ipsa definitione diuinationis, quæ teste D. Thoma 2. 2. *qu.* 95. *art.* 1. nihil aliud est, quàm vsurpare modo indebito prænunciationem futurorum euentuum, quod est proprium Dei, iuxta illud Esaiæ *cap.* 42. *Annunciate, quæ ventura sunt, & sciemus, quia Dij estis vos.* Ac proinde est graue peccatum, quia teste D. Hieronymo *super Micheam cap.* 3. diuinatio semper in malam partem accipitur: & *art.* 2. subdit idem Angelicus Præceptor, huiusmodi peccatum diuinationis esse speciem superstitionis, vtpote per illam assumit homo auxilium dæmonum ad aliquid cognoscendum, saltem tacitè eos inuocando, quatenus dæmones ingerunt se vanis inquisitionibus futurorum, vt mentes hominum implicent vanitate. Quicquid autem procedit ex pacto, seu societate dæmonum, superstitiosum est, teste Diuo Augustino *lib. 2. de doctrina Christ. cap.* 20. Vnde Diuus Clemens *lib.* 7 *constitut. Apostol. cap.* 7. dum prohibet hoc genus sortium, ait: *Ducit enim hoc studium ad idololatriam.* Et inuolui his actibus idololatriam, testantur Tertullianus *lib. de idololatr. cap.* 9. Lactant. Firm. *lib. 2. diuin. institut. cap.* 17. Ideò ergo tam acriter Patres Ecclesiæ increparunt, & improbarunt huiusmodi diuinatorias artes. Norunt enim quàm facilè his studijs addictus animus (ea vis insita est animis nostris aliquid semper noui faciendi, & cognoscendi) à vera religione abalienetur, & in falsam declinet. Accedit, nam semper superstitiosum est futurum velle prænoscere, vnde prænosci non potest: sed futurorum prænotio non potest haberi à libris, & codicibus: ergo talis diuinatio per sortes superstitiosa est. Vnde rectè in præsenti textu pœnitentia quadraginta dierum iniungitur illis, qui ijs vanitatibus dediti sorte futura requirere in taleis, seu codicibus ausi fuerint.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ex factis sancti Augustini, & Francisci, necnon aliorum piorum virorum, quorum exempla suprà etiam retuli. Nam dicendum est, sanctos illos Spiritus sancti instinctu, & speciali Dei monitione operatos fuisse, vt referunt D. Augustinus, & Bonauentura *locis suprà citatis*. Dum autem interuenit diuina monitio, siue reuelatio, hæc sola sufficit ad honestandum vsum sortitionis consultoriæ: illaque sola præcedente, nihil timendum, accusandumue est. Principes verò, qui hoc sortitionis genere vsi fuerunt, à vitio vanitatis non excusamus, nisi eos bona fides, & ignorantia inuincibilis excuset, vt excusatur Theodora Alexandrina, eo quòd nondum erat satis catechizata in doctrina catholicæ fidei. Et generaliter ad hoc vt vsus sortis consultoriæ licitus sit, duæ desiderantur conditiones. Prima, vt quis id faciat debita cum reuerentia, precibus ad Deum deuotè fusis. Secunda, vt graui necessitate compulsus ad consilium capiendum in spirituali negotio id faciat, vt latè probat Arauio *in qq. moral. de statu ciuili, disp.* 3. §. 5. In præsenti autem agimus de vsu sortis non consultoriæ, sed diuinatoriæ, quæ nunquam licita esse potest. Nec tunc obstat primum augmentum ipsius difficultatis, deductum ex vsu sortis consultoriæ: nam magnum discrimen versatur inter vsum illius sortitionis, & vsum sortis diuinatoriæ: nam sortitio consultoria per se primò non ordinatur ad cognoscendum, quid in futurum contingat; sed solùm ad tollendas dubitationes plerumque occurrentes in progressu humanæ vitæ, quæ hominum industria, & consilio decerni non valent; & tunc licitè homines implorant diuinum auxilium per sortes consultorias, vt per eas Deus dignetur indicare, quid sit aut agendum, aut vitandum. Sors verò diuinatoria per se primò ordinatur ad futura prænoscenda, siue occulta dependentia à libero arbitrio, quorum cognitio solius Dei est propria: & ita meritò improbatur ab Ecclesia. Nec obstat secundum augmentum dubitandi rationis deductum ex eo, quòd sortitio diuinatoria non sit intrinsecè mala; siquidem in lege veteri permittebatur. Nam respondeo, sortem diuinatoriam dupliciter fieri posse. Primò si fiat diuinatiuè, hoc est cum indebita vsurpatione diuinæ cognitionis, siue inquirendo prænotionem futuri, vnde prænosci non potest; & tunc certum est, talem sortem esse intrinsecè malam, cùm contineat sortilegij, & superstitionis peccatum. Secundò fieri potest non diuinatiuè, sed inquirendo à Deo, & eius reuelatione prænotionem futuri; & tunc verum est, talem sortem non esse intrinsecè malam, vt scitè aduertit Caietanus *d. qu. 95. art.* 3. & hoc modo in lege veteri sortes exercebantur, non diuinatiuè, sed inquirendo à Deo, & eius reuelatione, quæ futura prænoscere opus erat; quod iam in lege gratiæ non licet. Discrimen assignat Angelicus Doctor *d. qu. 95. art. 2. ad* 3 dicens, quòd in noua lege mentes hominum arceantur à temporalium rerum solicitudine; & ideò non est in noua lege institutum aliquod medium, aut cæremonia ad præcognitionem futurorum euentuum de rebus temporalibus. In veteri autem lege, quæ innitebatur promissionibus bonorum terrenorum, erant instituti quidam modi consultandi Deum de futuris ad religionem pertinentibus. Nec tandem obstat vltimum argumentum, cui respondetur, non esse inconueniens eundem actum humanum, seruata physica identitate, vestiri duabus malitijs

9 Dissoluitur dubitandi ratio.

litijs

litijs moralibus, sicque actus hic sortitionis diuinatoriæ ex fine erit curiositatis, ex modo autem, hoc est cultus indebiti, exhibiti dæmoni, vt magistro, vel instructori, explicitè, vel tacitè inuocato, erit superstitionis malitia vestitus, sicut & potest esse simul tentationis Dei, & superstitionis, & curiositatis, vt post D. Thomam docet Araujo *d. disp. 3. §. 6. num.* 8. vnde rectè in præsenti talis sortitio prohibetur non solùm vt curiosa, verùm vt superstitiosa.

10 Exponitur c. 24. Concil. Narbon.

Ex suprà traditis lucem accipit textus *in can. 24. Concilij Narbonensis*, in illis verbis: *Si qui viri, ac mulieres diuinatores, quos dicunt esse caragios, atque sorticularios, in cuiuscumque domo Gothi, Romani, Syri, Græci, vel Iudæi fuerint inuenti, aut quis ausus fuerit amodò in eorum vana carmina interrogare, & non hoc voluerit annunciare, pro hoc quod præsumpsit, non solùm ab Ecclesia suspendatur, sed etiam sex auri vnciat Comiti ciuitatis inferat. Illi verò, qui tali iniquitate repleti sunt, & sortes, & diuinationes faciunt, & populum præuaricando seducunt, vbi inuenti, vel inuentæ fuerint, seu liberi, seu serui, vel ancillæ sint, grauissimè publicè fustigentur, & venundentur, & pretia ipsorum pauperibus erogentur.* Vbi difficile est, quid per Caragios intelligant PP. dum eos sorticularios esse affirmant. Et sciendum est, caraxare idem esse ac sculpere, seu pingere: Beatus Theophridus *in floribus epitaph. sanctorum, lib. 3. c. 7. Quid eloquar de vetulis summæ sanctitatis gloria præditis? quid per tot Phœnix vidit sæcula? Omni carent carie, quarum quælibet stamina, & bastulæ ab acerbissimo dentium dolore, & lethifera febrium liberant amaritudine, atque earum omnibus simul vtensilibus, dum compendiosæ breuitati studeo, quid caraxare possim de singulis specialibus?* Flodoardus *lib. 3. hist. Rhemens. cap. 16. Quamuis blando sibilo eos quidam caraxare voluerint.* Prudentius *hymno* 10.

Caraxat ambas vngulis scribentibus
Genas, cruentis & secat faciem notis.

Gregorius Turon. *lib. 7. histor. Francor. cap. 26. Tunè es pictor ille, qui tempore Clotharij Regis per oratoria parietes, atque cameras caraxabat.* Et *lib. 9. cap. 5. Vasa per domos diuersorum signis nescio quibus caraxat, flexis litterarum apicibus in quadrata parietis pagina caraxatis.* Latè probant Vossius *de vitijs sermon. lib. 4. cap. 3.* Herman. Hugo *lib. de prima scrib. orig. cap. 2.* Zerda *in aduers. cap. 40. num.* 13. Alnix *in not. ad vitam sancti Polycarpi, cap.* 11. Filesacus *lib. 1. select. cap.* 14 Vnde *in d. can.* 24 dum prohibeotur diuinationes per sortes, damnantur sonicularij caragi, qui suis picturis, & sculpturis sortes diuinatorias exercebant iuxta ritus, quos refert Simon Maiol *dier. canical. verbo Vaticinia*, de quibus etiam Augustinus Anglorum Episcopus ita ait: *Nam qui prædictis malis, idest caragis, & diuinis, aruspicibus, vel phylacterijs, vel alijs quibuslibet augurijs crediderit, etsi ieiunet, etsi oret, etsi iugiter ad Ecclesias currat, etsi largas eleemosynas faciat, etsi corpusculum suum in omni afflictione cruciauerit, nihil illi proderit, quamdiù sacrilegia illa non reliquerit.* De illis etiam Zacharias Pontifex *epist. 1. ad sanctum Bonifacium*, ait: *Hoc & nobis, & omnibus Christianis detestabile, & perniciosum esse iudicamus.* Sanctus Bonif. *epist.* 132. Illustrant Zerda *in aduers. cap. 155. num. finali*, Theoph. Raynaud. *tom. 10. tr. de Agno cereo, cap. 9. num.* 16.

11 Exponitur l. 4. §. vlt. ff. de condict. ob turp.

Ex proximè traditis, ni fallor, exponendus est textus *in l. 4. §. vlt. ff. de condict. ob turp.* vbi ait Consultus, quòd si cuidam ob indicium aliquid detur (indicium enim nuncupatur, quod eo pacto præstatur, vt res mea vbinam sit, indicetur, *l. solent 16. ff. de præscript. verbis, l. falsus 33. §. ergo, ff. de furtis, l. 1. ff. de proxenet.* Paulus *lib. 2. sent. tit. de furtis 31. §. ob indicium* 20. Ant. Faber *in ration. ad d. leg. solent*, & *ad l. 5. §. quod si facio, ff. eod. tit.* A. Concius *lib. 1. disp. cap. 14. & 15.*) vt fugitiuum seruum, vel rem furtiuam indicaret, repeti condictione ob turpem causam non posse. Et huius sententiæ rationem Vlpianus illis verbis assignat: *Nec enim turpiter accepisti.* Non ait, *nec turpiter fecisti.* Indicauit ergo, si mea coniectura non fallitur, illicitam actionem, videlicet astrologicam; nam Astrologos fures indicare, idem Vlpianus supposuit *in l. item 15. §. si quis Astrologos, ff. de iniurijs*: & ita docet, eum turpiter accepisse, non tamen fecisse, & per consequens condictionem non competere. Quæ interpretatio suadetur *ex §. antecedenti*, vbi Consultus proposuerat actum verè turpem, sed ob quem pecuniam accipere turpe non est. Improbabile ergo non est, Vlpianum eandem tractationem prosequutum fuisse *in d. §. fin.* ac per consequens loqui in eo de actu turpi in facto: quo casu pecunia data condici non potest, *l. qui operas 3. ff. de his qui not. infam.*

Etiam superiori assertioni opponi potest textus *in l. eorum 4. C. de malefic.* vbi Imperator Constantinus iam Christianus ita statuit: *Nullis verò criminationibus implicanda sunt remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemijs metuerentur imbres, aut venti, grandinisue lapidatione quaterentur, quibus non cuiusquam salus, aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne diuina munera, & labores hominum sternerentur.* Ex quibus verbis expressè constat, maleficijs vti licitum esse pro obtinenda sanitate, aut auertendis fulmine, grandine, seu rubigine ab agris; quia talis ars non in præiudicium tertij, sed in bonum proprium exercetur. Ergo etiam ad furtum inquirendum licebit sortilegio vti. 12 Pro huius textus expositione sciendum est, in eo per remedia humanis quæsita corporibus, intelligi carmina quædam, quibus antiquitus & sanguis sisti credebatur, & ægris medela præstari. Apuleius *in apologia*, qui locus maximè huic lucem facit: *Veteres quippe medici* (inquit) *etiam in carmine remedia vulnerum norant, vt omnis vetustatis certissimus auctor Homerus docet, qui facit Vlyssi de vulnere profluentem sanguinem sisti cantamine. Nihil enim quod ferendæ salutis gratia fit, criminosum est.* Hinc etiam illud extat Vindiciani Comitis Archiatrorum, cuius hæc de carmine extat sententia:

12 Explicatur l. eorum 4. C. de malefic.

Gramine seu malis ægro præstare medelam,
Carmine seu potiùs; namque est res certa saluti
Carmen, ab occultis tribuens miracula verbis.

Ammianus Marcel. *lib. 16.* ibi: *Anile incantamentum, quod medicinæ quoque admittit auctoritas, ad leniendum dolorem adhiberi.* Probat latè Filesacus *de idololatria magica §. 5.* Etiam in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia interpretatur Iacobus Durantius *lib. 2. var. cap.* 10. quæ apud rusticos recepta sunt auertendæ grandinis, fulminisque causa: & ex Palladio refert rusticos contra grandinem panno russo molam cooperire, & nocturnas aues consueuisse cruci affigere: quod etiam expressit Collumella *in libello de cura hort.* vbi ait:

Hæc ruricolæ paterentur monstra salutis,
Ipsa nouas artes varia experientia rerum,
Et labor ostendit miseris, vsusque magister
Prodidit agricolis ventos sedare furentes,
Et tempestatem Thuscis auertere sacris.
Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas
Sanguine lactentis catuli placatur, & extis.
Hinc caput Arcadici nudum cute fertur aselli
Tyrrhenos fixisse Tages in limite ruris:
Vtque Iouis magni prohiberet fulmina Tarchon,
Sæpe suas sedes præcinxit vitibus albis.

Huiusmodi superstitionum meminerunt Clemens Alexandrinus *strom. 5.* ibi: *Iam verò aiunt, magos, qui sunt Cleonæ obseruantes sublimia nubium, quæ erant grandines, fulgetra, canticis, & sacrificijs depellere. Quod si fortè ijs quandoque defuerit animal suo cruentatum digito, sacrificant Mantinica quoque Diotima Atheniensibus.* Seneca *lib. 4. natural. quæst.* ibi: *Rudis adbuc antiquitas credebat & attrahi imbres cantibus, & repelli: quorum nihil posse fieri tam palam est, vt huius rei causa nullius Philosophi schola intranda sit.* Imperator ergo Constantinus, etsi maleficijs vti prohibuerit in præiudicium generis humani *in d. l.* 4. tamen permisit illius artis vsum in beneficium proprium, videlicet salutis recuperandæ causa, aut tempestatis auertendæ gratia, quia nullum damnum inde tertio sequebatur. Sed Ecclesia, quæ pestiferam hanc artem semper abhorruit, vt idololatria plenam, absolutè, & semper huiusmodi phylacterijs, & incantationibus, etiam pro pellendis infirmitatibus, & tempestatibus auertendis, sub seuctis pœnis vti prohibuit. Martinus Brachar. *in sua collect. can. 74. Non licet in herbarum collectionibus, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes attendere, nisi tantùm cum symbolo diuino, & oratione Dominica, vt tantùm Deus Creator omnium, & Dominus honoretur.* Concil. Arelat. *can. 5. Quicunque diuinos præcantatores, phylacteria diabolica, vel herbas, vel succinos, & alios succos suis, vel sibi impendere tentauerint*, &c. Referunt Burchardus *l. 10. Decreti, c.* 14. Carnot *p. 2. cap.* 58. Concilium Rhotomag *can. 4. Perscrutandum est, si aliquis subulcus, vel bubulcus, siue venator, vel cæteri huiusmodi, dicat diabolica carmina super panem, aut super herbas, aut super quædam nefaria ligamenta, & hæc aut in arbore abscondat, aut in*

triuio

b

Digitized by Google

triuio proijciat, vt sua animalia liberet à peste, & clade, & alterius perdat: quæ omnia idololatriam esse, nulli fidelium dubium est; & ideò summoperè sunt exterminanda. Concil. Ancyran. ex versione Dionysij Exigui *can.23. Qui diuinationem expetunt, & morem Gentilium subsequuntur, aut in domos huiuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennij iaceant, secundùm gradus pœnitentiæ definitos*. Vbi Balsamon notauit, per expiationem significari morborum arte magica propulsionem ab his, qui se ob maleficium vexari prædicabant. Profertur & idem canon à B. Basilio *epist. 3. ad Amphiloch. can. 83.* & variè citatur à Burchardo *lib.10. cap.5.* Iuone *p.2. cap.2.* Martino Brachar. *can.17. suæ collect.* Rabano *in pænit. cap.23. addit. 2. ad capitul. can.18.* Vnde constat, quòd licèt Constantinus adhuc non plenè in rebus religiosis catholicæ instructus permiserit maleficijs vti ad expiationem morbi, vel auertendas tempestates; tamen Ecclesia, quæ omnem idololatriæ speciem magno odio prosequitur, etiam in his casibus maleficijs vti omninò prohibuit, & per consequens nec furti exquirendi causa astrolabium permisit, *cap. non liceat 26. quæst. 5. cap. admoneant 26. quæst. 7* plura adducit Hothomanus *consil. 99. num.3.* & correctam esse dictam legem 3. per legem sequentem, docuerunt Balsamon *in nomocan. Photij, tit. 9. cap. 25.* Filesacus *in cap.1. de offic. ordin. §.10.*

C A P V T II.

Alexand. III. a *Gradensi Patriarchæ*.

EX tuarum tenore litterarum accepimus, quòd V. Presbyter lator præsentium iuuenili leuitate vsus cum quodam infami ad priuatum locum immundum spiritum inuocaturus accessit. Vnde tu eum, quia propter hoc infamia laborat, & facinus publicum, & notorium erat, ab officio, & beneficio ecclesiastico suspendisti. Ipse autem coram nobis viua voce proposuit, quòd non ea intentione, quòd inuocaret dæmonium, ierat; sed vt inspectione astrolabij furtum cuiusdam Ecclesiæ posset recuperare. Vnde licèt hoc ex bono zelo, & ex simplicitate se fecisse proponat; id tamen grauissimum fuit, & non modicam maculam peccati inde contraxit. Et quoniam tutius est in dexteram, quàm in sinistram; & in misericordiam, quàm in seueritatem declinare: ipsum f. t. duximus remittendum, monentes, atque mandantes, vt sibi infrà septem dies post harum susceptionem litterarum Ecclesiam cum vniuersis ablatis restituas, & talem ei pro expiatione illius delicti pœnitentiam imponas, quòd per annum, & ampliùs, si tibi visum fuerit; ita tamen, quòd biennium non excedat, eum ab altaris ministratione præcipias abstinere, & ex tunc liberum sit ei sacerdotale officium exercere.

N O T Æ.

1 a GRadensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.3.* De hoc Patriarcha nonnulla adduxi *in cap. ex litteris 29. de offic. deleg.*

C O M M E N T A R I V M.

2 CIrca furta inquirenda non minori superstitione, quàm circa futura prænoscenda vsos fuisse tum Gentiles, tum Christianos, constat: nam apud Romanos res furtiua requirebatur in domo aliena per lancem, & licium; & vnde furtum conceptum dictum fuit, de quo *in §. furtum, Instit. de obligat. quæ ex delict.* Et quamuis Petrus Pith. *lib.1. aduers. cap.1.* post Festum credat, lance vsum fuisse perquisitorem furti, ne matronatum ipsius domus, & virginum verecundia læderetur, quia ea tectus perquisitor domum ingrediebatur; quod meritò dubitauit Scaliger, quomodo fieri posset: quare Cuiacius *ad l.6. & 7 ff. famil. ercisc.* rectè notauit, lancem non opponi oculis solitam fuisse, sed in ea ferri præmium indicij; verius tamen est adeò licijs discoloribus lancem tenentibus, & ad quædam verba prolata se circumagentibus veteres detulisse, vt furta quæ ea ratione conciperentur, hoc est detegerentur, inter manifesta numerarent: inerat enim olim tam in lance, quàm licio superstitio; & vtrumque incantationibus, & sortilegijs seruiebat. De licio notum est ex Ouidio *lib.2. Fastor.* vnde Plinius *lib.28. nat. hist. cap.2.* in illis verbis: *Vestales nostras hodie credimus nondum egressa vrbe mancipia fugitiua retinere in loco precationis*. Emendat Pignorius *in tractatu de seruis, cap.16.* & legit, *Licio precationis*. De lance idem probat Balsam. *in can 61. Synodi 6.* notarunt Cironius *in præsenti*, Basil. Legion. *quæst.2. scholast. in can. 4. Concilij Altissiod.* Etiam veteres alio modo furem perquirebant, sorte videlicet ex pane confecta, vt probat Martin. Delrio *lib.4. disquisit. magicar. cap.2. qu.2. sect.1.* vbi adducit illud Horatij *epist.1. ad Fuscum:*

Atque sacerdotis fugitiuus liba recuso.

Et ait: *Cùm in seruis furti suspicio habetur, ad sacerdotem ducuntur, qui crustam panis carmine infectam dat singulis; quæ cùm hæserit gutturi, manifesti furti reum afferat*. Notauit etiam Basilius *in d. can. 4. Concilij Altissiod.* Vnde etiam in Ecclesia olim vsus fuit requirendi furta per Eucharistiam, *cap. sæpè 2. qu.5.* vbi ex Concilio Vuormatiensi ita cauetur: *Sæpè contingit, vt in monasterijs furta perpetrentur, & qui hæc committant, ignorentur: idcircò statuimus, vt quando ipsi fratres de talibus se purgare debuerint, Missa ab Abbate celebretur, vel ab aliquo, cui ipse Abbas præceperit, præsentibus fratribus; & sic expleta Missa omnes communicent in hæc verba: Corpus Domini sit mihi ad probationem odij.* Illustrat Theophil. *in oplothec. de calumn. sect.3. cap.2. quæst.3.* Grethserus *de cruce lib.2. cap.21.* Hothomanus *de feud. cap.44.* Lindembrog. *in glossar. verbo Iudicium*, Martin. Delrio *lib.4. disquis. magic. cap.4. qu.3. sect.2.* Sanchez *lib.2. in Decalog. cap.34. num.13.* Item & fur detegebatur per sortem, vt ex Concilio Hibernensi refert Egbertus Archiep. Eboracen. *in exceptis, can.73.* ibi: *Si quis furatus fuerit pecuniam ab Ecclesia, mittatur sors, vt aut illius manus abscindatur, aut in carcerem mittatur, diù ieiunans, & gemens, & reddat integrum quod abstulit, aut peregrinus abijciatur, & restituat duplum*. Vsitatior tamen, nec adhuc nostris sæculis omninò apud homines sceleratos, seu ignaros inusitata fuit inquisitio furti per inspectionem astrolabij, idest situm stellarum, & obseruationem motuum ipsarum, dum furtum commissum fuit. Fuerunt enim plures ex Philosophis, & Medicis, qui omnes humanas operationes tribuunt stellarum influentijs, immò & eas illo miro ordine collocatas asserunt, vt earum aspectu omnia futura prodantur, & tanquam in libro legantur: vt docuerunt Cardanus *lib.14. de varietate, cap 68.* Bernardus Basin. *de arte magic.* Nicolaus Tribet. *de fato*, Iacobus Scol. *in applicat. astrolog. ad medic.* Lucius Belancius *in q. de astrolog.* & alij relati à Pellicer. *in notis ad Gongoram, in fabula Pyrami*; qui malè pro sua sententia adducunt D. Augustinum *lib.2. cap.21. contra Manichæos*, ibi: *In illa perspicuitate corporum cœlestium non omnes animæ nostræ motus ita latere, vt non aliquando se quis in facie, & oculis exerat*. Verùm hæc sententia omninò damnata est, & etiam astrologia iudiciaria improbata, tam in sacra pagina, quàm in vtroque iure, ciuili, & canonico: & in sacra Scriptura *cap.19. Leuit. Deuteron. cap.18. Isaiæ cap.47. Sophoniæ cap.1. Ieremiæ cap.10. Sapientiæ c.9. l.1. Regum, c.28. l.4. c.23.* D. Paulus *ad Galatas c.4.* Iure canonico *in c. illud 6. c. sed & illud 9. 26 q.2. c. consuluisti, c. ap. sciendum, c. igitur, 26. q.3. c. non statim, c. non licet, 26. qu.5. c. legimus, §. sed contra, c. qui de mensæ 11. 37. dist. c. infames 17. 6. q.1.* Iure ciuili, *l.4. C. de malef. l.6. eod. tit. l.1. §. medicos, l. saccularij, ff. de extraordin. crimin. l.4. §.1. ff. famil. ercisc. l.15. §. si quis astrologos 13. ff. de iniur.* Paulus *l.5. sentent. tit. 21. & tit.23.* Nouella 63. Leonis, *l. nemo, C. de Episc. aud.* Iure

Regio

Digitized by Google

Regio *leg.1.tit.27.partit.3.l.5.tit.1.lib.8.recopil.* & improbarunt Sanctus Cyrillus *homil.14. in Pascha*, Theodoretus *qu.15.in Genesim*, Ambrosius *l.4.hexaem.cap.4.* D. Augustin. *l.4.de ciuit.Dei, ex cap.1.vsque ad 12.* & *l.2. de doctrin.Christ.cap.21.*& alij Ecclesiæ Patres, quos congerunt Pellicer. *vbi suprà*, Kochier *in face hist.cent.2.cap.29.* P. Pinto *in spicileg.tract.1.c.14.& 19.*Thomas Braduar. *l. de causa Dei,c.3.*& *l.3.c.22.* Picus Mirandul.& Bulengerus *l.2.de diuin.*Suarez *tract.3.de relig.l.2.cap.11.* Sanchez *l.2. summæ, c.38 à n.27.*Salas *in 1.2.tract.5.dist.2.* & de huiusmodi astrologia in perquirendis rebus amissis loquuntur canones 23.Concilij Ancyr. *Qui diuinationes expetunt, & mores Gentilium subsequuntur, vel in domos suas huiusmodi homines introducunt exquirendi aliquid arte magica,*&c. & 15.Synodi 6.Trul. Et hodie in sanctæ Inquisitionis Tribunalibus proceditur ex Bulla Sixti IV. contra profitentes astrologiam iudiciariam. In præsenti autem textu per annum tantùm suspenditur clericus per astrolabium furtum requirens, quia non ex dolo, sed ex simplicitate fecit; alioquin ab omni ordine sacro deponendus erat, beneficio priuandus, & in monasterium pœnitentiæ peragendæ causa detrudendus erat, *c.si quis Episcopus 26.q 6.* docuerunt Balboa *in c.3 de re iudic n.fin.* Abbas *in præsenti,n.4.*Grillandus *de sortileg.q.11.n.3.* Raphael à Torre *2.2.qu.96.art.4.*& hodie qui hoc facit, etiam bona fide, pœna arbitraria punitur. Abbas *in c.1.hoc tit.* Grillandus *de sortileg.q.11.*

C A P V T III.

Honorius III. *Capitulo a Lucanensi.*

Ecclesia vestra nuper Episcopo destituta, sicut comperimus, conuenientes in vnum, vt de futuri tractaretis *b* electione Pontificis, circa modum electionis diuersos incipientes habere tractatus, vnum tandem elegistis ex vobis per sortem, qui tres elegit auctoritate vestra, per *c* quos vice omnium Lucanensi prouideretur Ecclesiæ de Pastore, quorum duo tertium, *d* Magistrum Ricardum scilicet, elegerunt, quod expresse licebat eisdem secundùm traditam à vobis omnibus potestatem. Procuratoribus igitur vestris, super his in nostra præsentia constitutis, nos tali examinato processu, licèt nota non careat, quin immò multa reprehensione sit dignum, quòd sors in talibus interuenit: propter prærogatiuam tamen morum, & litteras Magistri R. concanonici vestri, in quem vota vestra Ecclesiæ vestræ præficiendum Episcopum concurrerunt; & affectionem, quam ad eandem habemus Ecclesiam, electionem celebratam de ipso ad gratiam *e* confirmationis admittimus, sortis vsum in talibus perpetua prohibitione damnantes.

N O T Æ.

a *Lucanensi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap. vnic.* De Ecclesia Lucanensi, seu Lucensi Italiæ egi *in cap.18. de præscript.*

b *Electione Pontificis.*] Nam his temporibus Honorij III. electio Episcoporum spectabat ad Canonicos Ecclesiæ vacantis, vt adducta temporum serie, & distinctione probaui *in cap.2.de elect.*

1 c *Per quos vice omnium.*] Triplex est eligendi modus, per scrutinium videlicet, compromissum, & inspirationem, *cap.quia propter, de elect.* latè probant Petrus Greg. *de elect.cap.3.* Azor *part.2.instit.lib.6.cap.14.* Iul. Lauor. *de elect.tit.4.cap.21.* Præsens textus spectat ad secundum modum electionis, per compromissum videlicet, quæ celebratur, cùm vni videlicet, vel pluribus eligendi potestas committitur, *cap.sacrosancta, de elect.* quorum iudicio standum omninò est, nisi indignum eligant, *cap.causam 8.de elect.* vbi probaui. Ad hunc electionis modum peruenitur, maximè cùm multitudo eligentium sibi ipsi negotium facit, iuxta D. Gregorij consilium *lib.2. epist.15.* & in præsenti etiam electio per scrutinium facienda erat à tribus electoribus virtute compromissi nominandis. Nec nouum est in iure canonico, vt electio partim fiat per scrutinium, partim per compromissum, vt *in cap.si qui 23.de elect.in 6. cap.cùm olim 7.de arbitr.* notauit Petrus Gregor. *de elect. d. cap.3.num.4.*

2 d *Duo Magistrum R.*] Similis casus refertur *in cap. cùm in iure, de elect.* Sed si ex tribus compromissarijs duo Ricardum elegerunt, ad quid specialiter Honorius meminit potestatis in compromisso datæ, cùm electus à maiori parte compromissariorum ritè electus crederetur, etiamsi tertius eum non eligeret, cùm in præsenti casu adducta non fuisset clausula, vt omnes eligerent? Sed dicendum est, in præsenti casu elegisse compromissarios vnum ex ipsis compromisso comprehensum, quia ita cautum erat in ipso compromisso; nam licèt aliàs verum sit, electores non posse seipsos eligere, *cap.fin.de instit.cap.Cumana, de elect.* tamen in electione per compromissum licitum est vni ex compromissarijs electioni à cæteris de se factæ consentire. Differentiæ ratio ex eo prouenit, nam in electione per compromissum electio incipit ab omnibus electoribus, & tantùm perficitur à compromissarijs: at electio per scrutinium ab ijsdem incipit, & perficitur. Vnde in ea nemo potest se eligere. Hoc tamen non procedit quando vnicus est compromissarius, vt docuit Barbosa *in d.cap. cùm in iure*, qui rectè ampliat hanc doctrinam ad casum, in quo talis facultas non sit expressa ex compromisso; dum tamen non sit adempta, quæ iure communi competit, *ex dicto cap.cùm in iure.*

c *Confirmationis admittimus.*] Sed confirmatio propriè cadit suprà actum validum, & ita ratione confirmationis non nouum ius, sed antiquum conseruatur, *cap. quia 5.de concess.præbendæ, cap.ex parte 13.de V.S.cap. cùm dilecta 4.de confirm.vtili, cap.licèt, de crimine falsi.* Ergo in præsenti casu non poterat confirmari electio, quæ nulla fuerat, sed potiùs firmari, & validari ab ipso Pontifice. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, quod licèt Panormitanus in præsenti *num.5.* asseruerit electionem compromissarij in præsenti specie nullam fuisse, vtpotè celebratam contra textus dispositionem *in cap.quia propter, de elect.* veriùs tamen Sanchez *lib.2.summæ, cap.38. num. 85.* Suarez *tom.3.de relig.lib.2.cap.12.* Gibalinus *tom.2. de negot.lib.4.cap. 9. art.8.* asseruerunt electionem compromissarij sorte factam à Capitulo Lucanensi, iniustam, ac reprehensione dignam fuisse, non tamen irritam, quia *in d.cap.quia propter*, præscripta fuit forma seruanda in ipsa electione Episcopi, non verò in electione compromissarij; vnde etsi electio Episcopi Lucanensis per sortem facta nullius momenti esset, vtpotè celebrata contra formam præscriptam *in d.cap.quia propter* tamen electio compromissarij per sortem facta valida fuit, licèt iniusta, & illicita; & ideò egebat gratia Romani Pontificis confirmationis. 3

COMMENTARIVM.

4 Conclusio traditur, & Probatur

Ex hac Honorij III. Decretali communiter sequens deducitur assertio: *Electio ecclesiastica per sortes fieri non debet.* Probant eam textus *in cap.aliquanti, cap.sortes, cap.si quis clericus 26.qu 3 cap.non statim, cap. non exemplo, cum sequent.26.qu.2.cap.quia propter, de elect.l.47.C.de Episc.aud.* D.Thomas *2.2.qu.95.art.8* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Petrus Gregor. *de elect.cap. 3.*& *lib.34.syntag.cap 5.*& *de repub.lib.9.cap.14 & 15.* Baronius *in apparatu,num.69.71.& 74.*& *anno 34.num. 237.* & *anno 44.num.88.* Turrianus *in explanationibus D. Clementis,lib.8.cap.5.* Torres *de relig.tom.1.qu.95. art.8. dubio 1.* Delrio *disquisit.lib.4.cap.4 qu.1.* Arniseus *lib.2.de republ. cap.2.sect 4.* Azor *part.1.instit.lib.9.cap.12.* Iul.Lauor. *var. lucub.tit.4.cap.20.ex num.33.* Suarez *tom.3.de relig.lib.2.de superst.cap.12.* Sanchez *lib.2.in Decal.cap.38.num.21.* Barbosa

bosa *tom.6.in select.ad hunc textum*, & *in cap. secundum*, *26.qu.2*.Salmutius *ad Pancirol.lib.1.tit.44*.Lindembrog.*in glossar.verbo Sors*,Torreblanca *de magia,cap.22*. Cohel. *in not.Cardinal.cap.16.priuileg.1*.Mancinus *de triplici iuris collat.cap.157*.Gibalin.*de negot.tom.2.lib.4.cap.9.art.8*. Luna,& Arellanus *lib.5. singul. antinom.6*. Cabreros *de metu,lib.2.cap.5*.Scombornerius *lib.1.polit.cap.2*. Arauio *in qq.moral.de statu ciuili,disp.3*.Pantoia *in l.fin.C.de aleat. num.24*.

5 Traditur ratio dubitandi. Verùm hæc assertio difficilis valdè redditur sequenti iuris consideratione, nam per sortem diuina agnoscitur voluntas; siquidem, vt dicitur *in cap.16. Prouerbiorum*: *Sortes mittuntur in sinum,sed à Domino temperantur*. Vnde ex D.Augustini diffinitione *in cap sors,26.q.1*.ait: *Sors non aliquid mali est,sed res est in dubitatione humana diuinam indicans voluntatem*. Vnde sortium vsus, tam in iure diuino,quàm ciuili, valdè vsitatus fuit, vt constat *ex cap. 26.Numerorum, c.7.Iosue*, vbi sorte detectus fuit Acham. Sic etiam captus fuit Ionathas *lib.1. Regum,cap.14*.& deprehensus fuit Ionas, qui fugit à facie Domini, *cap.1.Ion.* Sic sorte exijt Zacharias, vt incensum poneret in altari, *cap.1.Lucæ*.Iure ciuili Romanorum dignitates omnes per sortem dabantur;Consules enim sortiebantur, vter ædes Dijs dedicaret.Liuius *lib.2*.Comitia ex sorte habebantur. Liuius *lib.5. decade 4*. Censores inter se sorte comparabant, vter eorum lustrum conderet. Varro *lib.5.de ling. Latina*.Faciunt Cicero *ad Quintum fratrem,lib.2* ibi: *Sententiam dixit, vt ipse iudices per Prætorem vrbanum sortiretur*.Et *lib.1.ad Atticum:Senatus decreuit, vt Consules Galliam sortirentur*.Et *lib.1.epist.ad Lentulum*: *Si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam*.Et *2.in Verrem*.Virgil.*lib.8.Æneid.*

Ocyus incubuere omnes, pariterque laborem
Sortiti.

Et *4.Georg.*

Sunt quibus ad portas cecidit custodia sorti.

Plinius etiam huiusmodi consuetudinem in Panegyr. ad Traianum referens,ait: *Sors, & vrna iudicem assignat*. Similiter in iudicijs, & sententijs proferendis sortibus vtebantur,vt constat *ex l.is cùm ambo 14.ff.de iudicijs,l.2.C. commun.de legat.l.Iudæi 8.C.de Iudæis,l.denunciasse, §.fin. ff.ad leg.Iul. de adult.l.si quæ sunt 5.ff.famil. ercisc.l.quotiens,C.de priuil.scholar.lib.12. l.generaliter 24.§.quid ergo,ff.de fideicommiss.libert.l.2.C.quando, & quibus quarta pars.l.19.§.1.ff. quæ in fraud.credit. Nouell.162.cap.3.§. optioni,Instit.de legat*.Petrus Gregor.*lib.3 syntag. cap.5. & de elect.cap.3*.Scipio Almir.*ad Tac.lib.20.differt.1*. Borel *in summa decis.tit.33.à num.185*.Larrea *decis.45.à num. 26*.Buleng.*lib.2.de diuinat.cap.1*.Vela *tom.1. decision. decis.4. num.77*. Et virgo Vestalis apud ipsos sorte eligebatur.Gellius *lib.1. noct. cap.12*. Lipsius *de Vesta & Vestal. cap.6*.latè illustrant Mancinus *d.cap. 147*. Auendaño *d. lib.2.de metu, cap.5*. Ergo & electiones ecclesiasticæ sorte similiter fieri possunt, præcipuè cùm adeò proprium sit clericos sorte eligi,vt inde clerici dicti sint,quasi sorte dati, *cap.cleros,21.dist*.Illustrant Alciatus *lib.4.parerg. cap. 14*.Vuadingus *in notis ad opera D.Francisci, cap.13*. Hallier.*de sacris elect. lib.1.cap.1*. Ergo non rectè in præsenti docetur,electiones ecclesiasticas per sortem fieri non debere.

6 Sors quid? Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio,pro cuius expositione sciendum est, sortem in iure,& apud bonæ notæ auctores variè accipi. Aliquando pro fortuna,seu statu alicuius,vt *in psalmo 36*.ibi: *In manibus tuis sortes meæ*.Et *in l.fin. C.de spectac.* Frequenter pro prima,& capitali pecunia,quæ in societatem,seu contractum confertur,*l.acceptam,Cod.de vsuris, cap.conquestus,eod.tit*.Sic Terent.*in Adelph*.ait: *Hei mihi, etiam de sorte nunc venio in dubium*.Idest de pretio, quo empta fuerat fidicina.Accipitur etiam pro fato. Virgilius *lib.3. Æneid.*

Hic exitus illum sorte tulit.

Et pro iudicio. Idem Virgil. *lib 6 Æneid*.ibi:

Nec tamen hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes.

Accipitur quandoque pro progenie, seu genealogia, vt apud Ouidium *lib.6.Fastor.*

Si genus aspicitur, Saturnum prima parentem
Feci, Saturni sors ego prima fui.

Verumtamen specialiori,& vsitatiori modo accipitur pro inquisitione fortunæ, siue diuinæ prouidentiæ de aliquo contingenti,humanoque euentu, vel pro signo dato, per quod distinguantur res confusæ ad inuicem: qua in acceptione sors definitur à D. Thoma *in epist. ad Ephesios*: *Exquisitio diuinæ prouidentiæ de aliquo contingenti, & humano*.Et *opuscul.25. art.8.& 22.qu.95*.ait:*Sors est inquisitio occulti excedentis humanam industriam, per aliquid à nobis factum de rebus humanis ad nos pertinentibus*. Facit D.Gregorius *in lib.1.Regum, cap 14*.ibi: *Qui sortes mittunt, per visibilium rerum coniecturas latentia sæpè deprehendunt*. Quam definitionem, & aliàs explicant plura de his sortibus adducentes Summistæ *verbo Sors*, Martin. Delrio *disquisit.magic.lib.4.c.2.qu.7.sect.3*. Magister Torre *tom.2.de relig. qu.95.art.8*. Arauio *d.disp.3.de statu ciuili, per tot*.Gibalin.*d.cap.9.art.8*.Beyerlinch *tom.7.in theatro, verbo Sors.*

Deinde sciendum est,sortes ex parte finis, ad quem sortitio ordinatur, diuidi in sortem diuinatoriam, consultoriam,& diuisoriam.Diuinatoria est, per quam intendimus futura prænoscere,de qua, & eius malitia egi suprà *in cap. 1.*& plura tradit Delrio *lib.4.disquisit. magic. cap.2. qu.7. sect.3*.Bulenger *in opusc. lib.2.de sort. cap.1*. Consultoria est,qua consulimus quid agendum sit,in qua sors succedit loco consilij,& eam vrgente necessitate, & cum debita reuerentia, precibus ad Deum deuotè fusis, licitam esse suprà probaui *in cap. 1.* & latè docuerunt Martinus Delrio *d.lib.4.disquisit.cap.2.qu 7*. Arauio *d.disp.3.§.5.per totum*, Origenes *homil.3.in Iosue*. Sors diuisoria est, per quam res quæ in confuso est, diuiditur: & hæc licita est concurrentibus quatuor circumstantijs. Prima vt euentus sortis expectetur à Deo,non à dæmone,nec ab astris, fato,aut fortuna: secunda, vt sors fiat simplici animo, & cum debita reuerentia, sine admixtione alicuius superstitionis, vel abusu rerum sacrarum,seu sacræ Scripturæ. Tertia est, vt illi,qui sortiuntur,æquali iure nitantur,aut æquali sint digni pœna.Quarta est,quod præcipua intentio sortientium non sit inquirere voluntatem Dei modo extraordinario, sed tantùm litium,discordiarum,siue inuidiarum ablatio; & per defectum cuiuslibet conditionis ex his certum est sortitionem illicitam reddi ob iniustitiæ periculum, vt latè prosequitur Suarez *lib.de superstit.cap.12*. Sanchez *lib. 2 in Decalog.cap.38.à num.50*. Serarius *in cap.7.Iosue, qu. 19.& 20*. sed diuerso malitiæ gradu; nam si euentus sortis expectetur à dæmone, erit superstitiosa per expressum pactum cum dæmone:si verò ab astris,& fato,est superstitiosa per pactum implicitum. Similiter si à fortuna expectetur, accipiendo fortunam prout Gentiles censent esse quendam Deum, esset idololatrica sortitio: intellecta autem fortuna iuxta Philosophos Christianos pro collectione causarum secundarum occultarum, & per accidens conuenientium cum subordinatione ad diuinarum prouidentiam, aut nullum, aut tantùm peccatum veniale est. Deinde per defectum secundæ conditionis erit quoque peccaminosa sortitio, iuxta qualitatem irreuerentiæ; aut mortalis,si magna;aut venialis, si parua fuerit irreuerentia. Per defectum etiam tertiæ conditionis redditur sortitio imprudens,siue irrationabilis, & iniusta, quia fit cum periculo communis boni, & læsione iustitiæ, atque cum damno tertij, vt probat Caietanus *in summa, verbo Sors*. Tandem per defectum quartæ conditionis redditur sortitio peccaminosa peccato vanitatis, quia caret debito fine. Etenim finis non debet esse inquirere voluntatem Dei modo extraordinario,eo quòd iste modus est omninò incertus, vtpotè nulli Dei promissioni innitens; sed lites, querelas,inuidias,aut discordias auferre,iuxta illud Salomonis prouerbium: *Contradictiones comprimit sors*. Manet ergo his seruatis conditionibus,licitas esse sortes diuisorias, & ita eas apud varias gentes receptas fuisse, vt de Græcis refert Homerus *iliade 8*. de Vuandalis Crantzius *lib.1.Vuandaliæ,cap.17*.de Germanis Cæsar *lib.1. de bello Gallico*: de Venetianis Hadrianus Barlan *de Ducibus Venet* de Siculis,& alijs Scomborncrius *d.lib.2.cap.2.* 7 Sortis diuisio

8 Traditur ratio decidendi. Quibus ita animaduersis,& in medium praiactis,apparet iam vera ratio præsentis decisionis, & quare Honorius III.improbauerit electionem ecclesiasticam factam à Capitulo Lucanensi. Nam cùm iudicium sortis sit valdè periculosum, vnde illud iudicium fortunæ dixit Cicero *l.2. de diuinat.*quem, & alios refert Beyerlinch *in theat.vitæ hum. verbo Sors*, perquàm absurdum est, & à disciplina ecclesiastica alienum, vt in electionibus ecclesiasticis, & de Prælatis Ecclesiæ præficiendis, vbi merita debent ponderari, & singulorum virtutes pensari, iudicio fortunæ hoc totum committatur, quæ

sæpè

sæpè indignos promouet, & dignos premit, vt eleganti carmine cecinit ille:

O fortuna potens, quàm variabilis!
Euertisque bonos, eligis improbos:
Fortuna immeritos auget honoribus.

Breuiùs Seneca *in Hercule Furente*:

Fortuna viris inuida fortibus,
Quàm non æqua bonis præmium diuidis!

Facit Tacitus *lib.2.annal.* vbi inquit: *Nam Augustus permisit Senatui deligere Præfectos. Dein ambitu suffragiorum suspecto, sorte ducebantur ex numero Prætorum, qui præessent; nec id diù mansit, quia sors deerrabat ad parum idoneos.* Inde nullum iudicium, nulla electio iustitiæ adæquata in talo, siue in sorte inesse potest. Inde Plautus *in Casina*, ait: *Nam si sic nihil impetrare potero, saltem sortiar.* Meritò ergo Honorius III. in electionibus ecclesiasticis, in quibus sedulò, & seriatim ponderari debent merita, & virtutes candidatorum, omne genus sortitionis improbauit, ne fortunæ iudicio negotium ita graue committatur. Vnde infertur cum Sanchez *lib.2.summæ, cap.38.* Gibalino *d.cap.9. art.8.* præsentem Honorij prohibitionem non extendi ad lites ecclesiasticas circa beneficia, aliasque similes causas, quæ poterunt dirimi sorte, si alia commodior ratio non appareat, quia Honorius de solis electionibus loquitur, quæ non fiunt, quando lis de illa sorte dirimitur. Nec is, cui ille obuenit, capit beneficium vi sortis, sed prioris electionis, cuius dumtaxat impedimentum à collitigante positum tollitur per sortitionem, & ius anteà dubium, & incertum firmatur, ac declaratur, tum cessione aduersarij, tum iudicis auctoritate. Dubitari solet, an hæc prohibitio locum habeat, cùm duo æqualibus suffragijs ad præbendam, seu Prælaturam electi sunt, nec facilè potest controuersia dirimi, nisi committatur sorti, præcipuè cùm vterque consentiat, nec periculum adsit eligendi indignum, cùm vterque dignus iudicatus sit; immò non fiat sortitio ad electionem, sed ad illius dumtaxat determinationem? Et licitè fieri posse censuit Glossa *in Summa, verbo Sors, 26.qu.2.* negant tamen pluribus relatis Castropalao *tract.17.disput.1. puncto 6.num.6.* Sanchez *d.cap.38.num.74.* Gibal. *d.cap.9.art.8.* ea ratione moti, quia cùm nondum existat electio quamdiù eligentium vota æqualia sunt, si declaratio illius æqualis committatur sorti; reuera electio fiet per sortem; immò dici nequit, vtrumque hunc candidatum fuisse iudicatum dignum à Capitulo, sed quemque à media parte Capituli, quod non censetur, nec dicitur agere, nisi maior pars agat. Quare rectiùs eo casu poterit superior cogere Capitulum, vt intra certum tempus conueniant de aliquo eligendo: quod si non fecerint, elapso tempore eo ipse eligat, vt consuluit glossa *in cap.vlt.vers. Nec teneantur, de rescript. in 6.* licèt in aliquibus Ecclesijs consuetudine introductum sit, vt hoc casu præbenda sortiatur.

9 *Dissoluitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, & deducta ex varijs sacræ paginæ locis, in quibus agitur de sortibus diuinis, quas etsi diuinitus temperatas fuisse dubium non sit, tamen monente D. Hieronymo *in cap.1.Ionæ*, temerè non debent in exemplum trahi, cùm priuilegia singulorum non possint legem facere communem. In alijs verò iuris ciuilis fragmentis, & Authorum testimonijs proponitur alterum sortis genus politicum, quando causa litium declinandarum hæreditates, spolia, & alia bona ijs, ad quos pertinent, spontaneo consensu sortium decreto se submittentibus distribuuntur, vel cùm dubia res quæuis sorti decidenda committitur, vel cùm dignitates, officiaque sæcularia sortitioni offeruntur: quod apud varias gentes receptum fuit, & hodie in varijs communitatibus obseruatur, dum inter æqualiter dignos sorti officium committitur, cùm talis sors non contineat iniustitiam, cùm inter æqualiter dignos fiat: at verò in præsenti agitur de electione ad dignitates ecclesiasticas, in qua maior diligentia adhiberi debet, immò & seruari forma præscripta *in cap. quia propter, de elect.* in qua nulla electionis per sortem faciendæ mentio fit; & ideò in dignitatibus ecclesiasticis electio per sortes prohibita est, non autem in officijs sæcularibus. Nec obstat, quod dicebamus, clericos à sorte dictos esse: quia sors illa pro hæreditate Domini accipitur, ad quam peculiariter clerici delecti sunt, iuxta eundem D. Isidorum *in d.cap.cleros.*

10 Sed suprà traditis apertè opponitur textus in Concilio Barcinon. *can.3.* in illis verbis: *Hoc etiam innouandum, custodiendumue in omnibus sancta statuit Synodus, vt secundùm priscorum canonum constituta, vel synodalium epistolas Præsulum præmonentes, nulli deinceps laicorum liceat ad ecclesiasticos ordines, prætermisso canonum præfixo tempore, aut per sacra regalia, aut per consensionem Cleri, vel plebis, vel per electionem, assensionemque Pontificum, ad summum sacerdotium aspirare, ac prouehi. Sed cùm per canonum conscripta tempora ecclesiasticos per ordinem speciali operi desudando, probatæ vitæ admi.iculo comitante conscenderit gradus, ad summum sacerdotium, si dignitati vita responderit, auctore Domino prouehatur. Ita tamen, vt duobus, aut tribus, quos ante consensus Cleri, & plebis elegerit, Metropolitani iudicio, eiusque Coepiscopis præsentatis, quem sors, præeunte Episcoporum ieiunio, Christo Domino terminante monstrauerit, benedictio consecrationis adcumulet. Aliter deinceps, quod absit, præsumptum, & ordinatores, & ordinatos proprij honoris depositio subsequatur.* *Exponitur Concil. Barcin. can. 3.* Ex quibus apertè deducitur, Episcopos per sortem eligi posse: nec interest, quod duo, aut tres eligi iubentur, vt deinde sortiatur inter eos, quis gradu, & dignitate Episcopi fungi debeat; quia tunc adhuc reuerà electio sorte celebratur. Pro cuius canonis expositione dicendum est cum Sahabedra *in chron. Gothic. cap.15. num.68.* tunc temporis, videlicet anno 599. in Hispania eam electionis formam rationi congruam, & consentaneam visam fuisse, licèt nunquam legamus praxi receptam; immò contrarium obseruatum fuisse constat ex Concilio Tolet. 4. paulò pòst celebrato: & ita nunquam in Hispania electio Episcoporum per sortem recepta fuit.

Deinde aduersatur textus *in cap. non exemplo, 26.quæst. 2.* vbi refertur electio D. Mathiæ Apostoli, quæ fusiùs narratur *cap.9. Actuum Apostol.* & concluditur, sorte electum fuisse, illis verbis: *Cecidit sors super Mathiam.* 11 *Exponitur cap. non exemplo, 26. qu. 2.* Igitur si sors à Christo Domino, & Apostolis approbata fuit, non rectè in præsenti Honorius improbat electionem per sortem factam ad Episcopatum. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt Interpretes Dionysius *de Ecclesiast. Hierarchia cap.6.* quem sequuntur Antoninus *part.1.hist.cap.2.tit.6.* Turrianus *in annotationibus ad D.Clement.* & *in defensione lib.8.cap.5.* asserit, sortem illam non fuisse consuetam iuxta ritum, & morem veteris legis, sed alterius ordinis, & rationis, nimirum manifestationem diuinæ voluntatis aliquo cęlesti signo visibili, scilicet radij coruscantis, vel similis. Aliter Origenes *homil. 1. in Iosue*, Hieronymus *in cap.1. Ionæ*, D. Augustinus *concione 2. in psalmum 30.* exponunt locum illum: asseruerunt nimirum, huiusmodi Apostolatus electionem fuisse ex Christi reuelatione commissam sortitioni consuetæ, & simul aliquo signo cœlesti visibili probatæ, vt sic Christus eos certificaret, se illis in ea electione adesse; & sicut præsens Apostolos elegerat immediatè, ita & absens Iudæ successorem eligeret. Idque videntur postulasse Apostoli cùm dixerunt: *Ostende quem elegeris*; non vt caderet sors super vnum è duobus, sicut in cæteris sortibus solet euenire; sed vt suam manifestaret voluntatem aliquo speciali modo, hoc est visibili cœlesti signo: & ita sortem illam fuisse consultoriam docuit Theophilus *tom.15.in heterocl.spirit.part.2.puncto 4.* Tandem Vega *in cap.1. Actuum*, Laurentius Iustinianus *in sermone de S.Mathia*, Abulensis *in cap.7.Iosue, quæst.41.* asserunt illam sortem fuisse communem, ex vsu & more veteris Testamenti acceptam ab Apostolis, quia licèt iam lex vetus mortua esset, non tamen erat mortifera; & ideò Apostolos licitè ea sorte vti potuisse. Eos sequuntur D. Franc. Fernandez à Corduba *in opusc. de vita, & miraculis S.Mathiæ*, Pantoia *in l.fin.C.de aleator.num.24.* Sed omnes has sententias refellit Arauio *d.disp.3. de statu ciuili, §.5.num.3.* Tandem alij docuerunt, D.Mathiam mediatè electum fuisse ab Apostolis, immediatè verò ab Spiritu sancto, qui primùm eum vocauit, & posteà vocatum declarauit congregatio Apostolorum; sic enim Spiritus sanctus dixit: *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et tunc congregatio erupit: *Tu, Domine, ostende, quem elegeris ex his duobus; & cecidit sors super Mathiam, & adnumeratus est cum vndecim*; idest suffragijs electus: & ita eo casu duæ electiones adfuerũt, altera sortis, seu voluntatis Dei; altera suffragiorũ ipsorũ Apostolorũ. Non tamẽ adhibuere Apostoli suffragia, vt rectè contra alios, præcipuè Ribadeneira *in vita S.Mathiæ,*

S. Matthæi, statuit Lessius *de iustit. cap* 53. *num.* 59. Apostoli enim dederunt sortes orantes Deum, vt sortes dirigeret, & ostenderet eo signo, quem ipse prælegisset: vbi autem cecidit sors super Mathiam, ipsi quoque elegerunt, vt facilè ex Græca versione patet. Itaque Deus elegit sanctum Mathiam, & Apostoli eundem elegerunt, partim consilio, & iudicio proprio; partim sortium auxilio, vt docuerunt Cellotius *de hierarch. eccles. l.* 7. *cap.* 1. Cironius *in parat. ad hunc tit.* Bellarm. *in apolog. contra Reg. Angl. cap.* 13. *fol.* 202.

TITVLVS XXII.

De collusione detegenda.

CAPVT PRIMVM.

Gregorius *Vniuersis Episc.* a *Corinth.*

DEsiderij nostri est ad concordiam redigere discordes, & vnitos esse in gratia eos, quos diuisos ab alterutra dilectione voluntatis fecit esse diuersitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegentes agnouimus, quòd hi, qui contra *b* Hadrianum fratrem, & Coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modò cum eodem Episcopo in amicitiam conuenissent, & magna nobis ad præsens facta est de eorum vnitate lætitia. Sed quoniam ea, quæ dicta sunt, indiscussa remanere non patimur, Sedis nostræ Diaconum ad ea inuestiganda dirigimus, quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit, vt ea, quæ audiuimus, dissimulare nullatenus debeamus: præsertim cùm accusatores, & accusatum inter se fecisse gratiam indicastis, hoc nobis necesse est subtiliùs perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia: quæ si, quod absit, non ex charitate, sed ex præmio facta constiterit, maiori hoc emendatione plectendum est. Nam nos, qui canonicè, reuelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus, commissam postmodùm culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus.

NOTÆ.

a *COrinth.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 1 & post Concil. Lateran. *p.* 28. *c.* 2. & in ipso regesto epistolar. Diui Gregorij *l.* 2. *indict.* 11. *epist.* 38. ex quo litteram textus transcribo. Corinthus vrbs inter nobilissimas Græciæ numeratur, notissimaque est in Isthmo Peloponnesi: à Corintho Maratonis, velut Corinthijs persuasum est, nomen accepit, teste Strabone *l.* 8. Ab Horatio & Prudentio Bimaris appellata est, & ex eo, quòd ex arce, eiusque acto duo spectentur maria, Corinthus vocatur, hinc Ægeum, inde Ionicum. Priùs dicebatur Ephyra. Plinius *l.* 4. *naturalis hist. cap.* 4. *Medio hoc interuallo, quod Isthmon appellauimus, applicata colli habitatur colonia Corinthus, ante Ephyra dicta.* Cicero pro lege Manilia orans, hanc vrbem totius Græciæ lumen appellat: plura de Corintho notauit Aloix *in notis ad vitam S. Dionisij Episcopi Corinthi, cap.* 1. Eam Metropolim ecclesiasticam fuisse constat ex subscriptionibus epistolæ Synodicę Episcoporum Achaiæ ad Leonem Imperatorem, *p.* 3. *Concil. Chalcedon.* vbi primo loco eius Episcopus ita subscribit: *Petrus Episcopus Metropolis Corinthi.* Immò & temporibus Diui Gregorij Primatem fuisse, constat *ex l.* 4. *epistolar. ipsius, epist.* 55. vbi præcipit Episcopis Helladis obedire Ioanni Episcopo Corinthiorum, his verbis: *Pallium Ioanni fratri nostro Corinthiorum Episcopo nos transmisisse cognoscite, cui vos magnopere conuenit obedire, præsertim cùm sibi hoc & antiquæ consuetudinis ordo defendat, & bona eius, quibus ipsi testimonium perhibetis, muniunt.* Habebat ea prouincia olim vigintisex Episcopatus, quos refert Carolus à sancto Paulo *in Geograph. sacra, l.* 8.

b *Hadrianum.*] Hadrianus hic fuit Thebanæ ciuitatis Episcopus, cuius meminit ipse D. Gregorius *eod. l.* 2. *epist.* 6. & 7. Ex quibus transcripti sunt textus *in cap. frater* 52. 16. *quæst.* 1. *cap.* 2. *de re iudic.*

CAPVT II.

a Idem.

CRimina semel audita indiscussa Gregorius nullo modo præteribat, etsi accusatus cum accusatore redijsset in gratiam.

NOTÆ.

a *IDem.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & Glossa in præsenti existimat, esse textum hunc Gregorij II. aut III. sed perperam, cùm verba in præsenti relata sint Ioannis Diaconi, qui scripsit vitam Sancti Gregorij anno Domini 873. in quatuor libris, in quibus res gestas ab ipso Gregorio accuratissimè prosequutus est: & *l.* 4. *c.* 32. vt præsentem epistolam referret, caput illud inchoauit à verbis in præsenti relatis.

CAPVT III.

Alexander III. a *Noruuicen. Episcopo.*

AVdiuimus in Episcopatu tuo, & in alijs Episcopatibus Angliæ vsque adeò clericorum *b* malitiam excreuisse, vt interdum inter se collusione facta super beneficijs, quæ possident, se sustineant ab alijs *c* molestari, & posteà vt *d* quæstioni cedatur, & ijdem clerici beneficia quietè *e* possideant, quasi nomine *f* transactionis soluunt alijs de ipsis beneficijs annuam *g* pensionem, vt post mortem eorum in beneficijs alijs, super quibus est inter eosdem clericos collusio facta, ius sibi *h* valeant vindicare. Vnde quid tibi exinde faciendum sit, nos consulere voluisti: ideò f. t. p. A. s. p. m. quat. si quos clericorum tuæ *i* iurisdictionis per collusionem huiusmodi fraudem *k* legitimè tibi constiterit commisisse, eo. beneficijs, super quibus collusum fuerit, non differas, ap. rem. perpetuò *l* spoliare, quia satis esset indignum, & absonum, si fraus, & dolus, quem in præiudicium tui iuris, & aliorum nituntur committere, in eorum non redundaret incommodum, & iacturam.

NO-

NOTÆ.

a Noruicensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.3.* & post Concil. Lateran *part. 28. cap.12. sub tit. de pactis licitis & illicitis*. De Noruicensi Angliæ diœcesi egi *in cap.9. de rescript.*

1 b *Malitia.*] Malitia, vt inquit Tullius *lib.3. de natura Deorum*, est versutia, & fallens nocendi ratio, quæ quidem oritur ex dolo, & calliditate, *l. 1. ff. de dolo*, *l. si quis alius 11. ff. quod metus causa*, *l. vbi cogitur 8. ff. de edendo*, *l. seruus 67. ff. de legat. 1. cap. vt circa 4. de elect. in 6.* Vnde cùm clerici Anglicani varijs fraudibus, & artibus dolosis intenderent beneficia ecclesiastica hæreditaria reddere, vt notaui *in tit. de filijs Presbyter.* tandem eò peruenit ipsorum malitia, vt per collusionem aliud successionis genus circa ea inducerent. In collusione datur summa malitia, quia adest dolus, vt Pontifex in præsenti ait. Facit lex 32. *tit. 26. lib.6. recopil.* ibi: *Fraude ni collusion.* Adest enim fraus occulta animo circumueniendi, *l. qui per collusionem 57. ff. de actionibus empti*, *l. vbi 8. §. sed cùm lis*, *ff. de transact.* Namque colludentes aliquo prætextu prauitatem suam satagunt palliare, vt inquit Pontifex *in cap. vnic. in fine*, *vt ecclesiastica beneficia:* & qui colludit, malignè facit, *l. 4. in fine*, *Cod. de seruis fugitiuis*.

2 c *Molestari.*] Fingendo scilicet, & supponendo lites super beneficijs, vbi non sunt; namque molestari, lites respicit, *l. Aurelio 20. ff. de liberat. legat.* inde molestus aduersarius dicitur, qui litem intendit, *l. 4. §. 1. ff. de alienatione iudicij*: solent enim aliqui spe collusionis lites fingere, *l. cùm tu 8. §. si eùm lis*, *ff. de transact.* Ex his etiam verbis deducitur, collusionem in præsenti casu factam fuisse in iudicio, licèt aliàs etiam extra iudicium committi soleat, vt *in l. 7. §. Procurator*, *ff. pro emptore*, *l. Iulianus 13. §. si quis colludente*, *l. qui per collusionem 44. ff. de action. empti*, *l. sed ædes 19. ff. locati*, *cap. præterea 8. cap. clerici 11. de censibus*, vbi notauit Hostiensis.

d *Quæstioni.*] Quæ erat, vt ait Anania *hic*, *nu.1.* de iure
3 tituli, seu beneficij proprietate: idemque affirmat dicendum esse, si lis esset super iure præsentandi, vel eligendi. Quæstio enim controuersiam, siue litem significat, *l. 1. §. 1. C. ne de statu defunctor. l. Seia 73. ff. de euict. l. 1. & 2. C. de ordin. iudic.* Verbum autem *cedatur*, significat translationem, siue diminutionem, *l. vt tantùm 14. §. vlt. ff. de seruo corrupto*. Igitur horum verborum sensus est, quòd petentes beneficium posteà liti cedunt, seu renunciant per collusionem sub pacto annuæ pensionis, vt *in l. si de communi 19. ff. si seruitus vindicetur*, ibi: *Sed si per collusionem cessit litem aduersario*. Ita Panormitanus textum hunc accepit in casus positione; Hostiensis verò loco verbi *cedatur*, legit *cedant*; & ita accipit verba hæc, non vt petentes, sed vt possidentes cedant; hoc est, vt recognoscant, quòd petentes habent ius in ipsis beneficijs; & tamen pro bono pacis commotionem faciunt, quod ipsi possidentes teneant beneficia in vita sua, & in signum iuris, quòd actor habebat, soluant ei annuam pensionem. Sequitur ipsum Antonius *nu.6.* Illud certum est, quòd ex hac causa cessionis pro bono pacis, & concordiæ, cessante collusione, ritè pensio imponitur, *cap. cùm venissent 9. de restit. spol.* probaui *in cap. nisi essent*, *de præbendis*.

e *Possideant.*] Ant. August. & ex eo Glossa marginalis
4 in præsenti affirmant, in vulgatis libris hæc verba ita haberi, *ijdem clerici, qui beneficia quietè possident*. Sed retinenda est præsens littera omnibus MSS consona.

f *Quasi transactionis.*] Dictio *quasi*, improprietatem de-
5 notat, & fictionem, *l. sed si damnum 9. §. præterea*, *l. quotiens 47. §. vlt. ff. de peculio*. Barbosa *de dictionibus*, *verbo Quasi*. Vnde cognoscitur, in præsenti casu verè, & propriè transactionem non intercessisse, sed per fictionem, videlicet per collusionem. Non tamen inde inferas à contrario sensu, pensionem ritè constitui posse cum vera transactione, quia id tantùm verum est, cùm iudicis auctoritate, ob bonum pacis, vt à lite discedatur, pensio constituitur, iuxta tradita *in cap. nisi essent*, *de præbend.*

g *Annuam pensionem.*] Annuæ pensionis etiam mentio
6 fit *in cap. ad audientiam 31. de rescript. cap. cùm venisset 9. de restit. spol. cap. præterea 8. de censibus*, *cap. extirpandæ 30. §. vlt. in fine*, *de præb.* Pensio autem dicitur à verbo *Pendo*, scilicet quia pendet à beneficio formaliter, à quo extrahitur, sicut vsusfructus à proprietate, *cap. fin. de pignorib. cap. pensionis 16. q. 1. cap. quicunque 12. quæst. 2.* Gigas *de pensionibus*, *q.1. num.8.* Qua ratione etiam merces rei conductæ pensio appellatur, *l. diuortio 8. §. non solùm*, *ff. solut. matrim. l. Paula 27. §. Iulianus*, *ff. de legat.3.* Et generaliter quidquid per certa tempora penditur, pensio dicitur, *l. 3. §. si legatum*, *ff. de annuis legat.* Lotherius *de re beneficiar. lib.1. q.35. num.12.* annua verò dicitur, quia singulis annis pendi debet. Qua de causa etiam annuum in genere neutro appellari posse, existimat Duarenus *lib.6. de sacris Eccles. cap.4.* exemplo veterum, quos ita crebrò loquutus fuisse constat *ex l. Seio 10. §. vxori*, *l. si cui 11. l. Titia 19. §. qui merces*, *ff. de annuis legat. l. ex annuo 15. l. si stipulata 33. ff. de donat. inter*, *l. quidam 21. ff. de pact. dotal. l. 6. §. penult. ff. de pecul. legat.* plura de his pensionibus, & earum origine agunt vltra Garciam, Ioannem Dartis, Andream, Valensem, Lotherium, & alios de beneficijs agentes: prosequuntur Duarenus *de sacris Ecclesiæ minist. lib.6. cap.4.* Æneas Robertus *lib.1. rerum iudic. cap.7.*

h *Valeant vindicare.*] Hoc enim intendebant clerici isti
per collusionem, scilicet vt post mortem possessorum in 7
beneficijs illis, super quibus erat facta collusio, petitores litem inferentes ius sibi valerent vindicare, non quidem successionis modo, quæ in beneficijs reprobata est, *cap. 1. de præbend.* sed vindicando similia beneficia tanquam propria, pristino iure sua esse asserentes; hoc enim prædicta verba significant, *l. non ideò 66. ff. de R. V. l. Quintus Mucius*, *§. qui legatum*, *ff. de auro & argent. l. certum 6. §. sed si fundum*, *ff. de confess.* immò in præsenti casu si collusio non intercederet, non solùm beneficiorum proprietatem vindicare, verùm & eorum possessionem apprehendere poterant, *cap. cùm venisset 9. de restit. spol.* collusione verò intercedente, non ita, quia tunc per fraudem & dolum via præcludebatur Episcopo, & alijs, ad quos eorum beneficiorum collatio, seu præsentatio pertinebat, quominùs possent ea conferre, vt considerat Alexander *in præsenti*, illis verbis: *Et fraus, & dolus, quem in præiudicium tui iuris, & aliorum nituntur committere.* Notarunt Glossa *in præsenti*, *verbo Spoliare*. Anania *nu.1.* Hostiensis *nu.2.* Gigas *de pensionibus*, *q.42. nu.1.* Aliquando inter alios fit collusio, ob quam Ecclesias, quas possident, non legitimè faciunt censuales, vt post mortem ipsorum, eorum filij, vel nepotes præsententur. Quæ collusio eodem modo improbatur *in cap. cùm clerici*, *de censibus*, ac ea de qua in præsenti agitur.

i *Tuæ iurisdictionis.*] Eodem modo loquitur Pontifex 8
in cap. clerici 6. de pact. & ea verba adiecit Pontifex, ne Episcopus Noruicensis crederet, quod cùm in consultatione dixisset, alios clericos Angliæ prædicta collusione vsos fuisse, in eos posset animaduertere virtute huius rescripti; siquidem in eo tantùm iurisdictio ordinaria excitatur contra huiusmodi clericos.

k *Fraudem legitimè tibi constiterit.*] Delictum enim 9
collusionis non præsumitur, *l. meritò 51. ff. pro socio*; & ideò, qui asserit collusionem interuenisse, hoc probare debet, vt ex alijs affirmat Menochius *lib.5. de præsumpt. casu 26. nu.3.* Eius autem probatio valdè difficilis est, eo quòd clam omninò, & occultè committi soleat, *c. quantò 7. de diuortijs.* Qua de causa aliquando manet impunita, *c. super eo 5 de eo qui cognouit consanguin.* Vnde si suspicentur, collusionem adesse illi, quorum interest, vt liti assistant ius permittit, *l. si suspecto 29. ff. de inoffic. testam. l. si prolusorio 14. ff. de appellat. c.1. in fine*, *de procurat. lib.6. Clement.4. vers. Sanè de elect.* Etiam hac de causa collusio probari potest ex suspicionibus, coniecturis, & præsumptionibus, argumento legis *qui autem 6. §. nunc similiter*, *ff. si quis omissa causa testam. cap. suscitata 6. de in integrum restit. cap.1. de renunc. lib.6.* probant Anania *in præsenti*, *num.2.* Barbosa *num.4.* Aliquando ex qualitate personæ, *l. 3. §. hoc interdictum*, *ff. de liber. hom. exhib.* veluti si sit affinis, aut consanguinea, Menochius *vbi proximè*, *nu.21.* Aliquando ex eius statu, veluti si in graui infirmitate constitutus transactionem faciat, argumento *in cap.2. de renunc. lib.6. l. filio meo 59. ff. solut. matrim.* Anania *hic*, *num.2.* Item si negligenter se gessit in lite omittens probationem, appellationem, seu de iure suo docere, *l. si seruus 50. §. 1. & §. si quis ante*, *ff. de legat.1.* Prosequuntur alias collusionis præsumptiones Anania *in præsenti rubric. num.4.* Menochius *d. præsumpt. 26.* Barbosa *hic*, *num.4.*

l *Spoliare.*] Consonat textus *in c. cùm clerici 6. de pact.*
cap. cùm clerici 11. de censibus, idest perpetuò priuare, *cap. ad falsariorum*, *de crimine falsi*, *c. tua 11. de iureiur.* Nec 10

con-

contrarium probat textus *in cap. præterea, de censibus*, si modò verbum *illusoriè*, in eo accipias pro deceptione, non pro collusione. Huius pœnæ duplex ratio assignari valet: alia generalis, quam reddunt Glossa 1. *hic*, & Hostiensis *nu.* 1. ne colludium maneat impunitum, *cap. si quem* 1. *q.* 3. qua ratione colludentes alijs pœnis afficiuntur, & detegentes collusionem præmium consequuntur, vt *in l.* 1. *& per totum ff. hoc tit. l.* 8. *§.* 1. *ff. de in ius vocando, l.* 49. *ff. de act. empti, l. sed abest* 19. *ff. locati, l.* 8. *§.* 1. *ff. mandati, l.* 37. *tit.* 18. *lib.* 6. *recopil.* Alia ratio specialis assignatur ab Alexandro in finalibus verbis, in quibus illud notandum est, quod cùm clerici succedere deberent, ex collusione præiudicium fiebat Episcopo, ad quem ipsius beneficij collatio spectabat; & etiam patrono, ad quem præsentatio pertinebat. Vnde transactio in eorum præiudicium sustineri nequibat.

CAPVT IV.

Gregor. IX. a *Barensi Archiepiscopo, & fratri Ioseph monacho Floren.*

IN tantùm clamor, qui ascendit contra *b* Acherontinum Archiepiscopum, inualescit, quod dissimulare ipsum vlteriùs sine scandalo non volumus, nec sine periculo tolerare. *Et infrà*: Licèt autem Sedes Ap. frequentibus clamoribus excitata, inquisitionem quorundam excessuum suorum duxerit committendam; propter *c* tergiuersationes tamen ipsius (vt dicitur) eodem cum inquisitoribus, & examinatoribus colludente, necnon corruptis testibus, & inquisitoribus, ac examinatoribus supradictis, non solùm prædicti excessus remanserunt hactenus incorrepti, verùm etiam peiora prioribus committere non expauit. *Et infrà*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus si de huiusmodi collusione, ac corruptione constiterit, ex integro super præmissis & alijs, alioquin super nouis dumtaxat inquiratis, quæ videritis inquirenda,

NOTÆ.

a *Barensi.*] Cùm Regestro epistolarum Gregorij IX. careamus, integram hanc epistolam dare non possumus. De Barensi diœcesi iam nonnulla adduxi *in cap.* 16. *de temp. ordin.* & de Monasterio Florensi egi *in cap.* 2. *de summa Triuit.*

b *Acherontinum.*] De Acherontina diœcesi nonnulla notaui *in cap...*

c *Tergiuersationes.*] De tergiuersatoribus, & eorum pœnis egi *in cap. licèt, de accusat.*

COMMENTARIVM.

1 *Conclusio traditur & probatur.* EX hoc textu, & *ex cap.* 1. *&* 2. *hoc tit.* sequens deducitur assertio: *Absolutio de criminibus illatis per collusionem facta, etiam præcedente partium transactione, non impedit iudicem punire, & inquirere idem delictum.* Probant eam textus *in l.* 1. *C. de aduocat. diuers. iudic. l.* 7. *C. quando prouocare, l.* 1. *§. præuaricatorem, ff. ad Turpil. l.* 4. *l. Imperatores* 24. *l. eius qui* 29. *ff. de iure fisci, l.* 3. *§. si tamen, ff. de libero hom. exhib. l. eum qui* 30. *§. in popularibus, ff. de iureiur. l.* 3. *l.* 4. *§. vlt. l. adulter* 19. *§. fin. l. quicunque* 31. *l. quæsitum* 40. *§. fin. ff. ad leg. Iul. de adult. l. minor* 18. *§.* 1. *ff. de minor. l.* 7. *§. si dolo, ff. de dolo, l. ita demùm* 31. *ff. de recept. arbitr. l.* 11. *C. de accusat. l.* 3. *ff. de præuaricat. l.* 4. *§. ijsdem, ff. de accusat. l. denunciasse* 17. *§. quæritur, ff. ad leg. Iul. de adult. l.* 1. *C. si aduersus fiscum, lib.* 10. *l. seruo* 65. *§. cùm Prætor, ff. ad Trebel. l. si Prætor* 65. *vers. Marcellus, ff. de iudicijs, l.* 1. *ff. de bonis eorum, cap. licèt, vers. Cùm igitur, de simon.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Gamma *decis.* 53. Duarenus *ad tit. ff. de præuaricator.* Martinus Delrio *in l. transigere, nu.* 58. *C. de transact.* Couarr. *lib* 2. *var. cap.* 10. *n.* 5. Morla *in empor. tit. de transact. in prælud. n* 47. Mastrillus *de Magistrat. lib.* 6. *cap.* 9. Anguianus *lib.* 2 *de legibus, cap.* 7. *n.* 10. Carpzouius *qq. crimin. q.* 48. Ant. Matthæus *de crimin. ad l. transigere, C. de transact. num.* 7.

2 *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione. Iudicis sententia absolutoria adeò tollit crimen, vt semper obstet quominus alius eundem reum repetere possit, *l. ingenuum* 25. *ff. de statu hominum, l. si cui* 7. *§. ijsdem, ff. de accusat. latè probaui in cap. de his, de accusat.* Igitur etsi per collusionem sententia lata sit, ampliùs de eo crimine agi non potest. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam ignoscendum est ei, qualiterqualiter sanguinem suum redemptum voluit, *l.* 1. *ff. de bonis eor. qui ante sent.* Igitur compositione facta cum accusatore, accusatus, qui hoc modo sanguinem suum redemit, accusari, vel inquiri de eodem delicto non potest. Augetur secundò hæc difficultas ex eo, nam abolitione sopitur crimen, *l.* 1. *C. de generali abolit.* Igitur multò magis compositione facta cum accusatore crimen extinguitur. Tandem augetur eadem difficultas ex eo, nam transactio non minorem auctoritatem habet, quàm res iudicata, *l. non minorem* 20. *C. de transact. l.* 2. *ff. de iureiur.* sed per sententiam absolutoriam omninò tollitur crimen, vt proximè probaui: igitur & transactione omninò tollitur.

Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, verbo collusionis frequenter vti vtriusque iuris conditores, vt constat ex iuris locis suprà adductis, in quibus aliquando appellatur collusium, vt *in l. si procuratorem* 8. *§.* 1. *ff. mandati*: aliquando colludium, *cap. si quem pœnituerit,* 2. *q.* 3. Maioranus *in nouel. de Episc. iudic.* Marcellinus *lib.* 18. *tit.* 30. Symmachus *lib.* 1. *epist.* 86. & *lib.* 3. *epist.* 52. & *lib.* 4. *epist.* 20. *&* 50. & *lib.* 10. *epist.* 36. *in edicto Theodorici, cap.* 114 notauit Sauarus ad Sidonium *lib.* 1. *epist.* 2 *verbo Colludium.* Et collusio ita communiter definitur, vt sit, *inter actorem, & reum fraudulenta, & latens conuentio.* Syluester *verbo Collusio*, Gigas *de pensionibus, q.* 42. *num.* 3. vel vt inquiunt Cuiacius, & Gothofredus *ad tit. ff. de collus. detegend.* collusio est sub specie litis lusus, metaphora sumpta à rebus ludicris, vt cùm quidam non iure, armisque contendunt, sed leuiter, & ludicrè. Virgilius ad res inanes, & friuolas vocem hanc transtulit *lib.* 1. *Georgic.* 3 *Collusio quid?*

Aut summa nantes in aqua colludere plumas,

Vnde teste Hothomano *de verbis iuris*, colludere dicuntur, qui quod ex animo facere videntur, id dissimulatè, & fictè agunt inter se, aliorum sensibus illudentes. Vnde collusio dicitur fictio, *in l.* 1. *accusantur, ff. ad Syllan.* & colludentes lusoriè agere, *in l. si seruus* 50. *§.* 1. *ff. de legat.* 1. seu prolusorio iudicio, *l. si prolusorio* 19. *ff. de appellat.* vbi notauit Gothofredus, Alciatus *lib.* 4. *Parerg. cap.* 24. Inde est, quòd collusio etiam vocatur illusio, *cap. præterea* 8. *de censibus, Clement.* 1. *de renunc.* quamuis in Concilio Lateran. ex quo transcriptus est textus *in d. cap. præterea*, loco verbi Lusione, legatur *collusione*, quod magis placet Antonio Augustino. Sed nihilominus verbum *illusione*, extat in prima collectione, & illud agnoscunt Innocentius & Hostiensis *ibi, num.* 1. Ex eadem ratione præuaricatores, qui translatitiè munere accusandi defunguntur, proprias probationes dissimulando, & falsas rei excusationes admittendo, dicuntur colludere *in l.* 1. *§. præuaricatorum, ff. ad Turpil. l.* 7. *§. penult. ff. de dolo, l.* 3. *ff. ad leg. Iul. de adult.*

Deinde sciendum est, per collusionem gesta rescindi, & infirmari, veluti sententia, qua quis cùm esset seruus, vel libertus, per collusionem cum domino, vel patrono factam, fuit ingenuus pronunciatus, vt constat *ex l.* 1. *& per totum ff. hoc tit.* ad quam speciem spectant textus *in l.* 1. *&* 2. *ff. de iure aureor. annul. l. qui de libertate* 29. *§. vlt. ff. de liberali causa, l.* 2. *§. fin. ff. si libertus ingenuus, l. Diui* 27. *ff. de liber. caus.* quo casu perinde inefficax est sententia, ac si nulla res iudicata interuenisset, *l. cùm non iusto* 3. *ff. boc tit. l. Præses* 5. *C. de pignor.* Couar. *practicar. cap.* 23. *num.* 5. Tiraquel. *de nobilit. cap.* 37. *nu.* 4. Faber *lib.* 19. *coniect. cap.* 4. Item & casu, quo hæres ab eo, qui de inofficioso agebat per collusionem, in fraudem legatariorum, vel libertatum, victus fuit, quia tunc licet legatarijs, & illis, quibus libertas relicta est, causam agere apud iudicem, qui de testamento cognoscit, vel ex rescripto Diui Pij appellare, vt sententia rescindatur, 4 *Per collusionem gesta infirmantur.*

l. à

l. à sententia 5. §. si hæres, l. si prolusorio 14. ff. de appellat. l. si suspecta 27. ff. de inoffic. testam. l. si seruus 50. §. si quis ante. ff. de legat. 1. l. si hæres 19. C. de testament. manumiss. Et generaliter sententia per collusionem prolata non præiudicat, l. Arrianus 27 C. de liber. causa, l. Præses 5. C. de pignor. vbi Cuiacius exponit legem penultimam, ff. de re iudic. l. 4. §. item si emptor, ff. de appellat. l. 3. ff. de pignor. l. quamuis 19. C. ad leg. Iul. de adult. l. si pariter 9. ff. de liber. causa, l. si creditores, ff. de priuil. credit. l. Paulus 29. ff. de procurat. l. si cum vno 22. ff. de except. rei iudic. l. 12. C. de testam. manumiss. iuncta l. 2. Cod. si quis omissa causa, l. 9. §. procurator, ff. pro emptore, l. 1. §. 34. ff. ad Syllan. Illustrant Cuiac. lib. 2. obseru. cap. 7. & lib. 16 cap. 32. & lib. 20. qq. Papin. in l. 3. ff. de pignor. Valentia tom. 2. illustr. tract. de re iudic. Item quando adest collusio in contractu emptionis, rescinditur venditio per in integrum restitutionem, l. si res 44. ff. de minor. l. vlt. Cod. si aduersus fiscum: vel propter dolum, & fraudem datur actio, l. Iulianus 12. §. si quis colludente, l qui per collusionem 49. ff. de action. empti, l. sed addes 19. ff. locati, l. si procuratorem 8. §. 1. ff. mandati, l. & eleganter, §. dolo, ff. de dolo, l. qui fundum 7. §. procurator, ff. pro emptore, l. fin. ff. si vendit. pignor. agatur, l. 3. Cod. de iure fisci, l. 7. Cod. de distract. pignor. l. 27. Cod. de euict. l. si quis 34. ff. de procurat. docent Cuiac. in l. 7. §. si dolo, ff. de dolo, Faber lib. 12. coniect. cap. 10. Donel. in l. 2. Cod. si propter public. pensit. Similiter iusiurandum delatum per collusionem non obstat, l. eum qui 30. §. in popularibus, ff. de iureiur.

5 Traditur ratio decidendi.

His suppositis apparet iam ratio præsentis assertionis; nam cùm sententia per collusionem prolata nulla sit, qui mediante collusione obtinuit sententiam absolutoriam à crimine, quod verè perpetrauerat, denuo accusari potest, & super eodem delicto inquiri; quoniam talis absolutio fuit fraudulenter obtenta, cap. si quem pœniteret 2. q. 3. ne ex malitia sua commodum reportet, contra legem 1. ff. de dolo. Accedit, quòd delicta vndecumque claruerint, sunt punienda, cap. ecce 24. quæst. 3. quia interest Reipublicæ delicta nocentium non manere impunita, l. 5. ff. de pact. dot. l. iuris 7. §. si paciscar, ff. de pact. l. ita vulneratus 51. §. æstimatio, ff. ad leg. Aquil. l. 9. §. quod illicitè, ff. de public. iudic. Manerent autem impunita, si collusione facta inter accusatorem, & accusatum non liceret iudici super eisdem criminibus inquirere. Deinde nam licèt iure ciuili super delictis capitalibus liceret transigere, l. transigere, C. de transact. tamen cùm iure canonico delicta capitalia non sint, cùm Ecclesia pœnam sanguinis non irroget, vt probaui in cap. sententiam, ne clerici vel monachi, cap. 1. de calumn. transigi de delictis non potest, vt probat Padilla in d. leg. transigere, num. 36. Didacus Perez in l. 2. tit 15. lib. 8. ordin. Valeron de transact. lib 3 cap. 5. nu. 32. Igitur non obstante compositione, seu transactione facta inter accusatorem, & accusatum, iterùm iudex inquirere potest super eodem delicto. Deinde, nam licèt iure communi attento, conuentione facta inter accusatorem, & accusatum non possit iudex pro vindicta publica pœnam ordinariam infligere, l. 22. tit. 1. partit. 7. potest tamen extraordinariam imponere, vt probat Valeron d. q. 5. num 11. Vnde rectè in præsenti docetur, collusione facta inter accusatorem, & accusatum, etiam præcedente transactione, posse iudicem super eodem delicto inquirere. Huic rationi adiungenda sunt alia, quæ adduxi in cap. 2. de his, de accusat. vbi de hac absolutione per collusionem facta exposui difficilia loca Suetonij, & Hermogenis.

6 Dissoluitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, deducta ex l. 7. §. iisdem, ff. de accusat. Nam principium illud procedit, quando sententia ritè, & legitimè prolata est; non verò per collusionem, simulata compositione inter accusatorem, & accusatum. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex leg. 1. ff. de bon eorum; quia verum est, ignoscendum esse ei, qui sanguinem suum redemptum voluit. Sed hoc procedit, ne ex Senatusconsulto pro conuicto habeatur, non verò vt à pœna omninò immunis sit, l. vlt. ff de præuaric. Nec obstat argmentum deductum ex exæquatione sententiæ, & transactionis, quia licèt verum sit, in pluribus exæquari transactionem rei iudicatæ, quia neutra temerè rescindi potest; etiam certum est, non in omnibus comparari, cùm de criminibus capitalibus iudicari possit, transigi verò non possit. Vnde quid mirum, quòd sententia iudicis tollat crimen, non autem transactio, vt docuit Ant. Matthæus de crimin. ad tit. 48. Digestor. tit. 19. cap. 7. num. 7. Nec obstat, quod de abolitione dicebamus, quia verum est, abolitione crimen sopiri, vt probaui in d. cap. de his, de accusat. non autem perimi. Vnde similiter licèt transactione sopitum sit crimen quoad transigentem, tamen quoad alios non perimitur, vnde formari potest inquisitio à iudice ex officio.

7 Exponitur l. adulter, § fin. de adulter.

Sed suprà traditæ assertioni apertè opponitur textus in l. adulter 19. §. fin. ff. ad leg. Iul. de adult. in illis verbis: *Proinde si per collusionem cum adultero constituerit, fueritque absolutus, dedit mulieri nuptæ aduersùs omnes securitatem.* Ex quibus expressè deducitur, post sententiam absolutoriam per collusionem prolatam, non licere super eodem crimine ampliùs agere. Igitur non rectè in præsenti docetur, post sententiam absolutoriam per collusionem prolatam licere iudici super eodem delicto inquirere. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, textum illum specialiter procedere in adulterio, in quo cùm propriè, & peculiariter accusatio competat marito, ideò si adulter accusatus per collusionem absolutus sit, non potest adultera, dum nupta est, accusari: quod faciliùs procedit hodie attento iure nostro Regio, cùm adeò proprium sit mariti hoc crimen vindicare, vt nulli alij competat ius accusandi, nec iudici ex officio procedenti, l. 3. tit. 7. libro 4. fori, Auendaño respons. 24. numero 6. P. Barbosa in l. 2. ff. solut. matrim. numero 113. Gomez in l. 80. Tauri, numero 49. Capycius Latro decis. 121. numero 17. nisi adulterium adeò notorium sit, vt magnum scandalum in populo generetur, quia tunc iudex contra adulterum procedere valet suppressis nominibus adulteræ, & eius mariti, ne fœdetur connubium, vt praxi receptum se vidisse testatur Valeron d. quæst. 5. num. 20.

TITVLVS XXIII.

De delictis puerorum.

CAPVT PRIMVM.

a Gregorius.

PVeris grandiusculis b peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis XIV. cùm c pubescere cœperint: quod meritò crederemus, si nulla essent peccata, nisi quæ membris genitalibus admittuntur. Quis verò audeat affirmare, d furta, e mendacia, f periuria non esse peccata? At his plena est g puerilis ætas, quamuis non in eis ita, vt in maioribus, punienda videantur.

NOTÆ.

1 a GRegorius.] In prima collectione, sub hoc tit. cap. 1. legitur tantùm Augustinus, nullibi tamen exprimitur; cuius Gregorij, vel Augustini sit præsens textus, nec vbi reperiatur, vt iam notauit Ant. Augustinus in præsenti. Existimabam aliquando vtramque inscriptionem retinendam esse, legique debere, Gregorius Augustino, vt in cap. 1. de maiorit. & obed. cap. 1. dist. 5. Et ita in præsenti proponi responsum D. Gregorij Magni ad consulta-

sultationem Augustini Anglorum Episcopi, licèt illud non extet inter responsa ipsius Gregorij, quæ extant ad calcem epistolarum ipsius, de quibus iam nonnulla adduxi *in d. cap. 1. de maiorit.*

b *Peccatum.*] Peccatum definitur à Gratiano *in fine* 15. *quæst.* 1. voluntas retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, & vnde liberum est abstinere. Couarr. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 10. *num.* 10. *de sent. excom.* ait: Est auersio à Deo, & conuersio ad creaturas. Vnde dicitur *in cap. fin. de præscript.* quòd omne, quod non est ex fide, peccatum est; hoc est ex conscientia. In præsenti peccatum omne delictum significat, iuxta rubricam ibi, *de delictis*: at delictum communiter priuatam tantùm noxam significat, scilicet qua priuatim quisquis læditur, veluti per furtum, mendacium, periurium, iniuriam, & cætera similia: in quo differt à crimine, quia criminis appellatione capitalis fraus intelligitur, qua Respublica læditur, veluti homicidium, falsitas, adulterium, & similia: quæ differentia indicatur apertè *in l. quis sit fugitiuus*, §. *noxas*, *ff. de ædilit. edict. l. aliud* 13. *in fine*, *ff. de V. S.* Hac ratione in Pandectis titulus de priuatis delictis secernitur à titulo *de extraordin. crimin.* & à titulo *de public. iudic.* Aliquando tamen hæc duo confunduntur, & crimen significat priuatum delictum, *l.* 1. *ff. vlt. ff. de pœnis*; & delictum etiam pro crimine ponitur *in l.* 1. *ff. de legibus*, *dicta l. aliud*, §. 1. & hoc modo sumitur in præsenti textu, in quo agitur de delictis carnis, de furto, & periurio: *in cap.* 1. 49. *dist. cap. exigunt* 18. 1. *quæst.* 7. *cap.* 3. 16. *quæst.* 3. *cap. quod quidam* 97. *ff. sicut*, 1. *quæst.* 1. *cap. olim* 14. *vers. Quod si alias*, *de priuil. regul. l. delictum* 76. *de R. I. lib.* 6. *cap. eum* 19. 23. *quæst.* 4.

c *Pubescere.*] De pubertate, tam virorum, quàm fœminarum, egi *in cap.* 2. *de desponf. impub.*

d *Furta.*] De quibus, & eorum malitia egi *in cap.* 2. *de furtis.*

3 e *Mendacia.*] Mendacium definit D. Augustinus in libro contra mendacium, *Est falsa significatio vocis cum voluntate fallendi*: prout refertur *in cap. beatus Paulus* 5. 22. *q.* 2. nam qui mentitur contra id, quod animo sentit, loquitur cum voluntate fallendi, iuxta eundem August. *in cap. is autem*, 22. *q.* 4. Vnde mendacium peccatum est contra octauum Decalogi præceptum, vt varijs SS. PP. testimonijs probat Gratianus in causa 22. *q.* 2. etiamsi quis mentiendo alicui vellet prodesse, *d. c. is autem*: vel si humilitatis causa mentiatur, *cap. cùm humilitas* 9. *cum sequent.* 22. *quæst.* 2. Et mendacium aliquando est graue peccatum, vt *in cap.* 1. *ead. quæst. cap. literis* 14. *de præsumpt.* diuini iudicij pœna damnatum, vt refertur *in cap. iuramenti* 12. 22. *q.* 5. differtque à periurio, quamuis qui falsum iurat, etiam mentiatur, *cap.* 2. §. 1. *cap.* 3. §. 1. 22. *quæst.* 1. Meritò ergo Gregorius in præsenti docet, quòd nemo audebit affirmare mendacium non esse peccatum. Quare & propter illud iure etiam ciuili mendax punitur, *l. de actione* 11. *ff. qui tacuit*, *l. confessionibus* 13. *ff. de interrog. in iure faciend.* & in delictis quæ inficiando crescunt.

f *Periuria.*] Periurium est nequiter decipere credentem, vt ait D. August. *in cap.* 1. 22. *q.* 2. dicitur magnum 4
peccatum *in c. in nouo* 3. 22. *q.* 2. grande scelus *in c. vlt. ead. quæst.* & vt tale prohibitum *c.* 2. *Leuit.* ibi: *Non periuraueris in nomine meo.* Et *cap. habemus* 12. *cap. si peccatum* 14. 22. *q* 1. periurus namque dupliciter reus fit, quia nomen Domini in vanum assumit, & proximum dolo capit, *cap. quicunque* 9. 22. *q.* 5. de grauitate huius criminis egi *in cap. cùm quidam* 12. *de iureiur.*

g *Plena est puerilis ætas.*] Immò & alijs pluribus peccatis, vt refertur in Conc. Mediol. 5. sub Carolo, 3. *p. tit. quę ad matrimonium pertinent*, *ff. his temporibus*, ibi: *His temporibus tanta puerorum licentia est, atque adeò effrenata, vt cùm peccandi naturam afferat, tũ disciplinæ christianę detrimenta importet non leuia; hinc in scholis nimia petulantia, in Ecclesijs irreuerentia, turbulenta foris concitatio, atque in omni loco sese offerens imprudentia, & planè proiecta audacia.* 5

C A P V T II.

Alexand. III. a *Hermon. Episcopo.*

REferente nobis H. intelleximus, quòd cùm N. filius eius *b* decennis cum alijs pueris sagittaret, quidam *c* nepos eiusdem H. *d* sagitta percussus interijt: quod idem filius eius cùm inter alios luderet, fortuito casu dicitur peregisse: propter quod *e* Abbas sancti Remigij à præfato H. secundùm consuetudinem illius terræ C. solidos instantiùs requirebat. *Et infra*: Vnde quoniam in pueris relinqui solet inultum, quod in alijs prouectioris ætatis humanæ leges dicunt seueriùs corrigendum, mandamus, quatenus si constiterit, filium prædicti H. intra XIV. ætatis suæ annum eundem excessum commisisse, memoratum Abbatem moneas, & compellas, vt ab eodem H. prædictos C. solidos, propter illam consuetudinem non exigat, nec ab ipso pro *f* temporali *g* pœna requirat.

N O T Æ.

1 a HErmon.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & cùm nulla extet diœcesis Hermoniensis, vel Hermonensis in tota Geographia sacra edita à Carolo à sancto Paulo, credo legendum esse *Rhemensi*; tum quia Abbatia sancti Remigij, cuius mentio fit in hoc textu, extat in ipsa vrbe Rhemensi: tum quia compositio homicidij certa solidorum præstatione frequenter statuitur in lege Salica, vt dicemus infrà *in cap.* 2. *de pœnis*. Vnde credo, casum hunc in Gallia contigisse in ipsa diœcesi Rhemensi, & ita legendum esse, *Archiepiscopo Rhemensi.*

b *Decennis.*] Et ita non erat adhuc proximus pubertati, vt infrà dicemus.

2 c *Nepos.*] Ex fratre videlicet, idest sobrinus, iuxta tradita *in cap. per tuas*, *de probat.*

d *Sagitta.*] De sagittarijs egi suprà *in cap. vnico*, proprij tituli *de sagitarijs*.

e *Abbas sancti Remigij.*] Monasterium hoc sancti Remigij Rhemensis perecelebre est, vbi extat corpus huius sancti Apostoli Galliæ, de cuius antiquitate, & magnitudine plura adduxit Yepes *tom.* 4. *chron. D. Benedicti*, *anno* 852 *c.* 4. Huic monasterio, & eius Abbatibus concessit Carolus Magnus quasdã villas cum regali iustitia in illis sibi vt Regi competenti, vt constat ex ipsa donatione, quam refert Yepes *ad calcem dicti tom.* 4. in illis verbis: *Concedimus, & confirmamus sancto Remigio quasdam res, quas venerabilis Momiana neptis mea eidem Sancto dedit in pago Æmociensi, in Ducatu Vuandoensi, in loco qui dicitur in monte Leitberto, cum omnibus rebus ad easdem villas pertinentibus. Concedimus etiam, & Imperiali auctoritate cõfirmamus, & donamus eidem glorioso Francorum Apostolo quandam Florestam nostram, quæ Vuara vocatur, quam nobilissimus Comes Angelbertus cognatus meus eidẽ sancto tradidit: sed quia de camera, & feudo Imperiali erat, nos confirmare rogauit. Eandem itaq; Regiam Florestam Vuaram, cum omnibus villis, quę in ea sunt, scilicet Acilisca, Milimbria, Raize, Nera, Alon, cũ omnibus mansis, domibus, casis, cortibus, ædificijs, locis, campis, pratis, pascuis, aquarũ decursibus, & immobilibus, cum omni venatione, &c. Et insuper omnem Regalem iustitiam Ecclesię sancti Remigij Francorum Apostoli integrè transfundimus, & confirmamus cum omnibus, quę ad Florestam eandem pertinere videntur.* Vnde cùm Abbas sancti Remigij virtute huius donationis haberet iustitiam regalem; ideò intendebat centum solidos exigere à puero isto pro homicidio etiam casu celebrato.

f *Pro temporali.*] Hinc deducit Hostiensis suprà *in cap.* 1. *num.* 5. puerum etiam non doli capacem pœnis spiritualibus puniri posse; siquidem Alexander in præsenti tantùm prohibet illi pęnam temporalem infligi; & ita affirmat, similem puerum irregularem manere, quia quoad hanc pęnam non attenditur animus, seu voluntas occidendi; sed tantùm homicidium ipsum, *cap. fin.* 15. *quęst.* 1. 3

Facit

Facit pro ea sententia textus *in cap. exhibita, de homicid.* Verò hodie certum est, infantem doli non capacem nullam irregularitatem contrahere, ex Clementina *si furiosus, de homicid.* Et generaliter quoad pœnas spirituales, excommunicationis videlicet, & interdicti, desiderari in pueris doli capacitatem, *cap. quamuis 58. cap. pueri 60. de sent. excom.* probant latè Lara *de vita hominis, cap. 16. ex num. 111.* Suarez, Maiolus, Sayrus, & alij, quos refert, & sequitur Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 10. & dimidio, q. 8. per tot.*

4 g *Pœna.*] Pater enim ex alio capite non tenebatur ex hoc homicidio ad pœnam pecuniariam, quia videlicet filius non habebat vnde solueret, & pater non tenetur ex delictis filij, nec ratione legitimæ portionis. Couarr. *lib. 2. var. cap. 8. num. 7.* Mancius *de legitim. q. 15. num. 10.* Padilla *in l. 3. Cod. de iur. & facti ignor.* qui disputant, vtrùm statutum factum, vt pater pro delicto filij teneatur, sustineri possit.

COMMENTARIVM.

5 *Conclusio traditur, & probatur.* EX his duabus Decretalibus sequens communiter deducitur assertio: *Pueri grandæui, hoc est proximi pubertati, & doli capaces, ex delictis (excepto carnis peccato) tenentur, sed mitiùs sunt puniendi quàm maiores.* Priorem partem assertionis probant textus *in l. 1. §. hoc edicto, ff. ne vis fiat ei, l. impubes 23. ff. de furtis, l. impunitas 7. Cod. de pœnis, l. 1. & per totum C. si aduersus delictum, l. 3. §. 1. ff. de iniur. §. penult. Instit. de obligat. quæ ex delicto, l. 4. §. de dolo 26. ff. de dolo malo, l. 3. §. 1. ff. de sepulch. violat. l. ex causa 9. §. nunc videndum, l. auxilium 37. ff. de minor. l. sacrilegij 6. ff. ad leg. Iul. pecul. l. aut facta 16. §. persona, de pœnis, l. hac lege 10. §. Diuus, ff. de peculatu, l. 5. §. sed & si infans, ff. ad leg. Aquil. l. non tantùm 17. ff. de excusat. tutor. l. hæredibus 13. §. vlt. ff. de dolo malo, l. properandum 13. §. si quidem, C. de iudicijs,* Paulus *lib. 1. sent. tit. 1. §. 1. l. pupillum 111. ff. de R. I. l. si quis te reum, C. de sicar. l. si alteri, C. si minor se maiorem, l. si minor, ff. ad leg. Iul. de adult. c. si quis cuiuslibet 21. q. 5. l. 4. tit. 15. partit. 6.* Secundam partem assertionis probant textus *in c. pœnitentes, 63. dist. d. l. auxilium, §. in delictis, l. si adulterium §. 1. vers. iniustum, ff. ad leg. Iul. de adult. l. Diuus, ff. de termino moto, l. 8. tit. 31. part. 7.* Illustrant vltra congestos à Barb. in præsenti, Gibalin. *de negot. tom. 2. lib. 6. c. 2. art. 8.* Sesse *tom. 2. decis. 112.* Gomez *lib. 3. var. cap. 1. nu. 55.* vbi plures Ayllon, Morla *in Empor. tit. 12. q. 4. per tot.* Narbona *de ætate, anno 7. quæst. 5. & anno 10. & dimidio, q. 2. 7. & 8.* P. Gregor. *lib. 4. partit. tit. 15. cap. 6.* Vighell. *in methodo iuris can. fol. 31. except. 8.* Barbosa *tom. 6. in select. ad textum in cap. ad hæc, de pœnit. dist. 3.* Acuña *in cap. pœnitentes, num. 1. dist. 50.* Anton. Matthæus *de crimin. in princip. cap. 2.* Fachineus *lib. 9. controu. cap. 41.*

6 *Impugnatur tradita assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur sequentibus iuris considerationibus. Prima nascitur ex eo, nam certum est, proximos pubertati esse doli capaces, *l. 4. §. de dolo 20. vers. Denique, ff. de doli mali except. l. hæredibus 13. cum l. sequenti, ff. de dolo:* & per consequens delictum committere, *l. excipiuntur, ff. ad Syllan. l. impuberes 23. ff. de furt. §. penult. Instit. de oblig. quæ ex quasi delict.* At hi sunt, qui pubertatem iam sunt ingressi, *l. 3. §. vlt ff. de liber. agnosc. c. ad nostram 8. de regul.* Igitur ante eam ætatem pueri ex delictis non tenentur. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam quamuis pupilli sine tutoris auctoritate meliorem suam conditionem facere possint, deteriorem tamen obligatione facta tutore non auctore reddere nequeunt, *l. obligari 9. ff. de auct. tutor. princip. Instit. eod. tit. l. contra 18. ff. de pact.* Sed si ex delictis tenerentur, deteriorem facerent suam conditionem, non authorante tutore. Igitur ex delictis non tenetur, nisi pubes factus, quando iam à tutela est liberatus, *l. fin. C. quando tutores esse desinant, princip. instit. quibus modis tutelæ*, vt contingit in contractibus, inter quos, & delicta nulla ratio differentiæ assignari potest; immò fortior vrget in delictis, ex quibus maius damnum pupillo resultat. Augetur deinde hæc difficultas ex eo, quia peccatum, seu delictum non nisi à volente committitur, & ab eo, qui quod agit, intelligit, *c. 1. & per totam 15. q. 1.* Sed hoc iudicium non euenire ante decimumquartum annum, probatur ex eo, quia ante illam ætatem puer ad testimonium non admittitur, *cap. 1. 4. q. 2.* nec iurare cogitur, *c. paruulæ 14. cum duobus seq. 22. quæst. 5.* Faciunt textus *in cap. illud 20. quæst. 1. cap. continebatur 6. cap. attestationes 10. cum sequent. de despons. impub.* Igitur ante eam ætatem non possunt impuberes ex delictis obligari. Deinde in secundam partem assertionis, vbi excipiuntur delicta carnis, sic argumentor. Quamuis regulariter ætas 14. annorum, vt apta, & matura ad copulam sit à iure definita, ad contrahendum matrimonium, *cap. attestationes, de despons. impub.* probaui latè *in cap. 3. eod. tit.* tamen ætas illa potest malitia, vel prudentia suppleri, *l. 3. C. si minor se maiorem, cap. de illis, cap. vlt. de despons. impub.* immò ex D. Gregorio *lib. 4. dialog. cap. 19.* refert Glossa *in summa 10. quæst. 1.* quod puer nouem annorum nutricem suam grauidam reddidit: & de puero 10. annorum idem ex D. Gregorio refert Anania *in cap. 1. hoc tit. num. 6.* pro quo facit textus *in cap. fin. de eo qui cognouit consanguin.* Et Salomon, cùm esset vndecim annorum, genuit filium suum Roboam: & Achaz in vndecimo anno genuit Ezechiam: quæ, & alia exempla congessit Farinac. *in praxi, 3. part. quæst. 92. num. 80.* & pupillum ante 14. annos ex stupro puniri posse, docetur *in l. stuprum 34. in fine, ff. ad leg. Iul. de adult.* Igitur non rectè in præsenti docetur, puerum proximum pubertati, & doli capacem ex delictis carnis non teneri.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, hominis ætatem variè discerni, & in partes diuidi ab ortu vsque ad interitum, vt videre est apud Glossam verbo *Perfectus*, in prooemio libri 6. Decretal & verbo *Septenarius, in cap. 1. de celebrat. Missar.* & verbo *Compleuit, in l. 1. verbo Pueritiam, ff. de postul.* Alciatum *in l. pueri, ff. de V. S.* Menochium *de arbitrar. lib. 2. casu 57. ex nu. 1.* & plures, tam iuris peritos, quàm Philosophos, quos referunt Lara *in compend. vitæ hominis*, Paulus Zacchias *qq. medicolegal. tit. 1. quæst. 4.* Narbona *de ætate ad actus human.* Communiter diuiditur in infantiam, pueritiam, pubertatem, adolescentiam, seu iuuentutem, senectutem, ac ætatem decrepitam. Infantia incipit à natiuitate, & protenditur vsque ad septem annos, *l. 3. C. qui admitti ad bonor. poss. l. 1. §. sufficit, ff. de administr. tut. l. in sponsalibus, ff. de sponsal. l. si infanti 18. C. de iure delib. cap. vnic. de despons. impub. lib. 6.* D. Isidorus *lib. 11. orig. cap. 2.* probat latè Narbona *anno 7. q. 1.* Pichardus *in lecturis ad tit. de acquir. hæredit. cap. 23.* Amaya *lib. 1. obs. cap. 9. nu. 20.* Infans dictus est, quia fari non potest. D. Isidorus *lib. 11. originum, cap. 2.* Marcus Varro *lib. 5. de lingua Latina*, ibi: *Fatur is, qui primùm homo significabilem ore emittit vocem: ab eo antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes.* Sequitur Varronem Nonius Marcel. multis testimonijs adductis, *de compendiosa doctrina, cap. 1. nu. 275.* quo in sensu Lucretius Epicureus tenebrionum maximus, & in Philosophia acutissimus *lib. 5. de natura rer.* agens de secunda mundi ætate, in qua iuxta errorem suum homines cœpere loqui, & addiscere verba, vocauit primos conatus loquendi, infantiam linguæ, instar puerorum, ibi: 7 *De hominis ætatibus.*

At varios linguæ sonitus natura subegit
Mittere, vt vtilitas expressit nomina rerum,
Non alia longè ratione, atque ipsa videtur
Protrahere ad gestum pueros infantia linguæ,
Cùm facit, vt digito, quæ sint præsentia, monstret.

Pueros appellauit infantes posteà. Facit Iustinianus *in l. vlt §. vbi autem, Cod. de bonis quæ lib.* vbi notauit post Glossam Salicetus, Scipio Gentil. *de bonis matern. cap. 21. pag. 127.* Causa ergo naturalis infantiæ est impotentia fandi, à qua causa omnes, qui fari non possunt, infantes appellantur; immò in hoc sensu de brutis, & insensibilibus hæc vox accipitur; quod notarunt veteres Grammatici, & hodierni Lexicographi. Cœpit autem inter primos Iurisprudentiæ conditores dubitari, à quo tempore, & vsque ad quod tempus infantia computanda esset? Et Stoici ciuilibus præceptis, & certitudine negotium consulentes, per hebdomadas annorum, siue à septennio in septennium cœperunt ætates computare. Quæ Hippocratis diuisio ætatum fuit, vt refert Menochius *de arbitr. cent. 2. casu 57. num. 1.* infantiam definientes vsque ad primum septennium, pubertatem vsque ad secundum. Peripatetici naturæ regulis magis inhærentes, ab habitu corporis, & facultate fandi terminabant infantiam, nihil certis statuentes. Proculeiani vt in plurimum Stoicos sequebantur. Sabiniani sectatores erant scholæ Peripateticæ; qua de causa primi Iurisconsulti in diuersas abierunt sententias: posteriores verò hanc, vel illam sequebantur. Ad septem

ptem annos infantia computatur, *in l. 1. §. sufficit 2. ff. de adminiſt. tut. l. in ſponſalibus 14. ff. de ſponſ.* vbi ſeptennij expreſſa extat mentio. Aliquando verò per impotentiam fandi, vt *in l. pupillus 9. ff. de acquir. hæred. l. in negotijs, ff. de regul. iur.* cum alijs, quæ adducunt Prateius, Briſſonius, & Caluinus *in lexic. verbo Infans*. Quæ inter ſe ex mente compoſitorum contraria iudicari non debent, cùm minus expreſſum in his, per magis expreſſum in illis ſuppleatur. Tamen Arcadius *in l. certis 8. Cod. Theod. de bonis matern* quæ expreſſior eſt, & *in l. ſi infanti 18. Cod. de iure delib.* Stoicorum, & Proculeianorum ſententiam ſequens, infantiam vſque ad ſeptem annos definiuit, vt iam notauit Iacob. Gothof. *in dicta l. certis 8.* Ex quo certo iudicio affirmari non poteſt, Tribonianum in locis Pandectarum ſuprà relatis addidiſſe verba, quæ denotant infantiam ſeptennio terminari, quia poſteriores Conſulti ſic etiam ſentiebant; nec ſi addidiſſet, ideò notandus erat, cùm aliter compoſitio Pandectarum conſtare non poſſet, quàm ſi priores leges poſterioribus aptarentur, in quo grauiter peccauit Faber *in Iuriſprud tit. 12. princip. 6. illat. 8.* quem reprehendit latè Oſualdus *lib. 7. ad Donel. cap 9. litera D.* Manet ergo ſecundùm iuris definitionem infantiam in ſeptimo anno, & infrà definiri: quod & iure canonico receptum eſt, licèt aliquando infans dicatur, qui in vtero eſt, *cap. 10. Lucæ*; licèt non ita propriè, *l. non eſt pupillus 111. ff. de R. I.* & infans octo dierum, *Geneſis cap. 17.* & qui tres menſes habet, *Exodi cap. 2.* & anniculus, *l. inter ſocerum 26. ff. de pactis dotal.* Narbona *anno 7. quæſt. 1.* Infantiæ verò proximi ſunt, qui cùm fari incipiant, nullum animi intellectum habent, nec quod agant, intelligunt, *l. ſeruum 6. ff. rem pupilli.* De pueritia egi ſuprà *in cap. acceſſit, cap. literas, de deſponſ. impub.* & de pubertate egi *in cap. 2. de deſponſ. impub.* Proximi autem pubertati ſunt, qui habent aliquem intellectum, *§. pupillus, Inſtit. de inutil. ſtipul.* & quid agant, intelligunt, *l. 1. §. furioſum, ff. de O. & A. l. ſeruum 6. ff. rem pupil.* & ideò ſunt doli capaces, *l. hæredes 13. in fine, ff. de dolo, l. 4. §. de dolo 26. ff. de doli except. l. ſapienter 14. ff. ad Syllan. l. impuberem 23. ff. de furtis, §. in ſumma, Inſtit. de obligat. quæ ex delicto.* Sed in qua ætate dicantur proximi pubertati, non eſt concors DD. ſententia. Aliqui affirmant, eos eſſe proximos pubertati, qui ſunt in anno decimo & dimidio vſque ad decimumquartum; fœminæ verò à nono cum dimidio vſque ad duodecimum, vt ita ſeptem anni, qui inter infantiam, & pubertatem interſunt, diuidantur, & tres priores cum dimidio proximis infantiæ; reliqui verò tres cum dimidio proximis pubertati tribuantur. Quam ſententiam pluribus relatis tenet Narbona *de ætate, anno 10. & dimidio, quæſt. 1.* pro qua ſententia faciunt textus *in § vlt. Inſtit. quibus ex cauſis manumittere, l. & hoc 41. ff. de hæredib. inſtit.* Aliqui etiam eos eſſe proximos pubertati affirmant, qui per ſex menſes tantùm diſtant à pubertate, argumento legis *non tantùm 17. in princip. ff. de excuſat. tut. l. ſequuntur 14. ff. ad Syllan. c. atteſtationes 10. de deſponſ. impub.* Alij verò illos, qui diſtant à pubertate per tres dies, *ex l. 3. §. liberis, ff. de liber. exhib. cap. ad noſtram 8. de regul.* Alij illos, qui per vnum annum tantùm diſtant, *cap. continebatur, de deſponſ. impub.* Alij eos, qui ſeptimum annum iam expleuerant. Sed rectiùs Menochius docuit *de arbitr. lib. 2. caſu 57. num. 40* hoc totum iudicis arbitrio relinquendum eſſe, qui iuxta conditionem, & vires perſonæ, & iuxta morem regionis, hoc æſtimare debet: cui arbitrio apud nos totus non eſt, ex traditis *in cap. continebatur, de deſponſ. impub.* Adoleſcentes dicuntur viri ab anno 14. fœminæ ab anno 12. vſque ad 25. & communiter illi appellantur minores, *l. cùm filio 50. ff. de leg. 3. l. 1. & per tot. ff. de minor.* & ea ætas etiam dicitur tenera *in l. non tantùm 11. ff. de Decur.* & vſque ad eam etiam pueros vocari, conſtat *ex l. quidam 25. ff. ad Trebel. l. 3. §. idem, ff. de adimend. legat.* De iuuentute egi *in cap. cùm in iuuentute, de præſumpt.* Tandem ſenectus incipit à quinquageſimo anno vſque ad 70. *l. non aliter 69. §. 1. ff. de leg. 3. l. vlt. Cod. qui ætate, lib. 10. §. item maior, Inſtit. de excuſat. tut.* Et inde incipit ætas decrepita vſque ad centum annos, quia hic finis vitæ hominis eſt, *l. vlt. Cod. de ſacroſ. Eccleſ.*

8 His ſuppoſitis deinde ſciendum eſt, infantes, quorum ætas durat vſque ad ſeptimum annum, non teneri ex homicidio, *l. infans 12 ff. ad leg. Corn. de ſicarijs*: nec ex furto, *l. impuberem 26. ff. de furtis*: nec ex lege Aquilia, ſi damnum dederint, *l. 5. §. ideò, ff. ad leg. Aquil.* nec lege Cornelia de falſis, *l. impuberem 22. ff. ad leg. Corn. de falſis, l. qui iuraſſe 26. in princip. ff. de iureiur.* nec ex iniuria, *l. 3. ff. de iniurijs, c. 2. in princip. & §. 1. in fine, cap. 3. §. 1. 15. quæſt. 1.* nec pœna Syllaniani, *l. 1. §. impubes, ff. ad Syllan.* nec de falſa moneta, *l. 1. Cod. de falſa monet.* nec capitalem fraudem admittere poſſe, *l. 23. §. excipitur, ff. de ædilit. edict.* quia vt eleganter ait D. Auguſtinus *in cap. aliquos, 15. quæſt. 1.* quomodo reus conſtituetur, qui neſcit quod facit? Et *lib. 22. de ciuit. Dei, cap. 24.* rationem ſopitam eſſe in infante ait, ibi: *Ipſe itaque animæ humanæ mentem dedit, vbi ratio, & intelligentia ſopita eſt quodammodo, quaſi nulla ſit, excitanda ſcilicet, atque exercenda ætatis acceſſu, qua ſit ſcientiæ capax, atque doctrinæ.* Seneca *epiſt. 121. Quomodo ergo infans de conciliari conſtitutione ratiocinari poteſt, cùm rationalis nondum ſit?* Et Marcianus *in l. penult. ff. de fideicommiſſ. libert.* ait in paruulis nullam eſſe culpam, non quòd magis rationales ſint, quàm beſtiæ, quod voluiſſe Stoicos, & Chryſippeos dicitur *in libro de Hippocratis, & Platon. placitis*; ita vt exiſtimarent circa annum decimumquartum animam illis infundi, vt ait Iamblicus *in Stobæi phyſicis*: ſed quia nondum firma, & matura prudentia ſit, ideòque comparatur furioſo, *l. quod infans 60. ff. de R. V. l. infans 12. ff. ad leg. Corn. de ſicar. §. pupillus, Inſtit. de inutil. ſtipul.* & vt prodigus, dicitur non ſentire, *l. Diuus 4. ff. de offic. Præſid. l. ſi tibi 8. §. 2. ff. de optione legata, l. ſi cùm dotem, §. ſi maritus, ff. ſolut. matrim.* & infantis nullum eſſe ſenſum, ait Paulus *in l. quamuis 32. §. quamuis, ff. de acquir. poſſeſſ. l. 3. §. 2. ff. de iniurijs*: & iudicio carere docetur *in l. Prætor 12. verſ. Natura, ff. de iudic. l. vlt. ff. de iur. & facti ignor. l. more 8. in fine, cum l. ſequenti, ff. de acquir. hæredit. §. prætereà, Inſtit. quibus non eſt permiſſum*: & in ætate tenera torpere rationem conſopitam dixit Fulgentius *libro 1. de verit. prædeſtin.* imprudentem propter cerebrum aquoſum in puerili corpore, Georgius Palmaſ. *declamat. 1.* & ſapienter Vlpianus ait nondum plenum animi iudicium illi ineſſe, *tit. 20. regular. §. impubes*; nondum ſtabilem mentem adeptum eſſe, *l. vlt. Cod. de teſtam. milit.* animum nondum conſilio, ac ratione firmatum dixerunt Cicerò *in oratione pro Cluentio*, Nyſſenus *in pſalmum 2. cap. 10.* idcircò dixit Hippocrates *lib. 1. de diet. cap. 5.* animam hominis cum corpore augeri, & *lib. 6. epidem.* animam hominis ſemper naſci vſque ad mortem. Quæ verba Galenum, alioſque interpretes exercuerunt, eorumque meminit Euſtachius *lib. 6. odyſ.* laudatque in eandem rem Herodotum, vt affirmat Lucretius *lib. 3.*

Nam velut infirmo pueri, teneroque vagantur
Corpore; ſic animi ſequitur ſententia leuis:
Inde vbi robuſtis adoleuit viribus ætas,
Conſilium quoque maius, & auctior eſt animi vis.

Verùm inde nihil habetur, quàm facultates, & operationes animæ rationalis non perfectè exerceri in infantia, ſed creſcente ætate; quod circa annum 14. contingere dixerunt Poſſidonius *apud Galenum lib. 5. de Hippocratis, & Plutarchi placitis*, Diogenes *in Cenone*, Plutarchus *de placitis Philoſophor. lib. 5. c. 24.* Qua ratione infantes nec ex ſtipulatu acquirere poſſunt, nec alijs promittendo obligari, *l. 1. in princip. l. mulier 70. ff. de V. O. §. pupillus, Inſtit. de inutil.* & ideò quia ipſos innocentia conſilij tuetur, nec pœna criminali, aut ciuili puniuntur, *l. quod infans 60. ff. de R. V. l. ſi quis in ſuo, §. fin. C. de inofficioſo, l. 9. tit. 1. partit. 7.* Plaza *de delict. lib. 1. c. 31. n. 1.* Gomez *lib. 3. var. c. 1. n. 57.* Iul. Clarus *§. fin. q. 60.* quod procedit etiam in atrocioribus criminibus, veluti nefando, vt cauetur conſtitutione Imperatoris Conſtantini relata ab Harmenopulo *lib. 6. tit. 14.* ibi: *Præter naturam laſciuientes, tam agens, quàm patiens gladio plectantur, niſi fortè qui paſſus eſt, minor erit annis 12.* Fusè probat Narbona *de ætate, anno decimo & dimidio, q. 10. per tot.* Vnde rectè infert Menochius *vbi proximè*, quòd de infante non poteſt intelligi alius locus Harmenopuli *lib. 6. tit. 6.* in illis verbis: *Qui cædem meditatò, & conſilio facit, cuiuſcunque ætatis, gladio plectitur.*

Hæc regulariter procedunt in infante, ſed Panormitanus in præſenti, *num. 4.* aſſerit, per accidens poſſe dari infantes doli capaces, quia quemadmodum pubertas præueniri poteſt, & contingere ante annum 14. vt probaui, ita etiam doli capaces infantes poſſe dari, præſertim his temporibus, in quibus malitia præuenit ætatem. Quam Panormitani ſententiam admittunt plures, quos referunt Farinac. *in praxi, 3. part. quæſt. 92. nu. 47.* Plaza 9

de

Infans ex delictis nõ tenetur.

An detur infans doli capax.

de delictis, lib.1. cap.32. num.2. & facit quod refert B. Gregorius lib.4. dialog. 19. videlicet infantem quinque annorum solitum iurare, & blasphemare, è manibus parentum raptum fuisse à diabolo; cuius casus etiam meminerunt in præsenti Anton. nu.6. Anania n.3. Farinac. d. quæst.62. nu. 97. Decianus tom.2. tract. crimin. lib.6. an.14. Plaza de delict. vbi suprà. Vnde idem Panormitanus affirmat singulariter limitari posse regulam dictæ Clementinæ si furiosus, vt quamuis infantes doli non capaces per homicidium non fiant irregulares, irregularitatem tamen contrahant, si doli capaces sint: quod & docuerunt Bonifacius in d. Clement. num.1. Villadiego de irregul. cap. de percussore, columna 12. Verùm hæc sententia non placet Ioanni Andreæ Barbatiæ in d. Clement. si furiosus, Gomezio d. cap.1. de delict. nu.57. Farinacio d. quæst.92. n.50. quia in vtroque iure apertè distinguitur infans à doli capace, l. impuberem 23. ff. de furtis, l. infans, ff. ad leg. Corn. de sicarijs, l. 5. §. & ideò, ff. ad leg. Aquil. l. hæredibus 3. Cod. de dolo, l. 1. Cod. de falsa monet. cap. literas 4. cum sequent. de spons. impub. Nec facit argumentum adductum à Panormit. ex casu pubertatis, quia pubertas pendet à corporis dispositione, quæ ex nimio calore, vel ex alia causa potest contingere ante annum 14. at doli capacitas pendet ab animo, qui haberi non potest ab eo, qui nondum fari valet, l. in sponsalibus 14. ff. de spons. l.1. §. sufficit, ff. de admin. tutor. l. 1. in princip. l. mulier 70. ff. de V. O. l. 3. C. qui admitti, l. si infanti 18. Cod. de iur. delib. Nec fauet sententiæ Panormit. exemplum relatum à Diuo Gregorio, quia vt post Cardinalem, Ananiam, & alios notauit Farinac. d. q.92. nu.50. supplicium hoc potiùs contigit in odium patris non corrigentis filium, quàm in pœnam ipsius infantis, in quo propter defectum ætatis non aderat dolus, vt facilè colligitur ex principio ipsius dialogi. Accedit, quia ea, quæ ex nutu Dei aguntur, non cadunt sub lege, cap. Deus, 19. q.2. Vnde etiam deducitur, infantem ob homicidium irregularitatem non contrahere, quia hæc pœna non contrahitur, nisi in casibus à iure expressis, cap. penult. de sent. excom. sed potiùs cautum est in iure, infantes irregularitatem non contrahere, d. Clement. si furiosus, Ergo nullo modo infantes eam incurrere valent.

10 De pueris grandiusculis. Superest, vt videamus, quinam sint pueri grandiusculi, de quibus agitur in hoc cap.1. Et Glossa in præsenti asserit, esse pueros septem annorum, quia vt inquit D. Aug. in epist. ad Renatum, relata à Gloss. in cap. paruuli 74. de consecr. dist.4. septennis ætatis pueri & mentiri, & verum dicere, & confiteri, & negare iam possunt; & ideò cùm baptizantur, iam Symbolum recitant, & ipsi per se ad interrogationem respondent. Quare Glossa, & Hostiensis in præsenti affirmant, pueros in ea ætate & posse peccare, & ex delicto teneri; nam & possunt contrahere sponsalia, l. in sponsalibus 14. ff. de spons. cap. literas, cum sequent. de desponsat. impub. vbi probaui. Facit D. Thomas in 4. dist.27. quæst.2. art.2. quem omnes sequuntur, teste Thoma Sanchez de matrim. lib.1. disput.16. nu.2. qui affirmat, quod septennio completo incipit communiter vsus rationis. Pro sua sententia facit textus in l. si infanti 18. §. vlt. iuncta, l. potuit, C. de iure delib. Vnde quoad forum internum, tam quoad vitia, quàm quoad virtutes puer post septem annos creditur doli capax; & ideò obligatur præcepto textus in cap. omnis, de pœnit. quia peccare potest. Nauarrus in manuali, cap.21. nu.88. Azor part. 1. moral. lib.7. cap.40. q.6. Barbosa in d. cap. omnis, num.3. & sacramentum Eucharistiæ illis dari posse, deducitur ex Concilio Trident. sess. 21. de reform. cap.4. Concilio Augustano celebrato sub Othone Cardinale anno 1548. Sed hæc Glossæ expositio, dum pueros grandiusculos in præsenti casu accipit pro doli capacibus, sustineri non potest; nam aliàs inepta, & sine ratione maneret opinio in præsenti relata eorum, qui nolebant pueris peccatum tribuere, nisi ab anno 14. cùm pubescere cœperint: quis enim tam imperitus esset, vt existimaret, pueros doli capaces, nec delictum, nec peccatum committere, cùm contrarium sit in iure expressum, l. 5. §. & ideò, ff. ad leg. Aquil. l. excipiuntur 14. ff. ad Syllan. l. impuberem 23. ff. de furtis, l. 3. ff. de iniurijs, §. penult. Inst. de oblig. quæ ex delict. c. 2. & 3. §. ex eo, 15. q.1. quare credo illis verbis, pueris grandiusculis, non significari pueros doli capaces, sed tantùm puerorum ætatem vsque ad 14. annum; nam vt inquit Donatus ad Terentium in Adelph. act. 4. scena 5. grandis ad ætatem veteres retulerunt, non ad corpus; & in parte ætatis dicitur grandis, non in tota vita, nisi si addatur natu: quod etiam probatur ex l. non tantùm 11. ff. de Decur. Non ergo ad animum, in quo doli capacitas consistit, ea verba referuntur, sed ad ætatem: quare illi, qui pueris grandiusculis peccatum non tribuebant, existimabant, pueros vsque ad pubertatem non esse doli capaces. Nec etiam audienda est Glossa, dum affirmat, pueros septem annorum esse doli capaces, cùm certum sit, quòd in ea ætate, nec quæ agunt, sciunt, nec multùm à furioso distant, vt suprà probaui; sed quia in illa ætate pueri fari possunt, & qualemqualem habent voluntatem, d. l. in sponsalibus 14. d. l. potuit, l. infanti 18. C. de iur. delib. ideò benigniori interpretatione receptum fuit, vt quemadmodum proximi pubertati, ita etiam infantiæ proximi possent in vtilitatem suam stipulari, §. pupillus, Instit. de inutil. l. 1. §. furiosus, ff. de O. & A. l. 6. ff. rem pupilli. Ex qua benigna interpretatione etiam effectum est, vt in illa ætate possint sponsalia contrahere, quia per stipulationem ea in suam vtilitatem fiebant; & etiam hæreditatem acquirere, tutore auctore, l. pupillus 9. ff. de acquir. hæred. Sed talis intellectus potiùs dicitur nullus intellectus; & illud intelligere potiùs non intelligere, l. more, ff. de acquir. hæred. l. in negotijs 5. ff. de R. I. Et ideò ratione illius doli capax non est, quia dolus est calliditas, & machinatio ad circumueniendum, decipiendumue alium, l. 1. §. 2. ff. de dolo. Et quia ex promissione fidei in susceptione baptismi facta magna vtilitas baptizato sequitur, ideò iuxta Diuum Augustinum, relatum suprà, potest infans Symbolum dicere, & ad interrogata respondere; non autem verum est, infantes in ea ætate teneri præcepto annualis confessionis, aut sacramentum Eucharistiæ illi ministrari posse; seu potiùs in ea ætate, in qua iam agnoscant se granitèr peccare, & in qua discernere valeant bonum à malo, honestum à turpi: quod certam, & determinatam ætatem habere non potest, quia in quibusdam pueris citiùs, in alijs verò tardiùs accidit; & ideò confessoris arbitrio potius relinquendum est, quando pueri perueniant ad annos discretionis, vt resoluunt Barbosa & Balboa in d. cap. omnis, de pœnit. & remiss.

His suppositis, ratio præsentis assertionis ex eo prouenit; nam cùm proximi pubertati iam habeant animi iudicium, ita vt quod agunt, intelligant, §. pupillus 9. Instit. de inutil. l. 1. §. si furiosum, ff. de O. & A. l. seruum 6. ff. rem pupilli; & ideò doli capaces sint, l. de dolo 26. vers. Iulianus, ff. de doli except. ex delictis à se admissis tenentur, quia simul reperiuntur doli capaces, & proximi pubertati, quæ duo simul desiderantur, vt probat Sesse tom.2. decis. 212. & iudicis arbitrio relinquitur, quando puer dicatur proximus pubertati, nec desideratur vt pubertatem ingressi sint, vt docetur in l. 3. §. vlt. ff. de lib. exhib. cap. ad nostram, de regul. nam vt rectè notauit Menochius de arbitr. lib.1. cent.1. casu 59. nu.35. circa dictum §. vltimum aliud est esse proximum pubertati, aliud verò esse proximum prætextæ; prætextam enim, hoc est pallium, pueri Romani accipiebant non anno 14. vt existimarunt Budæus in l. vlt. ff. de Senator. Narbona de ætate, anno 14. q. 3. sed potiùs anno ætatis suæ 16 vt ex probis auctoritatibus probant Lazarus Baif. in opusc. de re vestiaria, cap.10. Vuolfangus Lazius lib.8. Reip. Roman. cap.2. Petrus Crinitus de honest. discipl. lib.6. cap.7. & ideò prætextæ proximus dicebatur, qui pubertatis ætatem ingressus erat, quia adhuc illi ad prætextam duo anni deficiebant; sed non æquè dici poterat proximus pubertati, quia qui puberem ætatem iam est ingressus, potiùs pubes, quàm pubertati proximus dicitur: vnde rectè stat litera dicti §. vltimi, prout habetur in Pandectis Florentinis in hunc modum: Qui puberem ætatem nunc ingressus est, vt notauit Ant. Aug. lib. 3. emend. cap.1. nec legendum est, impuberem ætatem nunc ingressus est, vt vulgò legitur. Textus etiam in d. cap. ad nostram, specialiter procedit in susceptione habitus religionis, propter ipsius actus grauitatem. Secundæ etiam partis huius assertionis ratio ex eo prouenit, nam in impuberibus non ita magna est doli machinatio, vt in maioribus, l. 13. iuncta lege quod enim 14. ff. de dolo: & ita mitiùs sunt puniendi. Quod non solùm procedit in furto, mendacio, & periurio, de quibus in præsenti; verùm & in alijs delictis, l. 2. de termino moto, l. ferè 208. ff. de R. I. l. 8. tit. 31. partit.7. Nec tantùm in temporalibus, verùm etiam in spiritualibus, cap. eos 108. in fin. de consecr. dist. 4. cap. ea vindicta 51. 22. quæst.4. cap. 2. de apostat. cap. 1. & vlt. de sent. excom. signanter autem dixit Consultus in l. auxilium, §. in delictis, ff. de minor. interdum minores mitiùs

11 Traditur ratio decidendi.

puniri, quia plerumque pœna ordinaria afficiuntur, veluti si contra legem Iul. de adulterijs peccauerint, d. §. in delictis; vel si soliti sint delinquere, argumento legis 3. in fine, C. de Episc. aud. l. apud uatiquos, in fin. C. de furt. l. qui sæpius, ff. de abig. & in l. caput 23. §. solent, ff. de pœnis, l. 4. C. de seruis fugit. l. 3. §. si plures, ff. de re milit. l. si adulterium, §. fratres, ff. ad leg. Iul. de adult. alia notaui in can. 22. Concilij Illiber. docet Christineus tom. 1. decis. 221.

12 Dissoluitur prima dubitandi ratio.

Nec obstat prima dubitandi ratio, pro cuius solutione dicendum est, aliam esse causam contractuum, aliam verò delictorum. In contractibus namque, quia cum alio celebrantur, receptum fuit, vt in damnum proprium pupillus nec velle, nec nolle habeat, sed hoc totum auctoritate tutoris suppleatur, l. pupillus 189. ff. de R. I. non tamen idem procedit in delictis, in quibus quia ex dolo committuntur, tutoris auctoritas non desideratur, sed sufficit puerum esse doli capacem, l. impuberem 13 ff. de furtis, l. 4 §. de dolo, l. 26. §. denique, ff. de doli except. & hanc differentiam inter contractus, & delicta circa pupillos facilè percipies, si iungas legem pupillus 189. cum lege pupillum 11. ff. de R. I. quare pupillus doli capax efficaciter tenetur ex delictis, veluti ex furto, ex præsenti capite 1. Gregor. III. in suo Pœnitentiali, quod extat tom. 3. Concilior. Binij, & tom. 6. Biblioth. veterum PP. cap. 9. de furto, ibi: Si puer amplius decem annorum feceris furtum, 40. vel 20. dies pœniteat, prout ætus est, & qualitat iurisdictionis: pro modico furto 20. dies pœniteat. Puer 10. annorum aliquid furti faciens, septem dies pœniteat. Idem probator ex l. 5. §. & ideò, ff. ad leg. Aquil. l. impuberem 23. ff. de furt. §. penult. Instit. de obligat. quæ ex delicto. Secus autem si impuberes non sint doli capaces, quia tunc ex furto, nec ex consilio, aut ope tenentur, iuxta dictam legem impuberem. Similiter doli capaces tenentur ex periurio; quamuis enim impuberes iurare non cogantur in iudicio, l. iusiurandam 34. §. pupillo, ff. de iureiur. l. videamus 4. ff de in litem iur. cap. paruulis 14. cum sequent. 22. quæst. 2. nec ad testimonium admittantur, l. inaiti 19. ff. de testibus, cap. 1. §. item 2. quæst. 2. propter lubricum consilij sui, l. 3. §. lege Iulia, ff. de testibus: attamen si iurauerit, ex iuramento obligatur, l. vlt. in fine, ff. de liber. caus. in qua illa verba, Qui & iurare potest, rectè de puero doli capace accepit Accursius ibi, verbo Potuit; seu quod idem est, de proximo pubertati. Gothofredus ibi: Et si peierauerit, periurus erit: vt in hoc capite 1. docetur, quem sic accipiunt Hostiensis ibi, nu. 9. Anton. nu. 8. Anania nu 6. Farinac. in praxi, d. 3 part. quæst. 92. nu. 128. qui etiam num. 141. probat, ipsum ex blasphemia teneri. Non idem procedit in puero doli non capace, hic enim non cogitur ad iurandum, nec ex iuramento obligatur, aut peierare intelligitur, quamuis si iuret ex delatione partis, eius iuramentum debeat obseruari, l. qui iurasse 26. ff. de iureiur. quam de poero doli non capace, nec proximo pubertati, rectè accipiunt Donel. lib. 21. cap. 13. & lib. 26 cap. 7. Arias à Mesa lib 4 var. cap. 13. Cuiac. in l. 2 C. de rebus credit. loquitur enim Consultus ibi de iuramento voluntario, quod quis pupillo detulit extra iudicium; namque necessarium, quod in iudicio defertur in defectum probationis, non rectè illi defertur, d. l. videamus: voluntarium verò ritè, etiamsi pupillus doli capax non sit; & hoc affirmat Paulus, obseruandum esse aduersus eum, qui eum detulit; sibi enim debet imputare, quòd ita stultus fuit, vt pupillo deferret, argumento legis si seruus 23. ff. de iureiur. quamuis, vt inquit Paulus, non videatur peierare, quia sciens fallere non videtur: quibus verbis respexit Consultus ad antiquã iurisiurandi formam, quæ iuxta Festũ ita concipiebatur: Si sciens fallor, tunc me diespitet; vrbe salua, arceq; bonis deijciat, vt ego hunc lapidem. Meminerunt Tul. epist. 7. Polletus l. 3. hist. fori, eamq; illustrarunt Brissonius de formul. Cuiac l. 1. obs. cap. 21. Donel. lib. 24. comment. cap. 21. vbi plura Osualdus, Reuardus lib 5. variar. cap. 5. Etiam pueri doli capaces tenentur ex alijs delictis, veluti ex lege Aquilia propter damnum iniuria datum: item ex qualibet alia iniuria, l. sed etsi 3. §. & ideò, ff ad leg. Aquil. l 3. §. fane, ff. de iniur. l. impuberem 23. ff. de furt. probant D. Ioan. Suarez ad leg. Aquil. lib. 1. cap. 2 Donel. lib. 1. comment. cap. 22. §. 2. & lib. 15. cap. 24. Schiford. ad Fabrum tract. 9. cap. 5. Pichardus in §. penult. Instit. de obligat. quæ ex delict. Robertus lib. 3 animadu. cap. 23. & si percusserint clericum, in excommunicationem canonis incidunt, cap. 1. & fin. de sent. excom. etiam tenentur de sepulchro violato, l. 3. §. 1. ff. de sepulchro violato. Cuiac. lib. 6. obs. cap. 22. & lib. 8. qq. Papin. in l. 10. ff. eodem: pœna Syllaniani, l. excipiuntur, ff. ad Syllan. & tandem capitalem fraudem admittunt, l. cùm autem 23. §. 2. ff. de ædilit. edict. non tamen obligantur pueri etiam doli capaces ex delictis, quæ in omittendo consistunt; siquidem ab eis minores etiam 25. annis excusari constat ex l. 2. C. si aduersus delict. l. minoribus 6. C. de his quæ vt indign. l. 1. §. impuberes, C. de falsa monet. nouella 115. cap. 3. §. si vnum 13. Authent si captiui 49. C. de Episc. & Cleric. pluribus relatis Farinac in praxi, d. 3. part. q. 92. ex n. 64. quod procedit, si modò delictum in omittendo ex dolo non proueniat, quia si dolus intercedat, nec minores, nec impuberes excusantur, l. excipiuntur, ff. ad Syllan. Ant. Matth. in prolog. de crimin. cap. 2. num. 3.

13 Dissoluitur alia difficultas.

Nec obstat alia difficultas in secundam partem conclusionis adducta, nam Gregorius in præsenti textu non affirmat, potestatem coeundi ante pubertatem euenire non posse, sed illud tantùm, quod cùm ætas pubertatis sit legibus, & canonibus definita, l. in sponsalibus 14. ff. de spons. l. vlt. C. quando tutores, cap. 3. de despons. impub. ante illam nec pubertas præsumitur; & ita creditur ante illam ætatem carnis delicta ipsos non perpetrare: ad quam præsumptionem respexit Gregorius in illis verbis: Quod meritò crederemus. Inde est, quod in eis adulterium non præsumatur, l. si minor 36 l. si adulterium 38 §. Diui fratres, ff. ad leg. Iul. de adult. Ant. Matthæus d. cap. 2. nu. 4. Farinac. d. quæst. 92. nu. 79. qui rectè inde infert, pueris in delictis carnis succurri, non ope restitutionis, sed propter defectum naturalis præsidij: sed hæc præsumptio cessat, si fortè ante pubertatem pueri, vel puellæ reperiantur apti ad coeundum, vt in l. si vxor 13. §. si minor, ff. ad leg. Iul. de adult. nam aliquando suapte natura monstratur ex habitu corporis pueros generare iam posse, vt in cap. puberes 3. de despons. impub. vel malitia ætatem supplente, vt in cap. de illis 9. cap. fin. eod. tit. cap. iuuenis 3. de sponsal. cap. fin. de eo qui cognouit consang. & ita euenisse in pueris, de quibus D. Hieronym. & Gregorius, affirmant Anania hic, n. 6 Farinacius d. q. 92. nu. 82 Quod verò de Salomone & Achaz diximus, qui filios genuerunt in vndecimo anno, miraculo tribuit Anania hic, num. 5. qui casus, & similes cùm rarò contingant, ideò non sunt attendendi, ex l. iure 13. ff. de legibus. Si ergo impuberes inueniantur verè potentes ad coeundum, sicuti ex furto, periurio, & alijs delictis; ita etiam ex delictis carnis tenentur, etsi mitiori pœna puniantur, vt probant Caldas in l. si curatorem, verbo Vel adulteri dolo, Farinac. d. quæst. 92. num 93. Post pubertatem verò etiam dum minores sunt, pœna ordinaria coercentur; vnde tenentur lege Iulia de adult. l. auxilium 37. §. in delictis, ff. de minor. l. si minor 34. l. si adulterium 38. §. fratres, ff. ad leg. Iul. & etiam tenentur ex raptu, nefando incestu, & similibus peccatis contra naturam, l. 4. tit. 19. part. 7. l. 2. tit. 21. part. 7. probant Azeuedo in l. 1 tit. 21. lib. 8. Recopil. num. 48. Farinac. in praxi, q. 92. à nu. 83. Sousa in aphorism. lib. 3. cap. 32. n. 19. Gregorius Lopez per textum ibi in l. 8. tit. 31. partit. 7. & ita pœna mortis ex eis delictis minores affici posse, exemplis probat Marinis decis. 525.

14 Exponitur c. adhuc 33. de pœnit. d. 3.

Sed supra traditæ assertioni obstare videtur D. August. relatus in c. adhuc, de pœnit. dist. 3. in illis verbis: Nec infans vnius diei absque peccato super terram esse potest. Quibus consonat D. Hieronymus in c. si enim 40. de pœnit. dist. 2. ibi: Nemo mundus à peccatis, nec infans, si vnius quidem diei fuerit vita eius. Quæ verba si de peccato originali accipiantur, parum significant; siquidem ante natiuitatem statim post conceptionem peccatum illud contrahitur: quare de peccato actuali verba illa exponit Barbosa tom 6. in select. ad ipsum textum. Qua sententia retenta deducitur, malè in præsenti affirmari, tantùm pueros doli capaces, seu proximos pubertati, ex delictis teneri posse, siquidem post primum vitæ diem peccati capaces sunt. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, omisso Barbosa vbi supra, verba illa, quæ acceperunt Sancti ex capite 14. Iob, vers. 4. esse accipienda de peccato originali, quod contrahitur à die animationis; & ita sanctus Augustinus, & Hieronym. non sunt intelligendi de infantis ordinaria natiuitate, sed de priori secundum Adam, quæ contingit tempore conceptionis, de qua exposui textum in cap. qui in maternis, de consecr. dist. 4. in cap. 3. de baptismo. Et ita verum est, nec infantem vnius diei, immò nec vnius horæ, dari absque peccato, videlicet originali, posse.

TITV-

TITVLVS XXIV.

De clerico venatore.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio a Aurelianensi.

EPiscopum, presbyterum, aut diaconum, *b* canes, aut *c* accipitres, aut huiusmodi ad venandum habere non licet. Quòd si quis talium personarum in hac voluptate sæpiùs detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus à communione; si presbyter, duobus; si diaconus, ab omni officio suspendatur.

NOTÆ.

1 a AVrelianensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & ex ipso Concilio citatur textus hic à Carnotensi *lib.* 3. *tit.* 15. *cap.* 1. Gratiano sub nomine Paleæ *in cap.* 2. 34. *dist.* Burchardo *lib.* 2. *Decreti*, *cap.* 213. Sed in nullo ex Concilijs hucusque editis Aurelianensibus reperiuntur verba hæc; extant tamen paucis mutatis in Concilio Meldensi *can.* 8. Agath. *can.* 45. Epaun. *can.* 3. Vvormac. *can.* 17. vt refert Antonius August. *in epit lib.* 6. *tit.* 53. Præsentis canonis meminerunt PP. Concilij Senon. *anno* 1527. *can.* 26. *Contra clericos venatores, vel negotijs sæcularibus implicitos, si à venandi, negotiandiue consuetudine moniti non desistant, ad pœnam Aurelianensis Concilij, & alterius Lateranensis procedetur.*

b *Canes.*] De canibus venatorijs, & eorum vsu plura congessit Demsterus *ad Rosinum lib.* 2. *cap.* 8.

2 c *Accipitres.*] Ex hoc textu constat, quàm perperam Pancirola *lib.* 2. *memorab. tit.* 23. existimauit, venationem cùm auibus olim ignoratam fuisse vsque ad tempora Friderici Barbarossæ, qui floruit per annos 1154. cùm iam tempore huius Concilij, & Agathensis celebrati anno 426. mentio reperiatur accipitrum; & in capite sequenti, qui transcriptus est ex Synodo Francica celebrata anno 742. immò etiam temporibus Aristotelis aucupium cùm auibus in vsu fuisse, idem refert *lib.* 9 *histor. cap.* 39. ibi: *Circa Thraciam, quæ suprà Amphipolin est, rem prorsus admirandam, & ab his, qui non viderint, incredibilem fieri aiunt; pueri enim è vineis, & agris vicinis aucupium auicularum egressi, accipitres sibi socios assumunt. Hoc quidem maximè aliquis miretur, quòd accipitres quascumque ipsi aues ceperint, pueris aucupibus deijciant, cùm pueri ex omnibus captis parte tantùm aliqua accipitribus reddita discedant.* Idem scribit Ælianus *lib.* 2. *histor. animal. cap.* 42. ibi: *Accipitres in Thracia cùm hominibus per paludes societatem aucupandi coire.* Necnon Plinius *lib.* 10. *cap.* 8. ibi: *Homines, atque accipitres societate quadam aucupantur.* Plura Demsterus *vbi suprà*, D. Ioseph. Pellicer. *ad Polif. Gongoræ, stant.* 3. Lælius Heraldus *dialogism.* 6. extat *tom.* 2. *thesaur. critici, fol.* 399.

COMMENTARIVM.

3 *Conclusio traditur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clerici venationi operam dare non debent, aliàs si contrafecerint, si Episcopus est, tribus mensibus; si presbyter, duobus à communione arcentur; si diaconus, ab omni officio suspenditur.* Probant eam textus *in cap.* 1. 34. *dist. cap.* 1. *ne clerici, vel monachi, cap. amputatis,* 86. *dist. Clement.* 1. §. *porrò, de statu monach. Clement.* 1. *de celebrat. Missar.* Synodus Turon. sub Carolo, *can.* 8. ibi: *Sacerdotes canum, accipitrum, falconum, vel cæterarum huiusmodi rerum curam paruipendere debent.* Matiscon. 2. *can.* 13. Agathense *can.* 55. Epaunense *can.* 3. Vormac. *can.* 17. Concilium Augustanum *can.* 2. ibi: *Episcopos, presbyteros, vel aliquem de Clero canes venandi amore, vel accipitres habere non licet, sicut in Concilio legitur.* Toletanum *c.* 10. *Quisquis autem personarum huiusmodi in hac voluntate denudatus fuerit, quamdiù in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni ecclesiastico officio cesset.* Salesburg. 2. tempore Martini V. *Venationi quoque cùm canibus, necnon aucupationibus cùm falconibus missis, aut huiusmodi volucribus, clerici omninò non insistant, nec canes tales venaticos, aut aues in domibus teneant, aut secum per viam ducant.* Eugenius III. in decreto edito ab Othone Frisingensi *lib.* 1. *de gestis Friderici, cap.* 35. *Illi, qui Domino militant, nequaquam in vestibus pretiosis, nec cultu formæ, nec canibus, vel accipitribus, nec alijs, quæ portendunt, lasciuiam debent intendere.* Quæ, & alia refert Antonius Augustin. *in epit. lib.* 4. *tit.* 32. & 33. & *lib.* 6. *tit.* 53. & *lib.* 7. *tit.* 27. Consonant lex 57. *tit.* 5. *partit.* 1. lex 47. *tit.* 6. *eadem part.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *lib.* 1. *de iure eccles. cap.* 40. *n.* 79. Auendaño *de metu, lib.* 2. *c.* 37. Lessius *de iustitia, lib.* 2. *cap.* 5. Lantdmeter. *lib.* 2. *de veteri monach. cap.* 48. Buseus *de statibus, n.* 4. Coruinus *lib.* 4. *aphorism. iuris Pont. tit.* 32. D. Francisc de Amaya *in l. vnic. Cod. de venat. ferar.* Ludouicus Cresolius *lib.* 4. *mystag. c.* 28. D. Nicol. de Castro *in l. vnic. Cod. de gladiat. n.* 17. Maiolus *dier. canicul. verbo Plantæ, fol.* 267. Acuña *in cap.* 1. & 2. 34. *dist.* Petrus Gregor. *lib.* 93. *syntag. cap.* 10. & *lib.* 4. *partit. tit.* 8. *cap.* 8. & *lib.* 3. *de repub. cap.* 17. *n.* 6. D. Petrus de Oualle *in repetit. ad hunc textum*, Villaroel. *part.* 1. *regim. quæst.* 3. *art.* 9. Theophilus *tom.* 14. *fol.* 211. Sauarus *ad Sidonium, lib.* 4. *epist.* 9. Nouus Notator P. Blesensis *epist.* 57.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Venatio iure naturali omnibus concessa est, *l.* 1. 4 *Impugnatur tradita assertio.* §. *fin. cùm l. sequenti, ff. de acquir. domin. l.* 1. *in princip. ff. de acquir. possess.* §. *feræ, Instit. de rer. diuis. l.* 17. *tit.* 28. *partit.* 3. D. Thomas 2. 2. *q.* 64. probant Connanus *lib.* 3. *comment. cap.* 3. Forcatulus *in auiario, cap.* 4. Concius *lib.* 1. *disput. cap.* 12. Cuiacius *lib.* 4. *obs. cap.* 2. Couar. *in regula peccatum,* 2. *part.* §. 8. sed quæ iuris naturalis sunt, lege positiua tolli nequeunt, *l. eas* 8. *ff. de capit. dimin. l. abdicatio* 6. *Cod. de patria potest. cap. sunt quidam,* 25. *q.* 1. probaui *in c. fin. de consuet.* & illustrat Salgado *de retent. Bullar.* 2. *p. c.* 20. *n.* 84. Ergo contra iuris naturalis dispositionem non potuit Ecclesia venationem, aucupiumue clericis prohibere. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo, nam Deus Opt. Max. omnia animalia, tam terrestria, quàm volatilia, hominum gratia, & in eorum vsum creauit, *Genesis cap.* 1. §. *in pecudum, Instit. de rer. diuis.* ex Chrysippo tradit Cicero *de finibus c.* 3. Cælius Rhodig. *lib.* 1. *antiq. lect. cap.* 3. Seneca *lib.* 4. *de benef. cap.* 1. Aristot. *lib.* 1 *polit. c.* 5. Ergo ferarum, & auium vsus mediante venatione, seu aucupio clericis interdici non debet. Deinde augetur hęc dubitandi ratio ex eo, nam piscatio, & venatio in iure æquiparantur, §. *ferè,* §. *flumina, Instit. de rer. diuis.* Decius *consil.* 197. Sed piscatio clericis permissa est, *cap. Esau,* 86. *dist. cap. nunquam, de consecr. dist.* 5. Ergo & venatio etiam 5 præcipuè quia tam piscatio, quàm venatio ad relaxandum animum vtilis est, vt bellè expressit Sidonius *in Panegyr. Auit. Imperat.* & venationem per se honestissimam esse, probarunt Xenophon *lib. de venatione*, Galen. *initio lib. de ludo pilæ*, & ex eis Theophilus *tom.* 4. *lib.* 6. *sect.* 2. *cap.* 10. Secundò etiam distinctio pœnarum in præsenti statuta difficultatem non leuem continet; siquidem certum est, in pœnis infligendis semper rationem haberi nobilitatis, & dignitatis, ita vt nobilior, aut qui maiori dignitate fulget, mitius puniatur, *l. sacrilegij,* §. 1. ibi: *Aut si honestiori loco natus; ff. ad leg. Iul. pecul. l. Pædius,* ibi: *Si humiliori loco, d. de incend. & ruina, l.* 1. §. *quicquam, ff. de abigeis l.* 1. *in fine, ff. de furib. balnear. l.* 1. §. *expilatores,* & §. *vlt. ff. de effractor. l.* 2. *ff. de termino moto, l.* 1. §. *vlt. l.* 3. §. *legis, l. penult. ff. ad leg. Corn. de sicar. l. moris,* §. *sed enim, l. capitalium,* §. *non omnes, l. desertorem,* §. *penult.* & §. *is, qui ad hostes, ff. de re milit. cap. pastoralis*, ibi: *Dignitati deferat, & personæ; de offic. deleg. cap. vlt.* ibi: *Volentes tamen nobilitati parcere; de pœnit. & remiss. cap. qui contra,* 24. *q.* 1. *cap.* 1. *vers. Qui verò, de vsur. in* 6. Illustrat. Tiraq. *de nobilit. c.* 20. Igitur non rectè in præsenti grauior pœna irrogatur

gatur personis maiori dignitate decoratis, præcipuè cùm in sacris canonibus Episcopis, Presbyteris, diaconibusque æqualis pœna imponatur, vt *in cap. placuit 13. dist. 31. cap. presbyter, 81. dist. cap. 4. 84. dist. cap. si quis 6. 72. q. 2. can. 33. 81. 72. & 83. Apost. cap. 1. de cleric. excom.*

5 Venatio triplex.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio. pro cuius expositione scire oportet, venationem triplicem esse: alia dicitur oppressiua, alia arenaria, syluatica alia. Venatio oppressiua, in qua quis est oppressor hominum, de qua dicitur *Genesis cap. 10.* quòd Nembroth erat robustus venator coram Domino, *cap. fin. §. fin. 6. dist.* idest potentissimus hominum oppressor. Illustrat Zerda *in aduers. cap. 152.* & de illa accipitur illud Dauidis psalmo 60. *Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium.* Et psalmo 123. *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium.* Venatio arenaria est, in qua quis pugnat cùm bestijs; & si quæstus gratia faciat, infamis efficitur, *l. 1. §. item Senatus, ff. de postul.* Cicero *lib. 2. de offic.* ibi: *Omninò duo sunt genera largorum, quorum alteri prodigi, alteri liberales. Prodigi, qui epulis, & viscerationibus, & gladiatorum muneribus, venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut breuem, aut nullam sunt relicturi.* Quæ venatio ob euidens vitæ discrimen, quod adit venator, meritò reprobanda est, & grauiter à Cassiodoro reijcitur *lib. 5. epist. 42.* Venationem hanc appellant ludum venatorium Consulti *in l. 4. ff. de administ. rer. l. ciuitatibus 122. §. ad honorem, ff. de leg. 1. l. aut damnum 8. §. quicumque, ff. de pœnis.* Suetonius *in Nerone, cap. 7.* Vopiscus *in Probo*, Martialis *lib. 1. epigr. 115.* munus item dictum est à Saturno primùm attributum: prodit Lactant. *lib. 6. c. 20.* plura de hac venatione congesserunt Bulenger *in tract. de venatione*, Mariana *in tract. de spectacul.* Amaya *ad l. 6. Cod. de excusat. mun.* Petrus Faber *lib. 2. semestr. cap. 11. & in Agonistic.* D. Laurentius Ramirez *ad Amphit. Martial.* Lipsius *de Amphit. c. 3.* Panuinus *lib. 2. de Circensibus, cap. 2. 4. & 5.* de quibus venatoribus intelligendus est D. Augustinus relatus à Gratiano *in cap. qui venatoribus, cap. vidit, 86. dist.* dum ait: *Qui venatoribus donant, non homini donant, sed arti nequissimæ:* iunctis Vasquez *in 1. 2. disp. 111. q. 21.* Osuald. *lib. 18. Donel. cap. 7. lit. G*, etsi de venatione syluatica accipiant D. August. Gratian Buseus *ad epist. 56. P. Blesensis*, Petrus Greg. *lib. 3. de repub. c. 17. n. 7.* Venatio syluatica, aucupatiua, saltuosa, de qua in præsenti agitur, est, dum armis, canibus, seu auibus quis animalia terrestria, seu aues aucupatur, de qua plura Auendaño *in tract. de venatione*, Azeuedo *ad tit. 8. lib. 7. Recopil.* Ritherursius *ad lib. 1. Cynei Oppiani:* & illi magnopere dediti sunt Reges, Principes sæculares, ac alij Nobiles laici, vt probat Altesserra *de Ducib. c. 14.* Immò illis valdè necessariam esse non solùm ad honestam recreationem, verùm vt inde apti reddantur ad bellum, fusè probarunt Demsterus *ad Rosinum lib. 2. cap. 8.* Pater Menduza *in viridario, lib. 2. problem. 2.* Salcedo *de regim. Principum, lib. 2. cap. 6. dub. 23.* Theophilus *tom. 4. lib. 6. sect. 2. cap. 10.* Solorzanus *emblem. 33.* Altesserra *suprà, cap. 14.* Scipio Almiratus *in differt. polit. lib. 2. discurs. 1.* & doctè expressit Zenoph. *in lib. de venatione*, ibi: *Venationis studio dediti magnam ex eo vtilitatem capiunt; nam corporibus bonam valetudinem comparant. Hinc videant, audiuntque magis, senescant minùs. Hæc ad bellum præcipuè instituit; primò quidem si vias difficiles sub armis ambulant, minùs lassantur; nam labores sustinent, quibus feras capere consueuerunt; in hostium fuga vbique illos propter locorum peritiam rectè, aut tutè prosequuntur; quod si exercitus suus infeliciter pugnauerit, in syluosis, alijsque iniquis locis seipsos cùm cæteris non turpiter seruare poterunt, nam consuetudo venandi eos peritiores reddit.*

6 Venatio hæc clamosa, seu saltuosa, omnibus laicis licita, atque honesta est. D. Hilarius *in Matthæum cap. 10. Non est criminis agere aucupium, vt arbitror.* Probant Balsamon *in cap. 24. & 51. 6. Synodi*, Sauarus *ad Sidonium lib. 4. epist. 9.* etsi ad eam iuuenes aptiores, præstantioresque sint. Vnde Nicolaus Papa *in cap. 1. 34. dist.* Laufredum Episcopum iuuenem appellat, quia venationi valdè deditus erat. Meminit ipsius sententię Nicolai Petrus Blesensis *epist. 56.* dum ait: *Legimus, quia Nicolaus Papa suspensionis, & excommunicationis sententiam in Laufredum Episcopum ferri censuit, quia venaticam artem exercebat, licèt ille excusabilior esset beneficio iuuentutis.* Dicebanturque phasianarij illi serui, quos auium legato contineri negat Consultus *in l. auibus 66. ff. de legat. 3.* qui erant aucupio mancipati, vt ibi notauit Glossa, & post eam Sebastian. Medic. *de venat. p. 10. nu. 30.* Pignorius de seruis, & de eorum ætate agens, Narbona *de ætate, anno 18. quæst. 3.* Sed aliquando ratione temporis venatio etiam laicis prohibetur, veluti tempore quadragesimæ, & ieiuniorum, *cap. an putatis 13. dist. 86.* nisi necessitate vrgente, *cap. si nulla, 23. q. 8.* item & diebus festiuis, si periculum adsit amittendi Missam. Concil. Meldense *can. 27.* alioquin his diebus venatio non prohibetur, cùm non sit opus seruile, immò liberale, *l. 20. tit. 5. partit. 2.* quod & agnouerunt Collumela *lib. 2. de re rustic.* Virgil. *lib. 1. Georgic.* ibi:

Quippè etiam festis quædam exercere diebus
Fas, & iura sinunt: riuos deducere nulla
Relligio vetuit, segeti prætendere sepem,
Insidias auibus moliri.

Nec contrarium probat textus *in cap. 2. hoc tit.* vbi generaliter, & indistinctè omnibus seruis Dei venatio interdicitur. Igitur laicis venatio prohibita est. Nam respondetur, in eo textu de clericis tantùm agi, qui specialiter serui Dei vocantur, quia strictiùs quàm laici eius obsequio, & seruitio mancipati sunt, *cap. Cleros, 21. dist. cap. cùm secundùm, de præb.* textus disertus *in cap. sicut 2. q. 7.* vbi cùm Fabianus Pontifex assereret, quòd clerici non debent accusare laicos, hanc rationem adiecit: *Quia seruum Domini non oportet litigare.* Docent Germonius *de indult. §. seruus, n. 27.* Grassis *de effect. cleric. n. 5.* Quod faciliùs suadetur si integrum illum canonem transcribamus, prout extat in Concilio Germanico à S. Bonifacio Ratisbonæ celebrato temporibus Zachariæ Papæ, anno Domini 742. 11. Kalend. Maij: *Seruis Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omninò prohibuimus, nisi illis tantùm, qui propter diuinum mysterium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt; idest vnum, vel duos Episcopos cùm capellanis, & presbyteris coram Princeps secum habeat, & vnusquisque Præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit. Necnon & illas venationes cùm canibus seruis Dei interdiximus, & vt accipitres, & falcones non habeant.*

His suppositis, vt ad rationem præsentis prohibitionis deueniamus, variæ adduci possunt. Prima, quia venatio est quoddam bellum, vel belli simulacrum, aut præludium, vt tradunt Zenophon *lib. 1. de venatione*, Tul. *lib. 1. de natura Deorum*, Athenæus *lib. 1. Dipnosophist.* Pollux *in præfatione lib. 5.* Philo *lib. 1. de vita Moysis*, Plato *in Sophista*, & fusè probat Mercurialis *lib. 3. de arte gymnast. cap. 15.* siquidem plerumque fit armis. Ouidius *de Ponto eleg. vlt.* 7 Traditur ratio decidendi.

Tityras antiquas, & erat, qui pasceret herbas,
Aptaque venanti gratiùs arma daret.

Lucius Seneca *in Hippolyto, act. 1. scena 1.*

Tu graue dextra, læuaque simul
Robur lato dirige ferro.

Statius *lib. 2. syluar.* de leone:

Non formidato suprà venabula saltu
Incitus.

Et inde venabula dicta quasi venatui habilia. Isidorus *lib. 18. etymolog. c. 7.* Seruius *ad versiculum 131. lib. 4. Æneid.* Quia ergo Ecclesia pacis amantissima clericos, & Monachos studijs pacis detineri auidissimè expetit, venationem, que belli species est, & præludium, illis interdixit. Alia ratio prouenit ex nimio studio, quo venationi mancipantur venatores; siquidem diu, noctuque nihil aliud cogitant, vt expressit Thomas Morus ibi:

Venator defessa toro dum membra reponit,
Mens tamen ad syluas, & sua lustra redit.

Quare clerici, qui seruitio Ecclesiæ mancipati sunt, valdè ab eo ex huiusmodi exercitio diuagarentur, præcipuè cùm venationis tempus sit manè, cùm dies incipit, vt tradit Oppianus *lib. 1. de venatione Aurelij*, ibi:

Venemur, dum manè nouum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris vestigia seruant.

Seneca *in Hippolyto:*

——Veniet tempus
Cùm latratu caua saxa sonent:
Nunc dimissi nare sagaci
Captent auras, lustraque presso
Quærant rostro, dum lux dubia est,
Dum signa pedum roscida tellus
Impressa tenet.

Sed

Digitized by Google

Sed eò tempore debent clerici pensum seruitutis suæ soluere, iuxta tradita in cap.1.de celebrat. Missar. Vnde rectè illis prohibetur venatio, ne distrahantur à proprio ministerio. Accedit D. Hieronymi sententia in cap. Esau, 86. dist. ibi: Quia nunquam legimus sanctum venatorem. Abulensis in cap.6. Matthæi, q.43. in fine, ibi: Et propter hoc sancti viri non se dederunt huic occupationi, sicut piscationi, quia venatio vix sine nocumento proximi exercetur; ideò non legimus sanctos venatores, sed piscatores. Facit Nicolaus Papa epist. 1. ad Aluinum: O miseram vitam hominum, & maximè sacerdotum! Qui dum lucrandis fidelibus debent insistere, venandis feris incumbunt; & quos capere oportet homines, capiunt aues: qui dum mortibus student animalium, vitam suarum perdunt animarum? O infelicem vitam super omnem vitam! Nam in quo magis quis carnalis apparet, quàm in tali vita. Venatorum enim vita nihil præter carnes capit, in qua dum quispiam permansit, nunquam probatus est, dicente Sancto Hieronymo: Nunquam venatorem legimus sanctum. Prosequitur alias rationes huius prohibitionis Oualle in præsenti, §. 3. per tot.

8 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta: nam licèt verum sit, venationem esse iuris naturalis, & ideò omnibus communem, tamen iustis ex causis possunt Principes, tam sæculares, quàm ecclesiastici, venationem prohibere, aut ratione temporis, veluti dum animalia nutriuntur, l.2. cùm sequent. tit.7. lib.7. recopil. quas latè explicant Auendaño de metu, d. lib. 2. cap. 37. Solorzanus de iure Indiar. lib.3.cap.3.num.69. Castillo de tertijs, tom.7. cap.41.num.118. Bobadilla lib.2.polit. cap.18. vel ne talibus instrumentis, aut mensibus exerceatur, ne paucorum auiditas animalia, vel pisces exhauriat; coarctant enim libertatem naturalem venandi, aut piscandi, sed propter magis speciale bonum communitatis, & singulorum: quæ statuta in quantùm obligent, cùm multis à se laudatis docent Amaya in l. vnic. Cod. de venat. ferar. ex num.42. Iacob. Vander. Græfius ad leg. non dubito, de captiuis, cap.41. Diana 3.part.tract.6.resol.18. Vascus in flor. Theol. verbo Venatio, Tapia 2.tom. catenæ mor. lib.5.q.26.art.5.6.& 7. Arniscus de iurib. maiest. cap.4. Besoldus de iurib. maiest. cap.6. tom.1. polit. Aut ratione personarum, veluti clericis, ex rationibus suprà adductis; quia cùm venatio sit iuris naturalis permissiui, non præceptiui, ideò potest à Principe iustis ex causis mutari. Nec obstat argumentum primum, quo dicebamus, omnia animalia hominum gratia à Deo creata fuisse, & ita vsum eorum clericis prohiberi non debere; quia id procedit, dummodo licitè, & honestè illis vtantur, & ad finem, ad quem creata fuerunt, non verò per improbum vsum, qualis est venatio in clericis. Nec obstat argumentum deductum à piscatione, inter quàm, & venationem longa datur differentia; siquidem piscatio exercetur sine clamore, & armis: secus vero venatio. Facit ratio adducta à D. Hieronymo, videlicet quia nunquam legimus sanctos venatores: piscatores autem plures, præcipuè Apostolos, qui etiam postquam Dominum sequuti fuerunt, honestum illud exercitium non reliquerunt, vt ait D. Gregorius Papa homil. 24. in Euang. l. Ioannis, cap. 21. Quæri etenim potest, cur Petrus, qui piscator ante conuersionem fuit, post conuersionem ad piscationem redijt? Et cùm Veritas dicat: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & aspiciens retro, aptus est regno Dei; cur repetijt, quod dereliquit? Sed virtus difc etionis inspicitur, citiùs videtur, quia nimirùm negotium, quod ante conuersionem sine peccato extitit, hoc etiam post couuersionem repetere culpa non fuit. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, iuxta dignitatem delinquentis augeri crimen, & per consequens pœnam, leg. quædam delicta, ff. de pœnis, l.2. l. omne, ff. de re milit. cap. homo, 40. dist. cap. quia sanctitas, 50. dist. latè probaui in cap. cùm quidam 12. de iureiur. Nec contrarium probatur in vtriusq; iuris testimonijs adductis pro ratione dubitandi; nam si delictum eius naturæ sit, vt augeatur dignitate delinquentis, veluti quando peccatur in his, quæ ad dignitatem concernunt, vel illius administrationem respiciunt; seu cùm tale crimen cedit in dedecus, & contumeliam ipsius dignitatis, vt in præsenti casu, tunc seueriùs puniuntur, qui maiori dignitate fulgent: at verò si dignitas non adaugeat delictum, tunc mitiùs puniuntur, vt docuerunt D. Thomas 1.2.q.73.art.vlt. Tiraquel. de pœn. temper. casu 37. Vnde in præsenti casu imponitur suspensio trium mensium Episcopo, presbytero autem duorum mensium, diacono verò vnius, vt legitur in dictis Concilijs Epaunensi, & Agath. ibi: Si Episcopus est, tribus mensibus se à communione suspendat, duobus presbyter abstineatur, vno diaconus ab omni officio, & communione cessabit. Ex quo canone corrigendus est præsens textus, & illud notandum venit, abstinere in eo canone Concilij Epaunensis, importare suspensionem, vt docuerunt Morinus lib.2. exercit. cap.3. Gibal. de clausur. regul. disquisit. 2. cap.4. §.1. & de censur. disquisit. 7. q.12. regul.1.

9 Exponitur c. cum venerabilis, de censibus. Sed suprà traditis obstat textus in cap. cùm venerabilis, de censibus, vbi Innocentius III. agit de spallis, & friscingis, quas Prior sancti Stephani soluebat quotannis Episcopo Fauentino: & vt ibi notaui, spalla est armum, seu membrum ferarum, quòd Abbas persoluebat Episcopo ex feris, veluti apris, aut ceruis, pro licentia venandi, iuxta eundem Innocentium III. lib. 13. regestr. in epist. ad Abbatem Sanctæ Mariæ Rotundæ, ibi: Et quòd ad Abbatis, & partium instantiam syluam bannierant Rauennates, & qui venabantur in ipsa, reddebant eidem singulis annis spallam porci. Illustrat Cironius lib.1. obser. c.5. Vnde deducitur, Abbatem, & Monachos sancti Stephani venationem exercuisse in diœcesi Fauentina. Igitur quia ecclesiasticis viris venatio prohibita non est. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, discrimen esse constituendum inter eum casum, in quo venatio exercetur ab ecclesiasticis viris in nemoribus, & viuarijs proprijs; aut cùm venatio exercetur in eisdem locis per extraneam personam, præcipuè cùm proprij redditus, & prouentus in venatione consistunt. Primò casu venatio monachis prohibita est, ex præsenti textu, & rationibus suprà expensis. Secundo verò casu venatio permittitur, Clement. 1. §. porrò, de statu monach. & ita textus in d. cap. cùm venerabilis, accipiendus est eo casu, quo monachi per extraneam personam venationem exercebant, & ex feris in ipsa venatione captis spallam, seu armum ipsius feræ, tributi nomine Episcopo persoluebant. Illud autem non omittam, frequentes fuisse olim Ecclesiæ prohibitiones circa venationem monachorum Benedictinorum, quia cùm Diuus Benedictus in sua regula, cap.48. aliàs 39. ita cauisset: Carnium verò quadrupedum omninò ab omnibus abstineatur comestio, debilibus, ægrotisque exceptis; fuerunt quidam catillones, qui ab esu quadrupedum se abstinebant, & volatilia comedebant, iuxta mentem Rabani lib.2. de vita cleric. c.27. dum ait: Auium quoque esum credo inde à Patribus permissum esse, eo quòd ex eodem elemento, de quo & pisces, creatæ sunt. Nam in regula monachorum non inuenitur aliarum carnium esum eis interdictum esse, nisi quadrupedum. Quam opinionem adeò aliqui monachi amplectebantur, vt suis aucupijs in aere sterilitatem inducerent, vt refert Lantdmeter. lib.6. de veteri monach. part. 2. c.7. quare in Concillo Aquisgran. celebrato anno 817. ferè pro explicatione ipsius regulæ, can.8. ita cautum fuit: Vt volatilia intus, forisue, nisi pro infirmitate nullo tempore comedant, nec Episcopi vt edant, præcipiant. Et lib.1. capit. Ludouic. tit.78. certis diebus tantùm monachis esus auium permittitur his verbis: Vt volatilia in natali Domini, & in Pascha tantùm octo diebus, si est vnde, comedant. Si verò non fuerit vnde, non requiratur per debitum. Si autem Abbas, aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio. Facit Aimonius lib.5. de gest. Francor. cap. 10. Volatilia cùm ouis de duobus festis, idest Pascha, & Natali Domini. In monachos ita sinistrè accipientes prædictam prohibitionem inuehuntur D. Prosper Aquitanicus lib.2. de vita contemplatiua, cap.23. Cæterùm si à quadrupedibus abstinentes, phasianis, altilibus, vel alijs auibus pretiosis, aut piscibus perfruantur, non mihi videntur resecare delectationes sui corporis, sed mutare; nec pro abstinentia, sed velut pro nescio qua immunditia, vel certè, quod verius est, pro stomachi nauseantis teneritudine, delitias illas communes, & viles abijcere, quo possint alijs non solùm carnibus, sed etiam delicatioribus, ac pretiosioribus carnibus suas voluptates explere. Sanctus Odo lib.2. collat. relatus à Petro Cluniacensi lib.2. epist. 15. qui horrendum refert exemplum monachi de gallina comedentis eo prætextu, quòd volatile, & piscis eiusdem essent originis, aut generis. Facit D. Hieronymus in epist. ad Syluinam, de seruanda viduitate: Procul sint à conuiuijs tuis phasides aues, crassi turtures, attagen Ionicus, & omnes aues, quibus amplissima patrimonia auolant. Nec ideò te carnibus vesci non putes, si suum, leporum, atque ceruorum, & quadrupedum animantium esculentias reprobes, non enim hæ pedum numero, sed gustus suauitate iudicantur. Nec ex dicto c. 48.

regulæ D. Benedicti inserti poterat, quadrupedum interdictione volatilium esum permissum esse; nam cùm vnum prohibetur, non statim alterum permitti, concludendum est, maximè si iam à legislatore prohibitum est. Vnde cum *cap.* 19. Leuitici dicitur: *Non maledicos surdo, nec coram cæco pones offendiculum*; malè quidem deduceret aliquis, ex eiusmodi legibus permitti, non surdis maledicere, & videntibus ponere offendiculum. Tantum enim D. Benedictus meminit quadrupedum, quia cùm quædam ex eis viliores sint, quàm volatilia, non posset quis credere earum esum non esse monachis interdictum. Prosequuntur alia pro ipso abusu detestando Landmeter. *vbi suprà*, Hugo Menardus *in concordia Regularium, in notis ad cap.* 4. *Regulæ Diui Benedicti*, Benedictus Haæpthenus *lib.* 10. *disquisitionum monasticarum, tract.* 6. *disquisit.* 2. & 3. Theophilus Raynaud. *tom.* 16. *in Heterocl. spiritual.* 3. *part. punct.* 2. *fol.* 406. & veram literam prædicti capitis 48. regulæ Diui Benedicti restituit Seruacius Lairuez *tom.* 2. *Catholic. nouit. sect.* 9.

Deinde suprà traditæ assertioni obstat textus *in Clement.* 1. *de celebratione Missarum* vbi, cùm, agatur de horis canonicis, & de modo interessendi canonicos in choro, specialiter cauetur, ne ad Ecclesiam secum deferant canes venaticos. Igitur quia extra Ecclesiam, præcipuè intra domos proprias, possunt eos alere, & tenere. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in ea Clementina specialiter prohiberi clericis canes deferre ad Ecclesiam, quia agebatur de eorum residentia, seu interessentia in choro; non tamen inde deducitur, extra chorum licere illis canes venaticos habere: quo modo etiam accipiendus est textus *in cap. cùm Apostolus, de censibus*, vbi statuitur, ne Episcopi, dum visitant diœcesim propriam, canes venaticos, vel aues secum ferant; nam non inde rectè inferri potest, extra commeatum ipsum, & extra tempus visitationis, Episcopos posse canes venaticos alere, & tenere. 10 Exponitur Clement. 1. de celebrat. Missar.

C A P V T II.

In *a* eodem.

OMnibus seruis Dei, vt venationes, & syluaticas vagationes cum canibus, aut accipitres, aut falcones non habeant, interdicimus.

N O T Æ.

1 a EOdem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & ex eodem Concilio Aurelian. citant textum hunc Burchardus *lib.* 2. *Decreti, cap.* 217. Iuo Carnot. *part.* 6. *Decret. cap.* 289. & sub nomine Paleæ à Gratiano *in cap.* 3. 34. *dist.* Sed verba in præsenti transcripta non reperiuntur in aliquo ex Concilijs Aurelian. hucusque editis; extant tamen in Synodo Francica, seu Germanica temporibus Zachariæ I. & Caroli Magni, anno 742. *can.* 2. ibi: *Necnon & illas venationes, & syluaticas vagationes cùm canibus seruis Dei interdicimus, & vt accipitres, & falcones non habeant*. Repetitur *tom.* 17. *regiæ editionis*, & *lib.* 3. *cap. Caroli, cap.* 2. & *lib.* 5. *c.* 212. Textum hunc exposui suprà *in cap.* 1.

T I T V L V S XXV.

De clerico percussore.

C A P V T P R I M V M.

Ex Concilio a *Agath.*

SI quis in aliquo ecclesiastico *b* gradu sacratus percussor fuerit, corripiatur à crimine; si non emendauerit, deponatur.

N O T Æ.

1 a AGathensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. Sed hæc verba non reperiuntur inter canones editos ipsius Concilij, nec in aliquo Concilio, quòd hucusque legerim.

b *Gradu sacratus.*] De gradibus sacris, & à quo tempore Subdiaconatus inter eos relatus sit, egi *in cap. à multis, de ætate, & qualit.* 2

C A P V T II.

Gregorius *Andreæ Episcopo* a *Tarentino.*

TRibunal iudicis æterni securus aspiciet, quisquis reatus sui conscius digna eum modò pœnitentia placare contendit. Habuisse te siquidem *b* concubinam, manifesta veritate comperimus, & te illius criminis participationem habere, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse iudicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re si in sacro ordine constitutus eius te permixtione esse recolis maculatum, sacerdotij honore deposito, ad administrandum nullo modo præsumas accedere: sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, & Deo nostro sine dubio te reddere rationem, si huius sceleris conscius, in eo, quo es, ordine, celans veritatem, permanere volueris. Vnde te iterùm adhortamur, vt si te deceptum antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eum, dum licet, pœnitentia superare festines, ne cum eo particeps, quod non optamus, in die iudicij deputeris. Si verò huius reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est, quo es, ordine permanere. Prætereà quoniam mulierem de *c* Matriculis contra ordinem sacerdotij cædi crudeliter fustibus *d* deputasti, quam licèt post *e* octo menses exinde minimè arbitramur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione Missarum statuimus abstinere, in quibus ab officio tuo suspensum flere te conuenit, quod fecisti. Nam valdè dignum est, vt postquam te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non prouocant, saltem correptionis medicina compellat.

NOTÆ

Digitized by Google

NOTÆ.

1 a GRegorius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & apud Burchardum *lib.* 1. *Decreti, cap.* 195. Carnotensem *part.* 5. *Decreti, c.* 310. apud Gratianum *in cap. habuisse,* 33. *dist.* & extat textus hic in regestro epistolarum D. Gregorij Magni *lib.* 2. *indict.* 11. *epist.* 44. Andreas hic primus fuit huius nominis Episcopus Tarentinus, de qua diœcesi Tarentina egi *in cap.* 12. *de rescript.* Horum excessuum correctionem delegauit Gregorius Ioanni Episcopo Gallipolitanensi sequenti epistola, in hæc verba: *Ex gestis, quæ ad nos fraternitas tua direxit, inuentum est, Andream fratrem, & Coepiscopum nostrum habuisse sine dubio concubinam. Sed quia incertum est, si eam in sacro ordine constitutus contigerit, necesse est, vt eum solicita adhortatione commoneas, vt si positus in sacro ordine cum ea se nouit immixtum, ab eo, in quo est, officio quiescat, & nullatenus administrare præsumat. Quod si fortè conscius sibi huius rei, peccatum suum supprimens, administrare præsumpserit, animæ suæ periculum diuino iudicio imminere cognoscat. Matriculam verò, quam fecit fustibus castigare, quamuis exinde post octo menses obijsse non credimus; quia tamen eam contra propositi sui ordinem huiusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus à Missarum solemnitate suspende, vt vel hæc eum verecundia, qualem se de cætero possit exhibere, instituat. Prætereà oblata nobis petitione, quæ tenetur in subditis, clerici prædicti Episcopi multa se mala ab eo sustinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua subtiliter cuncta curet addiscere, & ita ea rationabili modo emendare, atque disponere, vt nulla eis pro hac re huc remeandi de cætero necessitas imponatur.*

b *Concubinam.*] De pœnis Episcopi concubinarij egi *in cap.* 3. *de cohabit. cleric.*

2 c *Mulierem de matriculis.*] In dicta epistola 45. legitur *matriculam*, vnde cognosci non potest, an nomen hoc esset proprium ipsius fœminæ, an verò fœmina illa aleretur ex matriculis Ecclesiæ Tarentinæ, iuxta veterem morem, quem illustraui in canone 36. Concilij Illiber. & referunt Vossius *de vitijs sermon. lib.* 3. *cap.* 24. Zerda *in aduers. cap.* 76. *num.* 7. & forsan quia vidua hæc alebatur ex matriculis ipsius Ecclesię, ideò Gregorius appellat eam mulierem de matriculis.

d *Fustibus deputasti.*] Contra tradita *in cap.* 1. *de calumn.*

e *Octo menses.*] Post quòd tempus credatur percussum ex vulnere accepto decessisse, exposui in canone 5. Concilij Illiber.

CAPVT III.

Alexand. III. a *Lucensi Episcopo.*

PRæsentium lator in quodam conflictu asserit se fuisse, pro parte tamen illorum, qui violentiam repellebant, in quo lapides ipse proiecit, sed aliquem non percussit: quem nos quia per alios illic aliqui dicuntur occisi, à celebratione Missarum pręcipimus abstinere. Mandamus itaque vobis, vt si res ita se habuerit, & alia tamen non impedierint, decurso huiusmodi temporis spatio, ad sui eum exequutionem officij admittatis.

NOTÆ.

a LVcensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & post Concil. Lateran. *part.* 16. *cap.* 11. additur, & *Capitulo*. De Ecclesia Lucensi, seu Lucanensi egi *in cap. cùm causa, de elect.* & textum hunc exposui suprà *in cap.* 2. *de homicid.*

CAPVT IV.

Cœlestinus III.

COntinentia literarum vestrarum inspecta, qua significastis nobis, quòd cùm P. *b* acolytus præsentium lator cùm quibusdam hominibus ad *c* resistendum prædonibus arma sumpsisset, in conflictu illo tres fuerunt ab alijs vulnerati ad mortem, ita tamen, quòd illa homicidia, neque facto eius, neque consilio perpetrata fuerunt. Quia verò super hoc nostrum requisistis consilium, vobis taliter respondemus, quòd cùm prædictum acolytum ad frugem melioris vitæ transisse dicatis, & in monachali religione ferè per annos VIII. laudabiliter hucusque vixisse, meritis eius alijs non repugnantibus, ad subdiaconatus ordinem valeat promoueri, & meritò altaris ministerium exercere.

NOTÆ.

1 a COElestinus III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

b *Acolytus.*] De quo gradu egi *in cap.* 2. *de offic. Archid.*

2 c *Resistendum.*] Et ita arma non sumpsit pro defensione necessaria: quare desideratur, vt ad ordines sacros accedere posset, quòd ad meliorem vitæ frugem transijsset, & vt per octo annos laudabiliter fuerit conuersatus.

COMMENTARIVM.

3 CVm Ecclesia valdè abhorreat sanguinis effusionem, & in suis ministris omnem mansuetudinem optet, ideò non solùm eos militiæ nomen dare prohibuit, vt probaui *in cap. petitio, de homicid.* verùm & arma deferre, vt probaui *in cap. clerici arma, de vita & honest. cleric.* & sententiam sanguinis proferre, *cap. sententiam, ne clerici, vel monachi;* ac etiam quamcumque percussionem ab eis fieri omninò prohibuit, *can.* 64. *Apost.* ibi: *Si quis clericus in pugna pulsatum aliquem vno ictu occiderit, deponatur propter suam procliuitatem, & temeritatem.* Et *cap. de his clericis,* 50. *dist.* Concil. Triburiense *can.* 11. *cap. cùm beatus,* 45. *dist.* plura adducunt Espenceus *lib.* 2. *digress. cap.* 3. Crespetius *in summa, verbo Clericus non sit percussor.* Et percussor non solùm dicitur, qui sua manu percussit, verùm & qui verberandi, vel occidendi facultatem dedit, ne fraus fiat canoni Apostolorum, vt statuitur in canone 9. Synodi Constantin. ibi: *Qui percussit, vel curauit, vt cui manus percuteretur.* Vt etiam ait Vlpianus *in l. non solùm,* §. 1. *ff. de iniurijs.* Intuitu tamen disciplinæ licet presbytero leuiter percutere discipulum, vt probaui *in cap. presbyterum, de homicidio:* & iudici ecclesiastico pęnam fustium imponere, dum tamen per eam ad sanguinis effusionem non perueniatur, vt probaui *in cap* 1. *de calumn.* Ex quo commentario, & præcipuè ex adductis *in cap. petitio, de homicidio,* præsens commentarium petendum est.

TITVLVS XXVI.

De clericis maledicis.

CAPVT PRIMVM.

a Clemens III.

INnotuit nobis, &c. *Et infrà*: Ad vltimum f. t. mandamus, atque præcipimus, quatenus quia nobis per literas tuas retulisti, scilicet quòd Ioannes clericus sanctæ Trinitatis multis coram astantibus, verba quædam in depressionem, & contumeliam b Rom. Ecclesiæ protulit, ipsum à temeritate sua per suspensionem officij, & beneficij, sublato appellationis obstaculo, compescas, vt pœna illius alijs c terrorem incutiat, ne de cætero contra Rom. Eccl. in talia verba prorumpant.

NOTÆ.

1 a CLemens III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. de clerico maledico*, *cap.* 1. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex, nec *in c. innotuit, de eo qui furtinè ordin.* vbi extat prior pars huius textus, id explicatur, licèt ex illius textus serie deducatur, in præsenti rescribere Clementem III. alicui Prælato Hispaniæ propè Seguntinam diœcesim existenti.

2 b *Romanæ Ecclesiæ.*] In hac sexta collectione legitur *officij, & beneficij nostri*; vnde deducebant Doctores, Pontificatum esse beneficium ecclesiasticum, vt probant Cæsar *de Eccles. Hierarch. disput.* 14. *§.* 2. *nu.* 1. Selua *de beneficijs*, 1. *part. q.* 2. Oieda *de incompatib.* 1. *p. cap.* 1. *n.* 2. Fabricius *de maiorib. benefic. nu.* 22. Sed veriùs in hac secunda collectione legitur, *Romanæ Ecclesiæ*. Aliud enim est detrahere Pontifici, aliud Ecclesiæ. Et licèt vtrumque crimen sit graue, tamen ex primo vindictam canones non admittunt, *cap. paratus*, 23. *q.* 1. ex secundo verò cùm Ecclesiæ honor, & gradus lædatur, pœnam imponunt, vt obseruauit Cironius *lib.* 2. *obseru. cap.* 4.

3 c *Alijs terrorem.*] Inter alias causas, quæ delictorum punitionem suadent, quas proponunt Plato *in Gorgia*, Seneca *lib.* 1. *de clementia*, D. Augustinus *de ciuitate Dei lib.* 19. *cap.* 16. & prosequuntur Alex. ab Alex. *lib.* 1. *dier. genial. cap.* 5. vbi Tiraq. *ad leges connub. lib.* 9. *glossa* 1. *n.* 224. Petrus Gregor. 3. *pars. syntag. lib.* 31. *cap.* 1. duplex præcipuè consideratur. Prima, vt is, qui deliquit, corrigatur, & emendetur, *cap. de his* 22. *quæst.* 2. quàm expresserunt Aul. Gel. *lib.* 6. *noct. cap.* 14. Herodius in libro, qui scribitur, *Opera, & dies*.

——Tandem sua pœna nocentem
Consequitur, passusque sapit tum denique stultus.

Secunda, vt alij, qui tali exemplo delinquere possent, metu similis pœnæ deterreantur. Seneca *vbi suprà*, ibi: *Nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur; reuocari enim præterita non possunt, futura prohibentur, vt quos nollet exemplum nequitiæ malè cedentis fieri, recidat, non tam vt pereant ipsi, quàm vt alios pereundo deterreant.* Quod ad bruta quoque animantia tulit Plinius *lib.* 19. *c.* 3. & 4. & *lib.* 10. *cap.* 22. *Videmus*, inquit, *sæpe in Africa crucifixos leones, à quibus saeuae vrbes obsessæ, quo cæteri metu pœnæ similis deterrerentur.* Nec longè à nobis petenda sunt huius rei testimonia, cùm in Hispania nostra quotidie videamus in supplicijs de nocentibus sumenda verba illa a præconibus præeuntibus, delictumque manifestantibus, ad finem adijci; *quien tal hace, que tal pague*. Quæ sanè ad admonitionem aliorum potiùs, quàm ad punitionem ipsius delinquentis pronunciari nemo non videt. Sumptumque fuit à prisco Romanorum more; aduocatus enim ad supplicium populus, crimen, & pœnæ causam ex præcone ipso audire solebat, & nonnunquam id fiebat per scripturam, quæ titulus vocabatur, vt in Christi Domini passione obseruarunt Euangelistæ, & ex bonorum auctorum testimonijs notauit Iustus Lipsius *lib.* 2. *de cruce*, *cap.* 11 Sicque verbum *superdici*, accipi debet *in l. si duo*, *§. fin. ff. de iureiur.* & quòd de præcone traditur *in l. fustibus*, *C. ex quibus causis infamiæ*, vt obseruarunt Fornerius *lib.* 1. *rerum quotid. cap.* 13. Balduinus *de edictis pro Christianis*, *fol.* 34. Cuiac. *lib.* 8. *obseru. c.* 7. & *lib.* 13. *cap.* 3. Petrus Faber *lib.* 2. *semestr. cap.* 6. & 7. quibus addi velim quòd de Alexandro Seuero Lampridius in eius vita refert, his verbis: *Clamabatque sæpiùs, quòd à quibusdam, siue Iudæis, siue Christianis audiebat, & tenebat; idque à præcone, cùm aliquem emendaret, dici iubebat: Quod tibi non vis, alteri non feceris.* Quodque idem Alexander in supplicio sumendo de Turino fumi venditore, per præconem dici iussit: *Fumo puniatur, qui fumum vendidit.* Quod refert Duar. *ad tit. C. de suffrag.* & *lib.* 1. *animad. cap.* 25.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clericus maledicens suspendendus est ab officio, & beneficio.* Probant eam textus *in can.* 55. *Apost. cap. clericus maledicus*, 46. *dist. cap. contumaces*, 56. *dist. cap. si quis clericus* 15. *q.* 7. Concil. Aurelian. 5. sub Pelagio I. *can.* 14. ibi: *Si quis presbyter, aut diaconus quolibet cothurno ordinem Episcopi sui despexerit, aut calliditate faciente ipsam iniurare, aut detrahere præsumpserit, tribus annis à communione suspensus, & in monasterium detrusus, aqua tantummodò & pane diebus singulis sustentetur, nec comam, nec barbam facere præsumat, nec ad aram Domini penitus accedere permittatur.* Toletan. 5. *can.* 5. *Sed & hoc pro pestilentiosis hominum moribus salubri ordinatione censemus, ne quis in Principem maledicta congerat; scriptum est enim à legislatore: Principem populi tui non maledices. Quod si quis fecerit, excommunicatione ecclesiastica plectatur. Nam si maledici Regnum Dei non possidebunt, quantò magis talis ab Ecclesia necessariò pellitur, qui diuinæ violator sententiæ inuenitur.* Faciunt textus *in cap.* 22. *Exodi*, *cap.* 23. *Actuum Apost* iuncto Anastasio Germonio *lib.* 3 *de sacror. immunit. c.* 3. *n.* 30. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Acuña *in cap. clericus* 5. 46. *dist.* Guttierez *de delict. q.* 63. & 64. Crespetius *in summa, verbo clerici maledici*, Salmut. *ad Pancir. lib.* 1. *memorab. tit.* 57. Coruinus *lib.* 4 *aphorism. tit.* 34. Cironius *lib.* 1. *obseru. cap.* 4. Petrus Gregor. *lib.* 2. *partit. tit.* 9. *c.* 8. & *lib.* 4. *tit.* 9. *cap.* 1. & *in prœmio Decret. nu* 38. & *lib.* 2. *de repub. cap.* 6. Nicol. Lemaistre *in confut. censur. Sorbon.* 1. *p. c.* 1. & 3. Don Nicolaus de Castro *in discursu contra Don Duarte*, Scipio Gentil. *lib.* 2. *de coniur. in orat. de maledict. in Principem*, Alber. Gentil. *in l. vnic. C. si quis Imperatori maledix.* Lælius Mancinus *de triplici iur. collat. lib.* 1. *cap.* 99. 4 Coreligio probatur.

Sed pro dubitandi ratione intendam probare ratione, & exemplis, maledicos in Principem, vel superiorem non esse aliqua pœna afficiendos; nam licentia ista loquendi concessa populo, cupiditates, consiliaque omnia patefacit, vnde Tiberius aiebat in ciuitate libera liberas linguas esse debere: & cùm Senatu loquens, qui intendebat maledicos punire, dixit: Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud efficietis quàm vt hoc colore dignitatis Principum vindicandæ vnusquisque priuatas suas inimicitias velatum, vltumque eat; & conclusit: Si quidem loquutus aliter fuerit, dabo operam vt rationem factorum meorum, dictorumque reddam; si perseuerauerit, inuicem eum odero. Vnde Theodosius cùm Arcadio, & Honorio suis filijs constitutionem edidit relatam *in l. vn. C. si quis Imperatori maledixerit*, his verbis: *Si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, improbo, petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, ac temulantia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit, eum pœnæ nolumus subiugari, nec durum aliquid, nec asperum volumus sustinere; quoniam si id ex leuitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum, si ab iniuria, remittendum.* Nec minori, vel prudentia, vel magnitudine 5 Impugnatur tradita assertio.

animi

Digitized by Google

animi fuit Rex ille Epirotarum Pyrrhus, qui censentibus amicis, vt quemdam, qui de ipso malè erat loquutus, relegaret, non se facturum dixit, ne aliò profectus peiora de me loquatur, & coram pluribus. Similia exempla de Philippo Macedonum Rege, & alijs Monarchis, ac Imperatoribus referunt Gentilis *in dicta oratione de maledict. in Principes*, Hugo Grotius *in floribus ad dictam legem vnicam*, Salmut. *ad Pancirolam d. tit.* 57. Iacob. Gothofr. *in ea dicta lege, in Theodos.* Lindembrog. *in comment. ad ipsam legem vnicam*, Valenzuela *consil.* 164. Fragoso *part.* 1. *de regim. lib.* 1. *disput.* 1. Adam Contzen. *lib.* 9. *polit. cap.* 45. P. Velasquez *de optimo Princ. lib.* 3. *annot.* 12. *morali, ex §.* 6. Non omittam de hac re Cilnij Mecenatis prudentiæ simulacrum apud Dionem *lib.* 52. vbi Imperatorem Augustum ita alloquitur: *Quòd conuicium aliquis tibi fecerit, aut tibi obtrectauerit, nec deferente aliquo audire, nec vlcisci debes. Turpe enim fuerit, te credere inuentum, qui te neminem lædentem, omnibus benefacientem ignominia affecerit. Idque soli faciunt mali Principes, qui ex conscientia sua veritatem dictorum colligunt. Deinde iniquum est, ea ægrè ferre velle, quæ si vera sunt, præstat non admisisse; sin falsa, dissimulare; cùm multi hęc vindicantes pluribus, ac grauioribus de se sermonibus occasionem præbuerint: nec decet hanc opinionem de te hominibus subijcere, esse qui in te contumeliosus esse ausit.* Facit textus *in cap. qui iustus* 90. 11. *q.* 3. in illis verbis: *Qui iustus est, & iniustè maledicitur, præmium illi redditur.* Igitur non rectè in pręsenti clerico maledico pœna suspensionis imponitur.

6 Maledictus quis. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, maledicum dici detractorem, quia sicut benedicere est bene precari, Ouidius *lib.* 2. *Fastor.*

Et bene nos, bene te, patriæ pater optime, Cæsar,
Dicite suffuso per sacra verba mero.

Contrà maledicere, est malè precari, vt apud Plautum *in Penulo, actu* 3. *scena* 3.

Si benedicitis, vestra ripa vos sequar:
Si maledicitis, vestro gradiar limite.

Maledictio ergo vitium linguæ, & maximum est. D. Iacobus *epist.* 3. Quare postquam Quintilianus *lib.* 12. *instit.* dixit caninam esse eloquentiam, atque facundiam maledictis vti, ex Appij Claudij testimonio addit, vitium esse animi, quo maleficus à maledico non distat nisi occasione, subindicans conuitiatori, & maledico ad malè faciendum, & nocendum aduersario promptam esse voluntatem, modò daretur tempus, & locus lædendi: & sicut maleficium idem est, quòd malefactum in facto, ita & maledictum in verbo. Cicero pro M. Cælio distinguit accusationem, conuicium, & maledictum his verbis: *Accusatio crimen desiderat, rem vt definiat, hominem notet, argumento probet, teste confirmet: maledictio nihil habet propositi præter contumeliam, quæ si petulantius iactatur, conuicium; si facetiùs, vrbanitas appellatur. Et quemadmodum malorum diuersitas alia, & alijs peiora facit; sic maledictiones aliæ alijs grauiores, & peiores, & quædam alijs efficaciores, vel ratione causæ maledicendi, vel ratione potestatis eius, cui maledicitur.* Plura de his maledicis congesserunt Lucas de Peña *in l. omne, vers. Nota, C. de delat. lib.* 10. Sotus *de iust. lib.* 5. *q.* 12. *art.* 1. Menochius *de arbitr. casu* 367. Didacus Perez *in l.* 34. *tit.* 3. *lib.* 8. *ordin.* Beyerlinch *tom.* 5. *theatri, verbo Maledicus.*

7 Deinde sciendum est, maledicos alios esse in Deum, alios in Principem, seu superiorem, ætate, nobilitate, moribus, seu scientia præstantem; alios in proximum, seu æqualem. Salcedo *in praxi, cap.* 66. Cenedus *ad Decretal. collect.* 146. De maledicis in Deum, hoc est blasphemis, agemus infrà textu sequenti. Circa maledicos in æquales dicendum est, quòd si priuatus maledicto lædatur, actioni iniuriarum locus est, *l.* 1. *§.* 1. *l. item apud* 15. *§. conuicium, §. ex his apparet, §. generaliter, ff. de iniurijs, l.* 3. *cùm sequent. l. qui liberos* 9. *l. penult. C. eod. tit.* Si verò maledici sint in Principem, tempora, aut sæculi mores, vt plerumque contingit, Seneca *lib.* 3. *de ira, cap.* 22. Cassiodorus *lib.* 3. *c.* 5. olim lege Iulia Maiestatis tenebantur. Tacitus *lib.* 1. *annal.* Arnobius apud Grotium *vbi suprà*, ibi: *Maiestatis apud vos reus, qui de vestris obmurmurauit aliquid Regibus.* Quomodo & IC. Paulus dixerat, non solùm facto, verùm & verbis impijs exacerbari crimen Maiestatis, *lib.* 5. *tit.* 29. *§.* 1 notarunt Valenzuela *consil.* 163. & 164. Grotius *in d. l. vnic.* Ant. Matthæus *de crimin. ad tit. de lege Iul. Maiestat. c.* 2. Sauarus *ad Sidonium lib.* 1. *epist.* 7. facit Modestinus *in l.* 7. *§. vlt. ff. ad leg. Iul. Maiest.* in quo textu Tribonianus respiciens ad legem vnicam, *C. si quis Imper. maled.* vbi legitur *verbis*, posuit *facto*; quæ inuersio patet, nam si non esset legendum *verbis*, ad quid posteà diceret Consultus, *vel violatis statuis*; cùm iam in generali significatione facti crimen illud comprehenderetur; notauit Cuiac. *ad Paulum, d. tit.* 29. *§.* 1. quare Arnobius *aduers. gent.* ait: *Maiestatis sunt apud vos rei, qui de vestris secus obmurmurauerunt aliquid Regibus.* Suetonius *in Tiberio, cap.* 10. 11. & 48. Sed Titus hanc quæstionem remisit, testibus Dione, & Xiphilino; & post eum Imperatores Honorius, & Theodosius *in l. vnic. C. si quis Imperatori*, vbi verbum illud *requirendum*, accipi pro condonandum, docuerunt Alber. Gentil. *ibi*, Salmutius *ad Pancirol. d. tit.* 57. & pro ipsius textus expositione videndi sunt Filesacus *lib.* 2. *select. tract.* 7. *de Regia Maiest. §.* 3. Petitus *ad leg. Atticas, pag.* 236. Basilic. *decis.* 26. Sacri etiam canones detractiones, & contumelias nihili fecerunt, *cap. paratus* 23. *q.* 1. *c. qui iustus* 11. *q.* 1. nisi quando honor Ecclesiæ, vel ordinis læditur, vt si presbyter in suum Episcopum, vel Pontificem maledicus sit: grauius tamen est delictum, maiorique pœna plectendi sunt maledici, qui linguam procacem effundere non contenti, calamo etiam manum adijciunt per libellos famosos, de quibus agitur *lib.* 3. *Concil. Illiber. cap.* 30.

His suppositis apparet ratio præsentis decisionis, quare videlicet suspendendi sunt clerici maledici in Ecclesiam, 8 Traditur ratio decidendi. Pontificem, seu Episcopum: nam nihil ita in benè morata Republica cauendum est, quàm Principis contemptus, atque hæ res, quæ minuere existimationem ipsius possunt: si enim de Principe malè impunè loqui liceat, fit ipsa natura, vt & in eius, qui loquitur, & in eius, qui eum audit, animo sensim ingeneretur quædam mala de Principe opinio, minusque eum reuereri incipiant, vt latè considerat, & exemplis probat Gentilis *lib.* 2. *de coniurat. in dicta oratione de maledictis in Principem.* Quæ si in quolibet Principe procedunt, quantò magis in Pontifice, & Episcopis, quibus maior debetur, & impendenda est reuerentia: proinde vt perniciosissimo huic malo tempestiuè occurratur, prudenter monuit D. Gregorius *homil. in Ezechielem*, his verbis: *Hi, quorum vita in exemplo imitationis est posita, debent, si possunt, detrahentium verba compescere.* Et si enim lubricum linguæ ad pœnam facilè trahi non debeat, *l. famosi* 7. *§. hoc tamen, ff. ad leg. Iul. maiest.* quæ tamen ex certa animi destinatione proficiscitur conuiciandi temeritas, compescenda omninò est, vt pœna illius alijs terrorem incutiat. Quare rectè Clemens III. in præsenti rescripsit suspendendos esse clericos maledicos in Ecclesiam Romanam, vel Pontificem.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius 9 Dissoluitur dubitandi ratio. solutione dicendum est, quoad pœnam detractorum, ex personis eorum esse pensandam, ac vtrum permitti debeat, æstimandum esse, vt expressit Harmenopulus *in Græca interpretatione ad textum in d. l. vnic. C. si quis Imperatori.* Quibusdam enim personis iure etiam debetur hæc licentia. Nec Imperiale, inquit D. Ambrosius in quadam epistola, libertatem dicendi denegare; nec Sacerdotale, quòd sentiat non dicere. Idque adeò verùm est, vt interdum duobus pariter Principi maledicentibus, in altero pœna sit adhibenda: in altero venia, quòd Dionysium Syracusarum Regem fecisse memoriæ proditum est, refertque Scipio Gentil. *in dicta oratione de maledictis in Principem.* Cùm enim renunciatum ei fuisset, duos quosdam in cęna plurima aduersùs ipsum dixisse, vtrumque ad se inuitauit, & conuiuio comiter excepit, quorum alterum cùm multa leuiter, subtiliterque loqui; alterum verò reconditum, ac tristem sedere vidisset, illum quidem dimisit, hunc verò tanquam insidiatorem interfecit. Varia igitur pensanda sunt circa puniendos maledicos, an videlicet ex dolore aliquo, vel temeritate inducti, an verò nulla de causa, sed libidine tantùm detrahendi maledicant. Prioribus enim casibus indulgendum, & condonandum est. Secundo verò casu seuerè vindicandum, ne abolitione præstetur ansa nouæ iniurię, quia, vt aiebat Socrates, maledicta qui non vindicat, veterem remittendo iniuriam, nouam prouocat. Referunt Gellius *lib.* 17. *noct. c.* 14. Iulius Ferret. *de re & discipl. milit. c.* 42. *n.* 3. Æneas Robertus *lib.* 4. *rer. iudic. cap* 11. Christoph. Boetius *de iniur. disp.* 2 *n.* 11. iuxta quas, & alias distinctiones, quas tradunt Alber. Gentil. *in d. l. vnic.* Scipio Gentil. *d. lib.* 2. *de coniur. ad finem*, accipienda sunt exempla suprà relata pro dubitandi ratione.

C A-

C A P V T II.

a Gregorius IX.

STatuimus, vt si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè Beatam Virginem, linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœnæ subdatur inferiùs adnotatæ, videlicet quod in septem diebus Dominicis præ foribus *b* Ecclesiæ manifestò (dum aguntur Missarum solemnia) blasphemus existens, vltimo illorum die Dominico pallium, & calceamenta non habeat, ligatus *c* corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis ferijs in pane, & aqua ieiunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus: quolibet quoque prædictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, siue vnum: & si nec ad hoc eius suppetant facultates, id in pœnam aliam commutetur, cui etiam, si renuerit recipere, ac peragere pœnitentiam supradictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem prætereà *d* potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi diœc. adhibita contra eum, blasphemus, si diues fuerit, quadraginta *e* solidorum, alioquin triginta, siue viginti; & si ad id non sufficiat, quinque solidorum vsualis monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus: quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

N O T Æ.

1 a GRegorius IX.] Qui præsentem edidit constitutionem contra maledicos, idest blasphemos in Deum, Beatam Virginem, & Sanctos. Vnde cùm præsens rubrica in secunda collectione rantùm conciperetur de clerico maledico, in hac scata propter præsentem constitutionem generalior proponitur, videlicet de maledicis.

2 b *Foribus Ecclesiæ.*] In eo loco vbi erant olim solemniter pœnitentes, dum in priori gradu consistebant, videlicet extra ianuam Ecclesiæ. Tertul. *de pudicitia cap.4.* ibi: *Reliquas libidinum furias impias & in corpora, & in sexus vltra ius naturæ, non modò limine, verùm etiam Ecclesiæ tecto submouemus, quia non sunt delicta, sed monstra.* Illustrant Lantdmeter. *lib.2. de veteri monach. cap. 60.* & huius electionis extra Ecclesiam mentio extat *in cap. in capite 64. dist.50. l.18 tit.4. partit.1.* ibi: *E deben morar à la puerta de la Iglesia toda la quaresma en canañuelas.* Prosequuntur ritum hunc, & alios solemnis pœnitentiæ, Gibal. *de clausura regul. disquisit.3. cap.2. §.6. n.32.* Filesac. *de quadragesima, cap.6.* Loaysas *in Concil. Tolet.6. can.6.* Souchetus *in notis ad Iuonem, epist.228.* Cironius *in paratitl. ad tit. de pœnit.* & *lib.5. obseru. cap.6.* Ambian. *ad Tertul. de pudicitia, passim.* D. Ioan. Ant. de Otalora *de irregularit. ex pœnit. part.1. excursu 1. cùm sequent.*

3 c *Corrigia.*] Proprius enim habitus pœnitentium semper fuit cilicium vili, & abiecta materia contextum, vt latè probant Lantdmeter. *lib.2. de veteri monach. cap.86.* Lemaistre *lib.4. de instaurat. Episc. cap. 7.* Ioannes Lorinus *in psalmo 29. vers. 12.* & *in psalmo 34. vers. 13.* Vicecomes *de ritibus baptismi lib.3. cap.12.*

4 d *Potestatem.*] Non quia blasphemus damnatus à iudice ecclesiastico, posteà puniri possit à sæculari; sed potius, quia, si opus fuerit, iudex ecclesiasticus debet inuocare auxilium brachij sæcularis, iuxta tradita *in cap. 1. 2. part. de offic. ordin.* quo modo verba hæc exposuerunt Martha *de iurisd. part.5. cap.50.* Barbosa *in cap. felicis, de pœnis lib.6.*

e *Solidorum.*] De quorum valore egi *in cap. ex tua 1. de simon.*

5 f *Vsualis monetæ.*] Idest pro tempore currentis, vt dicitur à Sidonio *lib.4. epist.20.* vsualis sermo: & Zeno Veronensis agens de sancto Arcadio, vsualis lex, vsualia mancipia: & Marcianus *in l. vlt. §. quotiens, ff. de public. & vectig.* Imperat. *in l. 3 C. de tyron. in Theodos.* ibi: *Vsualis unciæ, vsualis res.* Cassiodor. *lib 9. epist. 18. Vsualia iura.* Et *lib.6. epist.7. Vsualia metalla.* Et *lib. 11. epist. 39. Instrumentum vsuale, vsuales artes.* Et *de anim. cap.4 vsualis euentus:* & *lib. 2. epist. 39. Vsualia cantica.* Concil. Tolet. 8. *can.* 8 & ita vsualem monetam dixit Gregorius IX. pro quotidiana, & vsu recepta.

C O M M E N T A R I V M.

6 BLasphemia est conuicium, seu maledictum in aliquem dignitate, & excellentia conspicuum prolatum, vt docent D. Augustinus *in lib. de moribus monach. cap. 11.* D. Thomas 2.2. *quæst.13. per tot.* Ideòque dicitur ab Apostolo *ad Titum cap.3. Admone illos, neminem blasphemare.* Ex Theologorum tamen, & Canonistarum communi vsu blasphemia significat conuicium, seu contumeliam irrogatam Deo, vel Sanctis in cœlo regnantibus. Probant Couar. *in cap. quamuis pactum, part. 1. §. 7. nu. 8.* Simanc. *de catholicis, tit.8.* Farinac. *in praxi crim. tom.1. q.20. n.11.* Azor *tom.5. instit. lib.9. cap.28.* Bañez 1. 2 *quæst. 13. art. 1.* Sanctarellus *de hæretic. tit. de blasphemia, cap. 1.* Suarez *de relig. tom.5. lib.1. cap.4* Bobadilla *lib.2. polit. cap. 57. nu. 77.* Pichardus *in manuduct. crim verbo Blasphemia.* Siue maledicus de Deo aliquid affirmet, quod illi non conuenit, vt si crudelem, vel iniustum eum vocet, vel ei imprecetur malum, vt faciunt damnati, quasi malum in Deum cadere possit; vel neget, quod illi conuenit: & ita blasphemia propriè est contra virtutem religionis; sicut enim veneratio, & cultus, quo Deum veneramur, & Sanctos propter Deum, qui eos sanctitate donauit, pertinet ad religionem; ita in Deum, & Sanctos, vt in Deum referuntur, conuicium eidem religioni opponitur, non confessioni fidei: quamuis enim S. Thomas 2. 2 *quæst. 13. & sequent.* eam fidei opponat, tamen certum est, eam formaliter, & essentialiter loquendo, soli religioni opponi, cùm possit quis in Deum blasphemus esse, salua in eum recta fide, vt docent Castro *lib. 1. de iusta hæretic. punit. cap. 12.* Valentia 2. 2. *disp. 1. q. 13. puncto 2.* Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 32. num. 3.* Theophilus *tom. 4. lib. 4. cap. 2. fol. 568.* Sed quia vt plurimum blasphemiæ continent verbalem hæresim, ideò communiter distinguuntur in hæreticales, & non hæreticales. Hæreticales blasphemiæ sunt quæcumque proferuntur directè contra fidei articulos, vt contra Dei omnipotentiam, puritatem B. Virginis, & similes: & apparet clarius blasphemia hæreticalis, quando per verbum aliquod indicatiui modi asseritur aliquid contra fidem; quando autem non asseritur per huiusmodi verbum, sed optando, vel imprecando, non est hæreticalis. Exemplum hæreticalium sit: Deus est iniustus, acceptor personarum, non est omnipotens, non credo in Deum, renego Deum, crucem, fidem, puritatem Deiparæ. Exemplum non hæreticalium est: Maledictus sit Deus, per corpus Dei, *à desprecio de Dios:* quia per huiusmodi blasphemias, quæ indicatiui modi non sunt, nihil falsum dicitur de Deo, vt possint hæresim continere, sed tantum malus affectus blasphemantis erga Deum volentis ex modo dicendi quasi ignominiarum reddere Deum capacem. Essent tamen hæreticales, si blasphemans per modum indicatiui assereret, Deum esse illarum capacem. Prosequuntur alia exempla hæreticalium, vel non, Mascard. *de probat. lib. 1. conclus. 194.* Decianus *tract. crimin. tom. 3. lib.6. cap. 2. num.4* Sanchez *d. lib.2. summæ, cap 32.* Scortia *in select. Pontific. constit. epit. 90. theorem 322.* Eymericus *2. part. direct. quæst.41.* vbi Peña, Suarez *tom.1. de relig. tract.3. lib.1. cap.5.* Sousa *in aphorism. Inquisit. lib.1. cap.19.* Albertinus *de hæret. agnosc. q.6. nu. 25.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg.51. nu.88.* Carena *de offic. Inquisit. p.2. tit.7. §.2.* Fragoso *de reg. Christ. Reipub. p.1. lib.2. disp.4. §. 5.* Thomas Delbene *part. 2. de offic. Inquisit. dub. 218.* Beyerlinch *tom.1. theatr. verbo Blasphemia.*

7 *De grauitate huius criminis.* Deinde sciendum est, crimen hoc fœdum, & horrendum esse; quid enim atrocius, quàm Deo conuiciari? quod facit blasphemia. Ait D. Hieronymus *in cap. 18. Isaiæ*, nihil ea esse horribilius, & omne peccatum compara-

Digitized by Google

paratum blasphemiæ, leuius esse. Et D. Chysostomus in psalm. 95. blasphemia nihil peius esse affirmat his verbis: Attentius considera quæ dicuntur. Peccata quædam spectant ad Deum, quædam ad hominem: veluti impietatem committere, blasphemiam euomere, ac violare templum Dei, aut Ecclesiã Dei persequi, aut sacerdotes afficere contumelia. Hæc omnia referuntur ad Deum: cæterùm mœchari, furari, iniuriam facere, hæc intra consuetudinem, quæ nobis cum conseruis est, constituunt. Multiplex autem est differentia eorũ, quæ committuntur in Deũ, & quæ in homines. Nihil itaque peius iniquitate, neq; quicquam magis impium, quàm aduersùs Deũ blasphemia. Sanctus Petrus Damianus opusc. 36. c. 3. & homil. 1 ad populum, blasphemos lepram sibi, & posteris adsciuisse affirmat. Facit D. Matthæus c. 12. & Heli aiebat lib. 1. Regum, c. 2. Si peccauerit quis in virum, placari illi potest Dominus; si autem in Dominum, quis orabit pro eo? D. Augustinus lib. 2. de ciuitate Dei, c. 9. ibi: Cùm probrum iacitur in Principem, patriæ bonum, atque vtilem, nonne tantò est indignius, quantò à veritate remotius, & à vita illius alienius? Quæ igitur supplicia sufficiunt, cùm Deo fit ista tam nefaria, tam insignis iniuria. Faciunt Theodor. orat. 1. de prouid. inis. Saluianus lib. 4. de prouidentia, ad finem. Quare varijs pœnis crimen hoc omni iure viudicatum legimus. In Leuit. cap. 24 lex erat, vt blasphemum lapidibus opprimeret populi multitudo: & Iudæi adeò hoc crimen execrabantur, vt dum blasphemias intelligerent, obturarent aures suas, & scinderent vestimenta sua, vt refertur Matthæi c. 26. vt ob res luctuosas, & maximè tristes soliti erant facere, cap. 4. Numer. Iosue cap. 7. Iudicum cap. 11. vers. 4. Esther cap. 4. & cap. 2. Sophoniæ, minatur Dominus ob blasphemias Moabitis interitum Gomorrhæ & Sodomæ. Iure ciuili Iustinianus in nouel. 78. vt non luxur. homines, ita cauit: Si contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquuntur, multò magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere. Additque, ob blasphemos pestem, famem, terræmotus, & alias plagas à Deo hominibus immitti; simulque præcipit Præfecto ciuitatis, vt quos in hac re deliquisse inuenerit, morti tradat: & in l. vlt. C. de relig. alearum ludos prohibet tanquam nequitiæ huius incitamenta. Vltimum etiam supplicium blasphemis indixit Carolus Magnus ad. lit. 3. c. 32. Iure canonico olim pœna erat in laicos excommunicatio, in clericos depositio, c. si quis, 22. quæst. 1. & in præsenti adiuncta est pœnitentia publica, necnon & pœna pecuniaria: & quia clericis publica pœnitentia remittitur, c. ex pœnitentibus, 50 dist. c. quicunque, 51. dist. ideò contra eos manet tantùm depositionis pœna. Iure nostro Regio nouissimo in l. 5. 6 & 7. tit. 4. lib. 4. recopil. pro prima blasphemia detinetur reus per mensem in carcere cum compedibus; pro secunda in exilium mittitur per sex menses, mulctaturque mille marapetinis; pro tertia verò lingua figitur clauo: quæ vltima pœna consuetudine non est recepta, sed eius loco flagellatur, & lingua premitur ligno, idest mordaca. Tandem ex lege finali, tit. 4. lib. 8. recopil. ad triremes damnantur blasphemi: quas pœnas si non exequatur iudex, eisdem puniendus est, ex l. 20 tit. 6 lib. 3. recopil. docent plura de blasphemijs adducentes vltra congestos à Barbosa in præsenti, D. Ioannes Vela de delictis c. 4. D. Ioseph Vela in c. 1. de offic. ordin. nu. 9. Fragoso de regim. Christ. Reip. part. 1. lib. 2. disp. 4. §. 5. Scortia in select. Pontif. constit. epit. 90. theorem. 292. Ioannes Vultizus in notis ad Prudentium, fol 217. Hunnius in encyclop. canon. tit. 8. Lælius Mancinus de triplici iuris collat. c. 128 Basilic. dec. criminali 26. Petrus Gregorius lib. 4 partit. tit. 9. c. 8 & in c. conquerente, c. 6. de offic. ordin. & lib. 33. syntag. c. 12. Acuña in c. 4. dist. 25 Sesse tom. 4. decis. 469 Barbosa 2. lib. voto 116. Suarez tom. 1. de relig. tit. de irreligiositate, c. penult. & vlt. Simon Maiolus dier. canicul. fol. 661. Gutierez de delictis, quæst. 60. Est tamen hoc crimen mixti fori, vnde puniri potest tam à iudice Ecclesiastico, quàm Sæculari, vt pluribus relatis probat Martha de iurisdict. par. 2. c. 13. D. Iosephus Vela in dicto c. 1. n. 92 nisi blasphemia sit hæreticalis, quia tunc eius punitio priuatiuè spectat ad Inquisitores hæreticæ prauitatis, vt probant Scortia vbi supra, Eymericus in direct. Inquisit. pars. 1. quæst 41. vbi Peña: pluribus relatis Barbosa de potestate Episcopi, allegat. 12. num. 86 Carena de offic. Inquisit. par. 2. tit. 7. §. 2.

TITVLVS XXVII.

De clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante.

CAPVT PRIMVM.

Ex canone a Apostolorum.

SI quis Episcopus, Presbyter, vel *b* Diaconus *c* depositus *d* iustè pro certis criminibus *e* ausus fuerit *f* attrectare *g* ministerium sibi dudum commissum, hic ab *h* Ecclesia abscindatur.

NOTÆ.

1 a APostolorum.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 1. & reperitur textus hic in can. 28. Apostolor. iuxta editionem Balsamonis, Tilij, Dionysij Exigui, & Gentiani Herberti, de quorum canonum origine, & auctoritate egi in apparatu ad hæc commentaria.

2 b Diaconus.] De alijs clericis vltra Presbyterum, & diaconum, nec agitur in præsenti, nec in c. si quis Episcopus 11. q. 3. vbi hæc eadem prohibitio firmatur; sed tamen de illis idem esse dicendum docuerunt Glossa, Butrius, & Panormit. in præsenti, Suarez de censur. disput. 15. sect. 3. num. 1. argumento capitis 2. ibi: Si quis presbyter, aut alius clericus. Et cap. clerici 3. cap. fraternitati, ibi: Presbyteros, aut alios clericos; hoc tit. cap. placuit 9 11. q. 3. Constat namque, appellatione clericorum etiam clericos inferioris ordinis contineri, cap. de persona 38. 11. quæst. 1. nam hi etiam deponuntur, vt de subdiacono cõstat ex c. accedens, vers. Subdiaconi, 50. dist. de alijs clericis ex c. Episcopus, 65. 11. quæst. 3. cap. cùm non ab homine 10. de iudic. Concil. Tolet. 4. c. 17. can. 32. & 68. cum sequent. Apostolorum: notatur vulgò in cap. si quis de gradu, de purgat. canonic. item & degradantur, cap. 2. de pœnis, lib. 6 sed verius credo, iuxta tempus huius canonis clericos inferioris ordinis eius dispositione non comprehendi: quod suadetur ex eisdem canonibus Apostolorum, videlicet ex canone 25 aliàs 24. quo ita cauetur: Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut periurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen communione priuetur. Et can. 26. statim subijcitur: Similiter & reliqui clerici huic conditioni subiaceant. Et can. 42. ita statuitur: Episcopus, aut Diaconus aleæ, atque ebrietati deseruiens, aut desinat, aut certè damnetur. Cui statim subijcitur canon 43 ibi: Subdiaconus, lector, aut cantor similia faciens, aut desinat, aut communione priuetur: similiter etiam laicus. Quod non ita exprimeretur, si appellatione Episcopi, presbyteri, & diaconi clerici inferioris ordinis comprehenderentur: intendebant enim Apostoli in præsenti canone Episcopos, Presbyteros, & Diaconos, qui eo tempore erant tantùm in sacris ordinibus cõstituti, iuxta tradita in cap. à multis, de ætate & qualit. punire, si ab Ecclesia depositi in suo gradu, & officio, sicut anteà, ministrarent; clericos autem inferioris ordinis, quia non ita grauiter peccant ministrando in suis gradibus, non ita seuerè punire voluerunt: quo principio confirmari potest sententia Ioannis Andreæ, quam contra Hostiensem in præsenti probarunt Butrius in c. 2. hoc tit. num. 7.

Digitized by Google

num.7. Ancharanus num.5. scilicet clericos in minoribus ordinibus constitutos, degradatos, suspensos, depositos, & excommunicatos ministrantes, quemadmodum non incurrunt pœnam in hoc textu statutam, ita neque etiā manere Irregulares; quia nullibi irregularitas hæc contra clericos in minoribus ordinibus constitutos expressa reperitur; & ideò non est admittenda, c. is qui 18. de sent. excom. lib.6 qui etiam verba illa, Vel alios clericos, dicti capitis 2. ad clericos tantùm in sacris restringunt, ea regula Odia, de regul.iuris in 6. namque clerici inferiores, licèt clerici sint, tamen ad statum laicalem redire possunt, c. 1. de cleric. coniug nec in eorum degradatione solemnitas præscripta in c. 2. de pœnis in 6. ad degradationem maiorum clericorum adhibetur. Si ergo depositi in ministrando delinquunt, puniri ipsos contendunt, non irregularitate, sed sicut puniuntur monachi, & moniales in c. postulasti, §. 1. hoc tit. Sed contrarium meritò cū Hostiensi tenuerunt Hugolinus de censur.tabul.1.c.14.§.1. Marius Alterius ead.tract.lib 2.disp. 1 c.1. Fragoso part 2. de regim. Christ.Respub. lib.10.disp. 21.§.6 num.19 Maiolus de irregal.c.21. Nauarrus in manuali, c 27.num.163.& 244 Suarez de censur.disp.11.sect. 3. num. 1. nam clerici in minoribus tantùm constituti, comprehenduntur generalitate textus in c.2.hoc tit. ibi: Aut alius clericus. Et quia suspensus, & interdictus simpliciter ab officio, non solùm Missam celebrando, & exercendo actus Ordinum maiorum, verùm etiam vtendo alijs minoribus ordinibus quoad actus eis deputatos manent irregulares, Abbas in c. 2. hoc tit. num. 4. & 10. Archidiaconus in c. si quis presbyter, 11. quæst. 3. ergo excommunicatus vtens gradu minori, quem tantùm habet, irregularis manet. Requiritur tamen, vt hæc irregularitas contrahatur, quòd suspensus, depositus, seu excommunicatus exerceat actus ordinum minorum ex officio, tanquam minister deputatus, non sicut laicus. Glossa in d. cap. 2. Dicitur autem clericus in minoribus constitutus solemniter actum annexum ordini facere, quando acolythus cum superpelliceo in Missa solemni, præsente populo, ministrat deferendo cereos, & ministrando vrceolos, quamuis laicus eodem modo eundem actum soleat administrare ratione consuetudinis. Marius Alterius vbi suprà.

3 c Depositus.] Episcopus quidem à Synodo, vel Concilio; Presbyter verò, vel Diaconus à suo Episcopo, c. si quis Episcopus 6. & 7. 11. quæst. 3. depositus namque Episcopus damnatus dicitur in d. c. si quis Episcopus: & depositio, damnatio, in c. placuit 9. c. penult. 11. quæst. 3. & in can. 11. & 42 Apost. & damnatio Episcopi à Synodo, vel Concilio fieri debet, iuxta tradita in c.3. de accusat. Presbyteri verò, & Diaconi à suo Episcopo, c. accedent, 50. dist. nam cùm depositio sit pœna, illam tantùm imponere potest, qui iurisdictionem habet in eum, cui imponitur. Suarez de censur. disp.30 sect. 1 a.1.

4 d Iustè pro certis criminibus.] Rabanus, & Dionysius Exiguus legunt super certis criminibus. Haloander verò & Gothofredus habent, ob certa crimina: & iustè idem significat, atque rectè, vt interpretatur Aristenus; seu legitimè, iuxta Balsamonem; vel canonicè, vt in c fraternitati 6. hoc tit. Certa autem crimina dicere possumus, vel certas peccati causas argumento capitis nemo 51.11.quæst.3 hoc est non paruas, nec leues, sed eas, pro quibus sacris canonibus depositio imponitur, argumento capitis nullus 11.q.3 quarū plures refert Anton. Aug. in epit.iur.lib.39.per tot. vel certa crimina sunt aperta, & manifesta, d.c. nemo. Quod magis Græca verba significant, quę ita vertit Gentianus Herbertus, iustè ob manifesta crimina depositus, iuxta Alexium Aristenum. Certa autem crimina, & manifesta illa esse affirmat Balsamon, in quibus Episcopus, presbyter, vel diaconus non habent, nec quidem appellationis auxilium; nam si habeant interim dum de re priùs iudicata dubitatur, huiusmodi personas non eijci à ministerio contendit: quod probat ex libro 1. basilic. tit.3.c.1. Concil Antioch. can. 4. 12. & 14. & refert pro ea sententia verba constitutionis 14 de Episcopis, & Clericis, cuius sententia eo tantùm casu vera est, quo prædicti ante latam depositionis sententiam appellarunt; quo casu interim non eijciuntur à ministerio, quia post interpositam appellationem depositio non ligat, quemadmodum nec aliæ censuræ, quia eo tempore proferuntur, quo iudicis iurisdictio sopita est, c. pastoralis 53. §. verùm, de appel & sic non habet iurisdictionem, vtpote appellatione suspensam, c. cùm contingat, 36. de offic. deleg. c.2. vt lite non contest. c. præterea 40. c. dilectis 55. de appellat. c. per tuas 40. de sent. excom. c.2. eod. tit. in 6. Suarez de censur. disp.3.sect.6 & disp.4.sect.7.num.1.& disp.28.sect.5.n.3. & disp 39.sect.4. num. 3. Idem erit, si contra iuris ordinem proferatur, vt inquit Glossa 2. in præsenti. Quod intelligendum est de ordine substantiali iudicij, veluti si parte non citata, iuxta tradita in c.1. de caus possess. vel si contra ius lata sit, c 1. vbi probaui, de re iudic. non verò si contra iuris ordinem accidentalem proferatur, veluti si sine scripto, aut monitione non præmissa, c. illud 5. vers. idem, hoc tit. c. venerabili, §. sanè, de sent excom lib.6 Suarez d. disp. 4. sect. 7. num. 1. & 34. Idem si qua alia ratione depositio, excommunicatio, & similes censuræ sint nullæ, veluti quia à non suo iudice latæ sunt, vel quia continent intolerabilem errorem; hæ enim quia non ligant in foro animæ, nec in exteriori, nullum effectum habent, l. 4. §. condemnatum, ff. de re iudic. & ideò illis non obstantibus, sine metu irregularitatis celebrari potest. Glossa 2. in præsenti, Butrius num. 6. Panormit. num. vlt. Suarez d. num 38. Cenedus ad Decret. collect.25 n. 5. quòd si post latam depositionis sententiam appellatio interponatur, tunc quamuis Panormitanus in c. 2. num. 2. hoc tit. & in c. sæpe, num. 16. de appellat. existimauerit depositionem, quemadmodum suspensionem, quæ ad tempus fit, quia non sunt censuræ, sed puræ pœnæ, appellatione suspendi, quemadmodum aliæ pœnæ; attamen contrarium magis probatur, quia hæ sunt pœnæ spirituales, & ideò suam secum trahunt executionem, c. Episcopus, 11. quæst. 3. quemadmodum excommunicatio, suspensio, & interdictum, c. pastoralis 53. vers. Verùm, de appellat. & ideò postquam latæ sunt, non possunt appellatione suspendi, c. ad reprimendam, de offic. ordin. c. ad hæc 37. de appellat. c. is cui 20. §. vlt. de sent. excom. lib. 6. Interim ergo dum pendet appellatio, depositus abstinere debet à ministerio, quemadmodum suspensus, aut interdictus, c. suspensus 4. c. excommunicatus 17. 11. quæst. 3. quicquid velit Balsamon. Nec interest, quòd contendant iniustè fuisse depositum, hoc est ex causa falsa, & nulla, sed iuridicè probata, quæ dicitur sententia iniusta ex causa, in c Episcopus 62. §. si quis, 11. quæst. 3. vel ex alijs causis iniustis, de quibus Cenedus collect. 25. num 7. Suarez de censur. disp.4. sect.7. num. 4. & 8. quia tunc sententia, quamuis iniusta, ligat, c. quisquis 27. 11. quæst. 3. c. à nobis, c. inquisitionis 44. de sent. excom. & timeri præcipitur in c. 1. 11. quæst. 3. & ideò interim dum causa appellationis iudicatur, tenetur censuram custodire, c. per tuas 40 de sentent. excom. c.2. hoc tit. donec absolutio ei fuerit imposita, c. cùm contingat 36. de offic. deleg. c. per tuas, de sent. excom. c 2. c. venerabilibus 7 §. sanè, eod. tit. in 6. Vnde si interim celebret, pœnam huius textus incurret. Glossa 2. in præsenti, Anton. num. 6. Panormit. num. vlt. Suarez d. sect. 7. num. 8. Nec obstat prædictum verbum iustè, quia non excludit sententiam iniustam ex causa, quæ tamen valida sit, quia hæc etiam legitimè, & canonicè profertur, hoc est secundùm canones; quod verbum iustè, significat, l. 1. ff. qui testamenta: sed iniustam, quæ simul nulla sit, veluti ea leui causa, vel non seruato iuris ordine substantiali. Rectè tamen DD. suprà laudati docent, quòd excommunicatus non priuatur suffragijs Ecclesiæ, si iniusta sit excommunicatio, quia Ecclesia non censetur velle tanto damno quemquam afficere, c. si quis non rector 24 q. 3. quare iniustè excommunicatus, si remoto scandalo occultè celebret, non peccat, nec in foro interno pœnis canonicis afficitur; immò & aliquando Episcopus, Presbyter, vel Diaconus à gradu suo iniustè deiectus, si innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altari de manibus Episcoporum, c. Episcopus 65. 11. quæst. 3. Quod intelligendum est tantùm in depositis, vel degradatis, quibus cœlestis militiæ detrahuntur insignia, c.2. de pœnis in 6. Oportet enim, quòd in reparatione sua recuperent ea, quæ in ordinatione sua receperunt, vt dicitur In Concilio Tolet.4.can.27.

e Ausus fuerit.] Eadem phrasi vtuntur Alexander 5
in c.3. hoc tit. & PP Concilij Antioch. in c. si Episcopus 6. 11. quæst. 3. Concilij Romani sub Nicolao can. 2. Et certè magna audacia est, contempto iusto superioris præcepto ministrare, vt inquit textus in c. Salonitanæ 24. quæst. 3.

f As-

6 f *Attrectare.*]Eodem modo legit Haloander. Dionysius Exiguus etiam legit *attrectare*, cui fauet Virgilius ibi:

Tu genitor cape sacra manu, patriosque penates
Me bello è tanto digressum, & cæde recenti
Attrectare nefas, donec me flumine viuo
Abluero.

7 g *Ministerium.*] Quod eis tanquam clericis competit. Concil. Roman. sub Nicolao *cap. 2. cap. accedens, 10. in fine, dist.* 50 priuat enim depositio Ecclesiasticis functionibus: quare depositi non possunt in officio suo ministrare, vt anteà, *cap. si quis Episcopus* 13. 11. *quæst.* 3. *cap.* 1. *vers. Caneant, c. is cui 20. de sentens excom. lib. 6.* immò nec aliquid de ministerio sic interdicto obire, *cap. si quis Episcopus 6.* 11. *quæst.* 3. *cap. 2. hoc tit.* Quare nec possunt diuina officia celebrare, *cap. 3. cap. latores 4. hoc tit.* nec Missarum solemnia, *d. cap. Salonitanæ, cap. quæ de causa 9. 2. quæst.* 5. nec facere matutinum, aut vespertinum sacrificium, *d. cap. si quis Episcopus 7.* nec diuinis se ingerere, *cap. 1. vers. Scituros, de re indic. lib. 6* nec etiam in minoribus gradibus ministrare, vt suprà probaui, nisi sit tantùm à sacerdotali officio depositus, vel à Missarum celebratione: nec horas canonicas in choro cantare. Glossa *verbo Secus, in cap. 1. de sent. excom. lib. 6.* Extra chorum verò tenetur eas recitare, quia quemadmodum clericus depositus non priuatur priuilegio clericali, nec etiam eximitur ab honore clericali. Suarez *de censur disp* 12. *sect.* 2 *num.* 13. sicut & potest parochus sine metu irregularitatis matrimonio assistere pro eius valore, juxta Tridentinum *sess. 24. de reform. c.* 1. non tamen poterit coniuges solemniter benedicere, quia hoc ministerium proprium est sacerdotis. Suarez *de censur disp.* 11. *sect.* 3. *n.* 20. & *disp.* 40. *sect.* 2. *n* 26. Item potest baptismum non solemniter conferre in necessitate, quia non tanquam clericus, sed tanquam laicus confert. Suarez *d. sect. 3. num.* 20.

h *Ab Ecclesia abscinditur.*] Dionysius Exiguus legit, 8
pœnis abscindatur. Gentianus, Haloander, & Rabanus, *omninò abscindatur.* Aristenus, *longissimè eyciendus:* quę verba sic interpretatur Zonaras, vt tabescens membrum ab Ecclesia abscindatur omninò, tum ob summā impudentiam, tum quia nunquam redintegrari canonicè potest, quia cùm priùs fuerit depositus, mox ab Ecclesia abscinditur. Balsamon legit, ab *Ecclesia abscindatur vt impudentissimus.* Ecclesia hic significat Catholicorum congregationem, *c. Ecclesia 8. de consecr. dist* 4. siquidem omnes credentes vnum Christi corpus efficiuntur, *c. si quis* 58. 11. *q.* 3. abscindatur verò idem significat in præsenti, atque excommunicetur, vt docuerunt Panormit. & Anton. *in præsenti*, Bellarminus *de eccles. c.* 8. Suarez *disp.* 8. *sect* 1. & probatur *ex c. si quis presbyter 5. c. si quis Episcopus 6* 11. *q.* 3. per excommunicationem enim quis scinditur, & separatur ab Ecclesia, idest à communione fidelium, & corporis Christi. *c. audiui* 21. *c. nihil* 33. 11. *quæst.* 3. & exsortis fit à regno Dei, à consortio fidelium, & liminibus Ecclesiæ, *c. si autem* 11. *cap. canonica* 107. 11. *q.* 3. *in can.* 30. *Apost* ibi: *A communione modis omnibus abscindatur, sicut Simon Magus à Petra* Faciunt D. Chrysostom. *in homil. de anathemate*, D. August. *de vnit. Eccles. c. vlt.* Eusebius *lib. 5. hist. cap.* 14.

C A P V T II.

Ex Concilio a *Antiochensi.*

SI quis presbyter ab Episcopo suo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptum, & superbiam aliquid de ministerio sibi interdicto agere præsumpserit, & posteà ab Episcopo correptus, in cœpta perdurauerit præsumptione, hic omnimodis excommunicetur, & ab Ecclesia expellatur; & quicunque cum eo communicauerit, similiter se sciat *b* excommunicatum. Similiter de clericis, laicis, vel fœminis excommunicatis obseruandum est. *c* Quòd si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare non potuerit, Regis iudicio exilio damnetur.

N O T Æ.

1 a ANtiochensi.]Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit cap.* 2. sed aliquibus verbis additis à Raymundo, alijs inuersis, vt facilè lectori constabit, si conferat textum hunc prout hic transcribitur ex dicta prima collectione, cum ipso canone prout iacet apud Raymundum, & prout habetur in ipso Concilio Antiocheno, & in Codice canonum Ecclesię vniuersalis, ordine 83. vbi ita habetur: *Si quis Episcopus à Synodo depositus, vel Presbyter, aut Diaconus à proprio Episcopo, ausus fueris aliquid de ministerio agere. siue Episcopus, secundùm præcedentem consuetudinem; siue Presbyter, siue Diaconus, nullam ampliùs in alia Synodo spem restitutionis, nec defensionis locum ei habere liceat, sed & omnes ei communicantes ab Ecclesia abijciantur, & maximè si postquam cognouerint sententiam aduersus prędictos fuisse prolatam, eis communicare ausi fuerint.* Concil. hoc Antiochenum primum celebratum fuit sub Iulio Papa I. anno 340. in quo Arriani Athanasium deposuerunt, atque Gregorium Cappadocē in eius locum substituerunt, vt referunt Binius, & Coriolanus *in historia ipsius Concilij*, P. Marcha *lib 3. concord. c.* 3. Vnde canones in eo editos, tanquam ab Arrianis, & Eusebianis factos. auctoritate carere docuerunt Binius, & Coriolanus *vbi suprà*, & textum *in c. 1. 11. dist.* 16 vbi inter Catholica Concilia hoc refertur, accipiunt de alia Synodo Antiochena, cùm sex fuerint in ea ciuitate celebratę, non verò de hac prima. Et Baronius *to. 3. anno* 341. *n.* 37. Gratianum perstringit, eo quòd in eo textu canones Antiochenos inter editos à Catholicis enumeret. Sed licèt verum sit, triginta sex Episcopos Arrianos in hac Synodo interfuisse, & ita maiorem Patrum partem ex Arrianis fuisse, tamen Ecclesia canones ab eis editos, rectā disciplinam continentes, tanquam ab iniustis possessoribus eripuit, & sæpe eis vsa est, appellandu Concilium illud sanctū, vt in Concilio Triburiensi *c.* 2. Romano sub Leone IV. apud Baroniū *to.* 10. *anno* 853. *n.* 39. Primò inferendo eos in codice canonum Ecclesiæ vniuersalis, vt hodie reperiuntur, vt refert Ant. August. *lib. 1. de emend. Gratiani, cap.* 11. his verbis: *Canones Concilij Antiocheni receptos esse constat, & in corpore canonum positos ante Concil. Chalcedonense, vt in eius Concilij act. 12. Græcis, Latinis 11. apparet; & ex libro etiam Latino, quem eodem nomine Corpus canonum dicimus.* Idem refert Baronius *tom 3. anno* 341. *n.* 34. Etiam eisdem canonibus vsi sunt Patres 6. Synodi in Trul. vt ex secundo eius canone constat, relato *in cap. placuit 4. 16. dist.* necnon probauit Dionysius, teste Eusebio *lib. 7 histor. Eccles. c. 24. &* 25. Nicolaus II. *in epist. ad Michaelem Imperat. & epist.* 10 *ad Episcop. & Clerum CP.* in 8. Synodo generali sub Hadriano II. *act* 7. Leo IV. *ad Episcop. Britanniæ*, apud Baronium *anno* 855 *num.* 28. Paschalis II. *epist.* 24 Illud tamen notandum est, quòd licèt in Concilio Chalcedonensi, *act. 4. atque* 11. recitentur duo canones Concilij Antiocheni, videlicet 16. & 17. tamen non vt ex Concilio Antiocheno, sed vt ex dicto Codice canonum Ecclesiæ vniuersæ citantur *num* 95 & 96. vt extant in dicto codice. Cùm ergo prædicti canones Concilij Antiocheni reperirentur collecti, & incorporati in ipso codice canonum Ecclesiæ vniuersalis, præsentem canonem ex eo transcripserunt Gratianus *in cap. si Episcopus*, 11. *quæst.* 3. Papiensis *in d. 1. collect* à quibus accepit Raymundus, & huic sextæ collectioni inseruit, & ex capitularibus Caroli eum citat Cironius *lib. 1. obs. c.* 1. & forsan Carolus Magnus inseruit hunc canonem suis Capitularibus ex Concilio Toletano, quod illi transmisit Helipandus Tolet. Archiepiscopus, & in bibliotheca Fuldensi in membranis literis Gothicis scriptum refert Bargas *in fragmentis Luitprandi, num.* 77. vbi *c.* 6. ita legitur: *Presbyter contumax excommunicandus est. Si quis presbyter ab Episcopo suo fuerit degradatus, aut officio pro certis criminibus suspensus, & ipse per contemptū, & superbiam aliquid de ministerio:*

cętera desunt. Etiam textus hic ab aliquibus citatur ex Concil. Vernensi celebrato sub Stephano II. *can 9.*

b *Excommunicatam.*] Minori excommunicatione videlicet, iuxta ea, quæ dabimus *in cap. significauit, de sent. excom.*

c *Quod si aliquit.*] Verba quæ sequuntur transcripsit Raymundus ex Concilio Vernensi *can. 9.* vbi ita habetur: *Excommunicatus in Ecclesia non debet intrare, nec cum vllo Christiano cibum, vel potum sumere, &c. Quod si aliquis ista omnia contempserit, & Episcopus emendare minimè potuerit, Regis iudicio exilio condemnetur.* Vnde prior pars huius textus transcripta est ex dicto Concilio Antiocheno; secunda verò ex Concilio Vernensi. De hac exilij pœna, & quare desideretur requisitio Regis ad eam imponendam, egi *in c. 1. de calumniator.*

COMMENTARIVM.

3 Conclusio probatur. EX his duobus canonibus sequens deducitur assertio: *Presbyter degradatus, vel depositus celebrans, ab Ecclesia omnino abscinditur.* Probant eam textus *in cap. si Episcopus 6. cum sequenti, c. si autem 11. c. absit autem 14. 15 q. 3. c. Salonitanæ, 63 dist. c. accedens 20 50. dist. c. 3. c. latores 4. c. fraternitati 6 c. Apostolicæ 9. hoc tit.* Faciunt textus *in c. 2. de sacram. non iterand. c. veritatis, de dolo & contum. c. vt clericorum 15. §. si quis igitur, de vita & honestate cleric. cap. 1. §. sciturus, de re iudic. lib. 6. cap. 1. §. fin. cap. is cui, de sent. excom. lib. 6.* Consonat lex 17. *tit. 9. partit.* 5. Illustrant Suarez *de censur. disp. 18. sect. 3.* Petrus Gregor. *lib. 4. partit. tit. 8. c. 4.* & *lib. 32. syntag. cap. 30.* Couar. *in c. alma mater, 1. part. §. 6. num* 8. alij congesti à Cenedo ad Decretal. *collect. 63.* Barbosa *in præsenti.*

4 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione ita insurgo. Clericus degradatus omni priuilegio clericali, & ecclesiastico foro priuatus traditur Curiæ sæculari, vt debitis pœnis puniatur, *c. nouimus, de V. S. c. cùm non ab homine*, vbi latè probaui, *de iudicijs.* Ergo si in præsenti casu clericus erat degradatus, vt constat ex hoc capite 2. ibi: *degradatus*; non poterat posteà ab Episcopo excommunicari, cùm iam proiectus esset ab Ecclesia & eius iurisdictione, & maiori pœna erat afficiendus à iudice sæculari. Accedit, nam non peruenitur ad degradationem clerici, nisi priùs fuerit excommunicatus, & depositus; & tandem si incorrigibilis est, degradatur, *c. cùm non ab homine, de iudicijs.* Ergo si in pręsenti casu excommunicatio pręcesserat degradationem, ad quid posteà excommunicatur, siue ab Ecclesia abscinditur, cùm iam per priorem excommunicationem esset à communione fidelium priuatus.

5 Exponitur præsens rubrica. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est pręsens assertio, pro cuius expositione scire oportet, præsentem rubricam generaliùs concipi in hac sexta collectione, quàm in prima, vbi tantùm ita habetur? *De clerico excommunicato, vel deposito ministrante.* Immò & in aliquibus codicibus deest verbum *deposito*; sed Raymundus vt comprehenderet omnes decisiones sub hoc titulo cõpilatas, adiecit ea verba, *deposito, vel interdicto*, vt notarunt Ant. Augustin. *in notis ad dictam 5. collect.* Butrius, Panormit. Anania, & alij relati à Cenedo *in collect.* 25. *ad Decret.* & rectè, agitur enim in hoc titulo de pœnis, quibus afficiendi sunt clerici, qui cùm essent ob varios excessus modò depositi, modò excommunicati, modò suspensi, modò interdicti, contemptis Ecclesiæ clauibus se ingerunt ministerijs sacris. De depositis agitur *in c. 1. & 2. hoc tit* de interdictis, & excommunicatis *in c. 3. c. 4. c. fraternitati 6. c. fin.* De suspensis *in c. ad Apostolicæ 9.* & ideò ita generalis concipi debuit rubrica. Accedit, nam vt notarunt Hostiensis, Anton. Panormit. & alij, præsens titulus superioribus coniungitur, quia in illis actũ fuit de varijs delictis, ob quæ excommunicatio, depositio, suspensio, vel interdictum infliguntur; ideò in præsenti titulo agitur de omnibus illis, qui contemptis prædictis censuris in gradibus suis ministrarunt.

6 Depositio quid? Deinde sciendum est, quòd deponere modò significat idem, atque rem alicui custodiendam tradere, *l. 1. ff. depositi:* qua ratione etiam testium dicta depositiones appellantur *in l. 3. Cod. si minor se maiorem:* quia qui testimonium profert, quodammodo veritatem sibi notam fidei iudicis committit: modò significat idem atque auferre, seu derelinquere; quo modo etiam dicimus deponere officium: vnde quando quis officio, vel dignitate priuatur, deponi dicitur. Quare hanc pœnam propriam esse clericorum, docuerunt Bernard. Diaz *in praxi, c. 553* Suarez *de censur. disp. 30. sect. 1. num. 2.* argumento capitis 2. 50. *dist. capitis 2. de pœnit lib. 6.* quamuis aliquando extendatur ad religiosos, etiamsi clerici non sint, immò & Abbatissas, vt docet Suarez *suprà*; quia & hæ sunt personæ ecclesiasticæ. Hæc depositio duplex est, alia verbalis tantùm, alia verbalis, & realis: verbalis tantùm est, quando clericus in perpetuum deponitur ab omni officio sine spe restitutionis, *cap. Teugualdum, 11 quæst. 3. cap. presbyter, 81. dist. cap. at si clerici, §. de adulterijs, c. cùm non ab homine, de iudicijs:* post quam plerumque clerici detrudebantur olim in monasterijs pœnitentiæ peragendæ causa, *cap. tuæ, de pœn. cap. sacerdos, 85. dist.* de qua depositione aliqui accipiunt canonem 13. Concilij Arelat. 1. In illis verbis: *De his, qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur, vel vasa Dominica, vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, vt quicunque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine Cleri amoueatur.* Sed non rectè; nam in eo canone potiùs agitur de suspensione, quam nolunt Patres deinceps eo casu apponi, sed potiùs depositionem, vt docuerunt Morinus *lib. 2 exercit. cap. 55.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. regestr. 53. epist. 530.* Realis depositio dicitur, quando non sistitur in verbis tantùm, sed realiter, & solemniter clericus deponitur, & illi auferuntur ornamenta, quæ in ipsa ordinatione data fuerunt: de qua in Concilio Tolet. 4 *cap. 27.* ibi: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo iniustè deiectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, annulum, & baculum; si Presbyter, orarium, & planetam; si Diaconus, orarium & albam; si Subdiaconus, patenam & calicem; sic & reliqui gradus ea in reparatione sui recipiunt, quæ cùm ordinarentur perceperant.* Eadem repetit ex Concilio Moguntino Gratianus *in cap. Episcopus presbyter, 55. quæst. 3.* Synodus 8. *act. 7.* Cùm enim clerici ordinabantur, eiusmodi ornamentis ornabantur, vt constat ex Concilio Carthag. 4. *can. 5. cum sequent.* Aquisgran. *can. 9.* Isidoro *lib. 2. de offic. eccles. cap. 6* vnde eisdem in depositione debebant spoliari. Illustrant Langleus *lib. vlt. semestr. cap. penult. & vltimo*, Acuña *in cap. scimus, 43. dist.* Lemaistre *lib. 2. de instit. Episcop. cap. 5.* Petrus Herodius *lib. 5. Pandect. tit. 5.* & *lib. 5. tit. 4. cap. 25.* Morinus *lib. 2. exercit. cap. 55.* & alij, quos laudaui *in cap. cùm non ab homine, de iudicijs.* Aliquando Ecclesia clericos non in perpetuum deponit, sed ad tempus, *c. cùm in cunctis, §. 2. de elect. cap. tam literis 33. de testibus, c. 2. de tempor. ordin. lib. 6.* veluti donec destiterint, & satisfecerint, *Clement. 5. de decimis:* & hæc pœna propriè suspensio dicitur, licèt aliquando depositio appelletur, *c. 3. hoc tit.* & è conuerso depositio suspensio appellatur, *c. si quis Episcopus, 83. dist.* varia de suspensionis, & depositionis speciebus tradit Morinus *lib. 2. exercit. c. 3. cum sequent.* & hæc suspensio nonnunquam pro leui culpa imponitur, *c. presbyter 2. quæst. 3. c. inter, de purgat. canon.* interdum pro maiori crimine, *c. tam literis 33. de testibus, c. in loco 5 quæst. 4.*

Deinde sciendum est, depositionem modò fieri à beneficio, *c. insinuatum 53. de simonia*; modò ab officio, *c. si quis Episcopat, 50 dist. c. si quis clericus 10, 87. dist.* modò ab officio, & beneficio, *c. veritatis 8. de dolo, & contum.* quas & alias depositionis differentias doctè illustrant Morinus *lib. 2 exercit, c. 12.* Gibalin. *de censur. disp. 7. q. 13.* Depositio à beneficio priuat clericum ipso beneficio, in quo differt à suspensione, quę tantùm priuat perceptione fructuum Suarez *de censur. disp. 30. sect. 1. a. 3. & 4.* Depositio ab officio modò fit ab ijs, quæ sunt ordinis tantùm, *c. at si clerici 4. de iudicijs*, veluti cùm quis deponitur à sacerdotali officio, *c. Teugualdum 50. 11. q 3. c. latores 4. hoc tit.* vel à gradibus ecclesiasticis, *c. 2. de pœnit lib. 6.* modò ab alijs, quę sunt etiam iurisdictionis, veluti cùm quis deponitur ab Episcopali dignitate, *c. quod ad translationem, de renunc. c. vt clericorum 53. §. si quis ita, de vita & honest. cler.* aut à dignitate, honore, ordine, officio, ac beneficio, vt *in d. cap. veritatis, cap. 1. ad finem, de homicid. in 6.* Cùm à iurisdictione quis deponitur, non tantùm ipsa iurisdictione priuatur, sed ipso munere iurisdictionis, in quo differt depositio à suspensione, quia suspensus priuatur vsu iurisdictionis; licèt conueniant in eo, 7 De effectibus depositionis.

quòd

Digitized by Google

quod gesta tam per depositum, quàm per suspensum, nullius momenti sunt; quia quemadmodum ille non habet dominium iurisdictionis, ita hic priuatur actuali vsu. Suarez *d. disp. 26. sect. 2. n. 2.* & *disp. 30. sect. s. n. 7.* Cùm verò ab ordine depositio fit, vtique ipso ordine depositus nec priuatur, nec priuari valet, *cap. quod quidam 97. 1. quæst. 1. cap. ostenditur 32 de consecr. dist. 4. c. 2. 32. quæst. 7.* quia per characterem indelebilem gradus confertur, qui proinde Ecclesiæ depositione auferri non potest, vt probant Theologi scholastici *in 4. dist. 25.* Suarez *de censur. disp. 30. sect. 1 num 7.* nec in hoc plus continet depositio ab ordine, quàm suspensio, vt rectè notauit Suarez *d. n. 7.* Vnde prouenit, quòd actus ordinis (si modò iurisdictionem non requirat, vt absolutio sacramentalis) gesti à deposito, validi sint, si modò depositus debita forma, & materia vtatur cum legitima intentione, quia is retinet eandem ordinis potestatem, à qua ex diuina institutione actus valorem, & efficaciam assequitur, si cætera necessaria concurrant: quare rectè aduertit Suarez vbi suprà, *num. 7.* quòd Episcopus depositus verè ordines confert, & sacramentum confirmationis administrat; & sacerdos depositus validè consecrat, quemadmodum & suspensus, & degradatus; quia clericus depositus clericus manet, & clericus vocatur in præsenti titulo, vt notauit Panormit. *in c. 5. hoc tit. n* 2. & retinet priuilegium clericale, *c. at si clerici 4. §. de adult. cap. cùm non ab homine 10. de iudic. cap. tua 6. de pœnis*.

8 *Traditur ratio decidendi.*

His præmissis apparet iam ratio præsentis assertionis; nam cùm Ecclesia non possit actus ordinis à clerico deposito gestos nullos reddere, quemadmodum reddit inanem actum iurisdictionis ab eo celebratum, ideò propositis pœnis sæpe sæpius statuit, ne clericus depositus attingere audeat ministerium sibi interdictum; & ideò tam *in hoc cap. 5.* quam 2. statuitur, vt si Episcopus, Presbyter, aut Diaconus à suis gradibus pro certis criminibus fuerint depositi, & nihilominus attrectauerint ministerium sibi antea commissum, ab Ecclesia abscindantur, hoc est in perpetuum excommunicentur, & rectè; nam quamuis Ecclesia nō possit characterem per sacramentum Ordinis in anima impressum abolere, ac proinde nec ordinis potestate clericum priuare; valet tamen perpetuò vsum eius clerico interdicere, saltem ne ritè, & licitè exerceatur eius gradus officium, iuxta potestatem, quam habet Ecclesia ferendi censuras: quod si non seruet clericus similem prohibitionem, sed nihilominus pertinaciter contra eam agat interdictum sibi ministerium exercendo, contemptus quidem est clauium Ecclesiæ, ecclesiasticæque potestatis, & superbia, *c. fin. hoc tit.* & præsumptio dicitur *in hoc c. 2.* ibi: *præsumpserit*; & *c. latores 4.* ibi: *præsumpserit*; & in alijs, *hoc tit* seu audacia, *c. 1. hoc tit.* ibi: *ausus fuerit*; & *c. si quis Episcopus 6. 11. quæst 3. c. Salonitanæ*, ibi: *Attingere audeat, 63. dist.* & temeritas, *c. 3. hoc tit.* ibi: *Pro ausu tantæ temeritatis*. Vnde ob talem contemptum iustè clericus depositus ministrans abscinditur ab Ecclesia, & modis omnibus excommunicatur.

9 *Dissoluitur dubitandi ratio.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa; nam in præsenti non agimus de clerico degradato, Curiæque sæculari tradito, sed potiùs de clerico deposito, qui non tradebatur Curiæ sæculari. Nec interest quod *in c. 2. hoc titulo*, appelletur clericus degradatus, quia in veteribus Ecclesię canonibus sæpiùs degradatio ponitur pro depositione, & pro eo delicto, pro quo in vno canone iniungitur depositio, in alio imponitur degradatio, quasi eadem pœna, veluti in canone 44. Apost. circa Episcopum vsurarium ita cauetur: *Episcopus, &c. pecunias mutuò datas cum fœnore exigens, vel cesset, vel deponatur.* Et cùm repetitur canon hic in Synodo Nicæna, *can. 17.* & Trullana *can. 10.* ita habetur: *Clericus à diaconatu, & supra pecuniā non commodet ad vsuras, &c. quod si quis aduersùs hæc statuta venire præsumpserit, communione concessa ab ordine degradetur.* Aurelian. 3. *can. 26.* ibi: *Exactor fœnoris, aut vsurarum possessor, secundùm Patrum statuta degradetur.* Tarracon. *can. 10.* Illiberit. *can. 20* ibi: *Si quis clericorum detectus fuerit vsuras accipere, placuit degradari, & abstineri.* Quam pœnam explicat Concilium Arelat. 2. *can. 14* ibi: *Si quis clericus pecuniam dedit ad vsuram, depositus à Clero à communione habeatur alienus.* Similiter *in can 25. Apost.* ita cauetur: *Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus fornicationis, vel furti conuictus deponatur, & mox segregetur.* Quam pœnam ita explicant Patres Concilij Aurel. 3. *can. 8. Si quis clericus furtum, aut falsitatem admiserit, quia capitalia sunt crimina, communione concessa, ab ordine degradetur.* Notauit Morinus *lib. 2. exercit. cap. 15.* Vnde clericus, qui *in c. 1. hoc tit.* dicitur depositus, *in cap. 2.* dicitur degradatus. Nec obstat augmentum ipsius dubitandi rationis, quia licèt iam clericus in præsenti casu fuisset depositus pro criminibus, tamen crescente malitia, per contemptum clauium ministrando in gradu interdicto ampliùs excommunicari valet, *c. cùm non ab homine 10. de iudicijs, c. capitulum 30. de rescriptis, Clement. 2. de sent. excom.* sicut excommunicatus deponitur, *c. clerici, 63 dist. c. latores 4. hoc tit* Nec nouum est, vt pro duplici culpa duplici quis puniatur pœna, *c. vt clericorum, vers. Si quis igitur, de vita & honest. cleric.* Sunt tamen hoc casu, & similibus diuersarum rationum censuræ, & ideò nihil impedit, quod eidem personæ diuersa pœna imponatur propter diuersa delicta, vt in præsenti; sed etiam propter idem delictum, si in tantum crescat contumacia, vt omnem hanc pœnam mereatur, vt latè docet Suarez *de censur. disp. 5. sect. 2 n 4.*

10 *Exponitur cap. 3. de re iudicata in 6.*

Sed suprà traditis obstat textus *in c. 1. §. si quis autem, de re iudic. in 6.* vbi statuitur, quod si iudex ordinarius, vel delegatus, suspensus, durante suspensione se ingesserit diuinis officijs, irregularitatem contrahat, à qua non nisi per Romanum Pontificem possit absolui. Ex quo textu expressè deducitur, suspensum ab officio ecclesiastico, & adhuc temerè se ingerentem diuinis officijs, irregularitatem contrahere. Ergo non rectè in præsenti docetur, tantùm abscindendum ab Ecclesia, idest excommunicandum esse. Pro cuius textus solutione, omisso Cardinali in præsenti, qui discrimen constituit inter clericos in maioribus ordinibus constitutos, & minoribus gradibus initiatos, ministrantes post suspensionem, ita vt primi irregularitatem contrahant, secundi verò tantùm excommunicentur; quæ solutio facilè refellitur ex traditis suprà *in cap. 1.* veriùs dicendum est, ob violationem censuræ irregularitatem contrahere clericum suspensum post suspensionem celebrantem, *c. Apostolicæ 9. hoc tit.* Similiter & clericum interdictum, *c. latores 4. hoc tit.* excommunicatum, vt dicemus *in cap. sequenti.* Vnde maiori ratione depositus celebrans irregularis fit, quia omnis depositio inuoluit in se suspensionem. Nec in præsenti negatur clericum depositum celebrantem, irregularitatem contrahere, sed ampliùs esse excommunicandum eum statuitur: quo modo etiam expendi, & exponi possunt textus *in c. 1. cap. is cui 20. de sent. excom. in 6. cap. latores 4. cap. fraternitatis 6. cap. postulasti 7. §. quæsiuisti, hoc tit.* iunctis adductis in eorum commentarijs.

C A P V T III.

Alexand. III. a *Londonen. Episcopo.*

CLerici autem, si qui à suis, aut etiam de mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis interdicti, vel excommunicati ante absolutionem diuina officia celebrauerint, nisi moniti sine dilatione redierint, perpetuæ depositionis sententiam pro ausu tantæ temeritatis incurrant.

N O T Æ.

1 a LOndon.] In prima collectione, *sub hoc tit. c. 3.* legitur *Taronensi*, post Concil. verò Later. *part 26. c. 9.* legitur *Lionensi*, & in quodam Codice Tarraconensi, *Londonensi*, vt notauit Ant. August. *in præsenti*: quam literam retineo, quia in dicta prima collectione additur, *pars capitis relatam*; vnde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in c. relatum, ne cleric. vel monachi*, qui inscriptionem habet, *Londinensi Episcopo*. De diœcesi Londinensi egi *in c. 6. de consuet.*

CAPVT IV.

Idem a *Toletano Archiepiscopo*.

Latores præsentium cum tuis literis ad nostram accedentes præsentiam, suum nobis excessum pleniùs intimarunt, scilicet quòd tam ipsi, quàm alij multi, postquam interdicti & excommunicati fuerunt, diuina præsumpserint officia celebrare. Quoniam verò cum eis magnam multitudinem in hoc peccasse dicebant, nec nobis qui eorum magis, vel minùs deliquerint, innotescere potuit, negotium discretioni tuæ duximus remittendum, f. t. p. A. f. m. quat. rei veritate diligentiùs inquisita, si xl. *b* solummodò, vel pauciores in his deliquisse constiterit, omnes in perpetuum ab officio sacerdotali deponas: si verò multitudinem magnam in hoc peccasse cognoueris, eos, quos magis causam delicti esse constiterit, perpetua depositione condemnes, & alios, qui non tantùm deliquerunt, ab officio ad tempus suspendas, & omnibus pœnitentiam secundùm discretionem tibi à Deo datam iniungas.

NOTÆ.

a *Toletano.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & post Concil. Lateran. *part* 50. *cap.* 51. De Primatiali Ecclesia Toletana egi *in cap. coram, de in integ. restit.*

b *XL. solummodò.*] Pœnam minuendam esse ob numerum delinquentium, probaui *in cap. 6. de seruis non ordin. cap.* 11. *de transact.*

c *Ab officio.*] Et per consequens à beneficio, voluit Glossa *in præsenti*, sed malè, quia verius est suspensum ab officio, non semper suspensum esse à beneficio, vt probat Gibalin. *de censur. disp. 7. quæst. 12. 3 part.* & dicemus *infrà in cap. ex litteris, de excessib. Prælat.*

COMMENTARIVM.

1 *Conclusio traditur, & probatur.* Ex his duabus decretalibus sequens communiter venit assertio disputanda: *Clericus interdictus, & excommunicatus celebrans deponitur, irregularisque manet.* Probant eam textus *in c. si quis presbyter 5. c. si quis Episcopus 6. & 7. 11. quæst. 3. c. illud, §. vlt. c. ad Apostolicæ 9. c. si celebrat, de cleric. excom. c. veritatis 8. de dolo & contumacia, c. 1. §. sciturus, de re iudic. in 6. c. 1. c. is cui 18. de sent. excom. lib. 6.* Ioannes VIII. *ad Clerum Saleruitanum*, Zacharias Pontifex *epist.* 5. ibi: *Hoc inquisisti, quid faciendum sit de excommunicato Episcopo, & Apostolicam auctoritatem negligente. Hic detestabilis est coram Deo, & hominibus, cui condemnato incondemnatus non communicabit.* Carthag. *can.* 108. *Placuit, vt quicumque non communicat in prouincia propria, & in alijs prouincijs, vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis, vel clericatus excipiat.* Concilium in Germania sub Conrado Cardinali Portuensi L. S. A anno 1225. *can. 6. Multi nomine sacerdotes censuram ecclesiasticam cōtemnentes, excommunicati à Prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis, & immemores, quòd Episcopis & Prælatis clauium regni cælestis collata sit potestas, attrectare sibi diuina mysteria non verentur, &c. Statuimus igitur, vt tales sine spe restitutionis ab officijs, & beneficijs deponantur, & infames, & intestabiles sint, & de cætero ad beneficia ecclesiastica nullatenus admittantur, nisi per pœnitentiam approbatam, & conuersionem laudabilem Sedis Apostolicæ gratiam meruerint obtinere.* Innocent. III. *lib. 1. regestr. 13. epist.* 57. vbi Episcopo Zamorensi ita scribit: *Graue gerimus, & indignum, quòd cùm venerabilis frater noster Portugalen. Episcopus, post diutinas persecutionis angustias, quas à charissimo in Christo filio nostro Illustri Rege Portugalen. & eius noscitur sustinuisse ministris, euasis demùm fugę presidio custodijs violentis, bonisque suis, non solùm ecclesiasticis, verùm etiam patrimonialibus derelictis, compulsus sit pariter cum... Decano suo, & alijs, licèt paucis, tribulationis proprię participibus, pro commissę sibi Ecclesię libertate ad Sedem Apostolicam confugere quasi nudus: Canonici Portugalen. Ecclesię, quos eius, vtpote boni Patris, oppressionibus cōpati decuisset, non solùm filialis compassionis dicuntur ei subtraxisse solatium, quinimmò tantò nocentiores alijs, quantò peius familiaris solet lędere inimicus, sęuiendi aduersùs ipsum temeritate sua prębuisse videntur extraneis incentiuū, dum tam ipsi, quàm Ecclesię memoratę Portionarij excōmunicationi subiecti, diuina nō erubuerunt officia celebrare, contempto temerè interdicto primo, vel secundo per eundem Episcopum promulgato, super quo non relaxando ad Sedem fuerat Apostolicam appellatum: & periurio nihilominus vilipenso, quod ijdem Canonici dignoscuntur circa pręsens negotium incurrisse. Nolentes igitur tantam pręsumptionis audaciam relinquere incorrectā, discretioni vestrę per Apostolica scripta mandamus, & districtè pręcipimus, quòd inquisita, & cognita veritate, si rem inueneritis ita esse, Canonicos, & Portionarios memoratos, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, beneficijs ecclesiasticis, & officijs spolietis. Nisi forsan ad interuentum, & consilium prefati Episcopi, temperandū duxeritis huius canonicę disciplinę rigorem. Volumus insuper, & pręcipimus, vt circa omnia, quę pręmissa sunt, tam supra principali, quàm supra incidenti, appel. postposita, procedatis. Quòd si nō omnes, &c. Tu ergo, frater Episcope, cū eorum altero, &c. Datū Laterani III. idus Maij, P. anno tertio decimo.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in pręsenti*, Petrus Gregorius *lib. 4. partit. tit. 6. c. 1.* Couarruu. *in c. alma, p. 1. §. 8 n. 1.* Sayrus *lib 2. Thesauri, cap. 22. n. 27.* Suarez *de censur. disp. 11 sect. 3.* Alterius *eod. tract. lib. 2. disp. 1. cap. 1.* Auila *eod. tract. p. 7. disp. 9. sect. 2.* Bonacina *quęst. 3. de irregul puncto 5. num. 1.* Gibalinus *de irregul. cap 5. quęst. 2. consect. 1.* Corneio *in 3 part. disp. 6. de irregul. dub. vnic. quęst. 1.* Leander *eod. tract. disp 21. quęst. 2.*

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem argumentor ita. Irregularitas tantùm incurritur in casibus à iure expressis, *cap. is cui 18. de sentent. excomm. lib. 6.* Sed in nullo iuris testimonio inuenitur expressa irregularitas, seu statuta contra excommunicatum celebrantē diuina officia. Ergo excommunicatus celebrans, pendente excommunicatione, non manet irregularis. Probatur minor, nam suprà laudati Doctores, qui hanc irregularitatis speciem agnouerunt, eam deduxerunt *ex c. si Episcopus 6. cum sequenti, 11. quæst. 3.* & ex iuribus cōpilatis *in præsenti titulo*, vt agnouit Suarez *vbi suprà*. Sed in nullo ex eis talis irregularitas expresse statuitur. Non *in d. c. si Episcopus*, quia in eo agitur de Episcopo, aut presbytero deposito, non verò excommunicato, vt probaui suprà *in cap.* 2. vbi idem canon Concilij Antiocheni reperitur. Non *in cap. si quis Episcopus*, sequenti; quia in eo tantùm Martinus Bracharensis transcripsit dictum canonem 5. Concilij Antioch. & suæ collectioni inseruit *sub num.* 37. & in ea versione ex Græco autographo, pro *depositus*, seu *damnatus*, posuit *excommunicatus*, vt constat ex ipsa collectione Martini Brachar. quæ extat inter Concilia Hispaniæ edita à Loaysa, *fol.* 185. vnde eandem explicationē habet textus ille ac antecedens, cùm contineat eandem sententiam. Nec in præsenti titulo satis expressa reperitur prędicta irregularitatis pœna. Non *in cap. 1. & 2.* quia in eis agitur de clerico deposito, non verò excommunicato, vt in eorum notis probaui: & *in cap. clerici 3* licèt agatur de clericis excommunicatis celebrantibus, non imponitur irregularitas, nec vlla pœna, quæ incurratur ipso iure; sed tantùm iubetur, vt ita celebrantes, si moniti non desistant, in perpetuum deponantur per sententiam ferendam. Similiter *in c. latores* 4. Alexander III. tantùm comminatur sententiā ferendam. Deinde *in c. illud* 5. tantùm asserit Innocentius III. se non infligere Episcopo celebranti post excommunicationem pœnam hoc casu per sacros canones statutā; non tamen exprimit, quænam pœna illa sit. Deinde *in c. fraternitatis 6.* tantùm iubetur, clericum excommunicatum celebrantem spoliandum esse beneficijs obtentis: & de pœna etiam ab homine ferenda agitur *in c. postula-* 2 *Impugnatur assertio.*

ſulaſti 7. §. quæſiuiſti. Tandem *in c. Apoſtolicæ 9.* agitur de clericis ſuſpenſis celebrantibus, non verò de excommunicatis: vnde cùm nullo iuris teſtimonio reperiatur expreſſa hæc irregularitas, non eſt curà Doctoribus admittatur.

3 Traditur ratio decidendi. Qua dubitandi ratione non obſtante, defendenda eſt præſens aſſertio, cuius ratio, præmiſſis ijs, quæ de effectibus excommunicationis maioris dabimus *in cap. 8. de ſententia excom.* vera ratio prouenit ex eo; nam cùm ligatus maiori excommunicatione priuatus ſit perceptione ſacramentorum, & facultate ea conferendi, ſe ingerendo diuinis miniſterijs, ſacraque officia celebrando grauiter peccat, argumento capitis *ſi celebrat, hoc tit.* in contemptum clauium Eccleſię temerè vſurpando miniſterium ſacrum ſibi interdictum; quare meritò in perpetuum deponitur, & irregularis manet, vt ita puniatur in quo peccauit, *c. nullus, de temporibus ordin. lib. 6.* videlicet, quia peccauit celebrando ſacrum miniſterium illi interdictum in perpetuum, irregularis manet, vt illud ampliùs celebrare nequeat. Et irregularitatem contrahi à clerico excommunicato miniſtrante, probatur ſequentibus iuris fundamentis. Primum deducitur *ex d. cap. ſi celebrat, hoc tit.* vbi deciditur quæſtio ſatis vexata apud Interpretes, an qui minori excommunicatione tantùm ligatus Miſſam celebrauit, maneat irregularis? Quæ diſputatio, ſeu quæſtio prorſus inutilis, & ſuperflua eſſet, ſi minori excommunicatione ligatus celebrans diuina officia nullam irregularitatem incurreret: & ita argumentum, quod deducitur *ex d. c. ſi celebrat*, non eſt à contrario ſenſu, ſed à ceſſante ratione dubitandi. Secundò, nam excommunicatus ſuſpenſus eſt à proprijs ordinibus, adminiſtratione videlicet ſacramentorum, & celebratione diuinorum officiorum pro tempore, quo perſiſtit in excommunicatione: ſed ſuſpenſus celebrans durante ſuſpenſione fit irregularis, *c. Apoſtolicæ 9. hoc tit. c. 1. § ſciturus, de re iudic. lib. 6.* Igitur multò magis excommunicatus Miſſam celebrans irregularis efficitur. Quod argumentum de parte ad totum appellat Pater Suarez *vbi ſuprà*, & meo videri concludens eſt. Eodem modo arguendum eſt de clerico interdicto, qui diuina officia celebrando irregularis efficitur, *cap. is cui 20. de ſent. excom. lib. 6.* Tandem quia in præſenti textu, & *in d. c. fraternitati, hoc tit. c. veritatis 8. de dolo & contum.* clerici excommunicati Miſſam celebrantes in perpetuum deponuntur, & beneficijs iam obtentis priuantur: quæ pœna parum, aut nihil differt ab irregularitate.

4 Varij caſus reſoluuntur. Manet ergo, veram eſſe communem Doctorum ſententiam, videlicet clericum excommunicatum Miſſam celebrantem, aut diuinis officijs ſe ingerentem, irregularem manere. Vnde infertur reſolutio ad varios caſus: & primò deducitur, excommunicatum ita demùm fieri irregularem, ſi exerceat miniſterium ordinis ſibi interdictum: quare ipſe recipiens ordines non manet irregularis, ſed ſuſpenſus, *c. 1. de eo qui furtiuè, c. cùm illorum, de ſententia excom.* quia in receptione ordinis non exercet actum ſibi interdictum, vt docuerunt Couarruu. *in cap. alma, 1. part. § 6. num. 6.* Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 2. num. 57.* tametſi contrarium teneant Nauarrus *in manuali, cap. 27. num. 241.* Auila *de cenſur. part. 7. diſp. 9. ſect. 1. dub. 6* Similiter ſi quis prohibeatur ſub cenſura celebrare, & violet prohibitionem celebrando, incurrit quidem cenſuram, non tamen fit irregularis, eo quòd tunc non violat cenſuram, ſed eam contrahere videtur. Et quamuis poſt conſecrationem iam cenſuram illam incurrat, & Miſſam proſequatur, non fit irregularis, quia moraliter eſt vna actio. Suarez *de cenſur. diſp. 31. ſect. 1. num. 77.* Bonacina *de irregul. diſp. 7. quæſt. 1. puncto 5. num. 8.* Deinde ſi actus ordinis, quo violatur cenſura, fuerit inualidus ratione materiæ, aut ſubiecti, nihilominus incurritur hæc irregularitas, veluti ſi clericus excommunicatus ſolemniter baptizat infantem non debita materia; vel ſi ſacramentaliter abſoluat hominem, qui reuerà carebat dolore neceſſario ad valorem ſacramenti. Ratio eſt, quia verè violatur cenſura per exercitium ordinis. Si tamen actus fuerit nullus ex defectu ordinis, vel intentionis, non incurritur hæc irregularitas ob exercitium fictum, & dumtaxat vſum apparentem, vt docet Suarez *diſp. 31. ſect. 2. & 3. n. 16.* ſed ſi ordinis exercitium non ſit prohibitum quoad ſubſtantiam, ſed dumtaxat quoad modum extrinſecum, & accidentalem, non fiet irregularis, ſi quis eo modo exerceat: exempli gratia, ſi Epiſcopus fuerit ſuſpenſus à Pontificalibus, non incurret hanc irregularitatem, etſi Miſſam celebret cum eo apparatu, vt docent Layman *lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 3. nu. 4.* Zerola *in praxi Epiſc. verbo Irregularitas 18.* Secus eſt, ſi clericus ſuſpenſus exerceat actum, qui ſacer eſt, ratione modi accidentalis, verbi gratia ſi parochus benedicat ſolemniter nuptias, vel cæremonias ſacras baptiſmi faciat, etſi non conferat baptiſmum. Suarez *dicta diſp. 31. ſect. 3. n. 19.* Gibalin. *de irregul. c. 5. q. 2. conſect. 8.* Philiarchus *lib. 4. c. 23.* non tamen excommunicatus fiet irregularis, etſi violet cenſuram per exercitium aliquod iuriſdictionis: ac proinde poterit ferre cenſuras, & ab eis abſoluere, non tamen cum ſolemnitate ſtolæ, & precum, vt obſeruat Layman *vbi ſuprà*. Item parochus poterit aſſiſtere matrimonio, eo quòd non eſt propriè actus ordinis, ſeu iuriſdictionis, etſi contrarium tenuerit Maiolus *de irregul. lib. 3. cap. 19.* Similiter irregulares tunc fiunt Subdiaconi, & Diaconi canentes ſolemniter Epiſtolam, vel Euangelium, cùm veſtibus ſacris ſibi proprijs vtuntur; ſecus ſi Subdiaconus non vtatur manipulo, vel Diaconus ſtola: quòd ſi Subdiaconus calicem & patenam deferat ad altare, & Diacono miniſtret, probabile eſt non propterea manere irregularem, eo quòd illud non ſit munus proprium Subdiaconi: ſecus erit ſi Diaconus excommunicatus, ſuſpenſus, vel interdictus diſpenſet Euchariſtiam ex licentia, vel ſine illa, aut ſolemniter baptizet. Tandem ſciendum eſt, in hac irregularitate attendendam eſſe prauitatem materiæ, atque ita actus benedictionis Epiſcopalis abſque ſolemnitate in itinere non ſufficit ad inducendam irregularitatem, tametſi pertineat ad ordinem Epiſcopalem, *cap. Abbates, de priuil. lib. 6.* vt docent Suarez *de cenſur. diſp. 12. ſect. 2. n. 21.* Bonacina *d. q. 3. punct. 9. n. 3.* Similiter ſi clericus ſuſpenſus priuatim horas recitans dicat, *Dominus vobiſcum*, Suarez *vbi ſuprà, num. 13.* vel ſi quis faciat officium hebdomadarij in choro more monialium, vt probat Leander *de irregul. tract. 2. diſp. 20. quæſt. 19. & diſp. 21. quæſt. 15.* proſequitur alios caſus Gibalinus *d. c. 5. per tot.* & de celebrante in excommunicatione minori agemus infrà *in c. ſi celebrat*: & de excommunicato faciente coram ſe celebrare, infrà *in c. illud*, dicemus.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà adducta, qua motus perdoctus Pater Didacus de la Fuente Hurtado Societatis Ieſu, vir acutiſſimi ingenij, & omnigenæ eruditionis, quem ſub nomine cuiuſdam neoterici refert Leander *d. quæſt. 2. fol. 216.* exiſtimauit clericum excommunicatum miniſtrantem non fieri irregularem, eo ductus vnico fundamento, quia talis irregularitas non reperitur in iure expreſſa. Verùm licèt non extet canon diſertus, in quo clericus excommunicatus, vel diuinis officijs ſe ingerens pronuncietur irregularis; ſatis tamen hæc pœna exprimitur verbis æquipollentibus, quibus Eccleſia in alijs delictis irregularitatem indixit. Supponimus enim nomen hoc *irregularitas*, iure antiquo incognitum fuiſſe vſque ad tempora Innocentij III. & Gregorij IX vt pro expoſitione textus *in d. c. ſi quis Epiſcopus 6. & 7. 11. quæſt. 3* notarunt *in cap. ſi celebrat, hoc tit.* Anton. *num. 13.* & Additionator Panormit. *num. 6. litera E, columna 4.* Vnde tam Innocentius, quàm Gregorius vti cœperunt prædicto verbo *in cap. niſi cùm pridem, de renunc. cap. ſi celebrat, hoc tit.* Quare in Decreto Gratiani nulla mentio ſit irregularitatis; & tamen in canonibus in eo compilatis plerumque imponitur irregularitas varijs verborum formulis, quas referunt, explicantque Suarez *de cenſur. diſp. 40. ſect. 8.* Maiolus *de irregul. lib. 1. c. 1.* Vnde rectè communiter omnes, tam Theologi, quàm Iuriſperiti de irregularitate ſcribentes, in hoc caſu irregularitatem agnoſcunt, eamque probant ex præſentibus capitibus 3. & 4. & non malè deducitur *ex d. c. veritatis 8. de dolo & contumacia*: quem textum adhuc à nemine perpenſum vidi; faciuntque irrefragabilia argumenta ſuprà pro ratione decidendi adducta. 5 Diſſoluitur dubitandi ratio.

CAPVT V.

Idem *Capitulo* a *Herbipolensi*.

ILlud Dominus in beato Petro. *Et infra*: Ven. f. n. quondam Ildesemensis *b* Episcopus, Imperialis aulæ Cancellarius, non attendens quòd multa sunt, quæ præter specialem auctoritatem Ap. Sed. de iure non possent, nec deberent impunè ab aliquibus attentari, vtpote *c* cessiones, & translationes Episcoporum, & alia, quæ nota sunt vobis; non solùm non obtenta licentia, sed nec etiam postulata, Ecclesia Ildesemensi relicta, Herbipolen. Ecclesiam occupauit. *Et infra*: Vnde nos præsumptionem ipsius debita volentes animaduersione punire, v. f. n. *d* Magdeburgen. Archiepiscopo, & alijs quibusdam in Teutonia constitutis dedimus in mandatis, vt cùm factum ipsum non posset in partibus illis non esse notorium, nisi dictus Episcopus infra xx. dies post susceptionem literarum, quas super hoc ipsi direximus, ab Herbipolen. Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum publicè nunciarent, & excommunicationem eius facerent pulsatis *e* campanis, & candelis accensis, festis diebus, & Dominicis innouari: quod idem Magdeburgen. studuit adimplere. *Et infra*: Ipse verò Episcopus in nostra postmodùm præsentia constitutus, etsi suum recognosceret, & confiteretur excessum, & non iudicium, sed misericordiam postularet; hoc tamen inter alia in suam excusationem proposuit, quòd cùm dictus Magdeburgen. non esset ordinarius iudex eius, non crediderat, quòd admonitione non *f* præmissa, auctoritate delegata posset procedere contra ipsum, aut sententiam in eum aliquam promulgare. Vnde cùm nec ante factum commonitorias, nec post factum literas ab eo aliquas accepisset, peccare non credidit, si diuina officia, quantumcunque solemniter, celebrauit, præsertim cùm ei non nisi per *g* famam de sententia contra eum prolata constaret. Quòd autem postquam se nouit excommunicatum à nobis, diuina sibi fecerat officia *h* celebrare, & communioni fidelium se ingesserat frequenter, id non in contemptum Ap. Sed. vel etiam tanti Sacramenti, sed spe veniæ asserit se fecisse, ne videlicet induresceret ampliùs, vel diutiùs eius animus proteruiret, si nunquam diuinis officijs interesset: licèt in diebus solemnibus nunquam se celebrationi diuinorum ingesserit, & cum paucis in angulo alicuius Ecclesiæ occultè non festiuis diebus diuina sibi fecerit interdum officia celebrari. Licèt autem in primo capitulo non videatur omninò culpabilis extitisse, quia tamen in dubijs via est tutior eligenda, etsi de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs abstinere, quàm sacramenta ecclesiastica pertractare. Illud autem, quòd sub spe veniæ diuina sibi fecit, postquam se à nobis excommunicatum nouerat, celebrari, & fidelium orationi se ingessit, potiùs contra eum facere credimus, quàm pro eo; cùm ex fiducia pœnitentiæ non debuerit deliquisse, & excommunicatos non vitare, multò *i* magis quàm non vitari periculosum extat: non vitare siquidem, cùm in eo sit, excommunicatus sine delicto non potest; sed cùm ex alijs pendeat, sine suo peccato poterit non vitari: & ita cum eo misericordiam facientes, *k* pœnam, quam canon ijs, qui post excommunicationem diuina præsumpsissent officia celebrare, vel qui celebrationi se ingesserint diuinorum; ei non duximus infligendam.

NOTÆ.

1 a HErbipolensi.] Ita etiam legitur in tertia compilatione, *sub hoc tit. c.* 1. sed cùm non extet præsens epistola Innocentij inter editas à Sirleto, & Bosqueto, ideò integram restituere non possumus: huius tamen translationis Hildesemensis Episcopi mentio extat *in c. quanto, de translat. Episcop.* vbi de diœcesibus Herbipolensi, & Hildesemensi nonnulla notaui *in d. cap. quanto, de transl. Episcop.*

2 b *Episcopus*.] Conradus videlicet à Rabenspurg, Philippi Regis Romanorum Cancellarius, dehinc Lubecensis, demùm Hildesemensis, tandem Episcopus Herbipolensis, vt refert Bucelinus Germaniæ sacræ *part. 1. in serie Episcoporum Hildesemensium*.

c *Cessiones, & translationes*.] De quibus, & earum prohibitione, latè egi *in c. 1. de renunc. cap. 1. de translat. Episcop.*

d *Magdeburg*.] Literæ huius delegationis extant *in cap. quantò, de translat. Episcopi.*

e *Pulsatis campanis*.] Iuxta morem pronunciandi anathema, quem illustraui *in cap. cùm non ab homine* 10. *de iudic.*

3 f *Admonitione non præmissa*.] Quæ excusatio incongrua non videbatur, siquidem excommunicatio proferri non potest, nisi præcedente trina monitione, *cap. sacro* 48. *de sent. excom.* sed verbum hoc *admonitio*, non est accipiendum de monitione, quæ præcedere debet quamlibet censuram, sed de admonitione, quam debet facere quilibet iudex delegatus literarum suæ delegationis, antequam illis vti incipiat, iuxta textum *in cap. cùm in iure*, & ibi tradita, *de offic. delegat.* vnde rectè Conradus in præsenti aiebat, quòd cùm Magdeburgensis Archiepiscopus non esset ipsius iudex ordinarius, sed vt delegatus procedere, debebat priùs intimare literas suæ delegationis; & ideò Innocent. dixit, propter hanc excusationem non extitisse omninò culpabilem.

g *Famam*.] Similis excusatio opposita, & reiecta fuit *in cap. 1. de postul Prælat.* 4

h *Celebrare*.] Vnde dubitari poterat de ipso celebrante coram Episcopo excommunicato, necnon de Episcopo iubente coram se celebrare, an irregulares euaderent? Et quoad ipsum celebrantem certum est, non manere irregularem, *ex cap. is cui* 18 *de sent. excom.* & docent Suarez *d. disp.* 12. *de censur. sect* 1. *num.* 10. Alterius *eodem tract. disp.* 13. *lib.* 1. *cap* 2. Ratio est, quia hæc irregularitas imponitur violanti propriam censuram, & exercenti ministerium ordinis sibi prohibitum, propter contemptum, qui hoc casu non datur. Ex eadem ratione dicendum est, Episcopum in præsenti specie iubendo coram se diuina officia celebrari, irregularitatem non contrahere, cùm ipse per se non exerceat ministeriū sibi interdictum, nec violet censuram ipse celebrando, vt pluribus relatis resoluit Diana *part.* 4. *tract.* 2. *resol.* 57.

i *Multò magis quàm non vitari*.] Sed cùm correlatiua sint, & quasi duo extrema excommunicatus, & alij, qui eum vitare debent, quomodo periculosius esse poterit communicare, quàm communicari? Sed dicendum est, quòd etsi pares sint, non adeò pares iudicantur, quominus secundùm rectam rationem ex parte materiæ maior sit obligatio excommunicati vitandi alios fideles, quàm fidelium vitandi ipsum excommunicatum: tum quoniam ratio illius pœnæ, & culpa in ipso est: tum etiam, quia prohibitio hæc communicandi magis directè in ipsum tendit, vt docuit Balboa *in c. exceptionem* 12. *de except.*

k *Pęnam*.] Depositionis videlicet perpetuæ, iuxta tradita *in c.* 4. *hoc tit.* ex quo commentario, & ex adducendis *in cap. ad Apostolicæ, hoc tit.* pręsens commentarium petendum est. 5

C A P V T VI.

Idem a *Bisuntino Archiepiscopo.*

FRaternitati tuæ. *Et infrà*: Presbyteros autem,& alios clericos tuæ diœc. qui pro suis excessibus à te nexibus anathematis canonicè innodati præsumpserunt, vel præsumunt diuina officia celebrare, rationabiliter potes omnibus beneficijs ecclesiasticis spoliare.

N O T Æ.

BIsuntin.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.2.* & *in cap. fraternitati, de eo qui cognouit consanguin.* & *in cap. fraternitati, de schismatic.* vbi extant aliæ partes huius decretalis. De Bisuntina Metropoli egi *in c.14. de accusat.* & commentarium huius textus dedi suprà *in c.4.*

C A P V T VII.

Idem *Maiori Decano, & Priori* a *Coloniensi.*

POstulasti per Sed. Ap. edoceri. *Et infrà*: Consequenter quæsiuistis, vtrùm clerici, qui dum essent excommunicationis vinculo innodati, ecclesiastica beneficia sunt adepti, eadem postquam absolutionis beneficium obtinuerunt, licitè valeant retinere: postulantes nihilominus, qua pœna corripi debeant Abbates & Abbatissæ, & alij Ecclesiarum Prælati, qui scienter clericis excommunicationi subiectis ecclesiastica beneficia contulerunt. Ad quod vobis taliter respondemus, quod cum excommunicatis *b* communicari non debeat, clericis excommunicationis vinculo innodatis ecclesiastica beneficia conferri non possunt, nec illi valent ea licitè retinere, nisi forsan cum eis fuerit misericorditer dispensatum, cùm ipsa non fuerint canonicè consecuti. Illi verò, qui scienter illa beneficia talibus contulerint, tamdiù debent à beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur, vt puniantur in hoc, in quo delinquere præsumpserunt.

N O T Æ.

a COloniensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* non tamen extat præsens epistola inter editas à Sirleto, & Bosqueto: quare integra eius caremus. De Coloniensi Germaniæ diœcesi egi *in c.7. de ætate, & qualitate*: & commentarium dabimus sequenti textu.

b *Communicari.*] *Cap. significauit, de sent. excom.* vbi latè diximus.

§.

QVæsiuistis præterea, qualiter puniri debeant clerici, vel monachi, necnon & moniales Ecclesiarum conuentualium, qui post latam sententiam in locis suppositis interdicto præsumpserunt hactenus, & adhuc etiam non verentur diuina officia celebrare, quamuis propter hoc sint excommunicationis vinculo innodati. Ad hoc breuiter respondemus, quòd clerici, qui talia præsumpserunt, sunt ecclesiasticis beneficijs *a* spoliandi. Monachi verò, vel moniales in arctioribus monasterijs ad peragendam sunt pœnitentiam recludendi.

N O T Æ.

SPoliandi.] Et hodie clerici violantes interdicti localis censuram scienter, manent irregulares, *c. is qui 18 c. si cui 20. de sent. excom. lib.6.* docent plures congesti à Leandro *de irregul. tr.2 disp.21. q.10* Sed cùm in Ecclesia generaliter interdicta possint celebrari licitè diuina officia, seruatis conditionibus præscriptis *in c. alma, de sent. excom. lib.6* inde non erit irregularis, qui eo modo celebrauerit: immò etiamsi vna ex eisdem conditionibus omittatur, non ideò incurritur irregularitas, eo quòd non videtur graue peccatum omissio vnius cõditionis, vt tenent Torres *de censur. disp.49. dub 5.* Gibalin *de irregul. c.5. q 2. consect.9 n.22.* Diana *p.5. tr 10. resol 65.* Similiter irregularis non manet, si faciat actum non spectantem ad exercitium ordinis, veluti si pulset campanas, ianuas aperiat, vel præbeat auctoritatem celebrationi diuinorum officiorum, vt cum alijs resoluit Leander *de irregul. tr.2. disp.23. q 6.* qui per totam illam disputationem varios casus resoluit circa hanc irregularitatem ex violatione interdicti prouenientem. De interdicto autem, & eius vsu nonnulla adduxi *in c.2. de his, quę fiunt à Prælatis.*

C A P V T VIII.

Idem *Decano, & Subdecano* a *Pictauiensi, & Magistro P. Amico de Longouado, canonico* b *Pictagoricensi.*

3 PRopofuit olim dilectus filius Magister P. clericus ven. f. n. Episcopi Tusculani, coram dil. fil. P. sanctæ Luciæ ad Septa Sol. Diacono Cardinali, quem sibi, & Pœnitentiario *c* Lemouicensi concessimus auditorem, quod dil. fil. G. sanctæ Mariæ in Porticu Diacono Cardinali in partibus illis Ap. Sed. legationis officio fungente, quidam de Lemouicensibus Canonicis ei humiliter supplicarunt, vt in eorum Ecclesia, quæ debito fraudabatur seruitio clericorum, Canonicos ordinaret, pro se, ac Magistro eodem scriptore nostro preces specialiter porrigentes. Ipse verò Lemouicensem ciuitatem ingressus, Canonicos interpositis precibus monuit, vt illos reciperent in socios, & in fratres, maximè cùm quinque præbendæ, vel quatuor ab vltima ipsius Ecclesiæ ordinatione vacassent. Qui monitione ipsa deuotè suscepta, deliberationis inducias petierunt, post quas primò, & secundò concessas, non curantibus respondere, de duabus præbendis Lemouicen. Ecclesiæ Cardinalis

prædi-

prædictus eosdem clericos inuestiuit. *Et infrà:* Si verò probaret ipsum excommunicatum tunc temporis extitisse, non postponerent, quod de ipso factum fuerat, reuocare. Qui mandatum Apostolicum exequentes, vtriusque partis receptis testibus, rationibus, & allegationibus intellectis, eandem causam sufficienter instructam ad nostrum remiserunt examen. Cùm autem propter hoc tam sæpedictus Magister, quàm Pœnitentiarius in nostra fuissent præsentia constituti, & acta ipsa inspici fecerimus diligenter, & per Pœnitentiarij testes intellexerimus factam fidem, quòd Vv. fr. noster Lemouicen. Episcopus pluribus annis antequam Magister P. fuerit inuestitus, & clericos, & *d* burgenses castri Lemouicensis, atque eundem P. nominatim, quem eorum dicebat consiliarium, & fautorem, vinculo excommunicationis astrinxit. Per testes verò Magistri. P. probatur, quòd etsi dictus Episcopus in burgenses, & eorum fautores, tam clericos, quàm laicos Lemouicen. excommunicationis sententiam protulisset; eos tamen antè per tres annos absoluit, quàm Magister fuerit inuestitus, quibusdam presbyteris vsque ad certum tempus in excommunicatione retentis, qui contra sententiam interdicti præsumpserant celebrare; quodque idem Episcopus dicto Magistro communicauit posteà in Ecclesia, & in mensa. His igitur, & alijs, quæ vtraque pars proposuit coram nobis, intellectis, quia iuxta mandati nostri tenorem suprascriptum Magistrum P. inuestituræ suæ tempore à prædicto Episcopo excommunicatum extitisse dictus Pœnitentiarius, sicut obtulerat, non probauit, cùm ex aduerso de absolutione, & communicatione dicti Episcopi fides fuerit facta, quod per dictum Legatum de memorato Magistro P. factum est, de fratrum nostrorum consilio per diffinitiuam sententiam duximus approbandum.

NOTÆ.

a PIctauien.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.1.* non autem reperitur hæc epistola inter editas à Sirleto, & Bosqueto, quare eius integra caremus. De Pictauiensi diœcesi nonnulla adduxi *in c.20. de rescript.* Similis autem missa Petro Canonico Lemouic. reperitur in editione Bosqueti *lib.1. reg.3. epist.201.* quam vt conferas cum præsenti libenter transcribo: [Proposuisti dudum coram dilecto filio P. S. Luciæ ad Septa Solis Diacono Card. quem tibi, & Pœnitentiario Lemouicen. concessimus auditorem, quòd cùm dil. fil. nostro G. sanctæ Mariæ in Porticu Diac. Cardin. tunc in partibus illis Ap. Sed. Legato, quidam de Lemouicen. Canonicis supplicassent, vt in eorum Ecclesia, quæ debito fraudabatur seruitio, clericos ordinaret, pro te, ac Magistro A. scriptore nostro preces specialiter porrigentes, ipse Lemouicen. ciuitatem ingressus, canonicos interpositis precibus monuit, vt vos reciperent in socios, & in fratres, maximè cùm quinque præbendæ, vel quatuor ab vltima ipsius Ecclesiæ ordinatione vacassent. Qui monitione ipsius deuotè suscepta, deliberatorias inducias petierunt: post quas primò & secundò concessas, eis non curantibus respondere, de præbendis Lemouic. vos inuestiuit Card. prædictus, stallum in choro, & locum in Capitulo vobis præcipiens assignari: quod quorumdam impediente malitia, non extitit executioni mandatum. Vnde cum instantia postulastis, vt quod à Legato factum fuerat, faceremus firmitatem debitam obtinere. Verùm Pœnitentiarius proposuit ex aduerso, quod antequam Legatus præbendas contulisset easdem, Lemouicense Capitulum ab eius grauamine appellauit, tam Episcopi, quàm multorum Canonicorum Lemouicen. qui erant in exercitu contra Hæreticos, absentiam allegando. Asseruit insuper facultates Ecclesiæ diminutas, & vos sufficienter in alijs Ecclesijs præbendatos, proponens te fore simoniacum, & ingratum Lemouic. Ecclesiæ, ac eo tempore, quo fueras de præbenda Lemouicen. Ecclesiæ inuestitus, excommunicatum ab eodem Episcopo extitisse. His autem, & alijs per Cardinalis relationem auditis, cùm conuenissemus postmodùm eundem Pœnitentiarium per nosipsos, per responsiones ipsius cætera esse friuola, præter id quod de sententia excommunicationis contra te proposuerat, intelleximus euidenter. Vnde ven. f. n. Archiepiscopo, & dilectis filijs Magistro M. Canonico Bituricen. & H. Cellerario S. Frõtonis Petragoricen dedimus in mandatis, vt nisi Pœnitentiarius infra mensem post commonitionem eorum, te legitimè à sæpefato Episcopo tempore inuestituræ tuæ excommunicatum fuisse probaret, quod per dictum Legatum de te factum extiterat, sublato ap. ob. confirmarent. Si verò probaret, te excommunicatum tunc temporis extitisse, non postponerent, quod de te factum fuerat, reuocare. Qui mandatum Apostolicum exequentes, vtriusque partis receptis testibus, & confessionibus, ac allegationibus intellectis, eandem causam sufficienter instructam ad nostrum remiserunt examen. Cùm autem propter hoc nuper tam tu, quàm dil. fil. G. Lemouic. Capituli procurator, in nostra fuissetis præsentia constituti, & acta ipsa inspici fecerimus diligenter, per Pœnitentiarij testes intelleximus factam fidem, quòd Lemouic. Episcopus pluribus annis, antequam tu de præbenda iamdicta fueris inuestitus, Clericos, & Burgenses Castri Lemouicen. & te nominatim, quem eorum dicebat consiliarium, & fautorem, vinculo excommunicationis adstrinxit. Per testes verò tuos extitit manifestè probatum, quòd etsi dictus Episcopus in Burgenses, & eorum fautores excommunicationis sententiam tulerit, & tu apud Sedem Apostolicam adiutor extiteris eorumdem: idem tamen Episcopus generaliter vniuersos Burgenses, & eorum fautores, tam clericos, quàm laicos, ante tres annos absoluit, quibusdam presbyteris vsque ad certum tempus retentis, qui contra interdicti sententiam præsumpserant celebrare; quodque idem Episcopus tibi communicauit posteà in Ecclesia, & in mensa. His igitur, & alijs, quæ fuerunt hinc inde proposita, intellectis, quia iuxta mandati nostri tenorem te inuestituræ tuæ tempore à præfato excommunicatum Episcopo extitisse dictus Pœnitentiarius, sicut obtulerat, non probauit; cùm ex aduerso de absolutione, ac communione dicti Episcopi fuerit facta fides: quod per dictum Legatum de te factum est, de fratrum nostrorum consilio per definitiuam sententiam duximus approbandũ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autẽ. &c. vsque *incursurũ.* Datũ Lateran. IX. Kal Februarij, P. N anno XIII.

b *Petragoricen.*] Petragoricensis vrbs est in Gallia, ad fines Aquitaniæ secundæ, sita in aspera, molestaque regione, quæ à petris nomen videtur accepisse. Habuit Ecclesiam Cathedralem iam à primis Ecclesiæ sæculis, cuius Præsulum seriem retulit Chenu *in chronol. Galliæ.*

c *Lemouicen.*] Quæ Ecclesia etiam est in Gallia, vt iam notaui *in cap.17. de maiorit. & obed.*

d *Burgenses.*] De Burgensibus egi *in c. Abbas, de his quæ vi.*

COMMENTARIVM.

IN hoc textu, & *in cap. postulasti*, suprà hoc titulo, agitur de excommunicatis electis ad beneficia ecclesiastica; & in vtroque docetur, excommunicatum tempore, quo persistit in ipsa excommunicatione, incapacem esse beneficij ecclesiastici; immò collationem ipsi factam ipso iure nullam esse. Ratio in promptu est, quia beneficium præcipuè datur propter officium, *c. cùm secundùm. de præb. c. fin. de rescript. in 6. c. concessa* 12. *q.* 2. *c. generaliter* 16. *q.* 1. *c. ex literis, de excessib. Prælat.* ideóque cùm excommunicatus sit ipso iure suspensus ab officij executione, incapax quoque est beneficij, quod propter officiũ datur. Accedit, quia communicatio cum excommunicato prohibita est, *c. cum excommunicato* 11. *q.* 3. dicemus latè *in c significauit. de sent. excom.* sed collatio beneficij fieri non potest sine communicatione, *d. c. postulasti.* Ergo excommunicatus incapax est collationis beneficij, vt probant præsentem doctrinam varijs ampliationibus, & limitationibus exponentes, plures congesti à Barbosa *in præsenti*, & *lib.* 3. *iuris ecclesi. c.* 13. *n.* 136. Ricciulus *lib.* 4. *de iure person. c.* 6. *per totum*, Iul. Lauor. *de elect. canonic. c.* 16. *n.* 85. Petrus Gregor.

Gregor. *lib.4. partit. tit.16. c.7.* Suarez *de censur. disp.13. sect. 1.* Castropalao *tom.6. disp.2. punct.10.* Hierouymus Garcia *tom.2. polit. reg. tr.9. diffic.4. dub.5.* Valensis *de beneficijs, tit.21. per tot.* Citonius *ad tit. de elect.* Tapia *2. tom. catenæ mor. lib.5. p.5. art.9.* Tantùm potest optare beneficium, quia id in facto consistit, nec mutatur titulus, vt probant Valensis *vbi suprà, n.11.* Moez *in c. fin. de consuet. lib.6. n.10.* Nec obstat, quod excommunicatus non gaudet fructibus beneficij, *c. pastoralis, §. verùm, de appellat.* quia optio non spectat propriè ad fructus. Nec etiam contrarium probat textus *in c. referente 7. de præb.* quia in eius specie absolutio necessaria non fuit ad validitatem optionis; sed quia erat excommunicatus ob eandem causam, quæ pendebat coram Pontifice, iuxta textus *in c. prudentiam, §.6 de offic. deleg. c. venerabili 6. de sent. excom. lib.6.* Videndus est Fr. Hieron. Garcia *vbi suprà*, qui fusè de hac incapacitate excommunicati ad beneficia agit.

C A P V T IX.

Gregorius *I. & I. Canonicis* a *Pragensibus*.

APostolicæ Sed. *Et infra*: Verùm quia tempore suspensionis *b* ignari *c* celebrastis diuina, vos reddit ignorantia *d* probabilis excusatos. Cæterùm si fortè ignorantia *e* crassa, & supina, aut erronea fuerit, propter quam dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate Apostolica indulgemus.

N O T Æ.

a PRagensibus.] Ita etiam legitur *in cap. ad Apostolicæ, de except.* 1 vbi extat alia pars huius Decretalis, vt iam ibi notaui pro vera huius textus inscriptione.

b *Ignari.*] Ignarus est, qui ex toto nescit, quod scire debebat, vt *ex cap. vlt. 37. dist.* docent Anton & Panormit. *in præsenti, n.4.* iuxta quos ignorantia differt à nescientia, quòd ignorantia propriè est ignorare ea, quæ quis scire debet; nescientia verò est, quando quis ignorat quæ scire non tenetur. Et ignorantia semper sumitur in malam partem pro eo, quod quis scire debet, & ignorat, *c.1. 38. dist. cap. ideò 15. §.1. 37. dist.* Sed licèt hæc duo vt diuersa proponantur *in l. vlt C. per quas personas*; tamen promiscuè ponuntur *in l.2. ff. quis ordo in bonor. possess.* docet Costa *de facti scient. & ignor. in spect. 80. n.10.* Etiam error differt ab ignorantia, *l. si me in vacuam 34. §.1 ff. de acquir. possess.* Error enim tantùm datur, cùm quis aliud pro alio putat, seu credit vnum, quod est aliud, *cap. in quibus 6. 22. q.2. cap. quamuis 11. 34. dist. l. error, ff. de iuris & facti ignor.* vbi Cuiac. Gilkenius *de præscript. part 2. membr.1. c.3. n.4. & 5.* Denique dubitatio datur, quando quis inter scientem, & ignorantem medius, & dubitans est, *l. si quis 41. ff. ad leg. Aquil. l. de statu 15. ff. qui testamenta, l. qui in aliena 6 §. si is qui putabat, ff. de acquir. hæredit. l. fin. Cod. de condict. indeb.* Costa *dicta in spect. 80. n 10.* Ignorantiam variè describunt Marsilius Ficinus *ad Platonem*, Donellus *lib.1. comment. c.18.* Bajo-Arroyo *in repetit. ad textum in c.2. de constit. in 6.* Ciphanius *in l.10. Cod. de iur. & fact. ignor.* Bronchorst. *cent.2. assert.36.* Hunnius *ad Treutl. volum.1. disp.22. q 15.* Cortasius *in d. l.10* & communiter diffiniri solet, vt sit simplex priuatio scientiæ. Etiam variè diuiditur per Interpretes ex parte obiecti, seu materiæ: alia est ignorantia iuris, alia verò facti, prout diuidit, & vtriusque exempla adducit Consultus *in l.1. ff. de iur & fact. ignor. cap turbatur 12. §. notandum, cap. vlt 1. q.4* Igoorantia iuris datur eo casu, quo lex, vel prohibitio ad hominis notitiam non peruenit. Ignorantia verò facti, quando ex actione hominis aliquod factum resultat, quod nec preuisum, nec cogitatum fuit. De vtraque vltra suprà laudatos agunt Cuiac. *in comment. ad tit. ff. de iur. & facti ignor.* & *lib.44. Pauli ad edict. in l.1. ff. eod* & *lib.19. qq. Papin. in l.7. ff. eod.* & *lib.1. diffinit. in l.8. ff. eod.* Duarē *ad tit. Cod. de iur. & facti ignor.* Baptista Costa *de facti scientia in spect. 81. n.1.* Ex parte subiecti diuiditur ignorantia in eam, qua quis ignorat, quod non oportet eum scire, & ideò appellatur ignorantia iusta, seu inuincibilis, quia moraliter vinci, & expelli non potest; & in voluntariam, quæ ex voluntate procedit: & quia non est culpa, nec causa colpæ, inculpabilis appellatur in præsenti textu. Alia verò ignorantia est directè voluntaria, quæ affectata vocatur *in c.2. de temporib. ordin. lib 6.* de qua Glossa verbo *Scienter, in Clement. vnica de consanguin. & affin.* Alia verò est voluntaria indirectè, quæ scilicet procedit ex nimia negligentia, seu ob prauitatem magni desiderij, quando per eum stat, quominus oppositam scientiam habeat, quæ ideò appellatur voluntaria, vincibilis, simulata, iniusta, non probabilis, & dissoluta à Papiniano *in l. cùm sex 55. ff. de ædilit. edict.* crassa, supina, & erronea in hoc textu, & *in c.1. de ordinatis ab Episcopo, c.2. de constit. in 6. l. nec supina 6. ff. de iur. & facti ignor. l.4. ff. quod vi aut clam.* Docent Couarr *in c. alma, 2. part. §.10. n.7.* Suarez *de censur. disp.4. sect.8. n.4.* Costa *d. in spect. 81. ex n.80.*

His suppositis in hac materia, prima regula est, ignorantiam facti excusare tam in lucris, quàm in damnis, 2 *l.4 8. & 9 ff. de iuris & fact. ignor. l.6. & 7 C. de condict. indeb. l.2. §.15 ff. pro emptore*, nisi in lege ipsa expressè caueatur de ignorantibus, vt *in l.1. § 5 ff. de his qui deiecerunt, l.1. C. de falsa monet.* vel si quid intra continuum tempus iubeatur, *l.6 ff de calumn. l.5. C. ad leg. Iul de adult.* aut si ignorantia crassa sit, *l.6. ff. de iur. & facti ignor. iuncta l. palam 44 ff. de ritu nupt. c. penult. 37. dist. c. cùm inhibitio, § 1 de clandest. desponf. c. eos, de tempor. ordin. lib.6.* aut nisi lex exigat, vt fiat scienter, *c. à nobis 2. de except. c. Episcopus 11. q.3. Clement. vnica de consanguin. & affin. c.1. de eo qui cognouit consanguin. vxor. l. fin. C de decret. ab ordine.* Secunda regula est, ignorantiam iuris regulariter nocere, præcipuè in lucris, *l. in bonorum 10 ff. de bonor. possess. l. nunquam 31. ff. de vsucap. l. penult. Cod. de his qui sibi adscribunt:* non tamen in rebus amittendis, *l.5. ff. si quid in fraudem patroni;* non autem nocet fœminis, rusticis, militibus, & minoribus, *l.1. l.11. l. penult. ff. de iur. & facti ignor. l. fin. C. de iure delib. l.2. de in integr. restit.* prosequuntur exceptiones, & ampliationes harum regularum Donellus *d. lib.2. ex c.28. vsque ad fin.* & *lib.14.* Bajo-Arroyo *in d. c.2. de constit. in 6.* & in hac parte obseruandi sunt textus *in l. cùm verò 26. §.1 ff. de fideicommiss. libert l. cùm sex 55. ff. de ædilit. edict. l.11. C. qui petant tutor. l. si Titio 48. ff. de fideiuss. l.1 ff de distract. pign l. fin §. licèt, ff. de publican. l. cùm post 43. §.1 ff. de administr. tut. l.2. §. generaliter, ff. de doli except l.4. § si in arbitrium, ff eodē, l. si filius, in fine, C. si certum petatur, l. Papinianus, ff. de public. l. Titius 25. §. vlt. ff. de liber. & posth. l. si procuratorem 8. §. si ignorantes, ff. mandati, l.21 §. vlt. l.37. ff. de ædilit. edicto, l. miles 11. ff. ad leg. Iul. de adult. l.14. ff. de publican.* iuncto Cuiacio *in l. regula, ff. de iur. & facti ignor. l.2 ff. si is qui testamento liber. l. cùm filius 49. §. in hac, ff. de V.O. l.3. l.11. ff. depositi*, iuncto Fabro *de cod.25. error.7. l 5. § si quis contra 3. ff. de leg. præstand. l. de die, §. seruus, ff qui satisd. cogantur, l. Diuus, ff. ad leg Corn de falsis, l.2. ff. de iure fisci, l.5. §.1. ff. de his quæ vt indign. l.12. ff. de nouat.* iuncto Fabro *lib.12 coniect. c.11. l.3. §. si quis ignorans*, & *§. si conditioni, l. propter 21. §.1. ff ad Syllan. l.1. §.2 ff. si quis omissa causa, l.17. C. de his quæ vt indign. l.11. in princip. ff. si quid in fraudem patron. l.23 ff. de neg. gest. l.87. ff. de leg.2.*

Illud tamen summè notandum est, ignorantiam facti non præsumi, 3 *l. quamquam 7. ff. ad Velleian. l. qui se pupillum 46. ff. de acquir. hæredit. l. quisquis 15. C. de rescind. vendit. cap. cùm illorum 32. de sent. excom.* argumento legis vltimæ *ff. pro suo:* & ideò non est probabilis ignorantia, nec excusat, nisi talis probetur, *l. si hæres 68. §.1. ff. ad Trebel.* Costa *vbi suprà, in spect. 85. n.5.* immò nec ignorantia facti alieni excusat, quando ratione officij, vel alio respectu quis tenetur illud inuestigare, iuxta legem *qui cum alio 19. ff. de R. I. cap. turbatur, § notandum, 1. q.9.* hæc enim crassa, & supina ignorantia iudicatur, *ex l. si duo 38. ff. de acquir. hæred. l. qui & diuinis 24. 11. q.2. cap. fin. 16. dist. c.2. de tempor. ordin. lib.6.* Ignorantia etiam iuris naturalis, & gentium omnibus damnabilis est, *c. turbatur 12 §. item 1. quæst.4. cap. ideò 15. §. vlt. cum sequent. 37. dist. cap. qui quandiu 10. 38. dist.* & ideò non excusat

Digitized by Google

cusat à delicto, nec à pœnis, *l. si adulterium* 38. §. *quare*, *ff. ad leg. Iul. de adult. l.* 2. *C. de in ius voc.* ex ratione textus *in cap. si cupis* 5. 16. *q.* 1. Similiter & iuris positiui ignorantia probabilis non est, quia quilibet paterfamilias potest per se, vel peritiores consulendo scire, *l. in bonorum* 10. *ff. de bonor. possess. l.* 2. *§. fin. ff. quis ordo in bonor. possess. l.* 2. *l. regula* 9. *§. sed iuris, ff. de iur. & facti ignor.* Quod si non faciat, culpabilis eius ignorantia erit, *ex cap. si culpa* 9. *de iniurijs*. Vnde non excusat in delictis. *l.* 1. *d. leg. regula* 9. *l.* 1. *C. eod. tit. l.* 3. *ff. ad Macedon. l. fideiussor* 29. *§.* 1. *ff. mandati, l. liberorum* 11. *§. notatur, ff. de his qui notant. infam. c.* 1. *cap. si in laicis, cum seq.* 38. *dist. d. cap. nouit, §. item.*

4 c *Celebrasti diuina.*] Verbum *celebrare*, significat solemniter agere, *cap. in his* 30. *de priuil. cap. vt clericorum* 13. *de vita & honest. cleric.* Verbum autem *diuina*, significat diuina officia, *c.* 3. *c.* 4. *c. illud.* 5. *cap. Episcopus* 6. *cap. postulasti* 7. *§. vlt. hoc tit. Clem.* 2. *de priuil.* siue diurnum, siue nocturnum, *cap. si quis Episcopus* 7. 11. *q.* 3. *cap. dolentes* 9. *de celebrat. Missar.* namque irregularis non est, nisi qui suspensione, aut alia censura ligatus diuina celebrat, hoc est actus ordinis, vel aliquod munus illius ex officio, & solemniter obit, *c.* 1. 2. *&* 3. cum alijs, *hoc tit c.* 1. *de re iudic. lib.* 6. *c.* 1. *c. is qui* 18. *c. is cui* 20. *de sent. excom. lib.* 6. notaui suprà *in c.* 1. *hoc tit.*

5 d *Probabilis.*] Probabilis ignorantia dicitur, quæ nititur iusta causa, *l. Senatus* 15. *in princ. ff. de iure fisci*, saltem probabili, *cap. sacro* 48. *§. eum, de sent. excom.* quare & probabilis error dicitur in eodem textu, *§. verùm*, vt contingit in præsenti casu, si Canonici Pragenses ignorarunt in eos latam fuisse suspensionis sententiam, vt docuit Innocent *in præsenti*; vel quia sententia publicè lata non fuit, & ideò ad ipsorum notitiam non peruenerat, argumento capitis *illud* 5. *vers. Vnde, hoc tit.* vel si generalis fuit lata sententia, & publicè; attamen cùm ea sibi lateret, non fuit illis denunciata, *c.* 1. *de postul. Prælat.* vt affirmat Hostiensis *in præsenti, n.* 3. Qua ratione etiam probabilis ignorantia iudicatur, quando quis ignorat, quæ scire non tenetur, quia non spectant ad proprium officium illius, *cap turbatur* 19. *§. notandum* 1. *q.* 4. aut si tenetur scire, adhibita diligentia non potuit, nec per ipsum stetit, quominus sciret. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect.* 8. *n.* 12. Marius Alterius *lib.* 3. *de censur. disp.* 2. *c.* 3. Costa *de facti ignor. inspect* 81. *n.* 22. Nec requiritur, quòd quis sit multùm curiosus in sciendo, dummodo non sit nimis desidiosus, vt ex lege *nec supina* 6. *ff. de iur. & facti ignor.* docent in præsenti Panormit. *n.* 2. Ancharanus *nu. vlt* Quanta autem, & qualis debeat esse huiusmodi diligentia, vt probabilis ignorantia dicatur, facilè diffiniri non valet: quare iudicis arbitrio relinquitur, vt docent Marius Alterius *vbi sup.* Hugolinus *de censur tabul.* 1 *c* 14. *§.* 1. *n.* 12.

6 e *Crassa, & supina.*] Idest iniusta, & improbabilis, de qua *in c.* 1. *&* 2. *de ordin. ab Episcopo, c.* 2. *de constit. lib.* 6. *l. nec supina* 6. *ff. de iur. & facti ignor. l.* 4. *ff quod vi aut clam.* Et dicitur dissoluta ignorantia *in l. cùm lex* 55. *ff. de ædilit. edict.* dissoluta negligentia, *l. si fideiussor* 29. *ff. mandati*: ignorantia deperditi, seu nimiùm securi, *in l.* 3. *ff. de iur. & facti ignor.* & versatur circa factum, *l. eam* 43. *§.* 1. *de contrah. empt.* veluti quando aliquid publicè fit, & omnes de ciuitate sciunt; ille verò ignorat. Glossa *verbo Cùm itaque, in summa,* 38. *dist. & verbo Crassa, d. c.* 1. *de ordinat. ab Episcopo*: & hæc ignorantia latæ culpæ æquiparatur, *l. latæ* 223. *ff. de V. S.* prope dolum est, *l. si fideiussor* 29. *ff. mandati, l.* 2. *§. generaliter. ff. de doli except. l.* 11. *ff. de incend. & ruin.* ex ratione capitis *excellentissimus* 102. 11. *q.* 3. habet enim plurimùm voluntatis, quia idem est scire, ac posse scire, *l. si duo* 38. *ff. de acq. hæred. l.* 7. *§. seruus meus. ff. pro emptore*: ideò non excusat à delicto, nec à pœnis ipsius, *in c.* 1. *in fine, de ordin. ab Episcopo*: docent plures relati ab Amaya *lib.* 1 *obseru. c.* 3. *n.* 9. nec ab excommunicatione, *c.* 2. *de const. lib.* 6. nec ab irregularitate, vt ex hoc textu constat. Sed quia quamuis hæc ignorantia non excuset à peccato, tamen ita minuit eius malitiam, vt non maneat in eadem specie, quia potiùs hi Canonici celebrarunt cum nimia negligentia, quàm ex contemptu, & præsumptione, vt probarunt Couarr. *vbi suprà, num.* 17. Hugolinus *de censur. tabul.* 1. *c.* 14. *§.* 1. *n.* 26. *&* 27. Suarez *de censur. disp.* 4. *sect* 9. *n* 17. *& sect.* 10. *num.* 1. Meritò ergo illis, si ex hac ignorantia celebrarunt, de benignitate Apostolica dispensationis gratiam Pontifex indulget, vt ex eadem ratione conceditur *in cap. consuetudo, §. ignari,* 8. *dist. cap. quoniam multos* 1. *q.* 3. Hanc autem nisi Romanus Pontifex concedere non valebat, vt ex hoc textu deduxerunt Glossa finalis, & Hostiensis hic, *n.* 4. & probatur *ex c.* 1. *in fine, cap. is qui* 18. *§.* 1. *de sent. excom. lib.* 6.

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Suspensi, vel excommunicati per ignorantiam celebrantes, irregularitatem non incurrunt.* Probant eam textus *in c.* 1. *de postul. Prælat. cap. is cui* 18. vbi Glossa *verbo Scienter*, *de sent. excom. lib* 6. *l.* 21. *tit.* 9. *part.* 1. Illustrant eam Suarez *de censur. disp.* 1. *sect.* 3. Marius Alterius *eod. tract. lib.* 2. *c.* 4. Sayrus *in thesauro, lib.* 7. *cap.* 9. Costa *de fact. scientia, disp.* 41. *n* 4. Garcia *de benefic. part.* 11. *c.* 10. Couar. *in cap. alma,* 1. *part. §.* 6. Corneio *de irregul. disp.* 6. *dub.* 3. Auila *eod. tract. disp.* 2. *dub.* 7. *conclus.* 1. Diana *p.* 4. *tr.* 2. *resol.* 85. Hurtado *de irregul. disp.* 1. *difficult.* 8. Leander *eod. tract. disp.* 4. *tr.* 1. *q.* 2. *&* 3. 7 Conclusio traditur, & probatur.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam ad irregularitatem contrahendam propter delictum non attenditur scientia, vel ignorantia, sed an factum sequutum sit, vt constat *ex c.* 1. *&* 2. *de ordin. ab Episc. qui renunc* vbi asseritur, necessariam esse dispensationem ad ordines exercendos, eo casu, quo quis ex probabili ignorantia ordines sacros suscepit ab Episcopo, qui simul renunciauit & loco, & dignitati; vel ab Episcopo excommunicato: quod etiam de ordinatis ex probabili ignorantia à simoniaco, probatur *ex cap. si quis à simoniacis* 108. ibi: *Misericorditer sustinere*, *q.* 1. *cap. ab excommunicatis, cap. ob ordinationes*, 9. *q.* 1. Igitur qui celebrauit verè suspensus, aut excommunicatus, etsi ignorans, irregularitatem incurrit. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam excommunicatio, etsi ita grauis censura sit, tamen ab ignorante incurritur, *c. si quis Episcopus* 6. *&* 7. ibi: *Maximè. cap. quoniam, cap. multos* 103. *cum antecedenti*, 11. *q* 3. Ergo faciliùs irregularitas incurritur ab eo, qui verè suspensus, seu excommunicatus, diuina officia, etsi per ignorantiam, celebrauit. 8 Impugnatur tradita assertio.

Qua dubitandi ratione minimè obstante, vera est præsens assertio. pro cuius expositione sciendum est, suspensionem dictam esse à verbo suspendo, quod est sursum pendere, atque incertum, & dubium esse. Hugolinus *de censur. tabul.* 4. *c.* 17. *§. vlt.* Suarez *de censur. disp.* 29. *in princip.* quo verbo licèt aliquãdo interdictus ab Ecclesia ingressus significetur, vt *in c.* 1. *de sent. excom. lib* 6. aliquãdo impedimentum vtendi aliquo temporali munere, seu officio, vt *in extrauag. vnic. Ioan XXII. de sent. excom.* vulgò tamen accipi solet pro quadam pœna ecclesiastica, qua quis omninò non remouetur ab officio, vel beneficio, sed interim exercere, vel habere non permittitur: qua pœna legimus vsum fuisse Iulianum Apostatam *epist.* 62. vbi dum de puniendo ethnico sacerdote agit, ait: *Ne quid eorum, quæ ad sacerdotem pertinent, tribus totis mensibus attingat.* Suspensus namque ab officio, vel beneficio, nec beneficio priuatur. nec munia officij potest obire, nec fructus beneficij percipere, *c.* 1. *de re iudic. lib.* 6 *cap.* 2. *de solut. extrauag. ambitiosæ, de rebus Eccles.* & ideò quia interim pendet suspensi ius, & quodammodo incerto est. pœna hæc suspensio appellatur; quo nomine vtuntur Patres. & Concilia, quæ post quintum, & sextum nascentis Ecclesiæ sæculum fuerunt. Constat ex Concilio Aurelian. 5. *can.* 5. *&* 17. ibi: *A communione ecclesiastica suspendatur.* Et ex Felice II. *epist.* 2. ibi: *Nec à communione suspendatur.* Habuit etiam huiusmodi suspensionis nomen suas phrases, atque periphrases. Quandoque vocabatur cessatio ab officio, vt in Concilio Aurelian. 3. *can.* 25 ibi: *Tamdiu à sacrificando cessabit.* Quãdoque ab officio remotio, vel sequestratio, vt in Concilio Brach. 3. *can.* 1. ibi: *Tanto tẽpore ab officio remoueantur.* Toletano 13. *cã.* 11. ibi: *Tribus mensibus ab officio suo sequestretur.* & Aurelian. 3. *can.* 6. *Sex mensibus à celebrandis officijs sequestretur.* In alijsque similiter prædictæ phrases occurrunt. Patres tamen, qui memorata sęcula præcesserunt, frequẽtiùs suspensionẽ, abstensionem. seu segregationem appellauerunt; & suspensos, abstentos, seu segregatos dixerũt, vt passim ex D. Cypriano constat, & ex Concilio Illiber. *can.* 53 ibi: *A quo abstentus.* Meldensi *can.* 10. *Tribus mensibus à Missarum solemnijs se abstineant.* Arelat. 1. *can.* 3. ibi: *Abstinere eos.* Et *can.* 12. ibi: *A communione abstinere.* Tolet. 1. *can.* 15. ibi: *Similiter si clericus abstinetur.* Ex D. Cyrillo *in epist. ad Episcopos Libyæ, & Pentapolis*, ibi: *Sin autem* 9 Suspensio quid, & quotuplex.

autem segregationem aliqui sustinuerant. Et ex Apostolorum canonibus, in quibus crebrò obseruandum est verbum *segregari, arceri, abstineri, suspendi*. Inde apud eosdē canones legitur, *suspensio*. Verumtamen plures alias, diuersasque rationes, & acceptiones habent apud Græcos, & apud Latinos *abstinere*, quàm *suspendi*, & *segregari*; ideò æquiuocum valdè verbum est *abstinere*, vt pluribus post D. Ferdinandum de Mendoza *lib. 2. de confirmando Concil. Illiber c. 8. pag. 29. litt. S*, docet Morinus *d. lib. 1. exercit. Eccles. exercit. 3.* quem consule, vt plura alia de suspensione discas.

10 *Suspensio definitur.* Hæc censura communiter diffinitur, vt suspensio sit pœna impediens, ne persona ecclesiastica functiones ecclesiasticas exerceat, aliquaue potestate ecclesiastica vtatur. Ad quam diffinitionem facilè reuocantur, quas tradunt Hugolinus *tabul. 4. c. 10* Marius Alterius *lib. 6. disp. 1. c. 1.* Suarez *de censur. disp. 25. sect. 1. n. 2.* Gibalinus *eod. tract. disquisit. 1. q. 2.* Suspensio diuiditur, vt alia sit vniuersalis, alia specialis, alia simplex, vt explicat Morinus *d. lib. 2. c. 7. per totum*; aliquando enim fit tantùm ab officio, & non à beneficio, vt *in c. 3. in fin. de vsur. c. 2. de offic. deleg. lib. 6. Clement. 1. de rebus Eccles. Clement. 1. §. penult. de hæretic.* Aliquando quidem ab omni ecclesiastico officio, quo nomine omnis spiritualis potestas ad aliquem spiritualem actum exercendum comprehenditur, siue sit ordinis, siue iurisdictionis, siue etiam administrationis ecclesiasticę. Suarez *de censur. disp. 25. sect. 2. n. 11.* Vnde talis suspensus non potest aliquem actum ordinis exercere, *c. 2. hoc tit. c. 1. in fine, de re iudic. lib. 6.* nec iurisdictionis, veluti conferre beneficia, *c. 4. de concess. præb. c. vnic. §. cùm verò, ne Sede vacante, lib. 6.* nec etiam eligere, *c. cùm dilectus 8. de consuet. c. cùm inter 16 de elect.* Suarez *disp. 26. sect. 1.* Aliquando fit tantùm à parte officij, veluti quando suspenditur ab ordine, & non à iurisdictione, vel ab aliquo tantùm ordine, veluti à sacerdotali, & non ab alio; vel è conuerso, à iurisdictione, & non ab ordine, vel aliqua tantùm parte iurisdictionis, vt in casibus relatis à Glossa *verbo Suspensi, in Clementina Cupientes, de pœnis*, Suarez *d. sect. 2. n. 14.* Morinus *d. lib 2. exercit. 7 & 8.* Gibalinus *d. q. 2.* Vel suspensio fit tantùm à beneficio, & non ab officio, vt *in c. cùm in cunctis 7. §. fin. c. nihil 44. de elect. Clement. 1. de vita & honest. cleric.* vel ab officio, & beneficio simul, vt *in c. ex tuarum 11. de priuil. cap. 1. de schismat. Clem. 1. de decim.*

11 *Alia de suspensione adducuntur.* Deinde sciendum est, suspensionem ab officio, vel à beneficio, vel ab vtroque simul, aut fieri ad tempus, veluti ad mensem, vel annum, vel duos, vt *in c. cùm in cunctis 7. §. fin. de elect. c. 1. de re iud. lib. 6. c. 2 de temp. ordin. eod. lib. c. 1. de sent. excom. eod. lib. Clem. 1. §. 1. de hæret. Clement. 2. de pœnis*: vel donec mereatur indulgentiam, vt *in c. tam literis 33. de testibus.* Concil. Aurel. *3. can. 25.* ibi: *Tamdiù à sacrificando cessabit, quamdiu legitima pœnitentiæ satisfactione correctus, ad gradus sui officium redeat, quem amisit.* Et tunc non est propriè censura ecclesiastica, sed delicti pœna, quia non respicit resipiscentiam in futurum, sed culpæ præteritæ punitionem: & ideò quò maior fuerit culpa, eò diuturnior suspensio solet imponi. Vera enim, & propria censura non potest proferri ad certum tempus, sed ad reprimendam contumaciam, & vt homo à culpa recedat: quare non potest habere alium terminū, nisi donec recedat à culpa. Vnde vt hæc suspensio imponatur, nec requiritur præuia monitio, nec vt tollatur, necessaria est absolutio, sed sufficit lapsus temporis, pro quo imponitur, absque alia absolutione. Ita Glossa *verbo per mensem, in c. sacro 48 de sent. excom* & *verbo Donec, in Clement. 1. de decim.* Hugolinus *d. tabul 4. c. 4. §. 2.* Suarez *disp. 25. sect. 1. n. 3.* suspensio verò, quæ est verè, & propriè censura, de qua agitur *in cap. quærenti 20. de V. S.* non habet temporis præfinitionem, requiritque monitionem, saltem illam, quæ includitur in illa conditione, *si hoc feceris*, vel *nisi satisfecerit*, vt *in c. presbyter 2. q. 5. c. ex tuæ 11. §. fin. de cler. non resid. c. 2. de purgat. canon. c. quia sæpe 40. de elect. in 6. c. fin. de offic. ordin. eod. lib. c. 2 de censib. eod. lib. Clement. 1. de decimis*: & vt tollatur, necessaria est absolutio. Glossa *verbo Suspensum, in c. 2. de solut.* Suarez *suprà, d. 3.* quicquid velit Hugolinus *d. cap. 4. §. 2 num. 4.*

12 *Suspensus celebrans fit irregularis.* Tandem vt ad præsentem textum accedamus, sciendum est, suspensum ab officio actum ordinis exercentem irregularem manere, siue tanquam censura suspensio imposita sit, siue tanquam pœna ad certum tempus; vtraque enim priuat sacro ministerio, & ideò ei, qui ita suspensus diuina officia celebrauit, irregularitas imponitur *in c. si quis Episcopus 6. cum sequenti, 11. q. 3. c. presbyter 2. q. 5. c. 1. de re iudic. lib. 6. c. 1. c. is qui 18. §. fin cap. is cui 20. de sentent. excom. lib. 6.* docent Suarez *d. disp. 26. sect. 1. nu. 5. & sect. 2. ex n. 3.* Couarr. *in c. alma, p. 2. §. 2. n. 3.* Diana *part. 5. tract. 10. resol 9.* Leander *de irregul. tract. 2 disp. 22. sect. 5.* Gibalin. *eod. tract. c. 5.* Nec interest, an ab homine suspensio imponatur, an verò à iure; quia vtroque casu suspensus celebrando irregularis efficitur, *d. c. 1. de re iudic. lib 6.* vtraque enim suspensio eiusdem speciei est, & ideò vtraque eundem effectum operatur: nec etiam aliquid interest, quod suspensus sit nominatim denunciatus, necne; namque etiam non denunciatus violando suspensionem manet irregularis, vt resoluunt Suarez *d. disp. 24. sect. 2. num. 2.* Hugolinus *tabul. vlt. c. 5. n. 2.* quia in fauorem excommunicati, vel suspensi nihil est immutatum per extrauagantem *Ad euitanda*. Etiam fit irregularis suspensus ad tempus, videlicet donec satisfecerit, seu pœniteat, vt docent Glossa *verbo Suspensos, in c. 2. de censibus lib. 6.* Suarez *d. disp. 26. n. 5.* quia sub ea forma vera, & propria suspensio imponitur, & ideò de hoc casu immeritò dubitarunt *in c. fin. hoc tit.* Innoc. *n. 2.* Hostiensis *n. 4.* Anton. *n. 12.* Etiam irregularis efficitur suspensus ab ordine tantùm, si per exercitiū ipsius gradus violet censuram. Suarez *d. disp. 26. sect. 4. n. 19.*

Hæc tamen doctrina procedit in vera, & propria suspensione, qualis dicitur suspensio quoad se, & quoad alios; non verò in suspensione impropria, qualis est suspensio quoad se tantùm, non verò quoad alios, quæ resultat ex peccato mortali: nam quamuis peccator celebret in eo statu, non fit irregularis, *c. fin. de cohabit. cler.* quia peccatum mortale non est pœna, nec censura ecclesiastica; & peccator quamuis quoad Deum non licitè celebret, tamen ab Ecclesia non est irregularitas in eum statuta. Docent Syluester *in summa, verbo Suspensio, n. 1.* Suarez *de censur. disp. 25. sect. 1. num. 2.* Item nec suspensi quoad alios tantùm, non quoad se, vt sunt clerici peregrini, non habentes literas formatas, aut probationem suæ ordinationis; nam hi non possunt celebrare, propter defectum probationis, nisi secretò, & secluso scandalo, *cap. tuæ, de clericis peregrinis*, vbi probaui. Similiter suspensus ab officio, si non actum ordinis, sed tantùm iurisdictionis, vel administrationis exerceat, non ideò erit irregularis, quia suspensio tantùm respicit actus ordinis, non verò iurisdictionis, licèt si ita suspensus violet censuram, arbitrio iudicis puniatur fortè priuatione iurisdictionis in perpetuum, argumento capitis *1. §. vlt. cupientes 16 §. cæterùm, de elect. in 6. cap. vlt. de excessib. Prælat. cap. sicut 4. de cohabit. cler.* Idem erit dicendum, si quis non ab officio, sed tantùm à iurisdictione, vel ab aliquo actu illius fuerit suspensus, quia nec exercendo talem actum illi interdictum irregularis manet. Suarez *d. disp. 26. sect. 4. num. 19.* Nec etiam erit irregularis, si suspensus tantùm à beneficio, & non ab officio, fructus percipiat, quia ille officium exercere valet, quamuis violando suspensionem perpetuò beneficio priuetur, iuxta textus in *d. cap. 1. §. vlt. cap. cupientes 16. §. cæterùm, de elect.* Similiter non est irregularis, qui in ordinibus suscipiendis contrahit suspensionem; & simul concelebrat cum Episcopo, Epistolam, vel Euangelium cantando; quia talis actio moraliter est eadem, & non tam violatur, quàm contrahitur censura suspensionis. Diana *part. 5. tract. 10. resol. 37.* Leander *de irregul. tract. 2. disp. 22. quæst. 13. & 14.*

Exceptiones prædictæ regulæ. 13

Ex quibus apparet, verba illa præsentis textus, *quia tempore suspensionis*, rectissimè accepisse Innocentium in præsenti de suspensione ab officio, non verò de suspensione à iurisdictione, vel administratione, quæ actum ordinis non includunt, vt significant illa verba nostri textus, *celebrasti diuina*. Et etiam intelligi possunt hæc verba de suspensione tantùm ab ordine, vel ab aliquo actu ordinis, quia in hoc casu suspensus celebrando irregularitatē incurrerit: immò & de suspensione simpliciter prolata ab officio, aut beneficio, vel ab vtroque simul, quo modo sæpe sæpiùs fertur, *cap. sane 11. de offic. deleg. cap. cùm bonæ 8 de ætate & qualit. cap. vt clericorum 13. de vita & honest. cler. cap. vnic. de his quę vi, lib. 6 Clement. 1. §. 1. de priuil. extrauag. 3. eod. tit. inter communes.* Nam siue hęc comprehendat suspensionem tantùm ab officio, quæ per antonomasiam suspensio appellatur, vt argumento dicti capitis *vt clericorum*, existimarunt Glossa verbo 14 *Exponitur præsens textus.*

suspen-

Digitized by Google

suspensionis, *in d. Clement §. 1. de priuileg.* & ibi Ancharanus *num* 22. Cardinal *num.* 5. siue suspensionem ab officio & beneficio simul, vt argumento dicti capitis penultimi, *de sent. excom. cap. vnic. de his quæ vi*, tenuerunt Glossa ibi, verbo *Suspensionis*, Hugolin. *de censur tabul 4. cap.* 14. §. 1 *num.* 2. & probabilius credit Suarez *d sect.* 2. *num* 9. semper si ita suspensus celebrauit, & actus ordinis prohibiti exercuerit, erit irregularis: quod facilè probatur ex hoc textu, si illa verba *tempore suspensionis*, de suspensione simpliciter prolata intelligamus, siue de suspensione ab officio, & amotione à beneficio; qualiter latam fuisse sententiam in hos Canonicos, constat *ex cap. Apostolicæ 9. de except.* Sed ideò amotio à beneficijs in capite hoc omissa est à Gregorio, quia cùm de irregularitate tantùm ageret, ideò de ea decreuit. Etiam hæc verba, *tempore suspensionis*, intelligi possunt de suspensione, quę non imponitur tanquam censura, sed tanquam pœna ad certum tempus; quia etiam hoc casu (vt diximus) qui celebrat durante suspensione, irregularis efficitur: aut etiam possunt intelligi de suspensione, quæ est censura ecclesiastica, nec habet tempus præfinitum; & tunc illa verba, *tempore suspensionis*, significant, hoc est dum durat suspensio, seu ante absolutionem à suspensione.

15 Traditur decidendi ratio. His suppositis apparet ratio præsentis decisionis; nam cùm hæc irregularitas contrahatur à suspenso propter delictum, quod clericus committit contemnendo ex superbia, & ausu temerario censuram Ecclesiæ, & per consequens clauis ipsius ecclesiasticam potestatem, *c. si quis Episcopus 6 & 7. 11. quæst. 3. cap. Salonitanæ, 63. dist. c. 2 3. & 4. hoc tit.* & qui operatur ex probabili ignorantia, non procedat ex contemptu, *l. si ignorans 50. ff. locati*; quia non ex voluntate facit, nec ex consensu, vt probat Couarr. *in cap. alma, 1. part. §. 10. num 12. in princip.* & ideò non peccat, nec delictum committit, *cap 1. cum sequent. 21. quæst. 4. cap. 2. de constit. lib. 6. l. fin. ff. de leg. 1. l. illud 7. §. si tamen, ff. de tributor.* meritò in præsenti specie Canonici ex ignorantia celebrantes irregularitatem non incurrunt, quia excusantur ob ignorantiam, quæ & ab alijs pœnis excusat, *l generò 8 l. liberorum 11. §. notatur, ff. de his qui notantur infam. l. Metrodorum 40. ff. de pœnis, l. vlt. ff. de decret. ab ordine faciendo, cap. si quid de simoniacis 108. 1. quæst. 1. cap. si quis 8. cum duobus sequent. 34. quæst. 2. cap. preposuisti, ad finem, 42. dist. cap 2. de cognat. spirit. cap. vlt. qui matrimonia accusare, cap. si verò 4. de sentent excom. cap. 2. de constit. lib 6. cap si compromissarius 37. de elect. eod. lib. l. tutor 16. §. contrariam, ff. de pignorat. l. si quis 7. §. doli, l. si familia 9 ff. de iurisd.* docent Menoch. *lib 2. de arbitr. cent. 6. casu* 501. Marescotus *lib. 1. variar. cap.* 127 plures relati ab Amaya *lib. 1. obseru. cap. 2. num. 1. & c. 3.* Costa *de facti scientia inspect.* 85. quam rationem præsentis assertionis adduxerunt Henricus *in cap finali, numero 1. hoc tit.* Suarez *disput. 4. sect. 8. numero 6. sect. 11. num. 9. & sect. 1. disp. 15. num. 2. & disp 26. sect. 2. num. 3.* Marius Alterius *lib. 3. de censur. disput. 2 cap. 3.* qui idem admittunt eo casu, quo quis tempore excommunicationis, vel interdicti cum probabili ignorantia celebrauit: vnde non rectè Costa *d. inspect. 85. n 6.* existimauit, quod quamuis ignorantia probabilis excuset à peccato, non tamen excusat ab irregularitate, quia in eam quis incidit etiam ignorans, & pręter intentionem, vt *in c sententiam, ne clerici, vel monachi*; namque id non procedit in ea irregularitate, quæ prouenit ex delicto, qualis est ea, de qua agimus, quæ non incurritur cum probabili ignorantia.

56 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius solutione Glossa *in præsenti*, Hostiensis & Henricus existimarunt, quòd ignorantia probabilis aliquando nō excusat à suspensione, aliquando excusat, scilicet quando cessat peccatum: sed non explicant quando vnum, vel quando alium effectum ignorantia probabilis operetur; quare hac sententia omissa, & alijs relatis à Patre Suarez *de censur. disp. 31 sect. 1. ex n* 10. dicendum est, verum esse ordinatum ab Episcopo, qui renunciauit simul loco, & dignitati, licèt characterem ordinis recipiat, non tamen exequutionem, seu exercitium ipsius gradus assequi, quia quod Episcopus non habet, alijs conferre non potest, *c. Daibertum 24. 1. q. 7. c. quod autem 5. de iurepatron.* & ignorantia probabilis eius, qui ordinatur, non potest dare exercitium ordinis ei, qui non habet, vt rectè docet Suarez *vbi suprà*: & quemadmodum Episcopus vt characterem imprimat, indiget charactere; ita vt characterem imprimat cum exercitio, oportet vt ipse illum habeat cum exequutione; nam quemadmodum ex institutione diuina vt character imprimatur in ordinato necessarius est character in Episcopo; ita ex institutione ecclesiastica, vt characterem cum executione conferat, oportet vt illum Episcopus habeat cum exequutione; quem quia non habet qui loco simul, & dignitati renunciauit, vtique illum cum exercitio conferre non potest, siue scienter, siue ignoranter ordinatus ordines recipiat; quia hoc prouenit ex defectu potestatis in ministro. Quare ordinatus à tali Episcopo, vt possit in gradu suscepto ministrare, indiget vera, & propria dispensatione, quæ ei, qui scienter à tali Episcopo ordines recipit, denegatur, ex ratione quam adducit Pontifex *in d. cap. 1. de ordin. ab Episcop.* Cum eo autem, qui ignoranter ordines ita recipit, potest Episcopus dispensare, sed cum discretione, si modò ex circumstantijs intelligat, quòd non crassa, & supina ignorantia intercessit, sed iusta, & probabilis, quæ qualis sit, eius arbitrio committitur. Eadem ratione procedunt textus *in c. 2. eod. tit. de ordinat. ab Episcop. c ab excommunicatis 9. quæst. 1.* qui loquuntur de clericis, qui ab Episcopo excommunicato ignoranter ordines receperunt; namque excommunicatus Episcopus, quamuis validè ordines conferat, vt probat Hugolinus *de censur. tabul. 1. c. 13. §. 16. num. 5.* attamen pari ratione, quia dum durat excommunicatio, non habet suorum ordinum executionem, vtique illam ordinatis à se conferre non potest; ideò necessaria est dispensatio, vt ita ordinatus in gradu suscepto ministrare possit. Eodem modo intelligendus est textus *in c. ordinationes 9. quæst. 1.* vbi verba illa: *Irritas esse iudicamus*, accipienda sunt quoad executionem, quam quia hæresiarcha non habet, ordinatis à se conferre non potest; quare dispensatione indigent, & eam assequuntur, si probare voluerint, se nescijsse, Episcopus damnatos esse, cùm ordines receperunt. Eodem modo accipiendi sunt textus *in c. statuimus 106. vers. Hoc autem, c statuimus 107. §. simoniacos, & §. de hoc, cap. à simoniacis 108. 1. quæst.*

Alia causa est eius, qui tempore suspensionis ex probabili ignorantia celebrat, quia hic absque delicto, & peccato non potest effici irregularis, nec priuari vsu sui ordinis iam quæsito; quia vt inquit Suarez *d. num.* 12. quando irregularitas, seu suspensio habet rationem pœnæ, non potest quis illa puniri, nisi ob culpam, quę cessat in eo, qui celebrat ex probabili ignorantia, quia in eo non datur contemptus, & cessat dolus, *leg. illud 7. §. si tamen, ff. de tributoria, l. miles 6. §. si mulier, ff. ad leg. Iul. de adult.* & per consequens delictum, *l. statuliberum 9. §. 1. ff. de statulib. l. si quis 5. in fine princip. ff. de O. & A.* Alexand requirit scientiam, vt *in c. Episcopus 11. q. 3. Clement. vnic. de consang. & affin. c. 1. de eo qui cog. consang. l. fin. de decret. ab ord. faciend.* quia probabiliter ignorans est in bona fide; & ideò non punitur, quasi crimen admiserit, *l si adulterium 38. §. 1 & § iisdem, ff. de adulterijs, l. qui contra 4 in fine, C. de incest. nupt.* nec hoc tantùm habet ignorantia antecedens, verùm etiam concomitans, vt contra varios, quos ipse refert, probat Menochius *de præsumpt. cent. 6. casu 92. ex num.* 87.

Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, nam verius est, stante probabili ignorantia excommunicationē non incurri, quia non nisi in contumace propter peccatum mortale imponitur, *c. nemo 41. 11. q. 3* Sed peccatum cessat, quando adest probabilis ignorantia, vt proximè probaui: ergo & per consequens excommunicatio, *c. si verò 4 de sent. excom. c. 2. de constit. lib. 6.* iuncta Glossa ibi, verbo *Res ignorata*, *c. cùm desideres 15. de sentent. excom.* Couarr. *in c. alma, 1. part. §. 10. ex numero 7.* Suarez *disp. 4. sect. 8. ex num. 1. & disp. 15. sect. 3. num. 2.* Hugolinus *eod. tract. tabula 1. cap. 9. §. 8. num. 8.* Marius Alterius *lib. 3. disput. 2. c. 3. per totum*, Costa *de facti scientia, inspect. 85. num. 12.* Nec contrarium docetur *in d. c. si quis Episcopus 6. & 7. 11. q. 3* in illis verbis, *Maximè si postquam didicerint*, quæ repetit Nicolaus Papa in Synodo Romana *can.* 2. nam verbum *maximè*, vel significat *tantùm*, vt *in c. peruenit 18. d. c. 1. 16. q. 3.* vt exponit Glossa ibi: vel si comprehendit ignorantes, non sunt, quos probabilis ignorantia excusat, sed qui communicant ex crassa, supina, vel affectata, iuxta textus *in c. qui & diuinis 24. in fine, 12. q. 2. c. 1. §. quod nec sufficiat, de postul. Prælat. c. pen. 37. dist. c. cùm inhibitio*, 57 Dissoluitur augmentum difficultatis.

§. 1.

§.1.de clandest.desponf.c.eos,de tempor.ordin.in 6.l.5.ff.de reb.credit.l.6.ff. de iur.& facti ignor.l.44. de ritu nupt. de qua ignorantia, crassa videlicet, intelligit Glossa *ibi*, textum *in c. quoniam multos* 103. 11. *q.* 3. iuxta quam ex noua constitutione huius textus crassa, & supina ignorantia excusat. Sed Glossam refellit Suarez *disp.5.sect.3.num.2.* quare illa verba accipit de ignorantia probabili, & inculpabili. Quo modo etiam accipiunt Glossa *in d. c. cùm desideres, verbo Excommunicationis*, & Alterius *lib.1. de censur. disp.* 15. *c.* 5 ex quo affirmat, Pontificem Gregorium nihil circa ignorantes noui concessisse, sed declarasse, quòd iure ipso naturali locum habebat ad tollendos scrupulos. Sed quia huic explicationi obstant priora verba illius textus, ibi: *Perire quotidie cernimus partim ignorantia*; quæ supponunt propter ignorantiam culpabilem, & peccaminosam, gratiam illam Pontificem concessisse, qualis non potest esse ignorantia probabilis, mox redit Suarez ad explicationem Glossæ, affirmans quamcunque ignorantiam fortasse excusare communicantem cum excommunicato à minori excommunicatione, dummodo affectata non sit, quia hęc malitię ęquiparatur; alia verò ignorantia non continet veram, & propriam contumaciam in communicante, sed negligentiam, quæ quemadmodum sufficit in pręsenti textu, vt propter eam dispensatio concedatur in irregularitate; ita propter animarum periculum efficit, *in d.c.quoniam*, vt in excommunicationem minorem non incidant, qui etiam ex crassa, & supina ignorantia excommunicatis communicant: quare indulgentia hęc ad alios casus non protrahitur, sed in alijs, in quibus similis gratia concessa non fuit, crassa, vel supina ignorantia non excusabit. Nec obstat textus *in c.sicut dignum, §.de illis, de homicid.* quia verbum *vel ignoranter*, ibi non apponitur, vt etiam eo casu ei, qui cum excommunicatis communicabit, imponatur; sed potiùs ne imponatur, quemadmodum non imponitur eo casu, quo quis ex timore communicauit, iuxta dictum caput *quoniam multos*: & hos duos casus considerandos esse apertè iubet Pontifex. Nec tandem obstat textus *in d.c.excellentissimi* 112. 11. *q.* 3. si accipiamus verbum *absoluatur*, pro declaratione, hoc est absolutum esse, vt accipitur *in c. audiuimus*, 24. *q.* 1. iuxta Patrem Suarium *de censur. disput.* 4. *sect.* 4. *num.* 22. aut etiam vt textus ille procedat in crassa, & supina ignorantia, quæ etiam vera ignorantia est; non de affectata, quæ est ignorantia simulata: nam cùm sententia, de qua ibi, fuisset publicè promulgata, eius ignorantia non excusat, ne incurratur excommunicatio, iuxta textus *in d. c. qui à diuinis, c.* 1. *§. quod nec sufficit, de postul.Prælat.* Illa tamen ignorantia facit, vt statim absolutio concedatur, quemadmodum dispensatio in præsenti textu.

18 Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in c.cùm illorum 32.de sent. excom.* vbi Innocentius III. affirmat, eos qui manus violentas in clericos iniecerunt, & ita sacris ordinibus initiati fuerunt, ignorantes censuræ, in susceptis gradibus ministrare non posse, nisi obtenta dispensatione. Igitur quia qui cum ignorantia probabili censuræ ordines suscepit, irregularis efficitur. Pro cuius textus expositione discrimen constituendum est inter ignorantiam facti proprij, & ignorantiam facti alieni; nam ignorantia proprij facti, de qua in eo textu agitur, iusta, & probabilis esse nequit, immò nec præsumitur, argumento legis vltimæ *in fine, ff. pro suo, l.quanquam 6 ff.ad Velleian.* & ideò in eo casu dispensatio necessaria est: ignorantia verò facti alieni, de qua in pręsenti agitur, iusta, & probabilis est, *l.vlt.in fin.ff.de iur.& facti ignor.* quia vt inquit Consultus *in l.2. ff.eod.tit.* talis ignorantia etiā prudentissimos fallit. Illustrat Robertus *lib.4. de sent. c.* 15 & ideò ea excusat, non tantùm in ciuilibus, *l.1 l.3.& 4.l.regula 9.ff.eodem tit.l.qui fundum 7.§.2.ff.pro emptore, l.si res 57 ff.de legat.1.l.in bonorum 10.ff.de bonor. possess.l. nunquam 31.cum l.sequenti, §.1.ff.de vsucap. l.si à patre 5. cum l.sequent.ff.de condict. indeb. l.quandiu 5. cum sequent. C.qui admitti*: sed etiam in criminalibus, *l.liberorum 11. §.non tantùm, ff.de his qui notant.infam.l.2.ff.si quis in ius vocatus, l.tutor 16 §.contrariam, ff.de pignorat.act.l.si quis 7.§.doli, l.si familiam 7.ff. de iurisd. l.4. in fin.Cod. de incest. nupt. l. plagij 14. Cod. ad leg. Flauiam de plag.c si quis cum duobus, & sequent.34. quæst.2. c.2. de cognat.spirit. regul. ignorantia, de R.I.lib.6* latè probat Amaya *lib.1. obseru.c.* 1 *num.1.* vnde excusat ab excommunicatione, *c.si verò 4. de sent. excom.* Suarez *de censur. disput.4.sect.8.num.11.* Hugolinus *eod. tract. tabula 1.c.9.§.8.* & ab irregularitate, *c.significasti 18. de homicid.* de qua ignorantia rectè accipiunt præsentem textum Innocent. Hostiens. & Ancharan. nec contrarium probant textus *in l.genero 8. ff.de his qui not. infam. l.1 ff. de legibus, l.2 ff. de termino moto, l. fortuito 11. ff. de incend.* quos & alios explicat Amaya *vbi proximè*. Nec etiam obstat textus *in l.Iulianus 13. §. 1. ff. de act. empti* Cui respondetur ex ratione textus *in l.1.causa, ff.de ædilit. edict.* scilicet quod non interest, fallatur quis ignorantia, an calliditate: qua ratione procedunt textus *in l. si adest 19. §. 1. ff. locati, l. tutor 16. §.contrarium, ff. de pign act.* Nec etiam obstat textus *in l.si partem 19.§.1.ff. quemadmodum seruitutes*; quia cùm tempus, de quo ibi, quo seruitutes amittuntur, sit continuum, currit etiam ignoranti, iuxta dictam legem *genero*. Nec tandem obstat textus *in l. interdum 16. §. licet, ff. de publican.* quia vt ibi notat Acursius, ignorantia, de qua ibi, non est iusta, & probabilis, quia est eius, quod quis scire tenetur; & ideò non excusat, sed ea stante quis mitiùs punitur: qua ratione etiam non excusat *in l.seruos 12 C. de agric. lib.11. l.1. C.de colonis Illyricianis.* Expenditur cap. cum illorum 3. de sent. excom.

C A P V T X.

a Idem.

SI *b* celebrat minori *c* excommunicatione ligatus, licèt grauiter *d* peccet, nullius tamen notam *e* irregularitatis incurrit, nec *f* eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione *g* iurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est *h* irritanda pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis *i* Patribus est priuatus. Peccat autem conferendo ecclesiastica *j* sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non carent *k* effectu, cùm non videatur à collatione, sed participatione sacramentorum (quæ in sola consistit perceptione,) remotus. Dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem superioris, communioni excommunicatorum *l* pertinaciter se ingesserit: in quo casu est anathemate feriendus.

N O T Æ.

1 a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui præsentem constitutionem edidit, vt decideret, sopiretque veterē controuersiam; nam cùm alijs canonibus statutū esset, clericum excommunicatum celebrantem irregularitatem incurrere, quos retuli *in c.4. hoc tit.* quia tamen expressum non erat, an de ligatis tantùm maiori excommunicatione, an etiam de minori sacri canones loquerentur, cœpit de hoc apud Interpretes dubitari; & super eo diuersas fuisse opiniones, refert Hostiensis *in præsenti, num.1.* quare vt eam quæstionem definiret Gregorius in præsenti, docet, clericum minori excommunicatione ligatum, celebrantem, licèt grauiter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrere, & posse eligere, atque ea, quę ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere, non tamen eligi; additque, peccare conferendo ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis effectu non carere, dummodo in contemptum ecclesiasticæ disciplinę communioni excommunicatorum pertinaciter non se ingesserit: quo casu affirmat, esse anathemate feriendum. Quam Gregorij constitutionem notabilem, & magi-

magistralem dixit Butrius *in præsenti*, *num.* 1. famosiorem alijs appellauit Panormit. *num.* 1. elegantem dixit Couarr. *in c. alma*, 1. *part. in initio*, *num.* 4. & *§.* 4. *num.* 5.

b *Celebrat.*] Hoc est, Missæ sacrificium offert, iuxta textus *in c. is qui* 18. *de sent. excom. lib.* 6 *Clement.* 2. *de priuil.* Hugolinus *de censur. tabul.* 3. *c.* 8. *num.* 1.

2 c *Minori excommunicatione.*] De qua *in c.* 2. *de except. c. penult. de sentent. excom.* & de illa tantùm præsens quæstio procedit, non de alijs minoribus excommunicationibus, quæ priuabant osculo pacis, aut societate Episcoporum, seu sacerdotum, de quibus agit Morinus *lib.* 2. *exercit. c.* 1. *cum sequent.* Dicitur enim hæc minor excommunicatio comparatione ad maiorem, quia hæc paucis effectibus est contenta; priuat enim tantùm aliqua communione, veluti passiua perceptione sacramentorum, quæ quamuis olim in Ecclesia magna pœna fuerit, ita vt simpliciter excommunicatio diceretur, vt ex canone 10. aliàs 11. Apostolorum constat, & facilè probatur *ex c. sacerdote* 63. *de consecr. dist* 1. Sotus *in* 4. *dist* 22. *q.* 1. *art.* 1. Marius Alter. *de censur. disp.* 2. *c.* 5. *§. excommunicatio*, Suarez *eod. tract. disp.* 8. *sect.* 3. *n.* 2. attamen quia longè grauius damnum infert excommunicatio maior, pluresque habet effectus, ideò eius respectu minor excommunicatio dicitur, quemadmodum minor capitis diminutio appellatur respectu maioris, & maximæ, *§. minor*, *Instit. de capit. diminut.*

3 d *Grauiter peccet.*] Innocentius *in præsenti*, *n.* 1. ait, quod ideò grauiter peccat, quia celebrat in peccato mortali ex eo contracto, quia cum excommunicato maiori excommunicatione communicauit, iuxta textum *in c. sacris*, *de his quæ vi*; & ita est suspensus quoad se, *c. sacerdotes* 90. 1. *q.* 1. *c. vlt. de cohabit. cleric.* Sequuntur Hostiensis *num.* 1. Anton. *n.* 3. & 4. & eos refellit Couarr. *in c. alma*, 1. *p. §.* 8. *num* 2. ex eo, quia ad minorem excommunicationem non desideratur necessariò mortale crimen, sed sufficit venialis culpa. Grauiter ergo peccat, quia dum celebrando percipit sacramenta, facit contra præceptum Ecclesiæ in materia graui, & sacra, & violat censuram Ecclesiæ; & sic quia peccatum mortale committit, grauiter peccat, *l.* 6 *tit.* 9. *partit.* 1. Couarr. *vbi suprà*, *num.* 2. Suarez *de censur. disp.* 24. *sect* 2. *n.* 2. Idem procedit in ligato maiori excommunicatione, qui grauiùs peccauit, quia grauiùs offendit præceptum, & censuram Ecclesiæ, vt ex hoc textu, & *ex c. latores* 4. *hoc tit.* probat Suarez *disp.* 11. *sect.* 1. *num.* 1. Inde etiam prouenit, quòd ligatus minori excommunicatione grauiter peccat, si alia sacramenta percipiat, veluti Confirmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, aut Matrimonij, vt probant Sanchez *lib* 9. *de matrim disp.* 9. *num.* 5. Hugolinus *de censur. tabul.* 3. *cap.* 6. *§.* 1. *num.* 1. Sacramenta tamen ei collata valida erunt, excepta absolutione sacramentali. Suarez *suprà*, *num.* 2. non tamen peccabit taliter excommunicatus, si Missam, & alia diuina officia audiat, seu ijsdem intersit simul cum alijs fidelibus, aliosue actus ecclesiasticæ communionis exerceat, siue sacros, siue politicos, dummodo non percipiat sacramenta. Couarr. *d. §.* 8. *num.* 2. Suarez *d. sect.* 2. *n.* 4. Illi etiam, qui excommunicato minoris excommunicationis conferunt sacramenta, etiam grauiter peccant, quia veniunt contra præceptum, & censuram Ecclesiæ, *c.* 2. *de maiorit. & obed.* Suarez *d. sect.* 2. *num* 26.

4 e *Notam irregularitatis.*] Hoc nomen *irregularitas*, in veteribus canonibus incognitum fuit, vt pro expositione textus *in c. si Episcopus* 6. 11. *q.* 3. notarunt Antonius *hic*, *num.* 13. Addition. Panormit. *num.* 6. postea verò receptum fuit ad significandos eos, qui non possunt ordinari, vel in ordinibus ministrare. Erat enim olim ab Apostolis, & à sanctis Patribus regula constituta de illis, qui admittendi erant ad sacra ministeria, & in illis poterant ministrare, vt colligitur *ex c. vnum orarium*, *§. nunc autem*, 25. *dist. c.* 2. 48. *dist. c. si qui sunt* 4. 81. *dist.* qua qui comprehensi non erant, quia extra regulam reperiebantur, irregulares dicebantur; quo nomine ad eos significandos, qui impedimentum habent, ne possint ordinari, vtuntur sæpiùs Pontifices. Sicut regularis dicitur, qui iuxta regulam viuit, *c. quod Dei* 5. *c.* 7. *de statu monach.* Concil. Magunt. *can.* 13. & 21. Arelat. 6 *can.* 6. Vernense *can.* 11. Carnot. *epist.* 202. probat Benedictus Haæphtenus *tom.* 1. *disq. mon tract.* 1. *lib.* 3. *disquis.* 6. Quare primis Ecclesiæ temporibus omnes clerici dicebantur regulares, aut canonici, à canone, cui inscripti erant, & iuxta quem viuebant. Concil. Laodic. *can.* 24. *c. si qui verò*, *cum seq.* 3. 32 *dist.* notauit Cironius *ad tit. de regul.* Ita qui arcetur ab ecclesiastico ordine, tanquam à regula alienus, dicitur irregularis, idest deuians à regula, *c.* 1. 47. *dist.* vbi cùm agatur de pœna vsurarij, dicitur, quòd clericus eijciatur à Clero, & alienus sit à regula, siue ab ecclesiastico gradu, vt in ipso canone 17. Concilij Nicæni legitur. Est enim vox hæc composita ex præpositione *in*, & regula: quę præpositio negatiua priuationem inducit, *l. inciuile*, *ff. de legibus*. Vnde irregulare dicitur, quod intra regulam non continetur; quo in sensu dicitur irregulariter legens pro eo, qui contra regulam legit, *in c. quoniam*, 69. *dist.* irregulare depositum, quod contra regulas depositi fit, *l. Lucius* 24. *cum l. sequenti*, *§. qui pecuniam*, *ff. depositi*. Est autem irregularitas hæc nota quædam, siue impedimentum ex facto, vel defectu prouenіens, quo quis prohibetur ad sacros ordines promoueri, & in eisdem ministrare: & aliquando prouenit ex delicto, aliquando ex defectu, aliquando ex vinculo, vt probaui passim *in lib.* 1. *Decretalium.* Et quia post delictum manet nota, *l. vlt. C. de generali abolitione*, *c. vlt. §. indulgentia*, 2. *q.* 3. *l.* 6. *§. si quis*, *cum l. sequenti*, *ff. de his qui not. infamia*: siue macula, *c. fin.* 25. *dist.* quia cùm se habeat ad modum cicatricis, *c. ventum* 18. 1. *q.* 1. etiam post pœnitentiam durat, *c. fin. de ætate & qualit.* & ideò rectè appellatur nota *in præsenti*, & *in c. fin. de homicid.* & qui minori excommunicatione ligatus celebrat, talem notam non incurrit, quia si postquam celebrauit, absoluatur, poterit vlteriùs celebrare sine dispensatione; quod illi non liceret, si irregularitatem incurreret qui deponeretur, vt contingit ligato maiori excommunicatione, & celebranti, *c.* 3. & 4. *hoc tit.* nec haberet spem restitutionis, *c. si quis Presbyter* 5. *cum sequent.* 11. *quæst.* 3.

f *Nec eligere prohibetur.*] Quia cùm tantùm sit remotus à perceptione sacramentorum, *c.* 2. *de except.* & ab omni eo, per quod peruenitur ad illam, vt est electio passiua, de qua infrà *in vers. Si tamen*, non prohibetur eligere, quia hoc extrinsecùs se habet ad participationẽ Sacramentorum; nec ab ea dependent. Docent in præsenti Anton. *num.* 1. Panormit. *num* 2. Ancharan. *num.* 3. Couar. *in cap. alma*, 1. *p. §.* 8. *num.* 3. Suarez *de censur. disp.* 24. *sect.* 2. *n.* 4. Nec interest, an minor excommunicatio à iure, an ab homine imponatur, quia in vtraque eadem ratio procedit, quamuis contrarium innuatur *in l.* 6. *tit.* 9. *part.* 1 Nec aliud docetur *in c. illa* 39. *de elect* quia potiùs id ibi probatur, siquidem docetur minori excommunicatione ligatum posse eligere, quia canonica iudicatur electio, cui ipsi interfuerunt eligendo, *c.* 3. *de caus. possess.* & licèt in eo textu affirmet Pontifex, se supplere de plenitudine potestatis, si quis in ea ex eo fuisset defectus, hoc non fecit ex necessitate, sed ex abundantia, vt docet Glossa 2 Innocentius *num.* 2. Suarez *d. sect.* 2. *num.* 13. & vt satisfaceret opponentibus de minori excommunicatione, addidit illa verba: *Si quis defectus*, &c. aut fortè hæc verba præsentis textus tantùm significant, quod propter minorem excommunicationem excommunicatus eligere non prohibetur, etiamsi celebrauerit, etsi de hoc non tanquam de excommunicatione, sed tanquam de crimine opponatur, ne intersit electioni, quia criminosus à temporalibus actionibus remouetur, *c. super eo* 13. *de testibus*: & per consequens ab spiritualibus, argumento capitis *per venerabilem*, *qui fil. sint legit.* si nihilominus intersit, ex hoc defectu potuit electio impugnari, vt quosdam existimasse referunt Hostiensis, & Innocent. *in eo textu*, *num.* 1. Quem defectum de plenitudine potestatis supplet Pontifex *in eo capite*. Aliud procedit in suspensis, quia hi non possunt eligere, *c. cùm dilectus*, *vers. Quia nobis*, *de consuet. c. cùm inter*, 16. *de elect. c. quia diuersitatem*, *de concess. præbend. c. vnic. ne sede vacante*, *lib.* 6. siue sint suspensi ab ordine, siue ab officio; nam cùm non possint actum ordinis, vel officij exercere, vtique nec ea, quæ dependent ab ordine, vel officio, vt est actus eligendi, *Clement.* 2. *de ætate & qualit.* quare nihil interest, an à iure, an ab homine suspensio imponatur, quicquid voluit Glossa verbo, *& suspensus*, *in d. c. cùm dilectus*, & in præsenti, verbo, *Nec eligere*. 5

g *Iurisdictionis.*] Siue sit iurisdictio ecclesiastica, siue propria, siue delegata, ex eadem ratione, quia non pendet à perceptione Sacramentorum, quæ tantùm illi prohibita est; & ideò aliorum humanorum actuum particeps 6

ceps

ceps erit, *ex l. cùm Prætor, ff. de iudic.* quare poterit excommunicare, & ab excommunicatione absoluere, *cap. duobus 56. de sentent. excommun.* quia non tantùm iurisdictionem retinet, sed & vsum iurisdictionis: item ea obire, quæ quamuis iurisdictionis non sint, tamen aguntur in iudicio. Vnde actor esse poterit, & procurator, aut testis, vel accusator, licèt de his duobus dubitet Anton. *in præsenti, num.* 15. non quia excommunicatus sit, sed quia criminosus, argumento textus *in cap. super eo 13. de testibus.* Item poterit contrahere, & facere testamentum. Glossa *in præsenti*, quam sequuntur Innoc. *num.* 3. Hostiens. *num.* 5. Panormit. *num.* 2. Suarez *d. sect.* 2. *num.* 4.

7 k *Est irritanda.*] Consonant lex 6. *tit.* 9. *part.* 1. Ratio redditur à Gregorio in illis verbis: *Pro eo, quod ad susceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à sanctis Patribus est priuatus.* Quæ significant, quòd quamuis per minorem excommunicationem priuetur quis tantùm Sacramentorum participatione, *cap.* 2. *de except.* quæ in sola perceptione consistit, iuxta præsentem textum *in vers. Peccat*; attamen si eligatur ad beneficium, electio est irritanda, quia concomitanter se habet ad susceptionem sacramentorum; ideò enim quis eligitur ad beneficium, vt celebrando percipiat sacramenta, *cap. relatum* 11. *de consecr. dist.* 2. à quorum perceptione est priuatus. Vnde etiam eligi prohibetur, ex regula, quæ dictat, quod quando aliquid prohibetur, omne id censetur prohibitum, per quod peruenitur ad illud, *l. oratio 16. ff. de sponsal. l.* 2. *ff. de iurisdict. cap. præterea, de offic. deleg.* & ne qui vna via à Sacramentorum perceptione arcetur, alia admittatur, contra textum *in cap. tuæ, de procurat.* namque si talis electio non irritaretur, tacitè admitteretur electus ad id, à quo expressè prohibetur, contra regulam textus *in l. qui testamento 27. de probat.* Sed quia hæc electio directè non celebratur contra censuram, ideò non est irrita ipso iure, sed irritanda à iudice per sententiam, vt constat ex præsenti verbo *irritanda*, & docuerunt Glossa *in præsenti, verbo Eligere*, Suarez *disp.* 24. *sect.* 2. *num.* 21. Alterius *de censur. disp.* 4. *cap.* 3. §. 2. quare audiendi non sunt Hostiensis hic, *num.* 5. Cardinal. *column. vlt.* Couarruu. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 4. *num.* 3. Hugolinus *tabul.* 3. *cap.* . §. 3. *num.* 2. existimantes, hanc electionem ipso iure nullam esse, quia persona minùs idonea eligatur: & argumento capitis *postulasti* 7. *hoc tit.* accipientes verbum *irritanda*, iuxta subiectam materiam, hoc est irrita nuncianda; namque persona in hoc casu non prohibetur directè eligi ob minorem excommunicationem, quemadmodum ligatus maiori excommunicatione, de qua agitur *in d. cap. postulasti*; sed indirectè, & immediatè; & ideò quamuis electio facta de excommunicato maiori excommunicatione ligato sit ipso iure nulla, *d. cap. postulasti*; non tamen talis erit electio de ligato minori excommunicatione, sed irritanda.

8 i *Sanctis Patribus.*] In canone 10. Apostolorum, de quo *in cap. sicut Apostoli, 16. cum sequenti, 11. quæst.* 3. & alijs, quæ dabimus *in cap. significauit, de sentent. excomm.* ex quibus verbis etiam deducitur, quòd si excommunicatus minori excommunicatione eligatur ad temporalem dignitatem, Regnum, & Cathedram, etiamsi sacræ electionis sit, valebit electio, quia cessat prædicta ratio. Suarez *d. sect.* 2. *num.* 14. Alterius *d. disp.* 4. *cap.* 2. non ita si eligatur ad beneficium simplex, præstimonium, vel simile, cuius officium non est ministrare, quia quamuis hæc beneficia non obligent ad Missam celebrandam, vel sacri ordinis susceptionem, sufficit quod ex intentione Ecclesiæ fuerint ad finem hunc instituta. Aliud procedit in pensione, quæ non est beneficium ecclesiasticum.

9 j *Sacramenta.*] Consonant lex 6. *tit.* 9. *par tit.* 1. & rectè, quia qui minori excommunicatione ligatus celebrauit, grauiter peccat, vt inquit Gregorius *in præsenti*; at ille qui in peccato mortali est, non potest sacramenta contingere, *cap. eos*, 81. *dist.* quod si faciat, grauiter peccat, *cap. illud*, 50. *dist. cap. illud*, 95. *dist. cap. omnia* 1. *qu.* 1. *cap. præter*, §. *verùm*, 32. *dist.* Ergo minori excommunicatione ligatus, conferendo ecclesiastica Sacramenta non peccat, quia violat censuram Ecclesiæ, quia hæc tantùm priuat perceptione Sacramentorum; sed quia indignè confert, & in peccato mortali. Ita Innocentius, Hostiensis, & Antonius *in præsenti*, quicquid velint Couarr. Suarez, & Host. relati à Barbosa *in præsenti*; vel quia celebrant vt conferat, quo casu accipit textum hunc Mendo *in statera, dissert.* 13. *qu.* 9.

k *Effectu.*] Quia cùm excommunicatus ratione censuræ sacramenta conferre non prohibeatur, ab eo collata non tantùm valent, sed & conferunt executionem.

i *Pertinaciter.*] Quare etsi non fiat irregularis, quia grauiter deliquit, à iudice tamen anathemate est feriendus, iuxta textus *in cap. si quis Presbyter* 5. *cap. si quis laicum* 26. 11. *qu.* 3. *cap. quod in dubijs* 30. *de sentent. excomm. cap.* 3. 9. *&* 13. *eod. tit. lib.* 6.

COMMENTARIVM.

APud antiquos satis controuersum fuit, vtrùm si excommunicatus minori tantùm excommunicatione ligatus celebrasset Missæ sacrificium, maneret irregularis, vt contingit excommunicato maiori excommunicatione, iuxta tradita *in cap.* 4. *hoc tit.* Et Glossa 1. *in cap. si quis Presbyter* 5. 11. *qu.* 1. existimauit, etiam minori excommunicatione ligatos sacrificium Deo offerentes deponendos esse, & fieri irregulares, intelligens ita verba illa ipsius textus, *ab Episcopo suo correptos*, de excommunicatis minori excommunicatione; quia cùm hæc excommunicatio censura sit, ea ligatus dicitur correptus, *cap. corripiantur* 24. *qu.* 3. & si de excommunicato maiori excommunicatione in eo canone ageretur, frustra ei imponeretur anathema, qui iam erat maiori excommunicatione ligatus. Affirmat ergo Glossa, in eo canone agi de excommunicato minori excommunicatione. Quæ Glossæ sententia fulcitur ex canone 8. Concilij Carth. 2. ex quo desumptus est textus *in d. cap. si quis Presbyter*, vbi ita legitur: *Si quis Presbyter à Præposito suo excommunicatus, vel correptus fuerit*, &c. Facit etiam, nam minori excommunicatione ligatus, celebrando grauiter peccat, vt inquit Gregorius *in præsenti*; quia in materia graui, & sacra violat censuram Ecclesiæ: hoc autem peccatum debet aliqua pœna puniri: sed nulla pœna congruentior est, quàm irregularitas; nam ex eadem causa, quia grauiter peccant excommunicatus maiori excommunicatione, suspensus, & interdictus, celebrantes irregulares fiunt, vt probaui *in c.* 4. *c. Apostolicæ, hoc tit.* Ergo similiter ligati maiori excommunicatione celebrantes irregularitatem contrahunt. Deinde quia in minori excommunicatione contracta ex eo, quod quis communicauit cum excommunicato maiori excommunicatione ligato, peccatum mortale incurritur, *cap. sacris, de his quæ vi* & rat[illegible]ne huius peccati, non tantùm est suspensus quoad se, *cap. sacerdotes* 90. 1. *qu.* 1. *cap. fin. de cohabit. cleric.* verùm & est suspensus à iure, *cap. cum excommunicato* 18. *cum sequenti*, 11. *qu.* 3. quæ sic accipiunt Glossa *in præsenti, verbo Nec eligere*, vbi Innocentius *n.* 1. Hostiensis *num.* 3. 10. *&* 12. Anton. *n.* 12. Panormit. *num.* 4. *&* 5. quare celebrando non tantùm erit irregularis, *cap.* 1. *de re iudic. l.* 6. *cap.* 1. *in fine, cap. is cui* 20. *de sentent. excommun. l.* 6. sed nec eligere poterit, *cap. cùm inter* 16. *de elect. cap. cùm dilectus* 18. *de consuet. cap. cùm bonæ, de ætate & qualit. cap. quia, de concess. præb.* Tandem pro sententia Glossæ faciunt canones illi, in quibus damnantur generaliter excommunicati celebrantes, vt canon 108. Synodi Carthag. in illis verbis: *Placuit, vt quicunque non communicat in prouincia propria, & in alijs prouincijs, vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis, vel clericatus excipiat.* Vbi nulla differentia fit excommunicati maiori, vel minori excommunicatione ligati, *cap. placuit* 9. 11. *q.* 3. *Ob negligentiam suam excommunicatus Episcopus, vel clericus, si antequam audiatur, communicauerit, ipse contra se sententiam fert.* Vbi obiter notanda est formula illa, *in se sententiam ferre*; & *sua sententia damnari*; quæ etiam reperitur *in l.* 1. *ff. de confessis, l. fin.* §. *sic autem, ff. de bon. eorum, l. impuberibus* 7. §. *præterea, ff. de suspect. tutor. nouella* 53 *Iustin.* Tertul. *in apolog.* ibi: *Nonne*, inquit, *& ipsius Lycurgi leges à Lacedæmonijs emendatæ tantùm auctori suo doloris incusserunt, vt in secessu inedia de semetipso iudicarit.* Apulei. *l.* 8. *Metamorph.* de adultero excæcato sibi vim inferre cogitante, ait: *Inedia statuit elidere sua sententia damnatum spiritum.* Tacitus *l.* 5. *Eorum, qui de se statuebant, humabantur corpora.* Illustrant Fornerius *l.* 6. *rer. quotid. cap.* 21. Iustel. *in can.* 18 *Eccles. Afric.* vnde Innocent. in præsenti, *num.* 2. meliùs sentire affirmat eos, qui existimant, excommunicatos minori excommunicatione, siue ab homine, siue à canone, si celebrent, esse irregulares; cuius etiam sententiæ fuisse Archidiaconum *in cap. excommunicamus*, 11. *quæst.* 3. refert additionator Panormit. *in præsenti, num.* 2. *littera B*, 10

illud intelligens, non vt excludatur irregularitas, sed quod in ea non desideretur dispensatio Pontificis, sed sufficere Episcopi.

Contrarium tamen omninò cum nostro Gregorio affirmandum est, scilicet nullius notam irregularitatis incurrere eum, qui minori excommunicatione ligatus celebrauit: quod & probant lex 5. & penultima, *tit. 9. part.* 1. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti, num.* 4. Gibalinus *de irregul. c.* 5. *q.* 2. *confect.* 1. *n.* 7. Villalobos *tract.* 21. *difficult.* 14. *n.* 1. Corneio *in* 3. *p. disput.* 6. *de irregular. dub. vnic. quæst.* 1. Leander *eod. tract. disp.* 21. *quæst.* 1. Ratio in eo consistit, quia irregularitas non incurritur propter exequutionem cuiuslibet actus sacri prohibiti per censuram, nisi actus ille concludat ad ordinem: hoc est, non incurritur propter susceptionem solam sacramenti, sed propter indiuisam ordinis administrationem, à qua per censuram aliquis prohibitus est, vt probat Suarez *vbi proximè*, vnde vt quis irregularis efficiatur, oportet, quòd sit suspensus ab aliquo actu, qui ad aliquem ordinem pertineat, vt *ex cap. is qui* 18. §. *vlt.* ibi, *Celebrat*: *cap. is cui* 20. ibi. *In suo agens officio, de sent. excommun. lib.* 6. probant Couarr. Hugolinus, & Alterius *vbi suprà*: at qui minori excommunicatione ligatus celebrans non peccat propter administrationem ordinis, quia minor excommunicatio non suspendit ab aliquo actu ordinis ecclesiastici; sed peccat propter solam susceptionem sacramenti, quæ ad aliquem actum ordinis non pertinet, & perinde peccat, atque peccaret laicus sacramenta recipiendo. Igitur celebrando cum minori excommunicatione, nullius irregularitatis notam incurrit. Nec interest, quòd minori excommunicatione ligatus celebrando grauiter peccet, quia hoc non sufficit, vt fiat irregularis, quia cùm irregularitas proueniat à iure canonico, non est aliquis iudicandus irregularis, nisi vbi hoc inuenitur expressum, *cap. is cui, de sent. excomm. lib.* 6. Suar. *disput.* 24. *sect.* 2. *n.* 3. *& disp.* 40. *sect.* 4. *n.* 12. Quapropter cùm ob peccatum hoc non sit statuta in iure irregularitas, non est illa, qui ita peccauerit, puniendus, sed arbitrio sui Prælati, cùm certa pœna in iure non statuatur, vt argumento textus *in cap. de causis* 4. §. *fin. de offic. deleg. cap. tempore* 16. *q.* 7. *l.* 1. *ff. de iure delib.* probat Glossa 1. *in præsenti*, quam sequuntur Hostiensis *num.* 2. Hugolin. *de censur. tabul.* 3. *cap.* 8. *num.* 1. Alter. *eod. tract. disp.* 4. *cap.* 2. §. *quæret aliquis*. Suarez *eod. tract. disp.* 24. *sect.* 1. *n.* 3. Alia causa est eius, qui cùm esset maiori excommunicatione ligatus, celebrauit; hic namque erit irregularis, quia maior excommunicatio includit suspensionem ordinum; quia quamuis sit censura distincta à suspensione, attamen quoad effectum suspendendi habet eandem efficaciam cum ea, vt probat Suar. *disp.* 21. *sect.* 3. *n.* 3. & ideò quia ligatus maiori excommunicatione celebrando attentat officia sibi interdicta, irregularis efficitur, vt latè probaui *in c.* 4. *hoc titul.* Hinc quia minor excommunicatio priuat tantum passiua susceptione sacramentorum, quæ non tendit ad ordinem ecclesiasticum, non est verè, & propriè suspensio, nec taliter excommunicatus dici potest suspensus; quia vera suspensio non consistit in priuatione passiua, sed in actiua; non tantùm sacramentorum, sed aliarum functionum ecclesiasticarum, vt probat Suar. *de censur. disp.* 25. *sect.* 1. *n.* 4. Est enim censura ecclesiastica, qua minister Ecclesiæ impeditur, ne diuina officia celebret, aliquane ecclesiastica potestate vtatur: quare ligatus minori excommunicatione, quia verè & propriè non est suspensus, celebrando non fit irregularis, & eligere poterit iuxta hunc textum: non ita verè, & propriè suspensus, quia hic celebrando irregularis efficitur, *cap.* 1. *de re iudic. lib.* 6. nec eligere valet, *d. cap. cùm inter, de elect.* quia non potest ecclesiastica munera obire. Vnde etiam fit, quòd quamuis admittamus peccatum mortale committere eum, qui communicat cum excommunicatione ligato, & per consequens suspensum manere quoad se; attamen hæc suspensio non est sufficiens ad irregularitatem incurrendam, *cap. fin. de cohabit. cleric.* ex quo ita docuerunt Innocentius *in præsenti, n.* 2. Hostiensis *n.* 5. Antonius *n.* 12. Panormitan. *n.* 4. Ancharan. *num.* 9. Nec obstat textus *in d. cap. Presbyter* 5. 11. *q.* 3. Pro contraria sententia adductus, qui loquitur de clerico maiori excommunicatione ligato; & docetur, quod si ipse in contemptum superioris sacrificium Missæ celebrauerit, vt schismaticus aliud altare erigendo, locum amittat, idest irregularis maneat, & anathema ei dicatur. Nec nouum est, vt excommunicatus maiori excommunicatione, anathematizetur, *cap. Engeltrudam* 3. *q.* 4. *cap. cùm non ab homine* 10. vbi probaui, *de iudicijs*: & ita textus *in d. cap. Presbyter*, accipiendus est de clerico excommunicato maiori excommunicatione, de quo etiam accipiendi sunt alij canones suprà relati.

T I T V L V S XXVIII.

De Clerico non ordinato ministrante.

C A P V T P R I M V M.

a Hormisda Papa.

SI *b* quis *c* baptizauerit, aut aliquod *d* diuinum officium exercuerit non ordinatus, propter temeritatem *e* abijciatur de Ecclesia; & nunquam ordinetur.

N O T Æ.

1 a HOrmisda.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 1. licèt Glossa marginalis legat *Honorius*. Sanctus Hormisda, natione Campanus, patria Frusinus, electus fuit Summus Pontifex die 26. Nouemb. anno 514. Scripsit varias epistolas, ex quibus nonnulla fragmenta extant apud Gratianum, & Carnotensem; & ex eis forsan textus præsens transcriptus est. Alia de ipso Pontifice referunt Baronius, & Coriolanus *d. anno* 514. Iacob. à Sancto Carolo *in Biblioth. Pontificia*, & nos *in cap.* 1. *de despons. impub.*

2 b *Si quis.*] Clericus videlicet in minoribus ordinibus constitutus, vt ita conueniat præsenti titulo de clerico non ordinato, licèt hæc rubrica in prima collectione tantùm habeatur de non ordinato ministrante: sed Raymundus respiciens auctoritates sub hoc titulo compilatas tantùm agere de clericis ministrantibus in gradu, quem non habebant, ideò rectè auctoritate Gregorij IX. adiecit, *de clerico*: vnde plures deducunt, laicum solemniter baptizantem, aut sacramentaliter absoluentem, non fieri irregularem, vt docuerunt Angelus *verbo Irregularitas, n.* 31. Rosella *eod. verbo, n.* 2. Armilla *n.* 65. Sà, *num.* 5. Henriquez *lib.* 2. *c.* 29. *n.* 5. Sayrus *de censur. lib.* 7. *c.* 10. *n.* 6. Layman *lib.* 1. *summ. tract.* 5. *p.* 5. *c.* 3. *n.* 3. Bonacina *de irregul. disput.* 3. *q.* 3. *punct.* 6. *num.* 1. plures relati à Barbosa *in præsenti, num* 5. quibus adde Gibalin. *de irregul. c.* 5. *confect.* 1. Dianam *par.* 4. *tract.* 2. *resol.* 77. *&* 91. Corneium *in* 3. *p. tract. de irregul. disp.* 7. *dub.* 291. ea ratione moti, quia nullibi reperitur hæc irregularitas statuta contra laicum; siquidem *in cap.* 2. *hoc tit.* agitur de Diacono Missam celebrante: in hoc autem textu facilè deducitur, agi de clericis in minoribus ordinibus constitutis solemniter baptizantibus; licèt cùm integra hac epistola careamus, id apertè probare non possimus. Contrariam tamen sententiam, videlicet laicum solemniter baptizantem irregularitatem contrahere, satis probabiliter tenuerunt Suarez 3. *par. in* 3. *par. disput.* 3. *sect.* 4. Paludan. *in* 4. *dist.* 5. *sect.* 1. *concl.* 2. Valent. *to.* 4. *disp.* 4. *q.* 2. *punct.* 1. alij quos refert, & sequitur Leand. *de irreg. tract.* 2. *disp.* 20. *quæst.* 7. Auila *de censur. p.* 7. *disput.* 2. *sect.* 2. *dub.* 13. vtramque opinionem proba-

probabilem, sed primam probabiliorem dicit Prado *de sacram. tom.1. q.67. dub.1.*

c *Baptizauerit.*] Solemniter videlicet; quòd tantùm
8 facere possunt, vt ordinarij ministri, Episcopi, & Parochi, vt probaui in canone 38. Concilij Illiberit. vel ex delegatione, vt Diaconi, vt probaui in canone 77. eiusdem Concilij; nam priuatim, & tempore necessitatis, non solùm clerici in minoribus Ordinibus constituti, verùm etiam laici possunt baptizare, vt probaui *in d. can.38. Concilij Illiberit.* & statim dicemus.

d *Diuinum officium.*] Vnde aliqui asserebant, admini-
4 strantem sacramenta, etiam non ordinatum, irregularem non fieri, quia appellatione diuinorum officiorum sacramenta non continentur. Sed contrarium verius est; nam qui administrat sacramentum non ordinatus, irregularis fit, vt de baptizante solemniter docetur in præsenti textu, & de Missam celebrante in sequenti, & de alijs Sacramentis probat Gibalinus *de irregul. c.5. p.2. consect.2.* & non impropriè diuinorum officiorum appellatione sacramenta continentur, vt ipse Gibal. probat. Vnde sacerdos administrans confirmationem, irregularis manet. Auila *vbi suprà*, exercentes verò officia minorum Ordinum, etiam solemniter, nullam irregularitatem contrahunt. Vgolinus *de irregul. cap.37.*

e *Abijciatur.*] Idest ab omni prorsus communione ecclesiastica pellatur, vt *in can.51. Apostolor.* Concil. Laodic. *can.36.* Tolet.4. *can.58.* Meldense *can.73.* Illustrat Morinus *lib.2. exercit. cap.26.*

COMMENTARIVM.

5 De Ministro. CVm nemo seipsum baptizare possit, *cap. debitum, 4. de baptismo*, D. Thomas *3. p. q.66. art.6. ad 4.* sicut nec absoluere à peccatis, *cap. didicimus, 24. quæst.1.* aut ad beneficium præsentare, *cap. fin. de instit.* Iul. Lauor. *variar. tit.4. cap.6. n.18.* quia debet dari distinctio realis inter dantem, & accipientem, *l. ius dandi, §. Prætor, ff. de tut. & curat.* ideò baptismum suscepturus eget ministro, qui illum sibi conferat: licèt enim sacramentum Eucharistiæ sibi ipsi quis ministrare possit, vt in sacerdote celebrante contingit, immò & olim non solùm viri, verùm & fœminæ suis manibus sacram Eucharistiam sumebant, Concilium Altissiod. *can.36.* ibi: *Non licèt mulieri nuda manu*; hac tamen differentia seruata, vt viri nudis manibus in formam crucis appositis eam acciperent, mulieres verò non nudis manibus, sed supposito linteo, sexta Synodus Trullana, ibi: *Si quis immaculati corporis in synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in Crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.* Cyrillus Hierosolym. *catech.5.* ibi: *Accedens autem ad communionem, non expansis manuum volis accede, nec cum disiunctis digitis, sed sinistram veluti sedem quandam subijcias dexteræ, quæ Regem suscepturà est, & concaua manu suscipe Corpus Christi.* D. August. *serm.25.* ibi: *Omnes mulieres exhibeant nitida linteamina, vbi Corpus Christi accipiant.* Rationem expressit S. Basilius *epist.189.* *Quoniam per tempora illa persecutionum cogebantur homines necessariò, Sacerdote, vel ministro non præsente, proprijs manibus percipere communionem, non est nisi superuacuum vt demonstrem, illam ipsam rem non esse grauiter, & iniquè ferendam, eo quòd inueterata consuetudo hoc ipsum re ipsa confirmatum dederat; nam & illi omnes, qui per eremos vitam monasticam instituunt, vbi copia non suppetit sacerdotis, cùm habeant domi, de suis manibus illam percipiunt.* Synod. 6. *can.101.* Gregor. Nazianz. apud Nouatin. *lib.5. c.63. in Agn. Eucharist. & seq.* notarunt Menard. *in notis ad Sacram. D. Gregorij, fol.391.* Vicecomes *volum.4. de ritibus Missæ, lib.7. cap.11.* Bulengerus *ad Casaubon diatrib.3. pag.218.* Christ. Lupus *ad can.101. Synodi 6.* Et similiter matrimonium contrahentes, simul ministri, & susceptores sint illius sacramenti, ita vt vnusquisque minister sit partialis, & ambo faciant vnum ministrum totalem; atque sint causæ physicæ, seu morales gratiæ, vt probant Basil. *lib.1. de matrim. c.3.* Trullench *eod. tract. c.5. dub.7.* Nihilominus in baptismi sacramento distinctus debet esse minister à subiecto; tum propter factum, & preceptum Christi Domini, qui non à se ipso, sed à Ioanne baptizari voluit, *c.3. Matthæi*; & iussit Apostolis apud eundem: *Ite, baptizate omnes gentes*; ostendens alium debere esse, qui baptizatur, alium qui baptizat; tum quia baptismus se habet ad instar generationis corporalis, *cap. regenerante, cap. regenerabuntur, de consecrat. dist.4.* Trident. *sess.24. de reformat. cap.2.* sed in generatione duo concurrunt, alius qui gignit, & alius qui generatur: igitur similiter in baptismo, vt arguebat Pontifex *in cap. debitum, de baptismo*; & nouit Turriscrem. *in c. in necessitate, de consecr. dist.4.*

Circa ministrum sacramenti baptismi duplex inspectio 6
occurrit, alia circà ministrum, qui validè illum conferre valet; alia circà illum, qui ratione officij, aut delegationis potest non solùm validè, verùm & solemniter illum administrare. Circa primam, reiecta sententia Caluini existimantis baptismum collatum ab alijs, quàm à ministris Ecclesiæ, nullum esse, quem feliciter refellit Bellarminus *lib.1. de baptismo, cap.7.* certum est, baptismum sub legitima forma collatum à quocunque, siue baptizato, siue Pagano, Iudæo, vel hæretico, viro, siue fœmina, ratum esse, vt definitum legimus *in cap.1. §. vna verò, de summa Trinit.* Concil. Florentin. *in Decreto fidei, §. primùm*; & sigillatim de laicis baptizantibus, *cap. in necessitate 21. cap. sanctum 36. de consecr. distinct.4. cap. diaconos, 95. distinct. cap. ad limina 30. quæst.1.* probant Cæsar. *de Eccles. Hierarch. disput.8. §.2. num.21.* vnde D. Petrus dum adhuc sacris ordinibus initiatus non esset, baptizauit sanctum Andream, & filios Zebedæi; & ipsi dum laici adhuc essent, cæteros Apostolos baptizarunt, vt refert Baronius *tom.1. anno 31.* & baptismum collatum à D. Athanasio adhuc puero, posteà Episcopo Alexandrino, probauit Ecclesia, vt post Rufinum narrat Baronius *anno 311.* Fœminas etiam validè baptizare probat Vrbanus Papa *in cap. super quibus*, ibi: *Fœmina puerum baptizauit, 30. q.3.* De Paganis, & Iudæis idem probant Isidorus *in cap. Romanus, 23.* ibi: *Licèt Paganus sit, qui baptizat.* Nicolaus *in cap. à quodam Iudæo*, Augustinus *in cap. solet, de consecr. distinct.4.* Idem de hæreticis docetur, *in cap. ostenditur, cap. aliud, cap. nullus, cap. siue 51. de consecrat. dist.4.* Concil. Niceno *canon.19.* Tridentin. *sess.7. de sacram. cap.4.* D. August. *lib.6. de baptismo, cap.25.* & ab alijs Patribus congestis à Baronio *anno 217. & 25.* Pamelius *in notis ad epist.73. D. Cypriani, num.27.* & prædictam doctrinam defendunt Suarez, Vasquez, & alij *ad D. Thomam 3. par. quæst.66. art.3.* Sententiarij cum Magistro *in 4. dist.5.* Summistæ relati à Leandro *tom.1. de sacram. disp.4. q.14.* Trullench *de baptismo, lib.2. cap.1.*

Verùm hæc veritas catholica difficilis redditur sequen- 7 De Ministro baptismi.
tibus argumentis. Primùm ex eo nascitur, nam in quolibet Sacramento Christus Dominus designauit in sua intentione materiam, formam, & ministrum: sed in baptismi institutione tantùm designauit Apostolos, & eorum successores Episcopos ministros huius sacramenti, dum dixit: *Euntes baptizate omnes gentes.* Ioannis *c.20.* Matthæi *cap. vlt.* Ergo alij quàm Episcopi non possunt conferre hoc sacramentum. Quam considerationem firmat D. Isidor. *lib.2. de offic. c.33.* relatos à Carnotensi *par.1. decret. cap.66.* in illis verbis: *Illud quod nec priuatis, nec clericis baptizare licebat, nisi tantùm sacerdotibus, in Euangelio tantùm legimus Apostolis permissum.* Secunda difficultas oritur ex eo; nam si laicis permitteretur baptizare, maximè propter necessitatem huius sacramenti, vt considerant Doctores suprà citati. Sed hæc ratio est insufficiens. Igitur laici nec in necessitate baptizare valent. Probatur minor, nam sacramentum Penitentiæ æquè necessarium est post peccatum actuale, ac baptismus propter peccatum originale: sed etiam necessitate existente laicus à peccatis absoluere nequit, *cap. verbum, de pænit. dist.1.* Glossa *in cap. pastoralis, & in cap. præterea, de offic. ordin.* notaui *in cap.2. de furtis*: ergo nec baptizare. Tertia difficultas ex eo prouenit, nam iuxta dictam rationem tantùm euincitur, in extrema necessitate posse laicum baptismum conferre; quod & doceri videtur in Concilio Florentino *d. §. Primum*, in illis verbis: *In casu autem necessitatis non solùm Sacerdos, vel Diaconus, verùm etiam laicus, vel mulier baptizare potest. Et c. Diaconos 93. dist. c. mulier, de consec. dist. 4. c. ad limina 30. q.5.* ibi: *Nam hoc opus baptizandi laicis fidelibus iuxta canonicam auctoritatem, si necesse fuerit, facere conceditur.* D. Hieron. *in dial. contra Luciferianos*, ibi: *Baptizare, si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis.* D. Isidoro *lib.2. de offic. c.24.* Gelasio *epist.1.* Ergo extra necessitatis casum laici validè conferre nequeunt baptismum. Etiam quòd de feminis dicebamus, difficile redditur ex Concil. Carthag.4. *can.100.* ibi: *Mulier baptizare non præsumat.*

fumat. Refertur à Carnotensi 1. *p. Decreti, c.* 65. Etiam quod de Paganis dicebamus, impugnari potest hoc ratiocinio; nam nemo potest dare quod non habet, *cap. nulla* 62. *cap. gratia* 1. *quæst.* 1. *cap. quomodo*, *de consecr. dist.* 4. Sed Pagani adhuc baptismum non susceperunt: ergo non possunt alijs conferre. Baptismus enim est sacramentum fidei: quomodo ergo qui nunquam fidem professus fuit, illam alijs communicare potest. Fulcitur hæc difficultas *ex cap. quos à Paganis*, *de consecr. dist.* 4. *cap. si quis per ignorantiam* 1. *quæst.* 1. vbi à Paganis baptizati iubentur rebaptizari: vnde D. Augustinus *lib.* 2. *contra literas Parmen. cap.* 13. multùm dubitat de baptismo à non baptizatis collato. Tandem quòd dicebamus, hæreticos validè baptizare, falsum videtur, siquidem baptismum ab hæreticis collatum respuit, & damnat Ecclesia, vt baptismum Paulianistarum, & Cataphrygum in Synodo Nicæna 2. *can.* 7. Laodic. *can.* 8. sexta generali *can.* 95. septima *can.* 7. notarunt Baronius *anno* 258. Cæsar *disp.* 1. §. 4.

8 Expenduntur quædam difficultates. Adhuc tamen defendenda est suprà tradita doctrina, quam post nuper laudatos doctè, & eruditè probat Andreas Sausay *in Panoplia sacerdotali*, *lib.* 5. *cap.* 8. *cum sequent.* Nec obstat quod de institutione huius sacramenti expendebamus; nam præterquam quod non constat, eo tempore, quo Christus Dominus noster iussit Apostolis ite in vniuersum mundum, ac baptizare, præsentes tantùm fuisse Apostolos, immò facilè credi potest alios plurimos adfuisse: dicendum est, Apostolos ipsos declarasse præceptum illud, secum associando alios, vt Stephanum, & Philippum, ad idem ministerium prædicandi, & baptizandi; vnde depromitur, ex præcepto diuino non solùm Episcopos fuisse designatos ministros huius sacramenti, verùm & alios in Ecclesiastico gradu constitutos. Nec contrarium probat D. Isidorus, quia accipiendus est sanctus Doctor de baptismo solemniter conferendo, qui tantùm à Presbyteris ratione proprij officij administrari valet. Nec secundum argumentum refragatur, cui vt satisfaciant Doctores suprà relati, anxiè quærunt differentiæ rationem, quare laici vrgente necessitate possint validè, & ritè sacramentum baptismi administrare, cæteraque sacramenta, etiam vrgente necessitate non possint conferre: & vera ratio petenda est ex necessitate sacramenti baptismi; cùm enim hoc sacramentum simpliciter necessarium sit ad salutem animæ, congruè institutum fuit, vt à quolibet viatore, & cùm materia ita vulgari, vt est aqua, possit administrari: pœnitentiæ autem sacramentum non ita necessarium est, cùm per contritionem possit suppleri eius defectus, & cum ea pœnitens se saluare. Quam rationem post alios probat Cæsar *de Ecclesiast. hierarch. disput.* 8. §. 1. *num.* 11. Nec tertia obiectio aduersatur; verum enim est, etiam extra tempus necessitatis laicos validè posse hoc sacramentum administrare, *dict. cap. à quodam Iudæo*, D. Augustin. *lib.* 2. *contra Parmen. cap.* 13. *& 19.* ibi: *Sed etsi nulla vsurpetur, & à quovis cuilibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis dici possit illicitè datam.* Tertullian. *de baptismo*, ibi: *Alioquin & laicis ius est baptizandi; quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari potest.* Neque textus in contrarium adducti contrarium probant, nam licèt loquantur de baptismo collato à laicis in casu necessitatis, idem intelligitur definitum extra necessitatem, quod attinet ad valorem sacramenti; quoniam in sacramentis pro varietate temporum diuersi ministri non dantur, vt latè probat Vasqu. *to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 129. *c.* 2. ideò autem Patres casum necessitatis tantùm expresserunt, vt simul ostenderent, ea vrgente non solùm quemcunque viatorem posse validè, & cum effectu conferre hoc sacramentum, verùm & ritè, licitèque ministrari: quòd non procedit extra tempus necessitatis, quia tunc laici baptizantes, etsi validè, non tamen licitè hoc sacramentum conferunt. Nec obstat canon 100. Concil. Carthag. procedit enim in baptismo collato eo tempore, quo nulla necessitas adest, aut ea vrgente est copia Presbyteri, aut alterius ministri; tunc enim mulier baptizare nequit: si autem baptismum de facto conferat, non negant Patres, validè, & cum effectu collatum esse; quo modo etiam accipiendi sunt Tertull. & Epiphanius, relati à Bellarmino *d. cap.* 7. Nec obstat, quod de baptismo à paganis collato expendebamus; nam effectus huius sacramenti, sicut aliorum, non prouenit ex bonitate, seu malitia ministri, nec ille est, qui gratiam, aut fidem confert; sed virtute sacramenti, ex opere operato sacramenta effectum sortiuntur; vnde Pagani, seu Iudæi validè baptismum conferunt, quia nihil de suo largiuntur. Hoc tamen procedit, si baptismus ab illis ministretur sub præscripta, & debita forma, non verò si sub alia conferatur; quia tunc baptismus ex defectu formæ inualidè confertur, *cap. Ecclesijs*, 68. *distinct.* vnde Pontifex *in dict. cap. quos à Paganis*, & similibus, non iubet à paganis baptizatos iterùm baptizari, quia à paganis baptizati sunt, sed quia baptizati non fuerunt sub debita forma: & securiùs esse, ac tutiùs baptizatos à paganis semper sub conditione iterùm baptizari, docuere Andreas Sausay *in Panopl. sacerdotali*, *lib.* 5. *cap.* 11. Diana *par.* 10. *tract.* 16. *resolut.* 29. Nec obstat textus *in dict. cap. si quis per ignorantiam*, qui duas partes continet, quarum prima non reperitur inter opera Diui Isidori; secunda verò etiam refertur *in cap. Romanus*, *de consecrat. distinct.* 4. & si adhuc admittamus verba prioris partis ipsius textus esse Diui Isidori, legenda sunt interrogatiuè, non assertiuè, vsque ad illa verba, *non ordinatur*, vt tunc sequatur responsum ipsius sancti Doctoris per illa, *Romanus Pontifex*, &c. Nec dissimili scissura mederi potest textus *in cap.* 1. *de Presbytero non baptizato*, vt in eius commentario iam obseruaui. Tandem nec quod dicebamus de baptismo Paulianistarum, obstat; licèt enim temporibus Stephani Papæ I. per annos 258. in Ecclesia præcipuè Orientali valdè agitata esset quæstio, an reuersi ab hæreticis deberent rebaptizari, si ab ipsis essent baptizati, affirmante D. Cypriano cum alijs Episcopis eximiæ doctrinæ, & virtutis, vt constat ex Epistolis 71. 72. & 75. eiusdem Sancti; tamen Stephanus definiuit rebaptizandos baptizatos ab hæreticis non esse. D. Cyprianus *epist.* 74. Diuus Augustinus *de baptismo cap.* 2. refert Baronius *anno* 258. quæ doctrina probata fuit à Gregorio Magno *lib.* 9. *epist.* 61. in Synodo Quinisexta *can.* 95. Concil. Mogunt. 4. *canon.* 5. Vvormac. *can.* 5. Nec textus in contrarium adducti obstant; nam procedunt in baptismo collato à Paulianistis, & Cataphrygis, qui non administrabant baptismum sub debita forma; non enim baptizabant in nomine Trinitatis, quia Christum purum esse hominem credebant, vt referunt Cuiacius *ad tit. Cod. ne Sanctum baptisma*, Iustellus *in notis ad can.* 19. *Concilij Nicæni*; quare Ecclesia eorum baptismum non approbauit, vt iam notauit Pamelius *in notis ad epist.* 73. *D. Cypriani*, *num.* 27. Hinc expendendus erat difficilis canon 38. Concilij Illiberit. in illis verbis: *Peregrè nauigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse fidelem, qui lauacrum suum integrum habet, nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum, ita vt si superuixerit, ad Episcopum eum perducat, vt per manus impositionem perfici possit.* Sed eius veram interpretationem iam adduxi in illius notis.

Sed licèt verum sit, tempore necessitatis quemlibet posse ritè, & validè baptismum conferre; seruandus est ordo inter eos, inter quos illum conferre intendunt, vt semper Inferior cedat superiori, scilicet non baptizatus baptizato, excommunicatus non excommunicato, mulier viro, laicus clerico, clericus sacerdoti, sacerdos parocho, parochus Episcopo: docent D. Thomas 3. *par. quæst.* 64. *artic.* 4. Sotus *in* 4. *distinct.* 4. *quæst. vnic. artic.* 2. Suarez, Vasquez, Hurtado, Ledesma, & alij congesti à Leandro *tom.* 1. *de Sacrament. tract. de baptismo*, *disputat.* 4. *quæst.* 6. nisi adsit iusta causa, quæ postulet ordinem hunc inuerti, vt si præsentibus sacerdote, & laico non possit sacerdos ministrare ob ægritudinem, excommunicationem, aut quia nolit nisi pretio dato baptismum conferre; tunc enim laicus præferendus est. Diana *par.* 5. *tract.* 9. *resolut.* 87. aut si infans nondum plenè editus sit, propter decentiam enim fœmina non vir debet baptizare. Toletus *lib.* 2. *summæ c.* 20. *n.* 9. Difficultas tamen est non omittenda in hac parte, an qui inuerso ordine se ingerit administrationi baptismi, vt si præsente Presbytero, aut Diacono administret laicus, aut præsente viro fœmina, peccent lethaliter? Et in primo casu, etiam præsente sacerdote laicum baptizantem non peccare, secluso contemptu, docent Henriq. *lib.* 2. *summæ, c.* 29. Valentia *tom.* 4. *controu. disp.* 4. *quæst.* 2. *puncto* 1. peccare tantùm venialiter docuit Petrus de Ledesma *de baptismo*, *c.* 6. Sed verius est, peccare lethaliter, etiamsi contemptus non sequatur, & sacerdos præsens consentiat, vt tenuerunt Villalobos, Dicastillo, Trullench, & alij, quos refert, & sequitur Leander *d. disp.* 4. *q.* 7. alij, quos laudat Diana 3. *p. tract.* 4. *resol.* 4. Idem in clerico minoribus ordinibus tantum initiato mini- 9 Inter ministros ordo seruatur.

Digitized by Google

ministrante præsente Diacono, resoluunt Vasquez, Ægidius, & Nuño laudati à Leandro *suprà*, *quæst*.8. Sed verius est, tantùm venialiter peccare, quia Diaconus minister non est baptismi ex officio, vt ex præsenti textu constat; & per consequens non erit peccatum lethale alium illi præferri. Ita docent plures, quos referunt, & sequuntur Quintanaduenas *de baptismo*, *singul*.17. *num*.5. Diana *p*.3.*tract*.4. *resol*.4. *& par*.5. *tract*.3. *resol*.18. Idem dicendum est, cùm clericus in minoribus constitutus præsente subdiacono, vel fœmina præsente viro baptismum ministrant; tunc enim tantùm peccant venialiter, vt resoluunt Quintanaduenas *vbi suprà*, Leander *disp*.4.*q*.9.

10 De ministro solemnitatis. Hæc de prima parte huius commentarij: sequitur secunda de ministro baptismi solemniter conferendi, videlicet de illo, qui ratione officij, seu iure ordinario, vel delegationis potest baptismum non solùm validè, verùm, & solemniter ministrare. Et primò de illis, quibus ex officio, seu iure proprio competit munus baptizandi, videamus. Et primò ad Episcopum spectat officium baptizandi, *cap*.1. *de religiosis domibus*, *cap. euntis*,41. 16. *quæst*.1. *cap. Diaconos*, *dist*.93. D. Clemens *lib*.3. *constit. cap*.10. *&* 11. ibi: *Sed nec reliquos baptizare permittimus, veluti lectores, cantores, ostiarios, ministros, sed solos Episcopos, & Presbyteros*. Idem *lib*.6. *c*.15. *& lib*.7. *c*.40. *&* 42. D. Ambrosius *lib*.3. *de sacram. cap*.1. Tertul. *de baptismo*. Probant Ant. Augustin. *in epit. lib*.22. *tit*.12. Mendoza *lib*.3. *Conc. Illiberit. cap*.11. Petrus Bollo *in œcon. canonica*, *class*.2. *cap*.24. §.4. Cæsar. *de ecclesiast. hierarch. disp*.8.§.3. *num*.13. Sauarus *ad Sidonium*, *fol*.432. Aloix *ad vitam sancti Acurcij*, *cap*.18. Vnde Patres regeneratorum appellat Episcopos Prosper Aquitanicus *lib*.2. *de vita contemp. cap*.2. Inde etiam Episcopus primis Ecclesiæ temporibus signabat baptisteria. Concil. Tolet. 8. *can*.3. & de S. Ambrosio refert D. Paulinus *in eius vita*, tanta corporis, animique fortitudine in Episcopalibus muneribus obeundis ipsum præditum fuisse, vt quòd ipse solus circa baptizandos cumulatissimè præstabat, posteà quinque Episcopi post eius obitum vix implere sufficerent: Episcopus enim rectè, & iure ad corpus Ecclesiæ admittere potest, quia corpori ipsi tanquam caput præest, *cap. omnes*, 16. *quæst*.1. Vasquez *p*.2. *in* 3. *p. disp*.147. *num*.21. Nec contrarium deducitur ex Apostolo 1. *ad Corinth. cap*.1. *vers*.17. in illis verbis: *Non misit me Christus baptizare, sed euangelizare*. Igitur baptizare non est munus proprium Episcopi, sed aliorum ministrorum inferioris gradus. Nam respondetur, D. Paulum ibi non asserere, sibi non licere baptizare; siquidem in eodem capite, *vers*.14. testatur apud Corinthios se baptizasse Crispum, Caium, & Stephani domum; vnde tantùm ait, se missum non esse ad baptizandum, sed ad prædicandum, iuxta id, quod dicitur *Actuum Apost. cap*.9. *vers*.15. quia baptismus per alios administrari poterat, non verò prædicatio. Docet Sausay *in Panop. sacer. p*.2. *lib*.5. *cap*.2. Secundarius minister, cui ratione proprij officij competit baptizare iure ordinario, est Presbyter, idest Parochus proprius. Quod à primis Ecclesiæ cunabulis obseruatum legimus: siquidem in canone 15. Apost. ita cauetur: *Si quis Episcopus, vel Presbyter non tria vnius baptismatis mysteria perfecerit, deponatur*. D. Clemens *lib*.3. *constit. cap*.20. ibi: *Nec Presbyterum, nec Diaconum iubemus ordinari ex laicis clericos; sed Presbyterum tantùm docere, offerre, & baptizare*. Paschasius Episcopus *in epist. ad Leonem Papam*, ibi: *Cùm Presbyter secundùm morem baptizandi horam requireret*, &c. latè probat Sausay *d. lib*.5. *cap*.4. Sacerdos enim, qui ordinatus est ad administrandam Eucharistiam, par est, vt possit sacramenta administrare, per quæ fideles disponuntur ad Eucharistiam ritè suscipiendam, vt post Suarium, Vasquez, & alios docet Leander *de baptismo disput*.4. *quæst*.17.

11 Dissoluuntur quædam difficultates. Sed superiori doctrinæ nonnulla obijci possunt. Et primò insurgi valet ex eo, nam Christus Dominus, dum instituit ministrum baptismi, simul præcepit prædicare, & baptizare, apud Matthæum, & Ioannem locis suprà citatis. Sed munus prædicandi tantùm Episcopo competit, *cap. inter cætera*, vbi probaui, *de offic. ordin*. Ergo illi soli competit ex officio munus baptizandi. Accedunt D. Hieron. *in Dialogo contra Luciferianos*, *num*.20. dum ait: *Inde venit, vt sine chrismate, & Episcopi iussione Presbyteri, nec Diaconi ius habeant baptizandi*. Tertullian. *de baptismo c*.17. ibi: *Superest ad concludendam materiolam de obseruatione quoque dandi, & accipiendi baptismum commune facere, dandi quidem vim habet summus sacerdos, qui est Episcopus, deinde Presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate, propter Ecclesiæ honorem*. Ergo tantùm ex delegatione Episcopi Presbyteri possunt solemniter baptismum conferre. Cui difficultati vt satisfaciamus, dicendum est, Presbyterum parochum in propria Parochia esse ministrum legitimum ratione officij sacramenti baptismi, & proinde sine speciali licentia Episcopi posse munus proprium adimplere; immò obstrictum esse ex ipso parochiali titulo ad conferendum baptismum proprijs parochianis: quod munus exequitur independenter ab Episcopo, vt probant Barbosa *de offic. Parochi*, *cap*.18. Trullench *eod. tract. cap*.3. nec quod de munere prædicandi dicebamus, obstat; nam licèt Christus Dominus simul iniunxisset Apostolis munus prædicandi, & baptizandi; tamen non prohibuit per alios etiam officium prædicandi, & baptizandi exequi, vt probaui *in d. cap. inter cætera*. Nec obstant auctoritates D. Hieronymi, & Tertulliani; nam procedunt in Presbyteris non Parochis, qui alicui Ecclesiæ parochiali non præsunt; illi enim quamuis vi suæ ordinationis habeant potestatem conferendi baptismum, tamen ex defectu subditorum illam potestatem licitè excusare non valent absque delegatione proprij Parochi. Trullench *vbi suprà*, *n*.3. Vnde si sacerdos, qui Parochus proprius non est, solemniter baptismum administret, peccat lethaliter, irregularitatem autem vllam non incurrit, quia in iure expressa non est, vt docet Barbosa, & Trullench *vb. suprà*. Nec etiam Parochus alienus potest solenniter alienum parochianum baptizare, quia nemo debet alterius parochiæ subditos vsurpare, aut propriæ terminos egredi, *cap. placuit*, 7. *q*.1. *cap. sicut* 9. *q*.2. *cap*.1. *cap. nullus*, *cum seq*. 13. *q*.1. *cap. nullus*, 3 *de parochijs*. Sed adhuc insurgi potest sequenti iuris consideratione; nam si munus baptizandi esset actus iurisdictionis, baptismus collatus alieno parochiano nullus esset, sicut nulla est absolutio peccatorum alieno parochiano facta: ergo aut quilibet Presbyter, etsi parochiam non habeat, est minister ordinarius baptismi, aut baptismus ab eo collatus nullus est. Accidat, nam D. Clemens *lib*.3. *constit. cap*.11. asserit non omnibus clericis baptizandi potestatem esse, sed tantùm Episcopis, & Presbyteris. Et D. Isidorus relatus *in cap. constat*, *de consecr. dist*.4. affirmat, baptisma à solis sacerdotibus esse tractandum. Ergo omnes Presbyteri sunt ministri ordinarij huius sacramenti. Cui difficultati vt satisfaciamus, assignanda est discriminis ratio, quare videlicet baptismus iniustè alieno parochiano collatus effectum habeat, absolutio verò neutiquam. Et differentiæ ratio in eo consistit, nam absolutio est actus iurisdictionis in peccatorem, cùm sit quædam sententia; ac proinde si sacerdos iurisdictionem non habeat in ipsum, non erit valida absolutio. Trid. *sess*.14. *c*.7. at verò baptizare non est actus iurisdictionis determinatè in baptizandum, siquidem minister baptismi nullam iurisdictionem habet in catechumenum, sed in reliquos fideles baptizatos, de quorum numero fit ipse, qui baptizatur; & sic est actus iurisdictionis, qui validè à non habente eam exercetur. Nec obstant D. Clemens, & D. Isidor. ita enim accipiendi sunt, non vt doceant omninò Presbyteris ex sola sua ordinatione absque alia delegatione baptizare licere, sed quia ex sua consecratione apti sunt, vt eis munus baptizandi solemniter delegari possit: quam doctrinam probare videtur Concil. Florentin. *sess. vlt*.§.1. dum docet, sacerdotes esse ministros sacramenti baptismi, cum hac restrictione, *quibus ex officio competit baptizare*; quia non cuicunque competit baptizare, sed quilibet sacerdos est capax, vt officium baptizandi solemniter illi committatur: quo modo accipiendus est D. Thom. 3 *p. q*.67. *art*.2. dum docet munus baptizandi sacerdotibus competere, vt docuit Syluester *in summ. verb. Baptism. n*.9.

Alij etiam possunt solemniter ministrare baptismum, 12 De ministro ex delegatione.
licèt non ratione proprij officij, sed virtute delegationis, seu commissionis, vt Diaconi: licèt enim illi iure proprio baptizare nequeant, D. Clemens *lib*.8. *constit. c*.28. ibi: *Diaconus non baptizat, non offert*. *Et c*.46. *Ius non est Diacono, aut sacrificium offerre, aut baptizare*. *Et c. Diaconos*, *c. præsente*, 93. *dist. c. constat*, *de consecr. dist*.4. docent Laym. *to*.2. *mor. tr*.2. *de bapt. c*.6. *n*.2. plures relati à Leandro de Baptismo *disp*.4. *q*.22. tamen ex commissione Episcopi, seu parochi baptizare possunt. Concil. Florent. *vbi proximè*: vnde cognoscitur magnum discrimen, quod versatur inter diaconum, subdiaconum, & cæteros ministros inferioris gra-

gradus; nam diaconus potest ex commissione solemniter baptizare, subdiaconus verò, & cæteri tantùm possunt in casu necessitatis, vt etiam possunt laici baptismum administrare. Docent Sausay *in Panopl. 2. sacerd. 2. par. lib.5. cap.6.* Similiter religiosi possunt solemniter baptizare ex commissione Episcopi, vel Parochi, *cap. placuit, 16. quæst.1.* Leander *d. disput.4 de baptismo, quæst. 18.* In partibus tamen Indiarum absque vlla commissione, ex concessione Pauli III. & Pij V. solemniter baptismum conferri ab eis, probat Vascus *in summa, verbo Baptismus 3. num.14.*

13 Expenduntur nonnulli textus. Sed hæc doctrina difficilis redditur ex sequentibus iuris principijs. Primò ex eo, nam Diaconi, etsi non consecrare, administrare tamen valent Eucharistiam. D. Clemens *lib.8. constitut. cap.28. cap. Diaconus, cap. peruenit, 93. distinct.* Concil. Chartaginens. 4. *can.38. cap. tribus 23. de consecrat. distinct.2.* probaui *in cap. sanè, de celebrat. Missar.* Ergo ratione proprij ordinis possunt baptismum conferre. Secundò, quia Diaconi pœnitentiam dare possunt, *cap. fures, 2. de furtis*, ibi. *Confessi fuerit Presbytero, vel Diacono.* Ergo faciliùs & baptismum. Tertiò refragatur auctoritas Pontificalis D. Gregorij, vbi asseritur, quòd quando Episcopus ordinat Diaconos, antequam actionem incipiat, sic eos alloquitur: *Prouehendi filij dilectissimi ad Leuiticum ordinem, cogitate magnoperè ad quantum gradum Ecclesiæ ascenditis: Diaconum enim oportet ministrare ad Altare, baptizare, prædicare, &c.* Ergo ratione proprij gradus spectat ad Diaconum munus baptizandi. Quartò obstat Concil. Aurelian. 1. celebratum anno 511. *can 12.* in illis verbis: *Si Diaconus, aut Presbyter pro reatu suo se ab altaris communione sub pœnitentis communione submouerit, sic quoque si alij defuerint, & causa certæ necessitatis exoritur, poscentem baptismum liceat eis baptizare.* Ergo si Diacono criminoso, & pœnitenti licet baptismum conferre, multò magis Diacono innocenti. Tandem obstat canon 7. qui extat inter canones missos ad Episcopos Galliæ, vt reperitur *to.1. Concilior. Galliæ, pag.589.* & apud Andream Sausay *in Panopl. sacerd. lib.2. cap.6. p.2.* in hæc verba. *Diaconis baptizare extra tempus Paschæ prohibetur: porrò in Pascha hoc tantùm indulgetur propter affluentem multitudinem, quam solus Episcopus, vel Presbyteri baptizare non sufficiebant.*

14 Explicantur canones adducti. Sed adhuc defendenda est suprà tradita doctrina, iuxta quam in præsenti capite 1. docetur, Diaconum baptizantem irregularem manere, cùm illi munus baptizandi non competat; si enim sacerdotes, qui ratione proprij gradus habent potestatem in habitu baptizandi, non possunt baptismum solemniter conferre, nisi sint Parochi, aut de parochi licentia, vt suprà probaui: Ergo minùs id poterunt diaconi, qui ex vi suæ ordinationis idonei non sunt, vt in pastores eligantur. Nec contrarium probant argumenta suprà expensa. Non primum, nam licèt verum sit, primis Ecclesiæ temporibus Diaconos Eucharistiam fidelibus laicis ministrasse, id tamen non vi propriæ ordinationis, sed ex delegatione Episcoporum, & Parochorum illis absentibus faciebant, & tempore procedente hæc facultas illis abrogata fuit, licèt diutiùs, dum in vsu erat communio sub vtraque specie, retinerent potestatem ministrandi Eucharistiam sub specie sanguinis: qui cùm in calice ministraretur, necesse non erat vt à Diacono immediatè manibus tangeretur, vt procedebat in Corpore Christi Domini, vt docuit Azor. *to.1. moral. lib.10. cap. 23.* Nec secunda difficultas obstat, non enim vnquam in Ecclesia diaconi potuerunt pœnitentiæ sacramentum administrare, sed tantùm eos, qui pœnitentiæ solemnis gradus expleuerant, ex delegatione Episcopi reconciliare, vt probat Mendoza *lib.2. Concil. Illiber. c.66.* Albaspineus *lib.2. obseru. cap.27.* quæ non erat absolutio sacramentalis, & sic à Diacono dari poterat, vt probaui *in d. cap.2. de furtis.* Nec obstat auctoritas libri Pontificalis; nam accipiendus est B. Gregorius de potestate Diaconi baptizandi ex commissione, & delegatione Episcopi, iuxta textum *in c. Diaconos, 93. dist.* non tamen vt virtute proprij gradus possint solemniter baptizare. Ita auctoritatem illam exposuit Sotus *in 4. dist.4. q. vnic. art.1.* quem sequitur Vasq. *d.3. p. in 3. p. disp.147. c.4 n.22.* & rectè ex relatis Pontificalis verbis infert Sotus, deduci Diaconos ex vi suæ ordinationis aliquid amplius habere, quàm laicos, siquidem non solum tempore necessitatis, verum extra illud virtute delegationis possunt illi baptismum conferre. Nec obstat Concil. Aurelian. loquuntur enim Patres in casu, quo adest necessitas; tunc enim licet Diaconis, sicut alijs inferioribus Ecclesiæ ministris, baptismum propria authoritate conferre absque vlla delegatione. Nec tandem canon Ecclesiæ Gallicanæ aduersatur, nam procedit, cum Diaconi ex delegatione Episcopi baptismum conferunt, ita vt in subsidium, cùm deficiunt Episcopus, & Parochus, ex eorum delegatione Diaconi baptismum administrare possint: excepto autem eo casu, non possunt solemniter baptizare; vnde post relata verba illius canonis statim ea sequuntur: *Sed quod semel fortè contingit vsurpare, per necessitatem dicuntur excusati; nec postea in secundo commissum manet impunè*, vt docuit Sausay *dict. lib. 5. cap.5.*

Sed adhuc suprà traditis obstat difficilis, nec vulgaris 15 Intelligitur can. 77 Conc. Illiberit.
textus in can.77. Concilij Illiber. in illis verbis: *Si quis Diaconus regens plebem sine Episcopo, vel Presbytero aliquos baptizauerit, Episcopus per benedictionem eos perficere debebit: quòd si ante de sæculo recesserint, sub fide, qua quis crediderit, poterit esse iustus.* Ex quibus expressè constat, Diaconum absque Episcopo, vel Presbytero posse baptismum conferre. Ergo quia Diaconi ratione proprij gradus sunt ministri ordinarij huius sacramenti. Etiam difficilis est canon ille, dum in eo docetur, baptismum à Diacono collatum esse perficiendum ab Episcopo, & ita baptizatum anteà decedentem, saluari posse virtute fidei, quam habuit. Ergo non ratione sacramenti, & per consequens baptismus à Diacono collatus inualidus fuit. Pro cuius canonis vera expositione sciendum est, Diaconos primis Ecclesiæ temporibus, non solùm præpositos fuisse curæ alendorum pauperum. D. Gregorius *lib.9. epist 24.* verùm & ordinatos fuisse, vt legerent in Ecclesia Euangelium, prædicarent, & altari ministrarent. D. Gregor. *lib.4. epist.44.* ibi: *In Diaconatus ordine constituti modulationi vocis non inseruiant, quod ad prædicationis officium, eleemosynarumque studium vacare cogebat.* Qui non solùm postmodùm parem cum Presbyteris vsurparunt auctoritatem, verùm illis, immò & Episcopis anteferri intendebant, *cap. Diaconos, cap. peruenit, cap. nonnulli, 93. distinct.* adeo vt Episcopos contemnentes altaria sibi erigerent, & populum priuatim regerent, *dict. cap. Diaconos.* Synodus Antiochen. *can.5.* referunt, & probant Claudius Espenceus *ad epist. D. Pauli, lib.1. digress. cap.5.* Pamelius *in notis ad D. Cyprianum epist.65* Zerda *in aduers. cap.94.* Ambian. *ad Tertul. de fuga, cap.11. obser. 2.* Cironius *ad tit. de offic. Archid.* quam audaciam vt retunderent, refrænarentque Ecclesiæ Patres, diuersis in Concilijs varia statuerunt, vt constat ex integra *93* distinctione, & ex varijs canonibus congestis ab Antonio August. *in epit. iur. lib.7. tit.2. & 8. & lib.6. tit.24.* Vnde Patres Hispani in dicto canone 77. statuerunt, quòd si Diaconus regeret populum, & sine commissione Episcopi, aut presbyteri ibi aliquos baptizauerit, Episcopus eos perficiat per sacramentum confirmationis; nam hoc sacramentum dicitur perfectio christianitatis, *cap.1. de consecr. dist.5.* & quia olim confirmatio statim administrabatur, nec separari debebat baptismus à confirmatione, nisi morte quis fuisset præuentus, Melchiades Pontifex *epist.2. ad Episcopos Hispan.* vbi de his sacramentis ita ait: *Sed ita coniuncta sunt hæc duo sacramenta, vt ab inuicem, nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari:* hæsitabatur, an ita à Diacono baptizatus, si sine Confirmatione decessisset, saluaretur. Et respondent Patres, sub fide, idest per fidem, quam in baptismo adeptus fuerat, iustum esse, idest saluari; vnde deducitur, baptismum à Diacono collatum, licèt non ritè, validum fuisse: non tamen asserunt Patres, licitè collatum fuisse à Diacono populum regente. Alia adduxi pro ipsius canonis interpretatione in eius notis.

Digitized by Google

C A P V T II.

Vrbanus III. a *Legionensi Episcopo*.

EX litteris tuæ fraternitatis nobis innotuit, quòd I. Diaconus præsentium lator volens antè *b* tempus in Presbyterum ordinari, asseruit, se propter ordinationem tuam gradum sacerdotalem adeptum; & cùm non imposuisses ei *c* manum Missarum celebrationem vsurpauit; postmodùm verò Domino inspirante redijt ad seipsum; & proprium recognoscens excessum, in tanto sibi periculo consilium humiliter postulauit. Quia igitur super hoc tua nos duxit fraternitas consulendos, literis præsentibus respondemus, quòd ad sacerdotis officium non poterit promoueri: à Diaconatu quoque biennio, aut triennio pro tua maneat prouisione *d* suspensus. De beneficio autem misericorditer agatur, ne sustentatione priuatus, ad sæculi negotium reuertatur: vt autem securiùs ei possis hanc misericordiam facere, de agenda imposita pœnitentia diligenter circa eum curam non desinas exhibere. Salubriùs autem sibi absque dubio prouidebit, si ad regularem vitam se duxerit transferendum.

N O T Æ.

1 a LEgionensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & post Concil. Lateranen. *p.* 50. *cap.* 62. De Legionensi diœcesi nonnulla notaui *in cap.* 6. *de in integr. restitut.*

b *Ante tempus.*] Idest ante ætatem ad Presbyteratum necessariam, de qua egi *in cap. vel non est, de ætate, & qualit.* vel antequam tempus interstitiorum esset adimpletum, de quo egi *in c.* 15. *de tempor. ordin.*

c *Manum.*] Quæ imponitur Presbyteris; nam Diaconis non imponuntur manus: quare in præsenti agitur de manus impositione Presbyteri, vt probaui *in cap.* 1. *de sacramentis non iterand.*

d *Suspensus.*] Vnde cognoscitur, irregularitatem hanc, quæ incurritur ex celebratione, seu administratione in gradu non suscepto, esse partialem quoad ordines superiores, non vero quoad ordines iam susceptos, vt docuerunt Suarez *de censur. disp.* 42. *sect.* 4. *num.* 2. Gibalin. *vbi suprà.*

CO MMENTARIVM.

2 VValdenses, Vvicleffus, & Lutherus, quorum errores suscitauit Salmasius, existimarunt, omnes laicos sacerdotes esse, ac proinde & consecrare Eucharistiam, ac diuina officia celebrare omnes posse, vt referunt eos referentes Bellarmin. *tom.* 2. *controuer. lib.* 4. *de Eucharistia, cap.* 16. Cæsar. *de Eccles. Hierarch. disp.* 8. §. 3. P. Petauius *de Ecclesiastica Hierarch. lib.* 3. *per totum*. Sed contrarium catholicum dogma est, videlicet tantum sacerdotes posse validè Missæ sacrificium offerre, & Corpus Domini conficere: quod ex Patribus docuerunt Clemens *lib.* 2. *constit.* Augustin. *quæst* 46. *veteris Testamenti*, Epiph. *hæresi* 79. Chrysostomus *homil.* 51. *in Matthæum*, Basilius *lib.* 2. *de Baptismo*, Athanasius *in apolog. contra Arrian.* Dionysius *de Ecclesiast. Hierarch.* per plura capita, & probatur tum auctoritatibus vtriusque Testamenti, tum ratione. Veteris Testamenti auctoritate probatur ex libro 2. *Paralip. c.* 26. vbi Ozias Rex lepra percussus est à Deo, eo quòd, cùm non esset sacerdos, incensum adolere præsumeret, & propter eandem rationem reprehensus dicitur Saul à Samuele *lib.* 1. *Reg. cap.* 3. quia cùm non esset ex tribu Leui, sacrificium offerre ausus fuit. Etiam probatur ex testimonijs noui Testamenti, *ex c.* 22. *Lucæ*, vbi Christus Dominus solis Apostolis, & eorum successoribus dedit hanc consecrandi potestatem illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*. Ergo soli sacerdotes possunt offerre Missæ sacrificium. Quæ Catholica doctrina definita reperitur in Concil. Nicæno, & Arelat. 1. *can.* 10. Florent. *in decreto de vnion. Armen.* Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & probatur ea ratione; nam si in lege veteri ordinabantur sacerdotes ad sacrificia offerenda, quæ præfigurabant verum sacrificium legis gratiæ, multò magis in lege noua debent esse alij proprij, & peculiares ministri huius sacrificij. Deinde quia sacrificium, & sacerdos sunt correlatiua: sed Christus Dominus in lege gratiæ instituit nouum sacrificium: igitur & proprium, & peculiare ministrum instituere debuit. Latius prosequuntur Bellarminus *vbi suprà*, Vasquez 3. *par. in* 3. *p. disp.* 226. *c.* 1. Suarez in eandem partem *disp.* 77. Zerda *in relect. de sacerdotio Christi, lib.* 1. *cap.* 1. §. *hæc sunt*, fusè Sausay *in Panopl. sacerd.* & scribentes de Eucharistia, & Sacrificio Missæ.

Vnde alij, quàm presbyteri nequeunt Missæ sacrificium offerre. Concil. Nicæn. *can.* 18. ibi: *Peruenit ad sanctum Synodum, quòd in nonnullis locis, & ciuitatibus Diaconi dant Presbyteris Eucharistiam, quòd nec canon, nec consuetudo tradit, vt qui offerendi potestatem non habent, ijs qui offerunt, dent corpus Christi.* Et *can.* 3. *Apost.* Vnde grauiter peccant, qui se ingerunt huic, & alijs ministerijs sacerdotum, dum ordinati non sunt. S. Dionysius *de Ecclesiast. Hierarch.* ibi: *At mihi quidem videtur audax, & temerarium, si quis ea sumat, quæ propria sunt sacerdotum, nec metu, nec pudore à diuinorum tractatione præter captum, ac mentem deterretur.* Vnde varijs pœnis punitur. Gregorius III. in suo pœnitentiali, *cap.* 10. inter quas ea non leuis est, vt maneat irregularis. Probant Petrus Greg. *lib.* 1. *partit. tit.* 13. *cap.* 7. & *lib.* 4. *tit.* 4. *cap.* 2. Gibalin. *de irregul. cap.* 5. 2. *part* Vt autem clericus fiat irregularis exercendo gradum ordinis, quem non habet, opus est, vt ministerium externum fiat seriò, non autem fictè, ac simulatè; quòd si intentio sit vera exequendi externã actionem, contrahitur irregularitas, tametsi non sit intentio conficiendi sacramentum; nec enim potest deesse intentio seria conficiendi sacramentum in eo, qui cognoscit se carere potestate. Suar. *de cens. disp.* 42. *sect.* 4. *n.* 17. Marchin. *de ordine, p.* 6. *cap.* 4. *num.* 6. Amplius celebrantes sacrificium Missæ, cùm non sint in Presbyteros ordinati, vel audientes confessionem sacramentaliter, puniuntur ab Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, vt ex bullis Gregor. XIII. Clement. VIII. & Vrbani VIII. quarum meminerunt Maiolus *de irregul. lib.* 4. *cap.* 13. Hieronymus Garcia *to.* 2. *polit. regul. tract.* 10. *diffic.* 4. *dub.* 4. §. 5. Diana *par.* 4. *tract.* 7. *resol.* 12. Thomas Delbene *p.* 2. *de officio Inquisit. dub.* 210. Et licèt in Italia similes celebrantes tradantur brachio sæculari puniendi; tamen in Tribunalibus Hispaniæ mitiùs puniuntur: nam si clerici laici sunt, abiurant de leui, publicè in Ecclesia fustibus cæduntur, & ad triremes damnantur: si religiosi sunt, abiurant de leui, priuatim, & ad triremes mittuntur, nisi apti non sint ad seruiendum in eis, quia tunc detruduntur in aliquo monasterio sui Ordinis ad pœnitentiam peragendam, denegata facultate in perpetuum ascendendi ad maiores ordines. Videndi sunt Farinac. *de hæresi, q.* 193. *n.* 39. Sanctarell. *eod. tract. q.* 42. Barb. *de potest. Episc. alleg.* 110. *n.* 19. Scortia *in select. Pont. const. epit.* 162. *theor.* 402. Castrop. *p.* 1. *oper. mor. tract.* 4. *punct.* 16. *disp.* 8. § 9. Carena *de offic. Inquis. p.* 2. *tit.* 11. *per tot.*

Sed antequam hinc abeamus, exponendus est difficilis canon 2. Concilij Ancyrani, relatus *in c. presb.* 32. *dist.* 50. 3 Exponitur, cap. Presbyt. 50. dist.
in illis verbis: *Diaconos similiter, qui sacrificarunt, posteà autem reluctati sunt, illum quidem honorem habere oportet, ipsos autem ab omni sacerdotali ministerio cessare, ita vt panem vel calicem offerant, vel prædicent.* Ex quibus expressè deducitur, diaconos munia sacerdotalia obire posse; & quod præcipuum est, panem & calicem offerre. Pro cuius canonis expositione sciendum est, in eius latina versione vulgari duplex mendum adesse; nam pro illis verbis: *sacerdotali ministerio*, vertendum est *à sacro ministerio*; ἱερὰ enim λειτουργίαι, munus non tantum sacerdotale, aut presbyterale significat, sed sacrum quodlibet officium, quod à sacris ministris, seu maiorum ordinum clericis peragitur. Præterea loco verbi *offerendi*, legendum est *deferendi*; siquidem proprium munus diaconorum est calicem, & patenam deferre, *cap. clericos*, 21. *dist. cap. diaconi*, 93. *dist.* & diaconi non possunt panem, vel vinu offerre, immò si illud ausi sint facere, sacris canonibus

Digitized by Google

in eos est animaduersum. Concil. Arelat. *can.*13. Laod. *can.*15. Agathense *can.*43. Aquisgran. *can.*78. ibi. *Quod non oportet Subdiaconos panem dare, vel calicem benedicere*; vbi reponendum est; *Diaconos*. Quanquam enim id officium exercere Subdiaconis non liceat, ad eos tamen hæc prohibitio non spectat, cùm eam temerasse nunquam commemorentur. Deinde desumitur hic canon ex Concilij Laod. canone citato, qui de Diaconis loquitur, vt notauit Morinus *lib.2. exercit.c.* 12. Sensus ergo dicti canonis secundi est, Diaconos qui sacrificarunt, honorem quidem gradus retinere, sed ab omni sacro ministerio cessare, nec panem, vel calicem ad altare deferre posse.

TITVLVS XXIX.

De Clerico per saltum promoto.

CAPVT PRIMVM.

Idem a *Olomicensi Episcopo*.

QVæ nobis literæ præsentatæ continebant, quòd sicut ex relatione quorundam bonorum virorum receperas, P. Presbyter lator præsentium diaconatus ordine prætermisso, se fecit ad sacerdotij ordinem promoueri. Cùmque super hoc ab ipso quæsisses diligentiùs veritatem, ipse tibi secretò humiliter est *b* confessus, se pro certo nescire, si res taliter se haberet; sed ex quo hoc boni viri asserebant, inter quos fuerat conuersatus, credebat assertioni eorum, eo quòd ipso tempore, quo ordines inferiores susceperat, infra annos *c* discretionis fuerat constitutus. Tu verò ipsum ad Ap. Sedem transmittens, à nobis humiliter supplicasti, vt cùm eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur eius miseriæ condolentes, f. t. per A. s. m. quat. condignam pœnitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem, & ea peracta, quia non intelligitur iteratum, quod factum esse nescitur, ipsum in *d* Diaconum ordinare procures, & sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis.

NOTÆ.

a *Olomicensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. vnic.* in hac verò sexta legitur *Bononiensi*, & Glossa marginalis emendat *Coloniensi*: sed cùm præsens epistola non reperiatur inter editas à Sirleto, & Bosqueto, non possumus veram inscriptionem restituere. De Bononiensi Diœcesi egi *in c.17. de foro compet.*

b *Confessus.*] Non sacramentaliter, aut si in foro pœnitentiæ licentia data sit ipsi Episcopo consulendi Romanum Pontificem, iuxta tradita *in cap.2. de offic. ord.*

c *Annos discretionis.*] Quænam dicatur ætas discretionis, exposui *in cap.1. de delict. puer.*

1 d *Diaconum.*] Sed quare non repetuntur alij gradus minores, cùm intra discretionis annos recepti fuissent; & similiter gradus Subdiaconatus, qui omissus fuit? Andr. Sausay *in Panopl. cleric.lib.6. cap.1. par.1. §.2.* existimauit, minores gradus infanti collatos iterandos esse, quia sine effectu collati fuerunt; & ita ait Sausay Innocentium III. tantùm referre Episcopi consultationem, non quòd ritè, & validè collatos arbitraretur; sed quòd absolutè non requiritur in eo, qui iam sacerdos erat, huiusmodi graduum iteratio: Diaconatum autem suppleri iussisse, quia tenaciùs longè hæret presbyteratui Diaconatus, quàm subdiaconatus, & quatuor minores ordines, vt infrà dicemus: vnde concludit Sausay, Innocentium III. iubendo gradum diaconatus suppleri, nulla facta mentione minorum ordinum, non ideò supposuisse, quatuor minores gradus susceptos infra annos discretionis validè collatos fuisse. Sed veriùs credo, Innocentium III. non iussisse ordines minores suppleri, quia etsi infanti conferantur, validè recipiuntur, nec egent iteratione, vt Hallierius, & Gamacheus relati ab ipso probant; nec ordinem subdiaconatus iterari iussisse Pontificem, quia iam illum susceperat, vt apparet ex ipsa consultatione; siquidem Episcopus tantùm proposuit Innocentio, omisso diaconatus gradu in presbyterum subditum suum fuisse ordinatum; aliàs si omisisset etiam subdiaconatum, id exprimeret: vnde supponitur, cum tantùm diaconatus gradum omisisse. Quare Innocentius illum tantùm gradum suppleri iussit.

COMMENTARIVM.

2 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Ordinatus per saltum suspenditur, & gradus omissus illi conferendus est.* Probant etiam textus *in cap. fin 51. dist. c. solicitudo, 52. dist. c. si officia, & per tot. 59. dist. c.1. & per tot. 60. dist. c.3. 77. dist. cap.6. 83. dist.* Synodus Romana *sub Syluestro, can.5.* ibi: *Syluester præsente Synodo constituit, vt nullus ex laica persona ab honore acolyti ad Episcopatum subleuaretur, nisi priùs fuisset lector diebus 30. deinde vna die exorcista, posteà caperet onus acolyti, & faceret in eodem ordine annos 10. vt acciperet onus subdiaconi; & in subdiaconatu esset annos quinque, deinde ad diaconatus honorem pertingeret fixus, donec rogantibus 30. presbyteris examen, vt esset Diaconus Cardinalis.* Synod 8. *can.*17 Damasus *in vita Caij*, ibi: *Caius constituit, vt omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri mereretur, vt esset Hostiarius, Lector, Exorcista, Acolytus, deinde Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, exinde Episcopus ordinaretur.* Constitutio ipsa Caij extat in Epistola ipsius ad Felicem. Synodus Romana 2. sub Syluestro, in epilogo, ibi: *Vt si quis desideraret in Ecclesia militare, aut proficere, esset priùs hostiarius, deinde lector, & posteà exorcista, per tempora quæ Episcopus constituerit; deinde acolythus annis quinque, subdiaconus quinque annis, custos martyrum annis quinque, Diaconus annis quinque, Presbyter annis tribus.* Conc. Sardicense *can.*10. vbi statuitur, in vnoquoque gradu probatum ad Episcopatus fastigium ascendere. Brachar.1. *can.*38. ibi: *Ex laico ad gradum sacerdotij nemo veniat, nisi priùs anno integro in officio lectorum, vel diaconatus disciplinam ecclesiasticam discat, & sic per singulos gradus eruditus ad sacerdotium veniat.* Synodus Suessionensis in accusatione Hincmari, *act.6.* in fine; *Qui saltu sine gradu Diaconi ad sacerdotium prosiluit, in degradationem debitam resilire debet.* Celestin. *in epist. ad Episc. Galliæ, cap.3.* Symmachus P. *fratri Cæsario, cap.2.* Leo Pont. *epist.65. ad Afric. Episcopos*, Turon. *lib.6.c.15. Habemus scriptum in canonibus, fili, non posse quemquam ad Episcopatum accedere, nisi priùs ecclesiasticos gradus regulariter sortiatur. Et l.28. tit.6. p.1.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti, & de potest. Episc.2.p. alleg.16. & alleg.47. & de iure eccles. lib.2.c.33 n.88.* Hallier. *de sacris, elect.2.p. sect.1. art.2. & de hierarch. iurisd. fol.253.* Coruin. *lib.4. aphorism.c.37.* Cresol. *lib.2. mystag. c.12.* Gibalin. *de irreg.c.5. dub.6.* Altamir. *ad l.3. C. de filijs offic. c.10.* P. Greg. *lib.4 partit. tit.4.c.2.* Petr. Herod. *lib.1. Pandect. tit.4.c.20.* Bosquet. *ad Innoc. III. lib.1. regestr.13 epist.192.* Sauar. ad Sidon. *lib.3. epist.25.* Langleus *lib.7. semestr.c.1.* Solorz. *de iurib. honor. n.53.* Vighel. *in method. iur. can. fol.249.* Suar. *de censur. disp.31. sect.1. n.47.* Acuña *in c. vnic.52. dist.* Claud. Espenc. *lib.1. digress. c.16.* Petr. Faber *lib.3. agonist.c.28.* Ant. August. *in epit. lib.7. tit.4.* Meril. *lib.2 obs.c.6.* Filesac. *in c.1. §.3. de offic. ordin.* Diana *p.5. tract.10. resol.27.* Hieron. Garc. *in sum. tract.1. dub.13. difficult.1. punct.4.* Balsam. *in can.89. Synodi Carthag.* Dartis *in 52. dist.* Altesserra *in præsenti.*

Sed

3 *Impugnatur erad. assertio.* Sed hæc assertio difficilis redditur auctoritatibus, exemplis, & rationibus. Auctoritatibus Concilij Brachar. suprà relati, & Zosimi relati *in cap. si officia, 59. dist.* vbi à lectoris gradu ecclesiastica militia auspicatur: & Gelasius Papa *in epist. ad Episcop. Lucaniæ, c. 3.* continuò aliquem lectorem legitimè ordinari, tum acolythum, postea subdiaconum, Diaconum, & Presbyterum scribit. Igitur quia non gradatim per omnes ecclesiasticos gradus necessariò est ad sacerdotium perueniendum. Exemplis etiam id facilè probatur; siquidem D. Cyprianus *epist. 33.* ait: *Placuit vt ab officio lectoris incipiat.* Et epistola sequenti fatetur, se Clericum primò ad Lectoratus gradum promouisse. Et epistola 24. ait, Optatum à se ex Lectore Hippodiaconum ordinasse. D. Martinus primùm exorcista à sancto Hilario Pictauiensi creatus, ex eo gradu sacerdotium attigisse refert Seuerus in eius vita. D. Chrysostomus à Lectoratu, quem à Zenone receperat, ad Diaconatum promotus, deinde presbyter, postea Episcopus consecratus fuit. Similiter Eutychius Patriarcha CP. ex Lectore Diaconus, ex Diacono Sacerdos, tandem Episcopus consecratus fuit, teste Metaphraste *in eius vita, die sexta Aprilis.* De Ioanne Cabilonensi Episcopo refert Sidonius *lib. 4. epist. 25.* Lectorem hunc primùm, sic ministrum altaris (idest Diaconum) processu temporis Archidiaconum, postea secundi ordinis sacerdotem, seu presbyterum creatum, antequam ad Episcopalem Sedem vocaretur. De sancto Felice refert Paulinus natali 4. eum primis in annis Lectorem, exinde exorcistam, tum sacerdotem fuisse, ibi:

Inde gradum cepit, cui munus voce fideli
Adiurare malos, & sacris vellere verbis.
Quod quia perspicua meriti virtute gerebat,
Iure sacerdotis veneranda insignia nactus, &c.

Alia exempla refert Hallierius *d. art. 2. §. 2.* Rationibus etiam impugnatur præsens assertio; nam videtur quædam ludificatio, si ordines inferiores conferantur ijs, qui ad maiora officia destinantur, & ordines superiores mox sunt suscepturi: v. g. si acolyto mox ordinando, cui acolyti officium in Ecclesia imponendum sit, hostiarij, lectoris, exorcistæ ordines conferantur: quorum munia nunquam obiturus sit. An non hoc est, vt ait Duarenus *lib. 1. de sacris Ecclesiæ, cap. 16.* dicis tantùm causa ordines inferiores accipere? quod præcipuè procedit in præsenti casu, cùm quis etiam in presbyterum ordinatur; nam ad quid suppleri debet gradus Diaconi omissus, cùm consequuto fine, iuxta Philosophum frustra agatur de medio.

4 *De ordinatione gradatim facienda.* Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quod licèt gradus omnes, tam maiores, quàm minores, tendant ad sacramentum Ordinis à Christo Domino institutum; tamen primis Ecclesiæ sæculis, qui in presbyterum ordinandus erat, non semper prius minoribus gradibus initiabatur, vt expressit D. Thomas *in supplement. qu. 35. art. 5. in corpore,* ibi: *Quòd etiam in primitiua Ecclesia aliqui ordinabantur in presbyteros, qui priùs inferiores ordines non susceperant; & tamen poterant omnia, quæ inferiores ordines possunt, quia inferior potestas comprehenditur in superiore virtute, sicut sensus in intellectu, Ducatus in Regno.* Sed postea per constitutionem Ecclesiæ determinatum est, quòd ad maiores se non ingerat qui priùs in minoribus non se humiliauerit; forsan quia cùm olim ordinationes nullæ otiosæ forent, nec ordines inutiles, ideò si quæ sine functione, sine munere peragerentur, inutiles credebantur: itaque moris erat tunc gradus illos omittere, quorum functiones ordinandi minimè obirent; vel quia eo tempore consuetum non erat illos gradus recipere, quos non erat necessarium exercere: sed quisnam fuisset, qui priùs constituit, vt nemo per saltum promoueretur, idest omissis inferioribus gradibus ad superiores ascenderet, hæsitatur? Baronius *anno 296. num. 2.* Caium huius instituti auctorem admittit, quoties de promouendo aliquem in Episcopum agebatur. Cironius *ad hunc titulum,* Caium accipit primum huius instituti auctorem; & meritò, iuxta Damasum suprà relatum, & Synodum Nicænam *can. 2.* textus *in cap. 1. & seqq. 48. dist.* vbi repetita est hæc Caij lex: in canone enim 80. Apost. tantum prohibitum fuerat repentè neophytum in Episcopum ordinari, vel sacerdotem: vnde deducitur id, quod in neophytis prohibebatur, in alijs fuisse permissum, nulla serie ordinum minorum inspecta, donec Caius sua constitutione statuit, gradatim per minores ordines ad maiores esse perueniendum. A quo tempore subordinationem ordinum fuisse obseruatam, & promotiones per saltum prohibitas, constat ex Synodo Romana, & alijs Concilijs suprà expensis, & ex Tertulliano *de fuga,* ibi: *Hoc sentire, & facere omnem seruum Dei oportet, etiam minoris loci, vt maioris fieri possit, si quidem gradum ex persecutionis tolerantia ascenderet.* Ex sancto Hieronymo *epist. 1. ad Heliodorum, de Nepotiano presbytero,* ait: *Fit clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur.* Varijs exemplis probat Hallierius *de sacris elect. d. art. 2. num. 5.*

5 *Traditur deciden di ratio.* Magnaque cum ratione huiusmodi ordinationes per saltum prohibitæ ab Ecclesia fuerunt; nam ordo, qui seruatur in hominibus, vt in cœlesti hierarchia prouehantur, idem vtique seruandus videtur, vt in ecclesiastica proficiant: docent D. Clemens *lib. 6. stromatum, pag. 667.* his verbis: *Nam hîc quoque progressiones Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum sunt, vt arbitror, imitationes gloriæ angelicæ, & illius œconomiæ, ac dispensationis.* Cui consentiunt Damasus *in epist. ad Vrbanum,* Gregorius *lib. 4. indict. 13. epist. 52.* Bernardus *l. 3. de consider. ad Eugenium.* Hoc autem ordine ad cœlestem hierarchiam homines transferuntur, vt priùs inferiores ordines attingere debeãt quàm superiores, vt probat Hallierius *d. sect. 1. §. 7.* Igitur similiter vt quis in ecclesiastica hierarchia, & sacro clericorum ordine proficere possit, consentaneum est, vt inferiores ordines priùs decurrat, quàm ad superiores peruenire possit; nam leges ciuiles natura duce, quæ solemni decursu à minimis semper incipit, & pedetentim progreditur, statuerunt, vt gradatim ad dignitates perueniretur, *l. vt gradatim 11. l. honor 14. §. gerendorum, ff. de muner. & honor. l. 2. C. quemadmodum ciuil. munera, l. quæ vtiliter 47. in princip. ff. de negot. gest. l. nam & Imperator 41.* ibi: *Vt ad processus viri vxor ei donare possit; ff. de donat. inter, l. nemini 3. C. de Consul. l. 12. l. 1. C vt omnes iudices, l. 1. C. de diuers. offic. l. fin. Cod. de tyronibus, l. vnicuique, Cod. de proxim. sacr. scrin. l. vlt. vers. Illud, C. de primicer. l. 12. l. 2. C. de officio Magistr. eod. l. l. 13. in fin. tit. 21. p. 2. l. 17. tit. 18. l. 6. tit. 22. ead. par.* Quare Romani non solùm in militia castrensi hunc ordinem seruabant, Lipsius *de militia Romana l. 2. dialog. 8. l. contra 14. C. de re milit. l. 12.* Pancirola *in notitia Orient. c. 33. & 36* Rosinus *l. 10. antiquit. c. 7.* verùm & in togata; nam Patricij, & plebeij nobiles post exacta stipendia militaria, viam sibi parabant ad Rempublicam gubernandam. Primò petebant Quæsturam, primordium honorum exinde dictam ab Vlpiano *in l. 1. de offic. Qu.* triennio elapso Ædilitatem, biennio Præturam, eadem quoque intercapedine Consulatum: sequebantur Censura, & Patriciatus. Titus Liuius *l. 32.* ibi: *Iam Ædilitatem, Præturamque fastidiari, nec per bonorum gradus documentum sui dantes nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa imis continuare.* Plinius *in panegyr.* ibi: *Nihil magis prodesse candidato ad sequentes honores, quàm peractos optimè Magistratus. Magistratus Magistratu, honore honor petitur.* Quare Cassiodorus *l. 1. epist. 3.* inter alias laudes refert, dum Patricius reperiretur, quòd non fragili felicitate prouectus fortunæ ludo, ad apicem fascium repentinis successibus euolauit: *Sed vt crescere virtute solent, ad fastigium præconij conscendit gradibus dignitatem.* Et Aristot. *l. 3. de repub. cap. 8.* ait: In hoc ordine seruando Reipublicæ conseruationem consistere, ibi: *Omnis conseruandæ Reipublicę ratio est neminem ornare, sed exiguos potiùs, & diuturnos honores tribuere, quàm celeriter magnos. His enim talibus deteriores fiunt, vt ferre secundam fortunam non possint.* Latè illustrant Chassaneus *in catal. gloriæ mundi, 1. p. consider. 9. & p. 9. consider. 15. & 33.* Petrus Gregor. *l. 47. syntagmatum, c. 15.* Borel. *l. 1. de magistr. c. 16.* Alfaro *de offic. Fiscal. gloss. 5. per tot.* Marquez *in gubernat. Christ l. 2. c. 3.* Scipio Almiratus *in dissert. polit. l. 3. discept. 13.* Besoldus *dissert. de magistr. c. 1. nu. 1.* Solorzanus *de iuribus honorarijs, ex n. 54.* Altamiranus *in l. 3. C. de offic. fiscal. c. 10.* Meril. *l. 2. obs. c. 6.* Gratianus *to. 1. discept. cap. 154.* fusè Langleus *l. 7. semestr. cap. 1. per tot.* Rectè ergo in præsenti textu, & alijs suprà citatis statuitur, gradatim esse perueniendum ad ordines sacros, aliàs clericum per saltum promotum suspensionem incurrere. Iam enim à primis Ecclesiæ sæculis nemo ad dignitates maiores promouebatur, nisi priùs minoribus functus esset; itaque laicus repentè, & medijs neglectis non eligebatur Episcopus. Concil. Sardic. *can. 10.* D. Cypr. *epist. 52* ad Antonianum: *Non ipse ad Episcopatum peruenit, sed per omnia ecclesiastica officia promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpè promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis Religionis*

gra-

gradibus ascendit. D. Hier. *in epist. ad Nepot. Fit clericus, & per solitos gradus Presbyter ordinatur.* Eleganter S. Gregor. Naz. *orat. 1.* & fusè *in orat. 20.* Idemque in laudem Anastasij: *Cunctisque Ecclesiasticorum graduum muneribus deinceps perfunctus, vt quæ media sunt, res secem, proficitur.* Zosimus *epist. 9.* Vigil. Papa *epist. 4.* Itaque Gofridus Abbas Gofrido Carnotensi Episcopo obijcit, quod ante sacros ordines Episcopus electus sit, *l. 2. epist. 27.* Idemque exprobrat Raynald. Andegau. *l. 3. epist. 2. Omnes postmodùm ordines, sed sine ordine, quia in octo diebus, & non certis temporibus accepistis, propter Episcopatus ambitionem.* Se dhæc non ita semper rigidè obseruata legimus; nam ex Diaconis etiam assumebantur Episcopi. Krantz. *l. 7. hist. Brem. Vidimus electum vestrum, placet persona, placet scientia, placet eloquentia, placent etiam quantùm nouimus mores. Verùm modus electionis displicet, præsertim quia est infrà sacros ordines, non dicu subdiaconatum, sed acolytatum electio.* Nicol I. *epist. 6.* Interdum etiam ex causa, & dispensatione summi Pontificis gradatim non ascenditur, vt refert Author historiæ PP. Rom. qui in Gallia sederunt, in Clemente IV. *Facta autem huiusmodi ordinatione religiosus effectus est, & habitum Prædicatorum assumpsit. Dictus verò Papa demùm ipso instante, & procurante Ioanne Rege Franciæ memorato, iam suo successore effecto, fecit Patriarcham Alexandrinum, & Ecclesiam Rhemensem sibi perpetuò commendauit, & causa ipsum honorandi magis, ne fertè à præmissis in posterum possit resilire, in propria nocte natalis Domini ipsum ad omnes sacros ordines vno contextu ordinauit.*

6 Sed circa suspensionem hanc discrimen constituendum est inter ordinem ritè susceptum, ordinem per saltum receptum, ordinem prætermissum, & ordinem, quem nondum talis promotus suscepit; veluti in præsenti casu, in quo qui minores ordines ritè susceperat, prætermisso subdiaconatu diaconatum receperat, & illi adhuc deerat gradus presbyteri: & quoad gradus ritè susceptos, & gradum per saltum receptum, certum est, cum suspensionem incurrere; an verò ipso iure suspensus maneat, vel veniat suspendendus, non constat apud Interpretes. Suspendendum esse, quia ex nullo iuris testimonio talis suspensio incurritur, docuerunt Turriferem *in c. solicitudo, n. 4. 52. dist.* Bernard. Diaz *in praxi, cap. 24* & alij, quos referunt, & sequuntur Gibalin *de irregul. c. 5. qu. 1.* Leander *eod. tr. disp. 20. q. 3.* Sed contrarium, videlicet suspensum esse ipso iure, meritò docuerunt Hostiensis, & Panormit. *in præsenti*, Suar. *de censur. disp. 31. sect. 1. dub. 2.* plures relatis Acuña *in d. c. solicitudo, n. 8.* Barbos. *l. 1. iur. eccles. c. 11. n. 139.* Marchinus *de ordine, tr. 1. p. 3. c. 7. n. 8* Peyrin. *de Prælatura, q. 3. c. 7. n. 13.* Portel. *in respons. moral. p. 2. casu 101. concl. 1.* & facilè probatur ex Concil. Trid *sess. 25. de reform.* ibi: *Cùm promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.* Prout ea verba expendit Hieronymus Garc. *in summ. tr. 10. difficult. 5. dub. 5. punct. 3.* Quoad gradus verò, quos adhuc non acceperat, certum est, eum impedirum esse ascendere, non quia irregularitatem contraxerit ex ordinatione per saltum, quæ nulla in iure imposita legitur; sed potius propter effectum suspensionis exercendi, & ministrandi in gradu suscepto, vt probarunt Suarez suprà, *n. 49.* Acuña *d. c. solicitudo, nu. 10.* Tamen quoad hanc censuram sciendum est, Episcopum in ea posse dispensare, vt prætermissum ordinem suscipiat, & vt in gradu malè suscepto ministret, & ad superiores ascendat, quamuis delictum sit publicum; dum tamen in gradu prætermisso, aut malè suscepto ministrauerit, vt expressè cauetur in Concil. Trid. *sess. 23. de reform. c. 14.* docent Mayolus *l. 4. de irregul. c. 12. n. 2.* Suar. *de censur. disp. 31. sect. 1. n. 51.* Auila *eod. tr. p. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 2.* immò etsi ministrauerit in gradu malè suscepto, aut promoto, adhuc cum eo dispensare potest, si delictum occultum fuerit, ex *c. 14. sess. 25. de reform.* Concilij Trident. Probat Acuña *vbi suprà.* Barbosa *de potest. Episcopi, alleg. 47. n. 5.*

De suspensione ordinati per saltum.

7 Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ex varijs iuris auctoritatibus, & exemplis, in quibus docetur, & refertur, ex vno gradu inferiori, videlicet lectoratu, aut simili, ad presbyteratum plures fuisse promotos; nam dupliciter modo responderi potest. Primò asserendo, consuetudinem eorum temporum fuisse, vt etsi singuli gradus ordinis vnus post alium conferentur, illi tantùm nominarentur, ad quorum officia aliqui destinabantur, vel in eodem die vltimo loco fuerant collati, vt hodie vitato more loquendi, si quis vno die omnes minores recipiat cum Subdiaconatu, dicitur ea die Subdiaconus creatus, nulla mentione facta minorum ordinum. Vnde ex canonibus, exemplisque suprà relatis tantum deduci potest, licitum fuisse olim nonnunquam aliquos ordinari, qui in singulis minoribus ordinibus non fuissent exercitati, immò & eodem aliquando die, vel saltem paucis, ob clericorum penuriam, quosdam etiam ad Episcopale fastigium euectos fuisse; non quod inferiores ordines non susciperent, sed quòd in ijs nequaquam se exercerent. Secundò cognoscendo magnam differentiam versari inter presbyteratum cum Episcopatu collatum, & inter cæteros ordines eum presbyteratu comparatos. Etenim Episcopalis ordinatio nulla est, quam non presbyteralis præcesserit; quia presbyteralis valida est, non susceptis reliquis inferioribus gradibus; Episcopalis verò nulla est, nisi præmittatur presbyteratus. Cuius differentiæ ratio est, quia Episcopatus est summum sacerdotium, & presbyteratum essentialiter inuoluit, & nequit esse Episcopus, qui non fuerit antea presbyter. Presbyteratus autem non est Diaconatus, nec eum essentialiter inuoluit; nec Diaconatus est Subdiaconatus, aut eum essentialiter includit, & sic de cæteris gradibus: quare potest quis esse presbyter sine inferioribus gradibus, vt probat latè Hallier. *d. sect. 1. §. 5.* vnde potuit illis temporibus iustis ex causis ille, qui nunquam in minoribus gradibus erat ministraturus, illis omissis, in Subdiaconum, vel Diaconum ordinari: iuxta quem antiquum Ecclesiæ morem ex audienda sunt exempla pro dubitandi ratione adducta. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex eo, quòd frustra in præsenti casu, & similibus suppletur gradus Diaconatus omissus; nam certum est in ordinato per saltum quemlibet gradum omissum supplendum esse, quia licèt gradus superior validè susceptus sit, non tamen licitè ex defectu gradus omissi: vnde supplendum est, quod fuerat prætermissum. Quod maiori ratione procedit in gradu Diaconatus omisso, qui omni tempore facer fuit, ad hierarchiam diuina ordinatione institutus: vnde strictiùs hæret Diaconatus Presbyteratui, quàm alij gradus inferiores, vt latè probat Hallierius *d. sect. 1. §. 4. per tot.* qui videndus est pro fusiori huius tituli commentatio.

Dissolui-tur dubitandi ratio.

Ex dictis difficilis videri potest canon 6. Concilij Londin. I. celebrati anno 1225. tempore Honorij II. in illis verbis: *Nullus in Diaconum, nullus in Priorem, nisi Presbyter; nullus in Archidiaconum, nisi Diaconus promoueatur.* Sed respondendum est pro illo verbo *Diaconum*, legendum esse, Decanum, vt *in cap. 1. de ætate & qualit.* 8

Exponitur Con cil. Londinensis can 6

TITVLVS XXX.

De eo, qui furtiuè ordinem suscepit.

CAPVT PRIMVM.

Alexander III. a *Lingonienſi Episcopo.*

Veniens ad nos P. nobis exposuit, se furtiuè ordinem diacon. suscepisse. Vnde f. t. respondemus, quòd si non fuit à te, vel ab aliquo *b* Archidiaconorum, vel Prælatorum tuorum sub anathematis interminatione prohibitus, tu ipse in promotione ipsius ad sacerdotale officium condigna satisfactione imposita (nisi alia impediant) pro arbitrio tuo dispenses. Si verò interminatio anathematis super hoc facta est, moneas eum, vt in aliquo monasterio, seu canonia ha-

Digitized by Google

nia habitum suscipiat regularem: cui, ex quo in habitu illo aliquanto tempore fuerit laudabiliter conuersatus, poteris misericorditer prouidere: alioquin nulla ratione concedimus eum ad sacerdotalem ordinem promoueri.

NOTÆ.

1 a Lingoniensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & post Concil. Lateran. *pars* 26. *cap.* 9. Legitur *Liuoniensi*: sed retinenda est vulgaris inscriptio, quæ habet *Lingoniensi*: nam prouincia Liuoniensis temporibus Alexandri III. adhuc fidem catholicam non susceperat, vt notaui *in cap. Deus qui, de vita honest. cleric.* De Lingoniensi, seu Linconiensi Ecclesia nonnulla notaui *in cap.* 8. *de rescript.*

2 b *Archidiaconorum.*] Ad quos in re communi competit præsentatio ordinandorum, examen, & discussio, an probi sint, vel non, ad ordines, *cap. ad hæc, cap. vt Archidiaconus, de offic. Archid. cap. vnic.* vbi probaui, *de scrutinio ad ordin. faciend.* vbi notaui, & probat latè Hallierius *de sacris elect. part.* 1. *art.* 1. *per totum.* Vnde iuxta iurisdictionem propriam poterant Archidiaconi sub anathemate prohibere, ne ad ordines accederent ab ipsis non examinati, & approbati.

3 c *Prælatorum.*] Parochorum videlicet, qui Prælati cum facultate excommunicandi appellantur *in cap.* 2. *&* 3. *de offic ordin.* quare Glossa *in cap. in capite, verbo Iniungere*, 50. *dist.* asserit, Episcopum non debere reuocare sententias excommunicationis prolatas ab eorum Prælatis, idest parochis, vt probaui *in d. cap.* 2. *de offic. Ordin.* & docent Filesacus *in d. cap.* 3 Vnde cum iure communi attento parochi non solùm tenerentur præstare testimonium de proprijs parochianis ordinandis, verùm & eos Episcopo præsentare, Concil. Vasense 2. *can.* 1. Emerit. *can.* 18. Nannetense *can.* 11. ibi: *Quando Episcopus ordinationem facere præsumit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria* 4. *antè ipsam ordinationem vocandos esse vnà cum presbyteris, qui eos repræsentare debent.* Vnde quemadmodum Archidiaconi proprios clericos ciuitatis sibi subditos; ita & Archipresbyteri clericos suarum parochiarum Episcopo ordinanti præsentabant, & in ipso actu ordinationis anathema profertur in omnes, qui furtiuè ad ordines accedunt, vt cauetur in Pontificali Romano, *part.* 1. *tit. de ordinibus conferendis, propè finem*: vbi ritus ille præscribitur, videlicet, vt antequam ordinationes celebrentur, aliquis nomine Episcopi ordinaturi præcipiat, & mandet, ne quis non descriptus, examinatus, approbatus, & nominatus vllo pacto audeat ad suscipiendos ordines accedere: de quo anathemate agit Alexander III. in præsenti: quod anathema proferre poterant parochi, & Archidiaconi ex propria iurisdictione, iuxta suprà tradita: vel nomine Episcopi, iuxta ritum descriptum in Pontificali Romano.

CAPVT II.

a Cœlestinus III.

CVm H. lator præsentium, sicut nobis sua quæstione monstrauit, ad tuam (ordinationis causa) præsentiam accessisset, iuxta consuetudinem patriæ sibi *b* quatuor minores ordines contulisti, quibus non contentus, Subdiaconatum temerario ausu recepit. Quia verò idem clericus in hoc facto multùm excessit, mandamus, quatenus eum in minoribus dumtaxat ordinibus celebrare permittas. Si verò domum religionis intrauerit, & vita, & mores eius exegerint, Abbas (si voluerit) in alijs poterit ordinibus dispensare.

NOTÆ.

a COElestinus III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

b *Quatuor minores.*] Ritè, & rectè, iuxta tradita *in cap. cùm dilectus, de temporibus ordin.* vbi commentarium huius textus dedimus.

CAPVT III.

a Idem.

INnotuit nobis ex tenore tuarum litterarum, quod G. clericus lator præsentium, & alij duo de tua diœcesi ad G. quondam *b* Saguntin. Episcopum accedentes, licèt ab eodem Episcopo sub excommunicationis sententia fuisset districtè prohibitum, ne quis se ad duos ordines suscipiendos ingereret, prædicti tamen clerici non minùs diaconatus, & subdiaconatus ordinem clanculò susceperunt. Quia igitur quid tibi faciendum sit pro his, tua nos duxit fraternitas consulendos, tibi auctoritate Apostolica respondemus, quòd ordinati de rigore iuris in susceptis ordinibus ministrare *c* non debent: verumtamen, si se ad religionem aliquam voluerint transferre, & peracta pœnitentia eis pro tuo arbitrio iniuncta, ibidem laudabiliter fuerint conuersati, processu temporis cum eis poteris de nostra licentia dispensare, vt postmodùm susceptorum ordinum executione lætentur. Præterea pro prædicto etiam G. cùm in persona propria laborauerit; f. tuam rogamus attentiùs, & monemus, vt eum facias in canonicum regularem sancti Petri de Seia, vel in alium religiosum locum, vbi deploret excessum, tanquam fratrem assumi, vt si ei ibidem viuenti regulariter sua merita videris suffragari, ministrandi, prout diximus, tribuas *d* facultatem.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & *in cap. innotuit* 1. *de maledic.* vbi extat alia pars huius Decretalis; nullibi tamen exprimitur, cui Episcopo rescribat Pontifex, licèt ex textus littera deducatur, scribere alicui Episcopo propè Saguntinam diœcesim.

2 b *Sagunt.*] Saguntum vetustissima vrbs est Hispaniæ citerioris in populis Edetanis, cuius meminerunt Ptolomeus *lib.* 2. *Geograph. tabul.* 2. Plinius *lib.* 5. *cap.* 3. Lucanus *lib.* 3. *Pharsal.*

Nec pauet hic populus pro libertate subire,
Obsessum Pœno gessit quod Marte Saguntum.

De cuius origine, & conditoribus agunt Scolanus *tom.* 2. *hist. Valentiæ, fol.* 35. *&* 38. Tamayo à Salazar *tom.* 3. *martyrol. die* 25. *Iunij.*

c *Non debent.*] Quia suspensionem incurrunt furtiuè ordines recipiendo, & duos sacros ordines vno die suscipiendo. Suarez *de censur. disp.* 31. *sect.* 3.

d *Facul-*

Digitized by Google

d *Facultatem.*] Quia cum professis vitam regularem faciliùs dispensatur, immò & per ipsam professionem in religione emissam nonnullæ irregularitates tolluntur, vt probaui *in cap.1.de filijs presbyt.*

COMMENTARIVM.

FVrtiua ordinatio dicitur, quoties fit contra canonum statuta, *cap.presbyter, 24.dist.* cùm vita, genus, patria, ætas, locus, doctrina, fides non expenduntur, *cap.quando, ead. dist.* vel cùm quis sine examine se ordinari curauit, *cap.extra conscientiam, 64. dist.* vel cùm quis clam simul cum alijs intrusus fuit ignaro Episcopo, *can.30.Concilij Illiber.* ibi: *Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint mœchati, eo quòd postmodùm per subreptionem ad altiorem gradum promouebantur. Si autem aliqui sunt in præteritum ordinati amoueantur.* Circa ita ordinatos furtiuè certum est, semper characterem accipere, & validè ordines recipere, nisi ex defectu intentionis Episcopi sacramentum nullum sit: quod in dubio credendum non est, vt docent Theologi cum D.Thoma 3.*part.q.64.art.4.* Marchinus *de ordin.tr.1.part.2.cap.11.n.17.* Hieron.Garcia *in summa, tr.1.diffic.1.dub.13.punct.4.* Lugo *de sacram.in genere, disp.8.sect.7.n.119.* Sed circa pœnas, quas incurrit ita ordinatus furtiuè, discrimen est constituendum inter eum casum, in quo priùs excommunicatio data fuit contra eos, qui furtiuè se ingesserint; nam tunc certum est, simili excommunicationis vinculo irretitos non habere liberam exercendorum ordinum suorum facultatem Hallier.*de sacris elect.sect.2.ad finem*: quam suspensionem aliqui irregularitatem dicunt, quos referunt Diana *part.4.tr.2.resol.55.* Hier.Garcia *d.punct.4.* Barbosa *de iure eccles.lib.1.cap.33.* Hurtado *de irregul.disp.2.diffic.1.n.3.* Bonac.*eod.tr.disp.7.q.3.punct.4.n.6.* Sed contrarium, immò tantùm suspensionem incurrere, docuerunt Gibal. *de irregul.cap.5.qu.1.num.21.dub.6.* Leand.*eod. tract.disp.20.quæst.4.* Si autem nulla præcessit excommunicatio, suspensionem incurrunt, in qua Pontifex dispensare valet, vt latiùs prosequuntur Suarez *de censur.disp.42.sect.5.* Hieron.Garcia *d.puncto 4.*

TITVLVS XXXI.

De excessibus Prælatorum in subditos, vel contra.

CAPVT PRIMVM.

a Alexander III.

PEruenit ád audientiam nostram, vnde si verum est, miramur plurimùm, & aduersùm vos de iure mouemur, quòd in presbyteros, qui sunt in vestra iurisdictione constituti, singulis annis, quasi in seruos mercenarios *b* talliam faciatis; quibus, nisi ad voluntatem vestram pecuniam soluerint, diuinum officium interdicitis, & eos viliter, & inhonestè tractatis in tantùm, quòd ipsos laicis *c* despicabiles reddidistis. Ideò verò hæc, si vera sunt, graui debent vltione puniri, cùm eosdem presbyteros, quasi filios, & fratres benignè, ac fraterna charitate fouere debeatis. Discretioni igitur vestræ per A.s.p.m.quat.in prædictos presbyteros huiusmodi tallias, & indebitas *d* exactiones exercere nullatenus præsumatis, nec eos de cætero irrationabiliter grauetis, vel inhonestè tractetis, aut sine iudicio Capituli sui *e* suspendere præsumatis, vel eorum Ecclesias interdicto subijciatis; neque duas eos matrices Ecclesias, quarum vnam sufficere videbitis, tenere permittatis: nec aliquem sine ordine iudiciario excommunicare præsumatis: scituri pro certo, quod si huiusmodi rumores de vobis ad aures nostras peruenerint, vos pro tantis excessibus, auctore Domino, taliter puniemus, quòd timore pœnæ vestræ cæteri à similibus abstinebunt.

NOTÆ.

a ALexander.] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit.cap.1.* & post Concil Later. *p.2.cap.7.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex, nec ex serie textus facilè deducitur.

b *Talliam.*] Tallia quid, exposui *in cap.aduersùs, de immunit.Eccles.*

c *Despicabiles.*] Quia laici clericis infesti sunt, *cap.clericos, de immunit.Eccles.in 6.*

d *Exactiones.*] Iuxta tradita *in cap.cùm Apostolus, de censibus*, vbi commentarium huius textus dedi.

e *Suspendere*] Hanc partem exposui *in cap.quæsiuisti, de his, quæ fiunt à Prælat.*

CAPVT II.

Idem a *Cant. Archiepiscopo.*

AD hæc quoniam prædictus Episcopus, sicut accepimus, plures Ecclesias, & præcipuè Ecclesiam de Nortun, à *b* consuetudine, & obsequio Archidiaconorum liberas constituerit, & immunes, & in hac parte redditus eorum diminuit, & attenuauit: nihilominus tibi significatione præsentium iniungimus, vt si res ita se habet, factum Episcopi super hoc, ap.rem. corrigas, & emendes, & ita prouideas, quòd præfato Archidiacono consuetudines, quas presbyteri in Ecclesijs sui Archidiaconatus debent, plenariè conseruentur, & illi gratam reuerentiam exhibeant, & honorem.

NOTÆ.

1 a CAntuariensi.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit.cap.2.* & *in cap.ad hæc 20. de appellat.cap.ad hæc, de priuil.* vbi extant aliæ partes huius Decretalis, vt notaui *in d.cap.20.*

b *Consuetudine.*] Præcipua enim iura Archidiaconorum, tam circa iurisdictionem eorum, quàm circa obuentiones, consuetudine introducta sunt, *cap. ad hæc, de officio Archid.* vbi de his iuribus latè egimus, & docet Cironius *ad tit. de officio Vicarij*, & *lib.2. obseru. cap.8.* 2

CAPVT III.

Idem a *Exoniensi Episcopo*.

AD aures nostras peruenit, quòd quidam Archidiaconi tui se in Ecclesias, quæ in suis Archidiaconatibus *b* vacant, auctoritate propria non verentur intrudere, & sic ipsas Ecclesias detinere non erubescunt. Attendentes itaque, absonum, & omni rationi contrarium esse tantæ præsumptionis excessum, nec volentes incorreptum relinquere: f. t. per A. s. p. m. quat. si qui Archidiaconi sunt in Episcopatu tuo, qui tali modo Ecclesias occupant, vel occupatas detinent, ipsos ad eas dimittendas, omni oc. & ap. cess. ecclesiastica censura *c* compellas, & easdem Ecclesias personis idoneis, & honestis ordines; & præfatos Archidiaconos pro tanta præsumptione debita cures animaduersione punire.

NOTÆ.

1 a EXoniensi.] Ita etiam habetur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 3.* & post Concilium Later. *part. 24. cap. 3.* De Exoniensi diœcesi egi *in cap. 6. de filijs presbyt.*

b *Vacant*.] In quibus ius habent instituendi electos corporaliter, *cap. vt nostrum, de offic. Archid.*

c *Compellas*.] Quia nemo seipsum instituere potest, quia inter dantem, & accipientem constitui debet differentia, *cap. per nostras, de iurepatron. cap. fin. de instit.* nec collator sibi beneficium retinere potest, *cap. vnic. vt eccle- siast. beneficia.* Commentarium huius textus dedi *in d. c. fin.* 2

CAPVT IV.

Idem *in Concilio* a *Lateran*.

b CLerici. *Et infrà*: Quicunque illa incontinentia, quæ contra naturam est, propter quam ira Dei venit in *c* filios diffidentiæ, & *d* quinque ciuitates, igne consumpsit, deprehensi fuerint laborare, si clerici fuerint, *e* deijciantur à Clero, vel ad agendam pœnitentiam in monasterijs *f* detrudantur: si laici, *g* excommunicationi subdantur, & à cœtu fidelium fiant penitus alieni.

NOTÆ.

1 a LAteranensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. de cobabit. cleric. cap. fin.* & extat in ipso textu sic, in Concilio Lateranensi generali celebrato sub Alexandro III. *cap. 11.* cuius canonis verba à compilatoribus tripartita fuerunt: & prima pars, quæ agit generaliter de incontinentia clerici, extat *in d. cap. clerici, fin. de cobabit. cleric. in 1. collect.* Secunda pars, in qua specialiter de illa incontinentiæ specie, quæ contra naturam est, disseritur, reperitur in præsenti textu. Tertia tandem, quæ agit de monasterijs monialium; & ne quisquam ea frequentare præsumat, reperitur *in cap. monasteria, de vita & honest. cleric.*

2 b *Clerici.*] In dicto canone 11. Concilij Lateran. additur, *in sacris ordinibus constituti*: vnde constat, præsentem constitutionem quoad pœnam detrusionis in monasterium locum non habere in clericis minoribus, tantùm gradibus initiatis, qui excommunicandi sunt, non verò detrudendi in monasterium.

3 c *In filios diffidentiæ.*] Ex quibus verbis expresè constat, in præsenti canone non agi de quolibet luxuriæ peccato contra naturam admisso, sed de præpostera venere, & monstruosa, cum hominibus, aut fœminis extra vas naturale habita; quæ commixtio contra naturam appellatur ab Apostolo *ad Roman. cap. 1.* ibi: *Nam fœmine eorum mutauerunt naturalem vsum.* Et *in cap. flagitia, 32. q. 2. l. cùm vir, C. ad leg. Iul. de adult.* Huius monstruosæ veneris sectatores appellat D. Paulus *ad Ephes. cap. 4.* filios diffidentiæ, idest desperatos, & filios perditionis, iuxta Hebraicam phrasim, vt notauit Cuiac. *in cap. vt clericorum, de vita & honest. cleric.*

4 d *Quinque ciuitates.*] Videlicet Sodoma, Gomorrha, Seboin, Segor, & Elealc, quarum duæ propter peccatum hoc, aliæ autem propter vicinitatem submersæ fuerunt. Earum meminerunt Isaias *cap. 13.* Ieremias *cap. 50.* Ezechiel *cap. 16.* & Oseas *cap. 11.* & hæc diuina vltio refertur *Genesis cap. 19. Deuteron. cap. 29.* & eius meminerunt Patres Concilij Parisiensis sub Ludouico & Lothario *lib. 3. cap. 2.* ibi: *Sunt sanè diuersorum malorum patratores, & lex diuina improbat, & condemnat: pro quorum etiam diuersis sceleribus, & flagitijs populus fame & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur: & sicut sunt diuersarum pollutionum patratores, quas cum masculis, & pecoribus nonnulli diuersis modis admittunt, quæ incomparabilem dulcedinem pijssimi Creatoris ad amaritudinem prouocantes, tantò grauiùs delinquunt, quantò contra naturam peccant. Pro quo etiam scelere igne cœlesti conflagratæ, infernique hiatu quinque absorptæ sunt ciuitates, necnon & quadraginta, & eo ampliùs millia stirpis Beniaminitæ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porrò iudicia, & euidentes vindictæ declarant, quàm execrabile & detestabile apud diuinam maiestatem hoc vitium existet.*

c *Deijciantur à Clero.*] Quia vt clerici detruderentur in monasterijs pœnitentiæ peragendæ causa, priùs deponebantur, ad laicamque communionem redigebantur, *cap. tuæ, de pœnis, cap. nullus 8. 11. q. 1.* ibi: *Desertorem autem clericum cingulo honoris, atque ordinis sui exutum aliquo tempore in monasterio relegari conuenit.* Illustrat Bosquetus *ad Innocent. lib. 1. regestr. 13. epistola 130.* 5

f *Detrudatur.*] De hac detrusionis pœna egi *in cap. 1. de regularibus.*

g *Laici excommunicationi.*] Clerici autem non excommunicantur, sed tantùm deponuntur, ne bis in idem crimen vindicatum videatur: quam rationem assignant Apostoli *in can. 25.* vbi de clericis omnibus fornicatoribus statuentes docent, vt deponantur, & non segregentur, ne bis in idem crimen vindicetur, contra Scripturam: ad quem canonem alludit omninò sanctus Leo *epist. 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum*, ibi: *Vt qui in presbyterali honore, aut Diaconi gradu fuerint consecrati, ij pro crimine aliquo suo per manus impositionem remedium accipiant pœnitendi* (quia non sunt excommunicati) *quod sine dubio ex Apostolica traditione descendit.* D. Basilius *epist. ad Amphiloch. can. 3.* de Diaconis fornicatione lapsis agens eandem rationem affert, propter quam depositioni non iungatur excommunicatio, ne bis idem crimen puniatur: cùm enim in laicis plectatur excommunicatione, siue priuatione communionis, si in clericis depositione, ac excommunicatione puniretur, reuerà duplex pœna pro vno reatu imponeretur. Accedit, quia vt ait ibidem S. Basilius, laici per pœnitentiam redeunt ad fidelium communionem, seu congregationem; clerici autem depositi, etiam reconciliati, non redeunt ad sacerdotium, à quo exciderunt: docuit idem Basilius *in eadem epistola ad Amphiloch. can. 32.* vbi notauit Balsamon, & probat Gibalin. *de censur. disquisit. 7. qu. 12. conse. 5.* Non me latet, aliqua crimina, quæ capitalia dixit Pacianus in parænesi, punita fuisse in clericis depositione simul, & segregatione, vt *in can. 28. 29. 30. & 64. Apostol.* 6

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Clerici contra naturam incontinentes in monasterijs detruduntur; laici verò excommunicantur.* Quæ conclusio probari 7

Conclusio traditur, & probatur

probari poteſt ex cap. offerebat, cap. adulterij, cap. flagitia, cap. vſus, 32. q. 7. cap. quod ait, 14. diſt. cap. ſi gens, 56. diſt. cap. vt clericorum, de vita & honeſt. cleric. cap. in Archiepiſcopatu, de raptor. cap. ſolicitatores, §. qui verò, de pœnit. diſt. 1. Concil. Illiberit. can. 18. Troſleian. can. 15. Turonenſe can. 15. Pariſienſe ſub Ludouico lib. 1. cap. 34. Londinenſe 2. anni 1102. tempore Paſchalis II. *Sodomiticum flagitium facientes, & eos in hac voluntate iuuantes, anathemate damnamus, donec pœnitentiam, & abſolutionem mereantur: qui verò in hoc crimine publicatus fuerit, ſtatutum eſt, vt ſi quidem fuerit perſona religioſi ordinis, vt ad nullum ampliùs gradum promoueatur, & ſi quem habet, ab illo deponatur.* Refert Anſelmus epiſt. 278. ad Guillelmum, D. Clemens lib. 6. conſtit. cap. 14. Iuſtinus Martyr apolog. 2. Baſilius in epiſt. ad Amphiloch. can. 6. & 62. Conſonant de iure regio lex 1. part. 7. tit. 21. lex 1. tit. 21. lib. 8. recopil. Illuſtrant plura in deteſtationem huius criminis adducentes, Lyra, Serarius, Lorinus, & alij Theologi poſitiui in cap. 19 Exodi, Gomez in l. 80. Tauri, Torreblanca de iure ſpirit. lib. 13. cap. 2. num. 23. Conradus Kling. lib. 5. loc. commun. cap. 34. Solorzanus tom. 2. de iure Indiar. lib. 1 cap. 24. num. 47. Baſilicus deciſ. 4. Petrus Gregor. lib. 36. ſyntag. cap. 20. D. Ioannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 3. Narbona in l. 20. tit. 1. lib. 4. recopil. gloſſa 8. Anton. Auguſt. in epit. iur. lib. 36. tit. 4. Mendoza lib. 3. Concilij Illiber. cap. 65. Alemanus in notis ad Procopium, fol. 53. linea 22. D. Ioannes Vela de delictis, cap. 23. Borel. tom. 3. deciſ. tit. 1. num. 88. Anton. Matthæus de crimin. ad tit. de adulter. & ſtupr. cap. 7. ad finem, Mancinus lib. 1. de triplici iur. collat. cap. 113. plures, quos referunt D. Ioſeph. Vela in cap. 1. de offic. ordin. part. 1. num. 106. Pichardus in §. item lex, Inſtit. de public. iudicijs.

8 Impugnatur tradita aſſertio.

Sed in hanc aſſertionem pro dubitandi ratione ita inſurgo. Quælibet Domini noſtri actio debet eſſe vitæ noſtræ inſtructio, cap. ſignificaſti 4. de elect. Clement. 1. de magiſtris. Sed Dominus noſter in patratores huius teterrimi criminis non tantùm pœna ſpirituali, verùm & corporali (ignis videlicet) vſus fuit, vt ſuprà probaui ex cap. 19. Geneſis, & 29 Deuter. Ergò ſimiliter Eccleſia non depoſitione, aut excommunicatione tantùm, verùm & pœna capitali hoc ſcelus vindicare debebat. Facit etiam, nam pœna metienda, & penſanda eſt pro ſceleris grauitate, cap. felicis, §. cæterùm, de pœnis lib. 6. l. fin. C. de modo mult. Sed pro ſtupro, & adulterio pœna corporalis iniungitur in cap. 2. de adult. Ergo & pro hoc nefario crimine imponenda erat, cùm eius grauitas ſuperet adulterium, cap. adulterij, 32. qu. 7. Augetur hæc dubitandi ratio ex cap. in Archiepiſcopatu, de raptor. Vbi cùm agatur de raptoribus puerorum, vt eis abuterentur, decreuit Pontifex, illos pecunia eſſe mulctandos, & fuſtibus cædendos. Igitur non rectè Patres Concilij Lateran. in præſenti tantum ſanxerunt clericos præpoſtera libidine vtentes detrudendos eſſe in monaſterium, laicos verò tantùm excommunicandos eſſe.

9 De atrocitate huius criminis.

Qua dubitandi ratione non obſtante, vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſciendum eſt, hoc crimen teterrimum eſſe, & horrendum, quod inuerſo, ac præpoſtero naturæ ordine, aduerſantibus pudicitiæ legibus perpetratur. Dicitur peccatorum omnium peſſimum in cap. 11. 35. qu. 3. contra naturam à Platone lib. 1. de legibus, impuriſſimum facinus, à Clemente lib. 6. conſtit. cap. 27. Cuius quanta ſit grauitas, quanta acerbitas, ipſumque quàm dirum nefas, ac ſcelus flagitioſum ſit, omnes ſciunt. Tertul. lib. de pudicitia, inter monſtra illud retulit, ibi: *Reliquas autem libidinum furias impias in corpora, & in ſexus vltra iura naturæ, non modò limine, verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmouemus, quia non ſunt delicta, ſed monſtra.* Philo Iud. lib. de ſpecialibus legib. hac teterrima fæculentia oblitos vocat probroſos, & familiæ ſuæ ac patriæ dedecora, atque adeò totius humani generis. D. Auguſt. de bono coniugali, cap. 8. hanc eſſe ſummitatem turpitudinum dixit, ibi: *Malum eſt fornicatio, peius adulterium, peius eſt enim alienum matrimonium violare, quàm meretrici adhærere; & peior eſt inceſtus, quia peius eſt cum matre, quàm cum aliena vxore concumbere; & ſemper de malo ad peius, donec ad ea perueniatur, quæ, ſicut ait Apoſtolus, turpe eſt etiam dicere.* Eleganter Sanctus Petrus Damianus in libello Gomorrheano, ibi: *Hoc ſanè ſodomiticum vitium nulli prorſus eſt vitio conferendum, quod omnium immanitatem ſuperat vitiorum; hoc ſiquidem vitium mors eſt corporum, interituſque eſt animarum; carnem polluit, mentis lumen extinguit, Spiritum ſanctum de templo humani pectoris eijcit, incentorem luxuriæ diabolum introduxit: quiſquis in hunc extremæ perditionis abuſum fuerit lapſus, à ſuprema patria exul efficitur, à Chriſti corpore ſeparatur, totius Eccleſiæ auctoritate confunditur, omnium Sanctorum Patrum iudicio condemnatur.* Multa ex varijs Patribus ad huius infandiſſimi probri deteſtationem congeſſerunt Hincmarus in opuſc. de diuortio Lotharij, ad interrog. 12. Theoph. Raynaud. lib. 6. de virtut. num. 146. Borel. in ſumma deciſ. tit. 1. num. 46. Solorzanus lib. 2. de iure Indiar. tom. 1. cap. 12. num. 31. & tom. 2. lib. 1. cap. 24. num. 47. Decianus lib. 6. tract. crimin. cap. 3. nu. 3. Beyerlinch tom. 7. verbo Sodomia. Quare Saluianus de gubernat. Dei, rectè notauit, Dominum noſtrum vltorem huius delicti ſe appellare, licèt in alijs delictis nomen vltoris admodùm abhorruerit. Legitur enim in d. cap. 19. Geneſis: *Dominus pluit ſuper Sodomam.* Et crimen hoc maius, & grauius eſſe, quàm adulterium, contra P. Vaſq. reſoluit P. Mendo in ſtater. diſcurſu 5. qu. 23.

Deinde ſciendum eſt, omni iure varijs, & exquiſitis pœnis vindicatum fuiſſe hoc delictum. Iure diuino pœna mortis ſtatuta fuit. Leuit. cap. 18. verſ. 22. & cap. 20. ibi: *Qui dormierit cum maſculo coitu fœmineo, vterque operatus eſt nefas, morte moriantur, ſit ſanguis eorum ſuper eos.* Exodi cap. 22. verſ. 19 Deuter. cap. 22. verſ. 21. facit Apoſtol. ad Roman. cap. 1. ad Galatas cap. 5. ad Epheſ. cap. 5. Apud Orientales eandem pœnam vſitatam fuiſſe refert Euſebius Cæſar. lib. 6. de præpar. euangel. cap. 8. ibi: *Ab Euphrate vſque ad Orientalem oceanum, cui cædes, vel furtum obijcitur, non magno mœrore torquetur; qui verò pudorem maſculi eripuit, ſi res in lucem venerit, magnitudine ignominiæ ſeipſum interficere cogitur.* Iure ciuili Romanorum varijs pœnis plectebantur, vt conſtat ex l. 1. §. remouet, ff. de poſtul. l. 1. §. vlt. ff. de extraord. crimin. l. eiuſdem, §. item, ff. ad leg. Corn. de ſicar. Paulus lib. 5. ſentent. tit. 23. §. qui hominum. Et in reos huiuſmodi ſceleris lata fuit lex Scatinia, quam tulit Scatinius quidam Aricinus, cuius meminit Cicero Philip. 3. Eius legis meminerunt Suetonius in Domit cap. 8. Tertul. de monog. cap. 12. Plutarchus in Marcel. Sextus Philoſoph. lib. 1. Iuuenal. ſatyra 2. 10 De pœnis huius delicti.

Quod ſi vexantur leges, ac iura: citari
Ante omnes debet Scatinia. Reſpice primum.

Auſonius, qui de quodam Iureconſulto adulteram vxorem habente, & huic præpoſteræ veneri dedito ita luſit:

Iuriſconſulto, cui viuit adultera coniux,
Papia lex placuit, Iulia diſplicuit.
Quæritis vnde hæc ſit diſtantia? Semiuir ipſe
Scatiniam metuens, non metuit Titiam.

Quod elegantiſſimum epigramma parum ſcitè expoſuerunt Alciatus lib. 10. parerg. cap. 16. Gratianus diſcept. forenſ. cap. 183. num. 43. Sed ex ſententia Ælij Vineti in not. illius, ſic exponendum eſt: Iuriſconſulto cuidam, qui vxoris adulterium diſſimulans, fauere ei videbatur, Papiam legem, quæ contra cœlibes, improleſque lata eſt, placuiſſe; Iuliam autem de adulterijs diſplicuiſſe, qua lenocinia, atque adulteria puniuntur; quia vxore adultera retenta, liberiſque vel ex marito, vel ex adulterio ſublatis, mariti patriſque nomen vſurpare vetabatur; & legi Papiæ ſatisfacere nitebatur, dum in Iuliam de adulterijs peccabat: idque collatis alijs duarum legum nominibus, lepidiſſimè oſtendit; ait enim diuerſitatis huius cauſam eſſe, quòd Iureconſultus ipſe ſemiuir, mollis, muliebriſque patientiæ ſcortum, vt Petronius alibi loquitur, metuebat legem Scatiniam, latam aduersùs impudicos; ideòque vt hoc vitium tegeret, vxorem adulteram retinebat maritus metu Scatiniæ, Papia vtens, nec tamen timens Titiam legem, qua ſcilicet cauebatur, ne quis ob cauſam orandam donum, pecuniamque accipiat, vt in Tacito legimus 11. annal. reclamante Lipſio & alijs: quia cùm ei donum, munuſue ob cauſam orandam offerret, & imperitus, ac clientelarum inops eſſet, non erat, cur metueret Titiam legem de muneribus, quæ ipſe ab adulteris vxoris ſuæ capiebat ex lenocinio ſuo, faciens contra legem Iuliam. Sed quia lex Scatinia eam pœnam ſtatuebat, vt qui ingenuum ſtupraſſet, ſeſtertiorũ decem millia exſolueret, vltra modum flagitium hoc creſcebat, quia ob pœnam hanc pecuniariam, quæ facilè pendebatur, conniuentibus iudicibus viri nubebant in fœminas, vt Tertul. diſertè ſcribit de monog. cap. 12. quare pœna capitalis in eos ſtatuta fuit in l. cùm vir, C. ad leg. Iul. de adult. His elegantiſſimis verbis: *Cùm vir nubit in fœminam viris porrecturam, quid cupiatur, vbi ſexus perdidit locum? vbi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire? vbi venus mutatur in alteram formam? vbi amor quæritur, nec videtur? Iubemus inſurgere leges, armari iura gladio vltore,*

re, vt

re, vt exquiſitis pœnis ſubdantur inſumes, qui ſunt, vel qui futuri ſunt rei. Cuius legis veram litteram reſtituere curarunt Fabrotus ſrom. iur. cap. 24. Reuardus lib. 4. cap. 20. Scholiaſtes ad illud Petronij:

Perſarum ritu malis pubeſcentibus armis.

I. Gothofr. ad eandem legem in Theodoſ. & nos in can. 71. Concilij Illiber. Ad illa verba, armari iura, notandi ſunt Prudentius lib. 2. in Symmachum:

—— Lex armata ſedes.

Marius Victor lib. 2. in Geneſim:

—— Tibi crimina plectent
Armatæ leges gladijs, & vindice ferro.

Iuncto Philippo Camerario horar. ſucceſſ. cent. 1. cap. 4. Imperatores Valentinianus, & Arcadius pęnam ignis ſtatuerunt in l. 6. C. Theodoſ. ad leg. Iul. de adult. ibi: Omnibus, quibus flagitij vſus eſt, virile corpus muliebriter conſtitutum, alieni ſexus damnare patientia (nihil enim diſcretum videntur habere) cum fœminis huiuſmodi ſcelus ſpectante populo flammæ vindices expiabunt. Et ſanè pęna capitalis rectè ſtatuta eſt in eos, qui nefarijs ſuis libidinibus tot homines occidunt, quot impediunt naſci. Eos enim homines interficere, dum prohibent naſci, non ſolùm Chriſtiani norunt, ſed & Ethnici. Plato lib. 8. de legibus, ibi: Abſtinendum igitur à malis iubeo; nam qui iſtis vtantur, genus hominum dedita opera interficiunt, vt lapidem ſeminantes, vbi radices agere quod ſeritur, nunquam poterit. Martialis lib. 9. epigram. 42. in Ponticum:

Hoc nihil eſſe putas: ſcelus eſt mihi crede, ſed ingens,
Quantum vix animo concipis ipſe tuo.
Ipſam crede tibi naturam dicere rerum:
Iſtud, quod digitis Pontice perdis, homo eſt.

Quam pęnam firmauit Imperator Iuſtin. in authent. vt non luxurientur, & in §. item lex Iul. Inſtit. de public. iudic. nouella 77 Phocius in nomocan. tit. 13. de laicis, cap. 5. Sed tunc difficilis videtur textus in l. ſi ſeruus 27. §. & ſi puerum, ff. ad leg. Aquil. vbi aſſeritur, caſtrantem puerum non teneri lege Aquilia, quia pretioſiorem eum reddit. Ergo quia iure ciuili crimen hoc præpoſteræ libidinis non vindicabatur. Nam reſpondendum eſt, ideò ſeruum eunuchum pretioſiorem reddi, quia Romani eunuchis vtebantur ad diuerſa miniſteria, præcipuè ad cuſtodiam matronarum, vt aiunt Herodotus ibi: In maiori pretio, quàm integri, ſunt eunuchi, propter fidem. Clemens Alexand. lib. 4. pædag. cap. 4. ibi: Miniſtrantes citrà ſuſpicionem. Item ad docendas priores litteras pueros. Lucianus in Eunucho, ibi: Aptior eunuchus, cui adoleſcentes erudiendi traduntur. Præcipuè puellis. Martial. lib. 9. epigram. 70. l. 4. Cod. de præpoſitis ſacri cubic. vbi Cuiacius. Et de eunucho præceptore accipit textum in l. qui filiam 4. ff. vbi pupillus educari, D. Ioannes Suarez ad leg. Aquil. lib. 2. cap. 3. ſect. 6. nu. 21. plura de his eunuchis ad cuſtodiam matronarum deputatis congeſſerunt Amaya lib. 3. obſeru. cap. 6. Fornerius lib. 2. ſelect. cap 29. Salmut. in not. ad Panciroll. l. 1. rer. mem. tit. 45. Vnde pretioſior dicitur eunuchus in d. §. et ſi puerum, quia ijs miniſterijs aptior reddebatur. Iure noſtro Regio olim caſtrationis pęna impoſita erat, l. 6. tit. 5. lib. 3. fori iudicum, vbi probat Villadiego, & exponit, quomodo delictum hoc probetur. Poſteà pęna capitalis ſancita fuit in l. 2. tit. 22 partit. 3. & nouiſſimè l. 1. tit. 21. lib. 4. Recopil. pęna hæc ignis eſt cum confiſcatione bonorum: & meritò ſimiles rei comburi iubentur, vt ignem, quem in concupiſcentijs habuerunt, iuxta illud D. Ambroſij de Abel, & Cain: Sæuus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum: nocte feruet, die anhelat; ignis ſimiliter extinguat. Vnde Dominus igne de cęlo dimiſſo vltus eſt hanc monſtruoſam Pentapolitarum libidinem, Geneſis cap. 18. Similiter cùm Iudæ nunciatum eſſet, fornicatam fuiſſe Thamar nurum eius, produci eam iuſſit, & comburi Geneſis cap. 38. Similiter iure ciuili cautum legimus, ſeruum cum domina propria concumbentem concremari, l. vnic. C. de mulieribus quæ ſe prop. ſeruis: vel ſi mulierem ingenuam rapuerit, aut ſimili raptui opem tulerit. Notauit Mancinus l. 1. de triplici iuris collat. c. 60.

11 De pœnis ex iure canonico.

Nec minori odio Eccleſia proſequuta eſt hoc immane ſcelus; nam primis Eccleſiæ ſæculis nec in fine vitæ venia huiuſmodi reis concedebatur. Concil. Illiber. can. 71. ibi: Stupratoribus puerorum nec in fine dandam eſſe communionem. Vbi notaui, & probarunt Gabriel Albaſpineus lib. 2. obſ. cap. 13. Balſamon in can. 17. Concilij Ancyr. cuius verba infrà dabimus. Poſteà pœnitentia illis iniuncta fuit decem, aut ſeptem annorum. Gregorius III. in pœnit. tit. de diuerſ. crimin. cap. 21. ibi: Si quis ordinatus in ſcelere ſodomitico coinquinatus fuerit, quod in tantùm coram Deo abominabile deſcribitur vitium, vt etiam igne, & ſulphure eorundem ciuitates legantur ſubuerſæ, decem annos ſecundùm antiquam conſuetudinem pœniteat: quidam humaniùs ſeptem annos præfinierunt; illis autem, qui neſciunt vim huius flagitij, tres annos præfinierunt, vt pœniteant: pueri verò, qui illud exercere ſciunt, oportet vt emendare feſtinent, videlicet quinquaginta dies pœniteant, inſuper & verberibus afficiantur; quia neceſſe eſt, vt ſeges, quæ malè pullulat, reſecetur. Etiam iure canonico laici infamia notantur, cap. infames 3. qu. 7. & excommunicantur; clerici autem olim depoſiti detrudebantur in monaſterijs ad pęnitentiam peragendam: nouiſſima verò conſtitutione Pij V. edita anno 1568. clerici omni priuilegio clericali, officio, dignitate, & beneficio eccleſiaſtico priuati, & degradati traduntur poteſtati ſæculari, vt debitis afficiantur pœnis: quam ad praxim explicat, & exponit Scortia in ſelect. Pontific. conſtit. epit. 103. theorem. 255. Vnde conſtat, delictum hoc à laico commiſſum eſſe mixti fori, & nedum à ſæculari iudice, verùm ab eccleſiaſtico ex præuentione puniri poſſe, vt docent Anſaldus de iuriſd. part. 4. c. 1. tit. 5. ad finem, Bobadilla lib. 2 polit. cap. 17. num. 67. pluribus relatis probat D. Ioſeph Vela in cap. 1. de offic. ordin. n. 109. Etiam hoc crimen in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Luſitaniæ punitur per Inquiſitores Apoſtolicos, vt teſtatur Simanc. de Cathol. Cantera qq. crimin. part. 5. c. 4. Torreblanca de iure ſpirit. lib. 13. cap 2. n. 24. Souſa in aphoriſm. Inquiſit. lib. 1. cap. 59. nu. 10. Vela vbi ſuprà, nu. 109. Caſtropalao tom. 1. oper. moral. tr. 4. diſp. 8. punct. 12. §. 2. Diana part. 4. tr. 7 reſol. 20 Carena de offic. Inquiſit part. 2. tit. 6. §. 16.

Nec obſtat dubitandi ratio ſuprà expenſa; nam licèt ita atrox, & horrendum crimen ſit hoc monſtroſæ veneris; tamen cum Eccleſia admodùm abhorreat ſanguinis effuſionem, vt probaui in cap. ſententiam, ne clerici, vel monachi; ideò pro vindicando hoc crimine tantùm ſtatuit pęnas ſpirituales, non verò pęnam capitalem, vt ſæculares legislatores ſanxerũt. Nec obſtat argumentum deductum à pęnis impoſitis pro alijs delictis; nam cùm in delictis puniendis penſentur locus, tempus, occaſio, peccandi facilitas, multitudo peccantium, non poteſt argumentum deduci à pęna impoſita vni delicto ad aliud. Nec etiam obſtat argumentum deductum ex d. c. in Archiepiſcopatu, de raptoribus. Nam in eius ſpecie ſicuti non ſolùm abutebantur pueris, verùm & eos rapiebant; inde pro raptu ipſo iubet Innocentius pęnis pecuniarijs eos eſſe mulctandus, & flagellis afficiendos, dummodo ad effuſionem ſanguinis non perueniatur, vt in eius textus notis obſeruaui. — 12 Diſſoluitur ratio dubitandi.

Sed ſuprà traditis obſtat textus in cap. fraternitati 7. de eo, qui cognouit conſanguineam vxoris, vbi cùm quidam puellam infantem nondum ſeptennem ſibi in vxorem deſponſaſſet, & extraordinaria libidine polluiſſet, poſteà matrimonium contraxit cum conſanguinea ipſius ſponſæ: quæſitum fuit, an ſeparandi eſſent coniuges? Et reſpondit Pontifex, inter eos celebrandum eſſe diuortium quoad torum, nulla pęna impoſita viro extraordinariè cognoſcenti ſponſam, quæ paſſa eſt extraordinaria libidine pollui: igitur non rectè in præſenti docetur, laicum contra naturam luxurioſè peccantem excommunicandum eſſe. Augetur ipſius textus difficultas ex c. omnes 7. cap. flagitia, 32. qu. 7. vbi docetur, diſſolui matrimonium, ſi vir præpoſterè cognouerit vxorem propriam, vel alienam. Igitur non rectè in præſenti capite fraternitati, diuortium tantùm fit quoad torum. Quibus difficultatibus facilè reſpondetur, ſi obſeruemus, in eo textu non agi de præpoſtera, ſeu monſtroſa venere, de qua in præſenti agitur; ſed tantùm de extraordinaria libidine, ideſt intempeſtiua coitione, ac importuno congreſſu habito cum ea, quæ adhuc viripotens, & prematura non erat; de qua etiam extraordinaria libidine agitur in cap. iuuenis 3. de ſponſal. vbi notauit Cuiac. & probaui in d. cap. fraternitati. Vnde cùm in eo textu nulla ſuſpicio præpoſteræ veneris daretur, ideò pęna nulla imponitur ſponſo, aut ſponſæ. — 13 Exponitur cap. fraternitati 7. de eo qui cognouit conſanguin.

Secundò obſtat textus in canone 3. Concilij Tolet. 16. in illis verbis: Sicut cordis, corporiſque munditia homines Deo proximos facit, ita incentiuæ pollutionis actio à Deo alienos ſtatuit: & ſicut ſodomiticos populos horrenda, nimiùmque deteſtanda patratio igni cœlitus confluenti exurendos in præteritis tradidit, ita talibus immunditijs homines deditos æternæ damnationis rogus conſumet, loquente Domino per Prophetam: Veſtimentum mixtum ſanguine erit in com- — 14 Exponitur Concilium Tolet. can 13.

Digitized by Google

in combustionem, & cibus ignis. At nunc quoniam hæc funesta actio, & sodomiticæ operationis malum multos sauciasse perpenditur, ideò nos ob huius fœdissimæ causæ exstirpandam consuetudinem zelo Domini ardentes, omnes in commune sancimus, vt quicunque huius nefariæ actionis patratores extiterint, quique in his turpitudinibus sese implicari permiserint, & contra naturam masculi in masculos hanc turpitudinem operauerint, si quidem Episcopus, Presbyter, aut Diaconus fuerit, de proprij honoris gradu deiectus, perpetui exilij manebit damnatione perculsus: sin verò cuiuslibet ordinis, gradus, vel personæ talibus collusionis noxis reperti fuerint applicari, illius legis, quæ de talibus est edita, nihilominus feriantur sententia, atque ab omni Christianorum sint alieni caterua; & insuper centenis verberibus correpti, ac turpiter decaluati, exilio mancipentur perpetuo. Ita vt nisi tam eos, qui religionis cultum turpasse visi fuerint, quàm etiam alios (vt diximus) cuiuscunque ordinis homines digna satisfactio pœnitentiæ accipere corpus & sanguinem Christi in fine permiserit, aut Christicolarum societati reddiderit, nec in exitus sui diem, secundùm canonum instituta, communionis perceptione se nouerint releuari, nec Catholicorum cœtui aggregari. Ex quibus verbis expressè deducitur, laicos patratores huius delicti non excommunicari, sed centenis verberibus affici, ac turpiter decaluatos in exilium mitti, & clericos non detrudi in monasterium, sed etiam degradatos perpetuò exilio deputari. Ergo non rectè in præsenti asseritur, laicos excommunicandos esse, clericos verò esse monasterijs detrudendos. Pro cuius canonis expositione sciendum est, in his Concilijs Toletanis non solùm Præsules Ecclesiarum adfuisse, verùm & Principem; & non tantùm Concilia sacra, verùm & comitia secularia fuisse. Vnde pœnas etiam corporales in eisdem Concilijs sæpiùs contra laicos statutas legimus. Quare in eo canone eædem pœnæ statutæ fuerunt, quæ iam in legibus Vuisigothorum, *lib.3.tit.5.* sancitæ fuerant, & repetitæ leguntur. Quare cùm ab Egica Rege Gothorum, cuius tempore, anno videlicet 693. celebratum fuit Concilium illud, simul cum Patribus in eo congregatis, pœnæ illæ statuerentur; quid mirum, vt pœnæ etiam corporales contra masculorum stupratores statuantur.

Ex suprà traditis lucem accipit textus in canone 16. Concilij Ancyr. vbi de his, qui irrationabiliter vixerunt, idest, qui cum pecudibus, vel masculis polluti fuerunt, ita Patres sanxerunt: *De his, qui irrationabiliter versati sunt, siue versantur, quotquot antè vicesimum ætatis suæ annum tale crimen commiserint, quindecim annis exacti in pœnitentia communionem singularum mereantur orationum. Deinde quinquennio in hac communione durantes, tunc demùm oblationis sacramenta contingant. Discutiatur autem vita eorum, quales tempore pœnitudinis extiterunt, & ita misericordiam consequantur. Quod si inexplebiliter his hæsere criminibus, ad agendam pœnitentiam prolixius tempus insumant. Quotquot autem peracta viginti annorum ætate, & vxores habentes, hoc peccato prolapsi sunt, vigintiquinque annis pœnitudinem gerentes, in communionem suscipiantur orationum. In qua quinquennio perdurantes, tunc demùm oblationis sacramenta percipiant. Quod si qui & vxores habentes, & transcendentes quinquagesimum annum ætatis ita deliquerint, ad exitum vitæ communionis gratiam consequantur.* In quibus verbis breuior pœnitentia imponitur adolescentibus quàm maioribus, qui cum masculis se polluerunt; quia semper minores mitiori pœna, quàm maiores ætate afficiuntur, *l. auxilium 37. §.1. ff. de minor. l. si adulterium 38. §.1. ff. ad leg. Iul. de adult.* & in terminis præposteræ libidinis constitutum fuisse refert Harmenopulus *lib.6. promptuarij, tit.4.* ibi: *Præter naturam lasciuientes, tam agens, quàm patiens gladio plectantur; nisi fortè qui passus est, minor erat.* Vnde rectè pœnitentiæ tempus imponitur, & taxatur *in cap.16.* iuxta ætatem ipsius delinquentis, vt etiam pœnitentia leuior imponitur, quando peccatum hoc solummodò attentatum, non verò consummatum fuit, vt ex D. Isidoro refert Carnotensis *p.9. Decreti, cap 94.* in hæc verba: *Si quis ex iuuenibus, vel aliqua suspiciosa persona cum paruulis iocatus fuerit, diuturna pœnitentia maceretur.* Licèt enim conatus in alijs delictis opere non consummato non puniatur; tamen in hoc teterrimo crimine propter eius atrocitatem conatus extra ordinem vindicatur, *l.1. §. fin. ff. de extraordin. crimin.* Prosequitur ipsius canonis illustrationem Zerda *in aduers. cap.146. num.11.*

15 *Exponitur can. 16. Concil. Ancyr.*

C A P V T V.

Alexander III. *Vniuersis* a *Abbatibus*.

SAnè si Episcopi aliqui ab Abbatibus aliquid præter debitam obedientiam contra libertatem ordinis à prædecessoribus nostris, & à nobis indultam exigunt, liberum sit eisdem Abbatibus Ap. auctoritate denegare quod petitur, ne occasione ista *b* ordo iste, qui hactenus liber extitit, perpetuæ seruitutis laqueo vinciatur.

N O T Æ.

1 a ABbatibus.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.1.* sed in margine pro *Abbatibus*, legitur *Episcopis*, & qualibet littera retineri potest, cùm Alexander III. generaliter, tam cum Abbatibus, quàm cum Episcopis loquatur.

2 b *Ordo iste.*] Forsan agebat Alexander de ordine Cisterciensi, quem speciali affectu diligebat; vnde varia priuilegia huic præclaro Ordini concessit, vt notaui *in cap. cùm in ordinem 6. de rescript. cap. nuper, de decimis.* Commentarium huius textus dedi *in cap.1. de suppleud. neglig. cap. ne Dei Ecclesia, de simon.*

C A P V T VI.

Alexand. III. a *Noruicensi Episcopo*.

ILlud etiam de Vicarijs, qui *b* personis *c* fide, & sacramento obligati sunt, duximus statuendum, quòd si fidei, & sacramenti religione contempta *d* personatum sibi falsò assumentes, contra personas se erexerint, & super hoc in iure vel *e* confessi, vel *f* conuicti fuerint, de cætero in eodem Episcopatu ad officij sui executionem non admittantur.

N O T Æ.

1 a NOruicensi.] Ita etiam legitur post Concil. Lateran. *p.38. cap.2.* & in secunda collectione, *sub tit. de iureiur. cap.1.* vbi additur, *pars capitis Consuluit.* Sed verius credo, in præsenti referri partem textus *in cap. significauit, de offic. deleg. cap. clericos, de offic. Vicarij.*

2 b *Personis.*] Idest rectoribus proprietarijs ipsarum Ecclesiarum, vt probaui *in cap.8. & 12. de rescript.*

c *Fide & sacramento.*] Idest fidelitate iuramento promissa, iuxta tradita *in cap.2. & 3. de iureiur.* Vnde præsens textus in secunda collectione compilatus fuit *sub tit. de iureiur.*

d *Personatum.*] De personatu egi *in cap. ad aures, de rescript.*

e *Confessi.*] Iuxta ea, quæ adduxi *in cap.2. de confessis.*

f *Conuicti.*] Iuxta tradita *in cap. at si clerici, de iudicijs.* Et de his Vicarijs, tam perpetuis, quàm temporalibus, egi *in tit. de offic. Vicarij.*

CA-

Digitized by Google

CAPVT VII.

a Clemens III.

CVm ad quorundam malitiam coërcendam in Concilio fuerit *b* Lateranen. multâ deliberatione statutum, vt Archiepiscopi, Episcopi, Archidiaconi, Archipresbyteri etiam, & Decani certum euectionis numerum, & personarum in Ecclesiarum visitationibus non excedant; quia, sicut audiuimus, quidam ex prædictis personis id in Ecclesijs vestris nequaquam obseruant, super hoc commoditati vestræ duximus salubriter, & attentiùs prouidendum: ideòque disc. vestræ præsentium auctoritate concedimus, vt si prænominatæ personæ numerum euectionis, & personarum in Concilio constitutum, cùm Ecclesias visitant, excedere fortè præsumpserint, & pro illis procurationem exegerint, liberum sit vobis auctoritate Apostolica denegare; & si propter hoc in Ecclesias vestras, vel clericos vestros aliquam sententiam promulgauerint, ipsam auctoritate Apostolica decernimus non tenere.

NOTÆ.

a CLemens III.] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. capite* 3. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

b *Lateran.*] Relato *in cap. cùm Apostolus, de censibus*, vbi commentarium huius textus dedi.

CAPVT VIII.

Cœlestinus III. a *Fauentin. Episcopo.*

SIcut vnire Episcopatus, atque potestati subijcere alienæ, ad supremum Pont. pertinere dignoscitur; ita Episcoporum est suæ diœcesis Ecclesiarum vnio, & subiectio earundem. Cùm itaque, sicut nobis innotuit, Prior Granden. monasterium suum, quòd est in tua diœcesi, & de tuo debet ordinari consensu, monasterio de Cerat, tuo assensu minimè requisito, subiecerit, siue vnierit: f. t. per A. f. m. & indulgemus, vt quòd fecit super hoc te inconsulto, tibi liceat auctoritate nostra, sicut iustum fuerit, infirmare, non obstante assensu, vel confirmatione, quam Metropolitanus interposuisse proponitur; cùm in diœcesi sui suffraganei, absque sui Episcopi consensu, non debeat aliquid huiusmodi contra constitutiones *b* canonicas attentare. Nos quoque id decreuimus, prout dictum est, irritandum, statuentes, &c.

NOTÆ.

a FAuentino.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap* 4. De Fauentina diœcesi nonnulla addnxi *in cap.* 11. *de renunc.*

b *Canonicas.*] Relatas *in c. pastoralis, de officio. Ordin.*

COMMENTARIVM.

1 *Probatur, & traditur conclusio.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Pontifex tantùm potest vnire Episcopatus, Episcopi verò possunt vnire Ecclesias suæ diœcesis.* Probant eam textus *in c. vnio, 10. q. 3. c. postquam 49. c. & temporis, c. decimas, §. fin. c. plures, §. ius ergo, 16. q. 1. c. eam te 4. de ætat. & qualit. c. ita nos, 26. q. 2. c. exposuisti 33. de præbend. c. cùm nostris 6. de concess. præb. c. pastoralis, de donat. c. 1. de rebus Eccles. lib. 6. Clement. 2. eod. tit. Clement. 1. §. ad hæc, de stat. monach. c. 1. ne Sede vacante, c. quod translationem, de offic. Leg. Clement. 1. vt lit. pend.* Concil. Trid. *sess. 21. de reformat. c. 1. & sess. 24. cap. 13.* Consonant de iure Regio lex 13. *tit. 5. part. 1. lex 2. tit. 10.* Illustrant vltra congestos in præsenti à Barbosa, & *de iure eccles. lib. 3. cap. 16. per tot. & de potest. Episcopi alleg. 66.* Vighellius *in methodo iuris can. lib. 3. cap. 1.* Duarenus *de sacris Eccles. minist. lib. 5. c. 6.* Coruinus *lib. 2. aphorism. iur. Pontif. tit. 23.* Rufiniacus *lib. 3. constit. Pontific. tit. 7. c. 7.* Velâscus *de priuil. pauper. part. 1. q. 12. per tot.* Petrus Gregorius *lib. 1. partit. tit. 27. c. fin. & de benefic. c. 20. & de rescript. c. 3. nu. 25.* Fragoso *de regimin. Christ. Reipub. part. 2. lib. 9. disput. 20. §. 6.* Valenzuela *consil. 4. nu. 161.* Solorzanus *tom. 2 lib. 3. cap. 4. nu. 1.* Frances fusè *de Ecclesijs Cathedralibus, cap. 8.*

2 *Impugnatur tradita assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Tam Pontifex in Ecclesijs vniuersi orbis Christiani, quàm Episcopi in Ecclesijs suæ diœcesis non verum, & perfectum dominium habent, sed ad instar vsufructuarij se habent fructus ex eis percipiendo, vt probaui *in c. 1. c. cùm in officijs, de testam.* Sed vsufructuarius circa rei formam nihil potest mutare, *l. 1. ff. de vsufructu*; sed re ipsa tantùm vti, salua eius substantia, *§. 1. Inst. de vsufruct.* ergo nec Pontifex Ecclesias Cathedrales, nec Episcopus Ecclesias suæ diœcesis vnire possunt; siquidem per vnionem mutatur forma ipsarum, vt *ex l. fin. C. de vend. rer. ciuit. lib. 10. l. 2. & fin. C. de præd. Decur. eod. lib.* probat Zypæus *contra biatum Cassans, cap. 12.* Ergo nec Pontifex Ecclesias Cathedrales, nec Episcopus Ecclesias suæ diœceseos vnire valent. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam quælibet Ecclesia debet habere suum Rectorem, *cap. quia nonnulli 3. cap. conquerente 6. de cleric. non resid. cap. præcipimus 53. 16. quæst. 1. cap. sanctorum, 70. dist.* Sed per vnionem necessariò vna ex Ecclesijs manet sine Rectore: ergo similis vnio fieri non poterit. Secundò in eandem assertionem, quatenus in ea docetur tantùm Pontificem posse vnire Ecclesias Cathedrales, Episcopum verò Ecclesias diœcesanas, sic argumentor. Quælibet res per easdem causas dissoluitur, per quas & creatur, *cap. 1.* vbi dicemus, *de regul. iur.* sed noua Episcopatus institutio, seu erectio auctoritate Concilij prouincialis, & cum consensu Principis sæcularis fieri debet, *can. 65. Concilij Afric.* qui est 98. Synodi Carthag. apud Balsamonem, ibi: *Placuit & illud, vt plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Episcopos, nisi ex Concilio plenario vniuscuiusque prouinciæ, & Primatis, atque consensu eius, ad cuius diœcesim eadem Ecclesia pertinebat, decretum fuerit, minimè accipiant.* Ergo & suppressio, seu vnio fieri debet. Hoc iure S. Medardi tempore Episcopatus Nouiomensis, & Tornacensis in vnum coaluere, consensu Metropolitani, & prouincialiũ, ac Regis, vt refert Fortunatus *in eius vita, cap. 16.* apud Surium die 8. Iunij, ibi: *Pontificali demùm, Metropolitani scilicet, & comprouincialium suorum euictus auctoritate, Regisque, ac Procerum assensu, plebisque coactus incessabili acclamatione, vix consensit, & vnanimi, Pontificali videlicet, ac Regali auctoritate duas illas Ecclesias vnam fecit. Vtrumque ouile pastor egregius consilio, & auctoritate comprouincialium Episcopum tempore Hormisdæ Pontificis sub sancto Remigio tunc temporis Rhemorum Archiepiscopo, assensu Regis, & curialium, ac vtriusque plebis acclamatione tandem suscepit, & vt vtrique Ecclesiæ Cathedralis semper honor maneret, benignè concessit.* Accedit circà Ecclesias inferiores non leuior difficultas; nam sine patronorum assensu Ecclesiæ status mutari nequit, *cap. suggestum, de iure patron. cap. dilecta, hoc tit.* Ioannes Sarisbariensis *epist. 126. ad Alexandrum III.* ibi: *Præsertim cùm non assentiente, nedum reluctante fundatore, status Ecclesiæ mutari non possit, aut subijci seruituti.* Ergo nec Pontifex per diœceses, nec Episcopus inferiores Ecclesias vnire valent.

Quibus difficultatibus minimè obstantibus, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, vnionem 3

Vnio quotuplex, & quibus ex causis fiat. nem de qua agitur in præsenti, esse duorum, vel plurium beneficiorum, seu Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio superiore factam annexionem. Caccialupus *in tract. de vnione, art.1.* Rebuffus *in praxi, tit. de vnione benefic.* Garcia *de benefic. part.12. cap.2.nu.13.* Sanchez *tom.2. in Decalog. lib.7. cap.29. nu.145.* Vnionis tamen causæ variæ sunt, quæ recidunt in vtilitatem, vel necessitatem Ecclesiæ, *c. temporis 16. q.1.* veluti quando templum vnius beneficij collapsum est, nec reparari facilè valet, *c. constitutus, de relig. domib. cap. postquam 16. q. 1.* Secundò quando duæ Ecclesiæ ita tenues sunt, vt ad victum duorum clericorum non sufficiant, *c. vnio, 10. q. 3. c. postquam, 16. q.1. clement. ne in agro, de stat. monach.* Tertiò quando duæ Ecclesiæ vicinæ sunt, in quibus est penuria populi, quæ ideò possunt ab vno Præposito facilè regi, *d. c. & temporis.* Quartò quando præbendis pauperibus, vel collegijs vniuntur, *c. exposuisti, de præbend.* Tribus autem modis vnio fit. Primò quando Ecclesiæ duæ in vnum veluti corpus confunduntur, & coalescunt, ita vt vna Ecclesia ex duabus fiat, *c. cùm dilectus, de his quæ vi, c. recolentes, de statu monach.* quo casu qui canonici sunt in vna Ecclesia, in alia quoque canonici existunt, & priuilegia data vni Ecclesiæ, competunt etiam alteri, vt vulgò docetur *in c. nouit, ne Sede vacante.* Secundus modus est cùm Ecclesiæ ita connectuntur, vt vna sit superior, & principalis; altera inferior, & accessoria; quo casu inferior Ecclesia amittit nomen suppressum, & extinctum per vnionem, & induit nomen eius, cui vnita est; & per consequens eius priuilegijs gaudet, *c. recolentes, de statu monach.* sed non amittit iura propria, quæ transeunt in Ecclesiam, cui vnita est, *c. quia monasterium, de relig. dom.* fitque ea subiectio per modum vnionis, alioquin sola subiectio non facit vnionem, *c. pastoralis, de donat.* Tertiò vnio Ecclesiarum fit, quando vtraque manet æquè Cathedralis, vel Parochialis, & neutra alij subijcitur: quo casu vnus erit Rector vtriusque, & quælibet Ecclesia habebit iura sua, & priuilegia, nec vlla alterius priuilegijs gaudebit. Glossa *in d. c. & temporis.* Porrò vniones istæ, aut sunt perpetuæ, aut temporariæ. Perpetuæ sunt, quando cautum est, vt perpetuò durent, *d. c. exposuisti;* vel si contemplatione alicuius Ecclesiæ, seu dignitatis, vel ad beneplacitum Sedis Apostolicæ fiant; quia nec Ecclesia, nec dignitas, nec Romana Ecclesia vnquam moritur, *cap. si gratiosæ, de rescript. lib.6 c. quoniam 15. de offic. deleg.* Temporariæ verò vniones sunt, quæ in fauorem certæ personæ fiunt; & ita extincta persona desinunt esse; *cap.1. ne sede vacante, cap. relatio, cap. illud, 21. quæst.1.*

4 De his qui vniones facere possint. Deinde sciendum est, vniones Ecclesiarum facere posse, primò Romanum Pontificem, quia tantùm Ecclesias Cathedrales vnire valet, *cap. postquam 6 q.2.* denegata hac facultate etiam eius Legato à latere, *c. quoad translationem, de offic. legat.* quia Ecclesia Romana vnionem Episcopatuum, sicut, & eorum institutionem, vt vnam ex maioribus causis sibi reseruauit. Gregorius VII. *lib.2. post epist.55.* ibi: *Quod solus Romanus Pontifex iure dicatur vniuersalis,* &c. quòd illi soli licet pro temporis necessitate nouas leges condere, nouas plebes congregare, de Canonia Abbatiam facere, & è contrà; diuitem Episcopatum diuidere, & inopes vnire. Carnotensis *epist.237. ad Paschalem II.* de non soluenda vnione Nouiomensis, & Tornacensis Episcopatus, ibi: *Nec in hoc resistimus, quin possit Sedes Apostolica parochiarum amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare, si vtilitas populi Dei ita exigat, & nullum inde schisma contingat.* Diuus Bernardus *epist.31. ad Mediolan.* ibi: *Plenitudo siquidè potestatis super vniuersas orbis Ecclesias singulari prærogatiua Apostolicæ Sedi donata est: qui igitur huic potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Potest, si vtile iudicauerit, nouos ordinare Episcopatus, vbi hactenus non fuerunt: potest eos, qui sunt, alios deprimere, alios sublimare, prout ratio sibi dictauerit, ita vt de Episcopis creare Archiepiscopos liceat, & è conuerso, si necesse visum fuerit: præcedere tamen debere Regium consensum probat P. Marcha *lib.4. concord. c.13.* Archiepiscopus verò vnire non potest Ecclesias sui suffraganei sine eius consensu, vt in præsenti docetur, quia non licet ei nisi in casibus à iure expressis iurisdictionē exercere in subditos suffraganeorum, *c.1 in fine, de foro compet. lib.6.* idemque dicendum est de Legato etiam à latere, quamuis dicatur eum in prouincia sibi commissa maiorem esse ordinario, *c.1. de offic. ordin. in 6.* Cæterùm Ecclesiarum inferiorum vnio pertinet ad Episcopum in sua diœcesi cum consensu Capituli, *c. pastoralis, de donat.* nisi mensæ suæ, vel Capituli vnire intendat, quia tunc vnire non potest sine consensu Capituli, ne in causa propria actor fiat; nec etiam beneficia exempta Episcopus vnire valet, quia in Ecclesijs exemptis integra dispositio spectat ad Romanum Pontificem, *c. fin. de confirm. vtili.* Abbates vniendi hanc non habent facultatem, sed ipsis consentientibus Episcopi vniones faciunt. *Clement. ne in agro, §. ad hæc, de statu monach.* nisi in ipsis Ecclesijs iura quasi Episcopalia exerceant, plenamque dispositionem habeant. Glossa *in Clement.1. verbo Proprij, de rebus Ecclesiæ.* Circa Capitulum verò Sede vacante, etsi illud succedat in omnibus, quę iurisdictionis sunt, *c. his quę, cap. cùm olim, de maiorit. & obed.* tamen quia non succedit in collatione beneficiorum, *c.2. ne sede vacante;* ideò vniones facere non potest, si per eam iuribus Episcopalibus quid detrahitur, *d. Clement.1. §. Ad hæc.*

Solemnitas in vnione etiam adhibenda est, videlicet vt vocentur omnes, qui vocandi sunt, quorumque interest vnionem talem veri, vel non, *c. si quis presbyterum 10. de rebus Ecclesiæ, c. veniens 3. c. super, de re iudic.* vt vocetur Decanus Capituli, ipseque Capitulum congreget, licèt talis capituli cōsensus post vnionem adhiberi possit, *c. circa, vers. postea, de iure patron. c. cùm vos, de his quæ fiunt à Prælat. c. si qua de rebus, 12. q 2.* & si non vocentur vocandi, vnio ipso iure nulla est. Zypæus *ad hunc tit. consult 3.* non autem requiritur consensus Rectoris, vel aliorum, qui possident beneficia eo tempore, quo vnio fit, quia talis vnio effectum operatur sine eorum præiudicio, *Clement.2. de reb. Ecclesi.* Debent etiam beneficia, quæ vniuntur, habere eandem qualitatem, non verò dissimilem. Trident. *sess. 24. de reform. cap.13. & 15.* Tandem sciendum est, vniones ritè celebratas reuocari certis ex causis, veluti quando per vnionem tollitur hospitalitas, vel fit dissolutio religionis, *c. nouit, ne Sede vacante;* vel si cessat causa, propter quam vnio facta fuit, veluti paupertas Ecclesiarum, *c. cùm M. de constit.* si incipiat esse damnosa Ecclesijs, argumento capitis *suggestum, de decimis:* latè probat Zypæus *ad hunc tit. consult.8. & 9. & resp.3.* aliaque plura de his vnionibus congesserunt Barbosa *d. alleg.66.* Fragoso *d. §. 6.* & quomodo vnio probetur, prosequitur Rota apud Peñam *tom. 1. decis.337. & 441.* 5 De solemnitate in vnione adhibenda.

Quibus ita animaduersis, ratio præsentis assertionis ex eo prouenit, nam cùm Pontifex habeat plenam dispositionem in Ecclesijs vniuersi orbis, *c. decimas, ad finem, c. & temporis, 16. q.1. c.2. de præb. in 6. Clement.1. vt lite pendente;* ideò potest diœceses, & omnes Ecclesias, ac beneficia vnire, vt etiam potest Imperator ex duabus prouincijs vnam facere, aut diuersa officia vnire. *Nouella 8. & 24. vsque ad 29.* & ciuitatum, ac populorum, qui in vnum coierunt, exempla reperiuntur in antiquis monumentis, veluti Albæ, atque Romæ, apud Liuium: & extat elegans descriptio apud Ouidium *lib.6. Fastor.* 6 Traditur ratio decidendi.

> *Hæc vbi narrauit, Tacitum, fortemque Quirinum,*
> *Binaque cum populis regna coisse suis.*
> *Et lare communi socios, generosque receptos,*
> *His nomen iunctis Iunius, inquit, habet.*

Probant Gentilis *disput.2. de vnione Regnorum,* Zypæus *contra biatum Cassani, c.12. & 13.* Similiter quia Episcopus habet plenam dispositionem Ecclesiarum suæ diœcesis, *c. Cunctorum, 70. dist. c. vnaquæque, 9. q.3. c. regenda, 10. q.1.* ideò etiam potest eas vnire. Non sunt tamen vniones temerè faciendæ, præcipuè si per eas minuatur cultus diuinus, & redditus, qui pluribus Ecclesijs sufficerent, ad vnam reuocetur, *c. fin. de V. S.* quare in Concilio Trident. *sess. 7. de reformat. c.6.* statuitur, vt vniones perpetuæ à quadraginta annis citrà factæ examinentur ab Ordinarijs, tanquam à Sede Apostolica delegatis; & quæ per subreptionem, aut obreptionem factæ reperirentur, irritæ declarentur; & ideò tales vniones semper odiosæ iudicantur, vt pluribus relatis probat Velasco *de priuil. paup. part.1. quæst.12.*

Nec obstant difficultates suprà adductæ; nam licèt iuxta communem sententiam, respectu prouentuum Ecclesiarum ipsarum vsufructuarij credantur; tamen Pontifex in vniuerso orbe, & quilibet Episcopus in sua diœcesi plenam dispositionem habent. Vnde ob eam amplam iurisdictionem possunt Ecclesias ipsas vnire ex iustis causis; & ita facere, vt vnus Rector præsit duabus Ecclesijs vnitis. Nec obstat secunda difficultas deducta ex dicto canone Concilij African. exemploque sancti Medardi: nam id procedebat, antequam Sedes Apostolica sibi reseruaret vnionem Ecclesiarum, tanquam vnam ex maioribus causis. 7 Dissoluuntur difficultates.

causis. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis; nam præsens assertio procedit in Ecclesijs, quæ spectant ad liberam collationem Episcopi, non verò in eis, quæ sunt iurispatronatus; quia tunc desideratur consensus ipsius Patroni, siue tale ius sit ecclesiasticum, siue sæculare. *Clement. vnic. §. ad hæc statu monach.* Trident. *sess.24. de reform. c* 15. Licèt si vnio fiat à Legato à latere, & iuspatronatus sit Ecclesiasticum, non desideretur Patroni consensus, *c. cùm dilectus, de iurepatr.* post Gambaram & Lambertinum probat Barbosa *de iure eccles. lib.3. c.16. nu.50.*

C A P V T IX.

Idem a *Archipresbytero sancti Andreæ de Pollian.*

QVàm sit graue crimen in clericis *b* gloriari cùm malefecerint, & in rebus pessimis exultare, nullus sanæ mentis ignorat. Accepimus sanè, quod non sine dolore referimus, quòd cùm R. de Sertone R. filiam suam cuidam I. nomine tradiderit in vxorem, P. diaconus Ecclesiæ sancti Petri, *c* filius autem sacerdotis, non erubuit publicè profiteri, se prædictam fœminam carnaliter cognouisse. Vnde factum est, quod prædictus vir ad propria eam remitteret, cui fuerat matrimonialiter copulata. Quapropter tibi per Ap. s. m. quat. si tibi constiterit de præmissis, sine omni contradictione, ap. cess. præfatum clericum ab officio, & beneficio *d* suspendere non postponas, compellens virum vt vxorem suam recipiat, eique, sicut iustum est, officium exhibeat maritale.

NOTÆ.

1 a ARchipresbytero.] Ita etiam legitur in tertia collec., *sub hoc tit. cap.2.* in epistolis verò huius Pontificis editis à Sirleto, *fol.67.* legitur Archiepiscopo, sed retinenda est vulgaris inscriptio, quæ habet *Archipresbytero*, vt etiam legitur in indice ipsius regestri correcti à Sirleto; nam si Archiepiscopo sancti Andreæ, qui est in Scotia, scriberet Innocentius, non adderet ea verba *de Pollian.* Vnde cognoscitur, in præsenti scribere Innocentium Archipresbytero villæ, seu loci de Pollian.

2 b *Gloriari.*] Quia vt ait D. Isidorus *lib. 2. de summo bono, cap.39. Ad comparationem mali fit deterius, quando non solùm flagitia committuntur, sed etiam de ipsis flagitijs vanitate laudis perditi extolluntur.* Plura de iactantiæ vitio Beyerlinch *tom.4. in theatro, verbo Iactantia.*

c *Filius A. sacerdotis.*] Ante sacerdotium genitus; 3 nam aliàs ex defectu natalium irregularis esset, iuxta tradita *in cap. 1. de fil. presbyt.*

d *Suspendere.*] Sed cùm hæc concessio esset tantùm ex- 4 traiudicialis, seu potiùs iactantia, quomodo solùm propter eam suspensio imponi potuit? Quam difficultatem agnouerunt, & variè dissoluere curarunt Cantera *in quæst. crimin. cap.2. de probat. per test. quæst.1. nu 11.* Carena *de offic. Inquisit. part.2. tit.12. ex num.259.* Balboa *in cap.4. num.36. de iudicijs.* Sed veram huius textus interpretationem dedi *in cap.2. de confessis.*

C A P V T X.

Idem *Episcopo* a *Hipponen. & Abbati de Toleto, visitatoribus Lombardiæ.*

EX literis vestris accepimus, quòd cùm ad *b* Albiganensem Ecclesiam vnà cum Pisano *c* Archiepiscopo Vercellensi accessissetis visitationis officium impleturi, Albiganensis Episcopus inter cætera, quæ proposita fuerant contra ipsum, ore proprio est confessus, quòd cùm quidam in villa quadam ad eius iurisdictionem spectante infamaretur de furto, & idem illud inficiaretur omninò, offerens quòd candentis ferri iudicio se purgaret, & vt suspendio puniretur, si deficeret in eodem: dictus Episcopus requisiuit à iudice, quid super hoc videretur eidem? Et cùm iudex respondisset, vt fieret sicut fur ipse dixerat, ferrum candens in ipsius præsentia Episcopi est allatum: quod cùm accepisset fur ille, combustus est: vnde iudex pauefactus, quid sibi super hoc videretur, consuluit Episcopum memoratum: qui respondit, quod si fur sic euaderet, malum esset; quanquam affirmet se verbis talibus vsum fuisse: Audistis quantus est clamor *d* populi, omnes dicunt, Malum est si sic euaserit impunitus. Et sic Episcopus, & iudex villam ipsam cum *e* multitudine sunt egressi, in quorum præsentia prædictus fur est *f* suspensus: propter quod ipsum cum literis vestris ad Sedem Ap. destinastis. Sed idem nihil super his proposuit coram nobis, nec literas vestras vidimus, licèt idem se nobis asserat illas præsentasse. Quin immò, cùm dictus Archiepiscopus ad Sedem Apostolicam accessit, qui nobis huiusmodi rei seriem plenariè indicauit, idem Episcopus à nostra discessit præsentia, & perquisitus non potuit inueniri. Nos autem, quia idem Episcopus non solùm in iudicio *g* candentis ferri, verùm etiam in furis suspendio grauiter noscitur deliquisse, cùm is non tantùm auctoritatem præstiterit, verùm etiam *h* præsentiam exhibuerit corporalem, ipsum indignum altaris ministerio reputamus. Cùm igitur Pontificale *i* officium sine altaris ministerio non valeat adimpleri, mandamus quatenus vt Episcopatui cedat, moneatis eundem; alioquin ipsum ab Albigan. Ecclesia amouentes, faciatis eidem per electionem canonicam de persona idonea prouideri.

NOTÆ.

1 a HIpponensi.] In tertia collectione, *sub hoc tit. c.3.* legitur, *Ipponen. & Abbati de Tiseno*; sed vtrobique malè, cùm legendum sit, *Yporiensi Episcopo, & Abbati de Tileto*, vt constat ex epistola 134. *lib.1. regestr.13. ipsius Pontificis*, quam transcribo ex collectione Bosqueti, quia non modicam lucem affert præsenti decisioni: ita enim Episcopo Nouariensi Innocentius scribit: [Ex literis ven. fratris nostri Patriarchæ Antiocheni, tunc Yporien. Episcopi, & tui tunc de Tileto Abbatis, meminimus recepisse, quòd cùm dudum ad Albiganen. Ecclesiam, vnà cum ven. fratre nostro Pisano Archiepiscopo, tunc Episcopo Vercellensi accessissetis visitationis officium impleturi, Albiganen. Episcopus inter cætera, quæ proposita fuerant contra ipsum, hoc vobis ore proprio est confessus, quòd cùm quidam in villa quadam ad ipsius iurisdictionem spectante infamaretur de furto, & idem illud inficiaretur omninò, offerens quòd candentis ferri iudicio se purgaret, adijciendo vt suspendio puniretur, si deficeret in eodem: dictus Episcopus à iudice requisiuit, quid super hoc videretur eidem: & cùm iudex respondisset, vt fieret prout fur ipse petierat, ferrum candens in ipsius Episcopi præsentia est allatum: quod cùm arripuisset fur ille, combustus est. Vnde iudex expaue-

factus, quid sibi super hoc videretur, Episcopum consuluit memoratum, qui respondit, quòd si fur sic euaderet, malum esset; quanquam per literas, quas nobis tunc idem direxit Episcopus, affirmarit, se talibus verbis vsum fuisse: Audistis quantus est clamor populi, omnes dicunt, Malum est si euaserit impunitus. Et sic Episcopus, & iudex eandem villam cum multitudine populi sunt egressi, in quorum præsentia fur prædictus ipsius fuit Episcopi auctoritate suspensus: propter quod eundem cum vestris literis ad nostram præsentiam destinastis: sed ipse nihil vnquam super his proposuit coram nobis. Quin immò statim vt dictus Archiepiscopus ad Apostolicam Sedem accessit, qui nobis rei seriem plenariè indicauit, idem Episcopus à nostra discessit præsentia, & perquisitus non potuit inueniri. Vnde nos cum fratribus nostris deliberatione habita diligenti, quia sæpefatum Episcopum non solùm in candentis ferri iudicio, verùm etiam in furis suspendio grauiter intelleximus deliquisse, cùm is non tantum auctoritatem præstiterit, sed etiam præsentiam exhibuerit corporalem, ipsum reputauimus ministerio altaris indignum. Et quia Pontificale officium absque altaris ministerio non poterat adimplere, supradicto Patriarchæ, ac tibi tunc dedimus in mandatis, vt ad cessionem eundem Episcopum moneretis, alioquin auctoritate nostra ipsum ab Albigan. Ecclesia, sublato appellationis obstaculo amouentes, faceretis eidem de persona idonea per electionem canonicam prouideri. Dictus verò Episcopus postmodùm ad Sedem Apostolicam rediens, apud quam moram fecisse dignoscitur diuturnam, & se multipliciter satagens excusare, inter cætera proposuit coram nobis, quòd aliter rei veritas se habuerat, quàm in literis fuerit supradictis expressum; quod se proposuit opportuno tempore probaturum. Quocirca deuotioni tuæ præsentium auctoritate mandamus, quatenus auditis, quæ super præmissis idem Episcopus duxerit proponenda, & probationibus eius admissis, si de his tibi per probationes legitimas sufficiens fuerit facta fides, per quæ constet veritatem rei se aliter habuisse, quàm in literis fuerit supradictis expressum, & super præmissis innocentem Episcopum extitisse, cùm per sententiam ad falsam suggestionem latam eidem præiudicari non debeat, tu cum super præmissis absoluens, officium suum exequi liberè permittas eundem: alioquin quod à nobis dudum super hoc extitit definitum, facias appellatione remota executioni mandari, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, censura ecclesiastica, appellatione postposita compescendo. Datum Laterani Kalend. Octobris, anno XIII.] Quam epistolam non rectè cum præsenti textu confundunt, & pro vna, eademque habent Manrique *tom.3. annal. Cisterc. anno* 1210. *c.7. ad finem*, Altesserra *hîc*. Ypporiensis, seu Hipporiensis diœcesis est in Italia, cuius Canonicis scribit idem Innocentius *lib.1. epistolar. regestr.1.* in Codice Sirleti, *fol.166.* De Abbate hoc de Tileto nonnulla adduxi *in cap. qualiter 17. de accusat.*

2 b *Albiganensem.*] Albiganum ciuitas est Italiæ sita ad Alpes Cotias, teste Mela *lib.2. c.4.* vulgò dicta Albenga, iam à primis Ecclesiæ sæculis Cathedra Episcopali decorata; siquidem Gaudentius eius Episcopus subscripsit Concilio Romano celebrato sub Hilario. Carolus à Sancto Paulo *lib.1. geograph. sacr. fol.62.*

3 c *Archiepiscopo.*] Lothario videlicet, quem ex Ecclesia Vercellensi in Pisanam transtulit Innocentius III. anno 1209. vt refert Vghellius *tom.3. Italiæ sacræ, in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ, num.48.*

4 d *Clamor populi.*] Qui attendendus non est, quia vanæ populi voces non sunt audiendæ, ideòque libertatem ad clamorem populi datam non valere rescripsit Imperator Marcus *in l. si priuatus 17. ff. qui & à quibus, l.3. C. qui manumittere.* Illustrat Cuiacius *lib.2. obs.22* & ab specie Diocletianus *in l.12. C. de pœnis*, eam sententiam edidit. Vanæ populi voces non sunt audiendæ; nec enim vocibus eorum credi oportet, quando aut noxium crimine absolui, aut innocentem condemnari desiderant. Et cùm apud Romanos populus insanus plerumque clamaret contra Christianos, vt tanquam hostes publici punirentur, vt refert Tertul. *ad Scapulam*, ibi: *Si Tiberis ascendit in mœnia, si Nilus nō ascendit in arua, si cœlum stetit, si terra mouit, si fames vrget, statim in Christianos ad Leonem acclamatur.* Imperator Hadrianus rescriptum dedit Minutio Fundano, quod extat apud Eusebium Cæsar. & illud latinè vertit Balduinus *de epist. post Christ. fol.75.* his verbis: *Accepi epistolam, quam ad me scripserat Serenius Granianus V. C. cui tu successisti. Digna res est, de qua cognoscatur, ne & magnæ alioqui turbæ excitentur, & calumniatorum malitiæ indulgeatur. Si prouinciales posse se putant Christianos in iudicio reos peragere, id legitimè faciunt. Clamoribus verò, & tumultibus locus nullus esto. De causa cognoscere tu debes: ac si quid aduersùs leges facere Christiani videntur, animaduertito, & noxæ pœna par esto: ita quidem mehercle, vt qui calumniæ causa ad accusandum descendet, sentiat etiam tuæ animaduersionis seueritatem.* Refert Baron. *anno* 301. Vnde nec populari acclamatione ad bestias damnatos dimitti licet, *l. ad bestias 31. ff. de pœnis*: nec Decurionem eligi, *l. si constet, ff. de appellat. l. Decurionem 12. C. de pœnis, l.1. ff. ad leg. Iul. de ambitu*; nisi aliter tumultus sedari non possit, *l. penul. ff. ad leg. Corn. de sicarijs.* Et quamuis ex lege 3. *C. de offic. rector. prouinc.* non solùm acclamatio honesta, & iusta in Magistratus, sed etiam vociferatio, & querela, quibus eorum publicè malefacta lacessuntur, permissa videatur prouincialibus contra Magistratuum iniurias, dicendum tamen est, vt *in l. 1. C. Theod. de offic. Rectoris prouinc.* ita dicta lege 4. miseris prouincialibus publicè reclamandi copiam fieri, non quidem vt eorum clamoribus quis damnetur, qui pleru mque maligni sunt, *c. cùm in iuuentute, de purg. canonic.* sed vt inquiratur, an vera sint, quę clamant, vt *in c. qualiter 25. de accusat. l. 1. & 2. tit.17. partit.3.* Quæ omnia ad vnguem exprimunt ipsius legis 3. verba illa: *Iustissimos, & vigilantissimos iudices publicis acclamationibus collaudandi damus omnibus facultatem. E contrario iniustos, & maleficos, querelarum vocibus accusandi, vt censuræ nostræ vigor adsumat, si verè voces sint, nec ad libidinem per clientelas effusæ, diligenter inuestigauimus.* Itaque iustas acclamationes permittunt Imperatores *in d. l. 3.* non verò iniustas, & contumeliosas, de quibus *in d. l. 2. C. de seditiosis*: docuit Albericus *in d. l. decurionem 12. C. de pœnis.*

e *Cum multitudine.*] Nam supplicium palàm, & in omniū conspectu sumi debet, vt eius animaduersionis exemplo cęteri à delinquendò deterreantur, vt aiunt Plutarchus *in tract. de ijs qui serò à Numine puniuntur*, Seneca *lib.3. de ira, cap.19.* Quid tam inauditum, inquit, quàm nocturnum supplicium, cùm latrociniū tenebris abscondi soleat: animaduersiones, quo notiores sunt, plus ad exemplum, emendationemque proficiunt. Quintilianus *declam.274.* in fine: *Quoties noxios crucifigimus, celeberrimæ eliguntur viæ, vbi plurimi intueri, plurimi commoueri hoc metu possint.* Et Imperatores *in l. omnes 6. C. Theod. ad leg. Iul. de adult.* masculorum nefandam constuprationem, spectante populo, flammis vindicibus expiari iusserunt, & famosos latrones in his locis, vbi grassati sunt, furcæ figendos esse, docetur *in l. capitalem 28. §. penult. ff. de pœnis*: & *in l. omne delictum, §.3. ff. de re militari*, cauetur: *Qui in acie prior fugam fecit, spectātibus militibus, propter exemplum c. puniendus est.* Et *in l.7. tit.4. lib.7. legum Vuisigoth.* statuitur: *Iudex quotiens occisus est reus, non in secretis, aut si absconsis locis, sed in conuentu publicè exerceat disciplinam.* Faciunt textus *in l.2. C. Theodos. de offic. Rector. prouinc. l. 5. tit.27. partit.7.* Illustrant D. Laurent. Ramirez *in Pentecont. cap.22.* Lælius Bisciola *tom.2. horar. success. lib.1. c.9.* Petrus Faber *lib.2. semestr. c.9.* Forner *lib.6. rer. quotid. c.16.* Nauarrete *discurs.38. polit.* D. Ioan. de Solorz. *embl.75.*

f *Suspensus.*] Furca videlicet, vt *in d. l. capitalium, §. famosos, l. sacrilegij 6. ff. ad leg. Iul. pecul. l. moris 9. §. istæ, ff. de pœn. l. si quis aliquid 38. §.1. ff. eod. l.3. §. si quis ad hostem 10 ff. de re milit.* Seneca *epist.7.* illic: *Sed latrocinium fecit, quid ergo meruit? vt suspendatur.* Illustrant Larreatigui *lib.8. selectar. cap.9.* P. Pintoramirez *in spicileg. tract.1. cap.32. nu.7.* 6

g *Iudicio candentis ferri.*] De quo, & eius prohibitione agemus infra, *in tit. de purgat. vulgar.*

h *Præsentiam.*] Cùm sacris canonibus prohibitum sit clericis nudam præsentiam exhibere executioni capitalis sententiæ, aut effusioni humani sanguinis, Concil. Altissiod. *can.34.* ibi: *Non licet Presbytero, nec Diacono ad trepalium, vbi rei torquentur, stare.* Et *can. sequenti*, Conc. Matiscon. 2. *can.19. Cognouimus etiam, quosdam clericorum infrunitò ad forales reorum sententias frequenter accedere. Propterea probibitionis eorum accessus hunc canonem protulimus, definientes vt ad locum examinationis reorū nullus clericorum accedat, nec intersit atrio sauciolo, vbi pro reatus sui qualitate quispiā interficiendus est; si tamen nunc aliquis eorum definita contemnens illuc accesserit, aut interfuerit, defraudatus honesti honoris stola illis gregibus examinatorum societur, quos diuinis prætulit mysterijs.* Illustrat Theoph. Rayn. *tom.18. in tract. de religioso loricato, fol.202.* 7

i Pon-

8 i *Pontificale officium.*] Nam suspensio hæc perpetua erat, nec Pontificale officium exerceri poterat sine sacerdotio, aliàs suspensus ab officio, non eo ipso est suspensus à beneficio, vt probat latè Gibalinus *de censur. disquisit. 7. p. 3. q. 12.* Aliquando verò Episcopus prohibetur munia sacerdotalia obire, non verò Pontificalia, & quæ ad Episcopatus ordinem spectant. Concil. Aurel. 3. *can. 6. 15. & 25.* Aurel. 4. *can* 10. Aliquando priuatus omni iurisdictione, & munere Episcopali, honorem, & locum retinebat. Concil. Ancyran. *can. 1.* ibi: *Honorem quidem Sedis eos retinere, offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officijs fungi non liceat.* Et canone 2. Concil. Nicæn. 1. *can. 8.* *Qui à Catharis vocatur Episcopus, presbyteri honorem habebit, nisi fortè placuerit Episcopo nominis cum honore censeri.* Conc. Tolet. 11. *can. 2.* in epistola synodica, quæ extat apud Theodoretum *lib. 1. c. 9.* legitur: *Placuit Synodo Meletium in sua ciuitate manere, potestatem autem nullam habere, vel quemquam ordinandi, vel cuiquam manus imponendi; solum verò honoris nomen retinere.* Illustrat Iustel. *in not. ad can. 131. Ecclesiæ Afric.* Gibalinus *de censur. disquisit. 7. quæst. 12. consect. 4.*

COMMENTARIVM.

9 NOn solùm prohibitum est ecclesiasticis viris sententiam sanguinis proferre, vt probaui latè *in c. sententiam, ne cleric. vel monach.* verùm & quolibet modo causæ sanguinis se immiscere, *cap. clericis, eod. tit. cap. his à quibus, 23. quæst. 4.* Vnde nec in ea præstare, nec patrocinium tanquam aduocati dare possunt, *cap. fin. ne cleric. vel monachi, lib. 6.* Molina *tract. de iustit. disput. 8. num. 2.* & si ad eos iurisdictio temporalis ratione alicuius castri, vel loci pertineat, possunt causas sanguinis committere iudicibus laicis, non modò vniuersè, verùm & sigillatim hanc, vel illam, vt statuant, quod in ea iustum fuerit, *d. c. fin.* tamen prohibentur dicto, vel facto mouere iudicem ad inferendam reo mortem, aut mutilationem, quod vt enorme insectatur Petrus Blesensis *epist. 42.* illis verbis: *Illud cæleštem exasperat iram, & plerisque discrimen æternæ damnationis accumulat, quòd quidam Principes sacerdotum, & seniores populi, licèt non dictent iudicia sanguinis, eadem tamen tractant disputando, & disceptando de illis; seque ideò immunes à culpa reputant, quòd mortis, aut truncationis membrorum iudicium decernentes, à pronuntiatione dumtaxat, & executione pœnalis sententiæ se absentant: sed quid hac simulatione perniciosius est? Nunquid discutere, & definire licitum est, quod pronunciare non licet?* Vnde in præsenti casu Episcopus licèt iudici laico committere possit causam ipsius furis, tamen grauiter peccauit, non solùm præsentia sua auctoritatem præstando capitalis sententiæ, verùm & consilium præstando in eius prolatione.

CAPVT XI.

Idem *Archiepiscopo, & maioris monasterij, & Sancti Iuliani Abbatibus* a *Turon.*

INter dil. fil. B. & P. Choet Canonicos Pictauienses super *b* succentória Pictauiensis Ecclesiæ quæstione suborta, eorum vterque coram nobis firmiter asserebat, succentoriam ipsam per Pictauiensem Cantorem, ad quem eius donatio pertinebat, canonicè assequutum. *Et infra:* Nos igitur vtriusque partis attestationibus diligenter inspectis inuenimus, euidenter esse probatum, eundem P. publicum *c* aleatorem esse, vel vsurarium *d* manifestum, vtpote qui xi denarios pro xii. publicè mutuarat in ludo. Vnde licèt ad palliandum tantæ præsumptionis excessum proposuerit idem P. quod hoc fecerat iuxta Gallicorum consuetudinem clericorum, qua clerici ferè vniuersi mutuant sic frequenter, & ludunt: Nos tamen, qui ex officij nostri debito pestes huiusmodi exstirpare proponimus, atque ludos voluptuosos, occasione quorum sub quadam curialitatis imagine ad dissolutionis etiam materiam deuenitur, penitus improbamus, excusationem prædictam, quæ per prauam consuetudinem, quæ dicenda est corruptela potiùs, palliatur, friuolam reputantes; cùm in illis magis plectibilis sit offensa, per quos ad excusandas excusationes in culpis delinquendi auctoritas vsurpatur: quòd quia circa eundem P. de succentoria prædicta factum esse dignoscitur, propter indignitatem, & inutilitatem ipsius duximus irritandum, cùm personis vilibus, & indignis portæ dignitatum *e* patere non debeant, iuxta legitimas sanctiones. Præterea contra præfatum B. manifestè fuit probatum, quòd de conscientia iudicum prædictorum Bituricen. vltima clausula inserta non fuerat in literis eorundem, sicut in ipsorum depositionibus exprimitur euidenter. Robertus verò diaconus ad hoc probandum testis inductus, illud idem deposuit, & adiecit, quod cùm deberet easdem literas sigillare, diligenter inspexit, nec eandem clausulam appositam tunc inuenit; vnde pars altera proponebat, quòd cùm prædictus B. scienter vsus fuerit literis sic falsatis, debeat meritò tanquam *f* falsarius omninò repelli. Verùm nos attendentes, quòd etsi constaret euidentissimè, quòd dicta clausula literis illis fuisset apposita præter conscientiam iudicum prædictorum; quia tamen fides nobis facta non fuit, quòd dictus B. illam clausulam apposuerit, vel procurauerit, vt ab alio poneretur; vel etiam, quod scienter vsus fuerit literis sic falsatis, ab huiusmodi falsitatis obiectu eundem duximus absoluendum, maximè cùm postquam hoc sibi obiectum fuerit, prætermisit penitus vti eis. *Et infra:* Cùm igitur per depositiones saltem duorum testium, qui nullatenus reprobati fuerunt, nobis constiterit euidenter, quòd concessio Petro facta præcesserit, quanquam propter indignitatem eiusdem P. meruit reprobari, concessionem tamen postmodùm Boccando factam, irritam decernimus, & inanem. Quia verò actor, ad quem ipsius succentoriæ donatio spectare proponitur, vt de ipsius *g* periurio taceamus, adeò tamen inconstanter se habuit in hoc facto, vt, sicut præmissum est, prima donatione non reprobata, secundam facere attentaret, & dignum sit, vt in eo quis puniatur, in quo visus est *h* deliquisse, in hoc eius duximus varietatis inconstantiam puniendam, vt concedendi succentoriam ipsam hac vice nullam habeat facultatem: præsentium vobis auctoritate mandantes, quat. eandem auctoritate nostra suffulti, sub. ap. ob. personæ idoneæ assignetis.

NOTÆ.

1 a TVronensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* vtrumque monasterium, tam sancti Martini, quod Galli vocant maius monasterium, Yepes *tom. 1. chron. D. Benedicti, anno Christi 552. cap. 14.* quàm sancti Iuliani, est Ordinis D. Benedicti, vt iam notaui *in cap. 14. de offic. deleg.* & de Metropoli Turonensi nonnulla adduxi *in cap. 5. de tempor. ordin.*

b *Succentoria Pictauiens.*] Succentoris officium est, absente Cantore, siue Præcentore, de quo *in cap. cleros, §. Præ-*

§. Pracentor, 21. *dist.* incipere cantum in choro: quare in aliquibus Ecclesijs appellatur vicecantor, vulgò, *Souchantre*, vt referunt Antonius Fabricius *in praxi beneficior. tit. de benefic. cum dignit. nu.*57. Petrus Gregor. *lib* 15. *syntag. cap.*22. Ferro Manrique *de pracedentijs*, *quæst* 30. *in fine*, Barbosa *de canonic. cap.*9. *num.*11. De Pictauiensi diœcesi nonnulla adduxi *in cap.*20. *de rescript.*

c *Aleatorem.*] De quo crimine quia plura congessi *in in can.*79. *Concilij Illiber.* ideò in præsenti non repeto.

d *Vsurarium manifestum.*] Quisnam manifestus vsurarius dicatur, & eius pœnas exposui *in cap.*3. *de vsuris.*

e *Patere non debent.*] *L. infamia* 8. *Codice de Decur.*
3 *lib.*10. *l. vnic. Cod. de infamibus*, *eod. lib. l.* 1. *ff. ad leg. Iul. de vi public. l. cùm Prætor* 12. *ff. de iudicijs*, *l. reus delatus*, *ff. de muneribus*, *l. vnic. Cod. de reis postul. lib.*10. *l.* 6. *tit.*7. *partit.*7. Faciunt Cicero, & Tertul. relati à Cuiac. *lib.*5. *qq. Papin. in l.*8. *ff. de postul.* plura D. Franc. de Amaya *in dicta l. vnic. Cod. de infamibus.*

f *Falsarius.*] Quia litteris falsis vtens falsarius creditur, vt probaui *in cap.*4. *de crimin. falsi.*

g *Periurio.*] Vnde priuandus erat beneficijs iam obtentis, iuxta tradita *in cap.*4. *de rescript.*

h *Deliquisse.*] *Cap. nemo*, *de tempor. ordin. lib.*6. & ita eligens indignum, pro ea vice eligendi facultate priuatur, *cap. cùm in cunctis* 7. *de elect.* vbi commentarium huius textus dedi.

C A P V T XII.

Idem *in Concilio* a *Later.*

ACcedentibus ad nos de diuersis mundi partibus Episcoporum querelis, intelleximus grandes, & graues quorundam Abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea, quæ sunt Episcopalis dignitatis extendunt, de causis *b* matrimonialibus cognoscendo, iniungendo publicas *c* pœnitentias, concedendo *d* indulgentiarum literas, & similia præsumendo: vnde contingit interdum, quod vilescit Episcopalis auctoritas apud multos. Volentes igitur in his & Episcoporum dignitati, & Abbatum prouidere saluti, præsenti decreto firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia præsumat se extendere, si proprium voluerit periculum euitare, nisi fortè quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super his valeat se tueri.

N O T Æ.

1 a LAternnensi.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. vnic.* & reperitur textus hic in ipso Concil. Lateran. generali celebrato sub Innocentio III. *can.*60. de quo nonnulla notaui *in cap.*1. *de summa Trinit.*

b *Matrimonialibus.*] Quarum cognitio spectat iure communi attento ad Episcopos. Concil. Nicæn. 1. *can.*51. ibi: *Episcopus vxorem rixosam cum viro in gratiam redire cogat* Concil. Agath. *can.*25. ibi: *Decretum fuit, vt si qui cum vxoribus diuortium facere velint, priùs apud prouinciales Episcopos dissidij causas dicant.* Conc. Tolet. 12. *can.* 8. præcipit Episcopis, vt obstent, ne viri cum vxoribus diuortium faciant. Conc. Aurel. 3. *can.*10. ibi: *Illud etiam adijciendum credimus, vt in Episcopi discussione consistat, de his qui in ciuitate sua ac territorio consistunt, & tali sunt ordini sociati, incesto nimirum adulterio potiùs, quàm coniugio, vtrum ignoranter ad illicita coniugia venerint, ac per contumaciam, quæ sunt interdicta, præsumpserint.* Et in nouella 1. Alexij Comneni, quæ extat *lib.*2. *iur. Græco-Rom.* statuitur, vniuersa, quæ ad animam spectant. Ipsaq; adeò matrimonia tam dijudicari, quàm executioni mandari, tam ab Archiepiscopis, quàm Episcopis debere, *c. multorum* 35. *q.* 6. *c. auditis*, *de præscript. l.*7. *tit.*10. *p.*4. nam de causis arduis, & magnis magnates quoq; & magni iudices iudicare debent, *l. & non distinguendus* 32. *§. de liberalis*, *ff. de arbitris*, *l.*2. *C. de pedan. iudic. l.*1. *C. vbi Senatores*, Fornerius *lib.*2. *select. c.*23. Cuiac. *lib.*9 *obseru. c.*37. Morla *in empor. tit.*2. *nu.*145. Vnde rectè contra Aguianum tenet Valeron *de trnnsact. tit.*3. *q.*2. *nu.*68. Rectores Academiarum Complutensis, & Pincianæ non posse de his causis inter personas Studij cognoscere. Circa Cancellarium nostræ Vniuersitatis Salmantinæ certum est, olim de his causis cognouisse, sed iam similem iurisdictionem non exereete, verè refert Pater Mendo *de iure acad. lib.*1. *c.*23. *n.*496. Iure ergo communi Episcopi sunt proprij iudices causarum matrimonialium, vt doctè probat Filesacus *in cap.* 1. *de offic. ordin.* §. 13. Barbosa *de potest. Episcopi nlleg.*84. Basilius *de matrim. lib.*5. *c.*11. Dixi iure communi, quia virtute delegationis etiam inferiores Prælati possunt de causis matrimonialibus cognoscere, vt pro expositione diuersorum iurium notaui *in cap.*1. *vt lite non contest.*

c *Publicas pœnitentias.*] Quas dare, augere, minuere, 2
vel condemnare ad Episcopum specialiter pertinet. Concil. Ancyran. *can.*5. Arelat. 2. *can.*10. Mileuit. *can.*23. Aurel. 4. *can.*8. Carthag. *can.*46. vbi Balsamon. Nicephorus Chartophylax *in frag. epist. ad Theodos.* quamuis priuatam pœnitentiam imponere proprium sit presbyteri pœnitentiarij, *c. quæsitum* 8 *cum sequent. de pœnit. & remiss. c. mensuram* 86. *de pęnit. dist.*1. *c. tempora* 2. 26. *quæst.*7. Synodus Metensis *can.*10. D. Basilius *in epist. ad Amphiloch. can.*2. Illustrant Filesacus *in c.*1. §.4. *de offic. ordin.* Landmeter. *lib.*2. *de clerico*, *cap.*89. Cironius *ad tit. de pęnit. & remiss.* De pœnitentia publica, & solemni plura dabimus *in cap.*1. *de pęnit.*

d *Indulgenciarum.*] Vt probauimus *in cap. penult. de pęnit.* vbi de personis, quibus competit facultas concedendi indulgentias, agemus.

C A P V T XIII.

Honorius III. *P. tituli sanctæ* a *Pudentianæ Presb. Cardin. & Vicario nostro.*

DIlectus filius Ioannes S. Thomæ de *b* Partitione presbyter Card. exposuit coram nobis, quòd *c* Rectores fraternitatis Vrbis ipsum ad reuelandum fures, & id, quod super quodam furto sibi tanquam *d* sacerdoti fuerat reuelatum, vel ad satisfaciendum exinde damnum passo arctare nitentes, in eum, nisi alterum præmissorum infra octo dies efficeret, tulerunt sententiam interdicti. Quia igitur perniciosum esset prædictum presbyterum sibi taliter credita reuelare, ac iterùm iniquum cogi ad id, quod non rapuit, exsoluendum, disc. tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus præfatos Rectores coram te conueniens, iniungas eisdem, vt à memorati presbyteri super hoc grauamine penitus conquiescant.

N O T Æ.

1 a P. *Tituli Sanctæ Pudentianæ.*] Petro videlicet Saxóni, Anagnino Henrico, qui creatus fuit Cardinalis ab Innocentio III. anno 1206. vt refert Ciaconius in eius vita, & fuit Vicarius vrbis Romæ; nam licèt vsque ad tempora Pauli IV. Vicarij Pontificis tantùm essent Epis-

Digitized by Google

Episcopi, vt probat Cohel. *in not. Cardin. capite* 55. tamen Petrus hic fuit vicarius creatus ab Honorio pro eo tempore, quo ipse Reate permansit, vt probat ipse Cohelius; & ita rectè in præsenti appellatur Vicarius Pontificis. Titulus sanctæ Pudentianæ, aliàs Pastoris, est vnus ex antiquis titulis Vrbis, vt probat Cohel. *vbi suprà, cap.* 6.

b *De partitione.*] Legendum est *de Parione*; nam sexta regio Vrbis, vbi est templum D. Thomæ, appellatur Regio Parionis.

c *Rectores.*] qui tempore Honorij III. habebant iurisdictionem delegatam suprà Clerum, vt post Abbatem Siculum probat Cironius *in præsenti*.

d *Tanquam Sacerdoti.*] In sacramento pœnitentiæ, contra sigillum, quod seruare tenebatur, iuxta tradita *in cap.* 2. *de offic. Ordin.*

CAPVT XIV.

Præposito R. & I. Archidiacono a *Suession.*

Dilecta in Christo filia Abbatissa *b* Iotren. nobis insinuare curauit, quod cùm presbyteri, & clerici Iotrensis Ecclesiæ, Melden. diœcesis non consueuerint proprium habere sigillum, nec sint vnum corpus, ita quòd Capitulum appelletur; nihilominus tamen contra voluntatem ipsius Abbatissæ, quæ ipsorum *c* caput est, & patrona, sigillum habere contendunt in eius præiudicium, & grauamen: quare id eis petijt à nobis inhiberi. Quia verò nobis non constitit de præmissis, discret. vestræ mandamus, quatenus inquisita super his diligentiùs veritate, si vobis constiterit rem taliter se habere, dictis presbyteris, & clericis auctoritate nostra inhibeatis expresè, ne præsumant vel de nouo fabricare sigillum, vel vti eo, si fortè nouiter fabricarunt: ipsos, si contra prohibitionem nostram venire præsumpserint, à præsumptione huiusmodi per censuras ecclesiasticas appellatione postposita compescentes.

NOTÆ.

1 a *Suessionen.*] Ita etiam legitur in quarta compilatione, *sub hoc tit. c.* 2. De Suessionensi Ecclesia iàm nonnulla adduxi *in c.* 2 *ne Sede vacante*.

2 b *Iotren.*] Monasterium hoc est Ordinis Diui Benedicti in diœcesi Meldensi, vulgò dictum de Iouars, cuius meminerunt Albertus Mireus *in Gallia Christ.* Chopinus *lib. de sacra pol. tit.* 1. *fol.* 59.

c *Caput est.*] Cum iurisdictione, iuxta tradita *in cap. dilecta, de maiorit. & obed.*

COMMENTARIVM.

3 Licèt quilibet priuatus possit vti sigillo priuato; tamen sigillum publicum, seu authenticum, quod sublime argumentum est imperij, & iurisdictionis, tantùm supremi Principes, tam sæculares, quàm ecclesiastici, necnon Abbates regulares, Capitula, & Collegia approbata habere valent ad fidem publicè faciendam pro tota communitate, *c.* 2. *&* 3. *de fide instrum. c. post cessionem* 7. *de probat. cap. cùm nobis, de testibus*, Concilium Londin. celebratum anno 1237. Præside Othone Cardinali Legato Sedis Apostolicæ in Anglia, apud Matthæum Paris. *Quoniam Tabellionum vsus in Regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, vt eorum copia faciliùs habeatur, statuimus, vt sigillum habeant non solùm Archiepiscopi, & Episcopi, sed etiam eorum officiales, item Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi, & eorum officiales, Decani rurales, necnon Ecclesiarum Cathedralium Capitula, & cætera quoque Collegia, & Conuentus cum suis Rectoribus, aut diuisim iuxta eorum consuetudinum, vel statum; pro varietate quoque cuiuslibet prædictorum habeat vnusquisque sigillum, nomen putà dignitatis, officij, collegij, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis, vel officij perpetui gaudent honore, insculptum notis, & characteribus manifestis; sicque sigillum authenticum habeant. Denique illi, qui temporale officium susceperint, putà Decani rurales, & officiales, sigillum suum, quod tantùm officij nomen habeat insculptum, finito officio, ei à quo habebant officium, continuò, & sine mora resignent.* Probant Theodorus Oping *de iure sigil. c.* 4. *&* 5. Ciron. *ad tit. de his, quæ fiunt à maiori parte*, Altesserra *de Ducibus, lib.* 3. *c.* 4. & nos de sigillo Imperatoris, & Episcopi egimus *in d. cap.* 2. *cap. inter, de fide instrum. cap. post cessionem, de probat.* Vnde rectè Honorius III. in præsenti decreuit, clericos Iotrensis monasterij non posse vti sigillo authentico, quia vnum corpus, aut collegium non habebant: & simile sigillum est argumentum Capituli, aut communitatis approbatæ, *cap.* 47. *de appel.* Ioan. Sarisbar. *epist.* 291. docent vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Cironius *in notis ad hunc textum*, Anguianus *lib.* 2. *de legibus, cap.* 1. Azeued. *in l.* 8. *tit.* 2. *lib.* 4. *recopil.* Altesserra *d. cap.* 4. *ad finem*.

CAPVT XV.

Abbati Sancti a *Alberti, Archidiac. de Annona, & Præposit. Camerac.*

Grauem, & dolore non vacuam, ac toti Clero contumeliarum aculeis circumfertam recepimus quæstionem, quòd cùm venerabilis frater noster *b* Ambianensis Episcopus quoddam beneficium vacans, quod *c* Altare dicitur de Villesco, cuidam idoneo, prout ad se spectare credebat, absente tamen Ambianensi Archidiacono contulisset, idem Archidiaconus stipatus caterua Manosseri fratris sui, & quorundam aliorum, accedens ad Episcopum memoratum, & proponens, quod ei iniuriatus fuerat super hoc, institit apud eum, vt sine causæ cognitione à beneficio ipso prorsus amoueretur ab Episcopo institutus. *Et infrà*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit, Archidiaconum sæpedictum semel, & secundò contra fidem *d* homagij præstiti, ac debitam reuerentiam Episcopum suum esse Dominum denegasse, vel in foro *e* sæculari super rebus spiritualibus deposuisse contra Episcopum, attendendo quod sibi responderet ibidem; aut inuasioni Episcopi, & sociorum eius, quam M. frater eius cum complicibus suis fecit, causam, vel consilium præbuisse, ipsum tanquam membrum putridum, ne sua contaminet alios corruptela, ab Ambianensi Ecclesia perpetuò abscindatis, & remoueatis omninò, facientes beneficia, quæ idem detinet, personis idoneis per illos, ad quos donatio eorum pertinet, assignari; alioquin quia publica fama laborat, & manifestæ præsumptiones apparent, purgationem ei super præmissis canonicam cum manu decima eiusdem dignitatis, & ordinis eiusdem prouinciæ indicatis: quod si fortè in tali purgatione defecerit infra tempus præfigendum à nobis, ipsum cuiuslibet contradicti & appellationis impedimento sublatis, ab officio, beneficioque priuetis, facientes nihilominus, sicut superius est expressum, beneficia, quæ idem Archidiaconus detinet, personis idoneis assignari.

NOTÆ.

1 a Sancti Alberti.] Ita legitur in quinta compilatione, vbi *sub tit. de purgatione canonica, cap. 1.* reperitur textus hic; sed legendum esse *sancti Auberti*, vt habetur in sexta collectione, iam notauit Cironius *in præsenti*. Monasterium hoc sancti Auberti est canonicorum regularium ordinis D. Augustini, vt referunt Mireus *de colleg. regul. cap. 37.* Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. c. 38. nu. 4.* Fratres Sarmathani *tom. 4. Galliæ, fol. 101.* & extat præclarissimum elogium horum Canonicorum apud Cardinalem Iacobum de Vitriaco *in hist. Occid. c. 21.* De cameracensi diœcesi nonnulla notaui *in c. 19. de rescript.*

b *Ambianensi.*] Gerardus videlicet, seu eius prædecessor Arnulfus; nam Chenu, qui in Chronolog. Galliæ seriem Præsulum huius Ecclesiæ scripsit, his Episcopis tempus, aut ætatem non præfiniuit.

c *Altare.*] Plerumque altare ponitur pro Ecclesia, seu beneficio, *cap. quæsitum 11. q. 1. c. 1. de vsuris*: notaui latè *in cap. 3. de statu monach.*

2 d *Homagij.*] Idest fidelitatis promissæ, quàm omnes Prælati inferiores, & presbyteri tenentur præstare Episcopo, iuxta tradita *in c. 2. & 3. de iureiur.* non verò accipias homagium pro iure vassallagij, quòd pro officijs, atque beneficijs ecclesiasticis absque labe simoniæ permitti non potest, *cap. ex diligenti, de simonia*, vbi probatur: nisi supponatur in præsenti casu, Archidiaconum feudum accepisse ab Episcopo, quia eius ratione homagium illi plenè promittere, seu facere valebat, vt probat Martha *de iurisdict. part. 4. casu 43.*

e *Foro sæculari.*] In quo grauiter deliquit Archidiaconus, *cap. nullus 6. & per totam 11. q. 3.* plura congessit Ant. August. *in epit. iur. lib. 30. tit. 5.* Vnde non tantùm ob ingratitudinem, vt voluit Doctor Garaña *in cap. fin. de donat.* verùm ob grauiora scelera, videlicet conspirationis in Episcopum, & quia contra eum causam proposuit coram iudice sæculari, meritò priuatur omnibus beneficijs iam obtentis. 3

f *Canonica.*] De qua agemus infrà, *in tit. de purgat. canonic.* & propter hæc verba textus hîc compilatus fuit in quinta compilatione *sub tit. de purgat. canonic.*

CAPVT XVI.

a Gregorius IX. *Vniuersis Ecclesiarum Prælatis.*

Nimis iniqua. *Et infrà*: Cùm religiosi viri abnegantes salubriter semetipsos, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: non desunt plerique, tam Ecclesiarum Prælati, quàm alij, qui cæca cupiditate seducti, propriæ auiditati subtrahi reputantes quicquid prædictis fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum multipliciter inquietant. Volunt namque contra regulam à Sede Apostolica approbatam, & sui ordinis instituta, ipsis inuitis eorum confessiones *b* audire, ac eis iniungere pœnitentias, & Eucharistiam exhibere: nec volunt, vt *c* corpus Christi in eorum oratorijs reseruetur: & fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas compellunt *d* sepeliri, & eorum exequias celebrari: & si quis decedentium fratrum alibi, quàm in suis Ecclesijs eligat sepulturam, funus primò ad Ecclesias suas deferri cogunt, vt oblatio suis vsibus cedat. Nec sustinentes eos habere *e* campanam, vel cœmeterium benedictum, certis tantùm temporibus permittunt ipsos celebrare diuina. Volunt quoque in domibus eorum certum numerum fratrum, sacerdotum, clericorum, & laicorum, necnon cereorum, lampadum, & ornamentorum pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando nouiter apponuntur, exigunt ab eisdem; nec permittunt, quòd noui sacerdotes eorum alibi, quàm in Ecclesijs suis celebrent primas *f* Missas; eos nihilominus compellentes, vt in quotidianis Missis, quas in suis locis, & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum *g* recipiant; & seruant quicquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium deuotione donatur; & ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes, quòd eisdem tam in ornamentis altaris, quàm in libris ecclesiasticis absolutè confertur, vindicant perperam iuri suo. Quocirca mandamus, quatenus vniuersi, & singuli à prænotatis grauaminibus desistatis, subditos vestros ab huiusmodi arctiùs compescendo.

NOTÆ.

1 a Gregorius IX.] Qui præsentem edidit constitutionem in fauorem Religiosorum contra Episcopos iurisdictione sua erga eos abutentes in casibus in præsenti expressis: & cùm regestro epistolarum huius Pontificis careamus, non possumus integram constitutionem edere.

b *Confessiones audire.*] Vt olim faciebant, antequam monachi sacris ordinibus initiarentur, sed vt laici degerent, iuxta tradita *in cap. ad aures 5. de temp. ordin.*

c *Corpus Christi.*] Iuxta morem Ecclesiæ illustratum *in cap. 1. de custodia Eucharist.*

d *Sepeliri.*] Cùm non solùm ipsi monachi, verùm & laici possint apud ipsos eligere sepulturam, vt probaui *in cap. in nostra, de sepult.*

e *Campanam.*] Excessuum hunc examinabimus *infrà, in cap. patentibus, de priuileg.*

f *Primas Missas.*] Quia in eis plerumque à cognatis, amicis, & pijs fidelibus fiebant oblationes, vt probat Vicecom. *tom. 2. de rit. Missæ, lib. 4. c. 6. per tot.*

2 g *Recipiant.*] Iuxta veteres canones; nam iure antiquo omne, quòd Ecclesijs totius diœcesis offerebatur, Episcopo cedebat. Concil. Aurelian. 3. *can. 5.* sub Hildeberto, ibi: *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus, atque corporibus collatæ fuerint Basilicis in ciuitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur, & in eius sit arbitrio quòd ad reparationem Basilicæ, aut obseruantium ibi substantiam deputetur.* Et *cap. decretum 3. 10 qu. 1.* Verùm cùm omnia sibi vindicarent Episcopi, demùm prouisum fuit, vt certa parte ab Episcopis percepta, reliquum immune Ecclesijs, seu monasterijs superesset. Concil. Carpentoratense sub Cæsario Arelatensi *c. 1. de statu monach.* ibi: *Aut si quid illic pro diuersorum deuotione accesserit, vobis vindicare æstimetis.* Concil. Illerdense *can. 3.* ibi: *Vt quæ in iure monasterij de facultatibus offeruntur, in nullo diœcesana lege ab Episcopis contingatur.* Quod hodie varijs priuilegijs Sedis Apostolicæ religiosis concessum est, & sæpius declaratum à sacra Congregatione referunt Barbosa *de officio parochi, c. 24. n. 29.* & in summa Apost. *collect. 530. n. 2.* Leander *in 5. præcept. Ecclesi. tract. 6 disp. 10. q. 10.* & veteri monumento monasterij Corbeiensis illustrat Bignonius *in notis ad Marculf. lib. 1. cap. 1. fol. 430.*

CAPVT XVII.

a Idem *Vniuersis Ecclesiarum Prælatis.*

Nimis praua. *Et infrà*: Cùm quidam viri religiosi, vt putà Fratres *b* Prædicatores, & Minores (quorum ordinem, & regulam Sed. Apost. noscitur approbasse) in arctissima paupertate

Christo

Christo pauperi famulentur, plerique Prælati, & alijeos ad *c* synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subiacere: nec his contenti, capitula, & scrutinia in locis fratrum pro his *d* corrigendis facturos se comminantur, *e* fidelitatem iuramento firmatam ab eorum ministris, & custodibus exigentes; eis quoque, vt tam extra ciuitates, quàm intra cùm eis *f* processionaliter veniant, ex leui causa mandantes, excommunicationis sententiam fulminant in benefactores ipsorum, & ipsam fratribus comminantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, satagunt amouere, nisi eis obediant in omnibus supradictis. Ad hoc, ne fratres ad honorabiliores ciuitates, & villas, vbi religiosè, ac honestè valeant commorari, à populis deuotè vocati accedere audeant inhibentes, tam in accedentes fratres, quàm in receptatores eorum præsumunt excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de *g* hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis fratrum (sicut de Iudæorum *h* domibus) contendunt reddit us extorquere, asserendo, quòd nisi fratres morarentur ibidem, ab alijs habitatoribus prouentus aliqui soluerentur; & vt ipsos sibi subdant totaliter, eisdem ministros, & custodes volunt præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus vniuersi, & singuli à prænotatis grauaminibus desistatis, subditos vestros ab huiusmodi arctiùs compescendo.

NOTÆ.

1 a IDem.] Gregorius IV. videlicet, qui etiam præsentem constitutionem edidit in fauorem Fratrum Prædicatorum D. Dominici, & Minorum D. Francisci, quorum regulę, & instituta iam approbata fuerant per Sedem Apostolicam. Integram hanc constitutionem non reddimus, quia Regestro epistolarum ipsius caremus.

b *Prædicatores.*] Quia in communi possunt bona obtinere. Valenzuela *consil.135. ex num.55.*

c *Ad Synodos.*] Quando Abbates teneantur ad Synodos diœcesanas, vel prouinciales accedere, exposui *in cap. dilectus, de offic. ordin. cap. quòd super his, de maiorit. & obed.*

d *Corrigendis.*] Quod facere ante monachorum exemptionem Episcopi diœcesani valebant, vt probaui latè *in cap. licèt, cap. graue, de offic. ordin.*

e *Fidelitatem.*] Quam olim Abbates regulares tempore suæ benedictionis Episcopis promittebant, *cap. ne Dei Ecclesia*, vbi probaui, *de simonia*.

2 f *Processionaliter.*] Quod hodie facere possunt; nam post Concil. Tridentinum *sess. 25. de regul. cap. 1.* omnes regulares, quorum conuentus sunt intra ciuitates, vel non distant magis ab eis, quàm per medium milliare, tenentur processionibus publicis interesse, si nonnullos priuilegiatos excipias, vt probant, & explicant Aloysius Riccius *in proxi fori, resol. 308. num. 7.* Vgolinus *de offic. Episcopi, cap. 11. n. 6.* Armendariz *ad leges Nauarræ, lib. 1. tit. 14. & lib. 24. §. 31.* Valenzuela *tom. 2. consil. 184. n. 25.* & sæpius id decisum fuisse per sacram Congregationem testantur Barbosa *in remiss. ad Trid. c. 21.* Bruno Chassaing. *de priuil. regul. tract. 8. cap. 4. propos. 7.*

g *Hortorum fructibus.*] Et appellatione horti in præ- 3
senti accipitur locus sepibus munitus, etsi non sit voluptatis gratia, sed fructuum colligendorum causa comparatus, vt hortum generaliter definientes docuere Beyerlinch *in Theatro vitæ humanæ, verbo Hortus*, Brisson. *lib. 3. select. cap. 1.* Vnde religiosi, quibus priuilegium concessum est non soluendi decimas ex hortis proprijs, non tenentur eas soluere ex hortis muratis, & septis, etsi fructuum colligendorum causa parati sint. Gregorius Lopez *in l. 4. tit. 20. p. 1.* Emanuel Rodriguez *tom. 2. qq. regul. q. 44. art. 4.* Petrus Gregorius *lib. 1. part. tit. 25. c. 3.* Barbosa *lib. 3. iur. eccles. cap. 26. §. Potres*, Fagundez *in 5. præcep. Eccles. lib. 2. cap. 4. n. 3.* Pelizzarius *tom. 2. manual. regul. tract. 8. cap. 1. sect. 3.* Diana *ad calcem partis 9. pag. 399.*

h *Domibus.*] Iuxta tradita *in cap. de Iudæis, de decimis, cap. quantò, de vsur.*

CAPVT XVIII.

Idem *Archiepiscopo* a *Brachar.*

TAnta est clauis Petri. *Et infrà*: Ad confusionem P. Episcopi quondam *b* Colubrien. non potest in memoriam non venire, quantùm in nos, & Ecclesiam Romanam deliquerit, despexerit Petri claues, & ecclesiasticam læserit potestatem, cùm non solùm interdicti sententiam (quàm seruauerat ab initio) temerè violauit, verùm etiam induxit alios, immò compulit non seruare: & quos inducere monitis, & flectere minis, ac terroribus ad violandam interdicti sententiam nulla potuit ratione, post atroces iniurias, amissionem bonorum, spoliationem parentum, dignitatibus, præbendis, & beneficijs spolians, coegit miserabiliter exulare, ea suis in hac parte fautoribus non absque præsumptione temeraria conferendo. Quæ omnia idem Episcopus in nostra, & fratrum nostrorum præsentia publicè recognouit. Licèt autem memoratus Episcopus in manibus nostris spontanea cesserit *c* voluntate, nolentes tamen vt hi, qui huiusmodi sententiam interdicti non sunt veriti temeritate propria violare, ac recipere dignitates, præbendas, ac beneficia aliorum, qui absque culpa, & sine causa rationabili eis fuerant spoliati, seueritatem effugiant canonicæ vltionis, ne facti peruersitas transeat præsumptoribus in exemplum, auctoritate Dei omnipotentis omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum, ac dignitatum præsumptas per eundem Episcopum; & excommunicationis, seu interdicti sententias in quoscumque hac occasione prolatas ab eo post interdicti violationem eiusdem, decernimus irritas, & inanes. Quia verò vbi magis exceditur, ibi est seueriùs vindicandum, mandamus, quatenus omnibus, quos prædictus Episcopus in supradicta beneficia, præbendas, & dignitates intrusit, non solùm à beneficijs ipsis, præbendis, & dignitatibus, verùm etiam ab alijs beneficijs (si qua obtinent) & Ecclesijs prorsus amotis, tam præsumptores eosdem, quàm omnes alios, qui præfatum interdictum damnabiliter violarunt, suspendas (auctoritate Ap.) ab officio, & *d* beneficio. Illos quoque, quos in personas, & res prædictorum canonicorum, Prælatorum, & clericorum, manus temerarias constiterit extendisse, ad nostram venire compellas præsentiam, pro meritis sententiam recepturos, inuocato ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachij sæcularis.

NOTÆ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1 a BRacharensi.] Stephano videlicet Siluio, de quo, & de Metropoli Bracharensi egi *in cap. coram, de in integr. restit.*

b *Colubriensi.*] De diœcesi Colubriensi Lusitaniæ nonnulla adduxi *in cap. cùm causa, de*:.

c *Voluntate.*] Nam si celebrauit violando interdictum, irregularitatem contraxit, iuxta tradita *in cap. postulasti, cap. 4. de cleric. excommunic.*

2 d *Officio, & beneficio.*] Violans enim interdictum locale, seu personale, varijs pœnis punitur. Primò suspenditur ab officio, & beneficio, ex præsenti textu; hanc tamen suspensionem non incurri ipso iure, sed prolata à iudice sententia, rectè ex hoc textu probarunt Suarez *de censur. disp. 34. sect. 4. nu. 16.* Gibalin. *de censur. disquisit. 8. quæst. 2. nu. 3.* Secundò caret priuilegio, quod alioquin haberet, vt tumulari posset in loco non interdicto, *c. quòd in te, de pœnit. & remiss. cap. is cui, de sent. excommun. lib. 6.* Deinde arcetur ab Ecclesiæ ingressu, donec satisfecerit ad arbitrium eius, cuius interdictum violauit, vel ad arbitrium Episcopi, si interdictum à iure impositum sit, *cap. Episcoporum, de priuil. lib. 6.* siue sit clericus regularis, siue sæcularis. Deinde redditur intelligibilis, & impostulabilis ad dignitates, & beneficia ecclesiastica, *c. is cui, §. verò, de sent. excommun.* & si de facto eligatur, electio nulla est, vt probant Suarez *de censur. disp. 34. sect. 4. num. 15.* Gibalin. *vbi suprà, n. 4.* & spoliari potest beneficijs, si quæ habebat, & in monasterium pœnitentiæ peragendæ causa detruditur. Tandem qui violant interdictum circa ecclesiasticam sepulturam, excommunicantur, *Clement. 1. de sepultur.* & religiosi, qui non seruant interdictum, quod Ecclesia Cathedralis, aut quæ in eo loco matrix est, obseruat, excommunicationem incurrunt ipso iure, *ex Clement. 1. de sent. excom.* Gibalinus *vbi suprà, nu. 7.* qui rectè obseruat, suspensionem, quàm incurrunt violantes interdictum, non extendi ad iurisdictionem; & ita sententias, quas protulit Episcopus Colubriensis, & irritari iussit Pontifex, non irritari, quia prolatæ fuerunt ab Episcopo, qui interdictum violauerat; sed quia per summam iniuriam prolatæ erant contra eos, qui interdictum violare renuebant; & ita omnia gesta in hac parte ab Episcopo Colubriensi cassari præcipit Gregorius.

TITVLVS XXXII.

De noui operis nuntiatione.

CAPVT PRIMVM.

Lucius III. a *Paduano Episcopo.*

INtelleximus ex litteris tuis, quòd cùm causa, quæ inter dilectos filios nostros Priorem sancti Cypriani Deuon. & clericos de Rodigo vertitur super Capella, quæ in præiudicium baptismalis Ecclesiæ de Costa, ab eisdem clericis est constructa, f. t. delegata fuisset fine canonico terminanda, partibus ad tuam præsentiam conuocatis, per testes tibi sufficienter innotuit, quòd præfata Ecclesia de Rodigo eandem Capellam post appellationem ad nos factam, & denunciationem noui operis ædificare cœperat: & ob hoc præfatus Prior in iudicio postulabat, quicquid in sæpedicta capella post appellationem ad nos factam, & post denunciationem noui operis factam primitus fuerat, demoliri. Super quo discretioni tuæ dubium videbatur, vtrùm ad hoc canonicò procedi posset iudicio: & cùm nihil de nunciatione noui operis sit in canonibus definitum, Sedem duxisti Ap. consulendam. Quia verò sicut humanæ leges non *b* dedignantur sacros canones imitari, ita & sacrorum statuta canonum piorum Principum constitutionibus adiuuantur: f. t. præsentibus respondemus, quòd diligenter considerans, quòd post denunciationem noui operis, siue iniuria aliquid construatur, de legalibus debet constitutionibus demoliri; & quia nulla Ecclesia in præiudicium alteriùs debet construi, ascitis tibi viris prudentibus negotium ipsum secundùm canonum, & legum statuta, ap. rem. non differas terminare. Nam cùm te credamus in vtroque iure peritum, securiùs duximus causam per tuam solicitudinem terminari, qui per dicta partium & terminos, & fines locorum pleniùs poteris cognoscere veritatem, quàm aliquid à nobis ignorantibus qualitatem negotij diffiniri.

NOTÆ.

1 a PAduano.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. de Eccles. ædific. cap. 4.* De diœcesi Paduana nonnulla adduxi *in cap. 7. de iudicijs.*

b *Dedignantur.*] Nouella 83. & 131. Iustiniani, *l. sacris 45. C. de Episc. & cleric.* quòd etiam vsurpauit Pontifex *in cap. clerici 8. de iudicijs, cap. vlt. de secund. nupt. cap. 1. de iur. calumn. cap. Nicæna 12. 31. dist.* & sæpe sacri canones profitentur, se non respuere legum sæcularium famulatum, *c. super specula 28. de priuil.* & sic statuta canonum constitutionibus Principum adiuuantur, atque secundùm regulas iuris ciuilis ecclesiasticæ quoque controuersiæ terminantur, si canonibus non opponantur, & ipsi deficiant, *cap. 1. cap. si in auditorium, dist. 20.* vnde in præsenti tractatu de noui operis nuntiatione, quia nulli sunt sacri canones, in quibus statuatur ius seruandum in hac parte in causis ecclesiasticis: ideò tam Lucius III. in præsenti, quàm Innocentius, Honorius, & Gregorius in decretalibus sub hoc titulo compilatis tantùm obseruare iubent leges sæculares. Quando verò deficiente canone recurrendum sit ad ius ciuile, vel patrium, seu è contra, exponunt congesti à Barbosa in præsenti, & Canisius *in cap. 1. de constit.* & *in tract. de differ. vtriusque iur. in princ.* Mancinus *sacr. iur. dist. 34.*

CAPVT II.

Innocent. III. a *Cantuariensi Archiepiscopo.*

CVm de iniuncto nobis Apostolatus officio locum eius (licèt immeriti) teneamus, qui iuxta verbum propheticum liberauit pauperem à potente, & inopem, cui non erat adiutor; diligenti studio satagere nos oportet, ne minores à maioribus opprimantur, sed vt Prælati sic exerceant acceptam iurisdictionem in subditos, vt prodesse probentur potiùs quàm præesse.

Hæc

Hæc ergo ſecundùm officij noſtri debitum attendentes, diſtricta dudum tibi *b* iuſſione mandauimus, vt in negotio capellæ de Lamech iuxta formam literis Apoſtolicis comprehenſam, ab oppreſſione monachorum Cantuarien. omninò ceſſares: ſuper quo venientes ad præſentiam noſtram dilecti filii R. de Boxleia, & Vv. de Ponte Roberti Abbates nuncij tui, fraternitatem tuam nitebantur multipliciter excuſare. In primis ſiquidem proponentes, quòd cùm bonæ memoriæ *c* Theob. Cantuarien. Archiepiſcopus, & glorioſus *d* Thomas ſucceſſor ipſius attendentes, quòd nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſæcularibus; & nolentes *e* monachos Cantuarienſes relictis diuinis officijs ad negotia ſæcularia ſe transferre, ad honorem Protomartyris Stephani ædificandi Eccleſiam voluntatem, & propoſitum habuiſſent, & in ea ſæculares clericos ordinandi, & de ſuis prouentibus, & Eccleſijs eis redditus aſſignandi, per quos tam apud Apoſtolicam Sedem, quàm apud Curias ſæculares ſua poſſent negotia expedire: laudabile primi propoſitum obitus feſtinatus; ſecundi longum *f* exilium impediuit, ſicut in literis ven. fratris noſtri I. quondam Lundinen. Archiepiſcopi pleniùs continebatur expreſſum, quæ in noſtra, & fratrum noſtrorum fuerunt præſentia recitatæ. His bonæ memoriæ *g* Bal. Cantuarien. Archiepiſc. ita propoſito, vt officio, voluntate vt dignitate ſuccedens, propè ſuburbium ciuitatis Cantuarien. quaſi per ſtadia tria, vel quatuor, ad honorem præſentis Protomartyris, & beati Thomæ conſtruere cœpit Eccleſiam, fęlicis record. Vrbani Papæ prædeceſſoris noſtri ſuper hoc indulgentia primitiùs impetrata. Cuius ſibi fuit auctoritate conceſſum, vt in honorem ipſorum Martyrum & ædificare poſſet Eccleſiam, & de perſonis idoneis ordinare, quibus in eccleſiaſticis beneficijs canonicè prouideret: ſic tamen, quòd Eccleſiæ debitis obſequijs, & neceſſarijs ſtipendijs minimè fraudarentur. Et licèt idem Vrbanus aduersùs dictum P. prædeceſſorem tuum ſuper demolitione operis ſuas ſæpiùs literas deſtinaſſet, quia tamen in eis non faciebat de conceſſa iam indulgentia mentionem, ei dicebant per ſcripta ſequentia nullatenus derogatum, quæ prætereà proponebant, & per falſi ſuggeſtionem, & veritate tacita impetrata, & ad ipſius Archiepiſcopi notitiam minimè deueniſſe: vnde ſi eis non paruerat, de iure non poterat reprehendi. Reſcriptum quoque ſanctæ memoriæ *h* G. Papæ prædeceſſoris noſtri pro ſe pariter producebant: qui cùm per litteras indulſerit generales, vt reſcripta, quæ à tribus menſibus ante obitum prædicti Vrbani prædeceſſoris ſui fuerant impetrata, eandem firmitatem haberent, non obſtante obitu mandatoris, quàm obtinere, ſi tunc viueret, debuiſſent; negotia, quæ ipſum Archiepiſcopum, & eius clericos contingebant, ſub præmiſſa noluit generalitate concludi: per quòd nimirùm reſcriptum prædeceſſoris ſui dicebant literis derogatum, quas aduersùs Archiepiſcopum dederat ad inſtantiam monachorum: quibus ſiquidem literis, & etiam bonæ memoriæ *i* Clementis ſucceſſoris ſui, qui eius in hac parte fuerat imitator, per factam tunc temporis amicabilem compoſitionem de partium voluntate inter Archiepiſcopum, & monachos memoratos, per chariſſimum in Chriſto filium noſtrum R. *j* Anglorum Regem Illuſtrem, & venerabilem fratrem noſtrum Vvalterum Rhotomagen. Archiepiſcopum, & quoſdam Epiſcopos, & Abbates, dicebant penitus derogatum. Cùm enim tempore Præfati B. Cantuarien. Archiepiſcopi, præmiſſi Rex, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates Cantuariam acceſſiſſent in eos fuit tam de conſtructione ipſius Eccleſiæ, quàm inſtitutione Prioris, & quibuſdam alijs quæſtionibus à partibus compromiſſum. Ipſi autem diligenti deliberatione præmiſſa pariter iudicarunt, quòd ipſe Archiepiſcopus rationabiliter ædificauerit Eccleſiam memoratam. Ipſe tamen pro bono pacis conceſſit ad prædicti Regis inſtantiam, & etiam aliorum, quòd Canonicorum collegium ad locum transferret alium, quem eligeret competentem. Per hanc ergo compoſitionem dicti nuncij tui renuntiaſſe dicebant monachos reſcriptis prædeceſſoribus à Sede Apoſtolica impetratis: cùm exinde dictus Archiepiſcopus loco priore dimiſſo, vbi ædificare non potuerat ſine ſcandalo monachorum, ad locum de Lamech per quinquaginta milliaria diſtantem à Ciuitate Cantuariæ ſuum propoſitum transtuliſſet: vbi & Eccleſiam, ſicut priùs fecerat, ædificare cœpit ad honorem martyrum prædictorum, vt ſic propter nimiam locorum diſtantiam nulla remaneret monachis materia conquerendi. Cui poſteà tu ſuccedens, quòd ab ipſo minùs fuerat, perficere voluiſti, & quod ipſum tibi liceret, ex reſcripto literarum bonæ memoriæ *k* C. Papæ prædeceſſoris noſtri oſtendere nitebantur: qui anno Pontificatus ſui ſeptimo, & extremo, ad omnem inter Eccleſias Cantuarien. & de Lamech diſcordiam ſopiendam; & ne Canonici de Lamech facultatem haberent contra Cathedralem Eccleſiam inſurgendi, diſponendi de ipſa Eccleſia de Lamech interiùs, & exteriùs, non obſtantibus literis ad venerabilem fratrem noſtrum N. Ciceſtren. Epiſcopum, & dilectum filium N. de Vualthan, & N. de Rading, Abbates obtentis, conceſſit tibi liberam facultatem. Per has ergo literas præcedentia ſcripta ſua, quæ his videbantur aduerſa, dicebant penitus reuocata. Intentionem ergo ſuam probare dicti tui nuncij ſatagebant per laudabile propoſitum Theob. & glorioſi Thomæ Martyris Pontificum præmiſſorum, & per Vrbani, Gregorij, & Cœleſtini Rom. Pontificum indulgentias, & reſcripta, & præmiſſam compoſitionem factam de partium voluntate. Verùm præmiſſis rationibus ex parte monachorum fuit ex ordine taliter obuiatum, quod de occultis hominum voluntatibus, quas ſibi tantùm Dominus reſeruauit, qui renes, & corda ſcrutatur, à nobis iudicari non poterat, nec debebat: nec ipſi valebant ad talia reſpondere, quæ proponere in iudicio nihil aliud erat, quàm de ſecretis cordium diuinare. Sanè per indulgentiam Vrbani Papæ prædeceſſoris noſtri (de qua præmiſimus) iuri ſuo in nullo dicebant penitus derogatum, quia canonica beneficiorum aſſignatio per eam Cantuarienſi Archiepiſcopo ſeruabatur, quæ iuxta conſtitutionem canonicam ſine tractu, & aſſenſu monachorum procedere non valebat: qui nedum ipſius facto in hac parte non conſenſerant, verùm etiam contradi-

tradixerunt expressè, sicut sequentia docuerunt, & adhuc in eodem proposito perseuerant. Eis ergo contradicentibus superioris fuerat iudicium expectandum. Idem etiam ea ratione ostendere nitebantur, quia iuxta sanctiones legitimas, si quando alicui conceditur beneficium principale, putà libera factio testamenti, nihil videtur aliud indulgeri, quàm vt modo testetur legitimo, & etiam consueto. Ille quoque, qui vt in *l* loco publico ædificare posset, à Principe similiter impetrauit, ædificare cum alterius incommodo non valebit, nisi & hoc ipsum à Principe postulatum fuerit, & concessum. Per sequentes etiam ipsius Vrb. literas executorias, quibus opus ipsum maledictum haberi voluit, & prophanum, asserebant præscriptæ indulgentiæ derogatum, quæ si coram eodem Vrbano fuerit ostensa, proponebant eam penitus abrogatam, cùm siue ea non obstante demolitio ipsius Ecclesiæ fuerit demandata, siue fuerit prætermissa, sibi debuit imputari; cùm iure ciuili etiam caueatur, quòd sub *m* prætextu instrumentorum posteà repertorum lites non debeant restaurari. Id ipsum per literas piæ recordationis Clementis Papæ prædecessoris nostri probare volebant, in cuius præsentia nuncijs partium constitutis, cùm dictus B. prædecessor tuus opus maledictum, & prophanum noluisset contumaciter, & pertinaciter consummare, ad exemplum Vrbani Papæ prædecessoris sui præfato Archiepiscopo de consilio fratrum districtè præcepit, vt quicquid fecerat in Ecclesia nominata, curaret sine diminutione qualibet demoliri, quod de instituendis canonicis, & alijs fuerat perperam attentatum, in irritum penitus reuocato: vbi siue omissa fuerit præmissa indulgentia, vel etiam allegata, eorum non poterat ratione præmissa propositum impedire. Per ipsam verò compositionem, de qua præmisimus, tanquam regio metu violenter extortam, partem suam in nullo grauari posse dicebant. Cùm enim dictus Clemens Papa prædecessor noster pro sedanda discordia inter Archiepiscopum, & monachos Cantuarien. exorta, bonæ memoriæ Ioannem Anagninum tunc temporis tituli sanctæ Marci Presbyterum Card. Apostolicæ Sedis Legatum, postea verò Episcopum Prænestinum in Angliam specialiter destinasset, postquam illuc transfretauit, factum fuit dicto B. Cantuarien. Archiepiscopo procurante, quòd apud portum Deuoriæ contra voluntatem suam per dies plurimos teneretur, quod in grauem Ecclesiæ Rom. iniuriam redundauit: nec antè permissus fuit Cantuariam proficisci, quàm per dictum Regem Anglorum, qui eodem tempore cum Episcopis suis Cantuariam venerat, in pacis, quam fecerunt cum Archiepiscopo monachi, formulam consentiret; in quo prædicti monachi vim passi fuerunt, & compulsi sunt omnia sustinere: quod ideo cùm propè audisset positus, & posteà præsens apud Cantuariam cognouisset, scripto mandare curauit, vt rei veritas omnibus innotesceret, & quod factum fuerat, non generaret præiudicium iustitiæ monachorum. Et si Archiepiscopus ipse, vel aliquis de successoribus eius scripturam super formam pacis quandoque proferret, sciretur ab omnibus, eam fratribus iam dictæ Ecclesiæ, nec consentientibus, nec scientibus fuisse confectam, nec sibi exhibitam postulanti, qui ad causam fuerat à Summo Pontifice destinatus. Vnde vel rem gestam consummare debuerat, si iustitiæ concordaret; vel si aliter facta fuerat, infirmare. Sic ergo cognoscens intercessisse illi facto violentiam manifestam, auctoritate, qua fungebatur, Apostolica statuit, quòd nec concordia sic facta valeret, neque compromisso violenter extorta, neque scriptum aliquod sic conceptum, & quod ipsis monachis in posterùm præiudicium non afferret, cùm omnia eo præsente, ac contradicente fuerint adimpleta, sicut in suis literis patentibus continetur, quas coram nobis fecimus recitari. Post hæc cùm bonæ memoriæ Cœlestinus Papa prædecessor noster omnia, quæ per memoratum B. Archiepiscopum circa monachos vi, vel metu acta fuerant, auctoritate Apostolica in irritum reuocaret, nominatim ea, quæ Legato Rom. Ecclesiæ præsente, & contradicente, contra mandatum Sedis Apostolicæ facta proponebantur, sicut in authentico eiusdem Legati, P. videlicet Anagnini, quondam Presb. Card. ob causam ipsam in Angliam destinati, continebatur, expressa viribus carere decreuit, & quæcunque contra ius monachorum, vel tenorem priuilegiorum Apost. Sedis idem Archiepiscopus impetrarat. Insuper statuens, vt nullus hominum, quæ malè gesserat, ad consequentiam traheret: nec ea, quæ à Sede Apostolica obtinuerat, tacita veritate, iuri monachorum, vel priuilegijs vllo vnquam tempore in aliquo præiudicium generarent: quemadmodum nobis, & fratribus nostris ex ipsarum constitit continentia literarum. Ex ipsa quoque maiore loci distantia sibi asserebant monachi maius præiudicium generatum, quia cùm in eorum defectu, sicut à tuis nuncijs dicebatur, sæculares clerici fuerint euocati, vix possent per eos vicinos Cantuaren. Ecclesiæ negotia monachis absentibus procurari, quæ ipsis procul positis, & captata eorum absentia, sine monachorum conscientia tractarentur, & eis penitus inconsultis: vnde Cantuarien. Ecclesia dispendium incurreret, & iacturam. Sic ergo per hoc nihil eis accessit, eadem contradictionis causa manente. Vltimum quoque rescriptum dicti Cœlestini Papæ prædecessoris nostri carere viribus asserebant, vtpotè per suppressionem veritatis subreptum: quoniam in eo nulla fiebat mentio mandatorum, quæ ab Vrbano Papa, & Clemente processerant: nec etiam confirmationis illius, quam ipsemet super cassatione compositionis prædictæ concessit; & præsertim cùm rescriptum illud indulsisse dicatur eo tempore, quo eum infirmitas admodum prægrauabat. Ad fundandam sanè intentionem suam, prædictorum Vrbani, Clementis, & Cœlestini Rom. Pontificum rescripta, ac nostrum post illa ijdem monachi producebant: quibus vrgentissimè mandabatur, vt quicquid de præfata capella fuerat attentatum, haberetur irritum, & inane. Cùm autem quæ præmisimus, & similia, in nostra, fratrumque nostrorum præsentia prudenter essent à nuncijs allegata, nos, qui tempus accepimus iustitiam iudicandi, volentes illius vestigijs inhærere, apud quem non est acceptio personarum, cuius locum (licèt indigni) tenemus in terris, & ita via regia prudenter incedere, vt non declinemus ad dexteram, vel sinistram: prædecessores quoque nostros Vrbanum, Clementem, & etiam Cœlestinum credentes

amplius

amplius imitandos, in illis maximè, quæ deliberatione præuia ſtatuerunt, de communi conſilio fratrum noſtrorum fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, & in virtute obedientiæ diſtrictè præcipimus, quatenus omni contradictione, excuſatione, & appellatione ceſſantibus, infrà triginta dies poſt receptionem præſentium, quicquid ædificatum eſt in Eccleſia memorata, expenſis tuis facias penitus demoliri, eo non obſtante, ſi etiam abſens extiteris: cùm cautum ſit etiam legitima ſanctione, vt ſi is, cui fuerat opus nouum nuntiatum, ante remiſſionem ædificauerit, deinde agere cœperit, ius ſibi eſſe ita ædificatum habere, ſibi debeat actio denegari: reducens prorsùs in irritum quicquid de inſtituendis ibidem canonicis, & alijs ad ipſam Eccleſiam pertinentibus, à te, vel à prædeceſſore tuo cognoſcitur ordinatum: eorum redditibus ad ſtatum priſtinum reuocatis, quos ab obligatione præſtiti iuramenti, pro eo, quòd ibidem inſtituti fuerunt, auctoritate noſtra per te denunciari præcipimus abſolutos. Cùm enim amodò non teneat principale, quicquid ex eo, vel ob id ſecutum eſt, ſub præmiſſa diſtrictione decernimus irritandum, ſicut ſancitum eſt traditione canonica, & ciuili. Clericos præterea, qui in capela ipſa poſt inhibitiones Apoſtolicas diuina officia celebrarunt, ſicut nos per alia ſcripta noſtra mandauimus, tamdiù habeas pro ſuſpenſis, quouſque ſuper hoc ſatisfecerint competenter: & vniuerſa, quæ in prædictorum monachorum ſunt attentata grauamen, xeniorum videlicet, & Eccleſiarum, & aliorum inuaſione, quæ ante appellationem habuerant, non differas dictis monachis reſignare, ac de cætero circa ſtatum monaſterij contra prohibitionem noſtram huius occaſione negotij non præſumas aliquid innouare. Si verò (quod non credimus) præceptum noſtrum, ſicut præmiſſum eſt, vel contempſeris, vel diſtuleris adimplere, à Pontificali officio ex tunc noueris te ſuſpenſum: & pro contemptu mandati Apoſt. ad noſtram venire te volumus præſentiam reſponſurum. Venerabilibus quoque fratribus noſtris Cantuarien. Eccleſiæ ſuffraganeis, de conſilio fratrum noſtrorum in virtute obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, quatenus niſi tu infrà præmiſſum tempus mandatum noſtrum duxeris ad effectum, ipſi nullam tibi impendant obedientiam, vel reuerentiam; quia iuſtum eſt, quòd ei non obediatur à ſubditis, qui ſuo contemnit obedire Prælato. Quòd ſi fortè nec ſic te poterimus ad bonum reuocare, propter quod malum nunquam committitur, bonum autem debet ſæpiùs intermitti, maiorem tibi animaduerſionem noueris imminere: cùm ferro ſint abſcindenda vulnera, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam. Sanè ſuper præmiſſis, in quibus ſalua conſcientia non poteramus alio modo procedere, fraternitatem tuam rogamus nullatenus contriſtari: quia (teſte Deo) non ex indignatione aliqua proceſſerunt, ſed quia cùm ſimus (licèt inſufficientes) in Sede iuſtitiæ conſtituti, vnde iura ſua ſeruare tenemur ſingulis illibata, fraternitati tuæ, quam ſinceriùs amplexamur, cùm te inter fratres, & Coepiſcopos noſtros honorabile membrum, & in domo Domini columnam immobilem habeamus, non potuimus ſine graui offenſa Creatoris deferre: nec nobis in hac parte potes aliquid imputare, cùm ſecundùm traditionem canonicam, quando non niſi peccando alicui conſuli poteſt, tunc æſtimare debet homo, quid faciat, non habere. In ipſis etiam legibus ſæcularibus inuenitur, vt quæ facta lædunt pietatem, æſtimationem, verecundiam noſtram, & generaliter, quæ bonis moribus aduerſantur, nec poſſe nos facere ſit credendum. Super eo quoque non ſufficimus admirari, quòd cùm dicta Eccleſia iamdudum quaſi lapis offenſionis fuerit, & petra ſcandali, pro qua nos, & prædeceſſores noſtri aduersùs te, tuoſque prædeceſſores ita grauiter ſumus moti; & viri religioſi pariter, & prudentes monachi Cantuarienſes, qui omnia dimiſerunt pro Chriſto, tot laboribus, & doloribus, tot mortibus, & periculis perſonas, & res non dubitauerunt frequenter exponere: quod proculdubio tam illi, quàm iſti (vt dictum eſt) non fecisſent, niſi cognoſcerent præmiſſa reſpicere in graue Cantuarien. Eccleſiæ detrimentum, vt de alijs omittamus, tu ſaltem pro vitando tam graui *n* ſcandalo proximorum, ab huiuſmodi etiam tibi prohibitis non ceſſaſti: cùm ſacræ Scripturæ teſtimonio debueris didiciſſe, quod licèt opera illa, quæ ſine mortali peccato dimitti non poſſunt, non ſint pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debeant pro vitando ſcandalo committi, quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt: ab his tamen, quæ committi poſſunt ſine mortali peccato, pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum, & eis etiam pro vitando ſcandalo inſiſtendum. Vnde Apoſtolus dicit: Si ſcandalizaretur frater, carnem non comederem in æternum. Et Dominus in Euangelio contra eos, qui ſcandali præſentant materiam: Væ (inquit) homini illi, per quem ſcandalum venit: melius eſt ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius, & demergatur in profundum. Et licèt maiorum ſcandalum ſit vitandum, præcipuè tamen vitandum eſt ſcandalum puſillorum, iuxta teſtimonium Veritatis: Qui ſcandalizauerit (inquit) vnum de puſillis iſtis minimis, qui in me credunt, &c. Finis ergo his, quæ præmiſſa ſunt à te de cætero taliter imponatur, quod præteritæ contradictionis rebellio per virtutem ſequentis obedientiæ valeat non immeritò expiari. Datum Laterani IX. Kal. Decembris.

NOTÆ.

1 a CAntuarienſi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap. vnic.* & in epiſtolis Innoc. correctis à Sirleto, *fol.* 214. ex quo Regeſtro reſtituo integram huius textus. Præſens epiſtola ſcripta eſt Vualtero 43. Archiepiſcopo Cantuar. de quo ex varijs plura refert Richardus Smirheus in floribus Eccleſiæ Angliæ, *lib.* 7. *cap.* 10. Huius controuerſiæ mentio fit in geſtis Innocentij III. editis à Boſqueto, *pag.* 29. ibi: [Litem etiam, quæ inter Epiſcopum, & Capitulum Cantuarienſis Eccleſiæ cœperat agitari ſuper Eccleſia de Lameche, quam idem Archiepiſcopus eodem Capitulo contradicente conſtruxerat, & dotauerat multis, & magnis redditibus, inſtituens in ea canonicos ſæculares, viros nobiles, potentes, & literatos, non ſine multa difficultate ſedauit. Nam Rex, & Archiepiſcopus in illo facto ſe mutuò adiuuabant. Capitulum autem non habebat poſt Deum, niſi ſolum Romanum Pontificem adiutorem, aſſerens pro conſtanti, quod niſi præfatam Eccleſiam faceret penitus demoliri, Metropolitana dignitas pro maiori parte transferretur ad illam. Vbi verò Dominus Papa rationes partium ſufficienter audiuit, Apoſtolicæ Sedis auctoritate decreuit, vt dictus Archie-

piſcopus

Digitized by Google

piscopus eandem Ecclesiam suis sumptibus demoliretur omninò, in irritum reuocans quidquid factum fuerat circa ipsam: quæ cùm ipse facere distulisset, prætendens quòd Rex illud fieri non sinebat, ipse succensus zelo iustitiæ præcepit districtè in virtute obedientiæ Archiepiscopo memorato, vt illud exequi vlterius non differret, alioquin sciret, se ab officio Pontificali suspensum, & suffraganeos ab eius obedientia esse subtractos. Et sic demùm quantumcunque Rex, & Archiepiscopus reniterentur, & murmurarent, impletum est penitus, qood mandauit.] Quem canonem retuli *in cap. dilecti* 52. *de appel.*

2 b *Iussione.*] Cuius iussionis literæ extant apud eundem Sitletum in eodem Regestro Innocentij, *lib.* 1. *epist.* 54. in hæc verba: [Quantò personam tuam sinceriori charitate diligimus, tantò maiori dolore turbamur, quoties ea de tuis audiuimus operibus, quæ Pontificali derogant honestati. Cùm enim Cantuariensis Ecclesia, cui præesse dignosceris, inter Anglicanas Ecclesias celebris habeatur, & inter alias consueuerit Religione florere, nos, & fratres nostri graue, & molestum gerimus, quòd sicut dilecti filij nostri N. Prior, & Conuentus eiusdem Ecclesię humili nobis conquestione monstratunt, tu ad ipsius desolationem Ecclesiæ satagis multipliciter, & laboras in constructione nouæ capellæ de Lameche, contra prohibitiones felicis recordationis Vrbani, & Clementis Romanorum Pontificum, bonæ memoriæ N. prædecessori tuo factas post appellationes multiplices ad Sedem Apostolicam interpositas, in magnum Cantuarien. Ecclesiæ præiudicium propria temeritate procedens, & de bonis eiusdem Ecclesiæ Canonicos instituens: à cuius siquidem constructione capellæ, si eam, quam debes, Rom. Ecclesiæ reuerentiam, & obedientiam exhiberes, & commissæ tibi Ecclesiæ prouisionem, & solicitudinem gereres, quam teneris, tibi, & honori tuo melius consulens penitus destitisses, nec super eo procedere lluduisses, quod prædecessori tuo sic districtè cognosceres à Sede Ap. interdictum. Cum igitur diminutionem Cantuarien. Ecclesiæ, sicut nec debemus, nolimus aliquatenus sustinere, prædictorum prædecessorum nostrorum vestigijs inhærentes, de fratrum nostrorum consilio fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus omni mora, & excusatione postpositis (si etiam ab Ecclesia tua absens fueris,) aliquatenus non obstante, quicquid post appellationes, tam tempore prædecessoris tui, quàm tuo, ad Sedem Apostolicam interpositas, vel inhibitiones antecessorum nostrorum in opere actum capellæ dignoscitur memoratæ, infrà triginta dies post harum susceptionem tuis expensis non differas demoliri: in irritum prorsus reuocans, & deducens quidquid de instituendis canonicis, & alijs circa capellam ipsam factum est, vel enormiter innouatum. Clericos præterea, qui in capella ipsa post inhibitiones Apostolicas diuina officia celebrarunt, tamdiù ab officio, & beneficio teneas pro suspensis, donec super hoc satisfecerint competenter, vniuersis operibus demolitis, quæ apud eandem capellam facere præsumpsere, & vniuersa quæ post appellationem in prædictorum fratrum sunt attentata grauamen, in xeniorum videlicet Ecclesiarum, & aliorum inuasione, quæ ante appellationem habuerant, in statutum pristinum appellatione remota reducas: sententias excommunicationis, & interdicti, quas in quosdam ipsorum fratrum temerè diceris promulgasse, publicè nuntians non tenere, ac de cætero circa statum ipsius monasterij contra prohibitionem nostram, huius occasione negotij non præsumas aliquid innouare: illicitos inuasores villarum, possessionum, & reddituum prædictorum fratrum vsque ad satisfactionem idoneam vinculo excommunicationis astringens. Si verò (quod non credimus) mandatum nostrum infra statutũ terminum neglexeris, vel distuleris adimplere, quia iustum est, vt ei obedientia subtrahatur, qui Sedi Apostolicæ negligit obedire, venerabilibus fratribus nostris suffraganeis tuis per scripta nostra mandauimus, vt tibi reuerentiam, seu obedientiam non impendant. Quod si fortè ab eis, vel eorum aliquo contra prohibitionem nostram tibi feceris aliquam obedientiam, & reuerentiam exhiberi, scias te ex tunc ab Episcopali dignitate suspensum, & tamdiu ipsi sententiæ subiacere, donec satisfacturus de contemptu te nostro conspectui repræsentes. Non autem distinguimus, vtrùm in loco à nostris prædecessoribus interdicto, vel alio in prædictæ constructione capellæ, & canonicorum institutione processeris in Ecclesiæ Cantuarien. præiudicium, & grauamen, eadem contradictionis causa durante; nisi quod ex hoc magis credimus Ecclesiæ derogari, quod in remotiori loco prior fabrica est translata. Datum Romæ apud S. Petrum.]

c *Theobald.*] Theobaldus videlicet, qui fuit 37. Archiepiscopus Cantuarien. de quo agit Smitheus *d. lib.* 7. *cap.* 5. *per totum.*

d *Thomas.*] De quo Sancto, & eius martyrio nonnulla 3
adduxi *in cap.* 2. *de rescriptis.*

e *Monachos Cantuarienses.* In Ecclesia enim Metropolitana Cantuariensi post S. Augustini obitum Laurentius illius successor, Bonifacio Romano Pontifice permittente, & speciali rescripto ad petitionem Ethelberti Anglorum Regis concedente, monachos posuit, vt referunt Guillelmus Malmesburiensis *lib.* 1. *de Episcop. Anglicanis, pag.* 208. & ita simul erant in eadem Ecclesia, vt in alijs illis sæculis contingebat, monachi, & canonici regulares: quod facilè constat ex his, quæ de Beati Thomæ Cantuariensis Archidiaconatu, & illius martyrio, de clericis fores templi claudere conantibus, qui eidem martyrio aderant, ab omnibus historicis passim traduntur; & facilè hoc probatur *ex c. relatum, de præb.* vbi agitur de Magistro recipiendo in Canonicum ipsius Ecclesiæ: quod conuenire nequit monachis in Ecclesia deseruientibus, & ita optimè probat Pennotus *lib.* 2. *histor. canonic. regul. cap.* 37 *nu.* 5. in Ecclesia Cantuar. fuisse simul monachos cum canonicis regularibus.

f *Exilium.*] Quod diuturnum passus fuit inclytus Martyr semel, atque iterum, vt ex varijs etiam Protestantibus probat Smitheus *d. lib.* 7. *cap.* 6.

g *Bald.*] Balduinus videlicet, quadragesimus Archiepiscopus Cantuar. de quo Smitheus *d. lib.* 7. *cap.* 8.

h *G. Papæ.*] Gregorij videlicet VIII.

i *R. Anglorum Regem.*] Richardum videlicet I. qui dictus fuit Cor Leonis, 38. Rex Angliæ, qui regnauit ex anno 1189. vsque ad annum 1199. vt probat Smitheus *in floribus Angliæ, lib.* 4. *cap.* 6.

k *C.*] Cęlestini videlicet III.

l *In loco publico.*] *L.* 2. §. *si Princeps, ff. ne quid in loco publico*; quam illustrat Forner. *lib.* . *rer. quotid. cap.* 16.

m *Sub prætextu.*] Vt probaui *in cap.* 21. *de re iudic.*

n *Scandalo dimittenda.*] Vt probat latè Salgado *de retent. Bullar. p.* 1. *cap.* 4.

C A P V T III.

Honor. III. *Decano, Præposito maioris Ecclesiæ, & Magistro Michaeli canonico S. Nicolai a Ambian.*

Significantibus Canonicis *b* sanctæ Opportunæ Parisien. nobis innotuit, quòd cùm super eo, quod Nicolaus Rebuffus ciuis Parisien. in quadam platea Ecclesiæ suæ, infra claustrum ipsorum sita, eis prohibentibus, in suum ædificabat præiudicium & grauamen, deposuerunt coram Officiali Parisiensi, & *c* Archidiacono quæstionem, eis offerentibus in continenti probare præiudicium, & plateam ad suam Ecclesiam pertinere; ac petentibus insuper, non obstante quòd dictus N. cautionem de demoliendo opere offerebat, ædificium prohiberi. Et quia idem Officialis interloquendo decreuit, probationes eorum admittendas esse, ac ab opere interim

Digitized by Google

terim quiescendum, idem N. ad Senon. Curiam prouocauit. Sed cùm Senon. Officialis Nicolai prædicti cognatus, eadem interlocutoria pro suæ dumtaxat voluntatis arbitrio reuocata decreuit ad opus sub cautione de demoliendo ipso, non admissis eorum probationibus, procedendum, prædicti Canonici nostram audientiam *d* appellarunt: vnde petebant, vt ipsorum probationes recipi, ac prohiberi ædificium mandaremus. Ideòque disc. v. per Apost. scripta mandamus, quatenus si est ita, reuocato in statum debitum quidquid post appellationem huiusmodi temerè inueneritis attentatum, super hoc, quod iustum fuerit, appellatione postposita statuatis, facientes, &c.

NOTÆ.

a AMbian.] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. vnic.* ex qua transcribo reatum hunc. De Ambianensi diœcesi nonnulla adduxi *in cap. 3. de frigid.*

1 b *Sanctæ opportunæ.*] Ecclesia hæc est collegiata in vico sancti Honorati vrbis Parisien. vt refert Cironius in præsenti.

2 c *Parisiensi, & Archidiacono.*] In sexta collectione legitur *Parisiensis Archidiaconi*, vt ita officialis esset vicarius Archidiaconi Parisiensis. Qua lectione retenta, quomodo in præsenti appellario potuisset interponi ad Archiepiscopum Senonensem, omisso medio, videlicet Episcopo Parisiensi, exposui *in cap. 66. de appellat.*

d *Appellarunt.*] Quando in iudicio noui operis nuntiationis appellatio admittatur, opereturque vtrumque effectum, suspensiuum, & deuolutiuum, exponunt Lancellotus *de attentat. 3. p. cap. 28. à num. 44.* Salgado *de Regia protect. 2 p. c. 8. ex n. 32.* vbi explicat præsentem textum. 3

CAPVT IV.

a Gregorius IX.

IS, cui opus nouum te nuntiasse proponis, non obstante cautione, quæ offertur ab ipso de opere destruendo, si non iure ædificatum existat, tenetur, te per trium mensium spatium expectare, iuris tui præiudicium probare volentem.

NOTÆ.

a GRegorius IX.] Qui præsentem constitutionem edidit motu proprio, iuxta principia iuris ciuilis, vt statim dicemus.

COMMENTARIVM.

1 Probatur conclusio & traditur.

IN his omnibus decretalibus vna, eademque docetur sententia, quæ talis est: *Ædificium constructum post noui operis nunciationem, demoliendum est, nec audiri debet dominus, si satisdationem offerat, & de iure suo docere paratus sit.* Probant eam textus *in l. 1. §. sed etsi is, l. Prætor 20. §. 1. l. stipulatio 21. §. 1. ff. hoc tit. l. 3. §. si quis paratus, ff. quod vi aut clam, l. 8. tit. 32. partit. 3.* Illustrant Federicus Scotus, & Duarenus *ad tit. ff. de noui oper.* Idem Duarenus *lib. 1. disp. cap. 16.* Petrus Gregor. *lib. 4. synt. cap. 26. cum sequent.* Donel. *lib. 15. comment. cap. 45.* Fachineus *lib. 8. controuers. cap. 44. cum sequent.* Reuardus *lib. 3. coniect. cap. 12.* Cuiacius *lib. 40. Pauli ad edict. l. non solùm 8. ff. hoc tit.* Faber *lib. 3. coniect. cap. 8. & lib. 19. cap. 5.* Sehifordeg. *ad eundem, lib. 2. tract. 7.* [illegible] 1. Robertus *lib. 3. senten. cap. 16. cum sequent.* Spa[illegible]hius *in comment. ad hunc tit. ff.* Gaillus *lib. 1. obseru. cap 16.* Forcatul. *in Necyomant. dialog. 11a.* Gomez *in l. 46. Tauri, ex num. 19.* Merillus *lib. 3. obseru. cap. 20.* Danid Argente *select. in notis ad tit. hunc ff.* Academiæ nostræ luminaria magna D. Melchior de Valent. *lib. 2. illustr. tract. 1. cap. vlt.* & D. Ant. Pichard. *in §. summa, Instit. de interdict. cap. 8.* Masius *lib. 4. singul. cap. 15. & 16.*

2 Conclusio traditur, & probatur.

Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Et primò in eam partem, in qua asseritur, iure, vel iniustitia denuntiationem factam impedire ædificationem, argumentor ita. Iniquum est nunciation notoriè iniustæ parere, quia ius nihil iniustum patitur, *l. 1. ff. de iust. & iur. l. quod si Ephesi, ff. de eo quod certo loco, l. meminerunt 6. Cod. vnde vi;* ideò iniustam nunciationem non impedire ædificij constructionem, docetur *in l. Papinianus, ff. de publicana.* Itaque enim impunè contemni docetur *in l. tutor 49. ff. de minor. l. si minor, Cod. de rescind. l. 1. Cod. debitorem venditionem pignor.* Ergo cùm iusta est nunciario operis, non debet impediri Ecclesiæ constructio. Augetur primò hæc difficultas, nam publicè interest Ecclesias construi, & ædificari, vt populus in eis congregetur ad diuina officia celebranda, Deumque venerandum, vt probaui *in tit. de consecr. Ecclesiæ.* Igitur iniusta nunciatione non debet prohiberi opus ita pium. Accedit, nam in præsenti casu nunciantes nouum opus habebant interdictum *vti possidetis* vt in sua possessione Ecclesiæ baptismalis conseruarentur; & si contrà adhuc Ecclesia ædificaretur, habebant interdictum *quod vi aut clam.* Igitur non indigebant hoc edicto noui operis nunciationis. Augetur tandem hæc dubitandi ratio ea eo; nam si is, cui nouum opus nunciatum est, paratus sit satisdationem pro se, & hæredibus suis præstare de eo opere suis sumptibus demoliendo, & id quod nunciantis interest soluendo, si appareat, ædificantem ius ædificandi non habuisse, remissa nunciatione, conceditur ei facultas ædificandi, *l. de pupillo 5. §. si is cui nunciatum, l. non solùm 8. §. si cùm possem, & §. sciendum, l. Prætor 20. §. si quis paratus, §. interdum, §. deinde, §. hoc autem, l. stipulatio 21. §. si quis autem, hoc tit.* Ergo non rectè *in cap. penult. & fin. hoc tit.* docetur, etiam cautione illa oblata non posse intra tres menses eum cui opus nouum nunciatum est, ædificare.

Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, nunciare plerumque accipi pro deferre, & prodere: inde delatores criminum nunciatores appellantur *in leg. ab accusatione 6. §. nunciatores, ff. ad Turpil.* Cuiac. *lib. 1. obseru. cap. 38. & lib. 3. cap. 3.* & fisco nunciare est illi aliquid deferre, *l. 1. §. fin. ff. de iure fisci.* Vnde tacitum fideicommissum dixit Paulus *in l. edicto 13. §. cùm ante, ff. de iure fisci:* plura Brissonius *de V. S. verbo Nunciatio.* In *curator, 17. ff. hoc* præsenti autem nunciare idem est, ac prohibere, *l. si protit.* & nunciare nouum opus nihil aliud est, quàm denunciare, vel prohibere, testatione adhibita ne opus nouum fiat, *l. si quis 6. §. vrbs eius, ff. commun. diuid. l. 1. in princip. l. de pupillo 5. §. meminisse, l. Prætor 20. in princip & §. deinde, ff. hoc tit.* Petrus Gregor. *lib. 4. syntag. cap. 27.* Duarenus *lib. 1. disp. cap. 16.* Donel. *lib. 15. comment. cap. 45.* Vnde noui operis nunciatio, restatio, denunciatioque appellatur *in d. l. de pupillo 5. §. meminisse, l. 1. §. sed etsi, ff. quod vi aut clam.* Est autem nunciatio hæc legitima prohibitio in re præsenti, & immobili vicino facta, ne in opere ædificando pergat, quo nobis noceat, donec de iure ædificationis constiterit, aut præstita sit eo nomine satisdatio. In qua definitione ponitur *legitima prohibitio*, vt constet, non quamcumque nunciationem sufficere, sed quæ fit debito tempore, & loco, & à personis legitimis, vt infrà dicemus. Ponitur etiam, *in re præsenti*, vt cognoscatur nunciationem faciendam esse in loco, vbi opus fit, seu inchoatur, *d. l. de pupillo 5. §. nunciationem, & §. si quis fortè 4. l. 1. tit. 32. part. 3.* Dicitur etiam, *& immobili*, vt cognoscamus, non omne opus nunciari posse, sed quod in solo ædificatur, *l. 1. §. hoc autem 6. ff. hoc tit. d. l. 1. partitæ:* & ita si quis messem faciat, arborem succidat, vineam putet, quamuis nouum opus faciat, ad hoc edictum non spectat, *d. l. 1. §. 6.* Nec contrarium probatur *in l. si alius 7. §. notauimus, ff. quod vi aut clam:* cuius veram interpretationem tradunt Valentia *vbi suprà, c. 3.*

3 Nunciatio quid.

Pr-

Digitized by Google

Pichardus *cap. 2. num. 206.* Dicitur etiam *vicino facta*, vt sciamus nunciationem fieri debere personæ, aut operi ipsi, iuxta legem *operis* 10. legem finalem, *ff. hoc tit.* quas explicat Pichardus *d. cap.* 2. In illis verbis: *Nec in nouo opere*, &c. comprehenditur causa huius nunciationis, ne videlicet vicinus opere suo, quod ædificat, nobis noceat, *d. l. de pupillo* 5. *§. meminisse*, & *§. sed si in ædes*: & ita per hanc nunciationem legitimè factam statim nouum opus sistit, & inhibetur, *l. 1. in princip. d. l. de pupillo* 5. *§. si quis fortè*. An verò hoc faciat Prætor edicto, vel interdicto suo, pro conciliatione dictæ legis 1. cum §. legis *Prætor* 29. *§. hoc interdictum, ff. eod.* examinant Valentia *d. cap. 1. num. 7.* Muretus *obseruat. iur. cap.* 14.

4 De modis nunciationis. Deinde sciendum est, nunciationem noui operis tribus modis fieri posse. Primò solo verbo, quando quis extra iudicium aduersario denuntiat, ne quid exinde noui operis faciat. Secundò per Prætorem, iure ordinario, mediante interdicto. Tertio non verbis tantùm, sed facto, videlicet per iactum lapilli, cùm in opus cœptum iactatur, *l. quamuis* 50. *ff. de acquir. rer. dom.* quos modos expresserunt Vlpianus *in d. l. de pupillo*, *§. meminisse*, ibi: *Meminisse autem oportebit, quotiens quis in nostro ædificare, vel in nostrum immittere, vel proijcere vult, melius esse eum per Prætorem, vel per manum, idest lapilli iactum prohibere, quàm operis noui nunciatione.* Ex *l. 1. §. sed & si quis, ff. quod vi aut clam*, ibi: *Sed & si quis iactu vel minimi lapilli prohibitus facere perseuerauerit facere, hunc quoque vim fecisse videri, Pædius, & Pomponius scribunt, eoque iure vtimur: sed & si contra testationem, denunciationemque fecerit, idem esse Cascellius, & Trebatius putant; quod verum est.* Paulus *in l. vi facit* 20. *§. prohibitus, ff. quod vi aut clam*, ibi: *Prohibitus autem intelligitur quolibet prohibentis actu, idest vel dicentis se prohibere, vel manum opponentis, lapillumue iactantis prohibendi gratia.* Ex *l. 1. tit. 32. partit. 3.* explicant suprà congesti pro illustratione conclusionis, & Corrasius *in rubric. ff. hoc tit.* Reuardus *in l. quæ tutela* 73. *§. vlt. ff. de R. I.* Pichardus *vbi suprà*, *cap. 3. per totum.* Valentia *d. lib. 2. cap. 1. num.* 10. Rationem autem, quare lapidis iacto nuntiatio fiat, assignat Cuiacius *in l. 4. §. etsi fortè, ff. si seruitus vindicetur.* Quia lapilli iactus signum erat belli, vt apud Liuium & Virgilium *lib. 9. Æneid.*

—— iaculum intorquens immittit in hostes
Principium pugnæ.

Sicut & iactus chirothecæ pro duelli indictione ponitur apud Matthæum Paridem. Aliam rationem huius nunciationis tradit Cironius in præsenti, desumptam ex eo, quòd sicut apprehendendæ possessionis nota est cespitis, vel glebæ assumptio, vt constat *ex l. 2. ff. de acquir. possess.* Gellio *lib. 2. noct. cap.* 17. iunctis traditis *in cap. 2. de consuet.* ita & interuertendæ, turbandæ, vel amouendæ cespitis iactura, cùm scilicet iactatur lapis, vel gleba contra aduersarium occupantem, vel noua parantem; ita vt nouum opus, vel ædificium turbatum, & prohibitum censeatur iactu lapidis, idest ruina, & destructione; ideòque per ruinam & iactum vnius lapilli prohibitio fieri existimatur: & qui vnicum lapidem ex nouo opere dimouerit, censetur nuntiasse nouum opus, & iactus fit vt liqueat, qua parte nouum opus nunciatur, & prohibetur, à quo interim sit abstinendum, *d. l. de pupillo*, *§. qui nuntiat.* Sed licèt olim hæsitaretur, vtrùm in hac nunciandi forma verba desiderarentur, hodie tamen placuit, verba necessaria esse, *l. 1. tit. 32. partit. 3.* ibi: *La segunda esto, mando alguna piedra en la muro, hechandola en aquella labor, diziendo todas aquellas palabras que dezimos, que debe dezir en el primer vendamiento.*

5 De nouo opere ad nunciationem necessario. Deinceps sciendum est, tantùm nunciari posse nouum opus, quod quis facit in solo proprio, siue inchoat facere, *l. Prætor 20. hoc tit.* vnde si quis ædificium vetus fulciat, seu reficiat, huic nunciationi locus non est, quia non facit opus nouum, sed veteri sustinendo remedium adhibet, *l. 1. §. si quis ædificium, ff. hoc tit. l. vlt. ff. de cloacis, l. 2. §. si quis quid, ff. ne quid in loco publico, l. 3. §. opus quoque, de alienat. iudic. d. l. 1. partitæ.* Quia verius est, eum, qui reficit, opus nouum non facere, cùm pristinum statum, & formam operis non mutet, sed potiùs corruptam restituat, *l. 1. ff. de vi pub. l. 3. §. reficere, ff. de itinere, actuque, l. 1. ff. de riuis.* Et ita prohibitus ædificare, non censetur prohibitus reficere, *l. intra 5. l. omnes 11. l. nemo 13. Cod. de operibus public.* probaui *in cap. quia, de Iudæis.* Debet autem in tali refectione custodiri forma antiqua ædificij, aliàs si mutetur, nunciationi locus est, *l. qui luminibus 11. ff. de seruitutibus, l. 3. §. reficere, ff. de itinere actuque priuato, l. 1. §. si quis terrenum, l. Seruius 3. §. 1. ff. de riuis, l. fin. in fine, C. de seruitut. & aqua, l. 1. C. de ædific. priuat.* Nec contrarium probat Pomponius *in l. refectionis 11. ff. communia prædiorum*, dum docet, posse eum, qui aquam ducit, vel deprimere riuum, vel alleuare. Loquitur enim ibi Consultus de eo, qui iure constitutæ seruitutis aquam ducit; ideòque omnia facere potest, quæ sunt necessaria, & sine quibus vti seruitute aquæductus non posset, *l. si item 10. ff. de seruit.* notauit Faber *in ration. ad illum textum.* Causæ autem, ex quibus nunciatio noui operis fit, triplices dari solent; naturalis, publica, aut imposititia. Naturalis causa est, quoties in nostro solo ædificatur vt in proprias ædes; ita appellata, quia omnia ædificia iure naturali libera sunt, & creduntur, nisi probetur, seruitutem illis impositam esse, *l. cum eo 9. l. inter 15. ff. de seruitut. vrban. l. altiùs 8. Cod. de seruit.* Publica autem dicitur, quotiens quis officit loco publico, aut ædificando facit contra leges, Senatusconsultaue, aut modum ædificijs per ea præscriptum, *l. 1. §. nunciatio fit*, & *§. nunciamus, l. 3. §. vlt. cum l. sequent. l. non solùm 8. §. quod si nuntiauero, ff. hoc tit. l. 1. & 3. C. de ædific. priuat. l. 3. tit. 32. part. 3.* Explicat eruditè Valentia *vbi suprà*, *cap. 4.* Impositia nunciationis causa datur, si quis contra impositam prædio suo, vel alieno seruitutem aliquid molitur, aliquodue opus contra seruitutem facit: quo casu nunciatio hæc locum habet, *l. de pupillo 5. §. sed & si, l. non solùm 8. in principio, ff. hoc tit. l. inter 15. ff. de seruitut. vrban. l. & si fortè 6. in fin. ff. si seruit. vind. l. in iudicio 48. ff. famil. ercisc. l. 5. tit. 32. part. 3.* & semper nunciatio fit, aut iuris nostri conseruandi, aut damni depellendi, aut publici iuris tuendi gratia, vt docent, & exponunt Pichardus *suprà, cap. 4.* Duarenus *ad hunc tit. cap. 9.* Schifordeg. *lib. 2. tract. 7.*

Vt ad personas, quæ opus nuntiare valent, deueniamus, sciendum est, eos nunciare posse nouum opus, quorum interest illud non fieri, & qui aliquod ius in re habent, *l. de pupillo 5. §. & velle, l. creditori 9. ff. hoc tit. l. vnic. §. ius habet, ff. de remiss. l. inter 15. ff. de seruitut. l. in iudicio 47. ff. famil. ercisc.* etiamsi sit ratione seruitutis, vt probat latè Valentia *d. lib. 1. cap. 5. per tot.* ideòque superficiarius, emphyteuta, & similes possunt nouum opus nunciare, *l. in prouinciali 3. ff. hoc tit. §. si ego, l. 1. ff. de superficiebus, l. fin. Cod. de iure emphyt.* quia ipsius fundi, & seruitutum vtilis est eis concessa vindicatio, *l. in speciali 73. in fin. cum leg. sequent. ff. de R. V. l. 1. §. 1 ff. de superfic.* Faber *lib. 20. coniect. cap* 11. Item creditor, qui pignori fundum accepit, nouum opus nunciare valet, *l. creditori 9. ff. hoc tit. l. vnic. in fine, ff. de remiss.* quia habens pignus possidet, vt probaui *in cap. 3. vt lite non contest.* & si in communi loco opus fiat, quilibet ex sociis nunciare valet, *l. 3. §. si in loco, ff. hoc tit l. 4. §. vlt. ff.* [illegible] *V. O.* nisi alter socius sit, qui ædificat. Explicat Va[illegible] *d. tract. 1. cap. 6.* Item tutor, & curator, cum domini loco habeantur, *l. qui fundum 7. §. si tutor, ff. pro emptore, l. tutor 27. ff. de administr. tutor.* nouum opus nunciare possunt, *l. & si 7. in fin. ff. hoc tit.* pupillus verò sine tutoris auctoritate nunciare nouum opus non valet, *d. l. de pupillo 5.* item nunciare non possunt nouum opus colonus, vel inquilinus, *l. 3. §. si ego, ff. hoc tit.* Item seruus, *d. l. de pupillo 5. §. seruo*; quia quoad ea, quæ iuris sunt, personam non habent, *l. quod attinet 32. ff. de R. I.* vnde cognoscitur, in casibus relatis *in cap. 1. 2. & 3. hoc tit.* potuisse canonicos, ac clericos nunciare nouum opus, ne noua Ecclesia in eorum præiudicium construeretur. Tum quia legitimam personam standi in iudicio habebant: tum quia magnum præiudicium ex constructione nouæ Ecclesiæ baptismalis, vel collegialis illis sequebatur.

6 De personis, quæ nunciare possunt.

His suppositis, vt effectus nunciationis noui operis agnoscamus, sciendum est, post nunciationem factam, siue iure, siue iniustitia, sistendum esse in opere, nec vltra progredi posse ad ædificij constructionem, *l. 1. in princip. l. de pupillo 5. §. si quis fortè, vers. quod idcircò, l. non solùm 8. §. sciendum, l. Prætor 20. §. 1. ff. hoc tit. l. 8. tit. 32. partit. 3.* quia satius est ante datum damnum occurrere, quàm post illud illatum remedium quærere, *l. fin. Cod. in quibus causis in integr. restit.* & ita per nunciationem legitimè factam cessandum est ab opere, quod perfectum iniuriam, damnumque vicino inferret; & si adhuc post 7 Traditur ratio decidendi.

nun-

Digitized by Google

nunciationem ædificatum sit opus, ante omnia demoliendum,& restituendum est propter contemptum ipsius nunciationis; nam cùm per nunciationem iuxta interdictum Prætnris cessari debuisset ab opere, qui illud adhuc perficit, in pœnam huius contemptus cogitur illud proprijs expensis destruere. Accedit, nam nunciatio hæc habetur ad instar appellationis extraiudicialis: Lancellotus *de ottentatis*, 2. *p. c.*20. *n.*27 & ita sicut innouata post appellationem extraiudicialem, vt attentata ante omnia reuocantur, vt probaui *in c.*1. *de appellat.* ita ædificata post nunciationem, tanquam attentata sunt ante omnia reponenda proprijs expensis: quare qui nouum opus nunciat, si quid operis iam tunc factom est, in testationem referre debet, vt posteà apparere possit, quid ædificatum sit, *l. nou solùm* 8 *§. qui opus*,& *§. sciendum, ff. de noui oper. nuuc.* vno autem casu tenetur quis pati destructionem operis, non autem proprijs expensis ad demolitionem cogi; cùm videlicet domino absente, & nunciationem ignorante, ab opificibus nunciatione spreta, opus perfectum est; nam tunc patientiam tantùm præstat, non tamen expensas, *l. competit* 16. *§. fin. ff. quod vi aut clam.*

8 *Dissoluitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam nunciatio operis, siue iure, siue iniuria facta, tunc demùm operis progressum impedit, cùm de iure nunciationis potest dubitari; nam si compertum, exploratumque fuerit, eum, qui nouum opus nunciat, nunciandi ius non habere, vel propter incapacitatem personæ, veluti si seruus, vel pupillus sine tutoris auctoritate; vel vsufructuarius domino nunciauerit, *l.*2. *l. de pupillo* 5. *in princip.* & *§. seruo, hoc tit.* talis nuociatio nullum producit effectum, & per consequens opus impunè perfici poterit, *l.* 1. *§. fin. cum l. sequenti, l. de pupillo* 5. *§. si plurium, ff. hoc tit.* Item si notoriè iniusta causa sit, Gaillus *lib.* 1. *obs. c.*16. vnde Prætor, teste Vlpiana *in l.* 1. *ff. de remiss.* missam facit nunciationem eius, cui ius prohibendi nullum esse apparet, vt eleganter subdit Vlpianus § 1. dictæ legis, ea verba Prætoris ostendere, *remissionem ibi demùm factam, vbi nunciatio non tenet.* Sic enim in Florentinis legitur *in d. l.* 1. *ff. hoc tit.* & sic legendum suadent Pichardus *in §.* 1. *de interdict. n.*340. Valentia *tom.*2. *illustr. tract.*1. *cap. vlt. n.*10 ex Roberto, contra Cuiacium *lib.*1. *obs. c.*16. & *lib.*19. *c.*17. quomodo accipitur dicta lex 1 *hoc tit.* de illa nunciatione, quæ vt inutilis remittitur à Prætore, vt ait Duarenus *in l.*2. *hoc tit.* verùm tunc fortiùs objicies, Vlpian. *in d. l.* 1. docere nunciationem valere, siue iure, siue iniuria: ergo non potoit remitti nunciatio illa tanquam sine iure; quę sine iure valet, ex sententia Vlpiani. Sed dicendum est, dupliciter sine iure opus nunciari: aut nunciatur apertè sine iure, & hoc casu nunciatio inutilis est; aut nunciatur sine iure, sed dubiè, vt nuncians ius aliquod habere videatur: qun casu nunciatio vtilis est, vt docent Valentia, & Pichard. *suprà*, Donel. *lib.* 15. *comment. c.*46. Vnde sensus dictæ legis 1. est, nunciationem, quæ iniuria fit, attamen à patientia bona tunc remitti; siue hactenus non remitti, quando prohibendi ius non habuisse ounciatorem constiterit. Nec obstat quod dicebamus, publicè interesse Ecclesias construi ad diuina officia celebranda; nam id procedit dummodo inde præiudicium tertio non sequatur, vt in casu textus *in c.* 1. 2. *&* 3. huius tituli contingebat; nam tunc noua Ecclesia cum tertij præiudicio construi non debet. Nec obstat, quòd dicebamus de interdictis *vti possidetis*, & *quod vi, aut clam:* nam interdictum *vti possidetis*, requirit possessionis probationem, *l.* 1. *&* 2 *ff. vti possidetis, §. interdictum, Instit. de interdict.* nunciatio autem noui operis solùm exigit, vt probetur nouum esse, & insolitum opus, quod fit, simulque nuncianti nocere. Deinde interdictum *vti possidetis*, iudicis sententiam petit, nunciatio verò statim opus sistit, *l.* 1. *§. nunciatio, l. de pupillo* 5. *§. si quis fortè, ff. hoc tit.* & interdictum *quod vi aut clam*, in eo à nunciatione differt, quod interdictum illud ad opus iam perfectum pertinet, nunciatio autem non aliter locum habet, quàm si opus cœptom perfectum sit, *l.*3. *in princip. ff. de mortuo inferendo, l.* 1. *§.* 1. *ff. hoc tit.* quas & alias differentias prosequitur Ant. Gomez *in l.*46. *Tauri, n.*22. Nec tandem obstat, quod de satisdationis oblatione dicebamus; nam licèt olim satisdatione præstita, vel oblata, reus possit cœptum ædificium consummare, qoia plerumque in proprio solo ædificanti valde iniuriosum, & damnosum erat, si iam paratis, & asportatis lignis, conductisque fabris opus sisteretur; tamen nouo iure legis vnicæ, *C. hoc tit.* quod sequuti fuerunt Honorius III. & Gregorius IX. *in cap. penult. & fin. hoc tit.* statutum est, vt nuntiator noui operis non compellatur infra tres mẽses satisdationem accipere, sed infra illud tempus causam dirimere iudices curent, & opus cesset. Consonat lex 9. *tit.*32. *partit.*3. Sed adhuc iuxta eam constitutionem, & ius antiquum tres casus sunt distinguendi. Primus, est cùm ædificans offert satisdationem, & nunciator eam recipit: quo casu iuxta ius antiquum ædificium perfici potest, non expectato trium mensium spatio. Secundus est, in quo nuntiator non vult satisdationem admittere, nec offert se ad probatinnem alicuius iuris, quod impedire possit opus; & in hoc etiam casu ille, cui nunciatum est, poterit statim ædificare, quia malitiosè, & causa vexandi aduersarium nunciasse videtur. Tertius est, quando nuntiator, cùm satisdationem non admittit, vult tamen probare causam, quam sibi asserit competere ad opus nouum impediendum, in quo locum habet noua decisio textus *in d. l. vnic.* approbata *in cap penult. & fin. hoc tit.* vt trium mensium spatium præstetur, intra quod ab ædificio supersedeatur. Illo autem elapso, si nondum lis decisa fuerit, præstita satisdatione ædificium perfici valeat, etsi controuersia nondum decisa fuerit: docuerunt Azor *in summa, ad tit. C. de ædific. priuatis*, Gomez *in l.*36. *Tauri, n.*34. Valentia *d. lib.*1. *cap. vlt.*

T I T V L V S XXXIII.

De priuilegijs, &c. excessibus priuilegiatorum.

C A P V T P R I M V M.

a Leo Papa.

ILlud sanè, quod ad sacerdotalem pertinet dignitatem, inter omnia volumus canonum statuta seruari, vt non in quibuslibet locis, neque quibuslibet castellis, & vbi antè non fuerunt, Episcopi consecrentur: cùm vbi minores sunt plebes, minoresque conuentus Presbyterorum cura sufficiat: Episcopalia autem gubernacula non nisi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oporteat præsidere; ne si, quod Sanctorum Patrum diuintus inspirata decreta vetuerant, viculis, & possessionibus, vel obscuris, & solitarijs municipijs tribuatur sacerdotale fastigium & honor, cui debent excellentiora committi, ipse sui numerositate vilescat. Quod nunc in sua diœcesi Restitutus Episcopus factum esse causatum est, & rationabiliter postulauit, vt si Episcopi eorum locorum, in quibus non debuerant ordinari, humana conditione decesserint, loca ipsa ad ius eius Antistitis redigantur, cuius fuerant antè priora: quia inutile est, vt sacerdotalis dignitas inconsiderata ordinantis facilitate superflua multiplicatione minuatur.

NOTÆ.

1 a LEo.] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & textus hic citatur ex ipso Leone à Burchardo *lib.* 1. *decreti, c.* 32. Carnotensi *p.* 3. *decreti, c.* 143. Gratiano *in cap. illud*, 80. *dist.* & reperitur inter opera ipsius sancti Doctoris *epist.* 87. *ad Episcopos African. per Mauritaniam Cæsarensem constitutos, c.* 2. ex qua textum hunc transcribo. De ipso sancto Pontifice nonnulla adduxi *in c.* 3. *de maiorit. & obed.* nescio tamen, quare Compilatores præsentem textum sub titulo *de priuilegijs*, compilauerint, cùm in eo de priuilegijs, aut excessibus priuilegiatorum nec verbum reperiatur.

COMMENTARIVM.

2 Conclusio traditur, & probatur. EX præsenti textu sequens communiter deducitur assertio: *Cathedra Episcopalis non in vicis, aut pagis, sed in ciuitatibus, & maioribus populis poni debet.* Probant eam textus *in cap. Episcopi, & per totam* 80. *dist. cap. audiuimus* 3. *q.* 2. *cap. in illis*, 90. *dist. c. Felix*, 16. *q.* 1. D. Clemens *epist.* 1. ibi: *Hoc tamen prouiso, ne in villis, castellis, modicisue ciuitatibus instituerentur, ne nomen eorum vile fieret.* Synodus Sardicens. *can.* 6. *Licentia verò danda non est ordinandi Episcopum, aut in vico aliquo, aut in modica aliqua ciuitate, cui sufficiat vnus Presbyter; quia non est necesse Episcopum fieri, ne vilescat nomen, & Episcopi auctoritas.* Et *epist.* 3. Concil. Francofordense *can.* 22. *Quod non oporteat in villis, nec in vicis Episcopos ordinari.* D. Gregor. Nazianz. *orat.* 20. *in laudem D. Basil.* Synodus Laodic. *can.* 57. *Quod non oportet in villis, vicis, aut agris Episcopos ordinari, sed visitatores, qui circumeant, constat.* Et *in cap. non debere*, 80. *dist.* Carthag. 2. *can.* 5. *Vt diœceses, quæ Episcopos nunquam habuerint, non habeant, nisi accedente tempore, crescente fide, multiplicatus Dei populus desiderauerit proprium habere Rectorem.* Carthag. 3. *can.* 42. Tolet. 12. *can.* 4. *Vt in locum villulæ supradictæ Aquis deinceps Sedes Episcopalis non maneat, nec Episcopus illic vltra constituatur.* Gregorius Magnus *ad August. Anglorum Episcopum*, ibi: *Memor quod in sacris canonibus præcipitur, vt minimè in villulis, vel modicis ciuitatibus ordinentur Episcopi.* Innoc. III *lib.* 14. *regestr. epist.* 149. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Hallierius *de Episcoporum necessitate lib.* 2. *epist.* 3. Balsamon *in d. can.* 6. *Concilij Sardic.* Lemaistre *lib.* 2. *de iur. Episc. c.* 12. & *de Episcoporum institutione*, Solorzanus *lib.* 4. *polit. c.* 5. & *tom.* 2. *lib.* 3. *c.* 5. Iul. Lauor. *var lucubr tit.* 4. *de elect. c.* 1. Petrus Gregor. *de benefic. c.* 14. Idem Petrus Gregor. *lib.* 1. *de repub. c.* 1. Rodricus Caro *in antiquit. Hispal. c.* 13. Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 1. *epist.* 5. Claudius Espenceus *in epist.* 1. *ad Titum, c.* 1. *digress.* 1. Turrianus *pro canonibus Apostolorum, lib* 2. *c.* 16. & *lib.* 3. *c.* 8. Cellotius *lib.* 4. *de hierarch. c.* 12. *§. fin.* Frances *de Eccles. Cathedr. c.* 4. *per tot.* Dartis *ad dist.* 101. Isidorus Moscon. *de Maiest. Eccles.* 1. *part. c.* 15. Desiderius Herald. *de auctorit. rei iudic. lib.* 2. *c* 15. Hallier. *in vindicijs Sorbon. lib.* 2. *c.* 2. *fol.* 227. Christ. Lupus *in can.* 6. *Concilij Sardic.*

3 Traditur ratio dubitandi. Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita insurgo. Ad commodiorem populorum instructionem, & disciplinam longè congruentius est, vt cuilibet Ecclesiæ etiam in vico, aut pago constructæ Episcopus præficiatur; cùm ita meliùs, ac faciliùs fideles instrui, ac mysterijs fidei imbui possint: & ita quamlibet Ecclesiam suo Pastori adhærere debere, docuit D. Cyprianus *epist.* 69. ibi: *Sacerdoti plebs adunata, & pastori suo grex adhærens.* Quam Episcoporum necessitatem, & vtilitatem agnoscentes veteres Ecclesiæ Patres, etiam in pagis, & oppidulis Episcopos constituebant, vt refert Sozomenus *lib.* 7. *c.* 9. ibi: *Per Scythiam cùm ciuitates sint multæ, vnum duntaxat hæ omnes Episcopum habent: apud alias verò nationes reperies contrarium, vbi & in pagis Episcopi ordinantur, sicut apud Arabes, & Cyprios ego comperi, & apud Nouatianos, ac Montanistas eos, qui degunt in Phrygia.* Quare Sinesius *epist.* 67. meminit Episcoporum creatorum in vicis Palerbisca, & Hydrace: & ait se ad eos accessisse, vt persuaderet quatenus de eligendo Episcopo deliberarent. Et *epist.* 76. scribit Oluiastis vici cuiusdam incolis Episcopi creatione opus fuisse. Innumera etiam exempla probant Episcoporum in vicis ordinatorum: Sabinensis, & Portuensis Episcopi propè Romam, vnam, aut alteram domum sui Episcopatus habent; idque faciliùs patebit percurrenti Conciliorum subscriptiones. In Concilio Arelatensi 1. subscribit Gregorius Episcopus de loco, qui est in portu Romæ: locum verò istum sine nomine fuisse ciuitatem nobilem nemo cogitauit: ergo quia in pagis, & oppidulis licet Cathedras Episcopales erigere. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam non solùm in vicis, & pagis, verùm & absque vllis locis consecrari Episcopos legimus, de quibus in Concilio Vernensi *can.* 13. cauetur: *De Episcopis vagantibus, qui parochias non habent, nec scimus de ordinatione eorum qualis fuit, placuit iuxta instituta Sanctorum Patrum, vt in alterius parochia ministrare, nec vllam administrationem facere debeant sine Episcopi (cuius est parochia) iussione.* Idem habetur in Concilio Carthag 2. *can.* 2. Carthag 3. *can.* 20. Quare in Concilio Matiscon. subscripserunt Episcopi sedes non habentes; & hos Episcopos Scotos appellarunt Patres Concilij Cabilon. 2. *can.* 43. cuius nomenclaturæ rationem illustrat Ciron. *lib.* 1. *obs. c.* 13. quare in canone 6. Concilij Valent. Hisp. cauetur, ne quispiam ordinetur Episcopus, qui priùs se localem futurum fore non promittat.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, ex dispositione Anacleti cautum fuisse, vt in locis, vbi apud Gentiles erant Primates Flaminum, Patriarchæ constituerentur; vbi Archiflamines erant, Archiepiscopi ordinarentur, *c.* 1. 99. *dist. cap. in illis* 2. 80 *dist.* & ita iuxta ciuilem, & politicam gubernationem Metropoles, & diœceses erigebantur: quod & cautum fuit in Concilio Chalcedon. *can.* 17. ibi: *Vt si ciuitas aliqua à Principe innouata fuerit, ciuiles, & publicas formas ecclesiasticarum quoque parochiarum ordo consequatur.* Synodus 6. Trul. *can.* 38. latè probat Frances *de Eccles. Cathedral. c.* 1. immò & Apostolos ipsos orbem ecclesiasticum in prouincias distribuisse, ad exemplum dispositionis ciuilis, quæ per illas tempestates vigebat in imperio, doctè probat P. Marcha *lib.* 6. *concord. cap.* 1. Non tamen adeò rigida fuit hæc disciplina Ecclesiæ, vt nunquam in minoribus pagis Episcopi ponerentur. Plerùmque enim legem hanc infregit priuata regionum, ac prouinciarum consuetudo; nam cùm ampliores erant Episcopatus, quàm vt eis Episcopi vnius in ampla ciuitate degentis cura sufficere posset, nullam vrbium dignitatis habebant rationem, satiùs putantes in oppidis, ac vicis Episcopum constitui, quàm Episcopali solicitudine destitui. Necnon auctoritas Principum sæcularium plurimùm in hoc præualuit. Sic Phædimus Amasæ Metropolitanus, Neocæsareæ vrbi, in qua decem & septem fidelium, non amplior, erat numerus, Gregorium Thaumaturgum primarium constituit Episcopum, auctore Gregorio Nysseno *in vita Thaumaturgi*. Similiter diuisa in duas prouincias Cappadocia Valentis imperio, Basil. Cæsareensis Metropolitanus, vt quodam modo damnum sarciret, Sasimorum Ecclesiam erexit in Cathedralem, & Gregorium Nazianzenum in ea Episcopum ordinauit, vt testatur ipse Nazianz. *orat.* 20. & refert Gregorius presbyter *in eius vita*. Qualis autem esset Sasimorum locus, Gregorius ipse describit carmine de vita sua:

4 De episcopatuum erectione.

In regiæ medio viæ est vicus situs
Qui scindit in tres se vias, lymphis carens.

Quamplurimos quoque in Africa, & in Ponticis regionibus Episcopos exiguorum oppidorum constitutos olim fuisse antiqua monumenta produnt: & certè Ioannes XXII. in extrauaganti *Saluator*, extrauaganti, *Nuper, de præbendis & dignit.* ob amplitudinem Tolosani Episcopatus alias Episcopales Sedes erexit in villis Laberensi, sancti Pauli, alijsque exiguis oppidis, vt referentes ipsorum Episcopatuum historiam tradunt Fratres Sarmath. *tom.* 2. & 3. *Gal. Christ.* Etiam Principes sæculares sæpiùs in vicis, & oppidis Episcopos constitui curarunt. Vnde cùm Stephanus olim Emeritensis Episcopus iussu Vuambæ Regis Gothorum motus in suburbio Toletano in Ecclesia Prætoriensi Episcopum præter morem & consuetudinem Ecclesiæ instituisset, pœnitentia ductus Patres Concilij Tolet. 12. cum lachrymis adortus est, veniamque labefactatæ disciplinæ precatus: quod factum Patres improbarunt, ac submouendos censuerunt Episcopos non modò ab eo suburbio, verùm ab alijs quoque obscuris, ac ignobilibus locis, in quibus per voluntatem Vuambæ Regis fuerant instituti. Et ita Patres sanxerunt: *Et ideò, quia indiscreto, & facillimo assen-*

assensu iniustis Vuambæ Principis iussionibus parens nouam, & iniustam illic Pontificalis Sedis prælectionem induxerit, vbi canonica institutio id fieri omni ratione refellit; prædictus idem vir prostratus humo, medicamine nostri præcepti, & sibi dari veniam petijt, & quid potissimùm oporteret fieri de persona eius, qui illic ordinatus fuerat, nostri oris sententia decernendum poposcit. Et quibusdam verbis interiectis, quibus proferuntur in medium veterum Patrum, ac Conciliorum sententiæ de maiestate & nobilitate Sedis Episcopalis, tandem Patres ita concludunt: *Vt in locum villulæ supradictæ Aquis deinceps Sedis Episcopalis non maneat, nec Episcopus illuc vltrà constituendus existat. Hic tamen Cuniuldus, qui contra maiorum decreta illic videtur institutus fuisse Episcopus, nullis canonũ erit ad condemnationem sui sententijs vlciscendus: quia non ambitione, sed Principis impulsione illic constitit ordinatus; & ideò illi hoc remediũ humanitatis concedimus, vt in Sede alia decedentis cuiuslibet Episcopi transducatur, & prædictus locus sub monastica deinceps institutione mansurus, nõ Episcopali vltrà priuilegio fretus, sed sub Abbatis regimine, sicut hucusque fuit, erit modis omnibus mancipandus.* Similiter cùm in Castro Dunensi, qui vicus est in Diœcesi Carnotina, Ægidius Episcopus Rhemensis ordinaret Episcopum Promotũ, conquestus fuit in Concilio Parisiensi 4. Pappolus Episcopus Carnotensis; & Patres ita decreuerunt: *Dominus Pappolus Episcopus mediocritati nostræ detulit in querelam, in Castro Dunensi, parœcia denique Carnotina, quod castrum nec ad territorium ciuitatis vestræ, nec ad vestram prouinciam manifestum est pertinere, à vobis cõtra omnem rationem, & contra canonicã disciplinam Episcopum consecratum. Et licèt secundùm prisca beatissimorum Patrum decreta potuit huiusmodi excessus in vestra iniuria acerbiùs coerceri; sed nos charitatis iura seruantes, beatitudini vestræ indicamus, vt presbyterum ipsum nomine Promotũ, qui omissa seueritate canonica à vobis dicitur tam temerè consecratus, vt iustè debeat de gradus ipsius dignitate deponi, sicut canonum constituta sanxerunt, ad vos euocetis, vel vobiscum retineatis, vt iniuriam nec Ecclesiæ, nec sacerdoti suo vlteriùs debeat irrogare.* Refert P. Marcha *part. 1. concord lib. 2. c. 9.* qui *lib. 4 cap. 13.* probat nouam creationem Episcopatus fieri posse à Pontifice ex consensu Principis sæcularis: & plura de erectione Ecclesiæ in Cathedralem, aut Metropolim tradunt Dart. *ad dist. vlt.* Solorzanus *tom. 2. de iure Ind. lib. 3. cap. 4. num. 1.*

5 Traditur ratio decidendi. Ratio autem, cur tot sacris canonibus cautum sit, ne in vicis, & pagis Episcopi constituantur, assignatur à B. Leone in præsenti, ne videlicet vilescat Episcopalis dignitas propter locorum ignobilitatem, & vt loci maiestate informati docerentur homines, de Episcoporum gradu, ac infulis magnificè semper cogitare. Accedit, nã in ciuitatibus frequenter plures sunt presbyteri, qui vt consiliarij adesse possint Episcopo in negotijs arduis. Item propter celebritatem vrbis facilè adiri posset Episcopus, vt sicut ad celebriorem vrbem omnes vicos, villulas, oppida iudiciorum, mercaturæ, & aliorum negotiorum causa conuenire oportet; ita & religionis gratia commodè concurrerent. Accedit, nam nemo lucernam ponit sub modio, sed super candelabrum: ideò dignitatũ ecclesiasticarum culmen, lucem humani generis, facem religionis, ac pietatis oportuit loco nobili, excelso, & illustri consistere: vnde ne assiduitate, si passim constituerentur Episcopi, eorum dignitas vilesceret, quæ in summa veneratione apud fideles debet esse; ideò in præsenti, & tot canonibus statuitur, ne in vicis, & pagis, sed in ciuitatibus, & locis populosis Episcopi ordinarentur.

6 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa ex epistola 69. D. Cypriani, cuius auctoritate motus Doctor Kelisonius existimauit, dari non posse Ecclesiam particularem sine Episcopo: quem doctè refellit Nicolaus Smitheus in discussione aliquarum assertionum ipsius Doctoris. Nec illi fauet D. Cyprianus, quia responderi potest, D. Cyprianum non definire, plebem adunatam esse Ecclesiam, & gregem adhærentem particulari sacerdoti, ac Pastori; sed indefinitè sacerdoti, & Pastori: quod tamdiù in nos quadrabit, quamdiù Episcopum, & Pastorem nostrum agnouerimus Romanum Pontificem. Quid quòd S. Cyprianus loquatur de ordinarijs Pastoribus potestatem habentibus in loca, & personas, catholicos, & hæreticos, permanenter, & non solùm ad beneplacitum? vnde conficitur, eius definitionem non competere delegato, sed adhuc necessarium nobis erit immediatum, & ordinarium nostrum Pastorem retinere Summum Pontificem. Cæterùm vt, quæ Cypriani verbis subsit sententia, aperiatur, prænoscendum est, dictam epistolam scriptam fuisse ad quendam Florinum, siue Florentium cognomento Pupianum, qui, vt aduertit Pamel. in suis ad illam epistolam annotationibus, hæreticus erat à secta Nouati, & per incautam, credulamque nimis temeritatem, confictis aduersùs B. Cyprianum criminibus, fidem commodauerat, ob quæ meritò deserendum à grege suo Sanctum, perinde ac si verus eorum non fuisset Episcopus, autumabat. Contra hanc falsam & seditiosam calumniam probat, non ille quidem, Ecclesiam Episcopo destitutam non esse particularem Ecclesiam, sed Ecclesiam, cui verus, & legitimus præsit Episcopus, diuidentem se tamen, & per schisma ab illo desciscentẽ, reuerà Ecclesiam omninò non esse, sed schismaticã congregationem. Quod hoc ita se habeat, ipsa Cypriani verba argumento sunt; cùm enim ex sacra pagina, *Ioannis c. 6* citasset: *Nos credimus, & cognouimus, quia tu es filius Dei viui*; addit: *Loquitur illic Petrus, super quem ædificata fuit Ecclesia Ecclesiæ nomine, docens, & ostendens, quia etsi contumax, ac superba obedire nolentiũ multitudo discedat, Ecclesia tamen à Christo non recedit, & illi sunt Ecclesia, & plebs tanquam sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Vnde scire debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse; & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quosdã cõmunicare se credunt, quando Ecclesia, quæ catholica vna est, scissa non sit, nec diuisa, sed sit vtiq; connexa, & cohærentium sibi inuicem sacerdotũ glutine copulata.* Manet ergo, D. Cyprianum non asserere, dari non posse Ecclesiam particularem absque Episcopo, & per consequens in vicis, & minoribus ciuitatibus eos non esse necessarios, nec constitui debere. Nec obstat augmentum ipsius difficultatis, quia verum est, olim ex causis suprà relatis nonnunquam Episcopos constitutos fuisse in locis, & pagis minùs populosis: quod posteà varijs canonibus prohibitum fuit, vt probatum manet.

Sed suprà traditis obstat textus in canone 10. Concilij Antioch in illis verbis: *Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamuis manus impositionem Episcoporũ perceperint, & vt Episcopi sint consecrati, tamen sanctæ Synodo placuit, vt modũ proprium recognoscant, vt gubernent subiectas sibi Ecclesias, earumq; moderamine, curaq; contenti sint. Ordinent etiam lectores, & subdiaconos, atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant.* Ex quibus verbis deducitur, in vicis & pagis Episcopos cõstitui posse. Ergo non rectè in præsenti asseritur, tantùm in ciuitatibus, & maioribus populis Episcopos ordinari debere. 7 Exponitur can. 10. Concil. Antioch.

Pro cuius canonis expositione examinandũ venit, vtrũ Chorepiscopi, qui olim in vicis, & pagis consecrabantur, quorumque mentio fit *in Concil. Niceno, can. 4.* Neocæsar. *can. 13.* Anycr. *c. 12.* Rhegiensi *can. 3.* Hispalensi *2. c. 7.* Metensi sub Stephano VI. *can. 5.* Meldensi *can. 44.* Parisiensi *can. 27. c. 1. dist. 68. c. 1. dist. 69.* essent veri Episcopi, an verò tantùm presbyteri. Et eos verè Episcopos fuisse, probatur primò ex dicto canone 10. Concilij Antioch. & ex Concilio Ancyran. celebrato anno 314. *can. 12.* Meldensi *can. 44.* vbi illis permittitur ordinare lectores, & subdiaconos, cùm hoc proprium sit Episcoporũ, vt probaui *in c. 3. de temporibus ordin.* & ex canone 2. Concilij Barchinon. 2. sub Recharedo: Felice IV. relato *in c. tabernaculum 2. c. sicut 11. de consecr. dist. 1.* vbi etiam refertur, licuisse Chorepiscopis Ecclesias consecrare; quod munus proprium est Episcoporum, *c. aquam*, vbi probaui, *de consecr. Eccles.* Deinde idem suadetur ex dicto Concilio Antiocheno *can. 8.* vbi cauetur, ne presbyteri, qui sunt in agris, literas canonicas dare possint, Chorepiscopi verò irreprehensibiles illas dare valeant. Ex quibus deducitur, discrimen versari inter presbyteros, & Chorepiscopos, quod nullũ aliud esse potest, nisi quod Chorepiscopi essent veri Episcopi; vnde Episcopi villani appellantur *lib. 1. capit. c. 9. & lib. 5. c. 168. & seq.* Facit tandem pro hac sententia Nicolaus I in quadam epistola ad Rodulphum Archiepiscopũ Bituric. relatus ab Hincmaro Rhemensi *ad calcem suorũ opuscul. pag. 716.* vbi *c. 1.* Pontifex ita scribit: *Chorepiscopis asseris multas esse in regionibus vestris ordinationes Presbyterorũ, & Diaconorũ effectas, quos quidã Episcoporũ deponunt, quidã verò denuò consecrant. Nos verò dicimus, nec innocentes oportere percelli, nec vllas debere*

bere fieri reordinationes reiteratas cōsecrationis. Ergo quia Chorepiscopi, vt veri Episcopi, ordines cōferre valebant.

8 De chorepiscopis. Contrarium verò, immò Chorepiscopos presbyteros honorabiliores, & primi gradus fuisse, non verò Episcopos, probatur ex epistolis 4. aliàs 5. Damasi de Chorepiscopis, & 86. siue 88. Leonis, ex quibus commentitia alia epistola compacta, & Ioanni III. adscripta extat *tom.3. Concil. editionis Seuerini Binij*; illarumque fragmenta habentur apud Gratianum *in cap quamuis 4. cum sequent. 86. dist. cap. per illicitam 3. 9. q. 1 cap. per illicitam 25. 1. q. 7. cap. si Petrus 8. q. 1.* Idem probatur ex Gelasio I. *epist. 9. ad Episcopos Lucaniæ, §. nec minùs*, Iunctis Concilio Neocæsar. *can. 13.* Nicæno 1. *can. 8.* vbi Chorepiscopi presbyteri appellantur ordinati in locum 70. seniorum. Secundò idem probatur ex eo, quia illis prohibetur munia Episcopalia obire in Concilio Regiensi *can. 1.* Hispalensi 2. *can. 7.* Parisiensi sub Gregorio IV. & Ludouico *can. 27.* Meldensi sub Sergio 2. *can. 44.* Metensi sub Arnulpho *can. 5.* epistola Montani Episcopi post Concil. Tolet. 2. in capitul. Caroli *lib. 1. c. 9. & lib. 5. c. 268. & lib. 6. c. 119. & 284. & lib. 7. c. 187. c. 310. 318. & 328.* apud Pacianum *serm. de baptismo*, & *epist. 5. ad Symmanchum*. Quibus auctoritatibus moti hanc sententiam tenuerunt Ayala *de tradit. Eccles. 3 part. considerat. 4.* Turrianus *ad can. 54. Concilij Nicæn.* Crespetius *in summa, verbo Chorepiscopi*, Lindembrog. *in Glossar. eod. verbo*, Vasquez *3. part. in 3. part. disp. 238 c. 4. n. 67.* Henriquez *in summa, lib. 10. c. 23. §. 2.* Barbosa *in cap. quamuis 4. n. 6. 68. dist. & lib. 1. iuris eccles. c. 15. & 16. & de potest. Episc. p. 1. tit. 1. c. 6. n. 22.* Cironius *ad tit. de offic. Archipresb.* Lantdmeter. *de veteri clerico, lib. 2. c. 97. §. ordinant*, Morinus *lib. 1. exercit. Eccles. c. 11.* Ioannes Cabassutius *in notitia Concil. in Concil. Ancyr. 1. fol. 31.* Vnde in Concilio Augustano sub Paulo III. *c. 7. in princip.* Græcorum Chorepiscopi comparantur nostris Archidiaconis, siue Archipresbyteris, vt apud Sigebertum *in chron. anno 384.* & diœceseon visitatores dicuntur in Concil. Laodic. *can. 57.* Vicarij Episcoporum in capitularibus Caroli, *lib. 7. epist. 310. & 328.* & forastici presbyteri in Conil. Brachar. 2. *can. 56.* post Cabassut. addit Morin. *de sacris ordin. exercit. 4. c. 1.*

9 Traditur vera sententia. In hac canonum varietate veriorem credo sententiam eorum, qui agnouerunt olim duo fuisse genera Chorepiscoporum; vnum eorum, qui verè erant Episcopi in aliena diœcesi commorantes absque iurisdictione Episcopali; aliud verò eorum, qui erant presbyteri tantùm, tametsi vtrique in vicis, & pagis curam gererent animarum, tanquam parochi, seu Vicarij Episcopi constituti, propter pauperum curam, qui in agris, & villis degebant: qui propterea quasi Coepiscopi dicebantur. Concil. Nicæn. 1. *can. 54. in collect. Alponsi Pisani*: quippe dictio *Chore*, à qua nomen Chorepiscoporum deriuatur, idem significat quòd Latinè oppidum, seu pagum. Damasus *d. epist. 5. versi. Ad villam*. Inter primos autem, & secundos magnum illud discrimen versatur, quòd Chorepiscopi primi à tribus Episcopis consecrabantur. Concil. Antiochen. *can. 10.* ibi: *Manus impositionem ab Episcopis susceperunt*. Et *cap. quamuis, in fine, 68. dist.* ibi: *Quanquam consecrationem habeant, Pontificatus tamen non habent apicem*. Idest quamuis verè sint consecrati Episcopi, non habent diœcesanam iurisdictionem. Alij autem Chorepiscopi non à tribus, sed tantùm ab vno Episcopo, vt presbyteri consecrabantur. Leo Pontifex *in d. epist. 86.* ibi: *Omnia quoque maxima Concilia sanciunt eum non esse Episcopum, qui minùs quàm à tribus Episcopis auctoritate etiam Metropolitani factus fuerit Episcopus; ideòque illos, quos Chorepiscopos vocatis, quia ab vno (vt audiuimus) fiunt Episcopo, Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali priuilegio agere debere perspicuum est; quoniam si nomen non habent, quomodo officium possunt habere*. Iuxta quam distinctionem facilè exponuntur iura suprà relata, ita vt Concilium Antiochenum, & alij canones relati pro prima sententia procedant in primis Chorepiscopis, qui verè Episcopi erant; sed quia iurisdictionem, nec diœcesim habebant, ideò consentiente Episcopo ordines cōferebant, *dicto can. 10. Concilij Antioch.* vel eo absente, Cōcil. Hispal. *d. can. 7.* ibi: *Absente Pontifice*. Docuerunt Balsamon, & Zonaras *in d. can. 10. Concil. Antioch.* Bellarminus *lib. 1. de cleric. tom. 1. contr. c. 17. & tom. 2. lib. 1. de sacram. Ordinis, c. 7. ad finem*, Suarez *de censur. disp. 11. sect. 2. n. 7.* Ioannes Dartis *lib 1. de Episcop. & presbyt. c. 7.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 174. pag. 93. & epist. 125. pag. 79.* Iuretus *in notis ad Carnot. epist. 240.* Cellotius *lib. 4. de hierarch. c. 17. §. fin.* Sauarus *in not. ad Sidon. lib. 7. epist. 8.* Hallierius *de sacris elect. 2. part. sect. 5. c. 2. §. 2. n. 10. & in vindicijs, fol. 221.* Gibalin. *de clausur. regul. disq. 3. c. 2. §. 2. n. 10.* Magni Preceptores, patrieq;, & Academię nostræ decus, Illustr. D. Frãc. Ramos *pro Episcopat. Lusit. propos. vlt. §. 5. n. 159.* D. Martinus Lopez de Hontiberos *in tract. de sacram. Ordinis, tr. 3. 1. part. n. 23.* P. Marcha *p. 1. concord. lib. 2. c. 153.* Frances *de Eccles. Cathed. c. 1. nu. 128.* P. Bollo *in œconom. class. 5. c. 2. §. 4.* Beyerlinch *in theatro, verbo Chorepiscopi*, Macedo *de clau. Petri, lib. 1. c. 3.* P. Laura *in sua epit. verbo Chorepiscopus*, Dartis *de benef. sect. 1. c. 2.*

Secundò suprà traditę assertioni opponi potest quædã subscriptio Concilij Chalcedon. *part. 2. actu 2.* vbi subscribit quidam Noe Episcopus Cephæ Castellæ: ex qua subscriptione constat, Episcopum illum ordinatum fuisse in castello: ergo quia in vicis, & pagis possunt Episcopi ordinari. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, castellū in ea subscriptione significare celebre castrū aliquod, sub quo plura alia consistebant; cuius generis plura erãt in Oriẽte. Philip. Berterius Pitha *diatrib. 1. c. 6.* 10 Exponitur quædam subscriptio concil. chalcedon.

Deinde superiori assertioni obstat textus in Concilio Sardicensi, vbi Gaudentius Episcopus dixit: *Vnusquisque nostrum, qui in canali constitutus est, cùm progredientem Episcopum viderit, inquirat transitum, causas videat, quò tendat agnoscat; & si quidem eum inuenisset ire ad comitatum, requirat & illud, quod superius comprehensum est, nisi fortè inuitatus, facultas eundi permittatur: si verò propter desideria, & ambitiones ad comitatum pergat, nec in literis eius subscribatur, nec in communionem recipiatur*. Ex quibus deducitur, Episcopum in canali, & ita in vico, & loco minùs populoso ordinatum, fuisse, & per consequens non semper in ciuitatibus, & maioribus locis Episcopos constitutos fuisse. Pro cuius textus expositione sciendum est, canalia esse publica loca, per quæ cursus publicus peragebatur, *l. agentes 2. Cod. Theodos. de curiosis*, ibi: *Nec verò multos esse per singulas prouincias iussimus, quippe sufficit duos tantummodò curas gerere, & publicum cursum gubernare, vt licèt in canalibus publicis hæc necessitas excusetur, numerus tamen amplior esse non debeat*. Et *l. mancipium 15. eod. Cod. de cursu publico*: ne sit cuiusquam tam insignis audacia, qui parangarias, aut parauedos in ciuitatibus ad canale debeat commouere, quominus marmora priuatorum vehiculis prouinciarum appellantur. Apuleius *lib. 6. & 9. de Asino aureo*: notarunt Guther. *lib. 3. de officijs domus, cap. 15.* Cuiac. *lib. 15. obser. 18.* Cironius *lib. 2. obser. c. 14.* Vnde Episcopi in canali constituti, in dicto canone Concilij Sardic dicuntur, qui sedes habebant in cursu publico, via videlicet, qua equi publici dispositi erant per stationes singulas ad iter faciendum, de quibus Athanasius *apolog. 2.* postquã enumerauit Episcopos, qui ex Hispania, Gallia, & alijs prouincijs Sardicam conuenerant, ait: *Hi qui venerũt ex canali Italię, erãt Probatius, Viator*. Obseruarũt, & ita exposuerunt dictũ canonẽ Cironius *dicto li. 2. obser. c. 14.* Lãtdmeter. *li. 2. de veteri clerico & mon. c. 55.* I. Gothofr. *in l. 2. Cod. Theodos. de cursu publico*. 11 Exponitur con. cil. Sardicense.

Tandem suprà traditę assertioni obstat textus in canone 43 Concilij Cabilon. vbi agitur de Episcopis vagantibus sine titulo, & sede, quos PP. appellant Scotos: vnde constat non solùm in pagis, & modicis oppidis, verùm & sine certa sede Episcopos consecrari posse. Igitur non rectè in pręsenti docetur, tantùm in maioribus ciuitatibus Episcopos esse instituendos. Pro cuius canonis expositione iam obseruauit Cironius *lib. 1. obseru. c. 13.* olim in plerisque regionibus Episcopos ordinatos fuisse, vt adiutores aliorum Episcoporum, vt cùm hi propter varia impedimenta negotijs, & necessitatibus suarum Ecclesiarum superesse non possint, illi Episcoporum officio fungerentur: & ita erant Episcopi incertæ sedis, quasi aduentitij, & conductitij, vt fuit sanctus Bonifacius, donec per Zachariam Papam creatus fuit Moguntiæ Præsul; & ipse sanctus Bonifacius ita ordinauit Episcopum Gamphaldum, vt refertur in Metropoli Salisburg. *tom. 2. anno 732.* & plures ex eis subscripserunt in Concilio Matiscon. 2. & de eis, atque eorum paupertate in chronico Archiep. Bremensium ita legitur: *In Concilio Laterani erant à Papa consecrati Episcopi duo Angliæ, & duo Scoti; vnus solo equo venerat, alter pedes*. Et Episcopi, qui tantùm vnam domum habebat, meminit Balsamon *in can. 17. Synodi Chalced*. Dicebantur autem illi Scoti, quia in Scotia eorũ vsus magis inualuerat, vt probat Cironius *vbi suprà*. 12 Exponitur concil. Cabilon. 2. can. 43.

C A-

CAPVT II.

a Gregorius *Petro Subdiacono Campaniæ.*

SIcut in iudicijs laicorum priuilegia turbare non cupimus, ita eis præiudicantibus moderata volumus auctoritate resistere. Violentos namque laicos coercere, non contra leges est agere, sed legi ferre subsidium. Quia igitur Deusdedit gener Felicis de Orticello, præsentium latrici *b* violentiam dicitur irrogasse, præfatamque rem illicitè detinere, ita vt viduitatis eius deiectio non misericordiam prouocare, sed eius inueniatur roborare malitiam: præcipimus experientiæ tuæ, vt tam contra præfatum virum, quàm in cæteris causis, in quibus se asserit præfata fœmina præiudicium sustinere, nostræ ei solatium tuitionis impendas, nec à quolibet eam prægrauari permittas: ne vel ea, quæ tibi, salua tamen æquitate mandantur, in aliqua inueniaris parte negligere; vel viduis, alijsque pauperibus, dum illic auxilium non inueniunt, ex huius itineris profligentur longinquitate dispendio.

NOTÆ.

1 a GRegorius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & reperitur textus hic in Regestro epistolarum ipsius Pontificis *lib.* 2. *indict.* 11. *epist.* 5. ex quo restituo literam huius textus. De hoc defensore, & eius officio nonnulla adduxi *in c.* 3. *de elect.*

2 b *Violentiam.*] In rebus videlicet: vnde cùm ipsa vidua esset, & per consequens miserabilis persona, iudex ecclesiasticus adiri poterat, iuxta tradita *in cap. ex literis, de foro compet.* Vnde cognoscitur, quàm perperam in præsenti repetentes ex hac Gregorij epistola deduxerint, malefactorem laicum, non obstante quocumque priuilegio, per iudicem ecclesiasticum puniri posse: quam doctrinam disputaui *in c.* 8. *de foro comp.*

CAPVT III.

Ex Concilio a *Lateran.*

CVm & plantare sacram religionem, & plantatam fouere modis omnibus debeamus, nunquam hoc meliùs exequemur, quàm si nutrire quæ recta sunt, & corrigere quæ profectum veritatis impediunt, commissa nobis auctoritate curemus. Fratrum autem, & Coepiscoporum nostrorum vehementi conquestione comperimus, quòd Fratres *b* Templi, & *c* Hospitalis, & alij quoque religiosæ professionis, indulta sibi ab Apostolica Sede excedentes priuilegia, contra Episcopalem auctoritatem multa præsumant, quæ & scandalum generant in populo Dei, & graue pariunt periculum animarum. Proponunt enim, quòd Ecclesias recipiant de manibus laicorum, excommunicatos & interdictos ad ecclesiastica sacramenta, & sepulturam admittant, in Ecclesijs suis præter eorum conscientiam & instituant, & amoueant sacerdotes: & fratribus eorum ad eleemosynas quærendas euntibus, cùm indultum sit eis, vt in aduentu eorum semel in anno Ecclesiæ aperiantur, atque in eis diuina celebrentur officia, plures ex eis de vna, siue diuersis domibus ad locum interdictum sæpiùs accedentes, indulgentia priuilegiorum in celebrandis officijs abutuntur, & tunc mortuos apud prædictas Ecclesias sepelire præsumunt. Occasione quoque fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur Episcopalis auctoritatis eneruant, dum contra eorum sententiam sub aliquorum priuilegiorum obtentu munire cunctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem volunt accedere, & se conferre. In his quia non tam de maiorum conscientia, vel consilio, quàm de minorum indiscretione quorumdam exceditur, & remouenda ea, in quibus excedunt, & quæ dubietatem faciunt, declaranda decreuimus: Ecclesias sanè, & *d* decimas de manu laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos, quàm quoscumque alios religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam quas contra tenorem istum moderno tempore receperunt: excommunicatos, *e* & nominatim *f* interdictos, tam ab illis, quàm ab omnibus alijs, iuxta Episcoporum sententiam statuimus euitandos. In Ecclesijs verò suis, quæ ad eos pleno iure non pertinent, instituendos presbyteros Episcopis *g* præsentent, vt eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis verò pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem: institutos autem Episcopis inconsultis non audeant remouere. Si verò Templarij, siue Hospitalarij ad ecclesiasticum interdictum venerint, non nisi semel in anno ad ecclesiasticum admittantur officium, nec tunc ibi corpora sepeliant defunctorum. De *h* confratribus hoc statuimus, vt si non se prædictis fratribus omninò reddiderint, sed in suis proprietatibus duxerint remanendum, propter hoc ab Episcoporum sententia nullatenus eximantur: sed potestatem suam in eos, sicut in alios parochianos suos exerceant, cùm pro suis excessibus fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum est, de alijs quoque religiosis, qui præsumptione sua Episcoporum iura præripiunt, & contra canonicas eorum sententias, & tenorem priuilegiorum nostrorum venire præsumunt, præcipimus obseruari. Si autem contra hoc institutum venerint, & Ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, subiaceant interdicto, & quod egerint, irritum habeatur.

NOTÆ.

a LAteranensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & extat textus hic in ipso Concilio Lateran. *cap.* 9. prout in præsenti transcribitur. De eo Concilio nonnulla adduxi *in c.* 27. *de rescript.*

b *Templi.*] De quibus, & eorum misero exitu egi *in c.* 16. *de iudic.*

1 c *Hospitalis.*] Qui infrà dicuntur Hierosolymitani, de quibus, & eorum præclaro ordine, origine, & progressu plura congesserunt D. Rochus Pirro *tom.* 1. *Siciliæ sacr. in notitia Ecclesiæ Melitensis*, Gualterus *in chron. sæculo* 10. *anno* 119. Carrillio *in suis annalibus*, *anno* 1104. plures congesti à Don Ferdinando de Scaño *in propugn. sacræ huius religionis, discept.* 1. *cap.* 1. *nu.* 3. & nos

nos nonnulla congessimus *in cap.10. de sepult.*

2 d *Ecclesias & decimas.*] De Ecclesijs non accipiendis de manu laici egi *in c 43.de elect.* similiter de decimis ab eis non accipiendis inconsulto Episcopo, egi *in cap. quod autem, de iurepatron.* vbi commentarium huius prioris partis inuenies.

e *Excommunicatos.*] Cum quibus etiam communicare exempti non possunt, vt dicemus infrà *in cap. nulli, de sent. excom.*

f *Interdictos.*] Aliàs exempti etiam non seruantes interdictum, grauiter peccant, & puniuntur, vt probaui *in cap. fin. de excess. Prælat.*

g *Præsentent.*] Iuxta tradita *in c.1. de statu monach. c.1. de capel. monach.*

3 h *De confratribus.*] Ordo Hierosolymitanus vltra Equites, fratres, & capellanos, habet etiam confratres deferentes mediam crucem albam, quam vocant Tau, qui statutis ipsius Ordinis Donati quoque appellantur: vt admittantur in Ordine, debent probare se natalibus honestis esse procreatos, & à Iudæis, aut Mahometanis non ducere originem, probè, ac non flagitiosè vixisse, nullam per seipsos exercuisse artem sordidam, vel mæchanicam; & præterea tenentur aliquam partem bonorum suorum ipsi Ordini offerre, & ita admissi signum Donatorum vestibus insutum publicè deferre, vt cauetur in statutis ipsius Ordinis, *tit 2. n 30. cum seq.* de quibus plura Petrus Gregorius *lib.15. syntag. c.34. n.8* Mendo *de Ordinib. Milit. disq 2. q.1. n.14.* D. Ferdinand. de Scaffo *in propugnac. religionis Hierosolym. discept.4. c.2.* Illi verò non sunt religiosi, ideòque testamentum facere possunt, vt probat idem Scaffo *discept.9. c.5. num.57.* nec amittunt beneficia sæcularia per ingressum in ipso Ordine, vt probat idem Scaffo *discept.11. c.2. n.31.* à collectis immunes non sunt: Idem Scaffo *discept.12. c.2. n.4.* officia sæcularia habere possunt, Idem *discept.13. c.5. n.27.* Circa exemptionem autem eorum, & priuilegium fori Aloysius Riccius *tom 4. resol.177. n.3.* Thomas Delbenè *de immunit. Eccles. tom.1. cap.1. dub.11. sect 2. num.12.* existimarunt, similes confratres priuilegio fori gaudere, ideòque puniendos esse à Magno Magistro ipsius Ordinis. Sed contraria sententia communior, & receptior est, quia confratres hi merè sæculares sunt, cùm non emittant tria vota substantialia religionis, & ita priuilegia regularia illis non conueniunt. Concil. Trident. *sess.24. de regul. cap.11.* quæ doctrina apertè probatur ex hoc textu, & conformis est constitutioni Pontificiæ Gregorij XIII. in Bulla, quæ incipit, *Circumspecta*, edita die 25 Nouemb. anno 1580 & docuerunt Carleual. *de iudicijs lib.1. tit.1. disp.2. n.455.* Mendo *de Ordin. Militar. disq.2. q.2. n.84.* Narbona *in l.8. tit.5. Glossa vnic. lib.1. recopil.* Azeuedo *in l.1. nu.11 tit.14. lib.5. recopil.* Bobadilla *lib.2. polit. c.18 n.233.* Giurba *consil.21.* Diana *part.3. tract.1. resol.51.* Hieronymus Garcia *tom.1. polit. regul. tract.1. difficult.5. dub.4. punct 2.* Pellizarius *tom.1. manual. regul. tr.1. c.3. n.27.* Scaffo *in propugnat. discept.13. cap.2. num.24.*

C A P V T IV.

Idem *Venerabilibus fratribus* a *Archiepiscopis, ad quos literæ istæ peruenerint.*

Dilecti filij nostri fratres Hospitalis Hierosolymitani transmissa nobis conquestione monstrarunt, quòd vos eisdem de *b* malefactoribus suis iustitiam facere non vultis, priuilegia ipsorum inspicere contemnitis, nec ipsos eleemosynas quærere in vestris parochijs, aut fratres ipsorum *c* sepelire aliquatenus permittitis. Quoniam igitur ijdem fratres multis sunt libertatibus, & *d* priuilegijs à Romanis Pontificibus præmuniti, quæ vt nostris temporibus infringantur, nolumus sustinere: f. v. per A. s. m quat. iamdictis fratribus in ijs, quæ sibi à Romana Ecclesia noscuntur indulta fuisse, nullam prorsus molestiam faciatis, nec ea sibi contradicere, vel negare aliquatenus attentetis. Si enim de vobis in veritate talia de cætero poterimus comperire, pro certo sciatis, quòd non concessa priuilegia decurtabimus, cùm nostris, & Ecclesiæ Romanæ scriptis authenticis obuiare minimè timeatis.

N O T Æ.

1 a *ARchiepiscopis.*] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.5.* in hac verò sexta additur, *& Episcopis*. Et rectè, quia cum eis occurrunt frequenter conquestiones, de quibus in præsenti agitur.

2 b *Malefactoribus.*] Quæ conquestio cessauit, postquam ipsi Hierosolymitani priuilegium adepti fuerunt nominandi iudicem conseruatorem, quod concesserunt Pius IV. Clemens VII. Gregorius XIII. Vrbanus VIII. in bullis relatis ab Scaffo *in propugnac. discept.15. c.1.* vbi de iurisdictione Conseruatoris latè agit, & in quibus causis cognoscere possit.

c *Sepelire.*] Posteà verò priuilegium adepti fuerunt, vt non solùm ipsi in proprijs Ecclesijs, verùm & alij, qui in ipsorum Ecclesijs sepulturam eligunt, possint tumulari, *cap. in nostra, de sepultur.* vbi probaui. 3

d *Priuilegijs.*] Quorum epitomen tradit Scaffo *in d. propugnaculo, discept.16. per tot.*

C A P V T V.

Idem a *Cantuar. Archiepiscopo.*

AD hoc in Beatorum Apostolorum Principis Cathedra, Domino disponente, quamquam immeriti, sumus constituti, vt plantare debeamus, quæ ad diuinum spectent decorem, & euellere, & eradicare curemus, quæ obuia sunt rationi, & profectum impediunt salutis. Intelleximus sanè, quòd Hospitalarij nominatim excommunicatos contra prohibitiones Episcoporum ecclesiasticæ præsumunt tradere sepulturæ, non cogitantes, quàm graue sit eis in morte communicare, quos, dum viuerent, Ecclesia à suo sinu pro eorum excessibus *b* segregauit. Verùm quoniam huiusmodi præsumptionem, & temeritatem nolumus, nec debemus aliquatenus tolerare: f. t. per A. s. p. m. quat. prædictos fratres moneas, ac horteris, & eis ex parte nostra præcipias, vt si quos in excommunicatione defunctos in cœmeterijs Ecclesiarum sepelierint, eos extra cœmeteria ipsa penitus eijciant. Quod si facere noluerint, hoc ipsum de his, quos in excommunicatione defunctos esse tibi constiterit, auctoritate nostra, rem. ap. ob. exequaris.

N O T Æ.

a *CAntuariensi.*] Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc tit. c.6.* & post Côcil. Later *part.31. c.5.* De hac Metropoli nonnulla adduxi *in c.2. de rescript.*

b *Segregauit.*] Iuxta tradita *in cap. sacris, de sepultur.* vbi commentarium huius textus dedi.

C A P V T VI.

Idem *Abbati & monachis* a *S. Andrea.*

SI de terra, quam habetis in parochia, d. v. iam per 30. annos decimas Canonicis de Plautio persoluistis, eas sibi de cætero integrè, oc. & ap. post. persoluatis: licèt enim priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ beneficio fratribus de Cisterc. indultum sit, quod de laboribus suis nulli

deci-

decimas, vel primitias persoluere debeant; ex priuilegio tamen vobis indulta tanto tempore detrahere voluistis, cùm liberum sit vnicuique iuri suo abrenuntiare, eoque modo potestis vos in hac parte tueri.

N O T Æ.

a Sancti Andreæ.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc tit. c. 9. & post Concil. Lateran. part. 38. c. 4. Monasterium hoc est Ordinis Cisterc. in diœcesi Sagiensi, quod B. Mariæ de sancto Andrea Ordinis Cisterciensis appellatur in libro Cameræ: cuius Ecclesiam instauratam, aut perfectam à Reginaldo Abbate dedicault Gaufredus Episcopus Sagiensis anno 1152. vt refert Manrique tom. 2. annal. Cisterc. anno 1148. c. 15. num. 5.

C O M M E N T A R I V M.

1 Conclusio traditur, & probatur. EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Priuilegium amittitur per non vsum, Ecclesiæ tamen concessum post XXX. annos.* Quę conclusio probari potest ex c. cùm accessissent, de constit. c. pro illorũ 22. de pręb. c. ad Apostolicam, de regul. c. accedentibus, hoc tit. l. 2. & fin. ff. de veteran. l. 2. l. semper 5. §. fin. ff. de iure immunit. l. 2. §. fin. ff. de Decur. l. 2. C. de tabal. lib. 11. l. 3. C. de Decur. lib. 10. l. 2. C. de iure dominij impetrand. Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, & de potest. Episcopi alleg. 26. n. 11. Balboa in cap. Sanctorum, de præscript. num. 54. Bruno Chassaing. de priuileg. regul. part. 1. princip. 1. c. 5. Moneta de commut. cap. 8. num. 195. Suarez tom. 1. de relig. lib. 1. c. 20. Garcia de nobilitate, glossa 6. Amaya in l. 1. C. qui sponte, num. 18. Giurba consil. 59. Castillo de tertijs, cap. 19. Caldas Pereyra decis. 91.

2 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in pręsentem assertionẽ ita insurgo. Priuilegium per non vsum non amittitur, vnde in l. voluntariæ 12. C. de excusat. muner. lib. 12. docetur, quòd si aliquis haberet immunitatem à tutela, non ob id, quod sponte eam susceperit, priuilegijs suis derogat: & in l. creditor 7. C. de vsur. aiunt Imperatores: *Nec enim si aliquando ex consensu præstita sunt, obligationem constituant.* Ergo non rectè in præsenti asseritur, per non vsum priuilegium amitti non soluendi decimas. Augetur hæc difficultas ex eo; nam priuilegium vt possit amitti per non vsum, debebat illud omittere communitas, seu persona, cui concessum est, vt probat Chassaing. d. propos. 1. cap. 5. Sed priuilegium non soluendi decimas, de quo in præsenti, non fuit concessum monasterio sancti Andreæ tantùm, sed vniuersæ Religioni Cisterciensi, vt probaui in cap. nuper, de decimis. Igitur omissione, seu negligentia Abbatis, & fratrum monasterij sancti Andreæ amitti non poterat. Augetur deinde hæc difficultas ex cap. accedentibus, hoc tit. vbi in eadem specie priuilegij decimarum asseritur, quòd ad hoc vt illud amittatur, desideratur præscriptio quadragenaria contra habentem simile priuilegium. Ergo non rectè in pręsenti asseritur, præscriptionem tricennalem sufficere contra monasterium S. Andreę, vt priuilegium non soluendi decimas amittere possit.

3 Priuilegij etymon, & acceptiones. Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est iuxta Isidorum in c. priuilegia, 3. dist. priuilegia dici priuatas leges, eo quòd in priuatum ferantur: facit Fungerius in etymolog. ibi: *Priuilegia nihil sunt aliud, quàm ius singulare in certæ alicuius personæ, vel causæ fauorem ac gratiam, propter aliquam naturalis æquitatis rationem inductum.* Et quòd priuilegia in priuatum ferantur; sunt enim priuilegia quædam beneficia à Principe inducta, l. quia tale, ff. solut. matrim. l. sunt qui 16. ff. de re iudic. facit textus in l. priuilegia 196. ff. de R. I. vbi Iureconsultus appellat beneficia ea, quæ verè priuilegia dicunt in l. in omnibus 66. ff. eod. tit. quia Principis beneficio indulgentur propter priuatum commodum, & fauorem priuilegij, c. in his 30. ibi: *Duximus indulgendam;* de priuil. notarunt P. Faber, & Gothofredus in d. l. priuilegia, Azor tom. 2. instit. lib. 5. c. 22. & 23. Suarez lib. 6. de legibus, c. 1. n. 3. Salas eod. tract. disp. 27. sect. 1. Hieronym. Garcia in polit. regul. tract. 8. diffic. 1. dub. 1. Prado tom. 1. Theolog. Moral. c. 5. q. 1. Besold. in delibat. iur. lib. 1. Pandect. tit. de priuil. quare priuilegij, & beneficij voces promiscuè vsurpantur à Cassiodoro lib. 1. var. cap. 28. quia in genere saltem conueniunt, vt ex indulgentia Principis proficiscantur; namque omne priuilegium continet gratiam, beneficium, & indulgentiam Principis, & ex eius fauore descendit, nec potest debitum dici, Suarez d. lib. 8. cap. 2. num. 11. Sed non omne beneficium priuilegium est, sicut nec dispensatio, nec rescriptum gratiæ, quia in his deest ratio propria priuilegij, quæ in eo consistit, vt ad omnem actum generis priuilegiati immunitatem habeat is, cui datum est priuilegium, quasi legis permissionem obtinuisset: sed beneficia, rescripta gratiæ, & dispensationes indultæ, ad vnum, vel alterum casum tantùm vires suas producunt, nec legis rationem obtinent: quapropter priuilegia, & rescripta, tanquam diuersa specialibus titulis distinguuntur in hoc volumine, libro 6. & in Clementinis; & ex ea differentia colligit Azor lib. 5. instit. cap. 22. q. 5. quòd licèt in beneficijs cautum sit, ne liceat vti gratia ante impetratas literas, in extrauag. indultæ, de elect. ad priuilegia tamen hæc doctrina non extenditur. Quod autem D. Isidorus in d. c. priuilegia, adijcit, priuilegia priuatas leges dici, quia in priuatũ ferantur, videtur sumpsisse ex Gellio lib. 10. noct. c. 20. qui communes leges à priuilegijs ita distinguit, quòd leges sunt generalia iussa pertinentia ad vniuersos ciues, priuilegia verò sunt priuata iussa ad singulos homines pertinentia; quia veteres priua dixerunt, quæ nos singulare dicimus, vt notauit Iacob. Gothofr. in dicta regula Priuilegia. Vnde deducitur, non exigi ad priuilegia formanda, quod singularibus hominibus concedantur, quia etiam possunt vni communitati tribui, vel collegio, vt in d. c. his 30. de priuileg. d. c. Abbate 25. de V. S. vel certo generi personarum, veluti minoribus, clericis, religiosis, Ecclesijs, Militibus, creditoribus, maritis, vel dotibus, vt in d. l. sunt qui, de re iudic. l. si ventri, ff. de bonis auctor. iudic. l. assiduis, C. qui potiores: nec ideò minùs erunt priuilegia, quia ipsa communitas, vel personarum, vel causarum collectio habet se ad instar priuatæ personæ, quia est pars maioris communitatis, à cuius legibus eximitur. Lege autem decemuirali cautũ fuit, priuilegia ne concederentur, tabula nona, his verbis. *Priuilegia ne irroganto.* Quam laudat Cicero lib. 3. de legibus, ibi: *Leges præclarissimæ de 12. tabulis translatæ duæ, quarum altera priuilegia tollit.* Et mox: *In priuatos homines leges ferre noluerunt; id enim est priuilegium, quo quid est iniustius?* Et pro domo sua, ibi: *Vetant leges sacratæ, vetant 12. Tabulæ leges priuatis hominibus irrogari; id est enim priuilegium, quod nemo vnquam tulit, quo nihil est crudelius, nihil perniciosius, nihil quod minùs hæc ciuitas ferre possit.* Quæ lex ab Atheniensibus accepta fuit, apud quos teste Demosthene contra Aristocratem ita cautum erat: *Nec lex de vno feratur.* Illustrat Samuel Petitus ad ius Atticum lib. 2. tit. 1. qui, & Iacob. Gothofredus in notis ad d. tabul. 9. obseruarunt priuilegiũ in ea lege aliter accipi, quàm vulgò hodie accipitur, videlicet pro iure extraordinario, & à cõmuni exorbitante; quando lex specialis pro singulari persona rogabatur, in qua oriebatur, & finiebatur; veluti lex de Menandro, cuius meminit Consultus in l. 5. §. vlt. ff. de captiuis: altera de Hostilio Mancinio, cuius mentio fit in l. vlt. ff. de legationibus. Videndi sunt Petitus, & Gothofredus vbi suprà.

4 De his qui dare possunt priuilegia. Ex hoc etiam principio, quòd priuilegia priuatæ leges sint, infertur, ab eo esse concedenda priuilegia, qui legem concedendi potestatem habeat, vt probant D. Antoninus 2. part. summæ, tit. 19. cap. 1. Syluester in summa, verbo priuilegium, q. 2. Hostiensis in summa huius tituli, §. qui possit, Suarez d. lib. 8. de legibus, cap. 8. Salas eod. tract. disp. 17. sect. 3. Vnde prouenit, competere Romano Pontifici potestatem indulgendi priuilegia in vniuerso orbe, vt probatur à Gratiano post caput finale, §. item Hieronymus, 25. quæst. 1. & in c. constitutus 6. ibi: *Cùm libertatis priuilegium, vel protectionis præsidium aliquibus Ecclesijs indulgemus: de religiosis domibus.* Latè illustrat Brunus Chassaing. de priuileg. Regul. regul. 1. proposit. 5. & est hoc accipiendum, dummodo hanc potestatem exerceat circa spiritualia, aut ecclesiastica iura, quæ ei subijciuntur; non autem circa temporalia, nisi respiciant spiritualia. Suarez d. lib. 8. cap. 8. n. 7. vel si ab spiritualibus dependeant, vt in specie textus in cap. per venerabilem, qui filij sint legit. Idem circa Reges, & alios dominos temporales dicendum est; nam cùm habeant supremam potestatem ferendi leges, possunt etiam priuilegia concedere. Dubiũ

Digitized by Google

autem est, an tantùm subditis proprijs priuilegia concedi possint? Et concedi valere, suadetur ex eo, quia priuilegia sunt beneficia: sed beneficia etiam non subditis concedi valent: ergo & priuilegia. Accedit quod Principes sæculares multa priuilegia Ecclesijs, clericisque concesserunt, *l. 1. cum multis alijs, C. de sacros. Eccles.* & de Episcopis, & clericis, qui ab eorum potestate exempti sunt, constat *ex cap. Ecclesia sanctæ Mariæ, de constit. cap. fin. de rebus Eccles.* Sed adhuc dicendum est, beneficium, quod veri priuilegij rationem habet, concedendum esse à Principe suis subditis, nec ab alio dari, vt docent Azor *tom. 1. instit. moral. lib. 5. c. 22. q. 4* Suarez *d. lib. 8. de legib. c. 9. n. 2.* Salas *d. sect. 3. nu. 27.* qui inde deducunt, non posse à Principibus sæcularibus priuilegia tribui Ecclesijs, nec ecclesiasticis personis: quę doctrina ex eo probatur, quia hoc beneficium non est simpliciter beneficium, sed lex priuata; ideòque solis subditis concedi potest, sicut lex solis subditis datur. Suarez *de legibus, disp. 7. sect. 7. n. 23.* aliàs autem frustra diceremus, Pontificem in spiritualibus tantùm, vel ecclesiasticis eisdem annexis priuilegia concedere, si posset omnibus indefinitè ea concedere: vnde in dictis legibus Codicis abusiuè priuilegia dicuntur concessiones factæ à Principe sæculari ecclesiasticis personis, nisi fortè circa eam materiam versentur, quæ personis ecclesiasticis competit tanquam ciuibus, & membris Reipublicę politicæ: nam quoad hanc partem Principi laico subijciuntur, & ideò possunt in ea ab ipso priuilegia concedi.

5 *Traditur ratio decidendi.* Ex hucusque traditis apparet vera ratio præsentis decisionis; nam cùm priuilegium sit lex priuata, renunciari poterit ab eo, in cuius fauorem concessum est, quia vnusquisque potest iuri pro se introducto renunciare, *cap. ad Apostolicam, de regul. l. si quis in conscribendo, C. de Episc. & cleric.* probaui latè *in cap. si diligenti, de foro compet.* & cùm nihil intersit voluntas declaretur factis, aut verbis, *l. de quibus 32. ff. de legib.* immò facto plus solet ostendi voluntas, quàm verbis, *l. si tamen 48. §. ei qui, ff. de ædilit. edict.* ideò renunciari potest priuilegium, aut non vtendo eo, aut per contrarium vsum; ideòque in pręsenti specie cùm monasterium S. Andreæ ratione priuilegij posset se excusare à solutione decimarum, & non fecerit, immò per 30. annos eas persoluerit; videtur tacitè suo priuilegio renuntiasse, vt ex ipsa taciturnitate eliciatur consensus renunciandi, *l. Campanus 47. ff. de oper. libert. l. si quis delegauerit 12. ff. de nouat. l. 4. C. de pact. inter empt.* & per consequens non potuit monasterium amplius intendere eius obligationis exemptionem, argumento legis *iam dubitari 86. §. fin. ff. de hæred. instit.* Illud tamen summè notandum est, in priuilegio reali duplicem vsum dari posse, alium priuatiuum, contrarium alium. Priuatiuus est, cùm quis priuilegio voluntariè non vtitur: contrarius cùm non solùm quis non vtitur priuilegio, verùm & operatur quid contrarium eidem: & vt præscriptio currat in vsu priuatiuo, tres conditiones iuxta communem Doctorum sententiam, quam sequuntur Portel. *in dubijs regul. verbo Priuilegij non vsus,* Chassaing. *d. c. 5. proposit. 1.* requiruntur. Prima, vt oblata fuerit occasio vtendi priuilegio, & priuilegiarius eo non vtatur: secunda vt detur scientia talis priuilegij: tertia vt adsit potentia illo vtendi, idest non detur impedimentum.

6 *Dissoluitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, pro cuius solutione varia adduxerunt Ioannes de Platea *in l. 2. C. qui sponte munera, lib. 10.* Garcia *de nobilit. gloss. 6. nu. 29.* Suarez *d. lib. 8. de legibus, c. 35. num. 10.* Gironda *de priuil. credit. n. 107.* Otero *de pascuis, c. 20. n. 31.* Castillo *de tertijs, c. 19. nu. 16.* qui communiter discrimen constituunt inter actus sua natura reiterabiles, & momentaneos non reiterabiles; vt in his sufficiat vnicus actus ad amittendum priuilegium, in illis autem necessarium sit tempus præscriptionis. Sed hanc sententiam facilè refellunt Garcia *vbi suprà,* Amaya *in l. 1. C. de his qui sponte mun. susc.* quare ea distinctione omissa, verius dicendum est cum P. Suarez *d. c. 35. n. 10.* Barbosa *alleg. 26. nu. 15.* Pereyra *dec. 91.* Castilio *de tertijs, c. 19. n. 16.* per actum vnicum priuilegio contrarium non induci amissionem priuilegij quoad futurum tempus, sed tantùm induci renunciationem quoad illum actum particularem, vel causam, in qua contra priuilegium egit, vt expresse probatur *in d. l. voluntariò, C. de excusat. tut. l. 2. & 3. C. de his qui sponte,* veluti si tutor, qui excusari poterat à tutela, illam admiserit, etsi postea excusare se velit, non audiẽtur, *l. Prætor 13. §. fin. ff. de vacat. muner.* Idem in veterano Decurionatum agnoscente probatur *in l. 2. & fin. in fine, ff. de veteranis:* facit textus *in l. Prætor 13. §. fin. ff. de vacat. muner.* vbi docetur, quod si is, qui poterat priuilegio se excusare, ne iudex fieret, postquam consensit, pœnitentia ductus velit se excusare, audiri non debet. Nec contrarium docetur *in cap. cùm accessissent, de constit.* cui varias assignarunt interpretationes Doctores suprà relati, quibus omissis dicendum est cum Amaya *vbi suprà, n. 27.* in eo textu non agi de vllo priuilegio, sed potiùs de statuto facto à Canonicis Tullensibus, qui per vnum contrarium actum potuerunt ab eo desistere, & recedere ab eo noua dispositione, vt iam in eo textu notaui. Vt autem priuilegium quoad tempus futurum amittatur, varij actus contrarij, seu omissi, accedente legitima temporis præscriptione, desiderantur. Quot verò actus necessarij sint, nec iure expressum est, nec apud Interpretes constat. Obtinuit tamen, sufficere eos qui necessarij videantur, vt tempus præscriptionis non interrumpatur, argumento legis *autem 6. ff. de seruit. vrban.* ibi: *Ita demùm ius meum amitto, si super hoc tempus ædes tuas altiùs sublatas habueris: l. si quis 18. in fin. ff. quemadmodum seruitutes;* ex eo enim actu, qui contra priuilegium factum est, decidit à possessione sua priuilegiatus, & incipit quasi possideri ius contra illum. Quod si continuetur, & non interrumpatur, nec priuilegiatus faciat quicquam quo videatur priorem illum actum retractare, & suam quasi possessionem redintegrare, mediante præscriptione amittitur. Nec obstat primum augmentum ipsius dubitandi rationis; nam verum est, priuilegium tantùm renunciari posse ab eo, in cuius fauorem illud concessum est, vt in totum amittatur; & ita vt vniuersus Ordo Cisterciensis amitteret priuilegium non soluendi decimas, vniuersus ordo cessare debebat in priuilegij vsu: at verò vt vnum monasterium pro suo interesse particulari amittat illud beneficium, sufficit eius omissio, & neglectus, quia tunc partialiter pro sua parte amittitur priuilegium.

Nec tandem obstat textus *in d. cap. accedentibus:* pro cuius conciliatione cum præsenti textu varia adduxerunt Garcia *de nobilit. d. glossa 6. nu. 35.* Suarez *de legibus lib. 8. c. 35. nu. 2.* Barbosa *de potest. Episcopi, d. allegat. 26. nu. 18.* Aliqui docuerunt, præsentem textum esse accipiendum iuxta tempus antiquorum canonum, quo admissa fuerat tricennalis præscriptio, vt probaui *in cap. Sanctorum;* textum verò *in d. cap. accedentibus,* procedere iuxta nouos canones, secundùm quos præscriptio quadragenaria contra Ecclesiam statuta fuit *in cap. de quarta, cap. illud, cap. ad aures, de præscript.* Sed cùm ipsi textus auctorem habeant Alexandrum III. qui auctor est præsentis textus, hæc solutio sustineri non potest: quare veriùs dicendum est cum Barbosa *in præsenti,* & *d. alleg. 26.* Amaya *vbi suprà, num. 30.* diuersam speciem proponi in præsenti textu, ac *in d. cap. accedentibus;* in præsenti enim sufficit præscriptio tricennalis, quia non agebatur de præscriptione decimarum, sed de renunciatione priuilegij, quia canonici petebant decimas in sua parochia iure communi sibi debitas, *cap. cùm contingat, de decimis.* Monachi sancti Andreæ exceptionem opponebant priuilegij Cisterciensibus concessi *in cap. nuper, cap. ex parte, de decimis:* è contra canonici replicabant, priuilegium illud cessasse per contrarium vsum, quia per 30. annos eo priuilegio vsi non fuerunt; vnde illud renunciasse credebantur, & per consequens standum esse iuri communi. Et quia faciliùs quælibet res redit ad pristinum statum, argumento legis *si vnus 27. §. pactus ne peteret, ff. de pactis;* ideò minus tempus necessarium erat ad hanc pręscriptionem, vt solutio decimarum reduceretur ad ius commune: at verò *in d. cap. accedentibus,* contrarium contingebat; nam monasterium, quod petebat decimas, iure speciali nitebatur, non verò iure communi: Templarij verò priuilegium exemptionis allegabant. Et licèt illud amitti possit tacita renunciatione, hoc est decimarum solutione, tamen ad talem pręscriptionem, & vt monachi ab eis possent decimas exigere, desideratur pręscriptio quadragenaria, quia currit contra Ecclesiam, & ille præscribebat, qui non iure communi nitebatur, sed potiùs iure speciali; vnde diutius tempus in ea præscriptione desiderabatur, quàm in præsenti specie: latiùs prosequitur Barbosa *d. alleg. 26.* 7 *Exponitur cap. accedentibus, hoc tit.*

Illud

illud tamen omittendum non duxi, hucusque tradita de tempore necessariò ad amittendum priuilegium, procedere regulariter in priuilegio de non faciendo; si verò sit priuilegium faciendi aliquid, veluti habendi oundinas, spatio 10. annorum præscribitur, *l. 1. ff. de nundinis*, *l. 42. tit. 18. part. 3* Azeuedo *in d. l. 1. tit. 1.* Molina *lib. 2 de primog. cap. 7. num. 70.* Amaya *in d. l. 1. C. de his qui sponte, num. 35.*

C A P V T VII.

Idem a *Ambian. Episcopo.*

PORrò quoniam Templarij, & Hospitalarij multa sunt libertatis prærogatiua donati, non dubitamus, quin aliam libertatem habeant in locis, in quibus antequam ad eos peruenissent, fuerant habitatores: quod totum ex *b* inspectione priuilegiorum suorum pleniùs aduertere poteris, & secundùm quod inueneris, ita *c* obserues.

N O T Æ.

a A*Mbianensi.*] Ita etiam legitur post Concilium Lateran. *part. 50 c. 18.* & *in 1. collect. sub hoc tit. c. fin.* vbi additur, *pars capitis Quoad sedem*, vt cognoscatur in præsenti referri partem textus *in cap. quoad Sedem, de frigidis:* vbi extat alia pars huius decretalis.

b *Inspectione.*] Et ita ad priuilegij valorem, & probationem necessariam esse scripturam docuerunt Glossa *verbo In scriptis, in cap. 1. de censibus, lib 6.* Baldus *in l 2. C. de mandatis Principum*, Mascardus *de probat. conclus. 528. n. 19.* & suadetur ea sententia *ex c. contra morem, dist. 10.* ibi: *Scriptis priuilegijs, c. cùm olim 12 hoc tit. cap. cùm personæ 7. eod. tit. lib. 6.* Sed adhuc verius est, non requiri scripturam ad valorem priuilegij, nec eius probationẽ. Suarez *d. lib. 8. c. 2. num. 2.* qui inde notat, viuæ vocis oraculo priuilegia indulgeri. Salas *de legibus, d disp. 27. sect. 2. n. 20.* Prado *tom. 2. Theolog moral. cap. 5. quæst. 1. §. 2.* quia nulla constitutione scriptura exigitur ad priuilegium probandum: & constitutio extrauagantis *Iniunctæ, de elect.* qua docetur non licere vsum gratiæ Pontificiæ ante expeditionem literarum, solùm procedit in gratijs beneficialibus; & ideò succedit regula iuris, quod scriptura non desideratur pro solemnitate, sed gratia clarioris probationis, *l. contrahitur, ff. de pignor.* & hoc probatur *ex cap. institutiones 25. quæst. 2. Clement. dudum, de sepultur. extrauag. etsi Domini 3. de pœnit.* ibi: *Per quascumque concessiones, & facultates per suam Sanctitatem, tã verbo, quàm scripto factas.* Quare si in foro interiori dubium contingat, satis est priuilegium obtinere, licèt ad scripturam radactum nõ sit: in foro autem exteriori qui priuilegium allegat, illud probare debet, *d. c. contra morem.* Et licèt soleat frequentiùs scripto comprehendi, hocque sit vtilius, vt de tenore illius certò constet, cui semper standum est; attamen non est necessaria scriptura, sed per testes etiam probari potest, *c. cùm olim 12. hoc tit.* iuxta quam doctrinam explicandus est textus *in c. cùm personæ 7. hoc tit. lib. 6.* dum ait, exemptos à iurisdictione ordinaria per priuilegium exhibere illud debere coram arbitris ab Ordinarijs deputatis. Quibus verbis probari videtur priuilegia literis, & scriptura cõprobari. Sed sententia illius textus ita accipienda est, vt qui priuilegium allegat, & literas, aut scripturam exemptionis se habere dicit, ea exhibeat; nam frequentiùs priuilegium ad scripturã redigitur: sed si scripturam exempli non habeat, sufficiet probare priuilegium testibus: quod satis constat ex ipso textu, in illis verbis: *Quibus se dicunt fore munitos.* Quorũ sensus est, vt exempti cogantur ostendere & probare priuilegium ea probationis specie, ad quam se obstrinxerint, vt vel instrumenta exhibeant, vel testes, iuxta modum, quo sibi indultum esse priuilegium allegauerint: quæ est vera ipsius capitis interpretatio ab alijs non perpensa. Si verò priuilegia scriptura comprobentur, oportet quod instrumentũ authenticum sit, & nullum vitium, aut rasuram contineat, cùm hoc sit generaliter constitutum in omnibus instrumentis, *c. inter, de fide instrum.* & in priuilegijs specialiter cauetur *in c. cùm olim, vers. Distinguentes, hoc tit.* adeò vt si testes proferantur ad comprobationem deperditi priuilegij, deponere debeant de amissione, & tenore, & quod sine vitio erat, *d. c. cùm olim.* Quæ prauis notanda est tam à iudicibus, quàm aduocatis, quando agitur de comprobando instrumento deperdito.

c *Obserues.*] Quæri vulgò solet, vtrum priuilegia largè, an strictè sint interpretanda? Et quatenùs sunt beneficia principalia, amplissimè interpretari debere, constat *ex l. 3. ff. de constit. Principum, c. cùm dilecti 6. de donat. c. olim 16. de V. S. l. 2. C. de bonis vacantib.* probant Gutherus *de officijs domus, lib. 1. c. 38.* Amaya *in l. vnic. C. si liceat*, Tapia *in d. l. 3. de constit. Princip.* Paulmeist. *lib 2. de iurisd. c. 4. num. 126.* Opingius *de iure insig cap. 7. num 208.* Hunnius *in encyclop. lib. 1. tit. 6.* vt semper aliquid priuilegiario tribuatur, *c. in his, 30. de priuileg.* Quatenùs verò contra iuris rationem strictam interpretationem capere debent, ideò tradi solet, prohibitam esse extensionem priuilegiorum, etiam in correlatiuis, aut coniunctis, nisi aliter priuilegium inutile reddatur, vt docent Barbosa *in l. quia tale, à num. 22. ff. solut. matrim.* Suarez *d. lib. 8. de legibus, cap. 11* Adhuc tamen distinguenda sunt priuilegiorum genera; nam quæ sunt præter ius, & beneficij rationem tenent, benigna interpretatione debent coadiuuari: quæ autem à iure communi exorbitant, non sunt trahenda ad consequentiam, & strictè obseruari debent, *l. quod contra 14. ff. de legibus, l. quæ contra, de R. I. lib. 6* docuerunt Azor *tom. 1. instit. lib. 5. c. 24 quæst. 2.* Salas *de legibus, disp. 17. sect. 6.* Suarez *eod tract. lib. 8. cap. 27.* vbi *cap. 28.* notat, nec ad restringendum priuilegium, nec ad illud ampliandum permissum esse ab eius tenore, aut à proprietate verborum discedere; nec etiam ita coangustandum, vt inanem gratiam reddat interpretatio. Idumay *in notis ad Innocent. III. lib. 3. regestr. epist. 52.* Nec etiam ad alias personas extendendum est, *cap. sanè, hoc tit.* Vnde tota superior resolutio obseruanda est, quando verba priuilegij ambigua sunt, & varias capiunt interpretationes: nam vbi priuilegium contra ius est, intelligitur concessum quod minus est: vbi autem præter ius, amplissima fit interpretatio, & concessum intelligitur quod amplius: dicemus latiùs *in c. olim 16. de V. S.*

C A P V T VIII.

Alexand. III. *I. A. S.* a *Legato.*

REcepimus literas, quas de Ecclesijs censualibus Episcopatus ven. f. n. *b* Nouarien. Episcopi direxisti, & ex eis perpendimus, qualiter ad iura nostra seruanda vigil existas. Cæterùm diligentiam tuam volumus non latere, quod sicut non omnes, qui specialiter beati Petri iuris existunt, annuatim Ap. Sedi censum exsoluunt: ita nec omnes nostri censuales ab Episcoporum subiectione habentur immunes. Inspicienda sunt ergo priuilegia ipsarum Ecclesiarum, & ipsorum tenor diligentiùs est attendendus; vt si fuerit deprehensum, quod Ecclesia, quæ censum soluit, specialiter beati Petri iuris existat, & ad iudicium perceptæ libertatis census annuus conferatur, non immeritò poterit speciali prærogatiua gaudere. Si verò ad iudicium perceptæ *c* protectionis census

Digitized by Google

ius persoluitur, non ex hoc iuri diœcesani Episcopi subtractum aliquid videtur. Cùm igitur constet, presbyterum sancti Petri præfato Episcopo obedientiam promisisse in *d* ordinatione sua, sicut in iure confessus asseruit; nolumus, quòd eum, vel aliquos tuearis. Quia sicut iustitias nostras à fratribus nostris, & Coepiscopis nostris volumus reseruari, ita eorum iura nos conuenit illibata custodire.

NOTÆ.

a LEgato.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 1. ex qua textum hunc transcribo.

b *Nouariensi*.] De Nouariensi Italiæ diœcesi egi *in cap.* 14. *de re iudic.*

c *Protectionis*.] Ex hoc textu, & etiam *in c. ex parte* 8. *hoc tit.* apertè probatur, eum, qui sub alicuius Principis ecclesiastici, vel sæcularis protectione recipitur, non ideò liberari à iurisdictione iudicis ordinarij: quod ad varias causas in foro contingentes exposuerunt Salgado *de Regia protect. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 207. Diana *p.* 10. *tract.* 7. *resol.* 1. & 3. & etiam deducit Solorzanus *tom.* 2. *lib.* 2. *c.* 24. *n.* 21. aliquid temporale recipi posse pro præstatione.

d *Ordinatione sua*.] Iuxta tradita *in cap.* 3. *de iureiur.*

CAPVT IX.

a Idem.

SAnè. *Et infrà*: Temerarium est, & indignum, aliquem sibi sua auctoritate præsumere, quòd Romana Ecclesia alicui certa ratione inspecta singularibus voluit beneficijs indulgere.

NOTÆ.

a IDem.] Textus hic non reperitur in aliqua ex collectionibus antiquis; vnde non constat, cuius Pontificis sit, aut de quo priuilegio in eo agatur. Credo tamen esse partem textus antecedentis, & Raymundum in partes illum diuisisse.

COMMENTARIVM.

1 Conclusio traditur, & probatur. EX hac Alexandri decisione sequens communiter deducitur assertio: *Priuilegia singularibus personis concessa, ex identitate rationis ad alias non extenduntur*. Probant eam textus *in l.* 1. *§. permittitur, ff. de aqua quotidiana, l. maritum* 12. *l. quia tale* 13. *ff. solut. matrim. l. ex pluribus* 42. *ff. de administr. tut. l.* 1. *§. priuilegium, ff. de Magistratibus conueniendis, l.* 4. *§* 1. *ff. de priuil. credit. l. etsi fideiussor* 34. *cum l. sequenti, ff. de re iudic. l. non debet, cum duabus sequent. ff. de dolo, l. cùm patrono* 28. *ff. de legat.* 2. *l.* 3. *ff. de censibus, l.* 1. *ff. de iure immunit. l. in omnibus* 68. *l. priuilegia* 156. *ff. de regul. iur. l. vnic. C. de priuil. dotis, l. sordidorũ, C. de excus. mun. lib.* 10. regula *Beneficium, de R. I. in* 6. Illustrant Cuiac. Petrus Faber, & Iacob. Gothofr. *in d. l. in omnibus*, Menochius *lib.* 3. *de præsumpt. casu* 103. Gaillus *lib.* 2. *obseru. cap.* 144. Petrus Barbosa *in l. quia tale, num.* 1. Suarez *lib.* 8. *de legibus, cap.* 10. & 11. Salas *eod. tract. disp.* 17. *sect.* 6. & 8.

2 Impugnatur tradita assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem ita insurgo. Priuilegium restitutionis minoribus concessum, ob lubricum ætatis personæ conceditur, *l.* 2. *l.* 3. *§. sed virum. ff. de minoribus, l. Stichum* 95. *§. quod vulgò, ff. de solut.* Sed etiam hoc priuilegium extenditur ad minoris hęredes, *l. non solùm* 6. *ff. de in integrum restit. l. minori* 8. *§. vlt. ff. de minor. l. Titia* 62. *vers. Item, ff. de iure dot. l. vnic. C. si aduersùs dotem, l.* 2. & 4. *C. de temp. in integ. restit. l. vlt. tit. vlt. partit.* 6. & etiam fideiussoribus datur, *l. minor* 51. *ff. de procurat. l. si pupillus* 89. *ff. de acquir. hæredit. l.* 2. *§.* 1. *ff. de administr. tut. l.* 3. *§.* 4. *vers. Sed an hoc auxilium, ff. de minoribus*. Igitur quia priuilegia, quantumuis personæ concessa, ad alios etiam extenduntur. Augetur hęc dubitandi ratio, nam priuilegium Velleiani mulieribus concessum est ob sexus fragilitatem, *l.* 1. *ff. ad Velleianum*. Sed hoc priuilegium etiam ad earum hæredes extenditur, *l. hæredes* 20. *C. ad Velleianum*. Igitur quia priuilegium personæ concessum ad alios etiam extenditur.

3 Priuilegia personalia, aut realia. Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, eam differentiam versari inter priuilegia realia, & personalia, quòd realia perpetua sunt, & cum ipsa re transeunt; personalia verò personæ cohærent, & cum ipsa persona extinguuntur. Sed vnde dignosci possit, an priuilegium reale sit, vel personale, apud Doctores non constat. Vulgò receptum est, personale illud esse, quod in personam concipitur; reale verò, si in rem. Ita docuerunt Petrus Barbosa, & Suarez *vbi suprà*. Verùm hæc doctrina euerti videtur *ex l. in omnibus* 68. *ff. de R. I.* vbi vt priuilegium sit reale, vel personale, non attenditur verborum conceptio, an in rem, vel in personam sit; sed tantùm causa, cuius contemplatione concessum est: vnde fit, quod si causa principalis priuilegij sit persona, vel concedatur propter causam personæ cohærentem, vt *in l.* 1. *ff. de constit. Princip.* priuilegium erit personale: ex diuerso verò reale, si præcipua causa concedendi fuit res, vel locus, vt in specie textus *in cap. sed requisistis* 15. *vers. sed considerandum, de testamentis*. Planè si de causa non appareat, verborum tenor spectandus est, quibus priuilegium conceditur; nam si concipiantur directò in rem, reale erit; si verò in personam, erit personale, vt notant omnes per textum ibi, *in cap. quoniam* 14. *de offic. deleg. c. mandata, de præsumpt. l. iuris gentium* 7. *§. pactorum, ff. de pactis*. Quare veriùs dicendum esse credo, tunc personale beneficium appellari, cùm ei personæ conditio locum facit, ita vt licèt concedatur ob causam, & rationem, quę in alijs quoque personis inuenitur, non tamen eisdem sit tribuendum: at verò reale est, quando res, seu causa ei locum facit, idest, vt causæ ipsi tribuatur, & omnibus competat, ad quos eadem causa pertinet; quamuis rati concedendi fuerit sola persona, vt rectè docet Suarez *d. cap.* 3. Et si quæras, vnde colligi possit, an personæ, an verò magis causæ priuilegium detur? Respondeo, in primis consideranda esse verba, an in personam, an in rem ipsam concipiantur, *d. §. pactorum*. Deinde attendendam esse materiam subiectam, vt rectè explicant Suarez *d. cap.* 3. *num.* 10 quibus suppositis, ex præsenti decisione infertur, adeò priuilegia personalia cum persona extingui, vt nec ad hæredes ipsius priuilegiati transeant, *l. maritum, ff. solut. matrim. l.* 1. *vers. personis, ff. de iure immunit. l.* 1. *§. permittit, ff. de aqua quotid. l.* & *hæredi* 21. *ff. de pactis*, Cuiac. *lib.* 26. *obseru.* 22. Nec obstat quod vulgò traditur, hæredem eodem iure vti, quod defunctus habebat, *l. hæredem* 59. *l. qui in ius, ff. de regul. iur. l. hæres* 39. *ff. de acquir. hæred. authent. de iureiur. collat.* 5. vbi cauetur, iuramentum defuncti hæredes obstringere. Quia respondetur regulam dictæ legis *hæredem*, tantùm procedere in his, quæ natura sua transmitti possunt, non verò in his, quæ morte defuncti extinguuntur, vt sunt priuilegia: iuramenti autẽ obligatio, an transeat ad hęredes, exposui *in c. veritatis* 14. *de iureiur.* Igitur non transeunt ad hęredes primò priuilegium prelationis concessum pro repetenda dote, *in l. vnic. C. de priuil. dot. §. fuerat* 29. *Instit. de act.* Nec interest, quòd priuilegium tacitæ hypothecæ fauore dotis inductę in bonis mariti ad mulieris hæredes transit, *l. vnic. §. proculdubio, iuncto §. vt pleniùs, C. de rei vxor. act.* quia in hac parte nobilis differentia versatur inter vtrumque priuilegium; nam prælationis priuilegium ideò hæredibus non datur, quia mulieris personæ indulgetur, *d. §. fuerat*. Cæterùm tacitæ hypothecæ priuilegium hæredibus competit, quia coniunctum est actioni ex stipulatu, & quodammodo ei inest, *l. assiduis* 12. *§. ad hæc, C. qui potiores*. Quam differentiam obseruant Barbosa *in l.* 1. *part.* 3. *nu.* 30. & *in l. post dotem, n.* 57. *ff. solut. matrim.* Pichard. *in d. §. fuerat, num.* 4.

Aliud

4 *Profequuntur alia priuilegia quæ hæredibus non dantur.*

Aliud exemplum peti poteſt ex l. ex pluribus 42. ff. de adminiſtr. tut. vbi Papinianus ait, prælationis priuilegiũ, quod pupillus habet contra alios creditores in bonis tutoris, de quo loquuntur textus in l. ex facto 52. ff. de peculio, l. vlt. ff. de tutelæ & rationibus, l. 4. §. 1. ff. de priuil. credit. hæredibus pupilli non dari, ex ratione quam aſſignat Papinianus; quia videlicet hoc priuilegium non cauſæ, ſed perſonæ datum eſt: & explicat Gutierrez de tutelis 2. part. cap. 16. num. 19 Faber in Papinianea, tit. 12. princip. 8. illat. 7. Vnde etiam deſcendit ratio textus in l. 1. §. eidem Princeps, ff. ad leg. Corn. de falſis, l. non ſolùm 67. §. ſi pupillo, ff. de ritu nupt. Priuilegium verò tacitæ hypothecæ, quod pupillus habet in bonis tutoris, l. pro officio 20. C. de adminiſtr. tutor. l. penult. in quibus cauſis pignus, l vlt. C. de legitima tutela, l. 23. tit. 13. partit. 5. Maqueda in l. priuilegia, num. 88. ff. de priuil. credit. quia magis in rem, quàm in perſonam concipitur, pupilli hęredibus competit, l. vlt. tit. 16. part. 6. docuerunt Gutierrez d. cap. 16. num. 19. Molina de iuſtitia, tract. 2. diſput. 23. num. 8. Aliud etiam exemplum deducitur ex l. hæredibus 13. ff. de dolo, vbi cùm in l. non decet 11. ff. eod. tit. ſcriptum eſſet priuilegium parentibus & patronis competere, vt actio de dolo, vtpote famoſa, contra eos liberis, & libertis non daretur, propter reuerentiam & obſequium, quod eis exhibere tenentur, l. 4. ff. de in ius vocando, l. 2. l. parens 15. ff. de obſequijs; ſubſequitur in d. l. hæredibus 13. actionem de dolo hæredibus contra patronos dari. Aliud etiam exemplum poni poteſt ex l. 1. verſ. planè ff. de conſt. Princip. vbi docetur ea, quæ ob merita perſonis conceduntur, ad hæredes non tranſire: quod & docetur in l. idem 25. §. 1. ff. de pact. l. ſi actionem 24. C. eod. tit. Neque proximè traditis obſtat in l. 1. §. non ſolum, ff. de ſucceſſorio edicto, vbi priuilegium à Prætore datum liberis, & parentibus ad petendam bonorum poſſeſſionem intra annum, etiam eorum ſeruo hæredi inſtituto competit; & tamen in edicto de legatis præſtandis, quo Prætor conſeruat legata relicta liberis, & parentibus, ſi ab emancipato accepta ſit bonorum poſſeſſio contra tabulas, non conſeruantur legata relicta ſeruis eorum, l. 3. hoc autem, ff. de legat. præſtand. In cuius differentiæ ratione aſſignanda maximè laborat Coſta in cap. ſi pater, verbo Subrogatur, num. 36. qui ait in edicto de legatis præſtandis priuilegium parentum ſeruo non dari, quia Prætor apertum teſtatoris iudicium erga liberos, & parentes conſeruare voluit, l. 1. ff. de legatis præſtandis: & dominus, qui ſerui nomine admitti deſiderat, non ex iudicio teſtatoris vocatur, ſed potiùs ipſe ſeruus iudicium meruit, l. liberis 8. §. hac verba, ff. de vulgar. l. debitor 82. §. ſeruo, ff. de legat. 2. l. legatum 21. ff. de adimend. legat. Cæterùm beneficium temporis bonorum poſſeſſionis ideò ſeruo hæredi datur, quia licèt extranei loco ſit reſpectu tutoris, in ea tamen bonorum poſſeſſione Prætor tantùm perſonam petentis intuetur, ſcilicet an is, qui petit, ex liberis, parentibuſue ſit; non verò quo nomine ad bona parentum, vel liberorum admitti ſe deſideret. Quæ ratio non obſcurè inſinuatur in d. §. non ſolùm, ibi: Perſona enim ea eſt, quæ meruit hoc beneficium.

5 *De priuilegijs patribus cõceſſis.*

Ex præſenti etiam aſſertione deducitur, priuilegia parentibus conceſſa ad filios non tranſire: quod etiam expreſsè docetur in l ſemper, § immunitati, ff. de iure immunit. l. in honoribus 8. §. vacationem, ff. de vacation. muner. l. filio 6. ff. de legationibus. Probant Tiraquel. de primog. q. 40. n. 45 & quæſt. 59. n. 20. Suarez de legib. lib. 8. c. 11. Quod ita accipiendum eſt, ſi priuilegia ſimpliciter dentur. Nam ſi non ſimpliciter, ſed ampliori forma priuilegium patri datur, veluti pro eo, & poſteris, vel alio ſimili modo, priuilegia tranſeunt ad filios, l. 1. §. vltimo, ff. de iure immunit. vt in caſu textus in l. etiam 18. in princip. ff. ſoluto matrim. Quia priuilegium, de quo ibi, ex iuris diſpoſitione ad filium tranſit, l. aſſiduis 12. C. qui potiores; licèt priuilegium illud filijs dandum non eſſe contendant Faber lib. 8. coniect. c. 13 Etiam priuilegia ad filios tranſeunt ex natura rei, aut qualitate materiæ ſubiectę. Exemplum eſt in nobilitate, quę ex origine, & maiorum claritate prouenit; hoc enim naturalis, & ciuilis ratio exigit ad filios deriuari, l. 1. l. Senator 11. C. de dignit. lib. 12. l. Senatori 6. l. liberos 10. l. Senatoribus 15. ff. de Senator. Explicant Tiraquel. de nobilit. c. 15. n. 1. Garcia eod. tract. gloſſ. 7. num. 17. Chaſſaneus in catalogo, part 8. conſider. 24. Azeuedus l. 1. tit. 1. num. 85. lib. recopil. Idem de priuilegijs profeſſoribus, & militibus conceſſis cauetur in l. milites, C. de profeſſoribus, lib. 10. l. 1. & 2. C. qui ante profeſſionem, eod. lib. l. 4. C. de priuil. ſcholaſt. lib. 12. latè illuſtrant Altamiranus ad tit. de official. filijs, Didacus Perez in l. 1. tit. 1. lib. 4. ordin. Petrus Barboſa in l. quia tale, num. 42. ff. ſolut. matrim. & ſi priuilegium etiam pro liberis conceditur, ad poſteros cuiuſcunque gradus tranſit, l. liberos 10. ff. de Senatoribus, l. 3. ff. de veteranis: niſi in ipſo priuilegio generationes reſtringantur, veluti ad trinepotes, vt in l. D. Marco 55. ff. de quæſt. l. filij 22. §. Senator, ff. ad municip. l. 1. C. de priuil. eorum qui in ſacr. palat. lib. 12. Eodem modo ratiocinandum eſt de priuilegijs maritis conceſſis, quæ regulariter vxoribus non communicantur, l. quod Principi 56. l. ſi Auguſtæ 57. ff. de legat. 2. l. Princeps 31. ff. de legibus, iunctis traditis à Donello lib. 8 comment. c. 28. Amaya lib. 1. obſeru. cap. 1. num. 103. & cap. vlt. verſ. Nec aliquis, de offic. deleg. in 6. c. ne aliquis 5. verſ. Illis, de priuileg. eod. lib. docent Petrus Barboſa in l. quia tale, n. 22. Sanchez lib. 7. de matrim. diſp. 47. num. 1. Suarez lib. de legibus, c. 11. num. 1. vt etiam contingit marito reſpectu priuilegij mulieri conceſſi. Molina de iuſtitia, diſp. 423. num. 6. Caſtillo lib. 3. controu. cap. 4. num. 3. Quòd ſi non ſimpliciter marito priuilegium concedatur, ſed ampliori forma, tunc etiam vxori cómpetit, vt cauetur de vxoribus militum in l. 1. C. de vxor. milit. de vxoribus clericorum in l. 2. C. de Epiſc. & cleric. de vxoribus ſilentiariorum in l. 4. C. de ſilentiarijs, lib. 12. & de vxoribus Fabricenſium in l. eos 6. C. de Fabric. & de vxoribus ſcholarium in l 3. C. de priuil. ſchol. Quod præcipuè procedit in nobilitate, & dignitate virorum, quorum radijs mulieres coruſcare, & eorum priuilegijs potiri, conſtat ex l. fœminæ 8. l. nuptæ 12. ff. de Senator. l. ſi liberta 28. C. de nuptijs, l. medico 6. l. Grammatico 11. C. de profeſſor. l. 3. tit. 15. partit. 2. l. 7. tit. 7. partit. 4. l. 9. tit. 11. lib. 2. recopil. latè illuſtrant de vxoribus Profeſſorum, Militum, Equitum, & familiarium, Tiraquel. de nobilit. c. 18. n. 1. Pichardus integro tract. de nobilit. communic. Oſualdus lib. 13. Donel c. 21. fusè Parexa de inſtrum. edit. tit. 2. reſol. 6. ſpecie 6. per tot. Nec ſuprà traditis obſtat textus in l. 1. C. de in ius vocando, vbi pœnam impoſitam liberto in ius patronum vocanti ſine venia, locum habere in vocante eius vxorẽ docetur. Nam reſpondetur id non prouenire ex communicatione priuilegij mariti in vxorem, ſed potiùs ex generali regula relata in l. generaliter, ff. eod. tit. qua cauetur, omnes perſonas, quibus reuerentia præſtanda eſt, ſine venia in ius vocari non poſſe; in quarum numero vxorem haberi apertè docetur in d. l. 1. vbi non rectè Acurſius, quem ſequuntur Bartolus, Baldus, & Caſtrenſis, docet, maritum patronæ ſine venia in ius vocari; ſed malè, nam quis ferat æquo animo, vt maritum, quem patrona colit, non teneatur & eius libertus venerari, vt conſiderat Cuiac. lib. 10 obſer. cap. 10. præſertim quia durum videtur, marito patronæ non deberi reuerentiam, quam priuigno, & extraneis hæredibus libertus exhibere cogitur, l. neque 7. C. de obſeq. l. 4. §. aduerſus, ff. de doli mali, iuncto c. debitum, de bigam. proſequitur Alciatus in d. l. 1. num. 28. vbi rectè docet, non fauere Acurſio legem liberti, C. de oper. libert. quoniam magna eſt differentia inter operas, de quibus loquitur textus ille; & obſequium, ſeu reuerentiam, de qua in d. l. 1. faciliùs quippe operarum exactio denegatur, quàm in ius vocatio ſine venia permittitur. Nec etiam ſuprà traditis obſtat textus in leg. non tamen 20. de re iudic. vbi priuilegium, ne quis conueniatur in ſolidum dotis nomine, vel ex alijs contractibus, porrigitur ad mulierem. Nam omiſſo Cuiacio lib. 24. obſ. c. 38. & lib. 2. different. Modeſt. ibidem, qui extremam clauſulam illius textus adſcribit Triboniano, quem meritò refellit Oſualdus lib 27. comment. cap. 9. dicendum eſt cum Petro Barboſa in l. maritum, ff. ſolut. matrim. Donello d. c. 9. quod licèt priuilegium illud marito competat ratione reuerentiæ illi debitæ, non tamen illa ratio ſola priuilegium illud extorſit, ſed & alia, videlicet ſocietas communis vitæ, l. ex diuerſo 17. §. 1. ff. ſolut. matrim. l. ſi verum 52. ff. de re iudic. Quæ ratio cùm pariter locum habeat in viro ac in vxore, ideò priuilegium, quod marito conceditur, etiam vxori competit, propter æqualitatem inter eos ſeruandam.

6 *Traditur ratio decidendi.*

Quibus ſuppoſitis ratio præſentis aſſertionis prouenit ex natura priuilegij, quod cùm ſit priuata lex, quæ particularibus, non verò omnibus ex populo indicta, aut ſtatuta eſt, ideò ad alios non extenditur quàm ad eos, quibus conceſſum eſt, cap. hinc eſt 39. verſ. Quod priuilegium,

gium, 17. *quæst.* 1. *cap. non exemplo* 26. *q.* 2. Accedit, quod priuilegium essentialiter illud habet, quod contra ius commune aliqoid statuat, concedaturue in eo: quare quatenus à iure communi exorbitat, odiosum censetur, & vt tale dubio procul restringendum est, non ampliandum, *c.* 1. *de filijs Presby. lib.* 6. *l. quod verò*, *l. ius singulare*, *ff. de legibus*, *l. si verò* 64. *§. de viro*, *ff. solut matrim.* Illustrat pluribus relatis Sanchez *de matrim. lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 38. & notaui suprà *in cap.* 7. vnde rectè in præsenti decreuit Alexand. III. alienum esse à ratione, vt qood speciali beneficio alicui indultum est, ad alios protrahatur, etiam ex identitate rationis

7 Dissoluitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam etsi beneficium restitutionis pro personali habendum sit, vt probat Arnoldus Vinius *lib.* 1. *select. c.* 11. contra Mauritium *de restit. cap.* 15. Menochium *de presumpt. casu* 103. *num.* 18 Mynsing. *cent.* 4. *obs.* 19 qui reale esse docuerunt, tamen ad hæredes transit; tum quia hoc priuilegium nō solùm personæ, verùm & causæ datum est: quippe minor non statim restituitur, eo quòd minor est, sed si ab alijs circumscriptus proponatur, vel sua facilitate deceptus probetur, *l. verum* 11 *§. sciendum*, *l. quod si minor* 24. *§. non semper*, *l. non omnia* 44 *ff. de minor. l. nam postea* 9 *§. si minor*, *ff. de iureiur.* Et ideò ad hæredes transit: tum quia restitutio in integrum non competit minoribus iure priuilegij in specie sic dicti, aut tanquam ius aliquod singulare; sed magis tanquam remedium iuris communis, & quod instar est actionis ordinariæ; non enim ex mera tribuitur gratia, sed ipsa quoque iustitia, & æquitate dictante: quam ob causam etiam fauorabile censetur. Sfortia *de in integrum restis. p.* 1. *q.* 1. *art.* 14. & *q.* 50. *art.* 1. ideòque sicut alia remedia personalia ad hæredes transeunt, *§.* 1. *Instit de perpet. & tempor.* ita & hoc. Sed ita demùm beneficium ad hæredes transit, si in vita minor deceptus beneficium hoc impetrauit, *l. nemo* 5. *ff. de in integrum restit.* qnia cum hæreditate transit ad hæredem, Sfortia 1. *p. q* 50. *num.* 8. Vnde signanter *in l. Titia* 62 *vers. Item*, *ff. de iure dotium*, *l. vnic. C. si aduersus dotem*, *l.* 2. *C. de tempor. in integr. restis.* affirmatur hoc beneficium hæredibus ita demùm dari, si ipsi ex persona minorum implorent. Quo modo etiam procedit textus *in l.* 3. *vers. Sed vtrum*, *ff. de minor.* Nec tunc obstat textus *in l. Pannonius* 86 *ff. de acquir. hæredit* vbi defuncto Pannonio, licèt Reipublicæ causa absenti restitutio in vita sua competeret, tamen decessit intra tempus, qno agere poterat Et asserit Consultus, restitutionem esse dandam hæredi. Qui textus difficilis etiam est *ex l.* 1. *C. de restitut. milit.* vbi in simili specie non aliter heredi restitutio conceditur, quàm si defunctus decedat post exactum tempus petendæ bonorum possessionis. Pro cuius difficultatis solutione varia adduxerunt Faber *lib.* 14. *coniect. c.* 1. Hothomanus *lib* 7. *coniect. cap. vlt.* alij relati à Barbosa *in d. l. cùm tale*: quibus omissis dicendum est, in specie illius textus discrimen constituendum esse, an hæres institutus post tempus aditionis decesserit, an anteà. Primò casu restitutio, quæ ad hæreditatem acquirendam competebat, ad hæredem transmittitur, *l.* 1. *C. de restit. milit.* secundo verò casu, si intra tempus decedat, mero ciuili iure eius hæredi beneficium non datur, *d. l. Pannonius*: cuius iuris stricti rigorē vt laxaret D. Pius, constituit defuncto absente Reipublicæ causa, antequam sciret delatam sibi esse hæreditatem, restitutionem dari hæredi, nulla admissa distinctione, an intra, vel post diem aditionis decederet, humanitatis causâ ductus, *d. l. Pannonius* Cuius explicationem latiùs prosequuntur Larreategui *lib.* 2. *select.* D. Ioseph. de Retes *lib* 7. *opuscul. de commorientibus*, *num.* 13.

Nec obstat augmentum difficultatis deductum *ex d. l. hæredes*, *C. ad Velleian.* pro cuius solutione sciendum est, valde controuersum esse, an exceptiones, quæ competunt reu, competant etiam eius fideiussori? Et cùm communi Interpretum placito discrimen est constituendum inter exceptiones reales, & personales Exceptio realis dicitur, quæ licèt competat ex persona rei principalis, dirigitur ad exstruendam obligationem ipsam. Personalis dicitur, quæ eximit personam obligatam, vel ad tempus, vel in perpetuum; sed non perimit obligationem. Itaque regulariter exceptiones reales prosunt fideiussoribus, & regulariter exceptiones personales illis non cōpetunt. Quæ distinctio probabatur quoad vtramque partem, *ex l. exceptiones* 7. *§.* 1. *l. omnes* 19. *ff. de except. l. defensiones* 11. *C. eod. tit. l. ex persona* 32. *ff. de fideiuss.* latè probant Valentin. Francus *de fideiuss. cap.* 3. *à num.* 20. Hering. *eod. tract. cap* 27. *p.* 4. Aretinus *eod tract.* 2. *p. principali*, *sect.* 9 & 27. Donel. *lib.* 22 *comment. cap.* 3. & *sequent.* vbi Osualdus, Faber *lib.* 8. *coniect. cap.* 3. Cuiac. *lib.* 28. *qq. Papin. in l.* 5. *ff. vt legatorum nomine*, Valentia *lib.* 1. *illustr. tract* 4. *cap.* 9. *ex num.* 7. Salgado *in labyrintho credit.* 2. *p. cap.* 30. *ex num.* 30. qui exemplis veritatem huius distinctionis latè probant, & iuxta eam accipiendi sunt textus *in l. in causæ*, *l.* 1. *ff. de minor. l.* 1. *§. quod si*, *ff. quarum rerum actio*, *l. fin. ff. de pact. l. si minores*, *ff. de procurat.* vbi Faber, *l. si pupillus* 89. *ff. de acquir. hæredit. leg. Marcellus* 25. *l. cùm lex* 46. *ff. de fideiussor. leg.* 5. *de liber. legat. leg.* 37. *de oper. libertorum.* Vnde cùm exceptin Velleiani elidat ipsam obligationem, ex æquitateque mulieri competat, etiam fideiussori datur, aliàs frustra daretur mulieri hoc beneficium, si fideiussori etiam non competeret; siquidem actione mandati fideiussor ab ea repeteret, qnod reus ipse assequi non poterat. De beneficio in integrum restitutionis fideiussori competenti ex persona minoris agit Vinius *lib.* 1. *select. cap.* 11.

8 Dissoluitur augmentum difficultatis.

C A P V T X.

Cœlestinus III. a *Abulen. Episcopo.*

PAtentibus literis nostris certificari desideras, vtrùm Templarijs, Hospitalarijs, & alijs *b* oratoria habentibus in domibus suijs liceat campanas in eisdem ponere, publicèque pulsare. Respondemus autem consultationi tuæ, quam facis, & dicimus, quòd non licet eis hoc facere, quin potiùs per te, ap. rem. coercendi sunt censura ecclesiastica, vt ita sint suo iure contenti, quòd iustitiam non impediant aliorum.

N O T Æ.

1 a ABulensi.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.* 2. De Abulensi diœcesi nonnulla adduxi *in cap.* 5. *de supplenda* In præsenti consuluit Episcopus Abulensis Cœlestinum III. super campanis permittendis, vel non in oratorijs Templariorum, quia his temporibus Templarij habebant Eremitoria, & Ecclesias in diœcesi Abulensi, quarum aliquæ hodie persistunt, & in ipsa vrbe Abulæ extat Ecclesia D. Mariæ sub nomine de Balmoneda, quæ fuit Templariorum.

b *Oratoria.*] Non solùm fideles olim habebant oratoria in domibus priuatis orandi gratia, de quibus agitur *in cap oratorium*, *cum sequenti*, 42. *dist. cap. clericos* 34. *de consecrat. dist.* 1. ibi: *Clericos qui ministrant, vel baptizant in oratorijs, quæ intra domos sunt, cum consensu Episcopi loci hoc facere præcipimus.* Et *cap. vnicuique*, *ead. dist.* Concil. Carthag. 2. *can. fin.* Regiense *can.* 4. Aurel. 4. *can.* 7. & 26. de quibus plura Vicecomes *volum.* 3. *de Missæ ritibus*, *lib.* 2. *cap.* 12. & 23. Fornerius *lib.* 6. *rer. quotid. cap.* 6. Herodius *lib.* 1. *Pandect. tit.* 2. *cap.* 13. Petrus Greg. *lib.* 13. *de Repub. cap.* 4. *num.* 5. & *lib.* 1. *partit. tit.* 20. *c.* 2. Vighel. *in methodo iuris can. fol.* 406. & 409. Pancirola *lib.* 2. *variar. cap.* 168. Suarez *de sacram. q.* 83. *disp.* 81. *art.* 3. *sect.* 1. Mendo *in Bullam*, *disp.* 16. Cuiacius *ad Nouel.* 58. *Iustin.* Diana *p.* 9. *tract.* 1. verùm in agris, & suis possessionibus plerumque oratoria exstruere curabant, vt ibi Missæ sacrificium, diuinaque officia celebrarentur: de quo oratoriorum genere agitur in Concilio Aurelian. 4. *can.* 33. ibi: *Si quis in agro suo aut habet, aut postulat habere Presbyterum, diœcesim primùm, & terras ei deputet sufficienter, & clericos, qui ibidem sua officia impleant, vt sacratis locis reuerentia condigna tribuatur.* Vbi nomine diœcesis, oratorium intelligi docuit Lemaistre *lib.* 2 *de iuribus Eccles. cap.* 5. & D. Gregorius *lib.* 2. *epist.* 9. ita Ariminensi Episcopo scribit:

bit: *Timothea illustris fœmina petitoria uobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, intra ciuitatem Ariminensem in loco iuris sui oratorium se pro sua deuotione fundasse, quod in honorem sanctæ Crucis desiderat consecrari: & ideò, frater charissime, si in tuæ ciuitatis iure memorata constructio consistit, & nullum corpus ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est totius facultatis eius, excepta familia, priùs mobilium, vel immobilium, seque mouentium vncijs octo, retento sibi vsufructuario diebus vitæ suæ, gestisque municipalibus alligatam, prædictam oratorium absque Missis publicis solemniter consecrabis.* Et in Concil. Agathensi can. 21. ibi: *Si quis extra parochis, in quibus legitimus est, ordinariusue conuentus, oratorium in agro habere voluerit, reliquis festiuitatibus, vt ibi Missas teneat, propter fatigationem familiæ, iusta ordinatione permittimus: Pascha verò, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten, & natalem sancti Ioannis Baptistæ, vel si qui maximè dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus, aut in parochijs teneant: clerici verò, si qui in festiuitatibus, quas suprà diximus, in oratorijs, nisi iubente, aut permittente Episcopo Missas facere, aut tenere voluerint, à communione pellantur.* Illud tamen summè cauebatur in his oratorijs, vt reliquiæ martyrũ in eis non ponerentur, nisi essent clerici in eis ordinati, aut propè, vt hymnis quotidianis inseruire possent Concil. Epaun. *can.* 25. ibi: *Sanctorum reliquiæ in oratorijs villaribus non ponantur, nisi forsitan clericos cuiuscunq; parochiæ vicinos esse contingat, qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur. Quòd si illi defuerint, non antè proprij ordinentur, quàm eis competens victus, & vestitus substantia deputetur.* Illustrat Lemaistre *lib. 2. de iurib. Episcop. c. 4. & 5.* Sic etiam monachi intra propria monasteria cœperunt sibi oratoria construere, vt doctè probat Gibalin *de clausura regul. disquisit. 1. c. 2. §. 2.* Et Ecclesia clericorum dicebatur, oratoriũ verò monachorum, vt probat Menardus *ad concord. regul. c. 59. §. 1* Prauo *in notis ad regul. D. Benedicti, c. 52* à qua præcipua monasterij parte cœperunt monasteria ipsa oratoria appellari, vt probaui *in cap...*

Construebant etiam monachi oratoria in Prioratibus, & minoribus domibus, vt constat *ex c. fin. de censibus:* de his oratorijs, quæ habebant Templarij, & Hospitalarij in diœcesi Abulensi, agitur in præsenti.

COMMENTARIVM.

3 Conclusio probatur. EX hoc textu communiter sequens deducitur assertio: *In oratorijs religiosorum campanæ poni non debent.* Non est alia similis decisio, qua probari possit præsens decisio; eam tamen explicant, & illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, & *lib. 2. voto* 102. Gibalin. *de clausur. regul. disquisit. 2 cap. 2. § 2.* Mayolus *dier. canicul. verbo Metalla, fol* 315. Cironius *ad tit. de statu monach.* Tondutus *resol. canonic. c. 25 n. 14.* Narbona *in horograph. in antiloquio, n.* 140. Tamburin. *de iure Abbat. tom. 2. disp. 54 quæst.* 15. Angelus Rocha *in tract. de campanis, cap. 16.* Frances *de Eccles. Cathedr. cap. 24. num.* 130.

4 Impugnatur iadicta assertio. Sed pro dubitandi ratione in præsentem decisionem ita insurgo: Campanarum vsus ab Ecclesia receptus iam, diùque approbatus fuit ad varios effectus spirituales his versibus comprehensos:

Laudo Deum summum, plebem voco, congrego clerum;
Defunctos ploro, nimbum fugo, festaque honoro.

Quos sonitus, & campanæ effectus probant & illustrant Herrera in *orig. diuin. offic. lib. 1. c 8. n. 2.* Hieronymus Magius *lib. 4 miscel. c. 14* Igitur & in oratorijs monachorum poni debent, præcipuè cùm ibi celebrentur diuina officia. Augetur hæc difficultas ex varijs Pontificum decisionibus, in quibus supponitur, monachos in suis monasterijs campanas habere, vt in *c. nimis, de excess. Prælat.* vbi inter alios Episcoporum excessus in religiosos & ille refertur, videlicet, quòd non sinebant monachis campanas in proprijs Ecclesijs habere: & *in c. in causa, de elect.* refertur, quòd quando Episcopus Castellanus accedebat ad monasterium sancti Gregorij, pulsabantur campanæ monasterij. Et Innoc. III. *lib. 1. regestr. epist.* 297. ait ruptos fuisse funes campanarum in monasterio Flauinensi, ne Abbas Flauinensis duceretur ad Ecclesiam ibi: *Ne possent ad Ecclesiam ducere, fores Ecclesiæ clausæ sunt, ruptis funibus campanarum.* Igitur quia in monasterijs, seu eorum Ecclesijs, & oratorijs campanæ poni possunt.

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, sæuientibus tyrannorum persequutionibus fideles conuocari solitos ad synaxim, & diuina officia per cursorem, cui incumbebat Christianos ad certam horam, qua sacris operandum erat, conuocare; cuius officij mentionem facit sanctus Ignatius, qui obijt anno 93. *epist.* 13. *ad sanctum Polycarpum*, ex qua constat, Diacono inter alia illud iniunctum fuisse munus, vt attenderet diligenter ad sacram communionem, & non omitteret, quin nominatim conuocaret Christianos ad Ecclesiam. Nec assentio Amalatio Fortunato *de officijs ecclesiasticis c.* 21. qui refert, tempore persequutionis Christianos vocari solitos ad synaxim sonitu lignorum, vt fit hodie tribus vltimis diebus maioris hebdomadæ; nam nec ratio patitur, vt cùm hæc illi secretiùs agenda curarent, tanto lignorum strepitu Gentilium aures, & oculos in se conuerterent. At post redditam Ecclesiæ pacem tintinnabulorum sonitu, quæ posteà à prouincia, vbi primò cœperunt grandiora fieri, campanæ sunt appellata, vt refert Vualfridus Strabo *de rebus Ecclesiæ c. 5.* populus ad Ecclesiam vocari consueuit, sicut & Gentiles sonitu tintinnabuli ad thermas, & operas conuocasse homines certum est ex Martial. *lib. 4. epigram.* Iuuenal. *satyr. 6.* Luciano *de mercede conductæ*, Seneca *epist. 95. de breuitate vitæ.* Vsus campanarũ (quæ sunt vasa ænea, in Nola ciuitate prouinciæ Campaniæ in Italia primò grandiora fusa) tribuitur sancto Paulino coæuo sancti Hieronymi, qui floruit per annos 380. Vnde patet, ritum antiquiorem esse Sabiniano Papa, qui floruit per annos 604. cui Ciaconius, Genebrardus, Polydorus Vergilius tribuunt inuentionem campanarum: neutri, scilicet nec Episcopo Nolæ, nec isti competit talis vsus inductio; nam Gentiles ante Christum iam campanis vsi fuerunt, vt probant Angelus Rocha *in tract. de campanis*, Demsterus *ad Rosinum lib. 2. fol.* 134. statuto tamen speciali edixit Sabinianus Pontifex, pulsandas esse campanas ad sacrificium Missæ, & horas canonicas, ideòque harum auctor vulgò agnoscitur; quare & post eius sæculum mentio campanarum frequentiùs apud scriptores habetur Audoenus *in vita S. Eligij, lib. 2. c.* 21. anno Christi 650 miraculum refert de campana, quæ ad iussionem Episcopi siluit, nec sonum aliquem reddidit. Vener. Beda scribens in septimo sæculo, distinctionem affert pulsationis campanæ, qua ad orationes conuocari solebant fideles, ab illa, cùm quis eorum decessisset. Alcuinus *de diuin. offic.* rationem tradit, cur non pulsentur campanæ in diebus passionis Christi, quia videlicet prædicatores eo tempore siluerunt. Baronius *anno* 616. ostendit vsum campanarum in Occidente frequentem fuisse, in Oriente verò vsum earum inualuisse tempore Michaelis Imperatoris, cui Dux Venetiæ campanas misit anno 865. Orientales sanè seriùs eum vsum admiserunt; nam *in 7. Synodo, act. 4.* ex libro miraculorum S. Anastasij Martyris refertur, Christianos Cæsareenses, cùm deferrentur Sancti illius reliquiæ, obuiàm illis factos summa cum lætitia sacra ligna pulsasse. At in Occidente longè anteriùs vsurpatæ sunt, nam in actis S. Lupi Senonensis, qui anno Christi 600 florebat, mentio extat grandis tintinnabuli, cuius erat vsus in Ecclesia Senonensi. In iure etiam mentio earum fit *in c. in causis, de elect. c. Ioannes, de homicidio, c. nimis, de excess. Prælat. c. fin. eod. tit. in 6.* Concil. Rauennat. 2. tempore Clement. V. *rubric. 8. Statuimus, quod de cætero campanæ, quæ fiunt de nouo, benedicantur ea solemnitate, quæ in Pontificali inscribitur in Ecclesijs Cathedralibus, ciuitatibus singulis, & collegiatis, & plebibus, & conuentualibus singulis diœcesum.* Plura de campanarum inuentione, & benedictione, quam heterodoxi baptismum dixerunt, congesserunt Carrier. *tom. 2. digest. fidei, fol.* 617. Kochier *in suce histor. cent. 2. cap. 26.* Simon Maiolus *dier. canicul. verbo Metalla*, Lantdmeter *lib. 2. de veteri clerico, c. 63.* Suarez *aduersus Regem Angliæ, lib. 2. cap. penult.* Demsterus *ad Rosinum lib. 2. fol.* 134. Narbona *in horographia, in antiloq. num.* 140. Nouarinus *lib. 1. schediasm. cap.* 27. Andreas Saufay *in panop. sacerd. p. 2. lib. 2. cap. 6 artic.* 22. Frances *de Eccles. Cathed. cap. 24. per tot.* Grethserus *de bened. lib. 2. cap. 45. & 46.* Suarez *tom. 2. pro defens. fidei, cap.* 16. Iodocus Coccius *tom. 2. thesauri, lib. 3. art. 6.* Durantius *de ritibus Eccles. lib. 1. cap. 22. num. 6.* M. Delrius *lib. 6. disquisit. magic. cap. 2. sect. 3.* Cardin. Osius *lib. 5. contra Brentium*, ibi: *Baptizari campanas mihi inauditum est: benedicuntur quidem iuxta formam*

5 De campanarum usu, & origine.

Digitized by Google

mam in Pontificali Romano præscriptam; verùm de baptismo nec verbum.

6 De campanarum vsu apud monachos. Deinde sciendum est, apud monachos moris fuisse per varia signa ad synaxim, & officia diuina eos conuocare. Et primò tuba eos congregatos fuisse constat ex sancto Pachomio *in regula, n.2.* ibi: *Quando ad collectam tuba insonuerit per diem, qui vna oratione tardiùs venerit, increpabitur.* Similiter apud Climachum *gradu* 18. legitur: *Cùm insonuerit signum spiritualis tubæ.* Quam corneam fuisse, & inuentam ad similitudinem earum, quas Dominus fieri iussit, *Numeror. c.10. vers.2.* ibi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus inuocare possis multitudinem;* docuerunt Gazeus *in notis ad regulam sancti Pachomij*, & B. Hæphtenus *disquisit monast. lib.7 tract 3. disquisit* 2 Brauo *ad regulam D. Benedicti, c.37.* Deinde vocari cœperunt tabulis, malleo, aut lignorum collisione. Cæsarius *lib. 1. hist. cap 40. de S. Virgine Haldegunde*, ibi: *Percussa tabula, cùm tam Abbas, quàm cæteri fratres ad eius exequias conuolassent, & corpore exportato ad lauandum detectum fuisset, sexus fœmineus apparuit.* Et *lib.6. c.36.* ibi: *Interim percussa tabella conuentus accurrit, morientem circumstetit, dictaque litania sacerdos defunctus lotus, & vestitus cum solemni cantu deportatus est in oratorium.* Notauit Zerda *in aduers. c. 44. n. 21.* qui vsus diù durauit forsan propter egestatem monachorum, & metalli penuriam. Qua etiã ratione in Ecclesia idem etiam vsus diù inualuit. Synodus Nicæna *act 4.* ibi: *Cùm sanctæ ciuitati reliquiæ sanctæ appropinquassent, surgentes subitò, lignaque sacra pulsantes, inuicem obuiam facti sunt in veneranda Virginis Deiparæ æde, quæ appellatur noua: illic cum cruce, & supplicatione egressi, læti, & gaudentes cum gratiarum actione sacris reliquijs occurrerunt.* Amalarius Fortun. *lib.4. de ecclesiasticis officijs, c. 21.* ibi: *Potest & in hoc humilior vsus Ecclesiæ Romanæ assignari antiquis temporibus quàm nunc sit, & præcipuè tunc, quando latitabat per cryptas, propter persecutores: nam & adhuc iunior Roma (Constantinopolis,) quæ antiquis temporibus sub vno Domino cum antiqua Roma regebatur, vsum lignorum tenet, non propter æris penuriam, sed propter vetustatem.* Tandem tintinnabulis cœperunt congregari, vt refert D. Hieronymus *lib.2. aduers. Iouin.* ibi: *Cùm ingressi domum fuerint, ad tintinnabuli pulsũ preces effundunt: quod vbi fecerant, signo itidem dato ministri, &c.* D. Benedictus *cap.43. suæ regulæ*, ibi: *Ad horam diuini officij mox vt editum fuerit signum, relictis omnibus quælibet fuerint in manibus, summa cum festinatione curratur.* Vbi Petrus Boerius ait, signum campanæ in antiquis cœnobijs monachorum, vel fractum fuisse, vel perforatum, vt sonum emitteret terribilem, idque vt monachi recordarentur terribilis illius vocis: *Venite ad iudicium.* Vel in signum, ait, quòd sumus de ordine B. Benedicti, cuius tintinnabulum diabolus iactu lapidis fregit.

7 Traditur ratio decidendi. His suppositis ratio præsentis decisionis ex eo prouenit, nam cùm oratoria monachorum non alia de causa construerentur, quàm ad laudes Deo persoluendas, vt expressit Gregorius III. in erectione monasterij sanctorum Martyrum Stephani, Laurentij, & Chrysogoni, ibi: *Ad persoluendas Deo laudes, diurnis, & nocturnis temporibus ordinatas;* Ecclesiæ verò sæculares tum docendo populo, tũ administrandis sacramentis plebi vsui erant, quibus ministerijs monachi inseruire non valebant, Cõcilium Parisiense sub Ludouico, *cap.36.* Concil. Rauennat. sub Calixto II. *can.* 27 Gregorius V.I. in Synodo Romana, *can.6 cap illud*, cum alijs, 16 *q. 1.* ideò licèt in Ecclesijs sæcularibus campanæ ponantur ad conuocandum populum, tamen in oratorijs monachorum, quia hæc ratio cessat, ideò campanæ poni non possunt. Accedit, quia campana iuris parochialis signum est; vnde Presbyteri, qui alicui Ecclesiæ incardinantur, per funem campanæ inuestiuntur. Innoc. III. *lib.1. regestr. in epist. ad Niuernen. Episcopum.* Et cùm Missæ publicè olim in monasterijs non dicerentur, nec campanam ad populum conuocandum monachi habere debebant. Quare idem Innocent. III. *lib.3. regestr. in epist. ad Antipolitanam Episcop.* prohibet monachis Lerinensibus aquæ benedictæ aspersionem, processiones, & litanias, baptismum, sepulturam, campanarum pulsationem antequam in Ecclesia parochiali fuerint pulsatæ: notarunt Cironius *ad tit. de stat. monach.* Gibalin. *d. §.2. n.4.* Vnde rectè Pontifex in præsenti decreuit, Templarios, Hierosolymitanosque non posse in oratorijs suis campanas habere, quia cùm ea construxerint tantùm orationis gratia, non poterant conuocare populum ad sonum campanæ.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam cùm olim monachi in suis Ecclesijs Missas publicas dicere, aut Sacramenta administrare non possent, *c. iuxta* 11. 16. *quæst.* 1 ideò nec campana ad congregandum populũ vti poterant. Nec obstat textus *in d. c. nimis*, cui vt satisfaciant communiter repetentes in præsenti, asserunt, monachos in suis oratorijs campanam habere posse, *ex d. c. nimis;* non verò campanas, vt in præsenti docetur. Quæ solutio apertè conuincitur ex dicto capite *in causa, de elect.* ibi: *Campanis.* Quare hac omissa solutione dicendum est *in d. c. nimis*, & alijs iuris locis suprà expensis agi de Ecclesijs eorum monachorum, quibus concessum erat publicè Missas dicere, ac fidelibus sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrare: quibus per consequens concessum videtur, campanam publicè pulsare ad fideles conuocandos: at verò in oratorijs priuatis peculiariter orationis gratia constructis, quia fideles vocandi non erant, ideò campanas ipsi ponere nequibant. Tandem Ioannes XXII. *in extrauag. 1. de offic. custod.* permisit mendicantibus Religiosis vnam tantùm campanã habere, ibi: *Hoc perpetuo edicto ordinamus, quòd religiosi dictorum ordinum mendicantium in nullo conuentu suo, seu loco plures campanas habeant sine Sedis Apostolicæ licentia speciali, sed vna tantummodò pro loco quolibet sint contenti.* Cui constitutioni generali consuetudine derogatum esse iam notarunt Alciatus *lib.8 parerg. cap.11.* & alij apud Barbosam *d. voto* 102. *num.62.* 8 Dissoluitur dubitandi ratio.

C A P V T XI.

Innocent. III. *Archiepiscopo a Lundensi.*

TVarum nos tenor edocuit literarum, quòd Fratres Hospitalis sancti Ioannis laici, & illiterati ad partes illas mittuntur pro eleemosynis colligendis, quas populus ex deuotione pro sustentatione pauperum prædicto loco mittere consueuit. Quia verò per se non sufficiunt loca omnia circuire, sibi clericos, sacerdotes, laicos, & rudes, non religiosos, sed in nequitijs exercitatos assumunt, eorum pectoribus crucis characterem imponentes. Cùmque gulæ, & ebrietati deseruiant, se valde inhonestos in alijs ostendentes, clerum, & populum grauiter scandalizant, cùm ipsi laici *b* Prioratuum fungantur officijs, & tam clericis, quàm sacerdotibus præponantur; & non solùm Episcopis inobedientes existunt, verùm etiam quasdam immunitates, tanquam sibi ab Ap. Sede indultas præsumunt sibi temerè vindicare. Cùm enim in quadam Ecclesia baptismali eis à tuo prædecessore collata, quidam nuper percutiens Vicarium sacerdotem, ipsam Ecclesiam defœdasset sanguinis effusione, vsque ad reconciliationem diuina ibidem interdixisti officia celebrari; sed nihilominus ipsi in ea diuina *c* celebrarunt. Sacerdotes insuper vndecunque venientes, ac eos, de quorum conuersatione, ac ordinatione nulla certitudo prorsus habetur, ad diuinum sibi officium celebrandum *d* recipiunt, Episcopi assensu minimè requisito. Alios verò Presbyteros ab officio suspensos per Episcopos suos pro suorum exigentia meritorum, ijdem, cùm sint laici, ad officia *e* restituunt exequenda. Quidam prætereà cum vxoribus suis in domibus proprijs commorantur; & illos quidem, eo quòd eis de suis aliquid conferunt annuatim, ita emancipare contendunt, vt

alijs

Digitized by Google

alijs secundùm leges terræ de sibi subiectis respondere minimè teneantur. Verùm quia priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, f.t. per A. f.m. quat. si quos clericos, seu sacerdotes, aut laicos à prædictis fratribus pro colligendis eleemosynis cruce falsa signatos inueneris, ijs à quibus ipsos missos esse constiterit, per totam prouinciam tuam, nostra fretus auctoritate, exhortationis huiusmodi officium interdicas: laici si fuerint, etiam missos excommunicationis mucrone percellas; si clerici, vel Presbyteri fuerint, ab officio, beneficioque suspendas, nullo prorsus priuilegij beneficio, vel ap. remedio præualente. Eos verò, quos in prædicta Ecclesia lege tibi diœcesanea subiectos post interdictum tuum diuina celebrasse cognoueris, eiusdem pœna *f* suspensionis inuoluens, in ea, donec reconciliata fuerit, quemadmodum sacra præcipiunt instituta, officia non permittas diuina celebrare: Presbyteros etiam suspensos ab Episcopis suis, & per dictos Fratres ad officia sua temerè restitutos, in eandem suspensionis sententiam nostra fretus auctoritate reducas: alios verò, quos ad respondendum alijs secundùm legem terræ, præmissa causa asseris non teneri, nolumus excusari, quin eos ad respondendum sub. ap. impedimento compellas. Datum vt suprà.

NOTÆ.

1 a LVnden.] In hac sexta collectione legitur *Lugdunen.* in tertia *sub hoc tit. c. 1.* legitur *Linden.* sed in ipso Regestro epistolarum Innoc. correcto à Sirleto, *fol.* 223. legitur *Lundensi*, ex quo restituo præsentem textum. De Lundensi Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. 2. de consuet.*

2 b *Prioratuum.*] De quibus Prioratibus, & eorum Priorum iurisdictione plura congesserunt Valascus *consult. 192. n. 11.* Marius Giurba *consf. 77. n. 17.* Carleual. *de iudicijs lib. 1. tit. 1. disp. 2. num* 451. Mendo *de Ordinibus Milit. disquisit. 2. quest. 2. num. 68.* Scaño *in propugnaculo huius Ordinis, discep. 2. cap. 4. per tot.*

c *Celebrarunt.*] Cùm esset polluta per violentam sanguinis effusionem, iuxta tradita *in c. 3. de consecrat. Eccles.* Eundem casum narrat Guill. Tyr. *lib. 18. c. 3.* 3

d *Recipiunt.*] Contra tradita *in cap. 1. de clericis peregrinis.*

e *Restituunt.*] Cùm suspensus, aut excommunicatus ab vno Prælato, non debeat ab alio recipi, vt probaui *in c. ad reprimendam, de offic. Ordin.*

f *Suspensionis.*] Iuxta tradita *in cap. fin. de excess. Prelat.*

C A P V T XII.

Idem *R. Abbati, & conuentui S. Petri* a *Eugubin.*

CVm olim essemus apud Perusium constituti, tu fili Abbas ad nostram præsentiam accessisti, priuilegium bonæ memoriæ *b* Lucij Papæ præd. n. nobis humiliter repræsentans, & postulans illud suppliciter innouari, quod propter contradictionem ven. f. n. *c* Marci Eugubini Episcopi, qui tunc temporis superuenit, asserens hoc in suum præiudicium redundare, non fuit effectui mancipatum. Cùmque alter vestrum de altero in nostro auditorio quereretur, ven. f. n. Assisinatis Episcopo causam sub ea forma commisimus audiendam, vt vos, & iam dictum Episcopum curaret ad concordiam reuocare: alioquin audiret vtrimque proposita, & omnia in scriptis redigens, nobis processum negotij fideliter referaret. Qui cùm indulta vobis à Sede Apostolica priuilegia inspexisset, intellecto quòd monasterium vestrum ad Romanam Ecclesiam specialiter pertineret, in causa non duxit vlteriùs (sicut accepimus) procedendum. Consequenter verò ad ven. f. n. Callen. Episcopum, & dilectum filium Ar. Abbatem S. Mariæ Vallispontis, ad postulationem præfati Episcopi Eugubini literæ nostræ fuerunt super mutuis quęstionibus destinatæ. Sed quia pendente iudicio Ioannes monachus priuilegia, chartas alias, & thesaurum monasterij vestri rapuit, te, Abbas, ad nostram oportuit præsentiam iterùm laborare, vbi literas impetrasti, quòd per excommunicationis sententiam, qui de amissione priuilegij scirent aliquid, cogerentur dicere veritatem. Sed quoniam nec sic amissa potuisti priuilegia reperire, ad nos denuò es reuersus. Te igitur cum testibus tuis, & præfati Episcopi Eugubini procuratoribus in nostra præsentia constitutis, dilecto filio nostro P. Basilicæ XII. Ap. Presbytero Cardinali dedimus in mandatis, vt super amissione, ac tenore priuilegiorum testes reciperet diligenter, quos duceres producendos. Qui mandati nostri diligens executor, præsentibus præfatis procuratoribus fideliter redegit in scriptis depositiones x. testium iuratorum: quorum depositionibus publicatis, iamdicti procuratores ad producendos testes Episcopi, per quos inductos à parte aduersa repellerent, inducias postularunt, quas præfixo termino peremptorio sub eo tenore illis duximus concedendas, vt apud Ap. Sed. probarent quæ vellent, nisi onus probationis pars altera subijsset. Cæterùm quoniam infra datum terminum, & receptum in producendis testibus defecerunt, nos tamen tam per depositiones testium, quàm per assertiones quorundam f. n. liquidò cognoscentes, talem dicti priuilegij fuisse tenorem, quod videlicet ipsum cœnobium nullo mediante ad Romanam Ecclesiam pertineret, & quod non liceret alicui Episcopo eidem monasterio, & eius Ecclesijs excommunicationem indicere, vt fratres illic Domino seruientes ab omnium potestate liberi Rom. Eccles. libertatis gratia potirentur, & quod nulla in eo mentio diœcesani Episcopi habebatur: illud etiam nihilominus attendentes, quoniam sicut ex dictis quorundam testium intelleximus euidenter, plurimique de nostris fratribus tempore illo præsentibus recolebant, cùm tu, fili Abbas tempore bonæ memoriæ C. Pp. præd. n. ad ipsius præsentiam accessisses, ipse inspectis Ecclesiæ tuæ priuilegijs, te, licèt excommunicatus ab Eugubino Episcopo dicereris, tanquam non ligatum admisit ad *d* osculum: quod præsumitur non fecisse, nisi monasterium vestrum cognouisset ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere: de communi fratrum nostrorum consilio pronunciandum decreuimus *e* priuilegium illud bonæ memoriæ Lucij Papæ, quod sine reprehensione bullæ, chartæ, vel literæ apparebat, quando fuit nobis ostensum, illius fuisse tenoris, cuius per depositiones testium, & assertiones f. n. præmisimus extitisse. Decernimus ergo, &c. Datum Lat. II. Kal. Iunij.

NO-

NOTÆ.

1 a *EVgubini.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. 2.* & in epistolis Coloniæ editis *lib. 2. fol.* 318 Monasterium hoc S. Petri est in diœcesi Eugubina Ordinis D. Benedicti, vt refert Tamburinus *in serie Abbatiarum, verbo Eugubinum.* & de ipsa diœcesi nonnulla adduxi *in cap.* .

b *Lucij.*] Tertij videlicet.

c *Marci.*] Qui priùs fuit monachus D. Benedicti in
2 monasterio de Auellana; & electus fuit in Episcopum Eugubinum anno 1193. vt refert Vghellius *tom 1. Italiæ sacræ. fol. 685.*

3 d *Osculum.*] Ad quod non admitteret Pontifex, nisi priùs esset absolutus, quia aliàs per ipsam admissionem ad osculum censeretur absolutus, vt docuit Hostiensis *in c. venerabilis 34. verbo Recognouit, de elect.* Facit Sidonius *lib 4. epist. 23.* ibi: *Deus magne! quàm lætus orietur tibi dies, mihi nuncius, animus illi, cùm paternis pedibus affusus, ex illo ore læso, ore terribilis conuicium expectans, osculum exceperit.* Vbi Sauarus Plura de osculo pedis Pontificis Barbosa *lib. 1. de iure ecclesiast. cap. 2. num. 90.* Ioannes Baptista Casalius *de veteribus ritibus Christianorum, c. 81.* Lorinus *in c. 10. actuum Apost. vers. 25* Lantdmeter. *lib 3. de veteri clerico, c. 3.* Zerda *in aduers. c* 184. *n. 5.* Bernardinus Ferrarius *lib. 3. de antiq. epist. Ecclesiæ, cap. 2.* Rousselius *lib. 8. histor. Pontif. iurisd. cap. 4. n. 3.* Illustr. Ramos de Episcopis Lusit. *propos. 1. §. 2. num. 90.*

e *Priuilegium.*] Quatenus priuilegium scriptura, aut testibus probari debeat, pro huius textus illustratione iam exposui *in c. porrò, suprà hoc tit.*

CAPVT XIII.

Idem a *Catalaun. electo*, & *Abbati* b *Triumfontium.*

EX parte Abbatissæ, ac Sororum Iotren. Ecclesiæ nostris fuit auribus intimatum, quod ven. f. n. Melden. Episcopus commissionis occasione cuiusdam ad ven. f. n. Parisien. Episcopum, & dil. fil. Abbatem de Lantum à nobis obtentæ, in qua nulla mentio habetur de ipsarum priuilegijs, quæ illas, & earum Ecclesiam, Clerum, & populum c Iotren. ad Ap. Sed. nullo mediante spectare declararent, quorum ipse non erat d ignarus, eas incepérit grauiter molestare, obedientiam ab ipsis, ac Clero, & populo villæ Iotren. qui secundùm priuilegia Sedis Apostolicæ gaudent consimili libertate, & subiectionem omnimodam impendendam sibi requirens. *Et infra*: Verùm cùm iudices, & assessores eorum ipsas valdè grauarent, ad appellationis beneficium conuolarunt. *Et infra*: Sed iudices ipsi appellationi minimè deferentes, nec fragilitati sexus compatientes earum, in Abbatissam excommunicationis vinculum, & in populum villæ Iotren interdicti sententias protulerunt. Sanè cùm nuntij Iotren. Ecclesiæ prædicta, & alia multa in nostra præsentia retulissent, quibus eas, & suos contra libertatem eis concessam grauatos dicebant, priuilegium nobis Apostolicum ostenderunt, per quod Ecclesiam Iotren. constabat ad Romanam Ecclesiam specialiter pertinere. Nos autem eos diutiùs detinentes propter ap. prædictam, quia tamen tandem nullus apparuit idoneus responsalis, qui partem defensaret aduersam, licèt post modùm quidam simplex nuntius super hoc prædictorum Parisien. Episcopi, & Lantun. Abbatis literas præsentasset, priuilegium Ap. Sed. Ecclesiæ Iotrensi concessum duximus innouandum; ita tamen, vt per innouationem ipsius eidem Ecclesiæ nihil iuris plus accrescat, quàm per priuilegia prædecessorum nostrorum obtinuerit, cùm per hoc nouum ei non concedere, sed antiquum ius conseruare e velimus.

NOTÆ.

1 a *CAtalaun.*] In tertia collectione, *sub hoc tit. c. 3.* legitur *Cautbaubauen.* sed malè; nam Catalaunū Campaniæ vrbs, ad Matronam fluuium sita, in prouincia Rhemensi Galliæ, habet Cathedram Episcopalem, cuius Episcopus est Dominus temporalis vrbis, Comes, & Par Franciæ Fulbertus Carnot. *epist. 78. Ne ciuitati, vel Ecclesiæ Catalaunorum suum deneget honorem, meminisse vos decet, quod in antiquis inscriptionibus Belgicæ ipsa ciuitas à Rhemensi tertium locum habuit.* Vt referunt Fratres Sarmat. *tom 2. Galliæ, fol. 501.* Chenu *in chronolog. Galliæ. fol.* 288 Rigordo electo tantùm in Præsulem huius Ecclesiæ rescribit Innoc. in præsenti, vt notauit Bosquetus *in notis ad Innoc. III lib. 1. Regestr. 13. epist. 22.*

2 b *Triumfantium.*] Monasterium hoc est ordinis Cisterciensis in diœcesi Catalaunensi, in Ducatu Barensi, cuius fundationem refert Guillelmus Abbas *lib. 1. histor. c.* 13. his verbis: *Petente, & agente Domino Guillelmo Episcopo, in Episcopatu Catalaunensi, eam quæ Triumfontium dicitur, domum construxerunt, ad quam cùm Abbatem cum monachis emisissent, Dominum Rogerium virum nobilem secundùm sæculum, sed nobiliorem sanctitate; & viros quosdam similis formæ cum eo, spiritualis pater (Bernardus scilicet) filios, quos emisit, non dimisit, sed paterna sollicitudine, & pia affectione cum eis erat.* Alia de ipso monasterio congesserunt Claudius Robertus *in sua Gallia Christiana,* Manrique *tom. 1. annal. Cisterc anno* 1118. *c. 3. num. 4.* Fratres Sarmat. *tom 4. Gall. fol.* 881.

c *Iotrensis Ecclesiæ.*] De quo monasterio nonnulla adduxi *in c. dilecta, de excess. Prælat.*

d *Non erat ignarus.*] Hæc verba exposui *in cap super 20. de rescript.*

e *Velimus.*] Quia inuocatio, seu confirmatio priuilegij ius nouum non tribuit, sed antiquum confirmat, *c. quia 29. hoc tit. c. cùm dilecta, de confirmat. vtili*; vbi commentarium huius textus dedi. 3

CAPVT XIV.

Idem a *Colubriensi Episcopo.*

CVm olim ad Ap. Sed. accessisses, & propter quæstiones, quas aduersùs dil. fil. Priorem & Canonicos S. b crucis habebas, pro quibus fuerat ad nostram audientiam appellatum, moram feceris longiorem, quia pro parte altera nullus comparuit responsalis, eidem Priori, & fratribus in virtute obedientiæ districtè c præcepimus, vt vsque ad festum omnium Sanctorum proximò tunc futurum per se, vel per sufficientes responsales, & idoneos, ad nostram præsentiam accederent, super priuilegijs omnibus, & libertatibus, quæ à Romanis Pontificibus, vel à bonæ mem. quondam Colubriensi Episcopo se habere dicebant, & super alijs quæstionibus aduersùs eos à Colubriensi Ecclesia intentatis diffinitiuam sententiam recepturi. Vt autem veritas faciliùs appareret, authentica, & originalia cum bullis suis nobis vsque ad eundem terminum sub eadem districtione præcepimus exhiberi: interim autem vtrique parti liceret coram dil.

fil.

Digitized by Google

fil. de Alcobatia, & de Seiza Abbatibus, & F. Meuen. monacho *d* Alcobatiæ, quibus sub certa forma causa priùs fuerat delegata, & testes vtrimque producti, proponere, ac probare, si quid aliud proponendum ducerent, ac probandum. *Et infra*: *e* Iudices autem sufficienter actum esse de causa credentes, attestationibus, & rationibus vtriusque partis diligenter inspectis, monasterium S. Crucis in expensis, quas per *f* quadriennium occasione huiusmodi negotij iuraueras te fecisse, quæ quinquaginta marcharum auri summam attingerent, tibi de prudentium consilio damnauerunt, infirmantes sua sententia libertatem, quam *g* M. Colubrien. Episcopus in enorme detrimentum Colubrien. Ecclesiæ contulerat monasterio S. Crucis Canonicorum assensu per præconem Episcopi, & portarium Regis *h* extorto. Prætereà quia idem M. etiam fuerat canonicus regularis, & duo millia marabotinorum, quæ acquisierat, in Episcopum iam promotus *i* monasterio dederat memorato, ipsum ad restitutionem eorum iudices condemnarunt. Insuper tam decimas, quàm omnes Ecclesias, quas de manu Regis, vel aliorum laicorum, siue clericorum monasterium præter Colubrien. Episcopi assensum receperat, & quas in *k* Lateran. vel in alijs locis in attestationibus comprehensis propria auctoritate fundauit, quia pars S. Crucis nec præscriptione, nec defensione alia probationibus contra se factis obstiterat, iudicarunt in ius Colubrien. Ecclesiæ cum fructibus medij temporis reuocari. *Et infra*: Tandem verò cùm tu, & pars altera propter hoc ad Sedem Apostolicam venissetis, procurator monasterij S. Crucis proposuit sententiam non tenere. Quòd si aliàs etiam sententia memorata teneat, quia tamen monasterium fuit indefensum, sicut ipsi iudices per suas literas protestatur, nec exhibita fuerant coram eis priuilegia libertatis, ne debitum personæ in damnum Ecclesiæ redundaret, debebat ad exhibitionem priuilegiorum suorum admitti, quòd sibi concedi de solita benignitate Sedis Ap. postulauit. Nos igitur attendentes, quòd eadem priuilegia non solummodò pro libertate monasterij faciebant, sed exprimebant ius nostrum, & Ecclesiæ Romanæ iustitiam tuebantur: ne in nos monasterij læsio redundaret, ad priuilegia exhibenda partem eius de gratia duximus admittendam. Vt autem pleniùs de processu iudicum possemus intelligere veritatem, gesta omnia, sicut acta fuerant, coram nobis vtrimque iussimus exhiberi. Nos igitur his, & alijs auditis, & intellectis, quæ fuerant hinc inde proposita, distinguentes inter libertatem per prædictum Episcopum Ecclesiæ ipsi concessam; & libertatem, quàm ei longè antè tempus ipsius Episcopi Ap. Sedes indulsit, sicut patet ex priuilegijs antedictis, quia nobis constitit euidenter extortum fuisse in Episcopi concessione canonicorum assensum, & concessionis paginam in aliquot lineis habuisse rasuras, & subscriptiones singulas fuisse singulis subscribentium manibus annotatas; scriptum autem, quòd nobis exhibitum fuerat, nec rasuram prætendere, nec varijs subscriptionis manibus variatum, sed à primo ad vltimum eadem potiùs manu conscriptum, libertatem ab ipso Episcopo concessam irritam decernimus, & inanem, super hoc sententiam delegatorum iudicum confirmantes. Quia verò euidenter agnouimus priuilegijs antedictis prædecessores nostros Ecclesiæ S. Crucis libertatis priuilegium indulsisse, ac quòd ea in possessione tamdiù fuerat libertatis, quod alijs etiam cessantibus præscripsisset, libertatem ei à prædecessoribus nostris indultam auctoritate Ap. confirmamus, tibi super hoc silentium imponentes. Per hoc autem in nullo sententiæ delegatorum iudicum derogamus, cùm ipsi de hac non cognouerint libertate. *Et infra*: Cùm autem libertatem à prædecessore nostro confirmemus indultam monasterio, ad ius processionis, quod est contrarium libertati, monasterium decernimus non teneri, non derogantes iudicibus delegatis, quibus libertatis priuilegia non fuerant præsentata. Cæterùm super eo, quod ijdem iudices decreuerunt, vt pro domibus Portæ nouæ, in quibus parochiale ius Ecclesia Colubrien. habuerat, monasterium tantùm recompensaret eidem in loco alio competenti, quantum amiserat in domibus memoratis, omninò corrigimus sententiam, quàm tulerunt, ad id censentes monasterium non teneri. In cæteris autem latam à prædictis sententiam, tam pro Colubrien. Ecclesia, quàm monasterio S. Crucis, auctoritate Ap. confirmamus.

NOTÆ.

a *Colubricensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*4. De Colubriensi Lusitaniæ diœcesi egi *in cap.*8. *de præscript.*

1 b *Sanctæ Crucis.*] Monasterium hoc canonicorum regularium, quod est caput ipsius congregationis, extat in Balneo suburbano Ciuitatis Colimbriæ fundatum à Tellone Colimbricensis Ecclesiæ Archidiacono, ditatum primùm donatione Alphonsi Lusitaniæ primi[mi] Ducis, deinde Regis, Ferdinandi Comitis, & Tarasiæ Reginæ filiæ: quod monasterium maximis priuilegijs Summorum Pontificum, & Regum Lusitaniæ, & aliorum Principum munitum, prædijs, villis, castris, cum iurisdictione spirituali, & temporali ornatum est, vt plura de eo referens tradit Pennotus *lib.*2. *histor. canonic. Regul. c.*32. *num.*4. *& cap.*39. *n.*1. *& cap.*59. *per totum.*

2 c *Præcepimus.*] Quæ literæ extant in ipso Codice epistolarum correcto à Sirleto, *fol.*399. in hæc verba. [Quòd scribamus N. Priori, & Fratribus S. Crucis super controuersijs grauibus, & diuersis, quæ inter ipsos, & Colimbrien. Ecclesiam agitantur, ex literis Apostolicis patentibus eis directis perpendere poteritis euidenter: quas per solicitudinem vestram ipsis, omni contradictione, & appellatione cessantibus, exhiberi volumus, & iubemus. Quamuis autem coram vobis, quibus examinationem negotij sub certa forma recolimus commisisse, testes vtrimque producti fuerint, & recepti; quia tamen de causa non constitit nobis ad plenum, per Apostolica vobis scripta præcipiendo mandamus, quatenus receptis adhuc alijs testibus partium, si de ipsarum processerit voluntate, si quos super priuilegijs, libertatibus, vel alijs articulis duxerint producendos, vos vsque ad definitiuam sententiam, remoto appellationis obstaculo procedentes, gesta omnia nobis sub sigillorum vestrorum testimonio per vestrum fidelem nuncium transmittatis, ad festum omnium Sanctorum proximè futurum diem peremptorium assignantes, quo recepturæ sententiam per se, vel per procuratores idoneos, nostro se conspectui repræsentent: ad quem si qua earum venire contempserit, nos nihilominus, quantum de iure poterimus, procedemus. Testes, &c. per censuram ecclesiasticam cogantur. Quod si non omnes, &c. Duo vestrum, &c. Datum vt suprà, Kalend. Decembr.]

d *Alcobacia.*] Huius delegationis literæ extant in ipso regestro epistolarum Innoc. *fol.*102. in hæc verba: [Insinuauit nobis venerabilis frater noster Colimbrien. Episcopus, quòd cùm Illustris Rex Portugalliæ Fratribus Sanctæ Crucis apud Castrum de Leirena in vna tantùm Ecclesia ius concesserit patronatus, inconsulto diœcesano Episcopo in eodem loco construere aliàs motu proprio præsumpserunt, quas & per capellanos conductitios regunt, & in nullo pro ipsis volunt diœcesano Episcopo respondere. Easdem etiam Ecclesias priuilegijs suis 3

eccerunt inscribi: cùm ab Episcopali iure nunquam fuerint de consensu Episcopi liberatæ: vnde totum ius Episcopale in oppido nominato sibi præsumunt temerè vindicare. Quia igitur nobis constare non potuit de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis, &c. quod iustum videritis super his appellatione postposita statuatis, &c. non obstante priuilegio in præiudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Dat. &c. xvj. Kal. Iunij.]

e *Iudices.*] Non ipsi Abbates de Alcobacio, & Seize, quibus cognitio præsentis causæ commissa fuerat; sed Episcopus Zamorensis, & Decanus Auriensis, quibus postea eadem causæ cognitio commissa fuit, vt ex integra, quæ hodie seruatur in archiuio monasterij sanctæ Crucis, probat Barbosa in præsenti, *num.*20.

f *Per quadriennium.*] Nam instantia Iudicij iure canonico non finitur triennio, vt finitur iure ciuili attento. Probaui *in c. de causis* 4. *de offic. deleg.*

4 g *M.*] Michael videlicet, vt refert Petrus Aluarez à Noguera *in lib. de Episcopis Colimbricensibus, in vita Episcopi Michaelis, fol.*49. & ipsum priuilegium concessisse in præiudicium Colimbricensis Ecclesiæ, constat ex alia epistola Innocentij III. *lib.*1. *in regestr. Sirleti, fol.*102. vbi Innocentius ita rescribit Decano Vlysiponensi, Priori de Frodiz, & monacho de Alcobacia: [Innotuit nobis venerab. fratre nostro Colimbricen. Episcopo intimante, quod cùm M. quondam canonicus sanctæ Crucis in Episcopum fuisset Colimbricen. assumptus, priuilegium quoddam de consilio quorundam Canonicorum Eccl. Colimbricen. monasterio S. Crucis indulsit, in non modicum eiusdem Ecclesiæ præiudicium, & grauamen. Quia verò nobis non constat de præmissis, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus partibus conuocatis, inquiratis de præmissis diligentius veritatem, & si priuilegium ipsum in graue dispendium Colimbricensis Ecclesiæ videritis redundare, quòd illicitè factum est, auctoritate Apostolica, appellatione remota legitimè reuocetis, non obstante priuilegio in præiudicium Colimbriensis Ecclesiæ per subreptionem ab Apostolica Sede obtento. Datum Romæ, &c. 3. Non. Iunij.]

5 h *Extorto.*] Et ita consensus Canonicorum nulliter præstitus fuit, quia licèt potentatus ratio non sit sufficiens vt actus rescindatur, *l. ad inuidiam* 6. *C. de his, quæ vi, l. vlt. in princ. C. de his quibus vt indign.* tamen in præsenti casu terrores, & minæ accesserunt, vt notarunt Hostiensis, & Ancharan. *n.*15. Butr. *n.*30. Socin. *n.*39. quia tam per portarium Regis, quàm per præconem Episcopi coacti fuerunt ad consensum illum præstandum; quòd facilè cōstat, ex his, quæ refert Petr. Aluarez de Noguera *in libell. de Episc. Colimbric. in vita Episcopi Michaelis, fol.*49. vbi ait, tam ipsum Episcopum, quàm Regem Alphonsum canonicos consentire renuentes, alios in carcerem misisse, alios in exilium, alios bonis mulctasse. Vnde cùm in præsenti casu Canonicorum consensus fuisset per minas, & terrorem extortus, quid mirum si actus cum eo celebratus rescindatur, tanquam per grauem metum elicitus? argumento capitis *cùm dilectus, de his quæ vi, l. qui in carcerem, ff. de eo quod metus causa*: docuit Arias à Mesa *lib.*3. *variar. cap.*36. *num* 8.

6 i *Monasterio dedit.*] Sed certum est, quòd quamuis Episcopus non possit de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere, vt probaui *in c.*1. *de testam.* potest tamen donare inter viuos cui voluerit, etiam immodicè; quia cùm dominus sit fructuum sui Episcopatus, & ad eum pertineat plena dispositio, quid mirum vt per donationem, sicut per alios contractus, eos alienare possit? vt probant D. Thom. 2.2. *q.*185. *per tot.* Molina *de iust. tract.* 2. *disp.*144. Ludou. à Molina *lib.*2 *de primog c.*10. *n.*33. pluribus relatis D. Ioseph. de Retes *de donat. c.*12. Igitur donatio marapetinorum facta in præsenti casu à Michaele Episcopo monasterio S. Crucis, valida fuit, & per consequens iniustè iudices delegati eam infirmarunt sua sententia, quam approbauit Innocentius in calce huius textus. Cui difficultati vt satisfaciant Ioann. Andreas, *in præsenti, n.*8. Abbas *n.*8. & 18. Butr. *n.*25. Socin. *n.*18. & 46. Tapia *in authent. Ingressi, v. Sua, c.*6. *n.*90. *C. de sacros. Eccles.* affirmant, ideò donationem in præsenti inutilem fuisse, quia immodicam quantitatem continebat. Quæ sententia firmari potest ex eo, quòd marapetini, de quibus in præsenti, aurei erant temporibus Regis Alphonsi, & cùm valorem habebant, quem hodie habent aurei Lusitani, vulgò *Cruzados*, Hispanè *Ducados*, vt docent Marisius Lusitanus *in dialog. historiæ Regum Portugaliæ, dialogo* 2. *cap.*9. Eduard. Nuñez *in chron. Regum Portug. in vita Regis Dionysij, fol.*134. Plura de valore marapetinorum congesserunt Montaluo *in l.*1. *v. Cien marauedis, tit.*5. *lib.*2. *fori*, Goueanus *lib.*2. *variar. c.*24. Couar. Gomez. & Paz congesti à Barbosa *in præsenti, n.*13. alioquin si donatio rei modicæ esset, valeret, iuxta textum *in cap. cæterùm, de donat.* Verùm hęc interpretatio conuincitur ex proximè traditis, & ex adductis *in cap.*1. *cap. cùm in officijs de testam.* vbi probaui, Episcopos, & alios beneficiarios adeò dominos esse suorum fructuum, vt de eis ad libitum disponere possint. Quare hac interpretatione omissa, alij discrimen agnoscunt inter Episcopum sæcularem, & regularem, ita vt sæcularis rectè possit donare, etiam immodicè, fructus sui Episcopatus, quia habet verùm eorum dominium, etiamsi in infirmitate constitutus donet; dummodo post donationem per quadraginta dies superuiuat, vt hodie cautum est constitutione Pij IV. edita anno 560. Episcopus verò Regularis, cùm adhuc postquam promotus est in Episcopum, verus maneat religiosus in his, quæ non obstant executioni muneris Episcopalis, incapax quoque sit dominij ipsorum redditūum, vt post D. Th. 2. 2. *q.*185. *art.*8. pluribus relatis resoluunt Sanch. *lib.*2. *summ. c.*6. *n.*8. & 9. Barbosa *de potest. Episc. alleg.*114. *n.*18. & 19. Molina *de iust. tom.*1. *disp.*140. Lessius *eod. tract. lib* 2. *c.*4. *dub.*5. Castropalao *tract.*6. *disp.*2. *punct.*8. Cutellus *de donation. tract.*1. *disp.*2. *p.*3. *n.*135. Couarr. *in c.*1. *n.*18. *de testament.* Martha *de success. legali, to.*2. *p.*4. *q.*1. Garcia *de benefic. p.*6. *c.*10. *n.*89. Maldonado *in addit. ad Molinam, lib.*2. *c.*10. qua de causa bona tam Ecclesiæ intuitu, quàm sua industria post Episcopatum acquisita, suæ Ecclesiæ, non sibi acquirit, *cap. vnic.* 18. *q.*1. docent Abbas *in cap. in præsentia, n.*67. *de probat.* Nauarr. *comment.*4. *de regul. n.*6. Azor. *lib.*12. *instit. c.*10 *q.*6. Emman. Rodrig. *lib.*1. *qq. regul. q.*89. *art.*4. Molina *lib.*2. *de primog. c.*10. *n.*28. Ludouic. Molina *tract.*2. *de iust. disp.*140. *n.*37. Gabriel Pereyra *decis.*75. *n.* 2. Vnde cùm in præsenti casu Episcopus Michael regularis esset, vtpotè ex Ecclesia regulari S. Crucis in Episcopum electus, ideò non potuit in præiudicium suæ Ecclesiæ Colimbricensis prædictam donationem facere. Ita docuerunt post Glossam in præsenti, *v. Restitutionem*, Cardinalis *hic, oppos.*9 Beroius *n.*56. Pereyra *d. decis.*75. Cæsar *de Ecclesiast. hierarch. disp.*14. §.11. *n.*16. Hermosilla *in leg.*1. *tit.*4. *p.*5. *gloss.*1. *n.*10. Sed etiam hæc interpretatio sustineri non potest; nam veriùs est, in hac parte nullum versari discrimen inter Episcopum regularem, & sæcularem; siquidem Episcopus regularis, non obstante voto paupertatis, etsi non possit acquirere dominium fructuum sui Episcopatus, vt retineat, tamen habet plenam, & absolutam dispositionem, ita vt donare, ac alios contractus celebrare rectè possit, vt docuerunt Abbas *in præsenti, n.* 15. Molina *de iustit. tract.*2. *disp.*148. *n.*5. Basil. *lib.*7. *de matr. c.*13. Azor. *tom.*2. *instit. moral. lib.*12. *c.*7. *q.*2. Sanchez *in præcept. Decalog. tom.*2. *lib.*6. *c.*6. *n.*13. Solorzan. *tom.*2. *de iure Indiar. lib.*3. *c.*10. *n.* 49. D. Ioseph. de Retes *de donat. c.* 12. *n.*32. Marquez *in orig. eremit. cap.*6. §.4. Vasqu. *in* 1.2. *q.*96. *art.*4. *disp.*165. *c.*8. Hurtado de Mendoza *de fide, & spe, disp.*160. *sect.*3. Robertus 4. *rer. iudic. c.*3. Steph. Durant. *q.*10. pro quibus facit textus disertus *in c. statuimus* 18. *q.*1. Noguerol *allegat.*26. *n.*193. Cùm quibus dicendum est, in præsenti infirmari donationem factam ab Episcopo Michaele, quia talis donatio data fuit mortis causa, seu in vltima dispositione, vt etiam supposuit cùm alijs Barbosa *voto* 100. *ex num.*10. Vnde cùm illis modis non possit nec Episcopus sæcularis disponere de bonis intuitu Ecclesiæ acquisitis, ideò donatio in præsenti facta infirmata fuit, tam à iudicibus delegatis, quàm à Pontifice.

k *Lateranensi.*] Legendum est *Lerinensi*, vt notauit Barbosa *in præsenti, n. fin.* & constat ex alia epistola ipsius Innocentij III. suprà relata.

CAPVT XV.

Idem *Episcopo, & Magistro G, a Lemouicensi.*

ACcedentibus ad præsentiam nostram dil. fil. Magistro Zacharia, & Abbatis, & Conuentus Maugracen. ex vna parte, & fratre Petro Templariorum de Torren. procuratoribus ex altera, dil. fil. I. Subd. & Capellanum nostrum dedimus auditorem, coram quo procurator Abbatis, & monachorum proposuit, quòd cùm decimas terrarum de Sarcole diù possederint in quiete, antequam ad Templariorum potestatem, & dominium peruenissent; & postquam Templarij terras acquisiuere, prædictas decimas earundem per quadraginta annos, & ampliùs pacificè possedissent, nunc eis ipsas decimas subtrahero non verentur, in alijs eisdem grauesiniurias irrogantes. *Et infra*: His igitur, & alijs, quæ coram prædicto Capellano fuere proposita, pleniùs intellectis, quia de ipsis non potuit fieri plena fides, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita pleniùs veritate, si Abbas, & monachi sufficienter ostenderint, quòd à Templarijs decimas de terris prædictis per quadraginta annos continuò perceperint sine lite, vos ad præstationem decimarum ipsarum Templarios auctoritate Apostolica compellatis. Cùm enim tanto tempore contra indulta priuilegia decimas soluerint, eis renuntiasse tacitè præsumuntur. Quòd si fortè in probatione defecerint, ab ipsorum petitione Templarios absoluatis, ipsis super hoc appellatione postposita perpetuum silentium imponentes: super alijs verò, auditis quæ hinc inde duxerint proponenda, quòd iustum fuerit, appellatione postposita statuatis: facientes quòd decreueritis, &c.

NOTÆ.

1 a LEmouicensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap* 5. De Lemouicensi Ecclesia nonnulla adduxi *in capite*. 17. *de maioritat. & obed.* & commentarium huius textus dedi suprà *in cap. si de terra*.

CAPVT XVI.

Idem *Episcopo a Lingoniensi.*

CVm capella Ducis *b* Burgundiæ gaudere dicatur huiusmodi priuilegio, quòd nullus Archiepiscopus, vel Episcopus in personas *c* Canonicorum eiusdem capellæ suspensionis, vel excommunicationis, aut interdicti sententias audeat promulgare, *d* Decanus Christianitatis, & quidam capellæ supradictæ Canonici, qui parochiales Ecclesias à te tenent, occasione priuilegij prælibati in his etiam, quarum iurisdictio ad te pertinet, ita se dicunt exemptos, vt quantumcunque grauiter interdum excedant, tuæ correctioni recusent, & sententiæ subiacere. Quocirca mandamus, quatenus in quantum exempti sunt eiusdem ratione capellæ, Apostolicis priuilegijs deferas reuerenter: sed in quantum ratione parochialium Ecclesiarum, vel aliàs iurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, officij tui debitum in eosdem liberè prosequaris.

NOTÆ.

a LIngoniensi.] In tertia collectione, vbi *sub hoc tit. c.* 6. reperitur textus hic, tantùm habetur, *Idem*; sed rectiùs in præsenti legitur *Lingoniensi*, ex infra dicendis. De hac diœcesi nonnulla adduxi *in c.*8. *de rescript.*

1 b *Burgundiæ.*] In tertia collectione legitur *Bohemię*. sed malè; nam si præsens capella esset in Regno Bohemiæ, quomodo conqueri poterat de eius capellanis, atque eorum correctionem intendere Lingoniensis Præsul, qui est in Gallia? Agitur ergo in præsenti de capella Ducis Burgundiæ, quæ celebris est, vulgò dicitur *Sancta Capella*: eam Diuione instituit Hugo III. Dux Burgundiæ anno 1172. vt constat ex præcepto ipsius fundationis edito ab Auberto Mireo, & referunt Altesserra *de Ducibus c.*8. Paulus Idumay *in not. ad Innoc. III. lib.*4. *Regest. epist.*101. Chassaneus *in catal. p.*12. *consider.*63.

2 c *Canonicorum.*] Sæpius enim Principes, & Comites, ac Duces Archicapellanum habere legimus, in Concilio Aurelian. 4. *can.*6. & 16. Cabilon. 1. *c.*14. apud Orderic. *lib.*6. *hist. pag.*622. & alios mediæ ætatis scriptores, quos congerunt Dadinus Altesserra *de Ducib. lib.*2. *c.*8. Filesac. *in c.*9. §.15. *per tot. de Offic. ordin.*

3 d *Decanus Christianitatis.*] Idest S. Ioannis Baptistæ Diuionensis, de qua capella agit Innoc. III. *lib.*3. *regest.*15. *in epist.*201. missa Abbati, & Priori Cisterciensi, & Decano huius capellæ ibi: [Dilectus filius I. Decanus Christianitatis Diuionen. in nostra proposuit præsentia constitutus, quòd cùm olim L. I. & H. Canonicis Capellæ Ducis Diuionen. Lingonen. diœc. non ad correctionem, sed potiùs ad infamationem ipsius nobis quædam denuntiantibus, contra ipsum ven. f. n. Matisconen. Episcopo, & suis coniudicibus dederimus in mandatis, vt vocatis qui essent propter hoc euocandi, quod inuenirent super obiectis, per suas nobis literas intimarent, partibus in ipsorum præsentia constitutis, & eodem inficiante Decano, quòd denunciationem ipsam monitio charitatiua præcesserit, & firmiter asserente prædictos Canonicos factæ denunciationis tempore inimicos eius, & æmulos, extitisse, tandem fuit ad Sedem Apostolicam appellatum, cuius appellationi memorati iudices detulerunt. Idem verò Decanus quorundam religiosorum literas repræsentans, qui de vita, & conuersatione ipsius laudabile testimonium perhibebant, nobis humiliter supplicauit, vt occurrere aduersariorum suorum malitiæ, ac laboribus eius finem imponere dignaremur. Nolentes autem ipsum indebitè fatigari, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si denunciatores præfati monitionem charitatiuam præmisisse super obiectis probare nequiuerint, aut Decanus ipse docuerit, illos suos extitisse denunciationis tempore inimicos, eundem ab illorum denunciatione, sublato appellationis obstaculo, absoluatis. Alioquin in eodem negotio iuxta priorum continentiam literarum, appellatione remota, ratione præuia procedatis. Quòd si non omnes, &c. duo vestrum, &c. Tu denique fili Abbas super te ipso, &c. Datum Laterani Idib. Ianuar. P. N. Anno xv.]

COMMENTARIVM.

CVm Dux Burgundiæ capellam propriam haberet cum capellanis Aulicis, vt plerumque magni Dynastæ habent, vt Magnus noster Monarcha, de cuius sacello librum edidit Turturetus; & Reges Aragoniæ, Exea *in l. vnic. C. de palat. fol.*80. Dynastæ Bituricenses, Altesserra *d. cap.*8. priuilegium exemptionis capellani habebant ab omni iurisdictione diœcesana; vnde intendebant, nec ratione parochialium Ecclesiarum, quas à Lingoniensi Episcopo acceperant, illi subesse, etiamsi in earum regimine magna crimina perpetrarent. Sed contrarium decreuit Innocentius III. videlicet eos ratione exemptionis, 4

quàm virtute capellæ habebant, non posse eximi à iurisdictione Episcopi Lingoniensis propter Ecclesias parochiales, quas regebant, & meritò, nam etiam religiosus exemptus promotus ad beneficium parochiale, ratione illius beneficij, subijcitur imperio, & iurisdictioni ordinarij, vt probant pluribus relatis Barbosa *in collect. ad Clement.1. n.10 de statu monach.* Sanch. *in præcep. decal. lib.6. c.6. n.36.* Moneta *de conseru.c.6.n.51.& cap.7.n.272.* Cochier *de iurisd. in exemptos,2.p.q.45.* Salgado *de retent. bullar. 2. p. c.15.n.3.* quod etiam contingit in quocunque exempto, qui conueniri potest coram ordinario ratione officij. seu publicæ functionis, *ex l.vnic. C.in quibus causis milites for. præscript. l.2. C.vbi Decur. authent. iudices sine quoquo suffrag.§.nolumus, in fin.* Vnde in præsenti casu etsi capellani Ducis Burgundiæ exempti essent à iurisdictione ordinaria, tamen propter Ecclesias parochiales, quas regebant, poterant puniri ab Episcopo Lingoniensi, à quo eas acceperant. Docuerunt Turturet. *in sacello sacro.c.4.* Bosquet. *ad Innoc III lib.1. regestr.13. epist.17.* Lara *de capell. c.16.n.15.* Barbosa *de potest. Episc. alleg.123.* qui exinde vtiles, & in foro quotidianas quæstiones resoluunt circa exemptos peccantes in officijs proprijs.

CAPVT XVII.

Idem *Abbati, & Fratribus a Euasinen. cœnobij.*

EX ore sedentis in throno procedit gladius bis *b* acutus, quoniam ex ore Romani Pontificis, qui præsidet Ap. Sedi, rectissima debet exire sententia, quæ contra iustitiam nulli parcat, sed reddat vnicuique quod suum est. Cùm igitur inter vos, & ven. f. n. *c* Vvigornien. Episcop. super monasterij vestri subiectione, ac libertate controuersia verteretur, & nos eandem terminandam commiserimus iudicibus delegatis, causam eandem sufficienter instructam ad nostram præsentiam remiserunt, certum partibus terminum præfigentes, quo cum instrumentis, & attestationibus nostro se conspectui præsentarent sententiam recepturæ. Partibus igitur in nostra præsentia constitutis, per procuratores idoneos audientiam præbuimus liberam, & benignam. Et quidam monasterij vestri proposuit procurator, quòd idem monasterium ab ipsa sui fundatione liberum extitit, & exemptum, ad hoc probandum priuilegia prædecessoris nostri inducens duo, videlicet Constant. vnum, & alterum Alexandri; necnon indulgentiam Clementis, & Cœlestini: quorum vsum continuum longis retrò temporibus per depositiones testium ostendere nitebatur. *Et infra:* Porrò in priuilegio Const. quiddam contineri perspicitur, per quod idem cœnobium videtur ad iurisdictionem Episcopalem pertinere, videlicet, quòd Abbas eiusdem monasterij primum locum post Vvigornien. Præsulem semper obtinebat. Vnde cùm locum ipsum obtinere non possit in Concilio Generali, neque in prouinciali, quoniam absonum esset, vt Abbas primus post illum super alios Episcopos *d* resideret; relinquitur ergo, quòd locum illum in Episcopali Synodo intelligatur habere, quasi teneantur ad Synodum Episcopalem accedere, ac per hoc ipsius statuta recipere, ac seruare. In priuilegio verò Alexandri Papæ quiddam aliud continetur, propter quod diœcesanus Episcopus in eodem cœnobio iurisdictionem, etsi non in omnibus, in quibusdam tamen retinuisse videtur, cùm in illo dicatur, quòd Vvigornienses Episcop. à fratribus eiusdem loci aliquid iniustè non exigant; sed his tantùm contenti permaneant; quæ prædecessores eorum antecessoribus suis constat rationabiliter impendisse. Vnde constat, quòd Abbates Episcopis aliqua de suis exhibere tenentur. Nos igitur his, & alijs diligenter auditis, & perspicaciter intellectis, cùm à neutra parte per testes præscriptio sit probata, de communi f.n. consilio diffiniuimus sententialiter, quod Eueshamen. cœnobium liberum est in capite, tanquam ab Episcopali iurisdictione prorsus exemptum, & soli Rom Pontif. & Ecclesiæ Rom. subiectum; tutela tamen ipsius Cantuar. Archiep. reseruata: in membris autem, videlicet in his, quæ non probantur exempta, diœcesano Episc. ipsum decernimus subiacere, propter quæ Abbas ad Synodum eius debet accedere, primumque locum post Vvigornien. Episcopum obtinere: pro ipsis quoque membris, vt diximus, non exemptis, idem Abbas tenetur Vvigorniensi Episc. exhibere reuerentiam, obsequium, & honorem, quibus Vvigornien. Episcop. sibi competenter exhibitis debet manere contentus.

NOTÆ.

1 a EVasinensi.] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit.c.7.* in hac verò sexta legitur, *Euesem:* sed vtrobique malè, quia legendum est *Evesham.* quòd monasterium est Diui Benedicti, vt probaui *in c.3. de in integ. rest.*

b *Gladius bis acutus.*] Verba sunt capitis 1. Apocalypsis, quæ exponit Barbosa *in præsenti.*

c *Vvigornien.*] De Vvigorniensi diœcesi Angliæ nonnulla adduxi *in cap. nosti, 9. de elect.*

2 d *Resideret.*] De ordine sedendi Prælatorum in Concilijs latè agit Filesacus *in cap. quod sedem, §.1. de officio ordin.* etiam aliqua notaui *in princip. Concil. Illiber.*

COMMENTARIVM.

3 LIcèt monasterium exemptum sit principaliter in capite, non ideò eius membra exempta videntur, vt de monasterio Rothonensi, & eius Ecclesijs decreuit idem Innoc. III. *lib.1. regestr.13. epist.7.* Episcopo Venetensi ita rescribens: [Cum mouisses olim aduersus Rothonense monasterium quæstionem, asserens monasterium ipsum, ac parochiales Ecclesias eius ad te de communi iure spectare, vtpotè in tua diœcesi constitutas, in eisdem iura tibi Episcopalia vindicando; & ex parte monasterij diceretur, idem monasterium cum parochialibus Ecclesijs suis Romanorum Pontificum priuilegijs ab antiquo libertate donatum, super eadem causa frequenter fuerunt literæ Apostolicæ impetratæ. Denique autem vtraque pars in venerabiles fratres nostros Nannaten. & Briocen. Episcopos sub certa pœna, & iuramento interposito compromisit, qui rationibus vtriusque partis auditis, & monasterij priuilegijs diligenter inspectis, de consilio peritorum illud in capite liberum sententialiter decreuerunt. Verùm quia Ecclesiæ parochiales ipsius exemptæ nullatenus probabantur, pronuntiauerunt easdem ad iurisdictionem tuam, sicut aliàs tuæ diœcesis Ecclesias, pertinere, & statim de consilio fratrum nostrorum pronunciauimus, monasterium sæpedictum in capite liberum, & à tua iurisdictione prorsus exemptum, decernentes parochiales Ecclesias eius, quæ minimè probantur exemptæ, tibi diœcesana lege subiectas. Nec enim ex libertate capitis membrorum nascitur libertas: quæ quia iuri communi derogat, nominatim, expresséque dari debet, & nominatim probari.] Vt post congestos à Barbos. *in præsenti, & alleg.123.* docet Bosquet. *in notis ad dictam epist.7.*

CA-

CAPVT XVIII.

Idem a *Ausonen. Episcopo*.

EX parte tua fuit quæsitum, vtrùm Clerici, & Laici, qui literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ ex pronomine, cum omnibus rebus suis sub Apostolica protectione consistere declarantur, à iurisdictione Episcopi Diœcesani sint exempti. Nos autem tibi respondemus, quòd per literas huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè *b* subtrahuntur.

NOTÆ.

1 a AVsonen.] In tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 8. legitur *Auton.* sed perperam; nam Ausona ciuitas antiqua Episcopali Sede condecorata est in Hispania, in Prouincia Tarraconensi, ad montis Pirenæi radices sita, hodie dicitur *Viegua*, à Barcinone decem milliaribus Hispanis, à Gerunda sex distans. Eius vetustissimum nomen *Ausa*, siue *Ausana* fuit, de quo, & eius conditore agunt Puiadas *lib.* 4. *histor. Catal. cap.* 14. & 34. Tamayus à Salazar *tom.* 3. *martyrol. Hispan. die* 28. *Maij*.

b *Subtrahuntur*.] Consonant textus *in cap. recepimus, hoc tit. cap. per tuas, de maiorit. & obed.* Ideòque exemptio non probatur per literas protectionis, quas plerunque Pontifex certis personis, a ut monasterijs concedit, vt probat Bruno Chassaing. *de priuil. regul. tract.* 2. *cap.* 2. *proposit.* 1. qui resoluit, protectionem hanc illud operari, videlicet vt ita receptus sub protectione non possit excommunicari, interdici, aut suspendi ab alijs quàm à Pontifice, aut Legato à latere. 2

CAPVT XIX.

Idem a *Eliensi Episcopo*.

PAstoralis officij. *Et infrà*: Interrogasti præterea, vtrùm viri Religiosi, quibus à Sede Apostolica est indultum, vt Ecclesias suas in proprios vsus *b* conuertere possent, decedentibus *c* personis earum, liceat auctoritate propria possessiones earundem Ecclesiarum intrare, vel per Diœcesanum in ipsam sint potiùs inducendi. Ad quòd vtique respondemus, quòd nisi fortè in indulgentia Summi Pontificis id contineatur expressum, suo Episcopo inconsulto in *d* possessionem ipsarum eis non est licitum introire, quia per indulgentiam huiusmodi Episcopali iuri non credimus derogari.

NOTÆ.

5 a HElienſi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. fin. & in c. pastoralis, de offic. ordin.* vbi alias partes huius decretalis congessi.

b *Conuertere*.] Quòd aliàs facere non poterant, iuxta tradita *in c.* 2. *de suppl. neglig. c. de monachis, de præb.*

2 c *Personis*.] Possessoribus videlicet; nam vnio facta monasterio tantùm operatur effectum defuncto Rectore ipsius Ecclesiæ, vt probaui *in cap. sicut vnire, de excess. Prælat.*

d *Possessionem*.] Tum quia priuilegium ita interpretandum est, vt quantò minus noceat iuri communi: tum quia nemo potest apprehendere propria auctoritate possessionem beneficij, Ecclesiæve, vt probant Couarruu. *lib.* 3. *var. c.* 6. *n.* 7. Moneta *de commut.*; *c.* 11. *n.* 91. 3

CAPVT XX.

Idem *Episcopo, & Capitulo* a *Tripolitan.*

PEtijstis per Sedem Apostolicam edoceri, vtrùm cùm propter Hospitalarios, vel Templarios ciuitas vestra generali supponitur interdicto, eisdem non seruantibus, vos illud teneamini obseruare. Ad quòd sic duximus respondendum, quòd illorum excessus vobis non præbet licentiam excedendi: sed si præfati Hospitalarij, vel Templarij priuilegiorum suorum fines excesserint violando temerè interdictum, quod pro illis fuerat promulgatum, ne ipsi videantur de aliorum fletu ridere, vos in pœnam præsumptionis eorum, quandiù ipsi violauerint interdictum, de nostra licentia *b* celebretis. Datum Signiæ XIV. Kal. Octob. P. N. anno XV.

NOTÆ.

1 a TRipolitano.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.* 3. & reperitur textus hic in ipso regestro Innoc. III. edito à Bosqueto *lib.* 3. *regestr.* 15. *epist.* 160. ex quo textum hunc transcribo. De Tripolitana Ecclesia nonnulla adduxi *in c.* 1. *de translat. Episcop.*

b *Celebretis*.] Speciali gratia, quæ in præsenti à Pontifice fit, aliàs etsi Hospitalarij non obseruassent interdictum, tamen alij clerici illud obseruare debebant. 2

CAPVT XXI.

a Idem.

QVoniam sicut nobis per tuas literas intimasti, per confessionem constat partis aduersæ, quòd *b* Nepesinus Episcopus Episcopale ius percipit in Ecclesia S. Blasij de Flano, ac per hoc eadem Ecclesia non pertinet ad monasterium pleno iure, credimus quòd non obstante illo Capitulo priuilegij, quo ipsi monasterio est indultum, vt nullus Episcopus Ecclesias vtroque iure illi subiectas interdicto supponere, vel vicarium, vel clericum eiusdem monasterij synodare, vel excommunicare præsumat, præfatus Episcopus possit interdicere dictam Ecclesiam, & excommunicare monachum ad eius regimen *c* deputatum, cùm alterutrum de iure faciendum fuerit; quoniam illud caput intelligendum esse videtur de monachis, aut Clericis in ipso monasterio permanentibus, vel ad Ecclesias destinatis vtroque iure sibi subiectas.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit.c.*4. nullibi tamen exprimitur, cui Prælato rescribat Innocentius, nec inter eius epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto verba in præsenti transcripta reperiuntur.

b *Nepesinus.*] Nepis ciuitas est perantiqua Etruriæ, quam Strabo Nepisam vult appellare. Colonia fuit populi Romani, vt referunt Frontinus, Velleius, & Paterculus relati ab Vghellio *tom.*1. *sacræ, fol.*1096. qui refert originem, & progressum huius Ecclesiæ, traditque seriem eius Præsulum. His temporibus Innoc. III. eam Ecclesiam regebat Gerardus.

c *Regimen deputatum.*] Ex consensu Episcopi, iuxta tradita *in cap.*1. *de capel. monach.*

C A P V T XXII.

Idem *Archiepiscopo* a *Londin. Ap. Sed. Legato.*

QVia circa. *Et infrà:* Subsequenter etiam quæsiuisti, vtrùm monachi *b* Omnium Sanctorum priuilegium bonæ memoriæ B. prędecess. tui super Episcopalibus *c* decimis retinendis indultum extendere valeant ad possessiones acquisitas, & postmodùm acquirendas. Super quo tale damus responsum f. t. quod si decimarum illarum remissio facta secundùm canonicas sanctiones existit, prædecessor tuus indefinitè decimas Episcopales monasterio remittendo, cùm nihil exceperit, & poterat excepisse, ac in beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda, nec debeat vna, eademque substantia diuerso iure censeri; intellexisse videtur de decimis non solùm possessionum illius temporis, sed futuri.

N O T Æ.

1 a LOndiuensi.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit.c.*4. Sed integram huius text. & eius vetam inscriptionem dedi *in c. quia circu, de bigam. nonord.*

b *Omnium Sunctorum.*] Monasterium hoc est Ordinis D. Benedicti, in diœcesi Lundensi, vt refert Tamburin. *in serie Abbatum, v. Lundensis.*

c *Episcopalibus decimis.*] De quibus egi *in c.*4. *de præse.*

CO MMENTARIVM.

2 IN hoc textu Innocentius III. docet, Episcopum priuilegio suo concedentem monachis decimas Episcopales, non solùm præsentes, verùm & futuras remisisse videri, videlicet soluendas de prędijs posteà acquisitis per ipsos monachos: quod difficilè valdè videtur ex sequentibus iuris principijs. Primum nascitur ex eo, quia licèt Summus Pontifex possit concedere exemptionem à solutione decimarum, tam monachis, quàm laicis, *c. decimas,* 16. *q.*1. *c. vlt. vt lit. pend. c. cùm dicat, de Eccl. ædific. c. accedentibus, cap. si de terra, c. dudum* 31. *hoc tit. c. ex multiplici, c. ex suggestu, c. ex parte, c. nuper, de decimis;* tamen Episcopus non potest simile priuilegium concedere, ex vulgari principio, quo docetur, Episcopum non posse priuilegium contra ius commune concedere, *c. cùm dilectos, de elect. Clement. ne Romani, eod. tit.* Docent Moneta *de commut. c.*5. *q.*2. *du.*43. Anguian. *de legib. lib* 3. *controu.*1. Igitur in præsenti non poterat Episcopus Lundensis exemptionem à decimis monachis Benedictinis concedere. Accedit, nam Episcopi, inconsulto Capitulo, & sine debita solemnitate aliquid de bonis Ecclesiæ, aut propriæ dignitatis alienare non valent, *c. sine exceptione* 52. 12. *q.*2. quia non sunt rerum earum domini, sed œconomi, *cap. fraternitatem,* 2. *de donat. c.*1. *de bis, quæ fiunt à Prælat.* Igitur etiam ex defectu solemnitatis præsens concessio exemptionis inefficax erat. Secundò difficilis etiam redditur hæc decisio ex eo, quia futura non cadunt sub indefinita dispositione, *l. si ita, l. fin. in princ. ff. de auro, & argent.* vbi legato relicto per illa verba, *Argentum meum,* tantùm intelligitur relictum, quod testator habebat tempore testamenti. Docent Menoch. *lib.* 4. *de præsumpt. casu* 127. *n.*34. Mantica *de coniect. lib.* 7. *tit.* 11. *n.* 1. Castillo *de vsufruct. c.*44. *n.*4. Perez de Lara *lib.*1. *de capel. c.*16. *n.*3. Igitur in præsenti casu sub generali, & indefinita concessione exemptionis à solutione decimarum non comprehenduntur futuræ. Facit textus *in Clement. fin. de rescript.* vbi docetur, rescriptum gratiosum ad beneficium posteà creatum: igitur quia concessione gratiosa, etsi indefinita, non comprehenduntur futura. Quibus difficultatibus vt suo ordine satisfaciamus, pro primæ solutione dicendum est, Episcopum Lundensem in præsenti casu non concessisse exemptionem à decimis Episcopalibus per modum priuilegij, sed beneficij, & donationis; vnde quamuis Innocent. III. præsentem concessionem priuilegium appellasset in principio textus, ibi: *priuilegium prędecessoris tui;* accipiendo illud latè pro concessione superioris, tamen in ipsa decisione expresse agnouit, concessionem per modum beneficij factam fuisse, in illis verbis: *In beneficijs plenissima sit interpretatio adhibenda.* Vnde quia concessio hęc vt beneficium sustinetur, ideò ad futura extenditur, & latam recipit interpretationem, iuxta textus *in c. cùm dilectus* 6. *de donat. c. olim, de V. S. l.*3. *ff. de const. Princip. l.*3. *ff. de iure immun.* & tradita suprà *in c. si de terra,* aliàs si vt priuilegium sustineretur, præsens concessio strictam reciperet interpretationem, *c. ex tuarum* 11. *de auctor. & vsu pal. c. super eo* 15. *de offic. deleg. c. porrò, c. fınè, c. cùm capella, hoc tit.* alijs relatis docuit Cancer. *to.*3. *var. c.*3. *à n.*2. Nec obstat secunda difficultas, pro cuius solutione varia adduxerunt Interpretes. Cabedo 2. *p. decis.*22. *à n.*5. existimat in præsenti casu specialiter exemptionem extendi ad futura, quia facta fuerat monachis, & ita fauore religionis futura etiam comprehendi sub ea, ex vulgari principio; quia videlicet summa est ratio, quæ pro religione facit. Verùm hac solutione omissa, alij relati ab Arias de Mesa *lib.* 3. *var. c.*13 discrimen constituunt inter indefinitam dispositionem, cui adiectum est pronomen *meum;* & inter eam, in qua adiectum non est. Primò casu asserunt, indefinitam dispositionem non protrahi ad futura, quia restricta est per pronomen *meum, d. l. si ita* 7. *l fin. ff. de auro, & arg.* Secundò verò casu ad futura indefinitam dispositionem extendi, *l. quidam* 7. *ff. de vino, triticoque, l. cùm aurum* 20. *ff. de auro, & argent.* vbi in legato auri, vel tritici comprehenditur omne, quod testator habebat tempore mortis: quam distinctionem explicat, & limitat Arias à Mesa *lib.*13. *var. c.*13. *cum seq.* Sed ea omissa dicendum est in præsenti, ideò concessionem extendi ad futuras decimas, quia agebatur de interpretatione similis exemptionis contra ipsum concedentem, Episcopum videlicet successorem in dignitate. Cum enim ille tempore concessionis clausula indefinita vsus fuerit, cùm potuisset apertius exprimere, se tantùm de decimis præsentibus sentire; ideò contra eum interpretatio lata sit: quæ interpretatio facilè colligitur ex illis verbis, *cùm nihil exceperit, & potuerit excepisse.* Nec obstat quod dicebamus, ex defectu solemnitatis in quacunque alienatione rei ecclesiasticę adhibenda, nullam fuisse concessionem ab Episcopo Lundensi in præsenti casu factam; nam licèt non exprimatur in facti serie, talem solemnitatem adhibitam fuisse; tamen eam præcessisse satis exprimitur in illis verbis: *Remissio facta extitit secundùm canonicas sanctiones.* In quibus verbis satis expresse Innocent. exigit, in hac concessione necessariam esse solemnitatem à iure præscriptam similibus alienationibus. Nec tandem obstat textus *in d. Clem. vlt. de rescript.* pro cuius conciliatione cum præsenti textu Zabarella, *ibi,* Petr. Barbosa *in l. diuort.* 8. *§. quod in anno, n.*17. *ff. solut. matrim.* existimant, discrimen esse constituendum inter dispositiones indefinitas vniuersales, & particulares; ita vt priores ad futura etiam extendātur, non verò posteriores. Sed ea solutione omissa, & alia adducta à Valasco *consul.*58. *n.*11. dicendum est cū Barb. *in d. Clem. fi.* Castil. *de tertijs, c.*14. *n.*39. quos sequitur Arias à Mesa *lib.*3. *var. c.*41. *n.*25. ideò in specie dictæ Clementinæ rescriptum gratiosum non extendi ad beneficia erecta, quia in ipsis literis gratiosis expressus fuit certus modus vacationis, beneficij vacaturi scilicet, qui modus non poterat verificari in beneficio posteà creato, cùm illud erigi, non verò vacare dicatur. Accedit, quia talis erectio noua beneficij nō potest referri inter modos beneficij vacandi, cùm nunquam collatum esset tale beneficium.

C A-

C A P V T XXIII.

Idem *in Concilio Generali* a *Later.*

ANtiqua Patriarchalium Sedium *b* priuilegia renouantes, sancta vniuersali Synodo approbante sancimus, vt post Romanam Ecclesiam (quæ disponente Domino super omnes aliàs ordinariæ potestatis obtinet *c* principatum, vtpotè mater vniuersorum Christi fidelium, & magistra, *d*) Constantinopolitana primum, *e* Alexandrina secundùm, *f* Antiochena tertium, *g* Hierosolymitana quartum locum obtineat: seruata cuilibet propria dignitate, ita quòd postquam Antistites earum à Romano Pontifice receperint pallium (quod est plenitudinis officij Pontificalis insigne) præstito sibi fidelitatis, & obedientiæ iuramento, licenter & ipsi suis suffraganeis *h* pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana Ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem. Dominicæ verò crucis *i* vexillum ante se faciant vbique deferri, nisi in vrbe Romana, & vbicunque Summus Pontifex præsens extiterit, aut eius Legatus vtens insignijs Apostolicæ dignitatis. In omnibus autem prouincijs eorum iurisdictioni subiectis ad eos (cùm necesse fuerit) prouocetur: saluis appellationibus ad Sedem Apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter *k* deferendum.

N O T Æ.

a L*Ateranensi.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.6.* & reperitur textus hic *in cap.5. Conc. Later. generalis*, celebrati sub Innocentio III. de quo nonnulla adduxi *in cap.1. de summ. Trinit.*

b *Priuilegia.*] Hinc deduci videtur, non iure communi, sed priuilegio speciali competere Patriarchis ius deferendi crucem ante se: quod edoceri videtur *in cap. 1. vt lite pendent.* vbi cum de hac delatione crucis agitur, ait Alexander III. *Quemadmodum vobis est beneficio priuilegiorum Apostolicæ Sedis indultum.* Et *c. conquestus 9. q. 3.* ibi: *Primates autem, vel Patriarchæ, nihil priuilegij habere præ cæteris Episcopis, nisi quantùm sacri canones concedunt, vel prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definimus.* Sed contrarium verius est, immò quòd Patriarchæ possunt per totam ditionem suam crucem ante se deferre intra Prouincias Metropolitanorum, vt potest etiam Archiepiscopus eam deferre infra diœceses suffraganeorum, *d. c. 1. vt lite pendent. Clement. 2. hoc tit.* Faciunt textus *in l. 1. ff. de offic. Proconsul. l. 1. C. de præpositis sacr. cubic. lib. 12. l. 1. ut sacr. C. de proximis sacr. scrin. lib. 12.* probant Azor. *instit. moral. c. 36. q. 1.* Petr. Gregor. *lib. 15. syntag. cap. 9. n. 6.* Pancirola *lib. 1. var. c. 20. §. habent*, Gratian. *discept. forens. c. 467. n. 5.* Acuña *de primatu Brachar. c. 6.* Nec contrarium probatur in præsenti textu, quia in eo speciale continetur priuilegium, vt Patriarchæ possent vbique crucem ante se deferre; quod facere nequibant iure communi attento: sed tantum intra proprium Primatum: vnde virtute priuilegij huius eam deferunt vbique, excepta vrbe Romana, aut vbi Legatus S. A. reperitur.

c *Principatum.*] Ecclesia enim Romana semper primatum habuit, & Ecclesia vniuersalis est, vnde sacerdotalis vnitas exoritur. Irenæus *lib. 3. contra Valent. c. 3.* Synod. Nicæna *can. 6. Quòd Ecclesia Romana semper habuit primatum.* Pelagius I. *in epist. ad Sapaudum*, ibi: *Apices Primatuum à solis ortu vsque ad occasum.* Cuius Episcopus custos fidei dicitur in Concil. Ephesino *act. 2.* Sanctissimus, & Beatissimus vniuersalis Patriarcha magnæ Romæ appellatur ab Athanasio *in libello ad Leonem Papam*: Episcopus vniuersalis à Sixto I. *in epist. 2.* ibi: *Sixtus vniuersalis Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus.* Gregor. IX. *epist. ad Gennadium*, ait de Pontifice, quod illi competit apex Primatus à solis ortu vsque ad occasum. Pater Patrum, Episcopus Patriarcharum dicitur ab Athalarico Rege apud Cassiodorum *lib. 9. epist. 15.* Et Valentinianus *in epist. ad Theodosium, p. 1. Conc. Chalced.* ait: *Principatum habens sacerdotij, ad quem secundùm consuetudinem Synodorum appellant Patriarchæ.* Theodosius *in Nouel. 24.* quæ extat ad calcem Codicis Theodos. ait: *Cùm Sedis Apostolicæ Primatum S. Petri meritum, qui Princeps est Episcopalis coronæ, & Romanæ ciuitatis dignitas, sacra etiam Synodi firmauit auctoritas, ne quid præter auctoritatem istius Sedis illicitum præsumptio attentare nitatur; tunc enim demùm Ecclesiarum pax vbique seruabitur, si Rectorem suum agnoscat vniuersitas.* Et plerumque vniuersalis Episcopus dicitur, vt varijs auctoritatibus probat Ant. Aug. *in epit. lib. 1. tit. 2.* Eodemque significatu nemini ab Vniuersali Concilio reperitur attributus titulus vniuersalis, nisi soli Pontifici Rom. Leoni Magno à Concil. Chalced. non solùm in epistolis eidem Pontifici ab Alexandrinis directis, & in Concilio publicè lectis, vt in prima parte eiusdem Concilij; verùm etiam in titulo epistolæ ab ipso Concilio pro cõfirmatione gestorũ eidem Pontifici transmissæ, vt *in 3. p. Concil. n. 2.* Et quamuis hodie in ea epistola hic titulus alicuius dolo librarij non legatur, vt obseruat Baron. *to. 6. ann. 451. n. 150.* in eius tamen inscriptione, vel alibi hunc titulum fuisse à sacro Concil. Leoni attributum, omni certitudine affirmandum est. Sic enim ait S. Gregor. *lib. 4. ep. 36.* ad Eulog. *Vestra Sanctitas nouit, quòd mihi per sanctũ Chalcedonensem Synodum Pontifici Sedis Apostolicæ (cui Deo disponente deseruio) hoc vniuersitatis nomen oblatum est.* Quod verò subdit; *Sed nullus vnquã prædecessorũ meorum hoc tam profano vocabulo vti consueuit*; obseruat Baron. *vbi sup.* esse intelligendum ita, vt nemo Rom. Pontificum eo titulo ex solemni ritu sẽper & in omnibus inscriptionibus, vel subscriptionibus vsus sit: atque in eundem sensum loquutus videtur Leo IX. *ep. ad Michaelem Patriarcham*, quam etiã refert Baron. *to. 11. ann. 1054. n. 12.* cuius hæc sunt verba: *Qualis verò, & quã detestabilis, atque lamentabilis est illa sacrilega vsurpatio, qua te vniuersalẽ Patriarchã iactas vbique & scripto, & verbo? cùm omnis Dei amicus huiusmodi hactenus horruerit honorari vocabulo. Et quis post Christum conuenientius posset insigniri hoc vocabulo, quã cui dicitur diuina voce: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam? &c. Verùm tamẽ quia ille non inuenitur vniuersalis Apostolus dictus, quamuis Princeps Apostolorum sit constitutus, nullus successorũ eius tam prodigioso prænomine consensit appellari penitùs, licèt Magno Leoni prædecessori nostro, & successoribus ipsius hoc sancta decreuerit Chalcedonensis Synodus. Nempe animaduertebant, non esse amicum sponsi, qui pro sponso vellet amari: quin potiùs paranymphũ, & lenonem Antichristi, qui aduersatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Ecce ille Ioannes vester, cuius vesanæ adinuentionis adhuc hæredes permanetis* (de Ioanne Patriarcha loquitur, qui primus sibi Oecumenici prænomen indidit,) *qui secundùm Psalmistam, per vos adhuc vocat nomina sua in terris suis; cùm interijt, non sumpsit omnia, neque descendit cum eo gloria eius ad infernum; quia cùm in honore esset, nõ intellexit: ipse à beatissimis Pontificibus Pelagio, & Gregorio, successoribusque eorum pro hac insolentia anathematizatus in sua pertinacia irreuocabilis perijt, iamque per quadraginta, & quadringentos annos suæ contumaciæ sequaces præcipitare non cessauit.* Hæc Leo IX. sed & Hadrianus Papa in Epist. ad Constantinũ, & Irenem Augustos, quæ extat in actis 7. Synodi, *act. 2.* hæc ait: *Valdè mirati sumus, quòd in vestris Imperialibus iussis pro Patriarcha Regiæ vrbis* (scilicet Tarasio directis) *vniuersalem ibidem comperimus exaratum; sed vtrùm per imperitiã, vel hæresim iniquorum scriptũ est, ignoramus; sed deinque suademus vestræ clementissimæ, Imperialique potentiæ, vt minimè in suarum excursionum serie vniuersalis describatur, quia contra sanctorum canonum instituta, seu sãctorum Patrum traditionum decreta esse videtur. In secũdo enim ordine non nisi per sanctæ nostræ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ auctoritatem valuit nomen habere; quòd si mirum super prælatam sibi S. R. E. quæ est caput omnium Dei Ecclesiarum, describatur, tanquam sanctarum Synodorũ rebellem, atque hæreticum manifestare se certum est. Quòd si vniuersalis est, etiam Ecclesiæ nostræ sedes primatum habere dignoscitur; quod ridiculum omnibus fidelibus Christianis apparet, quia in toto orbe terrarum ab ipso Redemptore mũdi B. Petro Apostolo Principatus, & potestas data est, & per eundem Apostolum, cuius (licèt immeriti) vices gerimus, Sancta, Catholica, & Apostolica Romana Ecclesia hactenus*

& in æuum tenet principatum, ut potestatis auctoritatem; quatenus (quod non credimus) si quispiam cum vniuersalem nuncupauerit, vel assensum tribuerit, sciat se orthodoxæ fidei esse alienum, & nostræ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ rebellem. Doctè probarunt hunc Romanæ Ecclesiæ Primatum supra cęteras Ecclesias, P. Suar. *de fide, disp.* 10. *sect.* 2. Germon. *lib.* 3. *de sacror. immun. c.* 4. I. Dartis *de benefic. sect.* 1. *c.* 2. Idem *in tract. de Ecclesijs suburbicarijs, c.* 13. *cum seq.* Baron. *anno* 45. *n.* 2. *&* 206. *n.* 3. *&* 215. *n.* 3. Turrian. *lib.* 1. *pro canon. Apost. c.* 16. *& lib.* 2. *pro epist. Pontif. c.* 3. *&* 4. *& lib.* 3. *c.* 10. *&* 14. Roussel. *lib.* 8 *hist. Pontif. iurisd. c.* 2. Teophilus Raynaud. *in corona aurea Rom. Pontif. v. Patriarcha vniuersalis;* & verbo *Primus diœceseos;* & verbo *Primu Primatum, in digest. Alphabet.* Morin. *lib.* 1. *exercit. cap.* 1. F. Angel. Petrica *de appell. ad Rom. S. Petri Cathedram, lib.* 1. *disp.* 2. *per tot.* Philip. Bertherius Pithaon. *diatrib.* 3.

3 Exponũtur nonnulli canones. Etsi nihil apertius sit ijs, quæ proximè adduximus pro vniuersali potestate Summi Pontificis, tum ex Concilijs, tum ex Patribus, tum ex legibus; tamen quia nonnulli, qui nodum in scirpo quærunt, contrarium tenet, moti quibusdam canonibus perperam expensis, vt in dubium reuocent hanc vniuersalem Pontificis auctoritatem, ideò eos, etsi breuiter, exponere operæpretium duxi. Primus est canon 6. Concilij Afric. relatus à Gratiano *in c. primę Sedis,* 99. *dist.* in illis verbis: *Primæ Sedis Episcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi.* Ex quibus verbis deducitur, Pontificẽ non rectè appellari vniuersalem Patriarcham, seu Primatem. Pro cuius canonis expositione supponendum est, illum deductum esse ex Concilio Prouinciali in Africa celebrato, vbi corruptela vigebat, vt Episcopi Principes Sacerdotum, & Summi Sacerdotes vacarentur. Optatus Mileuit. *lib.* 5. contra Parmen. *Quid commemorem laicos, qui tunc in Ecclesia nulla fuerãt dignitate suffulti? Quid ministros plurimos? quid Diaconos in tertio? quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos? Ipsi apices & Principes omniũ Episcopi.* Tertul. *lib. de baptismo,* ibi: *Dandi quidem baptismi ius habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus.* D. August. *lib. quæst. ex vtroque testam. mixt. q.* 100. *Quid est Episcopus, nisi primus presbyter, hoc est primus Sacerdos.* Quia verò ad fouendam suam ambitionem hęc nomina quidam trahebãt, & superbum aliquid voces illæ significabant, ab Africanis Patribus damnatę sunt, & cautum, ne primę Sedis Episcopus appelletur Principes Sacerdotum, vt legitur in can. 27. Conc. Hippon. 39. Codicis canonum Ecclesiæ Afric. apud Fulgentium Ferrandum *can.* 82. Pontifici Romano autem rectè tribuitur nomen Vniuersalis, quia vt rectè D. Greg. *lib.* 4. *ep.* 38. ait, Pontifex Romanus non ita sibi accipit titulum vniuersalis, & œcumenici Patriarchæ, vt despectis fratribus Episcopus appetat solus vocari; sed vniuersalis dicitur, quia per vniuersum orbem propagatę Ecclesię Pastor est. Prosequuntur ipsius textus varias interpretationes I. Dartis *in* 99. *dist. & de eccl. suburbic. c.* 17. Barb. *de potest. Episc. p.* 1. *tit.* 1. *c.* 6. *n.* 9. Baron. *anno* 397. Martha *de iurisd. p.* 1. *c.* 10 Mendoza *lib.* 2. *Concil. Illiber. c.* 30 alter Mendoza Augustinian. *q.* 3. *scholast. n.* 3. Turrian. *lib.* 3. *pro can. Apost. c.* 2. Coriolan. *in not. ad ipsam can.* 26. *Conc. Carthag.* 3. Iust. *in not. ad d. can.* 39. *Eccles. Afric.* Coqueus contra Morneũ 1. *p. fol.* 210. Franc. Hallier. *de hier. iurisd. fol.* 851. Secundus canon, qui ab hæreticis expendi solet, est canon 36. 6. Synodi, vbi Patres renouant constitutiones secundam, & quartam Synodi Constantinop. quæ Episcopo Constantinopolitano paria tribuerunt iura cum Romano Episcopo: ergo quia Romanæ Ecclesię auctoritas vniuersalis non est. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in canone illo 36. prorsus alienum à veritate referri; siquidem nunquam Ecclesia Constantinop. æqualibus priuilegijs decorata fuit ac Romana, vt seq. num. dicemus. Canon igitur ille furtiuus est, non Sanctorum Patrum, sed Anatolij Episcopi. Verba canonis extant in canone *renouantes,* 22. *dist.* & ita iuxta mentem Anatolij, & ambitionem Gręcorum canon ille editus fuit. Tertius, & difficilior est canon 6. Concilij Nicæni, relatus *in c. mos antiquus,* 65. *dist.* In illis verbis: *Mos antiquus seruetur per Ægyptum, Libyã, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quia & vrbis Romæ Episcopo parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam, cæterasque prouincias suis priuilegia seruentur Ecclesijs.* Ex quibus deducunt hæretici, æqualem esse potestatem Alexandrini Episcopi cum Romano Pontifice. Pro cuius canonis expositione sciendum est, in libris vulgaris deesse eius initium, quod tale est, *Ecclesia Romana semper habuit Primatum, mos autem,* &c. vt notauit Coriolan. *in not. ad eum canonem.* Vera ergo sententia ipsius Canonis est, Ecclesiam Romanam semper habuisse Primatum, sed Alexandrinũ Episcopum rexisse Prouincias illas, quia Romanus Episcopus ita consueuit, idest quia Romanus Episcopus ante omnium Conciliorum definitionem consueuit permittere Episcopo Alexandrino regimen Ægypti, Libyę, & Pentapolis: quo modo textum illum accepit Nicolaus I. *in epist. ad Michaelem.* Non ergo in canone illo fines assignantur Romano Pontifici, & alijs Patriarchis, vt falsò Caluinus, & Nilus existimarunt; sed tantum cauetur, vt Alexandrino, & Antiocheno Patriarchis sua priuilegia seruentur, iuxta antiquam consuetudinem; quia cùm aliud Concilium generale adhuc celebratum non esset, in quo fines cuiusque Patriarchæ præscripti fuissent; ideò tantùm iuxta veterem morem priuilegia sua illis seruari iubetur in eo canone. Alias ipsius textus interpretationes adducunt Balsamon, & Zonaras *in eius scholijs,* Petr. Marcha *par.* 1. *concord. Sacerd. & Imp. cap.* 7. Suar. *de fide, disp.* 10. *sect.* 2. Frances *de Eccles. Cathed. c.* 1. *n.* 64. Ioann. Cassaburius *in notitia Concil. in Concil. Nicæno, c.* 7. Barbosa *in collect. ad illum text.* Couarr. *lib.* 4. *var. cap.* 14. *n.* 11. Bellarm. *de Rom. Pontif. c.* 13. *&* 17. *colum* 3. Narbona *de appell. à Vicario, lib.* 2. *fundam.* 1. *n.* 20. Turrian. *lib.* 3. *pro canonib. c.* 2. *&* 3. *& pro canonib.* 6 *Synodi, & de dogmat. fol* 84. Baron *ann.* 375. Martha *de iurisd.* 1. *p. c.* 5. Cæsar *de Eccl. hierarc. disp.* 4. §. 2. Morin. *lib.* 1. *exercit. c.* 29 Leonard. Coqu. *in antimor. f.* 155. Leo contra Vvaramundum *c.* 7. Sirmond. *in opusc. de Eccl. suburbicar* Io. Dartis *eod. tract. c.* 17. Gibal. *to.* 2. *scient. can. lib.* 5. *c.* 5. *consect.* 2. Christ. Lup. *ad can* 6. *Concil. Nicęni.*

d *Constantinopolitana.*] Olim Alexandrina primum locum obtinebat; sed postea conniuente, & tolerante Rom. Pontifice Patriarcha Constantinop. tribus alijs prælatus fuit, & in Concil. Constantinop. 1. *can.* 3. ita cautum legitur: *Constantinopolitanæ ciuitatis Episcopum habere oportet Primatus honorem post Romanum Episcopum, propterea quòd sit noua Roma.* Nouel. 131. in qua postquam Iustinianus egisset de Concilijs Nicæno, Ephesino, Constantinopolitano, & Chalcedonensi, in quibus præsupponebat insertum, & approbatum canonem de Archiepiscopo Constantinopolitano, subdit hæc verba: *Ideòque sanximus secundùm earum definitionem, Sanctissimum senioris vrbis Romę Papam primum esse omnium Sacerdotum: Reuerendissimum autem Archiepiscopum Constantinopoleos nouæ Romę secundùm habere locum post sanctissimam Apostolicam senioris Romæ Sedem.* Hæc Imperator: qui quòd sciret non esse Imperatorię auctoritatis ordinem pręscribere Sedibus, earumdem Synodorum definitionibus inhærendo id se sancire dicit, & perperam. Etenim cùm tam ex Concilio Constantinop. quàm Chalcedon. id sibi vindicare conati fuerint Episcopi Cõstantinop. semper aduersatus est Leo, vt superiori numero retuli. Faciunt pro eadem Iustiniani opinione textus *in l.* 3. *C. Theodos. de fide Cathol. l.* 6. *cod. C. de patrocin. vicar.* Canonem autem illum de Primatu Ecclesiæ Constantinop. post Romanam, à S. Leone Papa fuisse reprobatum tradit Baron. *to.* 6. *anno* 452. *n.* 9. *&* 453. *n.* 5. *& to.* 12. *anno* 1191. *n.* 12. Immò nec Nicolaus I. illum canonem agnoscit in epistola ad Michaelem Imperatorem, quę incipit, *Proposueramus:* sed Patriarchæ Constantinopolitani Imperatorum freti potentia secundùm post Roman. Pontificem locum sibi vsurparunt; qui locus tandem à Rom. Pontificibus fuit permissus, & primò ab Innocentio in pręsenti textu: tum vt Gręcos hactenus nutantes in Ecclesiæ Romanæ subiectione ad vnionem deuinciret; tum quia pluribus sæculis reliqui Orientis Patriarchæ locum Constantinop. sponte cesserunt: notarunt P. Marcha *lib.* 3. *concord. c.* 7. Cabassutius *in notis ad Conc. Constantinop.* Binius *in not. ad can.* 5. *ipsius Conc.* Bellarm. *to.* 1. *controu. de R. Pontif. lib.* 1. *c.* 24 Coriolan *in breu. anno* 692. Christ Lupus *ad hūc canonem.* Verùm Gręcorum ambitione Patriarcha hic vniuersalem se appellare non erubuit, renuente Rom. Pontifice: & si Baron. *to.* 9. *anno* 787. *n.* 8. *in fin.* referat: *Titulum Vniuersalis, Patriarchæ Constantinopolitano, licèt nunquam approbatum, toleratum tamen à Latinis fuisse;* indulgentius loquitur: & quidem nimis Acotius *tom.* 2. *de institutionibus, lib.* 4. *cap.* 4. *in fine,* dum ait: *Post Photium Patriarcham Romanis Pontificibus annuentibus hunc titulum vsurpari à Græcis cœptum esse.* Cæterùm Anastasius Bibliothecarius in præfatione 7. Synodi, alloquens Ioannem VIII. Summum Pontificem, sic ait: *In eo sanè, quòd frequen-* 4

Digitized by Google

frequenter vniuersalem in hac Synodo Græci Patriarcham suum appellant, Apostolatus vester Græcorum adulationi veniam det, Prælatis suis non sine reprehensione placere studentium. Verùm cùm apud Constantinopolim positos frequenter Græcos super hoc vocabulo reprehenderem, & fastus arrogantium redarguerem, asserebant, quod non ideò œcumenicum dicerent Patriarcham, quòd vniuersi orbis teneat Præsulatum, sed quòd cuidam parti præsit orbis, quæ à Christianis inhabitatur. Hæc Anastasius. Sed frigidam illam excusationem refellit Baronius *to.9. anno 787. nu.7.* & hunc titulum Oecumenici, idest vniuersalis, sanctus Gregorius Papa aduersus Ioannem Patriarcham, qui primus hunc sibi titulum temerè assumpsit, ita est interpretatus, vt ipse sibi illum denegauerit. Interpretatus est enim priuatiuè quoad omnes alios, ita vt qui se inscriberet œcumenicum, idest vniuersalem, omnes alios Patriarchas, & Episcopos censeret esse priuatos, & se solùm Pastorem crederet habitabilis terræ. Sic enim ait *epist.38.l.4.* quam refert etiam Baronius *to.8.anno 595.n.31.* *Nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne cùm sibi in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.* Et *epist.32.* *Nullus unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, ne dum priuatum aliquid datur vni, honore debito sacerdotes priuarentur vniuersi.* Cæterùm Innocentius III. Papa aliam etiam intelligentiam tribuit titulo œcumenici, secundùm quam respondendo Ioanni Patriarchæ Constantinop. docet illum conuenire soli Rom. Pontifici: sic enim ait *epist 198.l.2.* quam refert idem Baronius *to.9 anno 787.nu.8.* *Dicitur vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ ex vniuersis constat Ecclesijs, quæ Græco vocabulo Catholica nominatur: & secundùm hanc acceptionem vocabuli Ecclesia Romana non est vniuersalis Ecclesia, sed pars vniuersalis Ecclesiæ, prima videlicet, & præcipua, veluti caput in corpore, quoniam in ea plenitudo potestatis existit; ad cæteras autem pars aliqua plenitudinis deriuatur. Dicitur etiam vniuersalis Ecclesia illa vna, quæ sub se continet vniuersas Ecclesias, & secundùm hanc nominis rationem Romana tantùm Ecclesia vniuersalis nuncupatur, quoniam ipsa sola singularis priuilegio dignitatis cæteris est prælata; sed & Deus vniuersalis Dominus appellatur, non quasi diuisus in species aut specialissimas, aut subalternas; sed quoniam vniuersa sub eius dominio continentur.* Prosequuntur alia Sfortia *in hist. Concil. Trid. l.1.c.16.* Theophil. Raynaud *to.10. in Corona aurea Rom. Pontif. in digestione alphabet. verbo Episcopus vniuersalis.* De vrbe Constantinop. alia adduxi *in c. quantò, de consuet.*

5 e *Alexandrina.*] Alexandria Ægypti illustris ciuitas, ab Alexandro Macedone, Iustino teste, condita, & nominata fuit, & cæterarum huius nominis ciuitatum maxima exstitit, & opulentissima. Ammianus Marcel. *l.22.* Alexandriam verticem omnium ciuitatum appellat. Herodianus *l.7.* post Romam primum locum ei tribuit; nam ab Augusto Præfectura Alexandrina, à quo Augustalis denominabatur, magnificentissimè prę cęteris nobilitata fuit; & post illam Præfectura Syriæ, cuius Metropolis erat Antiochia, secundum tenebat locum; ideò D. Petrus statuit Alexandrinam post Romanam primum, & Antiochenam secundum obtinere locum. Hinc etiam factum est, vt idem Ecclesię Princeps dilectissimum discipulum Marcum Euangelistam ad prædicandum Christi Euangelium Alexandriam miserit, vbi velut in quodam orbis theatro, ex Asia, Africa, & Europa tot gentes simul collectæ erant, ab eo prima fidei elementa reciperent Alexandrini. Quamobrem Leo I. *epist.81.* Dioscoro Alexandrino Episcopo rescribens ait: *Cùm enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit Principatum, & Romana Ecclesia in eius permaneat institutis, nefas est credere, quod sanctus discipulus eius Marcus, qui Alexandrinam primus Ecclesiam gubernauit, alijs regulis traditionum suarum decreta formauerit, cùm sine dubio de eodem fonte gratiæ vnus spiritus fuerit & discipuli, & magistri.* Huic Patriarchæ Alexandrino tota Africa regenda committebatur, vt constat *ex d.c. mos; 65. dist.* & alijs congestis ab Antonio Augustino *l.2.to.3.* & explicant Morinus *l.1. exercit. c.1. nu.9.* & *c.3.* & *c.5. per tot.* Plura adducunt de hoc Patriarchatu Petrus Marcha *p.1. concord. Sacerd. & Imp. l.1.c.5. punct.6. & 7.* Baronius *anno 35.n.10.* & *112.n.3.* & *254.n.79.* & *263.n.30.* Turrian. *l.3. pro canonib. Apost. c.8. nu.236.*

f *Antiocheno.*] De Patriarcha Antiocheno iam nonnulla adduxi *in cap.1. de translat. Episcop.*

6 g *Hierosolymitana.*] Cùm vetus, & venusta Hierusalem subuersa, & destructa sæpius esset, vt Saluator noster prædixerat apud Matthæum *c.23.* ibi: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Et *c.19.* Lucæ: *Quia veniet dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coangustabunt te vndique, & ad terram prosternent te, & filios tuos, qui in te sunt, & non relinquent in te lapidem super lapidem;* vrbs, quæ nunc adest, non est eadem ac illa, quæ olim fuit: quare Nicolaus I. *ad consult. Bulgar. c.92.* ait: *Hierosolymitanus autem Præsul, licèt & ipse Patriarcha dicatur, & secundùm antiquam consuetudinem, ac Nicænam Synodum honorandus sit; saluâ tamen Metropoli propria dignitate: sed in eadem sancta, & magna Synodo nequaquam Hierosolymitanus, sed Heliæ Episcopus dicitur: nam vera Hierusalem tantùm in cœlis est, quæ est mater nostra; illa verò Hierusalem terrestris, secundùm quod Dominus prædixit, adeò funditus ab Imperatore Romano destructa est, vt in ea nec lapis super lapidem sit relictus, & ab Helio Hadriano in alio est loco constructa, ita vt locus Dominicæ crucis extra portam, nunc intra cernatur, & à prædicto Helio Hadriano vrbs illa Helia vocitetur.* Quare PP. Concilij Nicæni *can.7.* de hoc Patriarcha ita statuerunt: *Quoniam mos antiquus obtinuit, & vetusta traditio, vt Heliæ, idest Hierosolymæ Episcopo honor deferatur, habeat consequenter honorem suum, manente tamen Metropolitanæ ciuitatis propria dignitate.*

h *Pallium largiatur.*] In quo continetur aliud priuilegium Patriarcharum, videlicet proprijs Metropolitanis pallia concedere, vt probaui *in c.1. de auctor. & vsu pallij.*

i *Vexillum.*] Quem ritum deferendi crucem illustraui *in cap.1. ne lit. pendent.*

k *Deferendum.*] Concil Sardic. *can.4. & 5. c.1. & per totum 2.q.6.* & *3.q.6.* Illustrant fusè Angelus Petrica *in tr. de appellat. ad Cathedram S. Petri.*

COMMENTARIVM.

PAtriarcha, nomen Græcum est, compositum à voce 7
πατὴρ, idest pater, & à dictione ἀρχὸς, quod est Princeps, quasi Patrum Princeps, *c. cleros, vers. Patriarcha, 21. dist.* probant Meursius *in glossar. verbo Patriarcha*, Acuña *de Primatu Brachar. c.1.* & *in c.1. 99. dist.* & *in catal. Portugal. Præs. 1. p. c.6.* Patriarchæ nomen antiquissimum est, siquidem sæpius reperitur in sacra pagina, *1. Paralip. c.8. Tobiæ c.6. Act. Apost. c.2* & *in epist.7. D. Pauli ad Hebræos:* & à Iudæis recentioribus retentum fuit; nam post vrbem sacram euersam ipsi habuerunt Patriarcham, qui quotannis suos Archisynagogos mutare solitus erat, vt inde pecuniam ex suis verbis colligeret: quod refert Tharasius Patriarcha Constantinop. *epist. ad Hadrianum Papam:* quod idem habetur *l.3. iur. Græco-Rom. ad finem*. Refert Epiphanius *hæresi 30.* qui meminit Hellen. Patriarchæ Iudæorum, & antè eum Gamalielis alterius, qui & alius fuit à Gamaliele Patriarcha Iudęorum, qui sub Theodosio vixit, vt scribit Diuus Hieron. *epist.101. ad Pammachium:* & fortè est is, de quo *in l.22. C. Theodos. de Iudęis*, legitur: *Quoniam Gamalielus existimauit se posse impunè delinquere, quòd magis erectus fastigio dignitatum, ab eo codicillis demuntur honorariæ præfecturæ, vt in eo sit honore, in quo antè prefecturam fuerat constitutus, ac deinceps nullas condi faciat synagogas.* Nam ille prior Gamaliel Epiphanij antè Constantinum Magnum vixit. Patriarcharum illorum mentio fit *in l.14. l. Iudæorum 17. C. Theodos. de Iudæis*, expressiùs *in l.1. eod. tit.* ibi: *Iudæis, & maioribus eorum, & Patriarchis volumus intimari.* Et *in l.2.* ibi: *Qui deuotione tota synagogis Iudæorum, Patriarchis, vel presbyteris se dederunt.* Et ipsi illustrium nomine decorantur *in l.8. & 11. eod. tit. & C.* & spectabilium *in l.15. eod. tit. & C.* & Reuerendissimi appellantur à Iuliano Apostata in epistola ad Iudæorum Rempublicam. Plura de his Patriarchis congesserunt Filesacus *in c. duo 9. §.7. de offic. ordin.* Casaubonus *in not. ad Vopisc. pag.249.* Amaya *ad leg. vnic. C. de auro coronario, n.23.* I Gothofr. *in l.1. & 2. C. Theodos. de Iudæis*, Beyerlinch *to.6. in theat. verbo Patriarcha*. Apud Gentiles etiam Patriarchę fuerunt; nam eos, qui Ægyptijs in sacris præerant, Patriarchas dictos esse, & Herodotus docet, & Hadrianus Imperator confirmat in epistola ad Seruium Consulem apud Flauium Vopiscum. Illustrant Casaubonus *vbi suprà*, Leo Alat. *de perpet. consens. Græc. l.1. cap.3. & 25.*

Sed vt ad Patriarchas, de quibus in præsenti canone agi- 8
tur, perueniamus, sciendum est, tres tantùm Patriarchales Eccle-

Digitized by Google

Ecclesias fuisse à D.Petro institutas: Romanam scilicet, Alexandrinam,& Antiochenam; vt quemadmodum diœcesani in Episcopo,Episcopi in Metropolitano,Metropolitæ in Patriarcha vnum sunt, ita trinitas Patriarcharum in vnitate Pontificis coalesceret:sicque Sedis Principis Apostolorum esset in trinitate vnitas, & in vnitate trinitas: atque his gradibus ad vnitatem ascenderet sacerdotum multiplicitas, vt præclarè docet Symmachus Pontif.*epist.* 1.*ad Euonium Episcopum Arelat.*atque eum sequutus Carolus Rex Francorum scribens ad Hadrianum II. & ad Joannem VIII.*c.*23 ibi: *Ad Trinitatis instar, cui vna est, atque indiuidua potestas, vnum est per diuersos Antistites sacerdotium.*D.Gregor.*l.*6.*epist.*73.& *l.*11. *epist.*48. Hincmarus *opusc.*55.*c.*16. ibi:*Cùm multi sint Apostoli, pro ipso tamen Principatu sola Apostolorum Principis sedes in auctoritate conualuit,quæ vnius est in tribus locis. Ipse enim sublimauit sedem,in qua etiam quiescere, & præsentem vitam finire dignatus est.Ipse decorauit Sedem,in quam Euangelistam discipulum misit:ipse firmauit Sedem,in qua septem annis,quamuis discessurus,sedit.Cùm ergo vnius,atque vna sit fides,cui ex auctoritate diuina tres nunc Episcopi præsident, quicquid ego de vobis audio, hoc mihi imputo.*Ratio autem, cur his in locis Patriarchatum Petrus instituerit, prouenit ex eo,nam dum ipse intenderet prima fundamēta ecclesiasticæ iurisdictionis iacere in futura sæcula obseruandæ à fidelibus,prouidè & rectè iudicauit collocandas esse precipuas Cathedras vbi temporalis iurisdictionis primaria Tribunalia erant,idque ob consonantiam,& relationem inferiorum vrbium ad illa.Tunc autem tres Primariæ, & Metropolitanæ ciuitates natæ erant ab vnione Imperij Orientalis,idest Monarchię Alexandri.& successorum eius,cum Occidentis Imperio:vrbs Antiochia,quā Iosephus *l.*3.*de bello Iudaico, c.*3. vocat tertiam vrbem orbis Romani, quamque Chrysostom. *homil.*5. *ad populum,* vocat caput,& matrem vrbium Orientalium, quæ caput erat Imperij particularis Orientis Asiatici,post hæc in Syriæ præfecturam,& alias prouincias Orientales adiacentes conuersi:vrbs Alexandrina,quam D.Chrysostomus *orat.* 22.vocat secundam sub sole vrbem, quæ sedes erat Imperij Ægyptij,& adiacentium regionum, exinde in Præfecturam Ægypti commutati: vrbs Roma, quæ occidentis Imperij caput erat, ideòque ab Hebræis dicta Imperium *Edom*,respiciendo ad Idumeam, quæ occidentalis erat ad Iudæam meridionalem; vnde & Titum, qui Hierosolymā diruit, nuncupabant Titum Idumeum. Tumque ergo in Imperio tres erant primariæ Metropoles, ciuitates duæ subalternæ,nimirum Alexandria,caput Imperij Meridionalis, seu Ægypti; & Antiochia,caput Orientalis, seu Asiatici Imperij; & supereminens Roma, caput singulare Occidentis:quare D.Petrus Sedem Episcopalem fixit Antiochię,& ibidem per septennium commoratus est,& successorem designauit Patriarcham iurisdictionis ecclesiasticæ in Asia Orientali;& inde Romam venit,quæ erat caput Imperij Occidentalis, ibique Cathedram fixit, quam rexit vsque ad vitæ diem extremum. Probat Theophilus *to.*10.*in corona aurea R.Pont. prænotat.*3. consideransque superesse vnam capitalem ciuitatem Imperij,nimirum Alexandriam,quæ caput erat Imperij Ægypti,designauit,& constituit in ea filium suum spiritualem prædilectū Marcum Euangelistam, quem suo nomine Episcopatum, & Sedem Patriarchalem ibi fundare præcepit.Vnde ortæ sūt tres ille Patriarchales sedes respondentes tribus Imperialibus, sub quibus generalis vnio Imperij facta erat. Nec obstat textus *in l.*1.*C.de summ.Trinit.*vbi docetur,eam fidē sequendam esse,quam docuerunt Damasus Romæ, & Petrus Episcopus Alexandriæ,nulla mentione facta Patriarchæ Antiocheni.Ergo quia Ecclesia Antiochena Patriarchalis non est. Pro cuius textus expositione sciendum est, eius tempore Antiochiæ schisma fuisse inter Paulinum,& Meletium. Qua de causa Imperator in ea lege omisit Patriarcham Antiochenum, vt etiàm D. Hieronymus ea de causa in epistola ad Marcellinam dixit sentire se cum Damaso,& Petro, nulla Antiochenæ Ecclesiæ facta mentione.Notauit Grotius *in floribus ad d.l.*1.

Adhuc quarto sæculo erant tantùm hæ tres Sedes Patriarchales à D.Petro institutæ, Hierosolymitana enim cœpit ius illud obtinere in Concilio Chalcedonensi sub Leone I.celebrato anno 451.priùs enim erat tantùm Episcopatus subiectus in prima instantia Cæsareæ, & per appellationem Patriarchæ Antiocheno: honorariè tamen eius Præsul Patriarcha dicebatur ad hoc dumtaxat, vt consensum in Concilijs post tres veros Patriarchas immediatè haberet; nullatenus verò ad iurisdictionem in territorio Patriarchali exercendam. Iuuenalis ergo Episcopus Hierosolymitanus habuit pro territorio Patriarchali tres Palæstinas, & annumeratus est actione 7. inter veros Patriarchas, quod actione 16.concessum fuit Anatolio Archiepiscopo Constantinop. & ita Antistes Heliæ dignitatem Patriarchalem paulatim sibi vsurpauit, motus ex eo, quia frequentia peregrinorum ad ipsam vrbem confluentium,vt loca sacta venerarentur,magna fuerat:quare plus honorandus erat Hierosolymorum Antistes,quàm Cæsareensis Metropolita. Constantinopolitanus verò Antistes Imperatorum præsidio eandem dignitatem vsurpauit;quare Nicolaus *ad consulta Bulgar.c.*92.ait: *Constantinopolitanus autem, & Hierosolymitanus Antistites,licèt dicantur Patriarchæ, non tamen tantæ auctoritatis, quantæ superiores, idest* (Alexandrinus.& Antiochenus) *existunt.* Notarūt Carolus à sancto Paulo *in proœm.geograph.sacr.* Angelus Petrica *de appellat.disp.*4. Cæsar *de Eccles. Hierarch.disp.*4.§.3.Germonius *l.*2.*sacr.c.*4. Dartis *in* 99.*dist.* Posteà tamē laxato rigore vocis, quilibet Primas Patriarcha dici cępit, vt Aquileiensis, Seleuciensis, Turonensis, Toletanus,& alij, de quibus minoribus Patriarchis plura congesserunt Betterius *diatrib.*2.Acuña *de Primatu Brachar.cap* 4. Cęsar *de Eccles.hierarch.disp.*4.§.3.Aubertus Mireus *in notit.Episc.l.*1.*cap.*14 Vnde quæri solet,an vna, eademque sit dignitas Primatis,& Patriarchæ? Et nullam inter eos dari differentiam suadetur *ex c.*1.99.*dist.*ibi:*Ipsis quoque in ciuitatibus, vel locis nostros Patriarchas, vel Primates,qui vnam formam tenerent, licèt diuersa sint nomina, leges diuinæ, & ecclesiasticæ poni,& esse iusserunt.* Et *c.conquestus*,ibi:*Primates enim,vel Patriarchas* 39.*q.*3. *c.nunc verò,* iuncta inscriptione eadem. Et ita docuerunt Gonzalez *ad regul.*8.*Cancellarię,glos.*41.*n.*15.Chassāneus *in catalogo*,4.*p.consider.*9.Cæsar *de Eccles. Hierarch. disp.* 4.§.1.*n.*2.Filesacus *in d.c.duo*, §.8 *de offic.ordin.* Villaroel. *to.*1.*regim.eccl.p.*1.*q.*4.*art.*6.Sed verius dicendum est, in hac parte discrimen esse constituendum inter Prouincias Ecclesiæ Orientalis,& Occidentalis; nam in Oriente vbi sunt suprà relati Patriarchæ maiores, magna differentia versatur inter Patriarchas,& Primates; quia tantùm quatuor maiores Patriarchalem iurisdictionem exercent,*cap. sacrosancta,cap.renouantes,c.diffinimus,*22.*dist.authent.de ecclesiasticis titulis,post princip.collat.*9. In Prouincijs verò occidentalibus nulla versatur realis differentia inter Patriarchas, & Primates: quo modo varia loca Concilij Tridentini de his Patriarchis minoribus exponit Acuña *de Primatu Brachar.cap* 3. Et hæc de origine,& progressu Patriarcharum sufficiant: eorum iurisdictionem, & munia longum foret recensere. Videndi sunt Barbosa *l.*1.*iuris eccles.c.*6.& *de potest.Episcop.*1.*p.tit.*1.*cap.*7. Cæsar *d. disp.*4.*de Eccles.Hierarch.* Franc. Hallier. *de hierarch.iurisd.l.*4.*per tot.*Carrier.*to.*2.*digest.fidei,fol.*630. Acuña *de Primatu Brachar.cap.*1. *cum sequent.* Carolus à S.Paulo *in proœm.geograph.sacr.*Ioann.Dartis *de beneficijs, cap.*2. *sect.*1. Azor *part.*2.*instit.lib.*3.*cap.*35.*quæst.*2. & 5. Theophilus *tom.*8. *de primatu Lugdun.cap.*1.§ 1. Anton August.*in epit.iur.lib.*2 *per tot.* Samuel Petitus *lib.*2. *obseru. cap.*11.

C A P V T XXIV.

Idem a *in eodem*.

VT priuilegia, quæ quibusdam religiosis personis Rom. concessit Ecclesia, permaneant inconcussa,quædam in eis duximus declaranda,ne minùs sanè intellecta protrahantur ad abusum, propter quod possint meritò reuocari:quia priuilegium meretur [b] amittere,qui permissa sibi abutitur potestate.Sanè quibusdam regularibus Apostolica Sedes indulsit, vt his, qui fraternitatem eorum

rum assumpserint, si fortè Ecclesiæ, ad quas pertinent, à diuinis officijs fuerint interdictæ, ipsosque mori contigerit, ecclesiastica sepultura non negetur, nisi c excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti; suosque confratres, quos Ecclesiarum Prælati apud Ecclesias suas non permiserint sepeliri, nisi excommunicati, vel interdicti fuerint nominatim, ipsi ad Ecclesias suas deferant tumulandos. Hæc autem de illis d fratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in sæculo eorum Ordini sunt oblati, mutato habitu sæculari; vel eis, qui sua bona dederunt inter viuos, retento sibi, quandiù in sæculo vixerint, vsufructu; qui tamen sepeliantur apud ipsorum regularium, vel aliorum non interdictas Ecclesias, in quibus elegerint sepulturam: ne si de quibuslibet ipsorum fraternitatem assumentibus fuerit intellectum, pro duobus, aut tribus denarijs annuatim sibi collatis dissoluatur pariter, & vilescat ecclesiastica disciplina: certam tamen & ipsi obtineant remissionem à Sede Apostolica sibi concessam. Illud etiam, quod huiusmodi regularibus est indultum, vt si qui fratrum suorum, qui ab eis missi fuerint ad recipiendas fraternitates, siue collectas, in quamlibet ciuitatem, vel castellum, vel vicum aduenerint, si fortè locus à diuinis sit officijs interdictus, in eorum iucundo aduentu semel in anno aperiantur Ecclesiæ, vt exclusis excommunicatis, diuina ibi officia celebrentur; sic intelligi volumus, quòd in eadem ciuitate, aut castro, vel villa vna tantùm Ecclesia eiusdem Ordinis fratribus semel, vt dictum est, aperiatur in anno; quia licèt pluraliter dictum est, quòd in eorum iucundo aduentu Ecclesiæ aperiantur; non tamen ad Ecclesias eiusdem loci, quas visitarent, sed prædictorum coniunctim referendus est intellectus: ne si hoc modo singulas eiusdem loci visitarent Ecclesias, nimiùm vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui verò contra declarationes prædictas quicquam sibi præsumpserint vsurpare, graui subiaceant disciplinæ.

NOTÆ.

1 a EOdem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 7.* & textus hic reperitur in ipso Concilio Lateran. celebrato sub Innocentio III. *can. 57.*

2 b *Amittere.*] *Cap. vbi ista 7. 74 dist. c. priuilegium 63. 11. q. 3. l. qui sine 38. ff. de negot. gest.* quia prætextu priuilegiorum aliena vsurpare absonum est, *l. 2. C. de priuileg. schol. Auth. de mandat. Princip. §. delinquentes, c. Abbates 25. de V. S.* Illustrant Belluga *in specul. Princip. rubric. 35. nu. 12.* Carolus Tapia *in l. fin. C. de constit. Princip. c. 7. p. 2. num. 1.* Martinus Magerus *in aduocat. armata, c. 16. à n. 637.* Altamiran. *in rubric. de filijs offic. c. 4. n. 15.* non tamen ipso iure per abusum amittitur priuilegium, sed sequuta sententia: quo modo textum hunc, & *in cap. cùm & plantare, hoc tit.* ibi: *Priuilegium omninò meretur amittere, qui permissa sibi abutitur libertate*; & D. August. *serm. 247. de tempore*, ibi: *Iudicio legum iure ab obtenta dignitate deijci, qui priuilegio sibi concesso abutitur*; exponit Bruno Chassaing. *de priuil regul. tr. 2. c. 5. propos. 3.* & Gibal. *to. 2. scient. can. l. 7. cap. 9. quæst. 4.*

c *Excommunicati.*] Qui arcendi sunt à sepultura ecclesiastica, iuxta tradita *in cap. sacris, de sepultur.*

d *Fratribus.*] De quibus egi *in cap. 3. §. de confratribus, hoc tit.* & credo Patres Concilij Lateran. respexisse in præsenti canone ad eos confratres Ordinis Hierosolymitani. 3

CAPVT XXV.

Idem a *in eodem.*

QVod nonnullis est religiosis indultum, in fauorem Pontificalis officij ad Episcopos extendendum concedimus, vt cùm commune terræ fuerit interdictum, excommunicatis, & interdictis exclusis, possint quandoque ianuis clausis, suppressa voce, non pulsatis campanis, diuina officia celebrare, nisi ipsum hoc illis expressè fuerit interdictum. Verùm hoc illis concedimus, qui causam aliquam non præstiterint interdicto, nec quidquam fraudis ingesserint, tale compendium ad iniquum dispendium protrahentes.

NOTÆ.

1 a EOdem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c. 8.* & reperitur textus hic in ipso Concil. Lateran. *p. 58.* In præsenti id priuilegio conceditur Episcopis, quod hodie iure communi competit, *ex c. fin. de sent. excomm. in 6.* vt dicemus *in c. quod in te, de pænit. & remiss.* vbi commentarium de interdicto, & eius effectibus dabimus.

CAPVT XXVI.

Honorius III. *Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum diœcesibus monasteria, & Prioratus a Duniacensi monasterio subiecta consistunt.*

QVantò ampliùs. *Et infrà:* Sanè dilecti filij Abbas, & conuentus Duniacensis grauem nobis querimoniam obtulerunt, quod quidam vestrùm, & vestrorum officiales, cùm in eos, & sui Ordinis monachos non possint excommunicationis, & interdicti proferre sententias, eo quòd super hoc Apostolicæ Sedis priuilegijs sint muniti, in eos, qui molunt in molendinis, vel coquunt in furnis eorum, quique vendendo, seu emendo, aut aliàs eis communicant, sententias proferunt memoratas, & sic Apostolicorum priuilegiorum non vim & potestatem, sed sola verba seruantes, dicti Ordinis monachos quodam modo excommunicant, dum eis alios communicare non sinunt. Ex quo illud etiam euenit inconueniens, vt ipsi monachi quantum ad hoc iudicentur iudicio Iudæorum, & qui eis communicant in prædictis, maiorem excommunicationem incurrant, quam etiam excommunicatis communicando fuerant incursuri. Nolentes igitur hæc crebris ad nos clamoribus iam perlata vlteriùs sub dissimulatione transire, vobis vniuersis, & singulis mandamus, quatenus huiusmodi sententias in fraudem priuilegiorum nostrorum de cætero non feratis; quia si super hoc ad nos denuò clamor ascenderit, non poterimus conniuentibus oculis pertransire, quin promulgatores talium sententiarum seueritate debita castigemus.

NOTÆ.

1 a DVmiacensi.] Ita legitur in quinta compilatione Honorij III. *sub hoc tit. c.1.* sed rectiùs in hac sexta legitur *Cluniacensi*; Cluniacense enim monasterium, à quo Congregatio Cluniacensis Ordinis D. Benedicti nomen sumpsit, construxit Guillelmus Dux Aquitaniæ anno 910. Habuit prioratus, & monasteria sub sua ditione ferè in omnibus Regnis, quorum catalogum refert Yepes *in chron. D. Benedicti, cent.5. anno* 930. de cuius progressu, & & magnitudine plura congesserunt Chopinus *lib.2. sacr. pol. tit.6.* Yepes *vbi proximè*, & nos *in cap.51. de electione.* Huic monasterio varia, & ampla priuilegia concesserunt Romani Pontifices, vt constat ex Bulla Pij IV. quæ extat in appendice dictæ cent.5. inter quæ illud præcipuum fuit, vt monachi Cluniacensis Congregationis excommunicari, aut interdicto subijci ab Episcopis ordinarijs non possent: sed Episcopi, & eorum Vicarij in fraudem huius priuilegij sententiam excommunicationis proferebant non directè in ipsos monachos, sed indirectè, ita vt qui cum eis communicarent in molendinis, furnis, & alijs locis, vbi pro humana necessitate monachi conuenire solebant, maiori excommunicatione afficerentur, in fraudem ipsius priuilegij: in quo grauiter peccabant, non solùm quia quod vna via illis prohibebatur, alia assequi intendebant, contra textum *in c. tuæ*, cum vulgatis, *de procurat.* verùm etiam quia cum illis monachis se gerebant tanquam cum Iudæis: siquidem Iudæi, quia excommunicari non possunt directè, quia extra Ecclesiam sunt, tamen vt ipsi puniantur, excommunicantur fideles Catholici cum ipsis communicantes, vt probaui *in c. de Iudæis, c. quantò, de vsuris.* Etiam seuerius se gerebant cum ipsis monachis, quàm cum alijs laicis excommunicatis; siquidem communicantes cum excommunicatis, regulariter minori excommunicatione ligantur, *cap. significauit*, vbi dicemus, *de sentent. excommun.* Ipsi autem maiori excommunicatione feriebant accedentes ad furnos, & molendina ipsorum. Vnde rectè Honorius in præsenti iubet Archiepiscopis, & Episcopis, in quorum diœcesibus monasteria Cluniacensi monasterio subiecta consistunt, ne deinceps simili indirecta excommunicatione in prædictos monachos vterentur.

CAPVT XXVII.

Idem B. *quondam Anglorum* a *Reginæ Illustri.*

EX parte tua fuit propositum coram nobis, quòd nonnulli litterati, quos nec habitus, nec tonsura clericos profitentur, in *b* terra tuæ iurisdictioni subiecta degentes, cùm deprehenduntur in aliquibus *c* forisfactis, vt tuam iurisdictionem eludant, & debitam pro delictis vltionem euadant, assumunt, seu etiam resumunt tonsuram abiectam, seu habitum clericalem, licèt anteà pro laicis ab omnibus haberentur; & sic eorum delicta maneant impunita. Ne igitur tonsura, vel habitu sic resumpto malitia foueatur, si tuam iurisdictionem exerceas in huiusmodi delinquentes, cùm sine tonsura, & habitu in delicto fuerint *d* deprehensi, æquanimiter ducimus tolerandum, cùm malitijs hominum indulgeri non debeat, sed potiùs obuiari.

NOTÆ.

1 a REginæ.] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. c.2.* & *in c. ex parte, de cleric.* vbi similis quæstio de his clericis in minoribus ordinibus constitutis habitum, & tonsuram deferentibus, & reassumentibus agitur.

b *Terra tuæ.*] Cenomanensi videlicet vrbe, quæ ad dotalitium ipsius Reginæ spectabat, vt notaui *d. c. ex parte.*

2 c *Forisfactis.*] Forsfactum, seu forisfactum, Gallicè sumitur pro graui delicto, ac propriè quidem pro eo, cuius causa aliquis fit foris, hoc est amittat priuilegium, vel etiam ius aliquid exigendi generatim, vt sumitur apud Bollandum *in vitis Sanctorum, die 4. Ianuarij*, ibi: *Illa verò videns hos panes conuersos in lapides, geniculando veniam à Deo Tharaildè de forefactis suis petijt.* Strictè apud Matthæum Parisium anno 1114. ibi: *Catalla eorum, qui sunt in forisfacto Regis.* Accipitur etiam pro mulcta pecuniaria pro delicto irrogata, vt in legibus Burgorum, quas tulit Dauid primus eius nominis Scotiæ Rex, *c.42. Forisfactum in burgo non excedit octo solidos.* Item *c.71. Qui aliter faciendo conuictus fuerit, dabit plenarium forisfactum.* Et *c.74. Castigetur per Balliuos burgi pro forisfacto suo primo, secundo, tertio.* Et *c.88. Dabit octo solidos ad forisfactum.* Inde forisfacere significat contra leges aliquid admittere, quod amissione vitæ, bonorum, vel priuilegij soleat puniri. Carnotensis *epist.173.* ibi: *Cùm prædictus Iuo Rodrocum Dominum suum diffiduciasset, & prædam eius prior cepisset, & homines suos ea die, qua captus esset, in vinculis haberet, & ad forisfaciendum eidem armata manu militum ea die procederet.* Notauit Ioannes Vossius *de vitijs sermonum lib.4. cap.8. & in append.* Vnde in præsenti forisfacta accipiuntur pro delictis.

d *Fuerint deprehensi.*] Quo casu clerici in minoribus ordinibus constituti non sunt per Ecclesiam defendendi, vt probaui *in cap.8.*

CAPVT XXVIII.

a Idem.

SVper specula. *Et infrà:* Sanè licèt sancta Ecclesia legum sæcularium nòn respuat *b* famulatum, quæ satis æquitatis, & iustitiæ vestigia imitantur; quia tamen in Francia, & nonnullis prouincijs laici Romanorum Imperatorum legibus non *c* vtuntur, & occurrunt raro ecclesiasticæ causæ tales, quæ non possint statutis canonicis expediri, vt pleniùs sacræ paginæ insistatur, & discipuli Elisei liberiùs iuxta fluenta plenissima resideant vt columbæ, dum in ianuis scalas non inuenerint, ad quas diuaricare valeant pedes suos: firmiter *d* interdicimus, ne Parisijs, & in ciuitatibus, seu alijs locis vicinis quisquam docere, vel audire ius ciuile præsumat: & qui contrà fecerit, non solùm à causarum patrocinijs interim excludatur, verùm etiam per Episcopum loci, appellatione postposita, excommunicationis vinculo innodetur.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. c.3.* in cuius scholijs refert Cironius in vulgata editione legi, *Capitulo Parisiensi, & cæteris Prælatis Parisijs constitutis.* Vnde cognoscitur ita etiam legendum esse *in c. super specula, ne clerici, vel monachi*, vbi extat alia pars huius constitutionis. Non tamen assentio perdocto viro Innocentio Cironio, qui in eo textu affirmauit, etiam ad hanc constitutionem spectare textum *in c. super specula, de magistris*; nam constitutio illa missa est Patriarchæ Antiocheno, & eius suffraganeis; vnde non potest textus hic referri ad illam constitutionem. Deinde quia in præsenti, & *in d. c. super, ne clerici, vel monachi*, specialiter agitur de

tur de studio legali in Academia Parisiensi inhibendo, & ne ius Cæsareum in ea profiteretur, ac doceretur, ex ratione in præsenti textu assignata, & alia, quam adduxi *in d. c. super specula*. Vnde etiam deducitur, constitutionem hanc localem esse, videlicet pro Academia Parisiensi: quod nouum non est in iure, vt patet *ex d. c. quod clericis, de foro compet. c. 1 de locato, l. 1 §. vlt. ff. de censib.* notauit Anguianus *lib. 2. de legibus, cap. 3. num.* 104.

b *Famulatum.*] Vt probaui *in c. 1. de noui oper. nunt.*

c *Non vtuntur.*] Ius ciuile Romanorum plerumque prohibitum in iudicijs, tam apud Gallos, quàm apud Hispanos legimus; primis enim temporibus certum est, Gallos iure Romanorum vsos fuisse; vnde Agathias de rebus Iustin. ait, Francos Romanas leges in contractibus, & matrimonijs seruare: & constat ex Capitularibus Caroli Calui apud Pisas *c. 34.* ibi: *Salua constitutione legis Romanæ in eis, qui secundùm illam viuunt*. Ex Concil. Turon. *can. 20.* ibi: *Quia etiam lex Romana constituit, vt quicunque Deo sacratam virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si posteà eis de coniunctione conuenerit, capitis sententia feriatur.* Quæ est lex 1. *C. Theodos. de raptu virgin.* Posteà tamen Carolus Magnus statuit *l. 6. c. 269* ita: *Probibemus ad negotiorum discussionem, vsum legum Romanarum, quæ quamuis eloquijs polleant, tamen difficultatibus hærent.* Idem posteà firmauit Lotharius *l. 3. legum Longob. cap. 37.* Apud Vuisigoth. etiam idem cautum fuit *in l. 9. & 10. tit. 1. l. 2.* ibi: *Alienis legibus ad exercitium vtilitatis imbui, & permittimus, & optamus; ad negotiorum verò discussionem, & resultamus, & probibemus: quamuis enim eloquijs polleant, difficultatibus hærent, vnde nolumus, siue Romanis legibus, siue alijs constitutionibus amodò ampliùs conuexari.* Prosequitur iuris Romani naufragium, & restitutionem apud Francos, & Gothos Cironius *in præsenti.* & *l. 5. obs. c. 4. & 5.* Apud nos expressè cautum est, ne in iudicijs leges ciuiles ad causarum decisionem expendantur, *l. 15. tit. 1. partit. 1, l. 6. tit. 4. partit. 3.* ibi: *Por las leyes de este libro, y no por otras.* Et *l. 1. Tauri*: docuerunt Gregorius Lopez, & Burgos de Paz, & Gomez in eisdem legibus, P. Suarez *de legibus l. 3. c. 8.* Osualdus ad Donel. *l. 1. c. 16. littera E.* Vnde rectè Honorius III. in præsenti refert, leges Romanorum apud Francos in vsu non esse.

d *Interdicimus.*] Quam iuris ciuilis professionem Pontificem in præsenti prohibere potuisse, ait Cironius *hîc*, 3
quia Academiæ sunt ecclesiasticæ; & ideò in eis plenam dispositionem Pontifex habet. Sed contrarium, immò Academias à Principibus sæcularibus constructas, & à Pontifice confirmatas, pro sæcularibus haberi, latè probat noster D. Alphonsus de Escobar collega noster *in tr. de Pont. iurisd. c. 21.* Patet Mendo *de iure academico, q. 8.* & ipsam Academiam Parisiensem mixtam esse, sæcularem, & ecclesiasticam, probat Chopinus *de Domanio Regis Franciæ, l. 3. tit. 27. n. 3.* Quare alia validiori ratione credo, Honorium III. potuisse in Academia Parisiensi prohibere studium iuris ciuilis, videlicet quia cùm ob eius professionem negligeretur, & omitteretur sacræ Theologiæ studium, vt retuli *in c. 5. ne clerici vel monachi;* ideò iuxta potestatem, quam habet in temporalibus in ordine ad supernaturalia, vt faciliùs floreret studium sacræ Theologiæ, rectè potuit Honorius pro tunc interdicere iuris Cæsarei professionem.

C A P V T XXIX.

Idem *Episcopo* a *Baiocensi.*

QVia intentionis nostræ non extitit, vt per innouationem, quam fecimus cuiusdam scripti monasterij sancti Stephani *b* Cadom. quod in Registro bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri reperimus contineri, derogaretur iuri Ecclesiæ Baiocensis, cùm innouatio nec ius *c* nouum conferat, nec etiam tollat vetus: totum in eo statu esse volumus, in quo tempore Innouationis impetratæ dignoscitur extitisse. Cæterùm per hoc nullum intendimus iuri aliàs eidem monasterio competenti præiudicium generari.

N O T Æ.

1 a B*Aiocensi.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. c. 5.* idest Roberto de Ablagel, qui feliciter certauit cum hæreticis Albigensibus. De diœcesi Baiocensi nonnulla adduxi *in c. 18. de offic. Ordin.*

2 b *Cadomensis*] Cadomense hoc monasterium est Normandiæ, in diœcesi Baiocensi, Ordinis Diui Benedicti; quod construxit, & amplè dotauit Guillelmus Rex Angliæ, atque Romani Pontifices magnis priuilegijs decorarunt, exemptione illi concessa à Baiocensi iurisdictione, vt refert Yepes *to. 6. chron. D. Benedicti, cent. 6. anno* 1020, *cap. 2. per tot.*

c *Nouum.*] Probaui suprà *in cap.* : & consonat omninò textus *in c. 2. de fide instrum. in 5 compil.* vbi idem Honorius ita statuit: *Licèt olim innouauerimus priuilegium felicis memoriæ Calixti Papæ prædecessoris nostri Ecclesię S. Ioannis Bisunt. concessum; pręsenti tamen pagina declaramus, quòd nostrę intentionis non fuit, vt ius Ecclesię per hoc in aliquo lęderetur, cùm per innouationem huiusmodi non acquiratur ius nouum, sed antiquum solummodò conseruetur; vnde pręsentes litteras super hoc vobis in testimonium duximus concedendas.* 3

C A P V T XXX.

Idem *Episcopo* a *Parisiensi.*

IN his, quæ ad cultum diuinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potiùs esset interpretatio facienda: vnde mirari compellimur, quòd cùm Fratribus *b* Minoribus duxerimus indulgendum, vt vbicunque fuerint, sine parochialis iuris præiudicio cum altari valeant viatico celebrare: quidam, sicut nuper fuit propositum coram nobis, nimis strictè interpretando indulgentiam, nituntur asserere, quòd per eam prædicti Fratres præter Episcoporum, Abbatum, & aliorum Prælatorum assensum facere hoc non possint, propter quod eos celebrare iuxta indulgentiam Apostolicam non permittunt. Cùm autem, si res taliter se haberet, nihil eis conferret indulgentia memorata, sine qua id Episcopis, & alijs Prælatis annuentibus liceret eisdem: fraternitati tuę mandamus, quatenus interpretatione huiusmodi reprobata, dum tamen ab alijs, quę à iure parochiali proueniunt, se prorsus abstineant, datam eis sic licentiam celebrandi auctoritate nostra non differas publicare, ita quòd dicti Fratres aliquam ex indulgentia nostra videantur in hoc gratiam consequuti.

N O T Æ.

1 a P*Arisiensi.*] Ita legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. c. 6.* De Ecclesia Parisiensi nonnulla adduxi *in cap. fin. de constit.*

b *Minoribus.*] *Et Prędicatoribus*, addit Gregorius IX. in præsenti; nam in hoc textu tantùm Honorium agere de priuilegio concesso Fratribus Minoribus constat *ex c. 7. de celebrat. Missar. in 5. compil.* vbi idem Honorius eidem Episcopo Parisiensi ita scribit: *Non debent Ecclesiarum Prælati, quibus religionem plantare conuenit & fouere, viros re-*

Digitized by Google

vos religiosos persequi, & eis super his maximè, quæ ad diuinum cultum pertinent, obuiare. Accepimus siue, conquerentibus dilectis filijs Ministris Ordinis Fratrum Minorum Franciæ, quod quidam Prælatorum regionis illius, occasione priuilegiorum, quæ se habere proponunt, aliqui mero suo dumtaxat arbitrio prædictis Fratribus inhibere præsumunt, ae vbi degunt, valeant secundùm nostram indulgentiam cum altari viatico solemnia celebrare Missarum, in eos, & hospites suos in maiorem Apostolicæ Sedis iniuriam, & contemptum excommunicationis sententiam promulgantes. Quanquam præfati Fratres ab omni iure parochiali contineant manus suas. Quia verò debemus religiosas fouere personas, & maximè dicti Ordinis Fratres, qui relictis omnibus Christum sequuntur, pro eo esse pauperes, & in paupertate viuere continua eligentes; ac decet nos Apostolicas indulgentias obseruare: f.t.m. quatenus auctoritate nostra inhibeas generaliter Prælatis regionis eiusdem, ne de cætero sic excommunicent dictos Fratres & hospites eorundem, nec aliquo modo impediant, quominus Fratres ipsi dicta indulgentia possint vti, quia non impunè deinceps talia faceveat, cùm non possimus iniurias pauperum Christi, & seruorum eius inquietudinem æquanimiter sustinere.

Commentarium huius textus *in cap. 1. de consecr. Eccles.* dedimus.

C A P V T XXXI.

Gregorius IX. *Maioris Ecclesiæ, & a Christianitatis Decano, & Archid. Lincon.*

DVdum inter Priorem & Conuentum de *b* Butele ex parte vna; & Priorissam, & moniales de Campesse ex alia, super decimis lite mota. *Et infra:* De consilio fratrum nostrorum decernimus iuri prędictorum Prioris, & Conuentus super decimis *c* noualium, in quarum erant possessione tempore illo, quo indulgentiæ Apostolicæ impetratæ fuerunt à parte altera de decimis noualium non soluendis, non debere per eas non facientes de hoc aliquam mentionem, præiudicium generari.

N O T Æ.

a *Christianitatis Decano.*] De hoc Decano Lincon. Ecclesiæ egi suprà *in cap. cùm capella.*

1 b *Butele.*] *De Busellia*, legendum est, vt habetur *in c. dilectæ 10. de except.* vbi mentio fit huius controuersiæ, & ibi notaui ex Pennoto, monasteria, de quibus in præsenti, esse in diœcesi Linconiensi Angliæ: cùm enim Prior, & Canonici de Busellia peterent à monialibus de Campesia decimas de prædijs noualibus; illæ autem intenderent similes decimas se non debere, causa disceptata fuit coram iudicibus delegatis, de quibus *in d. c. dilectæ.* Sed interim moniales nouum impetrarunt priuilegium, vt de prædijs noualibus decimas non persoluerent; cuius virtute intendebant, decimas iam solui consuetas monachis de prædijs noualibus tempore huius priuilegij, præstare ipsis non teneri. Consultus Gregorius IX. decreuit, priuilegium hoc nullam faciens mentionem de decimis ex noualibus iam perceptis à monachis, non prodesse monialibus, nec præiudicare Priori & monachis, quominus decimas de noualibus iam possessas exigere possent.

2 c *Noualium.*] Nouale iure ciuili dicitur terra præcisa, quæ anno præterito cessauit, *l. sylua, §. penult. ff. de V. S.* vel sylua, quæ arboribus exstirpatis ad cultum redigitur, *l. vlt. §. pen. ff. de termino moto.* Faciunt D. Isidorus *l. 15. etymol. c. 23.* ibi: *Noualis ager est primùm proscissus, siue qui alternis annis vacat, nouandarum sibi virium causa.* Varro *l. 4. de lingua Latina*, ibi: *Ager rescibilis, qui restituitur, ac reseritur quotannis; contrà qui intermittitur, à nouando noualis.* In hac decimarum tractatione noualem dicimus agrum nunc primùm præcisum, & de nouo ad cultum redactum; de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuerit, *c. 1. c. quid per nouale 21. de V. S.* docuerunt Petrus Gregor. *l. 1. syntag. c. 2 n. 2.* & *l. 1. partit. tit. 25. c. 3.* Moneta *de decimis, c. 4 q. 3.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. l. 2. regest. 14. epist. 61.* Harum noualium mentio fit *in c. fin. vt lite pendente, c. ex parte 10. c. ad audientiam 12. c. quoniam 13. c. tua 25. §. fin. c. ex parte 27. c. cùm contingat 29. de decimis, c. 2. in princip.* & *§. 1 eod. tit. l. 6. c. consultationi 32. hoc tit.* Si enim in præsenti tractatu nouale acciperetur prout sumitur in iure ciuili, parochis magnum præiudicium sequeretur ex priuilegio concesso regularibus non soluendi decimas de prædijs noualibus: quare nouale semper accipitur pro prędio nouiter culto, & cuius culturæ non extat memoria.

C O M M E N T A R I V M.

3 EX hoc textu communiter deducitur, priuilegium non soluendi decimas ex prædijs noualibus non extendi ad noualia, in quibus iam alter ius percipiendi decimas habebat, nisi eorum expressa mentio fiat. Quod firmari potest *ex c. cùm ordinem 6. de rescript. c. fin. vt lite pendente, c. causam 19.* iuncta glossa *verbo Nouiter, de testibus, c. cùm olim 18. c. veniens 19. de prescript. c. cùm olim 12. de re iudic. c. cùm nostris 6. de concess. præb. c. ex parte 27. de decimis.* Et fulcitur ea maxima ratione; nam priuilegium iuri alterius nocens debet strictè interpretari, vt quanto minus præiudicium afferat, *c. cùm olim 6. c. dilectus 8. de consuet. d. c. tua, §. fin. de decim. c. statuto 2. in princip. eod. tit. in 6.* & cùm tale priuilegium possit intelligi de terris, quæ nondum sunt redactæ ad culturam, ex quibus nullum, vel modicum sequitur præiudicium, *d. c. quid per nouale, de V. S.* non debet extendi ad prædia iam redacta ad culturam tempore impetrati priuilegij, in quibus tertius ius exigendi decimas habebat, ne ipsi irrogetur præiudicium præter Pontificis intentionem, qui in concessione priuilegij non censetur voluisse detrahere iuri alterius, *c. super eo, de offic. d'eleg. c. ex tenore 5 de auctorit. & vsu pallij, c. in his, hoc tit. l. 2. §. meritò, ff. ne quid in loco publico, l. impuberum, ff. de administ. tut. l. nec ausus, C. de mancipat. liber.* quia dum in tali priuilegio non fit mentio præsentium noualium, creditur priuilegium per subreptionem impetratum, *c. cùm nostris, de concess. præb.* & subreptio vitiat priuilegia, sicut alia rescripta, *c. quod super, de fide instrum. c. dudum, de præb. l 6. c. 1. & fin. de fil. presbyt. eod. lib. l. 1. de natalibus restituendis, l. etsi non cognitio, C. si contra ius*: quare secundum priuilegium, si primi mentionem non faciat, illud non reuocat, *c. cùm ordinem, de rescript. c. cùm olim, cap. veniens, de prescript. c. ex parte, de capellis monach. l. Decurionibus, C. de filiationijs, l. 12. l. prędia, C. de locat. prędior. ciuil. eod. lib.* creditur enim circumuentus Princeps neque eum habere voluntatem illud reuocandi, *c. cùm olim*, ibi: *Sicut credimus, de re iudicata.* Docent Menochius *lib. 6. de presumpt. presumpt. 40. à n. 2.* Castillo *l 6. contr. ou c. 36 au. 7.* Vnde in præsenti casu cùm Prior, & Canonici de Busellia ratione priuilegij decimas perciperent etiam de prædijs noualibus à monialibus iam excultis, priuilegium impetratum ab ipsis monialibus non soluendi decimas ex noualibus non affert præiudicium monachis, nec eorum priuilegio derogat. Accedit, nam in præsenti casu lis pendebat inter ipsos super decimis: sed priuilegium impetratum lite pendente, eiusque non facta mentione, nullum est, *cap. fin. vt lit. pendent. c. causam quę, de testibus.* Cenedus *ad Decret. collect. 53.* Ergo ex hoc etiam capite priuilegium in præsenti à monialibus impetratum nullum erat.

Nec obstabit, si dicas, priuilegium exemptionis à solutione decimarum extendi etiam ad prædia, in quibus alij percipiebant decimas tempore concessi priuilegij, etsi vlla mentio non fiat talis possessionis; quia decimæ semper possidentur ab aliquo, saltem ab Ecclesia parochiali, cui de iure communi debentur, *c. questi, c. statuimus, cap. in sacris, 16. q. 1. c. ab Apostolica, c. cùm contingat, c. cùm in tua, c. quoniam, de decimis*, vbi probaui, *c. fin. de Parochijs, c. penult. de restit. spol. lib. 6.* Et cùm Pontifex concedit talem exemptionem, nullam facit mentionem possessionis parochialis; immò & tale priuilegium extenditur ad prædia posteà exculta, *c. ex parte, el 1. c. ad audientiam, de decimis*, de quibus Pontifex non cogitauit; ergo quia priuilegium extenditur cum tertij prędiudicio. Nam respondendum est, in præsenti textu agi de priuilegio exemptionis a decimis noualium, quod non extenditur ad decimas iam possessas; quia non censentur nouales, ex quo prædia redacta fuerunt ad culturam; licèt prædia ipsa semper noualia dicantur, *cap. consultationi 32. hoc tit.* At verò cùm priuilegium 4

genera-

Digitized by Google

generaliter concedatur non soluendi decimas ex agris iam cultis, creditur Pontifici satis notam fuisse possessionem, quam parochi iure communi habent; & sic per consequens Pontificem illi velle derogare; quare si ius exigendi similes decimas, non ordinarium, sed extraordinarium virtute priuilegij, consuetudinis, aut præscriptionis alicui competat, non censetur derogatum, quia non præsumitur in dubio Pontificem reuocare ius, quod ignorat, *cap. super eo, de offic. deleg.* docet Couarr. *lib. 1. var. cap. 17. num. 14.* Annectenda sunt huic commentario omnia, quæ adduxi *in cap. fin. vt lit. pendente.*

CAPVT XXXII.

a Idem.

QVidam (sicut asseris) in priuilegiorum fraternitate recepti, nolunt tibi de iuribus Episcopalibus respondere. Verùm quamdiù huiusmodi fratres moram in domibus suis fecerint, eos compellere poteris ad dicta iura tibi integrè persoluenda.

NOTÆ.

a IDem.] Gregorius IX. videlicet, cuius epistolis cùm careamus, cognoscere non possumus, cui Prælato in præsenti rescribat: quod verò in præsenti docet, exposui *in cap. 3. §. de confratribus, hoc tit.*

CAPVT XXXIII.

Idem a *Arelaten. Capitulo.*

COnsultationi vestræ breuiter respondemus, quòd terra, de qua non extat memoria, quòd aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros nouiter ad culturam, perpetuò debet, quoad immunitatem de non soluendis decimis, noualium iure censeri. Cùm aliàs nonnunquam contingeret indulgentiam de noualibus plus eis dispendij, quàm vtilitatis adferre.

NOTÆ.

1 a ARelatensi.] De Arelatensi diœcesi egi *in c. 16. de offic. deleg.* & quid nouale dicatur, exposui suprà proximo commentario. In præsenti tantùm docet Gregorius, prædium nouale semper nouale manere, idest, quod si alicui concedatur exemptio à solutione decimarum de prædijs noualibus, & ipse prædia nouiter proprijs manibus excolat, nunquam de tali prædio decimas soluere teneatur; nam priuilegium à Principe concessum decet esse mansurum, *c. priuilegia, 25. q. 2.* regula *Decret. de regul. iur. l. 6.* aliàs si pro primo anno tantùm prædium nouale diceretur, nouale priuilegium potiùs damnum, quàm commodum afferret; nam qui prædium nouale magnis sumptibus ad culturam redegit, sequentibus annis teneretur ex eo decimas persoluere: vnde vt priuilegium iuxta naturam suam commodum afferat, rectè docet Gregorius in præsenti, prædium nouale semper nouale manere.

TITVLVS XXXIV.

De purgatione canonica.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio a *Triburiensi.*

NObilis homo, vel ingenuus, si in Synodo accusatur, & negauerit, si fidelem esse eum sciuerit, cum XII. ingenuis se expurget Si anteà deprehensus fuerit in furto, aut periurio, aut falso testimonio, ad iuramentum non admittatur: sed sicut qui ingenuus non est, feruenti aqua, aut candenti ferro se expurget.

NOTÆ.

1 a TRiburiensi.] Ita etiam legitur, in prima collectione, *sub tit. de purgatione vulgari*, ex qua litteram transcribo: & etiam ex hoc Concilio textus hic citatur à Burchardo *lib. 16. decret. c. 19.* & sub nomine Paleæ à Gratiano *in c. nobiles 5. 2. q. 5.* Et licèt verba ipsa non reperiantur in Concilio Triburiensi, extat tamen sententia in canone 22. in hæc verba: *Si quis fidelis libertate nobilis, aliquo crimine, aut infamia deputatur, vetatur iure iuramenta se excusare: si verò tanto, talique crimine publicatur, vt criminosus à populo suspicetur, & propterea superiuret, aut confiteatur, & pœniteat, aut Episcopo, vel suo misso discutiente per ignem candenti ferro cautè examinetur.* Illud ex præsenti canone liquidò constat, adhibita discretione dignitatis, status & conditionis, pœnas delinquentibus imponendas esse, seueriusque in seruos, quàm in nobiles animaduerti, *l. 12. §. 3. l. capitalium 28. § fin ff. de pœnis.* Cuius discriminis vestigia extant apud Paulum *lib. 5. senteut. tit. 8. §. 1. & tit. 20. §. 2. & vlt. & tit. 23. §. 11. l. 3. § penult. ff. ad leg. Cornel. de sicar. iuncta l. 12. §. vlt. ff. de accusat. l. 6. ff. ad leg. Iul. pecul.* Vlpianum *lib. 7. de offic. Proconf.* apud Licinium Rufinum *in collat. legum Mosaic. tit. 28. de veneficis, cap. pastoralis 28. de offic. deleg. cap fin. de pœnis, l. 8. tit. 7. partis. 7.* ibi: *Que mas crudamente debe ser escarmentada el hombre vil, que el fidalgo.* Concil. Narbon. *cap. 4. Quod si quisquam præsumpserit facere, si ingenuus est, det Comiti ciuitatis solidos sex: si seruus, centum flagella suscipiat.* Moris pro lege fuit apud Francos, & Sueuos incendiarium, aut predonem, antequam morte plecteretur, ignominiæ causa canem circumferre; si plebeius, sellam; si rusticus, rotam aratri. Otho Frising. *lib. 2. de gestis Frider cap. 18.* quem refert Dadinus Altesserra *de Ducibus lib. 2. cap. 8.* Prosequuntur Tiraquellus *de nobilit. cap. 2.* Simancas *de catholicis instit. tit. 45. ex num. 29.* Vuisembachius *disp. 1. num. 14.* & notauimus iam *in cap. fin. de foro compet.*

Digitized by Google

C A P V T II.

Ex Concilio a Agathen.

SI quis presbyter vitæ suæ negligens prauis exemplis malè de se suspicari permisit, & populus ab ipso iuramento, seu b banno christianitatis constrictus infamiam eius patefecerit, & certi accusatores criminis eiusdem defuerint, admoneatur primò seorsum ab Episcopo; deinde sub duobus, vel tribus testibus, si non emendauerit, Episcopus eum publica increpatione admoneat. Si verò non sic se correxerit, ab officio suspendatur vsque ad dignam satisfactionem, ne populus fidelium in eo scandalum patiatur.

NOTÆ.

a AGathensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & ex ipso Concilio citatur textus hic à Burchardo *l.2. Decreti, c.* 181. Carnot. *p.6. Decreti, c.* 226. ex quibus illum transcribo: & inter fragmenta addita ipsius Concilij reperitur textus hic, & vltima eius pars extat apud Gratianum *in c. si legitimi* 12. 2. *qu.* 5. Concilium hoc celebratum fuit in Agathensi vrbe, in Basilica S. Andreæ, 3. Idus Septembris anni 506. Symmachi Papæ 8. Anastasij Imperatoris 16. Theodorici in Italia regnantis 14. Præside Cæsario Arelatensi Episcopo, pro disciplina ecclesiastica collapsa restituenda, vt constat ex canone 73. Concilij Meldensis, & refert Coriolanus *in summ. Concilior. fol.* 332. Binius *in eius notis*, *tom.* 10. *Concil. Regiæ edition.*

b *Banno.*] Bannire apud antiquos Francos idem est ac edicto vocare, ibi: *De cæteris verò causis, vnde quis rationem est redditurus, non banniatur, sed per Comitem banniatur.* In legibus Ripuar. *tit.* 67. *Si quis legibus in vtilitatem Regis, siue in hostes, siue in reliquam vtilitatem bannitus fuerit, & minimè adimpleuerit, si ægritudo eum non detinuerit, solidis lx. mulctetur.* Gregorius Turonensis *in appendice, c.* 87. *Iussu Sigeberti omnes Leudes Austrasiorum in exercitu ad gradiendum banniti sunt.* Marculfus *lib.* 1. *formul. c. vlt. Iubemus vt omnes pagenses vestros bannire, & locis congruis per ciuitates, vicos, & castella congregare faciatis.* Plura Ioannes Vossius *de vitijs sermon. lib.* 2. *cap.* 22. Bigoonius *ad Marculf. lib.* 1. *formul. cap.* 40. Sic bannum pro denunciatione, & edicto ponitur *lib.* 3. *cap.* 66. & *lib.* 4. *cap.* 24. quo modo accipitur *in præsenti, & in cap.* 55. 16. *qu.* 1. *cap.* 13. *de præscript. cap. tua* 27. *de spons. cap.* 6. *qui matrimonia accusare, cap.* 2. 15. *qu.* 4. vbi bannire significat edicto adiecta pœna vocare. Inde etiam pœna, seu mulcta edicto non obtemperantis, bannum dicitur sæpè in Capitularibus congestis à Lindembrogio *in glossario legum antiq. verbo Bannus*: & etiam pro exilio & eiectione plerumque ponitur, cùm quis eijcitur à consortio fidelium: vnde bannus Dei dicitur in Synodo Confluentina *can.* 6. & in Concilio Coloniensi *part.* 14. *cap.* 21. ibi: *Cæteros omnes nobiles, & ignobiles per bannum Christianitatis constringat.* Non tamen semper bannus communionis ecclesiasticæ interdictum, sed pœnam aliam ingerit, veluti peregrinationis, aut ieiunij. Quare in Concilio Salegust. *can.* 15. legitur, bannitum ieiunium, pro ieiunio magno, & rigido: quasi per eum bannum, siue iram Dei auertamus, vt exponit Landmeter *lib.* 2. *de veteri cleric. cap.* 87. plura de banno, & eius acceptionibus congesserunt Cironius *lib.* 1. *obseru. cap.* 16. & *in cap. olim, de iniurijs, in* 5. *compil.* Filesacus *de origine parœc. cap.* 7. *ad finem, & in cap.* 1. §. 19. *de offic. ordin.* Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib.* 1 *epist.* 95. Sirmondus *ad capitul. Caroli, fol.* 59. & 63. P. Pitheus *lib.* 2. *aduers. cap.* 20. Chopinus *lib.* 1. *de iurisd. Andegau. cap.* 4. Stephanus Durantius *qq. iur. qu.* 28. D. Nicolaus Anton. *de exilio lib.* 3. *cap.* 9. Beyerlinch *in Theatro*, *tom.* 1. *verbo Bannus.* Vnde banno Christianitatis parochianos constringi, in præsenti est edicto per Episcopum cogi sub interminatione interdictionis communionis Christianæ.

C A P V T III.

Ex Concilio a Meldensi.

VT illæ, quæ quasi sanctimoniales sub velamine religionis degere cognoscuntur, sed potiùs iuxta Apostolum in delicijs viuentes, mortuæ in diuinis oculis computantur, libidinibusque, & cæteris carnis voluptatibus inseruire accusantur, si manifestè detegi potuerint, Episcopali auctoritate, & Regia potestate in talibus locis residere sub testimonio religioso cogantur, vbi pœnitentiam si fecerint dignam, adsequantur etiam fructuosam. Si autem manifestè detegi non valuerint, erga Ecclesiam suæ opinionis malam famam legaliter purgare cogantur: & vt religiosiùs de cætero viuant, Episcopali decreto, & Regia potestate coerceantur.

NOTÆ.

a MEldensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & ex ipso Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib.* 8. *Decreti, cap.* 50. Carnotensi *parte* 7. *Decreti, cap.* 68. & extat in ipso Concilio *can.* 70. prout in præsenti transcribitur. De hoc Concilio Meldensi iam nonnulla adduxi *in cap.* 1. *de constit.*

C A P V T IV.

Ex a eodem.

DE his, qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt, antiqua, & synodalis sententia obseruetur: quòd si fortè in Ecclesia euentus talis reperiri dignoscitur, vt pro salutis, & religionis competentia humanius quiddam debeant tractare Pontifices, sicut canonica (vt eisdem verbis vtamur) docet auctoritas; quia prior quidem, inquies, diffinitio durius: posterior autem quiddam tractauit humanius, nullo modo, vt ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia, & sponso legaliter mulctam componat. Quòd si his obedire renuerit, sine vlla refragatione anathematizetur: fautores verò illius iuxta modum culpæ Episcopali decreto pœniteant. Sin verò, quod non optamus, de gradu proprio repellatur: & si verisimilibus exinde suspicionibus fuerit propulsus, & canonicè nequiuerit approbari, secundùm sanctorum Patrum statuta se purgare cogatur.

NOTÆ.

a EOdem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc titul. capit.* 3. & ex eodem Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib.* 9. *Decreti*, *capit.* 32. Carnotensi *parte* 8. *Decreti*, *capit.* 120. extatque in canone 68. ipsius Concilij, prout in præsenti transcribitur.

C A-

Digitized by Google

C A P V T V.

a Innocent. Papa b *Aquilegiensi Patriarchæ, & Episcopo* c *Mant.*

QVotiens frater noster A. *d* Tridentinus Episcopus in nostra, & vestra de simonia impetitus sit præsentia, prudentiam vestram latere non credimus cuius causam in præsentia nostra ventilauimus. Producti sunt apud eum accusatores, sed vna voce scriptum afferentes, nec testes secundùm formam canonum producere potuerunt, quòd Ecclesiam beati Petri de Pasoron presbytero Paulo dederit pro quatuor modijs de frumento, quos ab eiusdem Ecclesiæ laicis acceperit. Vnde quia nec accusatores, nec testes secundùm formam canonum, & statuta sanctorum Patrum in causam ipsam procedere potuerunt, communi fratrum nostrorum consilio iudicamus, vt tertia manu sui ordinis, & quatuor Abbatum, & religiosorum sacerdotum de supradicta simonia in vestra præsentia se debeat expurgare. Porrò expurgationis tenor erit huiusmodi. Idem Episcopus super sancta Euangelia primùm iurabit, quòd pro Ecclesia sancti Petri de Pa. presbytero Paulo danda, nec per submissam personam, nec aliquis pro eo, se scienter pretium receperit: deinde ex purgatores super sancta Euangelia iurabunt similiter, quod ipsi credunt, quod verum iurauit.

N O T Æ.

1 a INnocentius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. & post Concil. Lateran. *p.* 50. *c.* 57. & sub nomine Paleæ textum hunc retulit Gratianus *in cap. quotiens* 2. *q.* 4. Vnde cognoscitur, quàm perperam in hac sexta collectione legitur *Innocentius III.* cùm decisiones huius Pontificis non reperiantur compilatæ, nec in prima collectione, nec in Decreto Gratiani. Et ita rectè textum hunc tribuit Innocentio II. Antonius Augustinus *in præsenti*.

2 b *Aquilegiensi.*] Aquilegia, siue Aquilcia, vt legitur apud Eustachium *in scholijs ad Dionysium*, est vrbs maxima Venetiæ, dicta Aquileia ab aquila, quæ, teste Iuliano Imperatore, vrbi cùm conderetur, dextra ex parte aduolans, suo nomine vocabulum imposuit. Habuit Ecclesiam Cathedralem iam à primis Ecclesiæ sæculis. Fortunatiani eius Præsulis meminit D. Hieronymus *in lib. de script. eccles.* & Leo Magnus epistolam scripsit ad Nicetam, & Iulianum Aquileienses Præsules: postea Patriarcha constitutus fuit eius Episcopus, vt constat ex epistola Stephani Pontificis ad Gualbertum. Sed posteà Attila Aquileiam obsidente, Patriarcha ipse Gradum se recepit, vnde Gradensis appellari cœpit: sed Grado relicto propter cœli inclementiam, occasionem ipse dedit Venetis eam dignitatem ad Episcopum proprium trahendi Nicolai V. Pontificis beneficio: quare Patriarcha hic aliquando dicitur Aquileiensis, aliquando Gradensis, plerunque Venetus. Aquileiensis appellatur in Synodo Francofort. Gradensis *in cap. 29. de offic. deleg.*

c *Mantuano.*] Mantua nobilis Galliæ Cisalpinæ ciuitas est, circa cuius conditorem varia adducit Vghellius *tom. 1. Italiæ sacræ, fol. 924.* vbi exponit locum sui Mantuani *lib. 10. Æneidos*. Habuit à primis Ecclesiæ sæculis Ecclesiam Cathedralem, quæ paruit primò Mediolanensi Archipræsuli: posteà Gregorius II. Patriarchæ Aquileiensi Sedem illam adiecit, sed demùm Pius V. anno 1553. Mantuanam Ecclesiam à iurisdictione Aquileiensis exemit, atque Romanæ Ecclesiæ eandem immediatè subiecit, vt refert Vghellius *vbi suprà*. Eius Præsuli Vuidoni rescribit in præsenti Pontifex. 3

d *A. Tridentinus.*] Adelpertus videlicet III huius nominis. De Tridentina diœcesi nonnulla adduxi *in cap. 9. de concess. præb.*

C A P V T VI.

Alexand. a *Euriensi Episcopo.*

NOs inter alios præeminemus superna, licèt immeriti, dignitate, vt quæ dubia sunt, debeamus declarare, & singulorum consultationibus, quantùm nobis Dominus ministrauit, solicitè respondere, vt quæstiones sub examine Rom. Ecclesiæ terminentur, quæ inter alias Ecclesias, disponente Domino, obtinet principatum. Vnde quia nos tua duxit fraternitas consulendos, vtrùm Episcopus parochianum suum publica fama eum accusante, ad purgationem cogere possit? Consultationi tuæ taliter respondemus, quòd si de hoc *b* crimine publica laborat infamia, accusatione, & testibus deficientibus, ad purgationem est per diœcesanum Episcopum compellendus, nisi fortè super ipsa causa ad superiorem iudicem duxerit appellandum. Sanè si appellauerit, eius parebit iudicio, ad cuius examen causam voluit per appellationem transferre.

N O T Æ.

a EVriensi.] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 7.* quamuis in priore eius parte, quæ extat *sub tit. de offic. Ordinarij, c. 4. in eadem collect.* ex qua restituo integram literam huius textus, legatur *Gen. Episcopo*: in cuius notis Augustinus asserit legendum esse *Genuensi Episcopo*; sed malè, cùm obstet inscriptio ipsa ibi, *Episcopo*. Quare credo retinendam esse inscriptionem *Euriensi*, quę extat in dicta prima collectione: Euria enim aliquando Euroma dicta, est in prouincia Nicopolitana Illyrici Orientalis, cuius Episcopus Theod. subscripsit Conc. Constantinopolit. temporibus Agathonis, & Menæ celebrato.

b *Crimine.*] Cuius punitio spectat ad iudicium Ecclesiæ, iuxtra tradita *in cap. 2. de offic. Ordin.*

C A P V T VII.

Item a *Gaietan. electo.*

CVm P. Manconella presbyter. *Et infrà*: Purgatores illius honestatis, & opinionis esse volumus, quòd verisimile sit eos nolle amore, vel odio, seu obtentu pecuniæ deierare. Vt autem idonei appareant, necesse est, vt eius, quem purgare debent, vitam, & conuersationem agnoscant. Deficientem verò in purgatione omni officio, & beneficio ecclesiastico priuare procures: præcauens, quòd si qui purgando in sua voluerint purgatione assistere, nullam eis maleuolentiam, vel indignationem ostendas, nec eos impedias, vel ab alijs, quantùm in te est, impediri permittas.

N O T Æ.

a GAietan.] Ita legitur in prima collectione, *sub tit. de accusationibus, cap. 12.* post Concilium verò Lateran. *part. 50. cap. 14.* legitur *Gaiacensi*: sed veram eius inscriptionem dedi *in cap. cùm P. de accusat.*

C A P V T VIII.

a Lucius III.

EX tuarum intelleximus continentia literarum, quòd cùm H. presbyterum latorem præsentium, quia infamabatur de homicidio, communicato fratrum consilio in Episcopatu

tuo à facerdotali officio fuſpendiſſes, bonæ memoriæ prædeceſſoris tui literas tulit in medium, quibus apparuit, eum iudicio aquæ frigidæ ſuam innocentiam purgauiſſe, & Epiſcopum eum ſuis literis abſoluiſſe: & ſcholaris, qui homicidium inſtigante diabolo perpetrauerat, immunem ſeipſum à crimine tactis ſacroſanctis Euangelijs affirmauit. Quia verò cùm peregrina *b* iudicia ſacris canonibus ſint inhibenda, purgationem, quam præſtitit, ſufficere non putamus: f. t. per A. f. m. quat. ſi accuſatores minimè idonei inuenti fuerint; qui eum de homicidio conuincere poſſint, vt cum VII. aut V. manu ſui ordinis, ſicut expedire cognoueris, per purgationem canonicam innocentiam ſuam oſtendat, iniungas: quam cùm præſtiterit, ſuſpenſionem ſine mora, & difficultate relaxes, & eum teſtimonij boni adnuntians, ab infamia homicidij, nullius cont. vel ap. ob. auctoritate noſtra fretus abſoluas. Is autem, qui infamatur, ſeſe immunem à crimine homicidij præſtito iuramento firmabit, & purgatores, quòd eum credant verum iuraſſe, iurare debebunt.

NOTÆ.

1 a Lucius III.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 5.* poſt Concil. autem Later. *part. 50. cap. 50.* habetur *Cureu. Epiſcopo.* Cures enim, ſeu Curis, eſt ciuitas Italiæ in prouincia Valeriæ, teſte Strabone *lib. 5.* cuius Epiſcopus Tiberius ſubſcripſit Concilio Romano ſub Hilario celebrato, vt refert Carolus à ſancto Paulo *lib. 1. geograph. ſacr. fol. 57.*

b *Iudicia.*] Vt probauimus *infrà, tit. proximo.*

CAPVT IX.

Idem a *Vuinton. Epiſcopo.*

Conſtitutus in præſentia noſtra P. Diaconus de Botha, ſua nobis aſſertione monſtrauit, &c. *Et infra:* Præterea illud nobis non modicam admirationem inducit, quòd purgationem oblatam recipere noluiſti, niſi priùs commendaſſes nomina ſingulorum, qui iam dictum P. purgare volebant, & de nationibus, & de cæteris ſupradictis priùs inquireres diligenter, tanquam eſſes ordinationem facturus. Vtinam ſic diſcuteres ordinandos. Sanè in purgationibus faciendis, cùm ſatis ſit illi, qui purgando exhibet iuramentum, ſi ſecundùm propriam conſcientiam, & opinionem iurat, quòd purgandus à crimine ſit immunis, & bonum exhibuit iuramentum, ſi purgatores ab Eccleſia tollerentur, & ſunt bonæ famæ, in ſuis ordinibus miniſtrantes, nec in iudicio pro crimine condemnati, proculdubio ſunt abſque vllius indagine admittendi.

NOTÆ.

a *Vuintonienſi.*] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 6.* poſt Concil. autem Lateran. *part. 8. c. 21.* tantùm *Lucius III.* de Vuintonienſi Angliæ diœceſi egi *in cap. cùm Vuinton. de elect.*

CAPVT X.

N. a *Senonen. Archiepiſcopo.*

Inter ſolicitudines noſtras illa debet eſſe præcipua, vt capiamus vulpeculas, quæ moliuntur vineam Domini demoliri, ſpecies quidem habentes diuerſas, ſed cauſas admodum colligatas, quia de vanitate conueniunt in idipſum. Hi ſunt namque caupones, qui aquam vino commiſcent, qui virus draconis in aureo calice Babylonis propinant: qui (iuxta verbum Prophetæ,) arcum rem amaram intendunt, vt ſagittent innoxios in occultis: quorum error ſerpit vt cancer, ita quòd niſi botrus in flore lædatur, fructum non ſolùm amarum, ſed etiam peſtiferum germinabit. Hos Apoſt. egregius prædicator in epiſtola ſua prophetico ſermone deſcribit, & docet omnimodis euitandos. Contra quos ſacerdotes tubis argenteis clangere debent, vt conclamante populo, arca fœderis præcedente, muri corruant Hierico, quæ iam fuerat perpetuo anathemate condemnata: ita quòd ſi quis ex ea vel regulam auream furari præſumpſerit, cum Achor filio Charmi lapidibus obruatur. Tu ergo, ſicut vir prouidus, & diſcretus, veri paſtoris adimples officium, & ſuper grege tibi commiſſo purè, ac plenè ſolicitudinem paſtoralem exerces, dum & legem Chriſti zelaris, & hæreticorum impugnans errorem, in fautores ipſorum exeris gladium canonicæ vltionis. Vigilans enim vigilas ſuper grege tuo, ne relicto veri Paſtoris ouili, quod eſt vnum, oues aberrent, poſt veſtigia gregum, qui non ſunt ex eo, temerè abeuntes: vel ne lupus eas rapiat, & diſpergat, quas Veritas in eodem ouili ſub vno paſtore fidei Catholicæ couniuit. Inter præcipuos quidem vineæ Domini Sabaoth agricolas deputatus, vulpeculas quas deſcripſimus, non pateris eius ſpeciem demoliri, ſed eas vel capere potiùs ſatagis, vel fugare. Sanè ſicut ex literis tuæ fraternitatis accepimus, cùm ad preces venerab. fratris noſtri Altiſſiodoren. Epiſcopi ad villam, quæ Charitas dicitur, acceſſiſſes, præſentibus eodem, & venerabilibus fratribus noſtris Niuernen. & Melden. Epiſcopis, in vnum feciſti eiuſdem villæ populum congregari: vbi de hæreticis, & eorum dogmatibus inquiſitione diligenti habita, inter alios, quos ſuper hæretica prauitate reperiſti publicè infamatos, Decanum Niuernen. communi didiciſti opinione grauari, & in eo, & per eum non modicum fuiſſe ſcandalum Catholicorum armis declaratum. Vnde propter vehementem infamiam, & graue ſcandalum ipſum ab officio, & beneficio ſuſpendiſti, apud Altiſſiodor. diem ei certum aſſignans, quo tuo ſe conſpectui præſentaret ab obiecto crimine defenſurum. Cùmque ſtatuto termino ad tuam

ad tuam præsentiam accessisset, præsentibus dictis Altissiodoren. & Niuernen. Episcopis, ac pluribus in vtroque iure peritis, cùm certus accusator contra eum minimè compareret, tu ex officio tuo testes tam pro ipso, quàm contra ipsum recipi, ac diligenter examinari fecisti, & attestationes etiam publicari. Cùmque postmodùm se non ad concessum ei diem tuo se conspectui præsentasset, cùm facultatem liberam indulsisses in testes ac eorum dicta dicendi, ac proponendi suas in medium rationes, quibusdam propositis probationibus & allegationibus tandem renuntians, sententiam postulauit. Tu verò cum venerabilibus fratribus nostris Trecen. ac dictis Altissiodoren. & Niuernen. Episcopis secedens in vnum, inspectis attestationibus diligenter, & adhibito plurium consilio sapientium, quia crimen contra eum liquidò probatum non erat, ipsum non duxisti de hæresi condemnandum. Verùm quoniam ex dictis testium multa erat præsumptio contra eum, vtpote cùm esset manifestè probatum, eum familiaritatem hæreticorum non solùm habuisse, sed etiam captasse scienter, cùm publica etiam laboraret infamia, & tantùm suscitatum esset scandalum contra ipsum, quod non posset canonica purgatione deleri, nec ipsum absoluere, nec purgationem, quam obtulerat ab initio, & tunc etiam offerebat, recipere voluisti: sed ipsum cum literis tuis ad Sedem duxisti Apostolicam destinandum, intelligens quòd ex concessa nobis plenitudine potestatis, citrà pœnam canonicam dispensare possumus, & vltra eam rigorem seueritatis augere. Cæterùm ei postmodùm in nostra præsentia constituto communem audientiam in nostro consistorio concessimus, vbi se multipliciter nisus est excusare, illud præsertim allegans, quòd cùm non apparente accusatore legitimo purgationem offerret, testes contra eum non fuerant aliquatenus admittendi. Nos igitur literarum scientiam, & honestatem morum in te pariter attendentes, licèt ecclesiastica constitutio tales ab officio *b* tantùm vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos; quòd tamen etiam eum à beneficio propter immanitatem criminis, vt credimus, suspendisti, nolumus improbare: nec illud etiam propter causam improbamus eandem, quòd licèt nullus contra eum legitimus accusator compareret; ad detegendam tamen huius mortiferæ pestis, immò pestiferæ mortis radicem, ex officio tuo, fama publica deferente, voluisti pleniùs inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, graue scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dictis obortam, quæ contra eundem Decanum facere videbantur, cùm propter eorum quodlibet esset purgatio iniungenda; & feruantes, & mollientes rigorem, de consilio fratrum nostrorum, Archiepiscoporum etiam, & Episcoporum apud Sedem Apostolicam existentium, purgationem quartædecimæ manus sui ordinis ei duximus indicendam. Ipsum igitur ad te cum literis Apostolicis remittentes, vt ibi purgetur, vbi noscitur infamatus, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ascitis tecum dicto Niuernen. & venerabili fratre nostro Parisien. Episcopis, indictam ei à nobis purgationem recipias: ita tamen, vt qui ad eius purgationem processerint comprobandam, sint fide Catholici, & vita probati, qui conuersationem, & vitam ipsius non tam moderno tempore nouerint, quàm transacto. Purgatione verò recepta beneficium ei restituere non postponas, ne cogatur in Cleri opprobrium mendicare. In pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab officio volumus manere suspensum, donec scandalum sopiatur: ita tamen, vt publicè familiaritatem hæreticorum abiuret. Præcipias insuper ipsi directè, vt in prædicta, & alijs villis circumpositis profiteatur, & prædicet fidem catholicam, ac confundat, & detestetur hæreticam prauitatem, sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus, vt infamia conuertatur in famam, & omne scandalum, & suspicio de Catholicorum mentibus deleatur. Quòd si forsan in purgatione defecerit, eum ecclesiasticæ districtionis mucrone percellas, & ab officio, beneficioque depositum, ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium retrudere non omittas. Datum Later. Non. Maij.

NOTÆ.

1 a *Senonensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit cap.*1. & reperitur textus hic in epistolis ipsius Pontificis correctis à Sirleto *fol.*309. ex quo regestro integram epistolam transcribo, vt plenius præsentis textus casus comprehendatur. Pontifex rescribit in hac epistola Petro de Corbolio, de quo iam nonnulla retuli *in cap.*1. *de postul. Prælat.*

b *Officio tantùm.*] Ex his verbis rectè probat Gibalinus *de censur. disquisit.*7. *q.*12. 3. *p. regulæ*, non semper suspensum ab officio, esse per consequens suspensum à beneficio.

CAPVT XI.

Idem *Abbati sancti* a *Dionysij*, *& Priori sancti Martini de Campis*, *& Magistro Scholarum Aurelian.*

CVm dil. *Et infrà:* Illud autem nos attendere volumus, & mandamus, vt tales personæ ad purgationem huiusmodi admittantur, quæ vicinæ sunt, & honestæ.

NOTÆ.

1 a *Sancti Dionysij.*] Ita præsens inscriptio concipitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*2. non tamen reperire potui textum hunc inter epistolas Innocentij editas à Sirleto, & Bosqueto: ideò cognosci nequit quibus Prælatis verè rescribat Innocent. & de cuius purgatione in eo agat.

CAPVT XII.

a Idem.

CVm in iuuentute sua. *Et infrà*: Quia verò pater filium, quem diligit, corripit: nos eundem Episcopum per literas nostras corripimus, etiam iniungentes eidem ad maiorem

cautelam, vt ab illius familiaritate cessando, apud Deum, & homines taliter se haberet, quòd sinistra de ipso suspicio non possit haberi: sed inimicus homo rescriptum literarum illarum subripiens, apud prædictum Regem, & Magnates regni ipsum nequiter publicauit, vt sic idem Episcopus deberet ampliùs infamari, cùm videretur esse nobis incredibilis, & suspectus. Vnde nos tantam æmulorum nequitiam attendentes, licèt pulsati fuerimus multotiens contra eum, nunquam tamen aduersus ipsum potuimus commoueri, scientes quòd dictum facilè sequitur multitudo. Vbi verò idem Episcopus ad Antigonien. Metropolim extitit postulatus, quidam qui super ipsa postulatione aduersabantur eidem, vt promotionem ipsius faciliùs impedirent, illius criminationis carbones reaccendere sunt moliti. Vnde quidam procurator ipsius in nostra præsentia constitutus de consilio quorundam amicorum suorum, qui super hoc quidem bonum zelum habebant, sed non secundùm scientiam, cœpit à nobis in præsentia fratrum nostrorum cum instantia postulare, quatenus eidem Episcopo purgationem canonicam faceremus indici, vt suam innocentiam demonstraret. Nos autem postulationem ipsius minùs prouidam, immò nimis improuidam reputantes, procuratorem ipsum ab ea sæpè voluimus reuocare. Cùmque sæpefatus Episcopus non videretur apud bonos, & graues de illo crimine infamatus, cùm Coepiscopi super hoc ex mandato Apostolico requisiti laudabile testimonium de ipso nobis curauerint exhibere; tamen quia talis infamatio videbatur ab inimicis, & æmulis processisse, sicut superiùs est expressum; vnde cùm anteacta eius vita commendabilis extitisset, & huiusmodi facinus incredibile extitisse crederetur, non credebamus ei purgationem aliquam indicendam. Cæterùm quia procurator instabat, compulsi fuimus non iuris necessitate, sed importunitate petentis, vt ei per vos purgationem canonicam cum duobus Abbatibus mandaremus indici, quamuis ei procuratori fuerimus protestati, quòd ex alia quoque causa talis petitio minùs prouidè tunc fiebat, quia videlicet Strigonien. Ecclesiæ suffraganei vix eo tempore purgarent eundem, quia in facto postulationis contradicebant eidem: & suffraganei Colocen. Ecclesiæ ipsum minimè tunc purgarent, quia inter eum, & Colocen. Archiepiscopum de Strigonien. Metropoli contentio vertebatur. Vnde cùm non sint alij Pontifices in Vngaria, meritò videbatur, quòd per Episcopos regni sui non posset in illo articulo se purgare.

NOTÆ.

a IDem.] Ita similiter legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.3.* sed veram inscriptionem, & integram literam dedi *in cap. cùm in iuuentute 15. de præsumpt.* vbi extat alia pars præsentis Decretalis.

CAPVT XIII.

Idem a *Tyrensi Archiepiscopo*.

DE testibus. *Et infrà*: Illi verò, qui ad purgandam huiusmodi infamiam inducuntur, id solùm tenentur iuramento firmare, quòd veritatem eum credant dicere, qui purgatur.

NOTÆ.

a TYrensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.4.* & *in cap. de testibus 29. de testibus*, vbi integram hanc epistolam dedimus.

CAPVT XIV.

Idem a *Florent. Episcopo*.

ACcedens ad præsentiam nostram dil. fil. T. diaconus parochianus tuus humili insinuatione monstrauit, quòd cùm à suis *b* æmulis diceretur, quòd esset filius sacerdotis, tu ipsum nec promouere voluisti, nec permisisti ab alio promoueri. Quocirca f. t. per A. s. m. quat. si diaconus ipse publicè fuerit huiusmodi nota respersus, & de ipsa tibi legitimè constare non potuerit, purgatione ab ipso recepta, dummodo aliud canonicum non obsistat, ipsum non differas propter hoc ad sacerdotis officium promouere, quia etsi non sit nota delicti, est tamen nota defectus impedientis ad sacros ordines promouendum.

NOTÆ.

1 a FLorentino.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.5.* Ioanni videlicet Velliternensi. De Florentina Ecclesia egi *in cap.31. de elect.*

2 b Æmulis.] Sed cùm infamia orta est à maleuolis, & æmulis, non est iniungenda purgatio, siquidem ex tali infamia non resultat grauata opinio, *cap. qualiter, el 2. de accusa.* Ergo in præsenti casu non erat indicenda purgatio propter infamiam in æmulis ortam. Respondetur in præsenti casu adfuisse scandalum aliunde ortum contra ipsum ordinandum, etsi tantùm ex eius allegatione constaret notam defectus natalium ab æmulis originem habuisse: quare propter scandalum, quod iam ortum erat, iniungitur purgatio in præsenti casu, vt etiam iniungitur *in cap. inter, hoc tit. cap. presbyter si à plebe 2. q.4.* docuit Morla *in empor. iur. tit.2. de iurisdict. num.121.*

CAPVT XV.

Idem *Abbati* a *Argentin. & Magistro G. scholastico Cucien. & de Valle*.

CVm dil. f. H. presbytero, & G. procuratore O. clerici constitutis in præsentia nostra dil. fil. T. Subd. & Capellanum nostrum concessimus auditorem, idem procurator propo-

proposuit coram eo, quod cùm dictus presbyter super incestus crimine fuisset publicè infamatus, bon. memoriæ *b* Constantien. Episcopus ordinarius iudex eidem purgationem indixit; qui cùm se purgare nequiuisset, ab eodem Episcopo fuit in plena Synodo suis Ecclesijs sententialiter destitutus, quas ipse nihilominus detinuit aliquandiù per violentiam occupatas. Cùmque postmodùm idem presbyter cuiusdam consanguinei sui vxorem adductam in domo publicè detineret, ad petitionem H. Plebani de Heniso, & quorundam aliorum clericorum Constantien. diœc. dil. fil. de Scennis, & de Vestronen. Decan. nostras dicimur litteras sub hac forma destinasse, vt si dictus presbyter super crimine adulterij, & incestus coram ipsis se purgare non posset, ipsum pœna debita castigarent: qui iuxta mandati nostri tenorem in negotio procedentes, cùm constitisset eisdem, quòd idem presbyter pro eo, quòd in purgatione defecerat, ab Episcopo memorato fuerat in Synodo condemnatus, ipsum vtpote contumacem prædictis Ecclesijs per sententiam priuauerunt, maximè cùm de incestu, & adulterij crimine, tanquam de notorio, manifestè liqueret eisdem: dil. fil. Abbati sancti *c* Galli, ad quem illarum Ecclesiarum donatio pertinebat, potestatem liberam concedentes Ecclesias ipsas personis alijs conferendi, qui eas posteà supradicto O. clerico assignauit. *Et infra*: Dictus verò presbyter inter cætera ex aduerso respondit, quod procesus iudicum prædictorum debeat meritò retractari, cùm lite contestata, & post ap. ad nos interpositam procedere præsumpserint contra eum: adijciens insuper, quod licèt idem presbyter ad abolendam omnem infamiam, purgationem indictam ab eodem electo, non tanquam delegato, sed ordinario curauerit exhibere, sæpedicti tamen æmuli eum non desinunt infamare. Vnde nobis humiliter supplicauit, vt ab illorum petitionibus absolutum faceremus ipsum prædictarum Ecclesiarum pacifica possessione gaudere. *Et infra*: His igitur, & alijs, quæ fuerunt coram prædicto Capellano proposita, pleniùs intellectis, licèt literæ illæ, quæ ad prædictos iudices impetratæ dicuntur, vel ipsarum transcriptum ostensum non fuerit coram nobis; quia tamen ex tenore relationis ipsarum, quam dictus procurator exhibuit, ac si etiam literæ ipsæ ostensæ fuissent, nobis constitit euidenter, iudices ipsos prætermisso iuris ordine processisse, tam processum eorum, quàm concessionem Ecclesiarum prædicto Abbati de mandato ipsorum factam, auctoritate Ap. retractamus, præsertim cùm relationis ipsius series repugnantia contineat, & aduersa. Dicitur etenim quod crimen eiusdem Presbyteri vsqueadeò publicum fuerit, & notorium, quòd nullus inficiationis locus penitus existebat, vtpote cuius vniuersus viciniæ populus testis erat: & tamen illud prætermittitur, quòd eidem Presbytero terminum petemptorium præfixerunt, in quo si posset, super infamia prædictorum criminum canonicè se purgaret. Cùm nimirum si crimen notorium existebat, non erat vtique illi indicenda purgatio, sed in eum condemnationis sententia promulganda. *Et infra*: Si verò nullus apparuerit legitimus accusator, & ipsum inueneritis apud bonos, & graues super prædictis criminibus, vel ipsorum altero infamatum, purgationem ei canonicam indicatis, non obstante quod coram prædicto electo dicitur se purgasse, cùm iudicio pendente coram iudicibus delegatis non debuerit ordinarius purgationem indicere infamato.

N O T Æ.

1 a ARgentin.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.6.* De Ecclesia Argentina Germaniæ, quæ olim erat canonicorum regularium, egi *in cap. venerabili, de præb. & dignit.*

2 b *Constantiensis Episcopus.*] Vuerneus videlicet, Baro de Stauffen, vir probatæ vitæ. De Constantiensi diœcesi Germaniæ egi *in cap.25. de præscript.*

c *Sancti Galli.*] Vetustissimum, & potentissimum est hoc monasterium Ordinis Diui Benedicti in diœcesi Constantiensi, vt refert Bucelinus *tom.1. Germaniæ sacræ, p 2. fol.36.* His temporibus florebat Abbas Rodulfus, qui posteà fuit Episcopus Curiensis, vt refert Bucelinus *vbi suprà.* 3

C A P V T XVI.

Idem a *Episcopo Lingoniensi, & Abbati Morismundi Cisterciensis Ordinis, Lingoniensis diœcesis.*

RΕcepimus literas vestras, quibus nobis intimare curatis, quòd Apostolico suscepto mandato super indicenda purgatione venerabili fratri nostro Archiepiscopo Bisuntino, ad diem sibi præfixum comparuit coram vobis iuramentum purgationis offerens sub hac forma: videlicet, quod immunis erat ab illis criminibus, super quibus se purgare debebat. Cùmque vos diceretis hanc non esse formam canonicam, & super id fuisset aliquandiù disputatum, ipse tandem ad nos vocem appellationis emisit, cui de prudentium virorum consilio detulistis. Ipse verò ad præsentiam nostram accedens, humiliter supplicauit, vt saltem super purgatione conscientiæ dignaremur temperare rigorem; quia non audebat asserere, quòd à natiuitate sua nunquam esset passus lapsum carnis. Porrò cùm ab eo non credatur tale exactum fuisse iuramentum, potiùs præsumitur, quòd alia de causa nolebat sub præscripta forma iurare, videlicet, quòd immunis esset ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus; quia quamuis commisisset, tamen etiam iam esset immunis ab illis. Ideòque præscriptam purgationis formam, secundùm quam idem Archiepiscopus coram nobis obtulit se purgare, penitus reprobamus, iniungentes eidem, vt si potuerit, & voluerit, sub hac forma se purget, secundùm sanum intellectum, quem ei duximus exprimendum, videlicet, simoniam, venditionem iustitiæ, atque incontinentiam, de quibus infamatus existit, iuret se minimè commisisse, postquam ad Archiepiscopalem promotus est dignitatem: & compurgatores sic iurent, quòd credunt eum verum iurasse. Quo facto vos illum dimittatis in pace, alioquin eum, sublato cuiuslibet contradictionis obstaculo, remouendum curetis à regimine Pastorali: processuri secundùm formam in prioribus literis expressam. Hactenus literæ Innocentij Papæ.

Digitized by Google

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita tantùm legitur in hac sexta collectione, cùm in antiquis collectionibus non reperiatur hæc decretalis; sed restituenda est ita inscriptio: *Episcopo Lingoniensi, & Abbati Morismundi Cisterciensis Ordinis, Lingoniensis diœcesis*; vt restituit ex regestro Vaticani Manrique *tom.* 4. *annal. Cisterc. anno* 1216. *cap.* 3. & ad hanc causam spectat textus *in cap. licèt, de accusat.* vbi refertur prima delegatio facta ab Innocentio III. pro inquisitione vitæ Archiepiscopi Bisuntinensis; qui cùm in pluribus laborasset, præcipuè simonia, incontinentia, & vendita iustitia; & cùm de hoc vltimo delicto constitisset, de prioribus verò tantùm fama exstaret, iussit Innocentius prædictis Episcopo, & Abbati, vt pro culpa probata pœnam statuerent, pro reliquis verò purgationem illi iniungerent, in qua si deficeret, pastorali dignitate priuarent, & pro purgatione formulam vulgarem præscripsit, videlicet vt purgandus iuraret, se non fecisse; deinde compurgatores affirmarent etiam sub iuramento se credere eundem non peierare: cuius commissionis literas dedit *in cap. licèt, de accusationibus*. Sed cùm Archiepiscopum conscientia de admissis criminibus accusaret, & nec fateri tutum, nec peierare licitum existimaret, cùm die condicto ad purgationem consisteret, cum compurgatoribus coram vtroque iudice interrogatus sub iuramento, renuit iurare, nisi sub ea forma, videlicet, se immunem esse ab illis delictis. Quam nouam iurandi formam cùm ipsi iudices notassent, agnouerunt in ea non leuem fraudem latere, quia si post pœnitentiam, & satisfactionem ita iurabat, verè asserebat se immunem esse ab illis delictis: quare vt suspectam, & inauditam hanc formam iurandi reiecerunt, exigentes iuramentum iuxta consuetam formam. Quare ipse Archiepiscopus vt ab eis grauatus ad Sedem Apostolicam appellauit: Innocentius autem in præsenti epistola eisdem iudicibus rescribit, quomodo purgatio, & sub qua forma iuramenti Archiepiscopo iniungenda esset. Textum hunc transcripsi prout ex regestro Vaticano reperitur apud Manrique *vbi suprà*.

COMMENTARIVM.

2 Conclusio traditur, & probatur. IN his omnibus Decretalibus agitur de purgatione canonica iniungenda tam Episcopis, Presbyteris, quàm laicis infamia laborantibus, cùm crimina ab eis admissa plenè probari nequeunt, & de forma seruanda in ipsa purgatione; quare eas sub vnico commentario exponere necessarium duxi. Sit assertio: *Infamatus de delicto, quod plenè probari nequit, purgandus est proprio iuramento, & compurgatorum.* Probant eam textus *in c. sacerdotes* 33. 50. *dist. c. Presbyter* 5. *c. habet* 6. *c. Menam* 7. *c. quotiens, & per totam* 2. *q.* 5. *cap. decernimus* 3. *q.* 9. *cap. Presbyter, cum sequentibus*, 2. *q.* 4. *cap. tua* 9. *de cohabit. cleric. c. tam literis, de testibus, cap. tuæ, de apostatis, cap. laudabilem, de frigidis, cap. Artaldus* 8. *q.* 3. *cap. insinuatum, de simonia, cap.* 2. *de calumn. cap. excommunicamus, §. quia autem, de hæretic. cap. qui admisit* 15. *q.* 8. *cap. ex literis* 19. *de homicid. cap. ad nostram, de probat. cap.* 5. *de adulterijs, cap.* 1. *de confessis, cap.* 1. 5. *q.* 1. *cap. ex parte, de offic. ordin. cap. literas, de præsumpt. cap. veniens, cap. cùm oporteat, cap. inquisitionis, cap. accedens, de accusat.* Nicolaus *ad consulta Bulgar. cap.* 86 *Cùm liber homo crimine fuerit appetitus, si imprimidem repetitus est alicuius sceleris reus, aut tribus testibus conuictus, pœnæ succumbit; aut si conuinci non potuerit, ad Euangelium sacrum, quod sibi obijcitur, minimè commisisse iurans absoluitur, & deinceps huic negotio finis imponitur.* Concilium Pistense *can.* 4. *Si quis in exercitu, vel infra regnum sine iussione dominica per vim hostilem aliquid prædari, aut fœnum tollere, aut granum, siue pecora maiora, siue minora, domosque infringere, vel incendere ausus fuerit, hæc ne fiant, omni modo prohibemus: quod si ab aliquo præsumptuosè factum fuerit, sexaginta solidos, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum duodecim testibus se purget.* Alia iuris testimonia congesserunt Crespetius *in summa, verbo Purgatio canonica*, Antonius Aug. *in epit. iur. lib.* 32 *tit.* 8. Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Fornerius *lib.* 6. *rer quotid. c.* 8. Pancirola *lib.* 4. *var. c.* 84. Lindembrog. *in glossar. legum, verbo purgatio*, Cuiac. *in c. vestra, de cohabit. cleric.* & *lib.* 1. *feud. tit.* 1. Landmeter. *lib.* 2. *de veteri cleric. c.* 108. Torreblanca *de magia, lib.* 3. *cap.* 20. Delrio *eod. tract. lib.* 4. *c.* 4. *q.* 3. Idem Torreblanca *de iure spirit. lib.* 15. *cap.* 13. Iuretus *in notis ad epist.* 54. 190. & 206 *Carnot.* Fragoso *regim. Christ. Reipub. lib.* 12. *disput.* 25. *§.* 3. Hallierius *de sacris elect. lib.* 2. *c.* 2. *art.* 1. *§.* 2. Filesacus *in c.* 5. *de offic. ordin. §.* 3. Bignon. *ad Marculf. lib.* 1. *c.* 38. Mancinus *de tripl. iur. collat. cap.* 92. Ansenius *de iureiur. c.* 28. Lemaistre *de iur. eccles. lib.* 3. *c.* 7. Durantius Casellius *lib.* 2. *variar. cap.* 1. Robertus *lib.* 1. *rer. iudic. cap.* 11. Cresolius *lib.* 3. *mystag. cap.* 18. *sect.* 2. Gibalin. *de negot. tom.* 2. *lib* 6. *art.* 8. *num.* 36. Scortia *in select. Pontific. constit. epit.* 9. *theorem.* 28. Borell. *in summa decis. tit.* 53. Bermondus *de public. concubin. verbo In Concilijs*, Balboa *in cap. at si clerici* 4. *num.* 26. *de iudicijs*, Vega *in eodem textu, num.* 26.

Sed hæc assertio ita illustrata difficilis valdè redditur sequentibus iuris principijs. Aut enim purgatio canonica 3 indicitur, quia accusator legitimus non est, & tunc fatigandus non est accusator, *cap. accusator*, 7. *quæst.* 1. *cap.* 1. vbi latè probaui, *de accusat.* aut legitimus est accusator, sed crimina obiecta non probauit: & tunc certum est, accusatore non probante, reum esse absoluendum, *l.* 1. & 3. *C. de edendo*. Igitur neutro casu purgatio canonica potest iniungi: nec interest, quòd ipse reus postulatus laboret infamia, quia famæ, aut rumori temerè credendum non est, *cap.* 2. *de cohabit. cleric. cap.* 5. *de eo qui cognou. consanguin. cap.* 6. *de fide instrum.* *Alioquin*, aiebat Quintilianus, *fraude inimicorum falsa vulgantium sæpe fama noceret etiam innocentibus: famæ sæpenumero malignitas initium, credulitas incrementum dat.* Quare Pontifex *in cap. vestra* 8. *de cohabit. cleric.* ait: *Non testimonijs, quæ rumor spargit, atque circumfert, etiamsi dicantur esse quorundam bonæ existimationis hominum; sed testibus tantùm in iudicium productis esse credendum.* Quod & docetur *in l.* 3. *§. idem Dominus, ff. de testibus.* Faciunt Cicero *pro Posthumo*, ibi: *Iisdem testibus, inquam, & quidem non productis, sed dictis testium recitatis, quasi præiudicata res ad has causas deferatur.* Tacitus *in libro de Orationibus*, ibi: *Testimonium in iudicijs publicis, non per absentes, nec per tabellam dare, sed coram, & per præsentes.* Igitur si adsit infamia, seu rumor contra ipsum reum postulatum, non ideò cogendus est, purgationem canonicam subire. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, quia licèt in causis ciuilibus probationum inopia laborantibus iusiurandum deferri possit reo à parte, vel iudice, *l. admonendi, ff. de iureiur. l.* 3. *C. de rebus credit.* tamen in causis criminalibus non licere iuramentum hoc deferre, probat Fornerius *lib.* 5. *rer. quot. cap.* 19. Augetur secundò hæc dubitandi ratio, nam fallax valdè est hoc genus purgationis; siquidem testes compurgatores deponunt tantùm de credulitate, cùm debeant deponere de his, quæ perceperunt sensu corporeo, *leg. testium, C. de testibus*, Fachineus *lib.* 11. *controuers. cap.* 69. & ita testi deponenti de credulitate in facto alieno fidem non adhiberi, post Glossam docent omnes repetentes *in d. leg. testium*, Felinus *in cap. quotiens, de testibus*. Igitur non rectè in præsenti docetur, purgationem canonicam esse iniungendam his, qui infamia laborant, si delictum probari nequit. Vnde Smaragdus in libro *de pressuris ecclesiasticis, part.* 1. improbat hanc coniurandi consuetudinem, dicitque adinuentam, vt in sacerdotes Dei liberiùs maleuoli sæuiant, ibi: *Satisfactionem igitur accusati sacerdotis sub iureiurando minimè dicunt valere, nisi plures etiam sacerdotes simul compellant iurare, in quibus hoc assumunt in testimonium, quod factum se legisse iactitant in actibus Romanorum Pontificum; nam quod de Damaso, & Sixto, & Symmacho venerabilibus Pontificibus inuenitur, eo quòd dum à quibusdam peruersis criminibus accusarentur, collectis Episcoporum Concilijs synodicè purgati sint, hæc se his verbis intelligere fatentur, quòd omnes præfati Episcopi cum ipsis Pontificibus pro illatis iurassent criminibus: quasi non eos propria tantummodò absolueret satisfactio, nisi hæc etiam prædictorum confratrum firmaret iuratio. Nobis tamen quod sic intelligendum sit, reuerà non patet; planè enim à prædictis Episcopis præfatos Pontifices accepimus, sed ipsorum suggestione, propria tantummodo satisfactione, ipsis etiam fauentibus, eos alienos à criminibus fuisse firmatum est. Sed si pro alicuius iusti innocentia alicui placuit sacramentum præbere charitatis causa, vt eum vel sic à persequentibus liberare omnimodis placet; verumtamen licèt peruersorum infestatione quasi in primitiua Ecclesia hoc fieri potuisset, tamen exemplum in posterùm relinqui debuit: quo etiam in sancto Concilio, vel*

cuius

cuius Catholici, & Apostolici viri decreto sancitum sit, sacerdotes Dei à criminibus absolui non posse, nisi confratrum satisfactione, ignoramus. Cùm enim sacramenta omnibus interdicta sint Christianis, valdè perniciosum est, sacerdotes ad hæc etiam alios cogere, vnde tam se custodire, quàm & illos debuerunt arguere. Accedit, nam facilè colludentibus compurgatoribus cum ipso reo, probabitur hoc modo eius innocentia, vt suo tempore contigisse refert Hincmarus in epistola ad Coepiscopum Ioannem, his verbis: *Qualiter de infamato Presbytero ex auctoritate maiorum tenemus, tuæ dilectioni mandamus; & sicut sanctus Gregorius decreuit, si mala fama ex similitudine per parochiam de Presbytero exierit, & accusatores, ac testes legales defuerint, ne contra Apostolum infirmorum corda de mala fama Presbyteri percutiantur, & ne vituperetur ministerium nostrum, nec securiores Presbyteri existentes, licentiùs in peccatum labantur, secundùm decreta maiorum cum denominatis sibi vicinis Presbyteris septem, quos scimus nolle periurare, sacramento famam suam purget. Si autem denominatos à nobis sibi Presbyteros ad famam suam purgandam habere nequit, & alios secum ad iurandum conduxerit, quoniam experti sumus, quosdam ad inuicem conspirasse, vt reputati mutuò in sua purgatione iurant, sicut & Presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersùs Susannam conspirauerunt, Presbyteri, qui in purgatione infamati sacerdotis, seu vnà cum eo ad iusiurandum offerunt, examinationem iudicij per aduocatum infamati Presbyteri recipiant, vt in sacramento se Deo non perdant, sicut quosdam hinc iam reuocatos comperimus.*

4 Qua dubitandi ratione ita fulcita non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius plena expositione sciendum est, purgationem duplicem esse; canonicam videlicet, ita dictam, quia canonibus recepta est, de qua in præsenti titulo; aliam vulgarem, quæ vulgi moribus inducta est, sæpiusque ab Ecclesia reiecta, de qua infrà, titulo sequenti. *De purgatione canonica.*

Purgatio canonica olim varijs modis iniungebatur, fiebatque primò per iudicium crucis, cuius purgationis per crucem mentio fit *lib.1.capitul. Caroli, cap.108. lib.3.c.46. lib.4. cap.126. in appendice 2. ad lib.4.c.33.* in legibus Longobard. *tit.26. & 33.* & *in can.17. Concilij apud Vuermer.* cuius verba dedi *in cap.3. de frigidis.* Quomodo tamen hæc purgatio fieret, & quodnam esset hoc iudicium crucis, variè exponunt Interpretes. Vitus Amerbachius *in notis ad constit.34. Caroli Magni*, Gadelmanus *lib.3. de magis, cap.5.* Torreblanca *de magia, lib.5.cap.23. num.26.* existimant, fuisse quoddam armorum genus conformatorum in speciem crucis. Sed facilè eos refellit Theoph. Raynaud. *de calumn. sect.3. cap.2. quæst.1.* & expressè hæc sententia reijcitur ex dicto canone 17. Concilij apud Vuermer. vbi hæc purgatio æqualiter indicitur viro, ac vxori; quod absurdum est, si per eam cum armis pugnaretur. Delrio *lib.4. disquisit. cap.4. q.6. nu.2.* Grethserus *lib.2. de cruce, cap.25.* docent, purgationem hanc per crucem continere sortes quasdam, quæ iaciebantur ad crucem, iuxta formam præscriptam in legibus Frisionum, *tit.14.* § 1. Parabantur quidem duæ tesseræ, quarum vna pura, altera crucis signo notata erat; & linteo super altari inuolutæ ponebantur, & post varias preces à Presbytero, vel puero extrahebantur: & si prima crucis tessera extrahebatur, innocentia illius, cuius fuerat, probata manebat: qui ritus vt superstitiosus, etsi diù durauit, tandem est sublatus. Alio etiam modo purgationem per crucem fieri constat ex formula 12. incerti auctoris, & ex legibus Ripuar *tit.7.* vbi iubetur, reum criminis stare ad crucem per 42. noctes, & si non posset, & caderet, nocens credebatur; aliàs innocens maneret. Sed veriùs est, iudicium crucis esse tantùm iuramentum per crucem præstitum, aut contacta sancta cruce, quale sæpe sæpius vsitatum refert Grethserus *lib.2. de cruce, c.16.* referuntque similia iuramenta Nicetas Coniates *in Alexio Duca*, & Cedrenus *in Constantino Leonis filio*: quomodo exposui dictum canonem 17. *in c.3. de frigidis.* Alia etiam purgatio canonica olim in vsu erat per susceptionem Eucharistiæ, tam in furtis, & homicidijs, quàm in alijs criminibus deprehendendis, *c. sæpè, c. vlt.2. q.5.* quam Gregor. VII. insimulatum simoniæ ab Henrico III. Imperatore, publicè Missam celebrando adhibuisse, subijsseque, referunt ex alijs Theophilus *de calumnia, sect.3. c.2. q.3.* Delrio *disquis. magic. lib 4. q.3.* quæ probatio non ad extorquendum à Deo miraculum, sed in testimonium innocentiæ adhibebatur; neque enim qui sceleris sibi conscius erat, audebat Christi corpus sumere in iudicium, & condemnationem, vt loquitur D. Paulus, & exponunt Delrio *suprà*, Suarez *lib. de irreligiosit. c.3. sub finem*, Sanchez *lib.2. in Decalog. c.34. num.13.* quamuis huic probationi adijciebatur aliquando imprecatio, qua quis sibi imprecabatur, ne Eucharistiam glutire posset, aut eodem momento periret, ni verum diceret, vt constat ex formula huius probationis, quam tradit Trithemius *in chron. Hirsaugiensi.* Et cùm hoc ritu quidam abuterentur, vt refert Balsamon *in canone 61.6. Synodi*, prohibita fuit hæc purgatio, vt alia peregrina iudicia improbata fuerūt, *c. tribus, de consecr. dist.2. c. dilecti, c. ex tuarum, hoc tit.* docet Gibal *d. lib.6. art.8.* Prado *de Eucharistia, q.80. dub.8. §.5.* quem purgationis ritum adumbrarunt Gentiles, vt refert Acron, vetus Horatij commentator, qui ad librum primum *epist.10. vers.10.* ait: *Cùm in seruis suspicio furti habetur, ducunt ad sacerdotem, qui crustum panis carmine infectum dat singulis; quod cùm ederit, manifestum furti reum asserit.*

Tandem purgatio canonica, de qua in præsenti titulo, fit per iuramentum, quo quis se immunem esse sceleris sibi affecti, & impositi, inuocato Deo in testem, affirmat; quam purgationem Cuiac. *in cap.8. de cohabit. cleric.* initium trahere ait à dispositione legali, de qua *in l.4. §. sed si seruus, ff. de edendo, l.3. §. sicubi, C. de his qui ad Ecclesiam, l. vlt. C. de bonis auctorit. iud.* Et sanè iure ciuili iureiurando plerumque decidebantur controuersiæ, *l.1. ff. de iureiur.* Ideò qui amouisse dicitur, compellitur iurare, *l. Marcellus, ff. rer. amot. l. vlt. §. licentia, C. de iure delib.* Similiter & qui suspectus vsuræ est, interpositæque per dolum personæ, *l. eos, § vlt. C. de vsur.* faciunt lex 5. *ff. de public. iudic.* lex 6. *C. ad leg. Corn. de sicar.* lex vltima, *C. de abolit.* lex *si duo 13. §. idem*, lex *in duobus 28. §. si quis, ff. de iureiur.* Cuius rei alia innumera exempla extant in Pandectis. Quare sapienter Iustinianus dixit, sacramenti timore compesci contentiosam litigantium instantiam, *in l.1. C. de iureiur. propter calumn.* Pancirola vero *lib.1. var. cap.84.* existimat, ex iure Longobardorum purgationem canonicam descendere; siquidem apud eos actore non probante, si qua erat pro eo coniectura, reus iuramento se expurgare, aut causam suam iustam probare tenebatur, & alios duodecim suæ assertionis testes producere, *c.1. de contentione inter dominum, & feudum, §. cùm autem si de inuestitura feudi, in vsibus feudorum.* Sed veriùs credo, genus hoc purgationis apud varias gentes inualuisse, vt ex Baiubarijs constat ex titulo 15. legum ipsorum, c.12. ibi: *Iudex causam suam bene cognoscat, & priùs vel tacitus inquirat, vt eum veritas latere non possit, nec facilè ad sacramenta veniatur.* Et paulò post: *Nulli liceat periurare, sed sicut iudicatum exsoluit. In his verò causis sacramenta præstentur, in quibus nullam probationem discussio iudicantis inuenerit.* Apud Frisiones ita cauetur: *Non iuret, sed componat, ac si ipse eum occidisset.* Apud Anglos *tit.9.* ita legitur: *Si negat, cum vndecim iuret, aut cāpo decernat.* Vuillelmus Angliæ Rex apud Houedenum ita sanxit: *Si appellauerit Anglicus Francigenam, & eum approbare voluerit iudicio, aut duello, volo tamen Francigenam purgari sacramento, non ferro.* Apud Francos similem purgationem inualuisse constat ex varijs capitularibus infrà referendis, & ex lege Salica, *tit.50. & 55.* & ita ius consuetudine apud tot gentes receptum Ecclesia admisit, & statuit in canonibus suprà relatis: ipsique Summi Pontifices calumnias sibi obiectas ea ratione diluerunt, vt Leo III. vt referunt Monachus Engolismensis *in vita Caroli Magni*, ibi: *Inter quæ vel maximum, & difficillimum erat de discutiendis Papæ obiectis criminibus; & dum nullus probator criminis esse potuit, Dominus Papa Leo coram omni populo in Basilica B. Petri Euangelium portans, ambonem conscendit, & inuocato sanctæ Trinitatis nomine, iureiurando ab obiectis criminibus se purgauit.* Monachus Sangalensis *in vita Caroli Magni*, ibi: *Illic intemeratus Pater Leo assumens Euangelium Domini nostri Iesu Christi, posuit super caput suum, & in conspectu Caroli, eiusque militum, assistentibus etiam persecutoribus suis, in hæc verba iurauit: Sic in die magni iudicij sim particeps Euangelij, sicut immunis sum criminis falsò mihi ab istis obiecti.* Refert Lindembrog. *in Glossario, verbo Purgatio.* Similiter & fecit Pelagius, vt refert Anastasius *in eo*: qui Pelagius tenens Euangelia, & crucem Domini super caput suum, in ambonem accedens satisfecit cuncto populo, & plebi, quia nullum malum peregisset contra Virgilium. Purgationis Damasi Papæ meminerunt Sigisbertus, & Anastasius *in eo*: Sixti III. & Symmachi Anastasius Biblioth. *in eorum*

5 *De purgatione per iuramentum.*

eorum vitis : quorum, & similia exempla referunt Pitheus *in onomast. ad capitularia, verba Purgatio.* Delrio *lib.4. disquisit magic. cap.3. quæst.3.* Quare Hincmarus in opusculo de diuortio Thebergæ, *interrog. 6.* ait : *Hanc purgationem in ecclesiasticis, & externis legibus receptissimam esse, & à primis sæculis vsitatam.* Cromerus *lib.15. hist. Poloniæ*, narrat, Sophiam Reginam stupri insimulatam iuramento à se, & alijs septem honestis viris præstito se purgasse. Solemne porrò fuit, iuramentum hoc præstari publicè in Ecclesia, aut tumulis Martyrum, aut altari, vel etiam extra Ecclesias, admotis Sanctorum reliquijs. Concil. Meldense *can.39.* ibi : *Tantum hoc malum est, vt ad Sanctuaria Martyrum, vbi diuersorum ægritudines sanantur, ibi periuri, licèt manifestè interdum vexari non videantur, iusto Dei iudicio à dæmonibus arripiantur, sicut sanctus dicit Gregorius.* In legibus Aleman. *tit.6.* ita cauetur : *Sacra sic fieri debent, vt illi iuratores manum supra capsam ponant.* Gregorius Turon. *lib.4. hist. cap.46.* requirit hominem alium Vrsum nomine, quem ad altare clam adductum iurare fecit, ac dicere : *Per hunc locum sanctum, & reliquias Martyrum beatorum, &c.* Et *lib.5. cap.32. Si, inquiunt, eis innoxia, super tumulum hoc B. Dionysij Martyris sacramentis adfirma. Faciam, inquit pater. Tunc inito placito, ad Basilicam Martyris sancti conueniunt. Eleuatis pater manibus super altarium iurauit filiam non esse culpabilem.* Et *lib.8. cap.16. Ibo ad Basilicam beati Martini, & sacramento me exuens, innocens redibo.* Et *lib.1. de miraculis, cap.33. Quidam tempore Felicis Biturigum Episcopi vicinos suos quodam pro crimine impetebat, quos cùm plerumque verbis procacibus lacesseret, ac iudicio publicè prouocaret, decretum est sententia Primorum vrbis, vt se ab hac noxa, qui impetebantur, sacramento purgarent. Ingressique in eius memoratæ ædis altare, cùm eleuatis manibus sacramenta proferrent*, &c. Marculf. *lib.1. formul. cap.38. Sed dum inter se contenderent, sic eisdem à proceribus nostris, in quantum illustris vir ille Comes Palatij nostri testimoniauit, fuit iudicatum, vt de quinque denominatis, idem ille apud tres, & alios tres, sua manu septima, tunc in Palatio nostro super capellam Domini Martini, vbi reliqua sacramenta percurrunt, debeant coniurare.* Plura congesserunt Zerda *in aduers. c.122. nu.14.* Baronius, & Coriolanus *anno 412* Ferrandus *lib.2. disquisit. reliq. c.3. à num.3* Lantdmeter. *lib.2. de veteri cleric. cap.108.* & hæc purgatio manufacta dicitur *lib.2. feud. tit.27. § si rusticus*, ibi : *Et manu propria singula cum sacramento idoneum se facere.* In Capitularibus Caroli, *lib.1. cap. vlt.* apud Arnulfum in Synodo habita Durocortori Rhemorum *can.30. Postquam perorauero, mea dextera ita esse sacramento firmabo.* D. Bernardum *epist.235. Nisi Decanus, quod obiectum ei fuerat, propriæ manus iuramento repelleret.* Illustrat Iuretus *in not. ad Iuonem Carnot. epist.206.*

7 De compurgatoribus.

Nec tantùm in hac purgatione reus ipse iurat, verùm & alij tres, quinque, duodecim, aut ampliùs, iuxta qualitatem personæ, quæ accusatur, aut grauitatem delictis qui appellantur iuratores sacramentales, vt constat *ex lege Salica, tit.50. & 55.* auctore vitæ sancti Eligij *lib.2. c.2.* apud Surium ibi : *Lata sententia est, vt vir ille cum multis alijs iuraret. Sic enim apud Francos in more positum est. Verùm Abbas omnibus alijs remisit iuramentum, ne alteriùs flagitio implicarentur : solus ille agri vsurpator procerum sententia iurare iussus est.* Ex legibus Baiubar. *tit.2. cap.12.* ibi : *Cum duodecim sacramentalibus iuret delicta sua, vel duo campiones propter hoc pugnent.* Gregorius Turon. *lib.8. cap.9. Fredegundis Regina cum cunctis prioribus Regni sui, idest tribus Episcopis, & trecentis viris optimis, sacramenta dedere, hunc ex Chilperico Rege generatum esse, & sic suspicio ab animis Regis ablata est.* Et *lib.8. cap.40. Ille electis duodecim viris, vt hoc scelus perpetraret, aduenit.* Inde in veteribus legibus reperitur manu quinta, manu sexta, duodecima purgari : *tit.6. legum Alemanorum*, legitur : *Sexta manu iurare.* Et *in leg. Ripuar. tit. 35. Septima manu fidem facere.* Et *tit.14.* legum Frisionum : *Duodecima manu obiectu criminis se purificare sacramento.* Et passim in hoc titulo dicitur, quarta, aut quinta manu purgari. Et *in cap. quotiens 2. quæst.5.* tertia manu sui ordinis, & quarta manu Abbatum, & religiosorum sacerdotum se expurgare. Et *in cap. requisisti 13. quæst.1* septima manu propinquorum iureiurando, tactis sacrosanctis reliquijs dicere : vt etiam *in cap. laudabilem, cap. literæ, de frigidis.* De hoc modo iurandi locus est singularis in prisca lege Alemanorum, *tit.6.* ibi : *Ista verò sacramenta sic fieri debent, vt illi iuratores manus suas supra capsam ponant, & ille solus, cui causa requiritur, verba tantùm dicat, & super omnium manus manum suam ponat, vt sic eum Deus adiuuet, vel illæ reliquiæ, & illas manus, quas comprehensas habet, vt de illa causa, vnde interpellatus est, culpabilis non sit.* Manum autem symbolum fidei fuisse veteribus, constat; ideò manus attollere iurantes solebant. Gregorius Turonensis *lib.1. cap.32.* ibi : *Eleuatisque super altari manibus iurauit* : Lucanus,

Elatisque altè promisere manibus.

Ideò in Concilio Triburiensi, cuius verba reperiuntur apud Gratianum *in cap. si quis 2. quæst.5.* vbi agitur de Presbyterorum iuramento, dicitur : *Manus enim, per quam corpus, & sanguis Christi conficitur, iuramento polluetur? Absit.* Itaque in Capitularibus Caroli, *lib.3. cap.4. & 10. & lib.5. cap.125.* periuro iubetur manus amputari : & factum refert Hermoldus in historia Sclauorum *lib.1. cap.29.* ibi : *Rudolfus vulneratus in manu dextra fugit Murcipolim, mortique iam proximus dixit ad familiares suos, videtis manum dexteram meam de vulnere saucium? Hac ego iuraui Domino Henrico, vt non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ eius : sed iussio Apostolica, Pontificumque petitio me ad id deduxit, vt iuramenti transgressor honorem indebitum mihi vsurparem : quis igitur finis nos exceperit, videtis, quia in manu, vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi?* Illustrat Cironius *in præsenti*, & *lib.2. obseruat. cap.11.* Lemaistre *de iurib. eccles. lib.3. cap.7.*

Ratio præsentis assertionis, quare videlicet illi, qui in- 8 Traditur ratio decidendi.
famia laborat, cuius delictum probari nequit, iniungitur purgatio canonica, prouenit ex eo; nam cùm satius sit purgatos esse, quàm suspectos, vt Alexand. Magnus aiebat apud Quintum Curtium *lib.7.* ideo Ecclesia, quæ optat in suis ministris, & fidelibus catholicis crimina radicitus abolere, nec eorum suspicionem in eis sustinet, statuit vt cùm aliquis laborat infamia alicuius delicti, quod probari nequit, teneatur purgari ab ea suspicione proprio iuramento, & compurgatorum, qui iurant credere se, reum vera iurare, vt ita immunis reus ab obiecto crimine reddatur. Sinesius *epist.44.* ad Ioannem quendam de graui crimine suspectum, ita scribit : *Tametsi fortè apud Deum innocens sis, & sceleris expers, qui execrandum hoc facinus nec factis, nec consilijs admiseris, nondum tamen apud nos homines innocens videris, quandiù purgatus non fueris.* Et qui in hac purgatione deficit, tanquam conuictus pœna ordinaria punitur, *cap. de hoc 11. cap. 53. de simonia.* Faciunt singularia loca sacræ paginæ, *Exodi cap.22.* vbi ita legitur : *Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo, qui susceperat, ablata fuerint, si inuenitur fur, duplum reddet; si latet fur, dominus domus applicabitur ad Deos, & iurabit quod non extenderit manum in rem proximi sui ad perpetrandam fraudem.* Et *Deuteron. cap.21.* vbi patrata in agro cæde, ignotoque adhuc post sedulam inquisitionem auctore, vult Deus, vt propinqui loci, Præsides, ac Prælati cæsa vitula, fractaque ceruice, quasi vmbratile supplicium de homicida sumant; adesse siquidem debent maiores natu ciuitatis illius, qui & manus lauare suas debent super vitula cæsa, & rei sacræ interpositione protestari, se innoxios esse, & auctoris ignaros. Rectè ergo Ecclesia, iuxta leges, & consuetudines apud tot gentes receptas, & vsitatas statuit, vt infamia notati, si delictum probari nequeat, iuramento præstito purgare se teneantur; non tamen hæc purgatio facilè indicenda est, nec ex alia ferè causa, quàm scandali tollendi gratia, iuxta Concilium Illerdense *in cap. Presbyter, 2. quæst.4.* ibi : *Ne populus fidelium scandalum patiatur.* Quare vbi scandalum, aut infamia non adest, talis purgatio indicenda non est, quia vt ait Cornelius Papa *in c. sacramentum, 2. q.4. Sacramentum à summis sacerdotibus, vel reliquis non nisi pro recta fide exigitur.*

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt 9
in causis ciuilibus regulariter actore non probante, reus Dissoluitur dubitandi ratio.
absoluatur; tamen in criminalibus Ecclesia exigit, vt reus probet suam innocentiam, aut saltem cùm grauis infamia inde orta est, vel scandalum in populo adest, vt etiam iure ciuili in grauioribus criminibus, veluti Maiestatis, desertæ militiæ, peculatus, non tantùm accusator ea, quæ obiecit, probare debebat, verùm etiam reus, alioquin non absoluebatur, etsi actor in probatione

defi-

deficeret, quia purgatio ex parte rei desideratur, *l. fallaciter, in fine, Cod. de abolit.* Sicut enim in causis ciuilibus, si dubiæ sint, adsintque coniecturæ, actore non probante, reus non absoluitur, sed iudex defert iusiurandum reo, vel actori, *leg. admonendi, ff. de iuriurand. lege 3. Cod. de rebus creditis, Nouella 124. Iustin.* Ita etiam in criminalibus, actore non probante, si causa dubia est, propter infamiam & scandalum purgatio per iuramentum rectè reo defertur. Nec obstat textus *in d. cap. 1. de accusat.* quem in eius commentario exposui. Nec obstat augmentum deductum ex eo, quod iusiurandum deferri non possit à iudice reo in causis criminalibus. Nam licèt satis controuersum sit, an iusiurandum deferri possit reo, tam ab actore, quàm iudice, in causis criminalibus; placet tamen sententia Fornerij *d. cap. 5.* Bronchorst. *enantiopb. cent. 2. assert. 27.* qui asserunt, iudicem tantùm purgationis causa iuramentum deferre posse, actorem verò in causis criminalibus ciuiliter intentatis, non verò criminaliter, illud deferre posse; qui varia iura exponunt. Nec obstat, quod dicebamus, hoc genus probationis fallax esse: tum quia testes in eo deponunt de credulitate: tum quia facilè inter eos collusio dari potest; nam quando testes compurgatores, qui debent esse vicini, iuxta suprà tradita, deponunt se credere reum iurantem verum dicere, rationem depositionis reddunt, videlicet quia vt vicini, si aliàs esset scilicet delictum admissum, non ignorarent: & ideò testes deponentes se scire, quia vicini sunt, plenam probationem facere, post Bartolum *in l. 1. ff. de rebus creditis,* probat Fachineus *lib. 11. controu. cap. 69. per totum.* Quod autem colludere possint, non est attendendum, cùm nemo credatur immemor salutis æternæ, & cum iuramento omnes illi deponant.

TITVLVS XXXV.

De purgatione vulgari.

CAPVT PRIMVM.

a Cœlestinus III.

CVra suscepti regiminis nos inducit, vt fratrum nostrorum debeamus respondere consultationibus, & ab eis, quantùm humana fragilitas permittit, dubitationis scrupulum amputare. Inde est, quòd cùm tua fraternitas duxerit Sed. Ap. consulendam, vtrùm super Ecclesiarum præsentationibus duella debeant sustineri? tuæ duximus solicitudini respondendum, quòd in eo casu, vel in alijs etiam hoc non debes aliquatenus tolerare.

NOTÆ.

a CŒlestinus III. Ita etiam legitur *in c. vnic. hoc tit. in 2. collect. & in cap. 2. de cleric. pugn. in duello in eadem collect.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

CAPVT II.

Idem *Priori sancti a Sergij Spoletani.*

SIgnificantibus Vu. laico, & fratribus eius, ad nostram noueris audientiam peruenisse, quòd cùm quidam eos super furti crimine accusaret, cum eo præter terræ consuetudinem coacti sunt inire duellum, in quo alijs peccatis suis præpedientibus ceciderunt: propter quod post appellationem ad nos *b* interpositam, per Consules Spoletanos bonis fuerunt proprijs spoliati: nunc verò furtum apud alios est inuentum, & quòd ipsi fuerint innocentes, est fauente Domino reuelatum; vnde Consulibus ipsis dedimus in mandatis, vt ablata restituant vniuersa. Ideòque disc. t. per A. s. m. quat. si ipsi mandatum nostrum neglexerint adimplere, tu partibus conuocatis, & auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, ap. rem. decernas, faciens quod decreueris, per censuram ecclesiasticam firmiter obseruari.

NOTÆ.

1 a SAncti Sergij.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. vnic.* nullam tamen legi Ecclesiam sancti Sergij sæcularem, vel regularem in diœcesi Spoletana: quare credebam in præsenti rescribere Innoc. III. Priori sancti Petri; quod monasterium est canonicorum regularium extra portam Spoleti, cuius Priori, & clericis rescribit idem Innocentius *lib. 1. epistol.* de quo monasterio agit Pennotus *lib. 2. hist. canonic. regul. cap. 17.*

2 b *Ad nos interpositam.*] Spoletum enim antiquissima Vmbriæ vrbs, Longobardorum Principum sedes diù fuit, sed superato Desiderio vltimo Longobardorum Rege, Carolus Magnus Ducatum Spoletanum Pontifici donauit, & posteà Pontifex Duces Spoletanos constituit, & tempore Alexandri III. ab Imperatore Friderico excidium passa est. Tandem restaurata, redactaque ad pristinum statum, suaue Pontificum iugum accepit, vt refert Vghellius *tom. 1. Italiæ sacræ, fol. 161.*

COMMENTARIVM.

3 INter alias purgationis vulgaris species præcipua fuit apud antiquos duellum, seu monomachia, vt constat *ex legibus Baiubar. tit. 5. cap. 15.* vbi iubentur antiquæ controuersiæ decidi per campiones, id est pugiles, qui alieni diffidij dirimendi causa operas suas locabant, *tit. 2. legum Longobard. cap. 77. 82. 92. & 110.* quod duellum etiam in causis ecclesiasticis adhibebatur. Adreuualdus Floriacensis *lib. 1. de miraculis sancti Benedicti, cap. 20.* vbi mota quæstione de mancipijs B. Benedicti, ait: *Tandem adiudicatum est, vt ab vtraque parte testes exirent, qui post sacramenti fidem scutis, ac baculis decertantes, finem controuersiæ imponerent: sed cùm illud iustum, rectumque visum fuisset omnibus, quidam Vastinensis regionis legis, &c. iudicium protulit, non esse rectum, vt bello propter res ecclesiasticas testes decernerent.* Afferam epistolam, quam ex collectione Decretalium MS. quæ Alexandri IV. nomine inscribitur, transcripsit Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 2. regest. 14.* sic: *Corruptela in plerisque locis Franciæ, vt accepimus, inoleuit, quòd videlicet quando Ecclesiarum homines de corpore ad alienum dominium se conuertunt, si eos vestrûm aliqui, quorum ipsi sunt homines, fortè conueniunt coram iudice competenti, necesse habent suam per duellum intentionem fundare, alioquin ab actione proposita repelluntur, licèt per testes, & alia documenta legitima intentionem ipsam velint, vel valeant comprobare. Cùm igitur clerici absque sui ordinis periculo duella suscipere* ne-

nequeant, vel offerre, pro eo quod siue per se, siue per alios in duello pugnauerint, ipsos ab executione sacrorum ordinum canonica constitutionis seueritas alienat: Nos huic prauæ consuetudini remedio quo possumus obuiare volentes, & duellorũ, præsertim cùm de rebus ecclesiasticis agitur, penitus interdicentes abusum, quo Deus tentatur, & vera sæpiùs iudicia peruertuntur, vt in quibuslibet iudicijs omni probationum genere succumbentibus, propter hoc contra tales sententia, seu exequutio quæcunque processerit, eadem, & quidquid ex ea sequutum fuerit, vel ob ipsam, nullius penitus sit momenti. Sed tandem vt duella generaliter prohibita fuerunt, vt probaui *in cap. 1. de clericis pugnantibus in duello*; ita hæc, maximè quæ purgationis causa suscipiuntur, vt quæ Deum tentare videantur, cùm etiam in his sæpiùs, & noxijs fortuna pepercerit, & insontes oppresserit, *cap. cùm monomachiam, 2. quæst. 5. cap. sententiam, ne clerici, vel monachi*. Illustrant Delrius *lib. 4. disquisit. magic. c. 4. q. 5. sect. 2.* Alciatus *lib. de singulari certamine*, Hothomanus *de feudis c. 44.* Iuretus *in notis ad Carnot. epist. 168.* Pichardus *ad epist. 39. sancti Bernardi*, Gibalin. *de vniuersa negot. tom. 2. lib. 6. c. 3. art. 8. n. 42.* latè illustraui *in d. cap. 1. de cleric. pugnantibus*.

C A P V T III.

a Honorius III.

Dilecti filij nouiter in Liuonia baptizati grauem ad nos querimoniam destinarunt, quòd fratres b Templariorum ordinem in Liuonia profitentes, & alij quidam aduocati, & iudices, qui temporalem in eos potestatem exercent, siquando de aliquo crimine infamantur, eos ferri candentis iudicium subire compellunt: quibus si qua exinde sequatur adustio, ciuilem pœnam infligunt: quare conuersis, & conuertendis scandalum incutiunt, & terrorem. Cùm igitur huiusmodi iudicium secundùm legitimas, & canonicas sanctiones sit penitus interdictum, vtpotè in quo Deus tentari videtur, mandamus, quatenus fratres dictos, & alios, vt ab huiusmodi conuersorum grauamine omninò desistant, monitione præmissa, per censuras ecclesiasticas, appellatione remota compellas.

N O T Æ.

1 a *Honorius III.*] Ita etiam legitur in quinta compilatione, *sub hoc tit. cap. vnico*; nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex: credit tamen Cironius in præsenti legendum esse *Archiepiscopo Rigensi*. Riga enim est Metropolis Liuoniæ, de cuius prouinciæ conuersione iam egi *in c. Deus, de vita & honestate cleric. c. fin. de diuort.*

2 b *Templariorum.*] Non accipias Templarios in præsenti pro illis, qui extincti fuerunt tempore Clementis V. de quibus egi *in cap. 16. de iudicijs*; sed pro fratribus, & Equitibus Iesu Christi: nam per annos 1197. apud Liuoniam, & Poloniam institutus fuit ordo Iesu-Christi, vt religiosi in fide Liuonios instruerent, & etiam armis contra hæreticos pugnarent: quem confirmauit Innocentius III. sub regula sancti Basilij. Tessera fuit duplex ensis rubeus in modum crucis super togam candidam. Creuit admodum ordo hic tum in Liuonia, tum in Polonia; floruitque per annos 1357. vsque ad annum 1550. cuius Militiæ meminerunt Arnoldus Lubecensis *lib. 7. c. 9.* Marquez *in thesauro Militiarum Equestrium, fol. 52.* Pater Mendo *de Ordinib. Milit. disquisit. 1. §. 14.* Cironius *in præsenti*, Bosquetus *in notis ad Innoc. III. lib. 1. epist. 139.*

C O M M E N T A R I V M.

3 *Conclusio traditur, & probatur*

Ex hoc titulo sequens communiter deducitur assertio: *Purgatio vulgaris nec in causis ciuilibus, nec in criminalibus admittenda est*. Probant eam textus *in cap. consuluisti, cap. Menam, cap. monomachiam, 2. q. 5. cap. sententiam, ne clerici, vel monachi*. Syluester II. *in epistola missa Lamberto Episcopo Maguntino*, ibi: *Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confessionem extorqueri à quolibet, sacri non censuerunt canones: & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinuentione non est præsumendum.* Iuo Carnot. *epist. 91. Vulgarem denique legem, ac nulla canonica sanctione fultam, feruentis scilicet, siue frigidæ aquæ, ignitique ferri contactum, aut cuiuslibet popularis inuentionis, quia fabricante hæc sunt omninò facta inuidia, nec ipsam exhibere, nec ab aliquo te volumus postulare, immò Apostolica auctoritate prohibemus firmissimè*. Concil. Palentinum anni 1322. *Vulgaris purgationis abusum per canones interdictum, quo suspecti de criminibus ad se purgandum ferrum candens, aut aquas feruentes accipiunt, detestantes statuimus, vt mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes, custodientes, accipientes ad hoc ferrum, vel aquam huiusmodi, cùm his Deus tentari videatur, & innocentes in huiusmodi purgationibus sine demerito puniantur, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto*. Carnotensis *epist. 74. 205. 252 & 280.* D. Thom. *2. 2. quæst. 95. artic. 8. ad 3.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Petrus Gregor. *lib. 42. syntag. cap. 15.* & *lib. 3. partit. tit. 13. cap. 2.* Pancirola *lib. 1. var. cap. 84.* Durantius Casellius *lib. 2. var. cap. 1. & 2.* Robertus *lib. 1. rer. iudic. cap. 11.* Lantdmeter. *de vteri clerico lib. 2. c. 74.* Saabedra *in chron. Goth. p. 10. circa finem*, Nouarinus *in lib. aquæ nupt.* Villadiego *in l. 3. tit. 1. lib. 3. fori*, Bosquetus *ad Innocent. III. lib. 2. epist. 136.* Lindembrog. *in Glossar. legum antiq. verbo Aqua, Iudicium aquæ, & Vomeres:* Iuretus *in notis ad Carnot. epist. 74.* Theoph. Raynaud. *in oplothec. de calum. sect. 3. cap. 1. per tot.* Spondanus *in epit. Baronij, anno 890.* Mornacius *in l. 5. §. 2. ff. de iureiur.* Cuiac. *in lib. 1. feudor. tit. 1.* Hothomanus *de feudis, cap. 44.* P. Salcedo *ad D. Thomam de regim. Princip. lib. 3. cap. 6. differt. 34* Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 28.* Hansenius *de iureiur. cap. 28.* Gibalinus *tom. 2. de vniuersa negot. lib. 6. art. 8.* Delrius *lib. 4. disquisit. quæst. 4. sect. 2. 3. & 4.* & *quæst. 5. sect. 1. cum seq.* Sanchez *lib. 2. summæ, cap. 39. & 40.* Osualdus *lib. 17. Donel. cap. 2. lit. M*, Couar. *4. var. cap. 23.* Decianus *lib. 5. tract. crimin. cap. 48. num. 2.*

Sed hæc assertio difficilis valdè redditur sequenti consideratione: nam apud omnes, & in omni religione, Hebraica videlicet, Gentilica, & Catholica, obseruatum legimus hoc genus purgationis vulgaris, per quod innocentiam Deus sæpè monstrauit, ideò iudicium Dei appellari meruit: apud Hebræos constat *ex cap. 5. Numer.* vbi Dominus iussit, quòd si mulier accusata de adulterio illud negauerit, nec probare potuerit, quòd offerat sacrificium zelotypiæ super altare, & sacerdos aquas amarissimas in vase fictili execratas maledictione cum paruitate terræ effundat super eam, & dicat: Si non dormiuit vir tecum, & es non polluta, non tibi nocebunt aquæ istæ: si autem declinasti à viro tuo, & concubuisti cum altero, his maledictionibus subiacebis: det te Dominus in maledictionem, exemplumque cunctorum; putrescere faciat femur tuum, & disrumpatur vterus tuus. Et tunc debet dicere mulier: Amen, Amen. Et si his factis mulieris vterus disrumpatur, manifestum adulterium est, & mulier erit in maledictione, & in exemplum omni populo; si verò polluta non fuerit, liberos poterit procreare. Refertur *in cap. in libro namque 21. 2. quæst. 5.* & tradunt Becanus *in analog. cap. 22.* Philo *de specialibus legibus*, P. Stephanus Menochius *lib. 3. de Repub. Hebræor. cap. 22.* Seldenus *lib. 2. vxor. Hebraic. cap. 3.* Apud Gentiles etiam examen hoc per ignem, seu aquam, vsitatum fuisse, constat ex Sophocle *in Antigono*, vbi refertur, quòd cùm Creon Rex publico edicto, mortisque pœna indicta, corpus Polinicis sepeliri prohibuisset, & Antigonus fratrem clam sepelisset, custodes Regij semetipsos inuicem grauiter incusare cœperunt; cùmque ea de re constare non posset, nuncium Regi Creonti omnes illi custodes miserunt, qui præter alia ad innocentiam eorum comprobandam hæc detulit: 4 *Impugnatur traditio assertio.*

Nemo

Nemo deprehensus est, nosque latuit;
Sumus verò parati, & candens ferrum manibus tollere,
Et per ignem serpere, Deosque iurare,
Nec nos fecisse, nec fuisse conscios, &c.

Et narrat Varro, Vestalem virginem, cùm periclitaretur falsa suspicione de stupro, cribrum implesse aqua de Tyberi, & ad suos iudices, nulla eius parte stillante portasse. Cui etiam aliud virginis Vestalis factum simile referunt Liuius *lib. 2. de bello Punico*, Valer. Maxim. *lib. 8.* Ouidius *in Fast. 4.* D. August. *lib. 10. de ciuit. Dei, cap. 16.* quod & Diuus Hieronymus *lib. 1. aduers. Iouin.* his verbis refert: *Claudia virgo Vestalis, cùm in suspicionem venisset stupri, & simulachrum matris Ideæ in vado Tyberis hæreret, ad comprobandam pudicitiam suam cingulo duxit nauim, quam multa millia hominum trahere nequiuerant.* Eustachius *lib. 7. & 11. de amoribus Ismenij*, ait, Artecomij, & Daphnopoli fontem fuisse, in quem si virgo intraret, aqua perlucida maneret; si verò vitiata, turbida continuò redderetur. Similis fons propè Ephesum memoratur, Stygij nomine vocatus, de quo Achilles Tacius *lib. 8. de amoribus Clitoph. pag. 206.* ait: *Cùm violatæ aliqua pudicitiæ arguitur, tum in fontem descendere compellitur, cuius vada vix medias tibias attingit: iudicium autem fieri hoc pacto consueuit. Quæ delata est, falsò se insimulari iurat, iusiurandumque in tabella descriptum collo suo alligatum sustinens, in fontem descendit; ac si verum iusiurandum iurauerit, aqua omnino immota manet; sin minus, intumescit, atque ad collum vsque se attollens, tabellam contingit.* Similis etiam fontis mentionem faciunt Arist. *in lib. 2. de admirandis auditionibus*, Diodorus Siculus *lib. 2. Biblioth.* Sic aqua tingebant oculos iuratores in Sardinia. Plinius *lib. 31. cap. 2.* & in Germania esse flumen Rheni, vbi filij recenter nati exponuntur, vt si supernatant, legitimi credantur; si verò submerguntur, adulterini iudicentur, referunt Cluuerius *lib. 1. Germaniæ antiquæ, cap. 21.* ibi: *Certè Celtis iniuriam nullam facit Rhenus, qui spurios infantes vndis abripit, tanquam impari lecti vindex; quos autem non spurio semine natos agnouit, hos in summa aqua suspendit, matrisque trementis manibus reddit, & quasi verum, incorruptumque casti, & laudabilis coniugij testimonium seruato infante persoluit.* Claudianus ibi:

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Idem videntur asserere Theophylactus, & Eustachius, & quod magis est, Gregorius Nazianzenus, hoc versu:

Celtæ quidem explorant prolem, Rhenique fluento
Exponunt.

Quare Nonnius dixit, Rhenum esse velut iudicem, vindicemque coniugij. Nouarinus *lib. 6. aquæ napt. cap. 8.* Apud Catholicos non desunt exempla priorum fidelium, qui hoc probationis genere vsi sunt: Lactantius *lib. 2. cap. 7.* ibi: *Brigida virgo in Scotia, cùm lignum altaris in testimonium virginitatis tetigisset, viride factum fuit.* B. Bricius Episcopus Turonensis, cùm falsò criminis accusaretur, ad satisfaciendum populo ardentes prunas in byrrum suum posuit, & ad se stringens, vsque ad sepulchrum B. Martini, vnà cum populorum turbis accedit, proiectisque ante sepulchrum prunis, vestimentum eius inustum apparuit, vt refert Gregorius Turonensis *lib. 2. histor. cap. 1.* quod etiam de Montano Toletano Archipræsule refert D. Ildefonsus *in præfatione de viris Eccles.* his verbis: *Montanus Sedis eiusdem Beatissimus Præsul, vt à se coniugalis conuersationis infamiam propulsaret, tandiù adsumptos veste candentes narratur tenuisse carbones, donec Domino consecrans oblationem totius, per semetipsum compleret Missæ celebritatem.* Quod referunt Mariana *hist. Hisp. lib. 5. c. 6.* Saabedra *in Corona Gothic. c. 10.* Beata Hildegundis cùm furti accusaretur, ferro candenti innocentiam suam ostendit, vt ex alijs refert Manrique *tom. 3. annal. Cisterc. anno 1146. c. 7. n. 8.* Et similia exempla congesserunt Cæsarius *lib. 10. de miraculis, c. 35.* Turonensis *de gloria Confessorum, c. 76.* Krantizius *lib. 8. Vandaliæ, c. 3.* Trithemius *in chron. c. 22.* Nicephorus Calixtus *lib. 15. histor. cap. 28.* Ergo non rectè in præsenti dicetur, similem probationem per ignem, aut aquam feruentem fieri non posse, cùm alio modo plerumque innocentia monstrari nequeat. Carnot. *epist. 252.* *Non negamus tamen, quin ad diuina aliquando recurrendum sit testimonia, quando præcedente ordinaria accusatione, humana desunt testimonia; non quòd lex hoc instituerit diuina, sed quòd exigat incredulitas humana.*

5 Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, purgationem vulgarem sic dictam esse, quia superstitione potius populi, quàm sacris canonibus introducta est, *c. monomachia, 2. q. 5.* quæ purgatio triplici modo apud veteres contingebat: per ignem videlicet, per aquam feruentem, & frigidam. Prima, quæ fiebat per ignem, aut per rogum, per ferrum candens, aut vomeres fiebat, vt referunt Delrius *lib. 4. de disquisit. magic. cap. 4. sect. 3.* Petrus Gregor. *lib. 48. syntagm. c. 15.* & varijs exemplis probat Besoldus *tom. 2. polit. dissert. 2. de pœnit. cap. 5.* fusè Beyerlinch *tom. 4. in Theatro, verbo Innocentia*, Philippus Camerarius *cent. 2. horar. success. cap. 18.* Putabant, enim etiam Gentiles expiationem igne faciendam esse. Virgilius *lib. 6. Æneid.* ibi: De purgatione per ignem.

——Scelus exuritur igne.

Et *lib. 11.*

——Medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna.

Ita auctore Heliodoro *lib. 10.* apud Æthiopes sacer focus erat, qui dicebatur infallibile innocentium experimentum: vnde Festus Pompeius hoc genus purgationis suffitionem vocat. Et apud Romanos, cùm festa Palilia celebrabantur, aceruos fœni, & stipularum ardentes saltu traijciebant, & ita puros, immunesque remanere se credebant, vt referunt Varro *lib. 3. de rustica*, Ouidius *lib. 4. Fastor.* ibi:

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis aceruos
Traijcias celeri strenua membra pede.

Illustrant. Tiraquel. *in notis ad Alexandrum, c. 18.* D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib. 3. c. 6. sect. 3.* Simile est, quod de traiectione per ignem legimus à veteribus Christianis seruatum apud Theodoretum relatum à Casubono, & latinè versum à D. Ioanne Suarez *vbi suprà*, in hæc verba: *Ferè pro comperto habeo, famam quæ ad nos peruenit, speciem erroris continere. Vidi in quibusdam ciuitatibus huiusmodi morem, in plateis nempè compositos ignes, & hos transilire non solùm pueros, sed etiam & viros, matresque infantes per flammas transmittere: sed & hoc quidem ipsis sibi videbantur purgari, & Dei iram amouere.* Qui quidem mos damnatus fuit in 6. Synodo Trul. *can. 65.* his verbis: *Quia in nouiluniis à quibusdam ante suas officinas, & domos concendantur rogi, supra quos etiam antiqua quadam consuetudine salire ineptè, ac desalire soleat, iubemus deinceps cessare. Quisquis ergo tale quid fecerit, si sit quidem clericus, deponatur; sin autem laicus, segregetur.* Illustrant Balsamon *ibi*, Suarez *vbi suprà*, qui *nu. 8.* agit de vsu apud Christianos accendendi rogos in nocte sancti Ioannis Baptistæ. Hæc autem purgatio per ignem maximè inoleuit apud Francos, Longobardos, & Gothos, à quibus Hispani acceperunt, vt constat ex lege Salyca *in cap. 1. §. 5. lib. 1. tit. 10. legum Longobard.* Regino Abbate *anno 887.* ibi: *Illa è contrà non solùm ab eius, sed etiam ab omni virili commixtione se immunem esse profitetur, & de virginitatis integritate gloriatur, idque se probare Dei omnipotentis iudicio, si marito placeret, aut singularis certamine, aut ignitorum vomerum examine iudicialiter affirmat.* Hermoldo *lib. 1. cap. 84.* *Inhibiti sunt Selauij de cætero iurare in arboribus, fontibus, & lapidibus; sed offerebant criminibus pulsatos sacerdoti, ferro, & vomeribus examinandos.* Ex *l. 3. tit. 1. lib. 6. fori iudicum*, vbi iubetur purgationem fieri iuxta legem Caldariam: & in foro Legionis, ac Baezæ ita legitur: *la muger que abortare sabidamente, si mal fiesto fuere, sea quemada, è si non salbese, por fierro caliente: è si alguna dixere, que preñada es de alguno, y el varon no la creyere, prenda fierro caliente: è si quemada fuere, no sea creida, mas si sana escaparè de el fierro, de el fijo al padre. Muger si legarè omes, ò bestias, ò otras cosas qual puedem legarse, sea quemada; è si negarè, salbese por fierro caliente. E si varon fuere legador, sea acotado; è si negarè, salbese por lid. Muger que herbolaria fuere, ò fechisera, sea quemada, ò se salbe por fierro caliente. La muger que su marido matarè, sea quemada, ò se salbe por fierro caliente. Toda muger que tales cosas faze, debe prender fierro, mas no por omecillo que ella faga, si non fuere probada por mala que aya iacido con cinco omes.* Ritus, quo olim ferrum candens præscribebatur ad purgationem, refertur in formula S. Dunstani. Incipit adiuratio ferri: *In simplo vnum pondus, in triplo tria ferrum æquiparet pondera, & in illa adiuratione non adsint nisi ieiuni; & dictis Litanijs sacerdos in loco vbi ferrum accenditur, adiurationem initiando inchoet, Subduntur tres orationes* (quarum vnam ex Auentino refert Philip. Camer. *cent. 2. horar. succ.* in hæc verba: *Deus iudex iustus, qui*

auctor

Digitized by Google

nuctur pueli os, & iudicans æquitatem, te suppliciter rogamus, vt hoc ferrum ordinatum ad iustam examinationem cuiuslibet dubietatis faciendum, benedicere, & sanctificare digneris: ita vt si innocens hoc ignitum in manum acceperit, illæsus appareat; & si culpabilis, atque reus, iustissima sit ad hoc virtus tua in eo cum virtute declarandum. Alias huius adiurationis formulas tradit Nouarinus *lib. 6. aquæ nuptialis, capite 8.) Et statim bis peractis aqua benedicta cunctis adstantibus detur ad degustandum, & aspergatur per totum domum, & ferrum proferatur, quod à culpato coram omnibus accipiatur, & per mensuram nouem pedum portetur: manus sigilletur, sub sigillo seruetur, & post tres noctes aperiatur, & si mundus est, Deo gratuletur; si autem insanus crudescens in vestigio ferri inueniatur, culpabilis, & immundus reputetur.* Refert Pitheus *in glossario, verbo Purgatio.* In dicto foro Baezæ etiam hæc forma præscribitur: *El fierro que por iusticia facer fuere fecho, aya quatro pies assi altos, que la que á saluarse ouiere la mano, pueda meter de suso, aya en longo vn palmo, y en ancho dos dedos; é quando le tomare lleuele ocho pies, é pongale suauemente en tierra: mas ante le bendiga el missa cantamo, é despues el, y el Iuez calienten el fierro, é mientra el fierro calenture, ninguna ome esté cerca del fuego, que por auentura faga algun mal fecho: é la que el fierro ouiere á tomar, primero confiesse muy bien, é despues sea escodriñada, que no tenga algun fecho escondido, e de si laue las manus ante todas, e las manos alimpiadas, prenda el fierro: mas ante fagan oracion, que Dios demuestre la verdad, e despues que el fierro ouiesse leuado, luego cubra el Iuez la mano con cera, pongale estopa, ó liue, é despues atenguela con vn paño, ó lieue el Iuez á su casa, é á cabo de tres dias cate la mano, é si fuere quemada quemaña.* Et hoc iudicium non quolibet tempore admittebatur, veluti diebus festiuis, & ieiunij; sed quibus pax, & concordia inter Christianos habebantur, & omnis dissertatio componebatur, vt dicitur in canone 18. Concilij Ahenamensis Angliæ.

6 De purgatione per aquā feruentē. Alia purgatio vulgaris fiebat per aquam feruentem, seu calidam, ita vt in eam infamatus manus, seu brachia mitteret, & si combostus inde euasisset, delictum perpetrasse credebatur; quæ apud easdem nationes vsitata fuit, vt constat ex legibus 29. 35. 39. *tit. 9. lib. 1. Longobard.* & *lib. 13. capitul. cap. 4.* & *in addit. 2. §. 33. tit. 3. legum Frison.* §. 4. 5. & 6. *Neapolit. lib. 2. tit. 31.* Specul. Sax. *lib. 1. art. 39.* ibi: *Ferrum calidum ferant, vel in aquam bullientem brachium vsque ad cubitum mittant.* Concil. Rhemense sub Hincmaro *cap. 11. pag.* 19. ibi: *Hæc si quisquam vestrùm aliter esse putat, meque indignum, cui credatur, credat igni, feruenti aquæ, candenti ferro: faciant fidem tormenta, quibus non sufficiunt mea verba.* Refert Lindembrog. *in glossario, verbo Aqua.* Exorcismos, & orationes huic purgationi adhibitas referunt Delrio *d. lib. 4. cap. 4. quæst. 5. sect. 1. & 2.* Pitheus *in glossar. verbo Aquæ iudicium*, Iuretus *in not. ad Carnot. epist. 74.* Ex quibus vnam referam, quæ ita habetur apud ipsum sub titulo benedictionis aquæ calidæ: *Exorcizo te creatura aquæ in nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine Iesu-Christi Filij eius Domini nostri, vt fias aqua exorcizata ad effugandum omnem potestatem inimici, & omne phantasma diaboli, vt si hic homo manum suam in te missurus est innocens, vnde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum; & si (quod absit) culpabilis est, & præsumptuosè in te manum mittere ausus fuerit, eiusdem omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur, vt omnis homo timeat, & contremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui viuit, & regnat, &c.* Et statim post vnam orationem dicitur: *Te Deus omnipotens, nos indigni & peccatores famuli tui suppliciter exoramus, vt sanctum, verum & rectum iudicium nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputatus causa, si per aliquod maleficium, diabolo instigante, aut cupiditate, vel superbia culpabilis est in facto, vel consensu, & hoc comprobationis iudicium subuertere, aut violare volens, malo confisus ingenio manum suam in hanc aquam præsumptuosè mittere ausus fuerit, tua pietas taliter declarare dignetur, vt in eius manu dignosci queat, quod iniustè egit, vt & ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens ad emendationem perueniat, & iudicium tuum sanctum, & verum in omnibus declaretur gentibus, per te Redemptor mundi, qui venturus es, &c.* Et Missam, quæ iudicij vulgò dicebatur, refert Nouarinus *in Agno Eucharist. lib. 5. cap. 90.* Succedit tertia purgatio apud easdem gentes recepta, quæ fiebat per aquam frigidam. Circa quam existimat Delrius *d. lib. 4. cap. 4. sect. 4.* eam dupliciter fieri, videlicet per immersionem personæ inooxiæ, & per immissionem manus in aquam frigidam, coi Deus vim adurendi æquè tribueret, atque aquæ feruenti. Sed rectè eum refellit Theophilus *dicta sect. 3. de calumnia, cap. 2. quæstiunc.* 3. Quare ea sententia omissa, verius est, in hac purgatione colligari manus, & pedes, & sic corpus colligatum proijci in aquam consecratam certo ritu, de quo latè Iuretus *in not. ad epist. 74. Carnot.* Delrio *d. cap. 4. sect. 4.* Pitheus *in glos. ad capitul. verbo Aquæ iudicium.* Et si corpus mergeretur, credebatur reus innoxius; si verò superferretur aqua, censebatur conuictus, vt produnt Dunstanus *in suo Ordine*, relatus à Nouarino *lib. 6 aquæ nupt. cap.* 8. in hæc verba: *Peractis eorum sacerdote trium dierum ieiunijs, cùm homines vis mittere ad iudiciosam aquæ frigidæ comprobationem, ita facere debes. Accipe illos homines quos vis mittere in aquam, & duc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & facias eos ad Missam ipsam offerre.* Et expressius in verbis statim referendis Hincmarus Rhemensis pro Lothario, ibi: *Hoc examinandus iudicio colligatus in aquam dimittitur, & aut purgatus statim iudicio arbitrorum absoluitur, aut vsque ad purgationem colligatus iudicio examinabitur.* Censebantur autem conuicti, qui aquis superferebantur, eo quòd aqua videretur eos respuere æquè ac ferrum de manubrio elapsum, vt dicitur in adiuratione aquæ sancti Dunstani, apud Iuretum *suprà*, vbi etiam hæc verba leguntur, quibus rogatur Deus aquis infundere eam virtutem, ibi: *Vt innocentes à crimine, cuius examinatio ageretur, aquæ in se reciperent, & in profundum pertraherent; conscios autem criminis à se repellerent, atque reijcerent, nec paterentur recipere corpus, quod ab honore bonitatis euacuatum, ventus iniquitatis alleuauit, & in hunc constituit: sed quod caret pondere virtutis, pondere careat propriæ substantiæ in aquis.* Hanc purgationem vt licitam probat Hincmarus *in opusc. de diuortio, interrogat. 6.* sed malè, vt probat Theophilus *dicta sect. 3. c. 2. quæstiuncula 3.*

His suppositis ratio præsentis assertionis, quare videlicet prohibeatur vsus porgationis vulgaris, prouenit ex eo, 7 Traditur ratio decidendi. quia modos hoius purgationis alienus est ab vso Patrum Ecclesiæ, continetque tentationem Dei, à quo postulatur miraculum absque necessitate, cùm plura alia media veritatis exquirendæ, & innocentiæ tuendæ suppetant, præstigijsque, & magiæ det locum: vnde reus, qui adigebatur ab Imperatore Michaele Comneno, vt purgaretur per globum ignitum, id facere recusauit dicens, se non esse præstigiatorem: & cùm adhuc vrgeretur à Metropolita, respondit, vt ipse sacra indutus stola manus illi ignito ferro imponeret. Refert Georgius Logotet. *in chron. Constantin.* Quare in hac purgatione contineri superstitionem, & Dei tentationem docent Theologi cum Præceptore Angelico 2. 2 *q. 95. art. 8. ad 3.* & *3. p. q. 80. art. 3.* Suarez *de irreligiosit. cap. 3. nu. 8.* Valentia *2. 2. disp. 6. q. 14. puncto 1.* Lessius *lib. 2. de iustitia, c. 45. dub. 1.* Sanchez *lib. 2. in Decalog. cap. 34. nu. 12.* Sayrus *in claui, lib. 4. cap. 7.* Auctor Mallei maleficar. *p. 3. q. 17.* & Deus tentari non debet, nec miraculum ab eo peti. Vnde in Concilio Salegust. ita cautum fuit *can. 6. Conquestum est etiam in sancto Concilio de quibusdam stultissimis Presbyteris, vt quando incendium vident, Corporale dominico corpore consecratum ad extinguendum incendium temeraria præsumptione in ignem proijciunt: idedque decretum est sub anathemis interdictione, ne vlteriùs fiat.* Etiam Incertissimum est hoc iudicium (sic enim vocabat sapienter Carnotensis *epist. 74.*) agens de milite adulterij accusato, qui purgare se voluerat contactu ferri candentis, & combustus fuerat: aitque, cauterium militis nullum certum præbere argumentum, cùm per examinationem ferri candentis occulto Dei iudicio multos videamus nocentes liberatos, multos innocentes sæpe damnatos: vnde refert auctor Mallei *d. quæst. 17. in fine*, famosam maleficam prouocantem ad purgationem ferri candentis, cùm adiudicata esset ad illud per tres dumtaxat passus gestādum, per sex passus gestasse indemnem, & ad vlterius gestandum se obtulisse; cùm tamen certò esset noxia. Alia similia exempla referunt Cæsarius *lib. 10. de miraculis, cap. 35.* Bzouius *anno 1341. num. 19.* Gudelinus *lib. 3. de magia, cap. 4. nu. 35.* Dubrauius *lib. 8. hist. Bohemiæ.* Accedit, nam hoc iudicium redolet ritus Gentilicos, apud quos similes purgationes in vsu erant. Quare Strabo *lib. 5. geograph.* refert, sacrificulos Deæ Feroniæ nudis pedibus prunas accensas inambulasse, & per

aquam

Digitized by Google

aquam & sulphur purgationem ab eis factam referunt Apuleius *lib.11.de asino aureo*, Ouidius *de arte amandi*, ibi:

Et veniant, quæ lustret anus, lectumque, locumque
Referat, & tremula sulphur & ora manu.

Tibullus *elegia* 1. Lucanus & alij apud Durantium Casel. *lib. 2. var. cap. 1.* Rectè ergo tot canonibus Ecclesia prohibuit vsum huius purgationis vulgaris.

8 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam purgatio, de qua agitur *in c. 5. Num.* præscripta ad explorandum adulterium, cùm esset à Deo ipso indicta, erat certa, & per stabile, & iuge miraculum in tali euentu: circà vsum autem purgationis, de qua agimus, nulla extat diuina institutio, aut vniuersalis Ecclesiæ approbatio, vt constat ex proximè traditis, & fusè prosequitur Crespetius *de immortalitate animæ, discursu 6. digress. 2.* & lex illa fuit cæremonialis lata à Deo, qui illum populum specialibus legibus gubernare voluit: vnde talis lex hodie suscitari nequit, ex traditis *in c. translato, de constit.* Nec obstant exempla piorum virorum suprà relata; nam etsi verum sit, Deum aliquando patrocinatum esse innocentiæ, tamen tunc ita tulit beneplacitum ad innocentis liberationem, quia speciali instinctu propulerat ad vsurpationem huius medij, vt veritas eluceret, & calumnia reuinceretur; vnde regulariter iudicium hoc illicitum est.

9 Exponitur Concil. Mogunt. can. 24. Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in can. 24. Concil. Mogunt.* sub Rabano, qui extat apud Burchardum *lib. 6. Decret. cap. 7.* Carnotensem *p. 10. decret. cap. 136.* Gratianum *in cap. qui Presbyterum, 17. quæst. 4. in hac collect. in cap. 2. de pœnis, in Pœnit. Romano can. 1.* in illis verbis: *Qui Presbyterum occiderit, duodecim annorum pœnitentia secundùm canones imponatur; ac si negauerit, si liber est, cum septuaginta duobus iuret; si seruus autem, super 12. vomeres feruentes se expurget: conuictus noxa vsque ad vltimum vitæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat.* Ex quibus expressè deducitur, purgationem per ignem sacris canonibus esse permissam. Pro cuius canonis expositione dicendum est, vsum purgationis vulgaris per duellum, aut per ignem, olim apud varias nationes receptum, in aliquibus Concilijs Prouincialibus fuisse toleratum, vsquedum per Cœlestinum, Innocentium, & Honorium in præsenti titulo relatos, omninò fuit prohibitum iudicium purgationis vulgaris. Vnde textus *in d. can. 24.* accipiendus est iuxta vsum antiquum Ecclesiæ Gallicanæ. Vnde Gratianus *in d. c. Presbyterum*, & Raymundus *in d. c. 2. de pœnis*, omiserunt ea verba: *Super duodecim vomeres se expurget*; quia iam eo tempore prohibita erat purgatio hæc vulgaris: quo modo etiam exponendi sunt textus *in cap. 1. de purgat. canonic.* prout illum transcripsi ex Concilio Triburiensi. Concilium Salegust. *can. 7. & 14.* Concil. Lateran. sub Alexandro III. *p. 3. de simonia, cap. 3.* in illis verbis: *Pro examinatione ignis, & aquæ.* Illud tamen notandum duxi, purgationem hanc ferri candentis plerunque iniungi seruis, & monachis; quia illi ob conditionem, isti verò ob statum per duellum purgari non poterant. Nec inficiari potest, olim Ecclesiam, etiam in rebus sacratioribus ignis iudicio vsam fuisse, veluti in reliquijs veris agnoscendis. Concilium Cæsaraugust. 2. *can. 3.* ibi: *Statuit sancta Synodus, vt reliquiæ, quæ in quibuscunque locis de Arriana hæresi inuentæ, fuerint prolatæ, à sacerdotibus, in quorum Ecclesijs reperiuntur, Pontificibus præsentatæ igne probentur.* quem canonem latè exponunt Baronius *anno 596.* Ferrandus *in disquisit. reliq. lib. 2. p. 3. c. 1. cum seq.* quo etiam iudicio vsus fuit B. Dominicus *in disp. cum Albigensibus*: & Toleti dum ageretur de recipiendo officio Romano, relicto breuiario Mocarauæ, ut referunt Baronius *anno 1080. nu. 72.* Iulianus Petri *in aduers. sub anno 1086. num. 600.* & etiam in Hispania mos erat decidendi lites per iuramentum præstitum in Ecclesia Sanctorum Vincentij, & Sabinæ, & Christeres: in vrbe Abulensi, & in ciuitate Burgensi, in Ecclesia S. Agathæ, vt refert Vepes *tom. 1. chron. Diui Benedicti, cent. 1. anno Christi 555.* quod postea prohibitum fuit *in l. 67. Tauri*, ibi: *Ningun iuramento, aunque el Iuez lo mande hazer, ò la parte lo pida, no se haga en San Vicente de Abila, ni en el berroio de santa Gadea, ni sobre altar, ni cuerpo sancto, ni en otra Iglesia iuradera, so pena de diez mill marauedis para la nuestra camera y fisco, al que lo iurarè, y al que lo pidiere, ò demanderè.* Similis consuetudo inualuerat Mediolani, vt constat ex D. August. *tom. 2. epist. 137. Multis enim notissima est sanctitas loci, vbi B. Felicis Nolensis corpus conditum est, quò volui vt pergerent, quia hinc nobis faciliùs, fideliusque scribi potest quidquid in eorum aliquo diuinitus fuerit propalatum; nam & nos nouimus Mediolani apud memoriam Sanctorum, vbi mirabiliter, & terribiliter dæmones confitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, vt falsum iurando deciperet, compulsum fuisse confiteri furtum.* Eiusdem vsus Romæ vigentis ad sepulchrum Sanctorum Processi & Martiniani, testis est D. Gregorius *homil. 32. in Euang.* & de sepulchro S. Pancratij item Romæ agit Gregor. Turon. *de gloria Martyrum cap. 38.* Videndus Tamayo à Salazar *tom. 5. martyr. die 27. Octobr.*

TITVLVS XXXVI.

De iniurijs, & damno dato.

CAPVT PRIMVM.

a *In Exodo.*

SI rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lecto, si surrexerit, & ambulauerit foris super baculum suum, b innocens erit, qui percusserit; ita tamen, vt opera eius & impensas in medicos restituat.

NOTÆ.

1 a EXodi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub tit. de damno dato, cap. 1.* & verba hæc reperiuntur *in cap. 21. Exodi, versu 18. & 19* pro huius inscriptionis illustratione repetenda sunt quæ adduxi *in cap. 1. de adulterijs.*

2 b *Innocens.*] Idest immunis, & liber à pœna mortis, quia hoc indicio, quod percussus post acceptam plagam foris ambulauerit, præsumitur mortem eius non ex percussione, sed aliunde obuenisse, vt exponit Cornelius à Lapide *in d. cap. 21. Exodi.*

COMMENTARIVM.

3 LIcèt cùm homo mortuus est, aut membro mutilatus, pœna talio fit, tam ex lege Moysis relata *in d. cap. 21. Exodi, Genesis c. 9. vers. 6.* quàm ex lege duodecim Tabularum, vt auctoritatibus, & exemplis illustrat Beyerlinch *verbo Talio*, Philippus Camerarius *cent. 1. horar. success. cap. 99.* Fornerius *lib. 2. select. cap. 29.* tamen cùm vulneratus est, propter damnum acceptum, quia nulla parte corporis mutilatus est, sed tantum damnum accepit, & quia in lecto iacuit, operas amisit, ac impensas in medicos fecit, tenetur, qui damnum dedit, tam ad operas, quàm ad impensas in medicos factas præstandas. Vlpian. *in l. sed & si, in fine, cum sequenti*; & *l. qua actione, ff. ad l. Aquil.* vbi proposita quæstione sutoris, qui maledicenti pucro ingenuo filiofamilias forma calcei ceruicem percusserat, vt oculus penè perfunderetur, postquam docuit non alia actione sutorem teneri, quàm Aquilæ legis, subiungit: *Qua actione patrem consequuturum, quod minus ex operis filij sui propter vitiatum oculum sit habiturus, & impendia, quæ pro eius curatione fecerit.* Et Gaius *in l. finali, ff. de his*

qui

qui deiecerunt, ait: *Cùm liberi hominis corpus ex eo, quòd deiectum, effusumue erit, læsum fuerit, iudex computat mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt, prætereà operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quòd inutilis est factus.* Iustinianus in §. 1. *Instit. de obligat. quæ ex quasi delicto*, ibi: *Ob hominem liberum occisum quinquaginta aureorum pœna constituitur; si verò viuat, nocitumque ei esse dicatur, quantùm ob eam rem æquam iudici videtur, actio datur. Iudex enim computare debet mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia, quæ in curatione facta sunt; prætereà operas, quibus caruit, aut cariturus est ob id, quòd inutilis est factus.* Quoad forum internum ita in hoc casu cautum lego in Pœnitentiali Romano, *tit.4. cap.19.* in hæc verba: *Qui per rixam ictu debilem, vel deformem hominem fecerit, reddat impensas medici, & medium annum pœniteat: si non habuerit vnde reddat, vnum annum pœniteat: & si non habeat vnde reddat, soluat opera proximi sui quamdiù infirmus est, & posteà quadraginta dies in pane, & aqua pœniteat.* Illustrant Mancinus *de triplici iuris collat. cap* 81. Petrus Pitheus *in collat. legum Mosaic. tit.* 2. Et quomodo operæ existimandæ sint, explicant Couarr. *lib.3. var. cap.1.* Petrus Gregorius *lib.4. partit. tit.9. cap.12.* & congesti à Barbosa *in præsenti*.

C A P V T II.

a Item.

SI quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, vel asinus in eam, dominus cisternæ reddet pretium iumentorum. Quod autem mortuum est, ipsius erit.

N O T Æ.

1 a ITem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub d. tit. de damno dato, cap.3.* idest in eodem capite Exodi, vbi reperitur textus hic, qui summa ratione nititur: nam ad damnum resarciendum non solùm tenetur qui dedit, verùm & qui occasionem damni præbuit, *l. qui occidit, §. vlt. ff. ad leg. Aquil.* Præsens tamen sententia accipi debet iuxta distinctionem, quam tradit Paulus *in l. qui foueas 28. ff. ad leg. Aquil.* his verbis: *Qui foueas vrsorum, ceruorumque capiendorum causa faciunt, si in itineribus fecerunt, eoque aliquid decidit, factumque deterius fuit, lege Aquilia obligati sunt: at si in alijs locis, vbi fieri solent, fecerunt, non tenentur.* Subijcit etiam Paulus *in §. 1.* quòd si is, qui foueas fecit, prætereunti denunciauerit periculum, & adhuc ausus fuerit transire, ex culpa non tenetur qui foueas posuit; quia præteriens suæ temeritati imputare debet, vt in non dissimili casu Calphurnius Flaccus dicebat *declamat.* 5. ibi: *Quantùm ausus est, quòd nec post denunciationem creditum est.* Et statim: *Vbi quòd futurum est denunciatum, culpa patientis est.* Explicant D. Ioannes Suarez *ad leg. Aquil. lib.3. cap.7. sect.1. num.9.* Mancinus *de tripl. iuris collat. cap.* 84.

C A P V T III.

a Item.

SI bos alienus bouem alterius vulnerauit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident pretium; cadauer autem mortuum inter se dispertient. Si autem sciebat, quòd bos cornupeta esset ab heri, & nudiustertius, & custodiuit eum dominus suus, reddet bouem, & cadauer integrum accipiet.

N O T Æ.

1 a ITem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.4.* idest *in eodem c.21.* vbi ita legitur: *Si bos alienus bouem alterius vulnerauerit, & ille mortuus fuerit, vendent bouem viuum, & diuident pretium; cadauer autem mortui inter se dispertient: sin autem sciebat, quòd bos cornupeta esset ab heri, & nudiustertius, & non custodiuit eum dominus suus, reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.* Hæc lex Mosaica peruenit ad Phenices, vnde sumpsit Solon, de quo Plutarchus ait: *Scripsit & de pauperie à quadrupedibus data, vbi canem, qui aliquem momorderit, dedi iubet cubitorum quatuor vinculo alligatam.* Ex Solone sumpsit Plato *de legibus lib.11.* vbi ait: *Vt si iumentum, aut equus, aut canis, aut animal domesticum quadrupes pauperiem fecisset, eodem modo damnum resarcietur, ac si seruus dedisset, nempe noxam dedendo, vel restituendo quòd alteri abesset, nisi intercessisset dolus.* Et Romani ab eo acceperunt: quare Vlpianus *in l.1. ff. si quadrupes pauperiem*, ait: *Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur, ex leg. 12. Tabularum actio descendit.* Quæ lex voluit, aut dari id, quod nocuit, idest animal, quod noxam commisit, aut æstimationem noxæ offerre: nã ratio postulat, quòd sicut in noxali actione damnato permittitur aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ debere, cùm videri posset iniquum seruorũ nequitias vltra ipsorum corpora dominis esse damnosas, §. 1. *Instit. de noxalibus*; ita pari ratione de quadrupedibus placuit, *d. l. 1. ff. si quadrupes pauperiem*: ad quem titulum spectant textus *in l. & eleganter 7. §. 6. ff. de dolo, l. fin. ff. de extraordin. crimin. l. Iulianus 9. §. glans, ff. ad exhib. l. ait Prætor 7. § penult. ff. de damno infecto, l. si seruus 27. §. si seruum, l. fin. ff. ad leg. Aquil. l. si hæres 36. l. electio 26. §. si is, ff. de noxalibus, l. Diuus, l. infans, ff. ad leg. Corn. de sicar. l. Pomponius 44. ff. de acquir. domin.* Illustrant Mancinus *de triplici iuris collat.* Grotius *in floribus, ad tit. ff. si quadrupes*, Gibalin. *de negot. lib.6. cap 9. art.3.*

C A P V T IV.

a Item.

SI læserit quispiam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt pascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel vinea, pro damni æstimatione restituet.

N O T Æ.

1 a ITem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.5.* & textus hic reperitur *in ipso cap.22. Exodi*, vbi legitur: *Si læserit quisquam agrum, vel vineam, & dimiserit iumentum suum, vt pascatur aliena, quidquid optimum habuerit in agro suo, vel vinea, pro damni æstimatione restituet.* Raymundus autem vt præsentem textum conformem redderet iuri Cæsareo, posuit pro damno, *æstimationem restituet*, iuxta legem vltimam, *Cod. ad leg. Aquil.* Quomodo tamen hoc damnum æstimetur, exponit Otero *de pascuis cap.13. per tot.*

C A-

C A P V T V.

a Idem.

SI egressus ignis inuenerit spicas, & prehendit aceruos frugum, siue stantes segetes in agris, reddet damnum, qui ignem succendit.

NOTÆ.

1 a ITem.] Etiam ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 6.* & reperitur hic textus *in c. 22. Exodi*, vbi legitur *spinas*, non *spicas*, vt in præsenti. Quam lectionem probant Cornelius à Lapide ibi, *versu 6.* & ita iubet lex hæc, vt si quis negligentia sua igni à se excitato malè aduigilarit, nec cauerit, ne proserperet, itaque factum sit, vt ignis spinas, quæ segetem sepiebant, atque exinde ipsam segetem corripuerit, teneatur de damno.

COMMENTARIVM.

2 INcendium committitur dolo, culpa, aut casu. De incendio, dolo, aut culpa commisso egi *in c. excommunicamus, de raptoribus*. De incendio casu admisso agitur in præsenti, & iubetur, vt damni æstimatio restituatur. Consonant Paulus *lib. 5. sent. tit. de incendiarijs*, ibi: *Fortuita incendia, quæ casu venti furentis, vel incuria ignem supponentis ad vsque vicini agros euadunt, si ex eo seges, vel vinea, vel oliua, vel fructiferæ arbores concrementur, datum damnum æstimatione sartiatur.* Vlpianus *lib. 8. de offic. Proconsul.* apud Pariatorem legum Mosaic. ibi: *Sed ei, qui non data opera incendium fecerit, plerumque ignoscitur, nisi in lata, & incauta negligentia, vel lasciuia fuit.* Paulus *lib. singulari de pœnis*, apud eundem Pariatorem, ibi: *Fortuita enim incendia ad forum remittenda sunt, vt damnum vicini sartiatur.* In legibus Vuisigoth. *in lege vlt. tit. 2. lib. 8.* ita legitur: *Qui ignem apposuerit spinis, stipulis, & tribulis, ad coquendum cibum, vel frigus arcendum, si ignis longiùs diffusus alienam messem, domum, vineam incenderit, non duplum, sed damnum præstare tenetur.* Explicant, & illustrant Sesse *to. 2. decis. 211.* Pitheus *in collat. legum Mosaic. tit. 12.*

C A P V T VI.

Ex a *Pœnitentiali Romano.*

SI quis domum, vel aream cuiuscunque incenderit voluntariè, sublata, vel incensa omnia restituat, & tres annos pœniteat.

NOTÆ.

1 a POEnitentiali.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* & ex eodem libro citatur textus hic à Burchardo *lib. 19. Decreti, c. 136.* Carnot. *p. 5. Decreti, cap. 146.* & reperitur in ipso Pœnitentiali, *tit. 4. c. 20.* De auctoritate huius libri egi *in c. 3. de furtis*: & de pœnis incendiarij *in c. excommunicamus, de raptor.*

C A P V T VII.

Honorius III. a *Episcopo Bononiensi.*

OLim scribentibus nobis venerabili fratri nostro Episcopo Mutinensi, vt accedens personaliter Florentiam, Potestatem, Consiliarios, & populum ciuitatis moneret efficaciter, & induceret ad satisfaciendum de damnis, & iniurijs irrogatis venerabili fratri nostro Episcopo, & Ecclesijs *b* Fesulan. & si necesse foret, censuris ecclesiasticis coarctaret: idem Mutinensis mandatum nostrum quoad monitionem diligentiùs executus, datis inducijs, contra testes lite non *c* contestata processerat. Quare nos reuocato processu Commune Florent. quia *d* banniuerat eundem Episcopum Fesulanum contra Deum, & Ecclesiæ libertatem, propter iniuriam banni in expensas, & damni tali occasione secuta, taxatione iuramento præmisso *e* in mille libris vsualis monetæ prædicto Episcopo Fesulanensi sententialiter duximus condemnandum.

NOTÆ.

1 a HOnorius III.] In hac sexta collectione, & in quinta, *sub hoc titulo cap. vnico*, tantùm legitur *Bononiensi Episcopo*: sed inscriptionem & literam huius textus restituo ex Vghellio *tom. 3. Siciliæ sacræ, fol. 231.* In Fesulana Ecclesia casus huius textus ita contigit. Ildeprandus patria Lucensis, consecratus fuit in Episcopum Fesulanum ab Honorio III. qui Præsul dum suam exordiretur Ecclesiæ administrationem, à republica Florentina non modò grauibus litibus implicitus, sed propemodùm oppressus, Florentinis impellentibus exul recessit. Sed cùm ad Honorium Episcopus prouocasset, primùm eius causæ cognitio Mutinensi Episcopo demandata est, posteà nouis difficultatibus emergentibus, in præsenti rescripsit idem Honorius; & anno vndecimo sui Pontificatus alteram scripsit epistolam de hac re Episcopo Florentino, quam ex regestro eiusdem Pontificis desumptam refero: [Graue valdè gerimus, & indignum, quòd ciues Florentini venerab. fratrem nostrum Episcopum Fesulanum in Episcopalis dignitatis iniuriam, & Apostolicæ Sedis contemptum exulare compellunt, bonis Episcopi sui, & Ecclesiarum eiusdem, reuerentia diuina, & nostra postposita, occupatis. Et quidem si amor, quem ad ciuitatem habemus, motum nostri animi non cohiberet, iam fecissemus eos, pœna docente, cognoscere quantùm doleamus de grauaminibus, & iniurijs ab eisdem ipsi Episcopo irrogatis. Sed nec tu in ijs excusare negligentiam tuam potes, qui ciues ipsos, tum pro salute animarum suarum, quarum tibi est solicitudo commissa; tum pro compassione ipsius Episcopi deberes ab iniurijs huiusmodi refrenasse. Licèt igitur causa huiusmodi venerabili f. nostro Episcopo Fauentino, & collegis eius iamdudum fuerit ab Apostolica Sede commissa; quia tamen propter ciuium ipsorum diffugia nondum est processus habitus in eadem, ipsam ad examen nostrum duximus reuocandam; ideòque mandamus tibi, quatenus Potestati, Consiliaris, & populo eiusdem ciuitatis iniungas, vt in Kalendis Februarij proximi, quas eis terminum peremptorium assignamus, per procuratores idoneos, & sufficientes compareant coram nobis, eidem Episcopo super inuasione, destructione, ac detentione bonorum Episcopi sui, & Ecclesiarum eius exhibituri, quod ordo poposcerit rationis; aut composituri, si fieri poterit, cum eodem; denuntiando eisdem, quod etsi non sufficienter ad defendendum, & ad componendum transumpserint ad terminum supradictum, nos nihilominus in negotio ipso, quantùm suadebit ratio, procedemus. Datum Lateran. decimo Kalendas Ianuarij, Pont. n. anno vndecimo.] Anno verò 1228. inter Florentinos Ildeprandumque lite composita, Gregorius IX. anno primo sui Pontificatus, ad diuturnius pacis stabilimentum Ecclesiam sanctæ Mariæ in Campo-Florentiæ

rentiæ Fesulano Episcopo attribuit, edita sequenti bulla, quam tametsi etiam Ammiratus Iunior afferat ad catalogum Fesulanorum Episcoporum, nos tamen hic scribendam curauimus: [Controuersia, quæ inter te, & ciues Florentinos suborta fuerat, nostra prouisione sopita, quia vidimus quòd ex cohabitatione Fesulani Episcopi maior inter eum, & Commune Florentinum poterat concordia prouenire, & maior Episcopatus Fesulani securitas, & vtilitas procurari, Ecclesiam S. Mariæ de Campo cum pertinentijs suis tibi prouidimus conferendam. Vt igitur hæc nostra prouisio perpetuam obtineat firmitatem, præfatam Ecclesiam cum pertinentijs suis de fratrum nostrorum consilio tibi, & successoribus tuis perpetuo iure concedimus liberam, & exemptam, non obstante quod in literis venerab. fratris nostri Episcopi Florentini, & publico instrumento, quibus suum super hoc expressit assensum, nihil de Capituli continebatur assensu, cùm nos eius supplendum duxerimus in hac parte defectum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum se nouerit incursurum. Datum Lateran. 2. id. Ianuar. Pontif. nostri anno 1.]

b *Fesulani*.] Fesula peruetusta ciuitas Italiæ est 2
in Prouincia Etruriæ, cuius meminerunt Silius Italicus ibi:

Et sacri interpres Flaminis Fesula.

Diodorus Siculus *lib.* 20. cuius initium, & progressum refert Vghellius *tom* 3. *Italiæ sacræ*, *fol.* 272. Habet Ecclesiam Cathedralem à primis Ecclesiæ sæculis à sancto Romulo constructam eius primo Episcopo.

c *Lite non contestata*.] Contra dicta suprà *in cap.* 1. *vt lite non contest.*

d *Banniuerat*.] Idest exulauerat; nam bannum accipitur pro exilio, vt probaui *in cap.* 2. *suprà*, *de purgat. canonic.* & in præsenti notauit Cironius.

e *Mille libris*.] Iniuria enim grauis æstimatur, cùm fori ecclesiastici præscriptio contemnitur, *c. non placuit*, 16. *q.* 7. ibi: *Non placuit laicum statuendi in Ecclesia habere aliquam potestatem, cui obsequendi manet necessitas, non authoritas imperandi*. Et quemadmodum curialibus iniuria irrogata non ipsos dumtaxat tangit, sed ad Regiæ dignitatis offensam spectat, vt loquitur Fridericus *lib.* 3. *constit. Sicul. tit.* 33. *cap* 1. ita & offensa clericorum ad Christum pertinet, vt exprimitur *lib.* 6. *Capitul. cap.* 98. idcòque eo casu pœnam anathematis statuit Synodus Constantinopolitana relata *in cap. accusato*, 2. *q.* 7.

C A P V T VIII.

a Gregorius IX.

IN nostra, & fratrum nostrorum præsentia proposuistis, quòd ciues Brixien. protestationibus damnorum illatorum adinuicem, quæ propter multas ciuiles discordias incurrerant, plurimùm aggrauati, statutum editum de non petendo, vel recipiendo in posterùm restaurationes huiusmodi à Communi generaliter approbarunt, & firmarunt etiam iuramento. *Et infra*: Cùm igitur aliud sit damnorum restauratio, quàm satisfactio expensarum; & ideò iuramento exhibito super damnorum articulo intelligi non debeat, quod factum expensarum fuerit comprehensum: mandamus quatenus (iuramento non obstante prædicto) auctoritate nostra prouideas, quod dictum Commune pro bono concordiæ ad expensarum satisfactionem aliquid contribuat, iuxta tuæ discretionis arbitrium à te, sicut expedierit, moderandum.

N O T Æ.

a GRegorius IX.] Nam exprimitur, cui Prælato Pontifex rescribat; credi tamen potest rescribere Episcopo Brixiensi, de qua diœcesi egi *in c. tuæ*, *de procurat.* Decernit autem Gregorius in præsenti, post sedatas dissensiones ciuiles inter ciues Brixienses, & milites eiusdem ciuitatis, vt referunt Hostiensis, & Innocentius *in præsenti*, populum Brixiensem posse repetere expensas, etsi iuramento promiserit damna illata occasione huiusmodi dissensionum non repetiturum; & magna cum ratione, nam cùm iuramentum non extendatur ad ea, de quibus actum, vel cogitatum non fuit, *cap. Quintauallis*, *de iureiur.* & in propria, & stricta interpretatione appellatione damnorum non veniant expensæ, *l.* 3. *ff. de damno infecto*; ideo etsi populus Brixiensis iuramento promisisset se non repetiturum damna occasione discordiarum accepta, rectè tamen potest expensas repetere.

C A P V T IX.

a Idem.

SI culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitia tua, siue negligentia euenerunt, iure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo iniuriam verisimiliter posse contingere, vel iacturam. Quòd si animalia tua nocuisse proponas, nihilominus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueuerunt nocere, fuissent; & quam debueras, non curasti diligentiam adhibere. Sanè licèt qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse; secus est tamen in illo dicendum, qui vt non accideret, de contingentibus nihil omisit.

N O T Æ.

a IDem.] Gregorius videlicet Nonus, qui præsentem
1 edidit constitutionem motu proprio, ex diuersis iuris ciuilis principijs. Et in primis docet circa damnum datum, teneri eum, qui culpa sua damnum dedit, iussit dari, consensit, imperitè egit, aut neglexit: quod etiam passim docetur *in titulo ff. ad leg. Aquil.* Et licèt quodlibet damnum datum peculiari lege vindicari possit: veluti Aquilia, de vi publica, & de sicarijs; tamen extra ordinem damnum datum vindicari posse, colligitur *ex l.* 1. *§.* 1. *l.* 9. *l. penult. & vlt. ff. de incendio, & ruina*, *l.* 3. *§.* 1. *ff. de offic. Præf. vigil. l.* 2. *ff. arbor. furt. cæs. l. aut facta* 16. *§ euenit*, *ff. de pœnis*. Vt autem damnum datum vindicetur, iniuria factum esse debet, idest vel dolo, vel culpa. Patet etiam tam latè verbum *iniuria*, vt & qui culpa leuissima damnum dedit, iniuria dedisse dicatur, *leg. in lege* 44. *ff. ad leg. Aquil.* Igitur culpa in præsenti non solùm supinam negligentiam designat, quæ propè dolum est; verùm & sæuitia, & imperitia, & infirmitas in culpa ponuntur, si quis affectauerit id, in quo intelligit, vel intelligere debet imperitiam, aut infirmitatem suam esse alij periculosam futuram, *l.* 5. *§.* 1 *& vlt. l.* 8. *l.* 31. *ff. ad leg. Aquil. l. illicitè* 6. *§. sicuti*, *de offic. Præsid.* Prosequitur Gregorius casum, in quo quis damnum dedit, non corpore suo, sed per animalia propria: & tunc docet, posse dominum serui,

vel

vel quadrupedis, per quem damnum datum est, æstimationem damni soluere, vel noxam dare, hoc est seruum, vel animal, quod damnum dedit, iuxta legem 1. & per totum titulum *ff. de noxalibus*. In qua parte obseruandi sunt textus *in l. si seruus 27. §. si quis seruus, ff. ad leg. Aquil. l. si vsusfructus, ff. si ex noxali causa, l. seruus 16. ff. de interrogat. act. l. itaque 12. §. 1. l. serui 17. §. illud, l. inficiando 61. §. 4. ff. de furtis, l. inter 26 §. sed & cùm seruus, ff. mandati, l. si hæredis 48. l. si libertus 110. ff. de legatis 1. l. 19. §. vlt. ff. de peculio, cum leg. 16. ff. de peculio legato*, iunctis Fabro *lib. 3. coniect. cap. 5.* Cuiacio *lib. 12. obseru. cap. 4. & vult. l. 1. ff. de publ. iudic. l. 3. §. 4. ff. nautæ, caupon. l. Nesennius, §. fin. ff. de re iudic. l. ex contractibus 49. ff. de O. & A. l. si seruus 31. ff. de pignor. l. 17. §. penult. ff. de vsufruct. l. 2. ff. de public. l. si ambo 10. §. quoties, l. si debeas, ff. de compens. l. item 20. §. item rectè ait, l. illud 40. §. penult. ff. de petit hæredit. l. 3. ff. de euict. l. 4. §. illud, ff. de statuliber. l. 11. ff. locat.* iuncto Cuiacio *lib. 22 obser. cap. 4.* & *lib. 21. cap. 40. l. 1. ff. ne quis eum, l. 2. ff. de eo, per quem factum, l. 1. §. cùm seruus, ff. de his qui deseceerunt, l. 18. §. vlt. ff. de mortis causa donat. l. 1. §. vlt. ff. de publican. l. 4. ff. de aleator. l. 4. §. auctoris, ff. de doli except. l. 12. §. vlt. cum l. sequenti, ff. de liberali causa, l. si mulier 21. §. 1. ff. rer. amot. l. 17. §. 17. l. 46. & 58. ff. de ædilit. edict. l. 3. §. vlt. ff. si mensor falsum modum, l. postliminium 19. §. si statuliber, ff. de captiuis, l. 1. §. apud seruum, ff. depositi, l. 72. §. 5. ff. de solution. l. antiquis 6. §. si seruus, ff. quod vi aut clam, l. 6. §. Celsus, ff. de aqua pluuia, l. 13. §. 1. ff. de publican. l. 3. §. 4. ff. de libero homine, l. 7. ff. quod vi aut clam, l. 8. §. vlt. ff. communi diuidundo, l. si hominem 69. ff. de solution. l. rem 21. §. 1. ff. commodati*, iuncto Cuiacio *tr. 8. ad Africanum, l. 7. §. hoc edictum, ff. de damno infecto, l. 13. & 14. ff. de interrogat. l. 1. §. interdum, ff. si quadrupes pauperiem.*

TITVLVS XXXVII.

De pœnis.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio a *Toletano.*

EA, quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequente sententia condemnentur.

NOTÆ.

1 a TOletano.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap* 1. & apud Burchardum *lib. 19. Decreti, cap.* 158. Carnotens. *part.* 15. *Decreti, cap.* 166. & in fragmentis Concilij Toletani incerti, quæ reperiuntur ad calcem Concil. Toletani 1. apud Loaysam: & licèt non reperiatur textus hic in aliquo ex Concilijs Toletanis hucusque excusis, eius tamen sententia in iure certa est; nam licèt de eodem delicto non possit quis iterùm accusari, postquam fuit semel absolutus, vel condemnatus, vt probaui *in cap. de his, de accusat.* tamen cùm posteà noua præuaricatione relapsus est in idem delictum, potest iterùm puniri; immò & propter iterationem grauiùs punitur, vt probaui *in cap. ad abolendam, de hæret.*

CAPVT II.

Ex Concilio a *Triburiensi.*

SI quis presbyter, quod absit, quia sacerdos altissimi Dei est, vulneratus, vel quibuslibet iniurijs, & contumelijs dehonestatus euaserit, & superuixerit, tota compositio persoluatur presbytero. Si autem in articulo mortis præuentus obierit, pretium b vuerigeldi tripartita partiatur diuisione: idest altari, cui ordinatus fuerat, pars vna; Episcopo, in cuius diœcesi erat, altera; tertia parentibus, de quibus ortus fuerat. Si verò in atrio Ecclesiæ aliquid ex istis presbytero factum fuerit, supradicto modo presbytero, & pro presbytero soluatur. Sed quia vt Hilarius Papa omnibus Episcopis per diuersas prouincias in epistola sua scribit, iniuria sacerdotum, & Ecclesiarum sacrilegium est; sacrilegium in atrio factum, altari & Domino eiusdem loci persoluatur. Sacerdotes enim non sunt lacerandi, sed potiùs coronandi: quia de his Ecclesiasticus liber loquitur, dicens: In tota anima tua time Dominum, & sacerdotes illius sanctifica, & ministros eius non derelinquas, & honorifica sacerdotem. Et Isidorus: His enim, sicut & Episcopis, dispensatio mysteriorum Dei commissa est: præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in consecratione diuini corporis, & sanguinis consortes sunt Episcopis. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi.

NOTÆ.

1 a TRiburiensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. & ex eodem Concilio citatur textus hic à Burchardo *lib. 6. Decreti, c.* 11. Carnotensi *p.* 10. *Decreti, c.* 40 & sub nomine Paleæ extat apud Gratianum *in c. omnes 26. 17. qu. 4.* & reperitur in ipso Concilio *can. 4.* prout in præsenti transcribitur. De hoc Concilio nonnulla notaui *in c. clerici, de vita & honest. cleric.* Verba autem in præsenti transcripta extant *lib. 4. c. Caroli, c. 15.* & inter canones Isacij Lingoniensis Episcopi *tit. 2. cap. 1.*

2 b *Vuerigeldi.*] Vuerigeldus, vel vuirigildus, sumitur pro pretio, quod pro compositione iudiciali persoluitur pro homicidio, aut alio delicto propinquis, & hæredibus; quo modo accipitur in lege Salica *cap. 1. §. 7.* & *lib. 3. capitul. cap. 28.* & *lib. 6. cap. 98. & 99.* Alemanor. *tit. 4. 29. 34.* Boiorum *tit. 7. cap. 1.* & *tit. 15. cap. 5.* Ripuar. *tit. 36. §. 1.* & *tit. 46. §. 1.* Frision. *tit. 1. §. 9.* Longobard. *lib. 1. tit. 1. l. 7.* Pœnit. Romano *tit. 4. cap. 17.* ibi: *Pretium suum*, idest vuerigildum suum: & alijs legibus antiquis congestis à Lindembrogio *in glossar. verbo Vuerigildum*; in speculo Saxonico *lib. 1. art. 8.* ibi: *Testimonium præconis vice stat duorum, eius etiam emenda, & vuerigeldus duplex est, secundùm ipsius nationem.* Et *art. 65.* ibi: *Qui etiam aliquam actionem iniuriarum passum iudicio exhibere promiserit, si id facere nequiuerit, cum suo absoluetur vuerigeldo, & per hoc iuri non derogat suo: vuerigeldus post tres menses à tempore eius acquisitionis persoluetur.* Illustrat ex varijs Germaniæ scriptoribus Ioannes Vossius *lib. 2. de vitijs serm. cap. 2.* Lindembrog. *vbi suprà*, Anr. August. *in notis ad dictum Pœnitent. Rom. tit. 4. cap. 17.* Bignonius *in not. ad Marculf. lib. 1. cap. 18.* Gibalinus *tom. 2. de negot. lib. 6. cap. 9. art. 3. num. 11.*

COMMENTARIVM.

TExtus hic exponendus est iuxta consuetudinem Prouinciæ, in qua Concilium hoc celebratum fuit, videlicet Germaniæ: apud veteres enim Germanos certa pecuniæ summa delicta æstimabantur, neque homicidium 3

morte lui lex erat; & facinorosi omnes, nisi læsæ Maiestatis, pecuniariam soluebant pœnam, quæ dicebatur compositio. Tacit. *de moribus Germanorum*, ibi: *Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quàm amicitias necesse est, nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum, ac pecorum numero, recipitque satisfactionem vniuersa domus*. Et in legibus Baiubar. *tit*, 1. *c*. 11. ita legitur: *Vt nullus Baiubarius alodem, aut vitam sine capitali crimine perdat, idest si in necem Ducis consiliatus fuerit, aut inimicos in prouinciam inuitauerit, &c. Cætera verò quæcunque commiserit peccata, quousque habet substantiam, componat secundùm legem*. Ideòque frequenter in veteribus legibus hæc verba reperies, *de vita componat*, vt *lib*. 3. *capitul*, *cap*. 10. *Si quis conuictus fuerit periurij, perdat manum, aut redimat*. Et *lib*. 4. *Capitul*, *cap*. 13. 15. & 18. ibi; *Qui hominem publicam pœnitentiam agentem interfecerit, bannum nostrum in triplo componat, & vuirigildus eius proximis persoluatur*. In legibus Angliæ apud Houedenum *in Henrico II*. ibi: *Vuere suum, idest pretium redemptionis suæ, soluat*. Et pro modo culpæ, & dignitate personæ compositio fiebat, *cap. qui subdiaconum occiderit*, 17. *q*. 4. probant Petrus Gregor. *lib*. 4. *partit. tit*. 13. *c. fin*. Cresolius *lib*. 3. *mystag. tit*. 1. *c*. 22, *sect*. 4. Rousselius *lib*. 6. *hist. Pontif. iurisd*. *c*. 2. *n*. 6. & vltra compositionem in nonnullis delictis, quæ legibus expressa erant, præter compositionem reus fisco fredum soluebat. Gregorius Turon. *de miraculis S. Martini*, *lib*. 4. *c*. 26. ibi: *Affirmauit Rex quosdam ex his, qui absoluti fuerant, ad se venisse, compositionemque fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se indultam*. Illustrant Bignonius *lib*. 1. *ad formulas Marculfi*, *c*. 3. Licèt cùm hæsitaretur in Concilio Cabilon. 2. cuinam persoluenda esset pœna patrati homicidij in presbyterum, Patres Concilij quæstionem ad Principem reiecerint, tanquam supremum arbitrum pœnæ, & veniæ criminum, *can*. 24. ibi: *De Episcopis verò, Presbyteris, & Diaconibus, & monachis interfectis quærendum à Domino Imperatore est, cui illius homicidij pretium exsoluendum sit*. Vnde iuxta hunc morem à Patribus Concilij Triburiensis decretum est, compositionem presbyteri occisi esse diuidendam pro æqualibus portionibus inter Ecclesiam, cui inseruiebat, Episcopum diœcesanum, & eius consanguineos. Sed cùm Raymundus mutasset hæc verba aliam diuisionem faciendo, credo ob auctoritatem Gregorij Noni, qui confirmauit hanc compilationem, illi standum esse. An verò stantibus parentibus aliqua pars illis sit assignanda, disputant Couarr. *lib*. 2. *var*. *c*. 9. *n*. 10. Genuensis *practic*, *q*. 370. Sed attenta integra huius canonis, nulla hæsitationis occasio manet.

C A P V T III.

Idem *R*. a *Cantuariensi Archiepiscopo*.

Licèt iuxta Apostolum arguere, & increpare debeamus; sic tamen debemus excessus corrigere singulorum, vt probemur, non quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi quærere, & in correctione facienda videamur modestiam, & maturitatem seruare. Accepimus autem, quòd *b* Archidiaconi *c* Conuentren. Episcopatus pro excessibus, & criminibus puniendis à clericis, & laicis pœnam pecuniariam exigunt: in *d* examinatione ignis, & aquæ xxx. denarios à viro, & muliere quærere præsumunt: & pro annuæ exactione pecuniæ personas quandoque suspendunt, & Ecclesias *e* interdicunt: à vicarijs quoque xij. *f* denarios, vt in Ecclesijs cantare permittant, exigere non formidant, & alia agunt, quæ canonum obuiant statutis, & de radice cupiditatis, & auaritiæ videntur prodire. Quia igitur solicitudini nostræ incumbit pastorali prouidere diligentia, ne ab ecclesiasticis personis tuæ prouinciæ aliquid agatur, quod reprehensioni subiaceat, vel ecclesiasticam honestatem denigret: f. t. per A. s. p. m. quat. Archidiaconis prædicti Episcopatus ex parte nostra, & tua districtè inhibeas, ne excessibus corrigendis, aut criminibus puniendis à clericis, vel laicis pœnam pecuniariam, nec pro examine ignis, vel aquæ denarios ampliùs exigere audeant, vel alia, quæ dicta sunt, quomodolibet exercere. Si autem contra prohibitionem nostram ausu temerario venire præsumpserint, eos omni cont. & ap. cess. ecclesiastica censura percellas, & sententiam ipsam vsque ad dignam satisfactionem facias inuiolabiliter obseruari.

N O T Æ.

1 a *Cantuariensi*.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap*. 3. & extat textus hic post Concil. Lateran. *par*. 1. *de simonia*, *cap*. 3. prout hic transcribitur.

b *Archidiaconi*.] Quibus ex consuetudine competit in nonnullis prouincijs iurisdictio contentiosa, iuxta tradita *in cap. ad hæc*, *de offic. Archid*.

c *Conuentrensis*.] Anglicani Regni, de qua diœcesi egi *in cap*. 2. *de rescript*.

d *Examinatione*.] Hæc verba omisit Raymundus, quia iam eius tempore hoc examen purgationis vulgaris prohibitum erat, vt probaui *in cap. fin. de purgat. vulg*.

e *Ecclesias interdicunt*.] Cùm sententia interdicti ferri non possit regulariter ob causam pecuniariam, vt probaui *in cap*. 2. *de his, quæ fiunt à Prælat*.

f *A Vicarijs denarios*.] Iuxta tradita *in c*. 2. *ne Prælati vices suas*.

C O M M E N T A R I V M.

2 AN Episcopi, & cæteri iudices Ecclesiastici possint pro criminibus pœnam pecuniariam imponere, dubitant interpretes ob iuris testimonia in hac parte inuicem contraria. Et non posse eam imponere, videtur probari ex præsenti textu, & *ex cap. pauper*, 11. *quæst*. 3. *cap. si lapsis*, 50. *distinct. cap. irrefragabili* 13. §. *vltim. de offic. ordin. cap. vt clericorum*, *de vita*, & *honest. cleric*. Concil. Aurelian. 2. *can*. 3. Cabilon. sub Carolo Magno, *cap*. 18. & ex ea ratione, ne ipsi in pœnis irrogandis turpem aliquem quæstum consectari videantur: & quia, vt ait Diuus Isidorus *in dict. cap. propter*, citò violatur auro iustitia, nullamque reus pertimescit pœnam, quam scit posse pecunia redimere. Sed contrarium prorsus verum est, videlicet Episcopum, vel alium iudicem Ecclesiasticum posse imponere pœnas pecuniarias. Quæ sententia probatur *ex cap. dilectus*, *de offic. ordin. cap. si vos*, 23. *quæst*. 3. *cap. cùm sit nimis*, §. *final. cap. postulasti*, *de Iudæis*, *cap. ad audientiam*, *de præscript. cap. olim*, *de iniur. cap. P. & G. de offic. deleg. cap. venerabilis*, §. *denique*, *de sent. excomm. cap. in Archiepiscopatu*, *de raptor. cap. statuimus*, 16. *q*. 1 probant Landtmeter. *lib*. 2. *de veteri cleric. cap*. 109. pluribus relatis Barbosa *par*. 3. *de potest. Episcop. alleg*. 107. Diana *par*. 10. *tract*. 8. *per tot*. Solorzan. *tom*. 2. *de iure Indiar*, *lib*. 3. *cap*. 7. *num*. 76. Salgado *de protect. Regia*, *par*. 2. *cap*. 4. Ceuallos *tom* 4. *quæst*. 897. Valascus *alleg*. 34. Cabedo *decis*. 81. Bobadilla *lib*. 2. *polit. cap*. 17. *num*. 199. Nec obstant textus pro contraria sententia adducti; nam procedunt, quando iudices ecclesiastici pœnas pecuniarias imponunt ex auaritia, & radice cupiditatis, animo eas imbursandi, sibique applicandi: quo casu non licet pœnas pecuniarias imponere. At verò zelo iustitiæ, quia illa magis timetur, pœnam pecuniariam imponunt locis pijs applicandam, quam iuxta Concilium Tridentinum *sess*. 24. *de reform. cap*. 3. rectè imponere possunt, vt probant Petr. Gregor. *lib*. 4 *partit. tit*. 15. *cap*. 1. Sfortia *in hist. Concil. Trident. in sess. de edit. lib*. Chopinus *de sacr. pol*, *lib*. 1. *tit*. 3. *n*. 10. Diana

Diana *d. tract.* 8. qui prosequitur expositionem Concilij Trident. & explicat quomodo possit Episcopus applicare dictas pœnas pecuniarias locis pijs. Et pro exactione ipsius mulctæ non teneri iudicem ecclesiasticum auxilium brachij sæcularis inuocare, probat Solorzanus suprà, *num.* 81.

C A P V T IV.

Idem *in Concilio* a *Turon.*

CAlumniam, & audaciam temerè litigantium condemnando in expensis, & alio multiplici remedio sanctio *b* Imperialis compescit. Quoniam igitur sacris institutis consonare dignoscitur, præcipimus, vt de cætero in *c* causis pecuniarijs victus victori in expensis condemnetur, nisi sententia pro *d* absente feratur.

N O T Æ.

a TVronensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. & post Concil. Lateran. *part.3. cap.2.* non tamen reperitur textus hic in ipso Concilio Turonensi, vt iam notauit Ant. August. *in præsenti*. De Concilio Turonensi nonnulla notaui *in cap. maioribus* 8. *de præbend.*

b *Imperialis.*] Relata *in l. properandum, §. sin autem, C. de iudicijs, l.4. & 5. C. de fruct. & litium expensis.*

1 c *Pecuniarijs.*] Hic rectè deducunt Fachineus *lib.* 1. *controu. cap.* 42. Balboa *in cap. significauerunt* 11. *num.* 29. *de except.* in causis criminalibus regularibus victum non esse condemnandum in expensis: pro qua sententia facit disertus textus *in l. non ignoret, C. de fructib. & litium expensis*: vbi Imperator agnoscit discrimen, quod versatur inter causas ciuiles, vel criminales, his verbis: *Vel de lata non probauerit, pro calumnia quidem pœnam luat legibus constitutam; pro pecuniaria verò causa, post sumptus, considerata quantitate postulatorum, vel medij itineris interuallo, condemnationem pro æstimatione iudicis sustinebit.* Nec contrarium probatur ex generalitate, qua vtitur Imperator *in l. properandum, §. siue alterutra, Cod. de iudicijs*: nam licèt in principio ipsius textus Imperator ageret tam de causis ciuilibus, quàm criminalibus quoad statuendum tempus, intra quod lis finiri debebat; tamen dum ad expensas soluendas descendit, tantùm agit de causis ciuilibus. Nec etiam obstat textus *in l.3. C. qui accusare*, ibi: *Non solùm extra ordinem æstimatione iudicis puniendi sunt, sed etiam sumptus, quos in eam rem, & circa ipsum iter ad litem vocati fecerunt, pendere coguntur.* Nam ibi agit Imperator de accusatore contumace, non verò de eo, qui victus fuit in iudicio criminali.

2 d *Pro absente.*] Consonant textus *in d. l. properandum, §. sin autem, C. de iudicijs.* Et rationi consonum est hoc; nam iniquum videtur, vt absens & contumax, qui alioquin non auditur nisi refusis expensis, *l. sancimus, C. de iudic.* expensas à præsente repetat. Deinde quia Imperator *in d. l. properandum, §. siue autem*, vult eum in pœnam contumaciæ obligatum esse ad expensas, quas reus præsens fecit: ergo implicat, & absurdum est dicere, reum præsentem condemnandum esse in expensis ipsi actori absenti. Quare rectè Alexander III. in præsenti à generali obligatione victi soluendi expensas victori, excepit casum, in quo sententia pro absente lata est.

COMMENTARIVM.

3 QVoad pœnam temerè litigantis non semper vnum, idemque ius obseruatum reperitur; olim enim in ipso ingressu litis, tam actor, quàm reus pecuniam deponebant in æde sacra, vt victus, & qui condemnatus euasisset, illa pecunia mulctaretur; qui verò obtinuisset, pecuniam suam recuperaret: quæ pecunia à loco sacro, vbi deponebatur, & quia propter ærarij rationem, & sacrorum publicorum multitudinem in rebus diuinis consumebatur, dicebatur sacramentum. Varro *lib.4 de lingua Latina*, ibi: *Qui petebat, & qui inficiabatur, de alijs rebus vterque quingentos æris ad Pontificem deponebant; de alijs rebus item certo alio legitimo numero assium: qui iudicio vicerat, suum sacramentum à sacro auferebat: victi ad ærarium*
2 *redibat.* Festus Pompeius, ibi: *Sacramentum æs significat, quod pœnæ nomine penditur.* De qua pecunia agunt Valer. Max. *lib.7. cap.8.* ibi: *Aphronia tamen cum sorore sacramento contendere noluit, testamentumque matris patientia quàm iudicio conuellere sanctius esse duxit.* Cicero *in oratione pro Milone*, ibi: *Eam denique, cui nulla lex erat, nullum ius ciuile, nulli possessionum termini, qui non calumnia litium, non iniustis vindicijs, ac sacramentis alienos fundos; sed castris, exercitu, signis inferendis petebat.* Quem ita exponit Budeus *ad Pandectas, in l. vlt. ff. de orig. iur. fol.* 24. Quod etiam ipsum expendit *in lib. de Oratore*. Qui enim contendebant, inuicem se prouocabant sacramento quadragenario, vel quinquagenario, iuxta diuersitatem causarum, in hunc modum: Si malè petis, quinquaginta asses dare spondes? Et actor spondebat. Deinde interrogabat: Si malè te defendis, & sine causa litigas, totidem promittis? Et reus itidem respondebat. Cicero *in oratione pro Roscio, & pro Cecinna*: allusitque eleganter sacra pagina apud nostrum Vulgatum, *Sapientiæ cap.1. in fine*. Dicebatur sacramentum, quia pecunia promissa statim apud ædem Saturni deponebatur. Isidorus *lib.5. orig. cap.24. in fine*, Festus *verbo Sacramentum.* Vnde is, qui vincebat, suos nummos referebat: nummi verò illius, qui succubuerat, apud ærarium Saturni manebant. Varro *lib.4. de lingua Latina.* Hinc exponitur Iustinianus *in princip. Instit. de pœna temerè litigantium*, vbi ait, pœna pecuniaria olim deterritos fuisse perperam litigantes: quæ fuit, quæ promittebatur per dictam sponsionem, vel alia maior, si sub maiori contendere volebant, veluti tertiæ, quintæ, vel decimæ partis litis, §. 1. vbi Theophilus, *eod. tit.* Hæc autem maior pœna non deponebatur in arca Pontificum, quia solis litigantibus manebat; ideò victor ex sponsu contra victum agebat ad pœnam. Docent Budeus *in annotat. priorib. ad Pandect. pag. mihi* 94. Polletus *lib.5. hist. fori Rom. cap.5.* Brisson. *lib.5. de form. ul. pag.369.* Pitheus *lib.1. aduers. cap.18.* Osualdus *lib.24. Donel. cap.3. littera E, & cap.13. littera D*, Desiderius Heraldus *ad Arnobium aduers. Gentes, lib.4. pag.137.* Ioann. Funger. *in etymol. verbo Sacramentum.* Ex qua obseruatione explicari potest textus *in l.3. §. idem scribit, ff. de pecul.* vbi docemur, non minus contrahi in iudicio, quàm per stipulationem, videlicet propter sponsiones istas, quæ initio litis vltrò, citròque interponebantur. Inde nouationem necessariam per litis contestationem contingere docetur *in l. delegare* 11. *l. aliam* 29. *ff. de nouat.* & explicant Brissonius *lib.2. de solut. tit. de nouat.* Valentia *lib.2. illustr. tract.2. cap.9.* Vuisembach. *disp.40. nu.13.* Illustrant Pitheus *lib.1. aduers. cap.18.* Gernonius *lib.3. de sacror. immunit. cap. fin. n.26.* Pancirola *lib.1. var. cap.39.* Reuardus *lib.2. var. c.18.* Vasconcellos *ad titulum de sacramentis non iter.* Cuiac. *in l.69. ff. de legat.2.* de quo sacramento aliqui accipiunt textum *in l.1. §.5. ff. de extraordin. cognit.* Posteà statutum fuit, vt actor in initio litis decima ipsius litis calumniæ nomine caueret, hoc est decimam partem litis, ni vicisset, reo præstiturum. Extat constitutio Diocletiani, quam ex Codice Hermogeniano restituit Cuiacius *lib.7. obs. c.6.* quæ eius repromissionis decimę partis meminit, ibi: *Quippe si per calumniam hoc eum facere confidis, remedio repromissionis initio postulatæ calumniæ, decimę partis eius quod competit, tibi condemnare eum desiderare potes.* Extat etiam vestigium *in l.4. C. de fruct. & lit. expens.* & in formula veteri, *c.* 29. & apud Francos non alias litium expensas cognitas fuisse, quàm per hanc decimam partem litis, probat Bignonius *in notis ad Marculfum, lib.1. c.20.* Hanc tamen pœnam obsoletam sustulit Iustinianus *in l. vlt. §. antiqua, C. de iureiur. propter calum. §. hæc autem, Instit. de pœna temerè litig.* eandemque posteà reduxit, non abolito calumniæ iureiurando, *in nouella* 112. vt ita temerè litigantes varijs afficerentur pœnis. Quam legalem sanctionem in causis ecclesiasticis procedere statuit Alexand. III. in præsenti, ita vt semper victus victori in expensis damnetur, si temerè, & ca-

lumniæ causa litigauit, *l. properandum*, *§. & si quid*, vbi Cuiac. *C. de iudic. l. 2. ff. si mul. ventris*; vbi Cuiacius. Quando tamen quis dicatur temerè litigare, & plura de expensis in iudicio soluendis, congesserunt Cuiacius *lib.2. obseru.cap.1*, Hothomanus *in d.l.properandum*, *§.6.* Parladorius *lib.2. rer. quotid. cap. fin. §.18.* Couarr. *practicar. cap.27.* Gamma *decis.65.* Thesaurus *decis.67.* Donellus *lib.26. comment. cap.3.* vbi plura Osualdus *litera H*, Pichardus *in d. §. hæc*, *Instit. de pœna temerè*, Faber *de error. decade 19. errore 6* Fachineus *lib.1. controuers. cap.40. & lib.12. cap.52.* Barbosa *lib.2. voto 18. per tot.* Farinac. *in report. iudic. c.52.* Valenzuela *consf. 132. ex n.79. & consf.143. n.19.* Borell. *tom.2. decis. tit.39. de expens.*

C A P V T V.

Innocent. III. a *Nidrosiensi Archiepiscopo.*

QVòd in dubijs. *Et infra*: Quia verò tam sacerdotes, qui gubernant naues ad pugnam, quàm qui personaliter exercent conflictum, & hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes enormiter peccant, de rigore canonico eos credimus deponendos.

N O T Æ.

a NIdrosiensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c. vnic.* Integram decretalem dedi, & inscriptionem exposui *in cap. quod in dubijs*, *de renunc.* & commentarium huius textus inuenies *in cap. petitio penult. de homicid.*

C A P V T VI.

Idem a *London. Episcopo.*

TVæ discretionis prudentiam. *Et infra*: Ad illud, quod à nobis tertiò requisisti, qualiter clerici in *b* latrocinijs, vel alijs magnis sceleribus deprehensi puniri debent. Respondemus, quòd à suis ordinibus *c* degradati detrudi debeant in *d* arctis monasterijs ad pœnitentiam peragendam.

N O T Æ.

1 a LOndinensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de vita, & honest. cler. c.3. & in cap. tuæ, de consang. & affin. in eadem collect.* vbi extat alia pars huius decretalis; sed quia non reperitur inter editas à Sirleto, & Bosqueto, ideò eius integram restituere non possum.

b *Latrocinijs.*] Secus verò si simplex furtum admiserint; nam tunc tantùm deponuntur, vt post Hostiensem in præsenti, docuit Balboa *in cap. cùm non ab homine* 10. *de iudicijs*.

2 c *Degradati.*] Clerici enim cùm pœnitentiæ peragendæ causa in monasteria olim detrudebantur, priùs deponi debebant, antequam huic carceri manciparentur. Cùm enim monachorum conuentus laicorum cœtus censeretur, inter eos agere non poterat clericus integro suo gradu & statu seruato: quare priùs per depositionem ad statum laicalem redigebatur, vt ita pœnitentiæ collum subderet. Concilium Neocæsar. *can.1.* Tolet.4. *can.44.* ibi: *Oportet canonibus in tali scelere proditum à clericatus ordine submoueri, & pœnitentiæ triennio deputari.* Epaun. *can. 21.* *Si presbyter crimen capitale commiserit, ab officij bonore depositus in monasterium retrudatur.* Cabilon. *can.30.* *Vt gradu amisso agendæ pœnitentiæ gratia in monasterio, &c.* Agathense *can.50.* *Ab officij bonore depositi in monasterium retrudantur, & ibi tantummodò quandiù vixerint, laicam communionem accipiant.* Notaui *in c. clerici 4. de excess. Prælat.* Concil. Tolet.4. *can.43.* Subseruit huic obseruatiunculæ ex arcanis iuris ciuilis venustum militiæ armatæ exemplar; quippè cùm milites torqueri ob militiæ dignitatem non valerent, *l.3. §.2. ff. de re milit. l. militis, C. de quæstion.* docetur *in l.7. ff. de re milit.* quòd proditores milites, aut transfugæ, exauthorati torquentur. Planè quod Modestinus inquit, eum, qui ad hostes confugit, & redit, torqueri, ad bestiasque damnari, vel ad furcam, quamuis milites nihil eorum patiantur, *l.3. §. is qui ad hostem 10. ff. de re milit.* sic equidem esse temperandum existimo, vt qui ad hostem confugit, & redit, si miles erat, nec torqueri, nec ad bestias, nec ad furcam damnari possit, iuxta legem 2. *ff. de re milit.* nisi exauthoratione præcedente, ad ordinem paganorum redactus fuisset. Proinde apud Ammian. Marcel. Lampadius Præfectus falsi insimulatus, priusquàm torqueretur, dignitate priuatus fuit. *Fallaciarum* (ait Ammianus Marcel. *lib.15.*) *nube discussa, Imperator doctus relatione fideli, abrogata potestate Præfecti, Lampadium statui sub quæstione præcepit.*

d *Arctis monasterijs.*] De qua pœna detrusionis in monasterium egi *in cap.1. de regul.*

C A P V T VII.

Idem *Abb. & a Fratrib. Cryptæ Ferratæ.*

COnstitutus in præsentia nostra. *Et infra*: Licèt autem in instrumento Episcopi Lauitani expressa fuerit certa pœna, quam pars, contractum non seruans, solueret obseruanti: cùm tamen vtraque pars venisse contra illum, ex confessione propria conuincatur, cùm & pars vestra subtraxerit Episcopo pensionem, & Episcopus procurationem exegerit ab eadem Ecclesia, sicut œconomus proposuit memoratus, vtramque partem ab ea reddimus absolutam.

N O T Æ.

1 a ABbati & fratribus.] Ita etiam legitur *in cap. constitutus*, *de religiosis domib.* vbi extat alia pars huius textus, & ibi præsentem inscriptionem exposui.

C O M M E N T A R I V M.

2 CVm præsens rubrica generaliter concipiatur de pœnis, non solùm sub ea agitur de pœnis delictorum, verùm & de pœnis conuentionalibus consensu partium statutis, de quibus in præsenti textu, & *in cap. suam infrà.* Est autem pœna conuentionalis, promissio confirmans præcedentem obligationem, aut causam, & ad eius implementum reum impellens, sub comminatione præstandi aliquid certum: & talis obligatio tendit ad confirmandam priorem, vt docet Cuiac. *in l. si ita 97.* Donellus *in leg. si homo 69. num.5. ff. de V. O.* nec requirit priorem obligationem, sed causam, veluti si dixerit stipulator: Si domum non fabricaueris, centum dabis. Quia fabricatio domus tunc non est in obligatione, cùm promissa non sit, sed in causa. Vnde promissor liberatur domum fabrican-

fabricando, quia est causa debendi; sed peti ipsa fabricatio non potest, *l. si penum 24. ff. quando dies legati cedat*, *l. obligationum 24. §. ita, ff. de V.O.* vnde cognoscitur, pęnam, de qua in præsenti textu, adiectam fuisse ad firmandam transactionem inter Episcopum Lauitanum, & monasterium initam, de qua *in d.c. constitutus*. Et ita non causæ, sed conuentioni pęna accessit. Etiam sciendum est, pęnas conuentionales quocunque euentu esse soluendas, licèt nulla culpa possit imputari promissoribus, quia non tantùm promiserunt diligentiam, sed præstationem, seu factum, *l. si traiectitiæ 9. ff. de nautico fęnore*, *l. ad diem 77. l. stipulatio 38. §. at si quis, ff. de V.O. l. qui autem 14 §. sed si quis, ff. de constit. pecunia, l. sancimus 26. C. de fideiuss.* docent *in d.l. 38.* Alciat. *n. 31.* Cuiac. Duarenus, Donellus, & Giphan. Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 26. n. 6.* Pichard. *in §. si quis alium, n. 31. Instit. de inutil.* Grotius *de iur. belli, lib. 2. c. 15. n. 16.* Fachin. *lib. 3. controu. c. 10.* & si ambo ex contrahentibus pęnam promiserint, & factum promissum non adimpleuerint, vterque ad pęnam manet obligatus: sed quia paria delicta quoad pęnam priuatam mutua compensatione tolluntur, *l. viro, ff. sol. matrim.* probaui *in cap. fin. de adult.* ideò hoc casu pęnæ compensationi locus est, *l. si ambo, ff. de compens.* Vnde rectè in præsenti specie Innocentius decreuit, quòd cùm tam Episcopus, quàm monachi promissum non adimplerent, pęnam ex vtraq; parte commissam esse, & sic neutrum ex eis pęnam petere posse.

C A P V T VIII.

Idem *Priori* a *S. Fridiani*, *& Magistro B. Canonico Pisano*.

SVper his, de quibus nos consulere voluistis. *Et infra:* Clericus autem, qui pro eo, quòd variauerat coram vobis, de mandato nostro captus est, & detentus, infamiam non incurrit.

N O T Æ.

1 a SAncti Fridiani.] Præsentem inscriptionem exposui, & integram Decretalem dedi *in c. super his, de accusat.* vbi extat principalis pars huius secretalis; in præsenti enim tantùm docetur testem vacillantem carceri mancipatum pro eruenda veritate, non ideò infamiam incurrere; quia cùm sententia non præcesserit, qua falsus ipse declaratur, non potest notari infamia, quia infamiam irrogat sententia, non factum *l. nullum, C. quibus ex caus. infamia*.

C A P V T IX.

Idem a *Spoletano Episcopo*.

SVamad nos Rectores clericorum S. Fortunati querimoniam transmiserunt, quòd cùm tibi essent in xl. libris per quoddam arbitrium condemnati, essetque pœna xxx. librarum apposita, nisi ea soluerent in termino constituto, tandem xxxiij. libris in termino persolutis, occasione septem residuarum per quasdam nostras literas veritate tacita impetratas obtinuisti eos in præfatis xxx. libris tibi per delegatum iudicem condemnari. Quia igitur te non decet in tantum Pontificalis modestiæ obliuisci, vt inhonestis quæstibus anhelando desideres cùm aliena iactura ditari: mandamus, quatenus septem librarum solutione contentus, super pœna xxx. librarum memoratos Rectores de cætero non molestes.

N O T Æ.

a SPoletano.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. ne clerici, vel monachi*, idest Benedicto, qui ab Innocentio III. creatus fuit Episcopus Spoletanus anno 1198. De Spolet. Diœcesi egi *in cap. 2. de condit. appos.*

C O M M E N T A R I V M.

1 DIfficilis valdè visa est præsens Innocentij decisio vtriusque iuris Interpretibus, ex eo, quia certum est, pęnam conuentionalem esse soluendam à reo integrè non adimplente promissionem, veluti si quis ita stipuletur; Si fundum Seianum non dederis, centum dare spondes? Quo casu vt pęna euitetur, necesse est, solidum fundum Seianum dare, neque sufficit partem datam fuisse, vt pęna in solidum non committatur, *l. hæredes 25. §. idem 13. ff. famil. ercisc. l. stipulationum 5. §. vlt. l. si pro parte 85. §. si ita 6. ff. de V.O.* Caballin. *de indiuid. 3. p. ex n. 25. & 286.* Valenti a *de diuiduis, c. 6. ex n. 15.* Chesius *lib. 1. interpr. c. 5. n. 107.* Madera *animad. c. 30. per tot.* Quæ indiuiduitas non prouenit ex natura rei in obligationem deductæ, quæ reuerà diuidua est, cùm sit fundus: sed quia aliud sine captione creditoris non posset introduci, *d. l. stipulationes, §. vlt.* quia verùm est, fundum datum non esse, cùm solidus non sit; ideò quamuis si plures hæredes vni successerint, vnusquisque in solidum non teneatur, sed pro parte hæreditaria tantùm ad præstationem fundi in stipulationem deducti; tamen ad hoc vt pęna euitetur, non sufficit pro portione hęreditaria satisfacere, immò quocunque cessante in solutione partis committitur pęna integra contra omnes, *l. in executione 85. §. quod si stipulatus, ff. de V.O. l. hæredes 25. §. idem iuris, ff. famil. ercisc. l. si seruus 9. §. si plurium, ff. si quis cautionibus*. Pęnalis enim stipulatio facit obligationem dandi indiuiduam, cùm nisi integrè res, vel quantitas præstetur, conditio stipulationis non existat, siue in promissore, siue in hæredibus eius id contigerit; nec enim ex persona hæredum potest conditio stipulationis immutari, *l. 2. §. 1. ff. hoc tit.* Et cùm stipulatio pęnalis per conditionem, vel conditionis formam interponatur, & committatur, indiuiduam causam continet, *l. cui fundus, 56. ff. de condit. & demonstr.* Facit etiam quòd docetur, *in d. l. pro parte, §. item si ita*, vbi proponitur casus pignoratitiæ obligationis, siue eius debiti, quod sub pignore debetur: cuius ea natura est, vt pignus non prius liberetur, quàm tota pecunia debita sit soluta; vnde si vnus hæredum partem debiti solueret pro hæreditaria portione, pignus non potest liberare pro parte, non magis quàm si debitor ipse partem debiti voluerit soluere; quia nec si volente creditore soluisset, pignus liberasset, nisi tota quantitate soluta, *l. si necessarias 8. §. si vnus 2. l. solutum 11. §. si creditori 4. ff. de pignorat. act. l. hæredes 25. §. idem obseruatur 14. ff. famil. ercisc. l. hæreditate 22. ff. de hæredit. vel act. l. qui pignore 19. ff. de pign. l. arbiter 11. l. vlt. ff. de distract. pign. leg. quamdiu 6. l. si vnus 16. C. eod. tit. l. rem hæreditariam 65. ff. de euict. l. 1. C. de luitione pignoris, l. 1. & 2. C. si vnus ex pluribus*. Ratio huius principij prouenit ex voluntate contrahentium, quia qui promisit pecuniam certo die dare, & nisi dederit, pęnam, totam summam dare promittit. Pęnalisque obligatio conditionalis est, vel instar cōditionalis in casu non dationis. Atqui verùm est, totam summam datam non esse, quamuis pars detur: ergo nisi in totū principali obligationi satisfactum sit, non euitatur pęna, argumento ex lege *cui fundus 56. ff. de cond. & demonstr.* quod procedit, quando pęna vt talis consideratur, idest quando est punitio moræ, & negligentiæ debitoris: aliquando tamen pęna non in punitionem promittitur, sed propter maiorem cautionem, & faciliorem expeditionem obligationis: quo casu pœna succedit loco interesse, & vt illud taxatur. Gomez *lib. 2. variar. c. 10. n. 23.* Donell. *lib. 15. comment. c. 3. cum alijs,* Carleual. *2. to. de iudic. tit. 3. disp. 3. n. 26.* Igitur cùm in præsenti casu plenè satisfactum non fuisset Spoletano Episcopo, rectè pœnam sibi promissam à Ple-

à Plebano, & clericis petebat. Cui difficultati vt satisfaciant Interpretes, varia adduxerunt. Bartol. *in l.4. §. Cato, ff. de V.O.* agnouit discrimen in hac parte, inter ius ciuile, & canonicum, ita vt iure canonico attento partialis solutio pro parte eximat à pœna. Alij docuerunt, iure canonico similem pęnæ conuentionem non valere, quia præsumitur in fraudem vsurarum apposita, iuxta communem sententiam, quam videntur probare textus *in l. Iulian. 14. §. idem Papinia. ff. de act. empti, l. cùm allegas, C. de vsuris*; ac proinde cùm vsuræ iure canonico sint prohibitæ, similis pęna improbatur eodem iure. Ita Alciat. *in d. l. 4. § Cato*, Pichard. *in §. si finium, n. 224. de offic. iudicis*. Sed hæc interpretatio sustineri non potest. Primò, quia Innocentius non vtitur ea ratione generali prohibitionis, videlicet vsurarum, sed alia longè diuersa. Secundo, quia in rigore iuris illa communis sententia vera non est, videlicet pęnam pecuniariam præsumi adiectam in fraudem vsurarum, vt alij melius probarunt expendentes generalitatem legis *si stipulatio 38. §. alteri, ff. de V.O. l. vtrùm 26 ff. de petit. hæredit. l. si cùm duo 26. § vlt. l. Celsus 28. in princ. ff. de receptis*: vbi probatur, absolutè, & indistinctè exigi posse pęnam adiectam obligationi, etiam non dandi. Nec ibi distinguitur, an sit obligatio quantitatis, vel non. Fachineus *lib. 5. controu. c. 96. vers. Secundus casus*, asserit in pręsenti specie pęnam non deberi, quia pęna non committitur quādo quis deficit in minimo, *l. Seia, ff. de minor.* Alij congesti à Barb. *in præsent.* communiter docent, Pontificem in hoc casu pęnam triginta librarum moderasse pro parte septem librarum, quæ supererat, quia nimis excessiua erat, cùm maiorem partem debiti iam Episcopus exegisset. Pro qua sententia illud facit, nam cùm in præsenti casu pęna promissa esset habita ratione interessis, videlicet pro eo, quòd intererat Episcopo quadraginta libras solutas esse, & solutæ iam essent 33. libræ, pęna pro rata tantùm respectu septem committi debebat, argumento legis *si seruus 9. § 1. ff. si quis caution.* Verùm hoc procedit in factis diuiduis; nam cùm diuiduum factum ideò diuisionem admittat, nō quia vnicum factum diuidi posset, sed quia plura facta censentur, *l. si procurator 18. ff. rem ratam haberi*, perinde est ac si plures faciendi obligationes contractæ fuissent, & vnicuique pro parte stipulatio pęnalis esset adiecta illius solummodò quantitatis, quæ pro vna parte ad singulos spectare poterat: at verò in præsenti agitur de obligatione dandi, quæ nunquam dici potest impleta, vbi minima portio deficit, vt docent Pichar. *de diuiduis, & indiuiduis, c. 6. per tot.* Valent. *lib. 2. illustr. tr. 4. c. 6.* Chesius *interpr. iur. c. 50.* quia cùm vnica quantitas sit, quæ debetur, & consequenter vnica adsit obligatio. *l. scire 29. l. quod dicitur 86. ff. de V.O.* non potest nisi in solidum committi pęna. Quare ijs sententijs omissis, & alijs relatis à Sarmient. *lib. 3. select. c. 5 n. 4.* Gutt. *lib. 2. canon. q. c. 20.* dicendum est, circa præsentem casū duo hæsitari posse. Primum, an in casu, de quo in præsenti, pęna ritè, & rectè apposita fuerit, exigique posset à clericis cessātibus in solutione. Secundum, supposito quòd legitimè sit adiecta, & licitè exigatur an si debitores partem debiti soluant, adhuc tota pęna exigi possit, an verò solum pro parte debiti non soluti? Et credo, Innocentium decreuisse totam pęnæ obligationem esse inhonestam, præcipuè attēta Episcopali modestia; nam cùm Episcopus debeat esse magister totius perfectionis, ex D. Th. 2. 2. *q.* 184. *art.* 2. & pater pauperum ab omni prorsus auaritia debeat esse alienus, *c. gloriæ 12. q. 2.* debet abstinere ab ijs, quæ licèt alijs sint licita, in eo tamen aliquam habent speciem indecentiæ, ob tanti status perfectionem, *c. Episc. 14. q. 1.* Vnde licèt pęna adiecta obligationi dandi quantitatem, tanquam indiuidua in totum committatur, etsi pars intra terminum soluta sit, nihilominus hoc respectu Episcopi non est honestum, quippè quòd arguit cupiditatem lucrandi cum aliena iactura: & sic exponenda sunt verba quibus Pontifex suæ decisionis rationem reddit, inter quę nullum est, quòd concludat iniustitiam ex parte Episcopi in huiusmodi pęnæ exactione, sed solum omnia tendunt ad ostendendam indecentiā. idest repugnantiam honestatis in personam eiusdem, vt patet, ibi: *Non decet*, & ibi: *Pontificalis modestia*; & ibi: *Inhonestis*; considerata scilicet honestate, & eminentia status Episcopalis Genuens. *pract. q. 254 & 688.* Quare præsentem textum, in quo specialiter de Episcopo agitur, cui pęna promissa fuit, nō debemus ad alios casus protrahere.

Pro complemento huius commentarij examinanda est illa satis vexata quæstio, vtrùm attento iure canonico, & moribus Christianis, pęna conuentionalis exigi posset citra interesse creditoris? In qua affirmatiuam sententiam tenuerunt Baldus, Castrensis & Salicet. *in l. cùm alleges, C. de vsur.* Petr. Gregor. *lib. 3. par. tit. tit. 1. c. 5.* Syluest. *in sum. v. Vsura 1. n. 28.* Couarr. *de matrim. 2. p. c. 6. § 8. n. 14.* Nauar. *in man. c. 17. n. 215* Murga *to. 2. disquis. mor. disq. 14. dub. 21. & 22* Barbos. *in præsenti, ex n. 3.* Molina *de iust. to. 1. tr. 2. disp. 97 per tot.* Sanch. *lib. 1. de matr. disp. 37.* Vasseus *in florib. Theolog. v. Pęna, n. 8. & v. Vsura 4. n. 1.* Contrariam sententiam, videlicet pęnam non posse exigi, nisi quatenus appareat, creditoris impletam non fuisse primam intentionem, vt praxi receptam, & supremorum Tribunalium decisionibus approbatam, tam de iure, quàm de æquitate, defendunt Gutt. *de iuram. 1. p. c. 36. n. 10 & c. 20.* Coninch. *lib. 2. n. 4. & 5.* Auendaño *in diction. v. Pęna conuentional.* Pichard. *§. vlt. instit. de V.O. n. 5* Sarmiento *lib. 3 select. c. 6. n. 10.* Faber *in suo Codice, tit. de V.O. diffic. 9. & 14.* Garcia *de expensis, c. 9. n. 63.* Rodrig. *de annuis reddit. lib. 3. q. 5. ex n. 10.* Carleual. *de iud. 2. to. tit. 3. disp. 3. n. 22.* Leothard. *de vsur. q. 38. ex n. 8.* Quæ sententiæ facilè componuntur, quia prima procedit, vt ipsius auctores loquuntur, quando non animo iniusti lucri pęna apponitur, sed in pęnam perfidię, aut tarditatis euitandæ causa, absque vllo prorsus animo vsurario. Sed quia in re practica difficile est perscrutari cōtrahentium animos, meritò obtinuit, nullam pęnam vltra interesse exigi posse. Turpe enim lucrum reputatur, quod hoc solo pretextu exigitur. Quod & Papinianus ipse agnouit, quamuis parum firmiter, de pęna conuentionali agēs, *in l. si venditor 6. §. 1. ff. de seruis export.* vt notarunt Cuiac. *lib. 27. qq. Papin. ibi*, & Anton. Fab. *in eius ration. ait*: & ideò in hoc casu creditor probare debet sua interesse, ad hoc vt pęna conuentionalis exigi possit, vt docent Leothard. & Carleual. *vbi proximè*. 2

C A P V T X.

a Idem *Vicentino Episcopo.*

AD aures Apostolatus nostri peruenit, quòd cùm quidam parochiani tui abusu diabolico bonæ memoriæ I. quondam Vicentin. Episcopum prædecessorem tuum nequiter peremissent, feuda, & beneficia, quæ à Vicentina Ecclesia obtinebant, ipsis per sententiam fuerunt cum multa deliberatione sublata. Quia igitur maiori etiam sunt animaduersione plectendi, nos bonæ memoriæ Cœlestini prædecessoris nostri vestigijs inhærentes, tam tibi, quàm successoribus tuis arctiùs inhibemus, ne alicui ex prædictis malefactoribus, aut eorum hæredibus prædicta beneficia restituantur vlteriùs, seù de nouo alia quælibet conferantur. Si quis autem (quod non credimus) contra hoc aliquid attentauerit, ipsum auctoritate Apostolica decernimus, officij beneficijque sui dignitate carere. Quòd si aliquæ literæ aliquando super hoc apparuerint impetratæ, quæ totius facti non contineant veritatem, illas penitus vacuamus. Volumus etiam vt præsens pagina subscripta in Ecclesiæ Vicentin. custodia deponatur, & Episcopo Vicentin. qui pro tempore fuerit, annis singulis ostendatur. Nulli ergo, &c. Datum Later. xij. Kal. April.

N O T Æ.

1 a IDem.] In hac sexta collectione, & in quarta, *sub hoc tit. cap. 1* tantùm legitur *Idem*: sed inscriptionem, & literam restituo ex epistolis editis à Sirleto, *fol. 27.* Huius etiam homicidij Vicentini Episcopi mentio extat *in cap. intelleximus de iudic.* vbi aliqua de Vicentina Ecclesia notaui, & probaui, homicidam Episcopi priuari beneficijs, & feudis obtentis ab eadem Ecclesia: quod & docuerunt Petrus Gregorius *de beneficijs cap. 26. n. 8.* Gonzal. *de irre-*

Digitized by Google

*regul.*8. *Cancellar. glossa* 15. *n.*24. Alijs etiam pœnis afficiuntur ex Clementina 1. *de pęnis*, & alijs nouioribus cōstitutionibus relatis per Gibalinum *in synopsi censurar. verbo Cardinalis*. Grauem pęnitentiam pro nece Conradi Episcopi Herbipolensis Innocentius indixit anno 1204. quam refert Trithemius *in chron. anno* 1202.

CAPVT XI.

a Idem.

DIlectus filius Iacobus electus Sancti Petri ad *b* Montes, ad Ap. Sed. accedens grauem querelam contra dil. fil. G. Decan. Morin. & I. Cath. Archid. exposuit, asserens eos in causa sua, quæ fuit illis commissa, perperam processisse. Cùmque dil. fil. I. clericus cum literis eorumdem continentibus causæ processum ad nostram præsentiam accessisset, & idem Iacobus niteretur ipsum processum multipliciter improbare, relationem ipsorum in quibusdam asserens esse falsam: Nos quia præfatus clericus non habebat nisi ad contradicendum, vel impetrandum mandatum, ad maiorem cautelam processum ipsum nec confirmandum duximus, nec cassandum. *Et infra*: Quia verò sæpè contingit, quòd contra falsam assertionem iniqui iudicis innocens litigator veram non potest negationem probare, cùm negantis factum per rerum naturam nulla sit directa *c* probatio: ne falsitas veritati præiudicet, aut iniquitas præualeat æquitati, necessarium videtur, & æquum, vt cùm quis legitimam exceptionem proponit, illam probare paratus, vel ad declinandum iudicium, vel ad intentionem alterius elidendam, si forsan verbo, vel facto ab illa recesserit, vel eam non probauerit intra terminum competentem à iudice præfigendum, modestus iudex non antè procedet, quàm super hoc *d* instrumentorum, vel testium cautelam adhibeat opportunam, per quam si necesse fuerit, possit de veritate constare; vel si contra relationem, seu processum ipsius fuerit suborta contentio, huiusmodi probationibus possit ipsius iudicis assertio roborari, quatenus huiusmodi adhibito moderamine sic honestis, & discretis deferatur iudicibus, quòd per improuidos, & iniquos innocentium iustitia non lædatur: & ne iudicialis euanescat auctoritas, cùm de litigatoris improbitate constiterit aduersùs assertionem iudicis temerè *e* prorumpentis, iuxta superioris arbitrium digna poterit animaduersione puniri.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita tantùm legitur in sexta collectione, & in quarta *sub tit. de probationibus*, *c.*2. Sed literam integram, & inscriptionem restituo ex epistolis ipsius Pontificis *lib.*1. *regestr.*13. *epist.*196. Monasterium Vallis Claræ est Ordinis Cisterciensis. in dięcesi Lugdunensi, constructum à Comite de Roussy anno 1134. vt referunt Claud. Robert. *in sua Gallia*, Manrique *tom.*1. *annal. Cisterciens. anno* 1134. *c.*8. *n.*3. Fratres Sarmath. *tom.*4. *Galliæ Christ. fol.*894. De dięcesi Lugdunensi nonnulla adduxi *in c.*52. *de rescript.*

2 b *Sancti Petri ad Montes*.] Duplex est Abbatia huius nominis in Gallia, vtraque Ordinis S. Augustini, vna in Diæcesi Claromontensi, alia in Episcopatu Catalaunensi, à Rogerio Episcopo anno 1096. fundata, vt referunt Fratres Sarmath. *tom.*4. *Galliæ*, *fol.*720. & eius absque dubio electus erat Abbas Iacobus, de quo in hac epistola agitur.

c *Nulla sit probatio*.] Iuxta tradita *in cap. quoniam* 11. *de probat.*

d *Instrumentorum, vel testium*.] Ob eandem etiam rationem in canone 38. Concilij Lateran. Innocentius III. statuit, vt in quolibet iudicio iudex semper adhibeat publicam personam, vel duos testes idoneos, qui fideliter vniuersa iudicij acta conscribant, vt refertur *in cap. quoniam* 11. *de probat.* vbi notaui. 3

e *Prorumpentis*.] Quod graue delictum est, vt probat Narbona *in l.*20. *tit.*1. *lib.*4. *recop. glos.*18 & iudex potest non solùm punire offendentes personam propriam, verùm & familiam suam, vt probaui *in c.*1. *de offic. deleg.* 4

CAPVT XII.

Ex Concilio a *Generali*.

IN quibusdam prouincijs & Ecclesiarum patroni, & *b* aduocati, & vicedomini se in tantam insolentiam erexerunt, & audaciam, quòd non solùm cùm vacantibus Ecclesijs debet de Pastoribus idoneis prouideri, difficultates ingerunt, & malitias; verùm etiam de possessionibus, & alijs bonis ecclesiasticis pro sua voluntate pręsumunt, & quod horrendum est dicere, in necem Pręlatorum prorumpere non formidant. Cùm igitur quod ad defensionis subsidium est inuentum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri, prohibemus expressè, ne patroni, vel aduocati, seu vicedomini super præmissis de cætero plus vsurpent, quàm reperitur in iure expressum, & si contra præsumpserint, per seueritatem canonicam districtissimè compescantur. Sacri nihilominus Concilij approbatione statuimus, quòd si patroni, vel aduocati, aut feudatarij, seu vicedomini, seu alij beneficiati alicuius Ecclesiæ Rectorem, vel clericum alium ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausu nefando præsumpserint, patroni iuspatronatus, aduocati aduocatiam, feudatarij feudum, vicedomini vicedominatum, vel beneficiati beneficium prorsus *c* amittant: & ne minùs vindictæ, quàm excessus memoria prorogetur, non solùm de præmissis nihil proueniat ad hæredes, sed etiam vsque ad quartam generationem posteritates talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in regularibus domibus alicuius Prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit dispensatum.

NOTÆ.

a GEnerali.] Ita etiam legitur in 4. collectione, *sub hoc tit. c.*2. & in ipso Concilio Lateran. *cap.*45. de quo Concilio nonnulla adduxi *in c.*1. *de summ. Trinit.*

b *Patroni, & aduocati*.] De quibus, & eorum abusu circa Ecclesias sibi commendatas, egi *in c.*13. *de iurepatr.* vbi commentarium huius prioris partis inuenies.

c *Amittant*.] Illustrant hanc partem Gibalin. *de censur. in synopsi*, *verbo Homicidium*, Barbosa *de iure ecclesiastico lib.*3. *c.*14. Lambertin. *de iurepatron. art.*3. & 7. Guttierez *lib.*2. *canonicorum*, *cap.*7.

C A P V T XIII.

Honorius III. *Præposito, Archid. & H. de Parisijs, Canonico* a *Suession.*

GRauem electorum filiorum Capituli *b* Laudunensis recepimus quæstionem, quòd cùm nobilis vir *c* Comes Registensis pro multis iniurijs, quas irrogarat eisdem, per iudices à Sede Apostolica delegatos excommunicationis vinculo fuerit innodatus, idem iam per duos annos & ampliùs in excommunicatione persistens iuri parere pertinaciter renuit, claues Ecclesiæ in suæ salutis dispendium, & plurimorum scandalum contemnendo. Licèt igitur huiusmodi pertinacia non careat scrupulo hæreticæ *d* prauitatis, volentes tamen *e* nobilitati parcere Comitis supradicti, si forsan ad cor reuertensà suo resipiscat errore: d. v. mandamus, quatenus si Comes prædictus à nobis diligenter commonitus infra quindecim dies post commonitionem nostram non paruerit plenè iuri, vos excommunicationis sententiam latam in eum, sicut rationabiliter est prolata, facientes vsque ad dignam satisfactionem inuiolabiliter obseruari, & totam terram ipsius, ac loca, in quibus idem Comes fuerit commoratus, supponentes ecclesiastico interdicto. Ecclesias, in quibus aliquid iuris habere dignoscitur, ab eius debito, sublato cuiuslibet contradictionis, & appellationis obstaculo *f* absoluentes, fideles ipsius, quamdiù in excommunicatione perstiterit, ab eiusdem fidelitate denunciatis penitus *g* absolutos. Quòd si forsan nec sic tribuat ei vexatio intellectum, poterit non immeritò formidare, ne sua pertinacia obstinata eum in hæresis impingat infamiam, quàm cùm voluerit, fortè de facili non poterit euitare.

N O T Æ.

1 a SVession.] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.2.* ex qua restituo integram literam textus. De Suessionensi diœcesi nonnulla adduxi *in c. 2. de libelli oblat.*

b *Luadun.*] Ita legendum est, non *Lundensi*, vt vulgò legitur: de qua diœcesi egi *in c.25. de rescriptis.*

2 c *Comes Registensis.*] In sexta collectione legitur *Registrensis*, sed malè, cùm Comitatus Registensis fuisset olim in Gallia, vt probat Cironius *in præsenti*, qui notat Honorium hic agere de Hugone III. qui successit patri suo Manassi anno 1197. & decessit anno 1229.

3 d *Hæreticæ prauitatis.*] Quia per insordescentiam in excommunicatione per annum redditur excommunicatus suspectus de hæresi, vt probaui *in cap. excommunicamus, §. quia, de hæretic.*

4 e *Nobilitati.*] Facit textus *in l. nemo, C. de summa Trinit.* quod procedit in pœnis corporalibus, *cap. 1. de purgat. vulgar.* latè probat Tiraquellus *de pœnis temperand. causa 31. n.25.* nam aliàs nobiles cùm exemplo facilè inferiores ad peccandum moueant, grauiùs sunt puniendi, præcipuè in causis fidei, vt probant Simancas *de Catholicis, tit.46. num.65.* Eymericus *ad Peñam, 2. par. direct. in præsenti.*

f *Absoluatis.*] Et ita rectè probat Lotherius *de re beneficiaria, lib.3. q.33.* per insordescentiam in excommunicatione priuari clericum beneficio iam obtento, dum talis insordescentia duret per triennium, iuxta textum *in cap. cùm bonæ 8. de ætate, & qualit.* vbi exposui doctrinam hanc. 5

g *Absolutas.*] Quia non solùm ob hæresim priuatur quis fidelitate à vassallis sibi promissà, iuxta tradita *in cap. fin. de hæreticis*; verùm & ob suspicionem hæresis, vt de Philippo I. Rege Galliæ, qui ab Vrbano II. in Claromontensi Concilio, & à Ioanne & Benedicto Cardinalibus in Pictauiensi Synodo ob ductam Bertradam in vxorem excommunicatus fuit, & à fidelitate subditorum priuatus. Qua de causa Iuo Carnotensis Episcopus nunquam ei parere voluit, vt constat *ex epist. 17. 35. & 211.* & notauit Cironius *in præsenti*, Magnus, & Illustr. D. Ramos *pro Episc. Lusit. propos.3. §.2. n.80.* 6

T I T V L V S XXXVIII.

De pœnitentijs, & remissionibus.

C A P V T P R I M V M.

Alexander *a* Papa.

MAnifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.

N O T Æ.

1 a ALexander.] Ita legitur in sexta compilatione; in prima autem collectione, *sub hoc tit. cap.1.* legitur, *Calixtus Papa*: sed verba huius textus in nulla epistola ipsorum Pontificum reperiuntur; extant tamen apud D. Gregorium Magnum *lib.12 epistolar. epist.132.* vbi dum instruit Felicem Episcopum Messanensem super varijs articulis ad disciplinam ecclesiasticam spectantibus, ait: *Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda: sed palàm sunt arguendi, qui palàm nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim vnus corripitur, plurimi emendantur: & melius est, vt pro multorum salute vnus condemnetur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Nec mirum, si inter homines hæc ratio custoditur, cùm inter iumenta hoc fieri persæpe cognouimus, vt ea, quæ scabiem, aut impetiginem habere videntur, separentur à sanis, ne illorum morbo cætera damnentur, & pereant. Satius est ergo, vt mali apertè corrigantur, quàm pro illis boni pereant.* Quæ verba etiam ex D. Isidoro citantur in Concil. Aquisgran. sub Ludouico Imperatore, *c.26.*

COMMENTARIVM.

EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Pro peccatis manifestis publica est imponenda pœnitentia.* Probant eam textus *in c. si peccauerit, 2. quæst.1. c. si. 15. q.5. c. si quis potestatem, 23. q.4. c. ego 42. de consec. dist.2.* Trident. *sess.24. de refor. c.8.* Concil. Rhemense 2. *can.31.* Concil. Ingolhem. *Si quis infra regnum rapinas fecerit, si publicè fuerit actum, publicam agat pœnitentiam iuxta canonum sanctorum sanctiones: si verò occultè, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam.* Arelat. 2. *can.26. Vt qui publico crimine conuicti sunt rei, publicè iudicentur.* Carthag. *can.46.* apud Balsam. Rabanus *lib.2. de instit. cleric. cap.30. Quorum peccata sunt in publico, in publico debet esse pœnitentia.* Illustrant vltra congestos à Barbosa Ioannes à Capistran *in repet. ad hunc text.* P. Gregor. *lib.1. part. tit. 10. c.3.* Couar. *lib.2. var. c.10.* Bellar. *to.2. controu. lib.1. de pœnit. c.21. & 22.* Cellotius *lib.2. de hierarc. c.18.* Io Dartis *in Decr. ad 22. q.6.* D. Io. de Otalora Præses Cancel. Granat. *de irregul. ex pœnitentia publica, excursu 1. n.6.* 2 Conclusio traditur, & probatur.

Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertionem

ita

Impugnatur tradita assertio. ita insurgo. Peccatorum correctio non ex eorum publica, seu occulta perpetratione æstimanda est, sed potius ex eorum grauitate; nam improbata Stoicorum sententia, qui existimabant, omnia peccata paria esse, vt refert Cyprianus *in epist. ad Antoniam*, ibi: *Alia est Philosophorum, & Stoicorum ratio, qui dicunt omnia peccata paria esse, & virum grauem non facilè flecti oportere;* inter Christianos, & Philosophos plurimùm distat, & Ecclesia semper alia peccata leuiora, alia grauiora, alia exitiosa pronuntiauit. Tertullianus *lib. de pudicitia, c.19.* ibi: *Sunt & contraria istis, vt grauiora, & exitiosa, quæ veniam non capiant, homicidium, idololatria, fraus, negatio, blasphemia, vtique & mœchia, & fornicatio, & si quæ alia.* Vnde pro eorum grauitate modò grauiorem, modò leuiorem pęnitentiam iniungi legimus in Pœnitent. Romano. Igitur delicti atrocitas, non verò notorietas attendi debet ad pœnitentiam iniungendam. Quare D. Basilius apud Simeonem Magistrum *concione 8. de pœnitentia*, hortatur pœnitentem, vt quæ clam admisit, palàm inuerecundè profiteatur. *Tui*, inquit, *vult misereri iudex, suarumque te miserationum facere participem, modò te post peccatum humilem inueniat, dolore contritum, scelera tua multùm deplorantem, quæ clam admisisti palàm inuerecundè profitentem, obnixè à fratribus petentem, vt in paranda tibi medicina tecum simul laborent, inuigilent.* Et Gennadius Massiliensis *de dogmatibus ecclesiast. cap. 53. Nam quem post Baptismum mortalia crimina commissa premunt, hortor priùs publica pœnitentia satisfacere.* Et ante illos Origenes *homil. 2. Proba*, inquit, *priùs medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmitate, flere cum flente; qui condolendi, & compatiendi nouerit disciplinam, ita vt demùm, si quid ille dixerit, facias, & sequaris; si intellexerit, & præuiderit talem esse languorem, qui in conuentu totius Ecclesiæ debeat exponi, & curari, ex quo fortasse & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc quidem deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandum est.* Et generaliter Hincmarus ait in Capitulis loco suprà citato, vt qui peccatum criminale perpetrauit, pœnitentiam agat publicam. Et canones Nicæni, Ancyrani, Laodic. & D. Basilij, Gregorij Nysseni, & Pœnitentiales Bedę, & Rabani Mauri de pœnitentijs publicis spectant ad varia crimina, non habita ratione quòd sint publica. Et e contrariò peccata venialia, etsi palam admissa, nunquam per publicam pœnitentiam fuisse expiata, probant Bagotius *dissert. 1. de pœnitent. cap. 8. sect. 4. & sequenti*, D. Ioannes Otalora *dicto excursu 1. num. 7.* Ergo non rectè in præsenti absolutè docetur, peccata manifesta publica pœnitentia esse corrigenda.

4 De triplici pœnitentia. Qua dubitandi ratione non obstante vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, quod cùm in ipsum genus humanum pessima peccandi prosilijsset libido, inde omnis ætas ab adolescentia in malum prona est; adauxit enim naturæ vitium hominium prolapsa conditio: nam peccatum, quod communem lucem effugere verecundioribus illis sæculis curabat, publicis oculis se subijcere non erubescit. Hinc multiplex delictorum genus, quod à sæculo mouebitur, si natura non perstrinxerit, disciplina peruaserit, censura non compresserit. Eam itaque adhibuit vindicatis peccatis Ecclesia medelam, vt publica publica corriperet animaduersione; & quæ vniuersam commouent ciuitatem, publica, & solemnis pœnitentia coerceret; vt ita ille, qui propriam conscientiam testem non horrebat, humanam saltem notam pertimesceret: obseruandum ergo, pœnitentiam duplicem esse, aliam publicam, aliam priuatam. Publica iterùm diuiditur in publicam solemnem, & non solemnem; priuata item subdiuiditur, vt alia sit sacramentum, alia virtus tantùm. Docuerunt Cellotius *lib. 3. de hierarch. c. 18.* Roussel. *lib. 1. histor. Pontific. iurisdict. c. 6. nu. 15.* ad quas species reducendæ sunt aliæ traditæ per Turrecremata *in c. si quis post remissionem, 50. dist.* Suarium *in tr. de pœnitentia, in princip. & de censur. disp. 42. sect. 2. num. 3.* Martinon *de pœnit. in princip.* Pœnitentia publica tantùm erat, quæ publicè fiebat, simplicibusque constabat cæremonijs, veluti peregrinatione cum baculo, & pera benedictis, aut cilicij aperta delatione, seu veste mutata, *c. quamuis, 50. dist. c. sacerdos 2. de pœnitent. dist. 6.* ibi: *Omnibus diebus vitæ suæ peregrinando pergat.* Et *l. 20. tit. 3. p. 1. Publica es llamada otra manera de penitencia, que se face conseramente. Esta es quando mandan à alguno, que vaya en romeria ò traiga con sigo palo, codal, ò escapulario, ò otra vestidura, como de orden, ò que traya fierro ceñido en el braço, ò en el cuello, ò que ande desnudo, ò en paños menores.* Publica hæc pœnitentia imponebatur pro peccatis publicis, etsi ea non exitiosa essent, iuxta præsentem textum, & alios suprà adductos: de qua pęnitentia agit Cabassutius *in not. Concil. fol. 91. ad Concil. Nicæn.* Publica verò, & solemnis pęnitentia seuerior erat, ideòque tantùm imponebatur pro criminibus exitiosis, & quæ vniuersum populum in scandalum adduxissent, veluti pro homicidio, pro apostasia, & similibus, *c. placuit 68. vers. Cùm verò, c. fin. 50. dist. c. admonere 8. c. latorem 15. 33. q. 2. c. falsa 6. de pœnit. dist. 5.* nec enim sufficiens erat horum criminum reis priuata pęnitentia, sed opus erat huiusmodi delicta iudicio Ecclesiæ publicè subijcere, vt notauit Simancas *de catholicis, tit. 46. n. 1.* & per hanc pęnitentiam solemnem reum humiliari; quamobrem humillima pęnitentia vocatur hæc à D. Augustino relato *in cap. quamuis, 62. 50. dist. c. quamuis 22. c. in tantum 33. de pœnit. dist. 3.* Seueritas huius pęnitentiæ, & amaritudo consistebat in exercitijs acrioris pęnitentiæ, & transcursu graduum, quorum amarissimos gressus referunt Patres Concilij Agathen. *in c. in cap. 50. dist.* Alfonsus noster *in l. 18. tit 3. p. 1* non enim solùm vestem propriam, & arma deponebant, ciliciumque induebant, capite attonso, *c. pœnitentes 63.* ibi: *Si autem comas non amputauerint, aut vestimenta non mutauerint, abijciantur. 50. dist.* Concilium Toletanum *6. can. 7.* verùm in diuersis locis, modò extra Ecclesiam, modò prope Ecclesiam, inter audientes, hiemantes, catechumenos consistebant; quorum graduum tempus, exercitia, & ritus huius pęnitentiæ, pro expositione textus *in d. c. in c. 50 dist.* retulerunt Filesacus *in opusc. de Quadragesima, c. 12.* Lantdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, c. 93.* Basilius *in opusc. de imped. matrim. c. 65.* Loaysas *in can. 6. Concil. Tolet. 6.* Souchetus *in not. ad Carnot. epist. 228.* Acuña *in d. c. in c.* Bellarm. *lib. 1. de pœnit. c. 22* Ioannes Basseus *de statib. hominum, 2. p. tit. de pœnit statu.* Albaspineus *lib. 2. obs. c. 1. cum sequent.* Dionysius Petauius *in notis ad Synesium, in diatrib. de pœnitent.* Georgius Ambian. *ad Tertul. in tr. de pudicitia*, Coriolanus *in notis ad Concilium Auxitanum, in addit. ad summam, fol. 94.* Hugo Menardus *in notis ad librum sacram. D. Gregorij, fol. 223. & 231.* Gibalinus *de clausura regul. disquis. 2. c. 3. per tot.* Cironius *in parat. ad hunc tit. & lib. 1. obs. c. 16.* Menardus *ad concord. regul. c 33. §. 1.* Dartis *in tr. de pęnit. & ad 26. q. 6.* D. Ioann. de Otalora *de pœnit. & nos in c. 1. de bigam.* Christ. Lupus *in can. 11. Concil. Nicæni.* Pęnitentia vt virtus, est actus plangendi præterita mala, cum proposito iterùm non committendi, de qua *in c. ecce 39. de pœnit. dist. 1.* & *in cap. 1. c pœnitentiam 6. de pęnit. dist. 3.* D. Thomas *3. p. q. 8 ; art. 10. ad 4.* Pęnitentia vt sacramentum, est, cùm signis externis ritè rectèque peccata sacerdoti confitentur, accedente eius absolutione, de qua agunt omnes Moralistæ scribentes de hoc sacramento, Gazeus *ad Cassianum collat. 20. c. 5.* Petrus Gregor. *in c. conquerente, c. 12. n. 2.* Filesacus *in opusculo de confessione auriculari*, & nos infrà *in c. quod quidam, & in cap. omnis.*

Deinde sciendum est, inter pęnitentiam solemnem, publicam, & priuatam nonnullas versari differentias. Prima, quòd solemnis tantùm ob grauiora peccata, quæ vniuersum populum turbarent, imponebatur, *c. placuit, 68. 50. dist.* publica iniūgebatur pro peccatis grauioribus publicè admissis, ex quibus non ita graue scandalum ortum fuerat, *c. de pęnitentibus 17. de pęnit. dist. 7.* priuata verò tantùm pro peccatis clam admissis; quia qui occultè labitur, secreta debet correctione purgari, *c. quem pęnitet 88. de pęnitent. dist. 1.* ibi: *Et si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis.* Et *cap. si peccauerit 19. 2. qu. 1.* ibi: *Quia enim secretum fuit, quando in te peccauit, secretum quære cùm corrigis quod in te peccauit; nam si solùm nosti quia peccauit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor, sed proditor.* Et *c. si quis 31. 23. q. 4. c. fin. 15. q. 5.* etsi peccatum graue sit, *c. quæsitum 7.* ibi: *Non tamen publica (nisi in publicum id veniat) pęnitentia debet imponi.* Faciunt textus *in cap. Christiana 23. 32. q. 5.* ibi: *Et non habent peccata latentia vindictam.* Et B. Benedictus *cap. 46. suæ regulæ*, vbi iubet apud patrem tantùm spiritualem occultum peccatum propalare, illis verbis: *Si animæ verò peccati causa latens fuerit, tantùm Abbati, aut spiritualibus senioribus patefaciant, qui sciant curare & sua, & aliena vulnera, & non detegere, aut publicare.* Alia differentia in eo consistit, quod pęnitentiam solemnem tantùm Episcopus iniungere poterat, vt probatur *in c. accedentibus, de priuil.* publicam verò etiam simplex sacerdos imponere poterat, 5 De differentijs inter pœnitentiam solemnem, & alias.

terat, *c.ministerium 2.de offic. Archipresb. l.20.tit.3.p.1.E esta penitencia puede da qualquier clerigo Missa cantano*. Alia differentia etiam versatur in eo, quod pœnitentia solemnis semel tantùm in vita peragi poterat, *c.si quis post remissionem 61.50. dist.c.quamuis 22.c.in tantùm 33. de pęnit. dist. 3.* de qua pœnitentia exaudiendi sunt Cyrillus Alexandrinus *lib.15.in Leuitic.*ibi: *In grauioribus criminibus semel pęnitentiæ conceditur locus.* D.Ambrosius relatus *in c.reperiuntur 2.de pęnit.dist.3.*ibi: *Quia sicut vnum baptisma, ita & vnica pęnitentia.* Ad publicam verò sæpiùs quis admittebatur,& etiam ad priuatam. Cuius differentiæ rationem assignat Sotus *in 4.dist.19.q.2.art.5.ad 3.*Etiam alia differentia dabatur in eo,quòd sacerdotibus solemnis pęnitentia iniungi non poterat, publica verò imponi valebat, vt probaui *in c.1. de bigamis non ordin.* Tandem & illud discrimen inter solemnem, & publicam pęnitentiam agnoscitur, quòd publica omnibus laicis indistinctè imponi poterat; solemnis verò coniugatis, nisi ex consensu coniugis,imponi non valebat, *cap.fin.33. quæst.4.* Concil. Aurelian.3. *can.19.* latè illustraui in canonibus Concilij Illiber.

6 *Traditur ratio decidendi.* His suppositis apparet ratio præsentis textus; ideò enim peccata publica publica debent pœnitentia reparari,vt eo exemplo deterreantur, qui publicè peccare non erubescunt:quare D.Augustinus *in enchirid.ad Laurentium, c.8.* de his peccatis publicis agens,ait:*Vsque adeò,vt non solùm occultanda, verùm etiam prædicanda, ac diffamanda peccata videantur.*Qui est præcipuus finis pęnarum,videlicet vt ipsi rei emendentur,& alij exemplo terreantur, *l.si quis fortè 6.§ si quis,l.si pęna 20.l.capitalium 28.§. penult. ff.de pęnis,l.sanctio 41.ff.eod.c.frater,in fine,17.q.4.c.prodest 23. q.5.*Faciunt Diuus Augustinus *homil. vlt. c.2. Vt si peccatum eius non solùm in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo est aliorum, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti,in notitia multorum,vel etiam totius plebis agere pęnitentiam non recuset.* D.Chrysostomus *eclog. de peccato, & confes.* Illustrat Ritherurſius *ad Saluianum fol. 52.* Rectè ergo in præsenti statuitur, manifesta peccata publica esse correctione emendanda,vt ita populus,qui ob peccatum scandalum patiebatur, videat illud impunitum non manere; & in eo, in quo scandalum passus fuit,exemplum pęnitentiæ agnoscat.

7 *Dissoluitur dubitandi ratio.* Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta; nam licèt atrocitas, seu grauitas delicti attendatur quoad penam iniungendam; tamen quoad modum pęnitentiæ publicæ, seu priuatæ tantùm inspicitur scandalum, seu notorietas peccati. Vnde primis Ecclesiæ sæculis non tantùm grauiora peccata perpetrantes, verùm & minora, si publica erant, pęnitentiam publicam peragebant. D.Cyprianus *epist.47.*ibi:*In minoribus delictis,quæ non in Deum committuntur, pęnitentia agitur iusto tempore, & exomologesis fit inspecta vita eius qui agit pęnitentiam, cùm nec ad communionem venire quis possit,nisi priùs illi ab Episcopo,& Clero manus fuerit imposita.* Quem locum latè expendit Pamelius *ad Tertullianum lib.de pęnit.cap.9.n.53.* Nec obstat quod de peccatis venialibus dicebamus; nam ea semper Ecclesia, vt leuia facilè excutiebat, & ita ob ea pęnitentiam publicam nunquam indicebat, vt probat Bagotius *vbi suprà.*

8 *Exponitur Concilium Neocæsar. can 4.* Ex suprà traditis nonnulli exponunt textum *in can. 4. Concil.Neocæsar.* in illis verbis: *Si quis mulierem concupiscens proposuerit cum ea dormire, & desiderium eius non peruenerit ad effectum, manifestum est, quod per gratiam fuerit liberatus.* Qui textus valdè difficilis est;nam si mens polluta fuit, quomodo gratia Dei liberatus dicitur? Cui difficultati solutionem affert Gibalinus *de clausura regul.disquis.2.c.4.§.5.n.21.* ex suprà traditis, videlicet quod licèt in hoc casu mortalis culpa adfuerit, tamen quia ea fuit interna, & non publica, pęnitentia publica non imponitur,immò & diuersa pęna per sacros canones indicitur illi,qui peccatum mente concepit;ac illi, qui opere sequuto consummauit. D.Basilius *ad Amphiloch. can.70.* ibi:*Diaconus,qui pollutus in labris, & se eò vsque peccasse confessus est,à ministerio prohibebitur: vt autem sit sacramentorum cum diaconis particeps,dignus habebitur. Si quis autem ampliùs peccasse deprehensus fuerit, in quocunque sit gradu,deponetur.* In cuius scholijs Balsamon explicat, quid sit Diaconum in labris pollui. Itaque iuxta Gibalinum vbi suprà, textus ille accipiendus est de pęna mitiori imponenda illi, qui opere sequuto peccatum non consummauit.Obseruanda tamen sunt verba illa, *gratia Dei liberatus*,quæ innuunt peccatorem illum potiùs beneficio Dei, quàm animi destinatione fuisse à peccato seruatum: quod & profani scriptores de fato, & vi Numinum vsurparunt.Sic Plato *lib.9.de legibus*,quo loco pęnam eius,qui cùm hominem vellet occidere, vulnerauit tantùm, mitigandam hac ratione censet, quòd dæmonis beneficio potiùs habenda sit gratia, qui & illum mortis periculo, & hunc imminentis supplicij grauitate liberarit. Sic Consultus *in l.nihil 32.ff.ad leg.Iul.de adult.* ait: *Licèt interempto adultero mulier superuixerit post tam grauia vulnera, quæ ei pater inflixerat,magis fato quàm voluntate eius seruata est.*Facit Quintilian.*declamat.281.*vbi agens de filio, qui occurrens in solitudine patri, stricto gladio coegit, cum abdicationem remittere: *Si dicerem, ait, obstitit tibi vis Numinum,& tacita quædam illius solicitudinis religio.* Obseruarunt Fornerius *lib.6.rer.quotid.cap.9.* Iustel. *in d. cap 4.Concil.Neocæsar.*

CAPVT II.

Ex Concilio a *Maguntiensi.*

QVi presbyterum occidit, xij. annorum pœnitentia secundùm canones imponatur: aut si negauerit, si liber est, cùm lxxij. iuret; si autem seruus, super *b* duodecim vomeres feruentes se expurget: conuictus noxa vsque ad vltimum tempus vitæ militiæ *c* cingulo careat, & absque spe coniugij maneat.

NOTÆ.

1 a MAguntiensi.]Ita etiam legitur in prima collectione, *sub tit.de purgatione vulgari, c.2.* & ex Synodo Moguntina sub Rabano Archiepiscopo, *can.24.* citatur textus hic à Burchardo *lib.6. Decreti, c.7.* Carnotensi *p.10.c.136.*& sub nomine Paleæ refertur textus hic à Gratiano *in cap.qui presbyterum 24.17.qu.4.*referturque in Pęnitentiali Romano, *cap.1.*

2 b *Duodecim vomeres.*] Hæc verba omisit Raymundus, quia iudicium hoc purgationis vulgaris iam prohibitum erat varijs Ecclesiæ canonibus, vt probaui *in cap. fin. de purgat.vulgari*

3 c *Militiæ cingulo.*]Idest vt arma non deferant dum pęnitentiam solemnem faciunt, vt etiam cauetur in Concilio Vuormatiensi, *can.20.* ibi:*Si sacerdotem voluntariè occidisti, carnem non manduces,vinum non bibas, cunctis diebus vitæ tuæ ieiunes quotidie vsque ad vesperam, exceptis diebus festis,& Dominicis; arma non feras, equum non ascendas,Ecclesiam per quinquennium non ingrediaris.* Carnotensis *epist.160.Militi, qui monacho virilia ademerat, arma detracta, & annorum XIV.pęnitentia indicta.* Idem cauetur *lib.3.Capitul.cap.22.& lib.6.c.90.& 97.* & ita quia consistentibus in pęnitentia solemni prohibitum erat arma deferre, atque vxorem ducere, ideò in præsenti occidenti presbyterum iuberi cingulum militiæ deponere, & à coniugio se abstinere, docuerunt communiter repetentes hìc, & Sanchez *de matrim.lib.7.disp.6.* Gibalinus *de censur.in synopsi,verbo Homicidium*, Carleual. *de iudicijs tom.1.tit.1.disp.2.sect.4.qu.6.*Sed veriùs credo, maiorem pęnam contineri in illis verbis, *vsque ad vltimum vitæ tempus militiæ cingulo careat;*cùm non tantùm prohibeatur militiæ cingulum occidenti presbyterum per duodecim annos,per quos pęnitentiam peragere debebat, sed in perpetuum. Existimo ergo per illa verba, *militiæ cingulo*, non armorum delationem prohiberi, sed potiùs munera

Reipu-

Reipublicæ, seu sæcularia obire: militare enim sæpè pro negotio, curationeque Reipublicæ vsurpatur, & militiæ cingulum deponere, seu suscipere in sacris canonibus significat munera, officiaque Reipublicæ, seu sæcularia deserere, seu exercere. Concilium Nicænum *can.* 12. ibi: *Quicunque vocati per gratiam primùm quidem ardorem, fidemue suum ostenderunt, & cingulum militiæ deposuerunt, postea verò vt canes ad suum vomitum reuersi sunt, ita vt aliqui & pecuniam darent, & beneficijs militiam repeterent.* Concil. Matiscon. & Syricius *in epist. ad Tarraconenses Episcopos, cau.* 5. ibi: *Aut negotijs Reipublicæ optauerunt militare.* Illustrat Albaspineus *in notis ad d. can.* 12. *Synodi Nicæn.* Itaque in præsenti canone Patres presbyterum occidenti prohibent in perpetuum militiæ cingulo nomen dare: item prohibetur illi coniugem recipere; sed hoc impedimentum matrimonij iam consuetudine abrogatum est, vt docuerunt Sanch *l.* 7. *de matrim. disp.* 17 *n.* 8. Koninch. *de Sacrament. disp.* 30. *n.* 25. Laym. *de imped. matr. c.* 15.

C A P V T III.

Alexand. III. a *Mediolan. Archiepiscopo.*

SIgnificauit nobis vir P. quòd F. dicto Imperatori, cùm olim rediret ab vrbe, castrum Verrucæ negauit, &c. Vnde contigit, quòd quatuor castris destructis plusquàm duo millia domorum destructa fuerint, & multi homines interfecti: alia etiam mala ibidem commissa dicuntur, quæ per singula esset longum enarrare. Quoniam igitur præfatus P. Deo exinde reconciliari desiderat, & pœnitentiam dignam suscipere, f. v. per A. s. m. quat. eidem super hoc consilium detis, & ipsi pœnitentiam, secundùm quòd visum fuerit, misericorditer imponatis, attendentes quod pro libertate sua, & pro Ecclesiæ deuotione fecit: quia in his talem debetis discretionem adhibere, vt alij, & ipse idem pro austeritate pœnitentiæ à seruitio Ecclesiæ nullatenus retardentur, nec aliquod salutis periculum meritò debeat formidare.

N O T Æ.

1 a MEdiolanensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. sed additur in hac sexta collectione, *& suffraganeis*, sed absque exemplari. De Mediolanensi Ecclesia nonnulla notaui *in c.* 27. *de rescriptis.* Casus huius textus ita contigit. Fridericus I. ex gente Sueua, sub Hadriano IV. inauguratus, dum Roma in Galliam Cisalpinam proficiscitur, in itinere vidit castrum Vernicæ, vel vt alij malunt, Verrucæ, quod paret Episcopo Vercellensi; & cùm Imperator sibi castrum illud postulasset, Petrus nobilis eius custos, ac gubernator illud negauit: quare Imperator ob indignationem quatuor castra cum duobus millibus domorum multis occisis deleuit: cui cladi causam se dedisse credens prædictus Nobilis, facti veniam petijt ab Alexandro III. qui iubet Archiepiscopo Mediolanensi, quatenus illi pęnitentiam cum misericordia imponat; quia cùm in defensionem Ecclesię, & pro deuotione Ecclesiæ Romanæ id fecisset, magna miseratione dignus erat: quam historiam refert Paneir. *l.* 2. *var. c.* 293.

C A P V T IV.

Idem *a Cant. Archiepiscopo.*

QVod autem consuluisti, vtrùm remissiones, quæ fiunt in dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, alijs prosint quàm ijs, qui remittentibus subsunt: hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cùm à non suo iudice ligari nullus valeat, vel absolui, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus vt prodessent, proprij iudices specialiter indulserunt: & in hoc eam intelligas quæstionem solutam, in qua quæritur, vtrùm is, qui excommunicato communicat, à suo Episcopo, vel excommunicati absolutionis gratiam debeat implorare.

N O T Æ.

1 a CAntuariensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 3. vbi additur *pars capitis In eminenti;* vnde cognoscitur, in præsenti referri partem textus *in c. nos in eminenti* 36 *de appellat.* in eadem prima collectione. De Cantuariensi Metropoli nonnulla adduxi *in c.* 2. *de rescriptis.* Textum hunc exponemus infrà *in c. penult.*

C A P V T V.

Alexand. III. *a Beluacensi Episcopo.*

QVod quidam, sicut asseris, ad confessionem de criminibus conueniunt, & quamuis confiteri velint, se tamen asserunt non posse abstinere: consultationi tuæ taliter respondemus, quod eorum confessionem accipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere. Et licèt non sit vera pœnitentia, admittenda tamen est eorum confessio, & crebris, & salutaribus monitis pœnitentia est indicenda.

N O T Æ.

1 a BEluacensi.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. De Ecclesia Beluacensi nonnulla adduxi *in cap.* 13 *de foro competenti.*

C O M M E N T A R I V M.

2 DIfficilis admodum est præsens Alexandri decisio, dum in ea docetur, admittendam esse pęnitentiam eius, qui asserit, se à peccato, quod confitetur, abstinere non posse, etiamsi vera talis pęnitentia non sit, cùm certum omninò sit, ad pęnitentiam vt sacramentum desiderari dolorem de peccatis admissis, & propositum amplius non peccandi. Vnde *in c. ille* 9. *de pęnit. dist.* 3. iuxta veram eius litteram, quam restituit Loaysa *in notis ad D. Isidorum lib.* 2. *sent. tit.* 13. ita legitur: *Ille pęnitentiam dignè agit, qui sic præterita mala deplorat, vt futura iterùm non committat; nam qui plangit peccatum, & iterùm committit peccatum, est quasi si quis lauet laterem crudum, quem quantò magis abluerit, tantò ampliùs lutum faciet.* Vnde perdifficile est, quomodo admittenda sit pęnitentia illius, qui fatetur abstinere se ab eo peccato, quod confitetur, non posse. Pro huius textus expositione varia adduxerunt Theologi Moralistæ. Gabriel *in* 4. *dist.* 17. *q.* 1. *art.* 3. Paludanus *ibid qu* 7. Syluester *verbo Confessor* 4. *q.* 2 *ad finem*, Victoria *de confessione, n.* 163. Cano *in relectione de pęnitentia, part.* 5. *in fine,*

Digitized by Google

ne, Medina *de confessione sine pœnitentia cordis facta*, Fragoso 1.*part. de regim. lib.*2 *disp.*4. asserunt admitti similem pœnitentiam, seu confessionem, quia licèt fructuosa non sit quoad gratiam, tamen sufficiens est, vt talis pœnitens adimpleat præceptum Ecclesiæ annuæ confessionis, & vt excusetur à pœnis impositis *in c. omnis*, *hoc tit.* Verùm hæc interpretatio sustineri nequit, cùm præsens textus sit Alexandri III. & textus *in d. c. omissis*, Concilij Lateran. celebrati sub Innocentio III. quare affirmari non potest, Alexandrum in præsenti præsensisse de obligatione annali confitendi peccata. Ioannes Sanchez *in select. disp.*10. *nu* 6. asserit, pœnitentem absoluendum esse, dum proponat se ampliùs non peccaturum, etiamsi deserere non possit occasionem peccandi: quem transcripsit Barbosa *in præsenti*. Sed his omnibus omissis, dicendum est cum Iulio Lauoro *de Iubileo* 2.*p. c.*14.*n.*76. Viualdo *in Candelabro, lib.*6. *de attritione, n.*5 in præsenti textu agi de illis, qui cùm accedunt ad pœnitentiam, asserunt ob suam fragilitatem credere se abstinere non posse à peccato; sperare tamen se à Deo impetraturos auxilium, vt liberari valeant; qui licèt non habeant perfectum dolorem cum proposito ampliùs non peccandi ex se, & ideò vera pœnitentia non videatur; tamen quia ex Dei misericordia confidunt se ampliùs in peccatum non fore lapsuros, ideò pœnitentia illis iniungenda est; non enim desideratur in pœnitente, vt existimet se ampliùs non peccaturum, sed sufficit propositum non peccandi: nam hoc voluntatis est, illud intellectus. Nisi dicamus, in præsenti agi non de pœnitentia sacramentali, sed de salubri, indicta ad promerendam Dei gratiam: vt ita qui peccata confitetur, possit se ab occasione peccandi abstinere: vnde ait Alexander in præsenti, salubribus consilijs, & monitis esse similes pœnitentes adiuuandos.

CAPVT VI.

Idem a *Triburiensi Archiepiscopo*.

Licèt tam veteris, quàm noui Testamenti pagina. *Et infrà:* Si autem illi, qui aliquos dies in pane, & aqua ex iniuncta sibi pœnitentia tenentur peragere, panem quo vescantur, non habent, leguminibus, aut piscibus, aut alijs *b* cibarijs reficiantur, si necessitas id exposcat. Discretione tamen adhibita, quod his non ad delicias, sed ad sustentationem vtantur.

NOTÆ.

1 a *Triburiensi.*] Ita etiam legitur in secunda collectione *sub tit. de ferijs, c. licèt*, sed veram inscriptionem dedi in eodem textu in hac sexta collectione.

2 b *Cibarijs.*] Huius textus mentio fit in canonibus pœnitentialibus, *can antepenult.* ibi: *Insuper notandum est, quòd si pœnitentia in pane, & aqua imponatur non habenti panem, potest loco panis leguminibus, & pisciculis vesci, & etiam alijs, si necessitas illud requirat. Extra de pœn. & remiss.* Est autem textus hic intelligendus de cibis ieiunantibus non vetitis; sciendum enim est, pro tempore ipsius ieiunij, hoc est abstinentiæ, nullum cibum sumere licere: immò primis florentis Ecclesiæ temporibus ieiunantes non solùm à cibo, & potu abstinuisse, verùm & virginem saliuam seruasse refert Tertul. *de ieiunio c.*6. ibi: *Ipsa natura euunciauit, quales nos antè pabulum, & potum in virgine adhuc saliua exhibere consueuit.* De potu celebris est locus Prudentij *in actis S. Fructuosi Martyris*: cùm enim ei poculum fratres offerrent, quo martyr recrearetur, immò & muniretur, recusauit dicens:

Ieiunamus, inquit, recuso potum:
Nondum nona diem resoluit hora.

Et cùm soluebatur ieiunium hora nona, pane, aut oleribus ieiunantes vtebantur. D. Clemens *lib.* 5. *constit. Apostolic. cap.*17. ibi: *Ita ieiunandum, vt solùm pane vtamini, & oleribus; vini autem potu, & carnibus abstinete.* Quod de ægrotantibus refert D. Hieronymus *ad Eustochium*, ibi: *De cibis, & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur.* Illustrarũt Ambian. *ad Tertul. de ieiunijs, c.*10. *obseru.*4. Filesacus *in opusculo de Quadragesima, c.*18. Illud autem hodie apud omnes obseruatur, vt ieiunantes vesci non possint carnibus, & omnibus ijs, quæ ab ea originem trahunt, *c. de esu carnis, de consecr. dist.*3. *c. denique* 4. *dist. can.*56. *Synodi* 6. ibi: *Similiter accepimus, & in Armeniorum regione, & in alijs locis, in Sabbatis, & Dominicis sanctæ Quadragesimæ quosdam oua, & caseum comedere. Visum est ergo, vt omnis Dei Ecclesia, quæ est in vniuerso terrarum orbe, vnicum ordinem sequens, ieiunium perficiat, & abstineat, sicut omni mactabili, sic ab ouis, & caseo, quæ sunt fructus, & fœtus eorum, à quibus abstinemus: si autem hoc non seruauerint, si sunt quidem clerici, deponantur; si autem laici, segregentur.* Tolet. 8. *can* 9. Gerundense *can.*3. Mediolan sub Carolo, *tit. de ieiun.* Trident. *sess.*25. *c.*21. Illustrant Bellarminus *de ieiun. c.*4. Lessius *de iust. lib.*4. *c.*2. *dub.*5. Viring. *de ieiun. lib.*3. *cap.*5. Fagundez *in* 4. *præcept. Eccl. lib.*1. *cap.*2. Trullench *in bullas, lib.*1. *§.*4. Ecclesia enim cibis ita delicatis, & lautis abstinere iussit, vt carnis lasciuia frenaretur. Concil. Senon. sub Clement. VII. *art.*7. non quia similes cibos condemnet, vt Saturninus, & alij Hæretici voluerunt, quos sequuti fuerunt Manichæi, Priscillianistæ, Marcionistæ, & alij condemnati *in can.*50. *Apost.* Concil. Ancyr. *can.*13. Bracharensi 1. *can.*13. & 32. Gangrensi *can.*2. Tolet. 1. *in assert. fidei*: notarunt Turrianus *pro epist. Pontificum c.*6. Baronius *anno* 57. *n.*188 Seuerinus Binius *in Concil. Gangr.* Sauarus *ad Sidonium lib.*4. *epist.*9.

3 Hinc exponendus venit textus *in can.*50. *Synodi Laodic.* relatus *in cap. non oportet* 8. *de consecr. dist.*3. in illis verbis: *Non oportet in Quadragesima quinta feria vltimæ hebdomadæ ieiunium dissolui, & totam Quadragesimam inhonorare; sed per totos hos dies ieiunare, & escis abstinentiæ conuenientibus, idest aridioribus vti.* Vel vt in Concilijs legitur: *Oportet totam Quadragesimam ieiunare xerophagia vtentes.* Supponendum enim est, Græcos tantùm sicco cibo, idest pane, & leguminibus siccis, seu coctis pomis, aut oleribus crudis, ieiunantes vti, vt probat Balsamon *in can.* 69. *Apost.* & *in can.*14. *Concil. Ancyr.* quod genus cibi Xerophagias appellabant. Cassianus *lib.*4. *collat.*22. idest faciles cibos, vt explicat Filesac. *de Quadragesi. c.*8. Immò & in Ecclesia Latina ieiunantes etiam sicco cibo vsos fuisse, refert Tertul. *de ieiunijs c.*9. ibi: *Inspiciamus autem xerophagiarum nouitatem, aut vanitatem.* Et *c.*1. ibi: *Ieiunantes cibum ab omni carne, & omni iniulentia, & viuidioribus quibuscunque pomis, ne quid vinositatis vel edamus, vel potemus.* Constat ex varijs auctoritatibus congestis à Burchardo *lib.*17. 19. & 20. *Decreti*, Carnotensi *par.*15. *c.*198. Vnde rectè Patres in dicto canone 50. iuxta morem regionis Orientalis, & sanctitatem illorum temporum statuerunt, ieiunantes xerophagijs, idest cibis aridioribus vti posse.

Exponitur caput non oportet, de consecrat. dist. 3.

CAPVT VII.

a Clemens III.

Qvæsitum est à nobis, vtrùm sacerdotibus Græcis, quibus legitimo *b* matrimonio licet vti, *c* pœnitentia publica sit imponenda, si eam sibi postulent pro filijs *d* oppressis

pressis iniungi. Huic igitur consultationi taliter respondemus, quòd si ipsis procurantibus, vel studiosè negligentibus, filij in lectis reperiuntur oppressi, ab officio altaris debeant perpetuò abstinere; & grauior, quàm laicis, non tamen publica, nisi id in publicum venerit, pœnitentia debet imponi, qui tamen non solùm à sacrorum ordinum executiòne cessabunt, verùm etiam si sint infrà ipsos, ad eos minimè assumantur. Verùm etiam si ex incuria ipsorum mortui inueniantur in cunis, & illud fuerit occultum, pœnitentia eis pro arbitrio Pœnitentiarij imponatur, & in terrorem aliorum ad tempus abstineant à celebratione Missarum.

NOTÆ.

1 a *Clemens III.*] Ita legitur in hac sexta collectione: in secunda autem legitur, *Alexander III.* Sed verius credo textum esse Clementis III. etsi nullibì exprimatur, cui rescribat ipse Pontifex.

b *Matrimonio.*] Iuxta tradita *in cap. cùm olim, de clericis coniug.*

2 c *Pœnitentia publica.*] Licèt enim clericis non possit solemnis pœnitentia iniungi, vt probaui *in cap. 1. de bigam. non ordin.* tamen pęnitentia publica illis iniungi valet, dummodo priùs deponantur, vt ita ad statum laicalem redacti, vel in monasterium detrudi, vel pęnitentiæ mancipari possint. Concil. Tolet. 4. *can. 46.* ibi: *Si quis clericus in demoliendis sepulchris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio legibus publicis vindicatur, oportet canonibus in tali scelere proditum clericatus ordine submoueri, & pęnitentiæ triennio deputari.* Quem illustrat Suarez à Mendoza *lib. 2. ad leg. Aquil. cap. 2. sect. 6. num. 22.* & *lib. 5. capitular. Caroli, cap. 2.* ibi: *Falsos verò presbyteros, vel adulteros, vel fornicatores, diaconos, & clericos de pecunijs Ecclesiarum abstulimus, & degradauimus, & ad pęnitentiam coegimus.* Probant, & illustrant Hostiensis *in summa huius tituli, num. 55.* Lancdmeter. *lib. 2. de veteri clerico, cap. 93.* Maiolus *lib. 3. de irregul. cap. 2. num 6.* Cironius *ad hunc tit.* Mendoza *lib. 3. Concil. Illiber. cap. 76.* Nec contrarium probatur *in cap. fin. 30. dist. cap. fin. 80. dist. cap. alienum, 50. dist. cap. si quis sacerdos, 30. quæst. 1. cap. sacerdos 2. de pęnit. dist. 6.* vbi docetur, sacerdotes non debere publiċè pęnitere, sicut laici; nam publica pęnitentia, de qua in illis iuribus agitur, accipitur pro solemni, non verò pro publica, vt post alios docuit D. Ioannes Otalora *de irregul. ex pęnit. publica, excursu 4. num. 8.*

d *Oppressis.*] Quo casu parentibus pęnitentia imponitur in Conc. Tolet 3. *can. 17.* Vuormac. *can. 35.* Illerd. *can. 2* & Tribur. cuius verba retuli *in c. 3. de his qui fil. occid.* 3

CAPVT VIII.

Idem a *Liuon. Episcopo, & eis, qui cum ipso sunt, fratribus.*

DEus, qui Ecclesiam suam. *Et infrà*: Cæterùm cùm pœnitentia non tam secundùm quantitatem excessus, quàm pœnitentis contritionem, & discreti sacerdotis sit arbitrium moderanda, pensata qualitate personæ super fornicatione, adulterio, homicidio, & alijs criminibus, consideratis *b* circumstantijs omnibus, & præsertim nouitate Liuonien. Ecclesiæ, competentem pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout saluti eorum videritis expedire. Apostoli autem vestigijs inhærentes, dicentis, vt prædiximus: Lac dedi vobis potum, non escam; paulatim eos instruatis in fide, confessionis formam, *c* Orationem Dominicam, & Symbolum ipsos solicitè edocentes. Interim tamen corporis, & sanguinis Domini sacramentum *d* renatis fonte baptismatis, consuetis *e* festiuitatibus, & in mortis articulo tribuatis.

NOTÆ.

1 a *Liuoniensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 1.* & *in cap. Deus, de vita & honestate cleric.* vbi extat prior pars huius textus, vt iam notaui.

2 b *Circumstantijs.*] Consonant textus *in cap. consideret, de pœnit. dist. 5. cap. omnis, hoc tit.* Concil. Trullan. *can. 102.* Trident. *sess. 14. cap. 5.* Vuormac. *sub Hadriano II. can. 25.* Et licèt circumstantias aliter accipiant Rhetores, eas enumerantes quasi sedes, & causas, quibus argumenta depromant, aliter tamen eas accipiunt Consulti, qui eas considerant ad dignoscendum ex illis malitiam, aut bonitatem humanorum actuum, *l. aut facta 16.* & *per tot. ff. de pœnis*, extat *in cap. aut facta 19. de pœnit. dist. 1.* notant Decianus *lib. 9. tract. crimin. cap. 34. num. 4.* & Theologi cum D. Thoma *in 4. dist. 16.* & *in 1. 2. qu. 7.* Vbi Vasquez *1. tom. disput. 3. cap. 1. n. 3.* docet ex circumstantijs humanorum actuum malitiam, aut bonitatem augeri, vel diminui: nam circumstantia est actus humanus, qui illum circumstat, quasi extrinsecus contingens extra substantiam actus. Sayrus *in claui Regia, lib. 2. cap. 3. num. 1.* ac per consequens peccati circumstantia erit quoddam accidens ipsius peccati, non autem substantiæ illius simpliciter consideratæ. Et quamuis aliquando euenire possit, vt circunstantia in casu augeat malitiam actionis, vt hæc non esset mala, nisi propter circumstantiam, qualis est duplicatus esus, sed alioquin moderatus, in die ieiunij, vel acceptus ad fortius hominem occidendum, Fagundez *ad 2. Eccles. præcept. libr. 1. cap. 1. num. 1.* aliquando tamen etiam efficere potest circumstantia, vt mutetur species peccati. Trident. *sess. 14. cap. 5.* quo casu non mutatur essentialiter species peccati; non enim circumstantia mutat physicam substantiam actus in genere naturæ, sed accidentaliter in genere moris. Vasquez *vbi suprà, num. 2.* Layman *tom. 1. tract. 2. cap. 8. num. 2.* Arauio *in 1. 2. quæst. 18. art. 3.* quæ humanorum actuum circumstantiæ, ex quibus augeri, minuiue potest peccatum, vel illi noua species addi, proueniunt, & considerari solent, aut respectu ipsius actionis, aut respectu agentis principalis, aut ratione loci, aut ratione instrumenti, hoc est, quibus auxilijs quis fecerit; aut ratione causæ finalis, idest cur fecerit; aut denique ratione temporis, vt satis colligitur *ex cap. occidit, 23. quæst. 8.* quas omnes comprehendunt Theologi Moralistæ sequenti versu:

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

Quas dictiones sigillatim explicant Theologi *in 4. dist. 16. & 17.* & Moralistæ de pœnitentia scribentes.

c *Orationem Dominicam.*] Vnde olim catechumenis feria 2. hebdomadæ sanctæ oratio Dominica illis exponebatur, vt ipsi eam discerent, & recitarent in Sabbato Paschæ. Fortunatus *lib. 1. de eccles. offic. cap. 8* ibi: *Eadem die percipiunt Orationem Dominicam, & Symbolum ad reddendum in Sabbato sancto Paschæ.* D. Augustinus *homil. 42.* ibi: *Ad octo autem dies ab hodierno die reddituri estis hanc orationem, quam hodie accepistis.* Albin. Flaccus *lib. 1. de diuin. officijs, cap. de Sabbato sancto Paschæ*, adijciens hoc à sancto Gregorio institutum fuisse, ait: *Post hæc ponit manus super capita eorum, & dicit orationem ad catechumenum faciendum: hic iuxta sanctum Gregorium reddunt Symbolum, aut Orationem Dominicam, aut patroni pro ipsis.* Illustrat Vicecomes *lib. 3. de ritibus Baptismi, cap. 16.* 3

d *Renatus.*] Olim etiam baptizati, tam adulti, quàm infan- 4

infantes, statim post baptismum Eucharistiam accipiebant. D. Clemens *lib. 1. constit. Apost. epist. 3.* ibi: *Baptizetur autem vnusquisque in aquis perennibus, nomine trinæ beatitudinis super se inuocato, perunctus primùm oleo per orationem sanctificato, vt ita demùm per hæc consecratus possit percipere de sanctis.* Vbi per sanctum intelligi Eucharistiam, probat Vicecomes *lib. 5. de ritibus Baptismi, cap. 34.* & expressius D. Dionysius *de eccles. hierarch. cap. de baptismo*, ibi: *Ducunt ad hierarcham; is cùm virum vnguento, quod maximè diuinos efficit, insigniuit, Eucharistiæque vim maximam habet perficiendæ, sanctitatis participem esse pronunciat.* Seuerus Alexandrinus *de baptismo*, ibi: *Eleuant baptizatos ad altare, eisque dant mysteria, Eucharistiam, & sertis coronat eos sacerdos.* Hugo Victorinus *libr. 1. de sacram. cap. 20.* ibi: *Exinde datur baptizato vestis candida; ad vltimum datur cereus ardens: omnibus ijs nouus homo in vtero matris Ecclesiæ inchoatur, promouetur, consummatur, & vniuersitati Ecclesiæ aggregatur.* Illustrant Vicecomes *d. cap. 24. cum duob. sequentibus*, Brissonius *in l. die Dominico, Cod. de spectac.*

c *Festiuitatibus.*] Videlicet in tribus festiuitatibus Paschalibus, & feria 5. Cœnæ Domini, *cap. si non frequentiùs, cap. in corona, de consecr. dist. 2.* Concil. Aquisgran. *can. 22.* Illustrat Mendoza *lib. 1. Concil. Illiber. cap. 6.* vbi etiam id notaui. 5

C A P V T IX.

Idem *E. tit. sancti Laurent. in Lucina presbytero* a *Card. Ap. Sed. legato.*

OFficij. *Et infrà*: Significasti nobis prætereà, quandam mulierem in pœnitentia fuisse confessam, quòd timens, ne viri possessio deuolueretur ad alios, inducta cuiusdam consilio veneficæ mulieris, quarundam herbarum quotidie succum potabat, & sic eius venter intumuit, & inde grauidam se ostendens, tandem sibi partum supposuit alienum, timensque maritum, non vult illud facinus ipsi detegere, qui prolem credit sine dubitatione qualibet esse suam. Quoniam igitur per nostras postulas litteras edoceri, vtrùm ei hac fraude durante sit pœnitentia iniungenda? inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd sicut mulieri, quæ ignorante marito de adulterio prolem suscepit, quamuis id viro suo timeat confiteri, non est pœnitentia deneganda; ita neque illi debet pœnitentia denegari, maximè si per alios, intelligas *b* alienos, ad quos timeat possessionem viri deuolui; sed competens satisfactio per discretum sacerdotem ei debet iniungi.

N O T Æ.

1 a CArdinali.] Ita etiam legitur *in cap. 2. hoc tit. in 3. collect.* & *in cap. officijs, de elect. cap officij, de testam.* vbi extant aliæ partes huius decretalis, vbi iam notaui.

2 b *Alienos.*] Vt alienus pro alio *in l. 3. de rei vindic.* & alius pro alieno *in l. famosis 7. ff. ad leg. Iul. maiest.* ex D. Augustino, & Plauto illustrauit Cuiacius *lib. 22 Digest. Iul. in l. 5. ff. de noui oper. nunc.*

C O M M E N T A R I V M.

CVm nemo teneatur se prodere cum vitæ, aut famæ iactura, & detrimento, vt probant Gibalinus *de censur. disquisit. 2. quæst. 5. consect. 6.* Bronchorst. *cent. 2. assert. 60.* Prado *tom. 2. Theolog. Mor. cap. 18. quæst. 4.* ideò mulier, quæ partum supposuit, aut ex adulterio filium procreauit, non tenetur marito id reuelare cum aperto periculo vitæ, & iactura honoris, vt probant Couarruu. *in regula peccatum, 1. part. de R. I. in 6.* Syluester *in summa, verbo Adulterium, quæst. 31.* Sotus *de iustitia, lib. 4. qu. 7. art. 2.* Balboa *in cap. 1. de except. num. 41.* Fornerius *lib. 6. rer. quotid. cap. 16.* Diana *part. 11. tract. 2. resol. 33.* & *tract. 6. resol. 5.* qui varios casus forenses, & quotidianos resoluit, etsi dissentiat Mancinus *lib. 2. genial. cap. 116.* Vnde rectè decreuit Innoc. III. in præsenti audiendam esse confessionem illius mulieris, quæ partum supposuit, vel adulterium perpetrauit, & non vult id detegere marito, etsi agnoscat partum suppositum, vel filium adulterinum ad eius hæreditatem vocari.

C A P V T X.

Idem a *Palentin.* & b *Burgen. Episcopis, & Abbati de Morismundo Cistercien. Ordinis.*

NOua quædam nuper, de quibus miramur non modicùm, nostris sunt auribus intimata, quòd Abbatissæ videlicet in Burgen. & Palentin. diœcesibus constitutæ moniales proprias *c* benedicunt, ipsarumque *d* confessiones criminalium audiunt, & legentes Euangelium præsumunt publicè prædicare. Cùm igitur id absonum sit pariter, & absurdum, nec à nobis aliquatenus sustinendum, discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus ne id de cætero fiat, auctoritate curetis Apostolica firmiter inhibere. Quia licèt Beatissima Virgo *e* Maria dignior, & excellentior fuerit Apostolis vniuersis, non tamen illi, sed istis Dominus claues regni cœlorum commisit. Datum Later. Idibus Decembris, anno 13.

N O T Æ.

1 a PAlentin.] Ita restituenda est inscriptio cum littera huius textus ex ipsis epistolis Innocentij III. editis a Bosqueto *lib. 1. regestr. 13. epist. 287.* cùm valdè corrupta sit tam in hac sexta, quàm in quarta collectione: nec feliciùs Bosquetus *in notis ad epist. 184.* motus ex eo, quòd Abbatia Morismundi est in Lombardia, nec aliqua huius nominis reperitur in diœcesibus Burgensi, & Palentina, credit legendum esse *Placent. & Brixien. Episcopis, & Abbati de Arnide Cisterciensis Ordinis.* Nam præterquam quod litteræ textus repugnat talis inscriptio, siquidem in eo expressè agitur de monasterijs Burgensis, & Palentinæ diœceseos, in dicto Regestro epistolarum extat inscriptio, prout in præsenti transcribitur, quam & tuetur, ac defendit Manrique *tom. 3. annal. Cisterc. anno* 12010. Nec interest, quòd Abbatia Morismundensis, de qua egi *in cap. cùm veteri 52. de elect.* non sit in his partibus Castellæ; quare credit Bosquetus, non posse præsentem epistolam dirigi Episcopis Palentino, & Burgensi, simulque Abbati Morismundi. Nam sciendum est, Guidonem Abbatem Morismundi profectum fuisse in Hispaniam anno 1210. vt refert idem Manrique *tom. 1. annal. Cisterc. in serie Abbatum Morismundi, num. 17.* Vnde cùm in Hispania reperiretur, potuit Innocentius III. illi cum

alijs

alijs Prælatis committere præsentis causæ cognitionem. De Palentina, & Burgensi diœcesibus iam nonnulla adduxi *in cap. Coram, de in integr. restit.*

2 b *Burgensi*.] Textum hunc refert Manrique *d. anno* 1210. *cap.* 5 *num.* 10. ad Regale Monasterium Guldense, quod Alfonsus VIII. seu IX. Rex Castellæ, cognominatus *el Bueno*, construxit ad Huelgas propè Burgos anno 1187. vulgò dictum, *las Guelgas de Burgos*: ex structura, dote, maiestate, & imperio percelebre, veluti in ostensionem potentiæ Regiæ constructum, præest alijs XII. monasterijs sanctimonialium in diuersis Hispaniæ partibus constructis, de quibus forsan in præsenti agit Innoc. Nec tantùm præest eius Abbatissa monialibus ipsis, verùm & regularibus conuersis, hospitalarijs, & capellanis, in quibus suprà omnem Ecclesiæ morem iurisdictionem in collatione beneficiorum, approbatione confessariorum, & similibus iuribus exercet, vt doctè, & fusè probat amicus noster F. Michael de Fuentes Academiæ nostræ perdoctus Cathedræ vespertinæ Moderator, *in discursu Theolog. morali pro defensione iurisdictionis quasi Episcopalis Abbatissæ huius monasterij.*

3 c *Benedicunt*.] Quod alienum est à sexu fœmineo, & prohibitum ab Ecclesiæ Patribus; nam Eutychianus Pontifex, vt refert Gratianus *in cap. statuimus* 3. 20. *qu.* 2. Abbatissas viduas, vel virgines velare præsumentes canonico iudicio subijcit: quod ijsdem ferè verbis statuitur in Concilio Parisiensi sub Ludouico, & Luthario, *lib.* 1. *cap.* 43. ibi: *Inuenimus, quod quædam Abbatissæ, & cæteræ sanctimoniales, non solùm viduas, sed etiam virgines puellas velare solitæ sint. Quod quantùm sexui fœmineo illicitum, & à religione Christiana sit alienum, omnis, qui sanum sapit, facilè aduertit*. Concil. Aquisgran. *cap.* 76. Carolus Magnus *lib.* 1. *leg. Franc. cap.* 26. ibi: *Auditum est, aliquas Abbatissas contra morem sanctæ Dei Ecclesiæ benedictiones cum manus impositione, & signaculo S. Crucis super capita virorum dare, necnon & velare virgines cum benedictione sacerdotali: quod omninò vos sanctissimi Patres in vestris parochijs interdicendum esse scitote*. Ratio est, quia Ecclesia non admittit sexum sequiorem ad vllam functionem publicam manantem à potestate clauium, cuiusmodi est facultas publicè benedicendi. Tamburinus *de iure Abbatiss. disp* 23. *qu.* 11. Quomodo ergo id mulieri concederet Ecclesia, quam publicè ne loqui quidem admittit? Itaque Clemens Rom. Pont. *lib.* 8. *constit. cap.* 28. benedictionem, de qua agimus, negat diaconissis; benedictionem tamen priuatam, nec nisi à bene precantis mulieris orationibus nixam, non est cur negatam velimus Abbatissæ respectu suarum monialium; siue sanctæ crucis alicui fœminæ respectu personarum non sacrarum, aut aliarum rerum; sic enim S. Monegundis apud Gregor. Turon. *in vitis Patrum, cap.* 19. oleum, & salem benedixit ad vsum ægrorum post suum obitum. S. Genoueua oleum benedixit, quo surdum, & claudum, & cæcum à natiuitate liberos ijs incommodis præstitit. S. Hildegardis, & S. Lioba, hæc varios ægros, illa epilepticum adhibita consignatione sanos effecerunt. Refert Theophilus Raynaud. *tom.* 16. *in Heteroclit. spirit. part.* 2. *fol.* 219. *puncto* 2.

4 d *Confessiones*.] Hoc prorsus inauditum est in Ecclesia, cùm hoc ad officium presbyterorum spectet; immò, vt ait Epiphanius *lib.* 3. *aduersus hæreses, hæresi* 79. *num.* 2. nunquam ex quo mundus conditus est, mulier functa fuit sacerdotio. *Mulier in administratione gratiæ Dei non habet locum*, scribit creditus Ambrosius *in cap.* 16. *D. Paul. ad Rom.* D. Isidorus *lib.* 2. *de officijs, cap.* 17. ibi: *In gradibus, vel officijs ecclesiasticis fœminis nulla munia præscribuntur, namque non permittitur eis in Ecclesia loqui, vel docere, sed nec tingere, nec offerre*. Tertul. *de velandis virginibus cap.* 9. immò ratione sexus incapax omninò sacræ ordinationis fœmina est, vt probant latè Hallierius *de sacris elect.* 2. *part. sect.* 4. §. 2. *& de hierarch. eccles. fol.* 161. Barbosa *de potest. Episcopi alleg.* 10. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disp* 8. § 2. licèt in diaconissas plerumque cooptari, & eligi nonnunquam legamus in veteribus Ecclesiæ canonibus, de quibus accipiendus est textus in canone 48. Synodi 6. in illis verbis: *Vxor eius, qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu priùs separata, posteaquàm in Episcopum ordinatus est, ac consecratus, monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione exstructum, & Episcopi prouidentia fruatur: sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem prouehetur*. Licèt aliquando error ille in mentes illius sexus irrepserit, vt Abbatissæ subditarum monialium audiendi confessiones licentiam ab Episcopo peterent, vt refert Balsamon *in responsis ad interrogat.* 3. vbi respondet, quod cùm Abbas non sacratus, idest ordinatus, quantumlibet id iubeat, & permittat Episcopus, audire non possit: multò minùs audit Abbatissa.

e *B. Virgo Maria*.] B. Epiphanius *lib.* 3. *hæresi* 79. 5
quæ est Collyridianorum, eodem vtitur argumento, disputans in nouum muliercularum inuentum, quæ Deiparam Virginem adorabant, solemni ritu panem in eius nomen offerentes, nullam vnquam mulierem sacerdotale officium exercuisse rectè probans, ait: *Si mulieribus præceptum esset sacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Ecclesia, oportebat magis Mariam ipsam sacrificium perficere in nouo testamento, quæ digna facta est suscipere in proprijs finibus vniuersorum Regem Deum cœlestem filium Dei; cuius vterus templum factum est, ac in domicilium ad Domini in carne dispensationem per Dei benignitatem, & admirandum mysterium præparatus est. At non complacuit, sed nec baptisma dare concreditum est, alioqui potuisset Christus ab ipsa baptizari potiùs quàm à Ioanne*. Vnde omnia sacra munera, quæ ordinem sacramentalem supponunt, prorsus inualidè à muliere obiri probat Theophilus *tom.* 12. *de sobria frequent. mul. fol.* 297. Itaque Gnosticos explosit sanctus Irenæus *lib.* 1. *cap.* 9. quòd ad fœminas potestatem conficiendæ diuinæ Eucharistiæ diffunderent. Id quod Pepuciani quoque fecerunt, & Lutherus, vt erat mulierosus, renouare tentauit, referente, ac reijciente Alphonso à Castro *aduersùs hæreses verbo Mulier*: quæ incapacitas non oritur aliunde, quàm ex diuina institutione. Quare meritò Theophilus *vbi suprà*, reprehendit Franciscum Georgium *tom.* 4 *problem.* 450. qui inde eam incapacitatem deriuare vult, quòd mulier careat ea portione diuinitatis, quæ in viro reperitur, secundùm quam portionem vir expressam Dei gerit imaginem, mulier non item.

Quæ ad præsens commentarium spectant, petenda sunt ex traditis *in cap. dilecta, de maior. & obed.*

C A P V T XI.

a Idem.

QVod in te. *Et infrà*: Verùm quoniam à quibusdam intelleximus dubitari, vtrùm clericis & laicis dandum sit viaticum in extremis, & inunctio imponenda, & cum alijs sacramentis indulgenda sit decedentibus sepultura? Vtrùm etiam in conuentualibus Ecclesijs demissa voce, ianuis clausis, interdictis exclusis, diuina possint officia celebrari? Similiter an suscipientibus signum Crucis, & Sanctorum limina visitantibus, sit pœnitentia iniungenda? Ambiguitatem huiusmodi de dubitantium cordibus volumus amputare. In illo enim verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intelligi volumus, vt nec ipsum etiam decedentibus denegetur. Licèt autem per generale interdictum denegetur omnibus tam vnctio, quàm ecclesiastica sepultura; concedimus tamen ex gratia, vt clerici decedentes, qui tamen seruauerunt interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur; & in conuentualibus Ecclesijs bini & bini, vel simul tres horas canoni-

cas

eas valeant legere potiùs, quàm cantare, ianuis clausis, interdictis exclusis, & voce ita demissa, quod exteriùs non possint audiri: cùm & regularibus secundùm priuilegium Sedis Apostolicæ sit indultum, vt cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis, ianuis clausis, exclusis excommunicatis & interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce celebrare diuina. Recipientibus autem signum crucis non negamus, quominus cum eis ob reuerentiam Crucifixi pœnitentia, cùm postulauerint, iniungatur. Quod & alijs peregrinis potest misericorditer indulgeri.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 5. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Innocentius, nec inter eius epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto reperitur textus hic.

COMMENTARIVM.

2 DEorigine, & progressu interdicti ecclesiastici egi *in cap. cùm inter, de consuet.* de diuisione verò, & personis, à quibus proferri potest hæc censura, ac de causis, ob quas imponi potest, egi *in cap. quæsiuit* 2. *de his quæ fiunt à maiori*. Quare in præsenti tantùm de effectibus huius censuræ agendum est, pro expositione præsentis textus, & aliorum, qui nisi seruata temporum serie referantur, prorsus contrarij videntur. Et sciendum est, olim tempore interdicti omnia sacramenta conferri prohiberi, exceptis baptismo, & morientium pœnitentia, vt refert Oldericus monachus in Concilio Bituricensi. Quæ prohibitio durauit vsque ad Alexand. III. vt constat *ex cap. non est vobis, de sponsal.* sed sequentibus annis huius censuræ effectus valdè remissi fuerunt; siquidem Innocentius III. huius textus author permisit sacramentum Confirmationis etiam tempore interdicti administrare, *cap. responso, de sentent. excomm.* ex quo deducunt Doctores, solemniter posse hoc sacramentum conferri tempore interdicti. Circa ministrantem verò, & ipsum recipientem communiter distingunt, ita vt si sint specialiter, & personaliter interdicti, non possint nec conferre, nec illud recipere; secus verò si generaliter, aut localiter interdicti sint. Etiam permisit Episcopis semel in anno in Ecclesia interdicta celebrare, *cap. quia nonnulli, de priuileg.* quod etiam priuilegio concessum fuerat Templarijs *in cap. cùm & plantare*, §. *quod si, de priuileg.* Etiam permisit semel in hebdomada prædicare, *d. cap. responso*. Prætereà concessit in præsenti textu clericis interdictum seruantibus, vt possint sepeliri in cœmeterio sine psalmis, ac pulsatione campanarum; & etiam vt in Ecclesijs conuentualibus bini, & bini possint horas canonicas, exclusis excommunicatis, ita cantare, vt exteriùs audiri nequeant. Item concessit viaticum dari decedentibus, quod à DD. protractum est ad damnatos vltimo supplicio, nauigantes, & mulieres prægnantes, cùm in periculo mortis sint. Gregorius IX. etiam permisit, vt semel in hebdomada sacrificium Missæ celebrari possit causa renouandi Eucharistiam, *cap. permittimus, de sent. excommun.* & tunc necessitate vrgente potest admitti laicus vt minister. Diana *part.* 10. *tract.* 5. *resol.* 87. Idem permisit Templarijs, & Hospitalarijs, & ijs, qui eorum fraternitati fuissent oblati, vt possent sepeliri in Ecclesia tempore interdicti, *cap. vt priuilegia, de priuileg.* Innocentius IV. sanxit, Episcopos non teneri obseruare interdictum, nisi specialiter ob ipsos sit appositum, *cap. quia, de sent. excomm. lib.* 6. Bonifacius VIII. qui valdè interdicti rigorem laxauit, statuit vt tempore interdicti liceret chrisma conficere, *cap. quoniam* 19. *de sent. excomm in* 6. vbi plura Costa, Barbosa *de potestate Episcopi, alleg.* 31. *num.* 12. Narbona *de ætate, anno* 7. *qu.* 4. Seuerinus *in notis ad epist.* 2. *Fabiani*: & sacramentum pœnitentiæ omnibus in vniuersum ministrare, exceptis ijs, qui dederunt causam interdicto: & *cap. alma mater, eod. tit. & lib.* statuit vt quotidie in omnibus Ecclesijs, & monasterijs, siue monachorum, siue monialium, etiam in hospitalibus, submissa voce, ianuis clausis, nõ pulsatis campanis, exclusis excommunicatis sacrificium offerri possit, *d. cap. alma*, vbi DD. docent ex veriori opinione idem dicendum esse de oratorijs priuatis, & de qualibet Missa, siue occurrenti, siue votiua, & notant, Bonifacium accipiendum esse de interdicto generali locali, non verò particulari, aut speciali. Tandem statuit, vt in quatuor festiuitatibus, natalis Domini, Paschæ Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis B. Mariæ suspendatur interdictum, ita vt apertis ianuis, & pulsatis campanis diuina celebrentur officia, & omnes admittantur, exceptis interdictis personaliter, qui dederunt causam interdicto. Martinus V. & Eugenius IV. hoc porrexerunt ad festiuitatem corporis Christi. Glossa *verbo Reuelatione, in Clement.* 1. *de reliquijs*, Hugolinus *de censur. disp.* 8. §. 6. Deinde Leo X ad festiuitatem Immacolatæ Conceptionis, vt refert Barbosa *in d. c. alma*, *n.* 18. Hæc procedunt inspecto iure communi ante priuilegium Bullæ Cruciatæ, quo inspecto qui illud habent, cum non dederunt causam interdicto, possunt Missam, & alia diuina officia audire tempore generalis interdicti in quibuslibet Ecclesijs, vel monasterijs, etiam oratorijs particularibus, exceptis specialiter interdictis, in quibus etiam licebit audire Missam, quando dicitur ad renouandum sacramentum Eucharistiæ, vt contra Koninch, & Trullench tenent Diana *p.* 5. *tr.* 10. *resol.* 60. P. Mendo *in Bulla, disp.* 15. *c.* 3. *num.* 13. Prodest etiam priuilegium Bullæ ad hunc effectum, non solùm illis, qui eam habent, verùm etiam consanguineis vsque ad quartum gradum, & famulis veris, non verò fraudulosè receptis, nec discipulis, eo quòd magister priuilegio Bullæ potiatur, vt probat Trullench *in Bullam, lib.* 1. § 3. *dub.* 3. Conceditur etiam prædictis personis virtute Bullæ, vt possint sacramenta recipere, ea videlicet, quæ adhuc alia constitutione non permittebantur, videlicet sacramenta Ordinis, Extremæ Vnctionis, Eucharistiæ, ac Matrimonij. Circa matrimonium autem notandum est, absque priuilegio Bullæ validè contrahi, siue de futuro, siue de præsenti, tempore interdicti, cùm nemo neget etiam ab excommunicatis validè celebrari, *c. significasti, de eo, qui duxit in matrim.* Vnde priuilegio Bullæ tantùm conceditur, vt licitè possint benedictiones nuptiales à proprio parocho recipi: conceditur etiam habentibus bullam, vt sicut Sacerdotes ex præsenti textu poterant tempore interdicti sepeliri in Ecclesia, ita & ipsi sepulturæ ecclesiasticæ tradi valeant cum modica pompa, videlicet ianuis clausis, non pulsatis campanis, & psalmis recitatis submissa voce. Ex hucusque traditis constat, nihil specialiter cautum esse circa pulsationem campanarum tempore interdicti: vnde hodie exceptis prædictis festiuitatibus, non licere tempore interdicti pulsare campanas, siue magnas, siue paruas, immò tuba, tabula, aut cursore debere clericos ad officia diuina vocari, resoluunt Suarez, Auila, Gibalin. & Leander de hac censura agentes: manè tamen, meridie, ac serò, & ad conuocandum populum ad audiendum verbum Dei, possunt pulsari, vt pluribus relatis tradit Barb. *lib.* 3. *voto* 102. *n.* 33. Nec etiam circa ianuas Ecclesiæ aperiendas aliquid specialiter cautum est, vnde nisi in prædictis festiuitatibus non licebit eas aperire, adeò vt qui perforauerint ianuas, aut fenestras in eis fecerint, vt qui non possunt Ecclesiam ingredi, audiant diuina officia, excommunicentur *in Clem.* 1. *de sent. excom.*

CAPVT XII.

Idem *in Concilio* a *generali*.

OMnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos *b* discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio *c* sacerdoti, & iniunctam sibi pœnitentiam pro virili studeat adimplere, suscipiens reuerenter ad *d* minus in Pascha Eucharistiæ sacramentum, nisi fortè de consilio proprij sacerdotis ob aliquam rationabilem *e* causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum, alioquin & viuens ab ingressu Eccle-

Ecclesiæ arceatur, & moriens careat christiana sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in Ecclesijs publicetur, ne quisquam ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio sacerdote, cùm aliter ille ipsum non possit soluere, nec ligare. Sacerdos autem sit discretus, & cautus, vt more periti *f* medici similiter infundat vinum, & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat consilium præbere, & cuiusmodi remedium adhibere, diuersis experimentis vtendo ad sanandum ægrotum. *g* Caueat autem omni studio, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo procedat aliquatenus in peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione cautè requirat. Quoniam qui peccatum pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium retrudendum.

NOTÆ.

1 a GEnerali.] Lateranensi videlicet, celebrato sub Innocentio III. vt habetur *in cap. 2. hoc tit. in 4. collect.* & in ipso Concilio Lateranensi, *c. 21.* Cùm enim in ipso Concilio varia circa Sacramenta, & fidem contra Hæreticos statuta essent, præceptum hoc annuæ confessionis nouiter statutum fuit, vt notauit Cuiacius *in oratione de confessione.* quæ extat ad calcem comment. in ius canonicum Licèt antea Vuillelmus Parisien. Episcopus in suis constitutionibus, *tom. 26. Concil. can. 3.* ita statuerit: *Presbyteri parochianos suos moneant, & frequenter in Ecclesijs suis denuncient, quòd omnes saltem patresfamilias, & matres ad confessionem veniant ante Pascha Floridum: & qui in hoc negligentes fuerint, in pœnam vsque post octauas Paschæ ad confessionem non admittantur, sed vsque ad illud tempus à carnibus ieiunabunt, sicut in Quadragesima.*

2 b *Discretionis.*] Hanc ætatem discretionis vulgò pro septennio accipiunt DD. relati à Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 7. q. 7.* Sed veriùs est, tempus hoc relinqui arbitrio confessarij, qui inspecta pueri qualitate, & moribus, & perpensis alijs circumstantijs, an ad interrogata ordinatè responsum præbeat, & quod magis malitiam detegit, vtrùm peccata cognoscat, iudicabit, an sit doli capax, necne, vt probat Narbona *vbi proximè;* & eodem tempore, videlicet cùm ad annos discretionis puer peruenit, ipsum posse admitti ad communionem corporis Domini, probat Ioannes Sanchez *in select. disp. 26. per tot.* contra communem Doctorum sententiam, qui asserunt, saltem vsque ad annũ decimum & dimidiũ non posse pueros admitti ad communionem Eucharisticam.

3 c *Proprio sacerdoti.*] Idest parocho, vt infra probauimus, & latè docet Balboa *in repetit. ad hunc textum.* Hodie autem post priuilegium Bullæ, & ampla priuilegia Religionibus concessa, Parochus pro confessionibus audiendis ferè negligitur. De hac facultate audiendi confessiones religiosis concessa, videndi sunt Coriolanus *in notis ad Concil. Rhemense, in addit. summæ, fol. 71.* Bruno Chassaing. *de priuil. regul. tract. 2. propos. 2. c 6. per tot.* Araujo *in dec. moral. q 8. cum seq.* Theophilus *tom. 11. fol. 152.*

4 d *Ad minus.*] Quia olim in tribus Paschæ festiuitatibus, necnon feria 5. cœnæ Domini communicandũ erat, *cap. & si frequenter, cum sequent. de consecrat. dist. 2.* probat de communione quotidiana, & Paschali apud veteres vsitata, Theophilus *tom. 16. in Heterocl. spirit. puncto 4.* & plura de hoc præcepto annuo communicandi congesserunt Fagundez, & Tamburinus *in 2 præcept. Ecclesi.* Leander *1. part. de sacram. disput. 3. à quæst. 21. vsque ad 62.*

5 e *Rationabilem causam.*] Veluti quando confessarius differt absolutionem, vt experiatur an propositum pœnitentis firmum sit, vt cum alijs docet Ioannes Sanchez *in select. disp. 9. num 3* aut quia absoluere ipsum iniustum iudicauerit, donec pœnitens occasionem proximam peccandi vitaret: quibus in casibus fidelis non communicans in Paschate minimè erit reus pręcepti ecclesiastici, nec pœnas impositas in præsenti textu patietur, vt probat idem Ioannes Sanchez *disp. 26. num. 9.*

6 f *More periti medici.*] Consonant textus *in c. Deus qui, hoc tit. cap. mensuram 86. de pœnit. dist. 1.* D. Basilius *in epist. ad Amphiloch. can. 2.* Synodus Metensis celebrata anno 859. *can. 10. c. tempora pœnitudinis, 26. quæst. 7.* Vnde olim erat in qualibet Ecclesia clericus pœnitentiarius pro pœnitentijs iniungendis, cuius mentio fit *in c. quæsitum, hoc tit.* de quo egi *in cap. 2. & 8. de offic. ordin.* Est enim in sacerdotis arbitrio, qui pœnitentium confessiones excipit, pœnas satisfactorias mitigare, & benigniùs cum ipsis peccatoribus agere, quos viderit de admissis reatibus maiori dolore correptos. Extat insignis epistola increpatoria sancti Dionysij ad Demophilum monachũ, qui bonum sacerdotem conuiciatus fuerat, quòd miseratus fuisset pœnitentis, ipsumque delicta sua cum intimi doloris iudicio confitentem benignè excepisset: rectè enim functum hunc sacerdotem asserit suo ministerio, cuius proprium est plebis ignorantias tolerare, aliorum infirmitates sua ex fragilitate metiri, Christi mansuetudinem imitari, qui summa semper benignitate, & misericordia peccatores ad se venientes complexus est.

g *Caueant autem.*] Hanc partem de obligatione sigilli confessionis, & pœnis illud violantium retuli, & exposui *in cap. 2. de offic. ordin.*

COMMENTARIVM.

IN præsenti textu agitur de confessione auriculari, 7
quam nimis impudenter negant hæretici, & Nouatores vt recenter ab Ecclesia institutam reijciunt, & tantùm peccata Deo esse cõfitenda asserunt, quos reprehendit Alcuinus *in epist. Fratribus & Patribus in Prouincia Gothorũ,* ibi: *Dicitur verò, neminem ex laicis suam velle cõfessionem sacerdotibus dare, quos à Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi, soluendique potestatẽ accepisse credimus, &c. Deo vis, ò homo, confiteri, quem volens, nolens latere nõ poteris Ecclesię Christi, in qua peccasti, satisfacere negligis.* Et vt antiquitatem huius confessionis repetamus, Simplicius Pontifex ante annos 120. constituit, vt ad SS. Petrum, & Paulum Apostolos, & Sanctum Laurentium Martyrẽ, presbyteri ibi manerent propter pœnitentes, & baptismum, teste Anastasio Biblioth. in Concilio Ticinensi apud Insubres, *c. 6.* vbi ita cauetur: *Qui occultè deliquerunt, illis confiteantur, quos Episcopi, & plebium Archipresbyteri idoneos ad secretiora vulnera mentium medicos elegerint.* In Synodo Francica sub Carolo Magno ita legitur: *Vt vnusquisque Præfectus vnum presbyterum habeat, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit.* Quod repetitum est *lib. 5. Capitul. cap. 2. & lib. 7. capit. 113.* ita legitur: *Vt nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo, vel tres tantùm Episcopi, electione cæterorum, propter benedictionem, & prædicationem, populique reconciliationem; & cum illis selecti sacerdotes, qui bene sciant populis pœnitentias dare, Missas celebrare, de infirmis curam habere.* Concil Cabilon. 2. sub Carolo, *can. 33.* postquam grauiter reprehendit eos, qui solummodò Deo confitenda esse peccata contendebant, ait: *Confessio itaque, quæ Deo fit, purgat peccata; ea verò, quæ sacerdoti fit, docet, qualiter ipsa purgentur peccata; Deus namque salutis, & sanctitatis auctor, & largitor, plerumq; hanc præbet suæ potentię inuisibili administratione, plerumque medicorum operatione.* Et *lib. 7. capitul. c. 294* ibi: *Quærendum namque est sacerdoti, cùm accipit cuiuslibet fidelis confessionem peccatorum, qualiter primò peccatum perpetratum, aut si posteà iteratum, aut frequenter actum sit.* Idẽ Concil. Cabilon. *cap. 45. Qui peccata sua sacerdotibus, in quorum sunt parochijs, confessi sunt, & ab his agendæ pœnitentiæ consilium acceperunt, si orationibus insistendo, eleemosynas largiendo, vitam emendando, mores componendo, Apostolorum limina, vel quorumlibet Sanctorum inuisere desiderant, horum est deuotio modis omnibus collaudanda.* Concilio Paris. *lib. 1. cap. 13.* reprehenduntur Presbyteri, & Parochi, qui relicta parochia forensibus negotijs sese implicant, aut paulò liberiùs vagantur, non attendentes, quòd eorum absentia, & loca Deo dicata

cata sibi cultu debito priuentur, & homines sine confessione, & infantes sine baptismatis regeneratione plerumque moriantur. Eiusdem Concilij *cap.* 32. Patres damnant sacerdotes illos, qui partim incuria, partim ignorantia modum pœnitentiæ reatum suum confitentibus secus quàm iura canonica decernant, imponunt: quapropter statuunt, vt presbyteri imperiti solerti studio ab Episcopis suis instruantur, qualiter & confitentium peccata disertè inquirere, eisque congruum modum secundùm canonicam auctoritatem pœnitentię nouerint imponere. In pœnitentiali Romano *tit.7. cap.12. Spreuisti Missam, vel orationem, vel oblationem coniugati presbyteri, ita dico, vt nolles tua peccata sibi confiteri, vel ab eo accipere corpus, & sanguinem Domini, ob hoc quia peccator tibi esse videretur, vno anno pęniteas.* Et *tit* 8. *cap.3. Omnes, quos in pęnitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filij, vt ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinæ mersionis vocabulo mergentibus, vnda sacri baptismatis regenerauerit.* Concil. Illiber. *can.*32. Carthag. *can.* 133. ibi: *Vt Episcopus à communione non suspendat eam, quem asserit de peccato aliquo sibi soli fuisse confessum.* Carthag. 4. *can.* 74. *Vt sacerdotes pęnitentiam imploranti absque personæ acceptione pœnitentię leges iniungant.* Meminerunt huius confessionis, eamque probarunt Tertullianus *lib. de pęniteat.* D. Hieronymus *in cap.* 10. *Ecclesiast.* Basil. *in qq. compend. explicatis, explicat.*26. Cyrillus *lib.* 3. *in Leuit. cap.* 5. D. Augustinus *lib. de vtilit. pęnit. siue homil.* 50. Theodoretus *de Audianis hæreticis*, Leo Pontifex *epist.*57. & 78. Dionysius Areopag. *epist.* 8. & alij congesti à Pamelio *in notis ad D. Cyprianum de lapsis, num.* 98. probant Bellarminus *lib.*1 *de sacr. cap.*1.& *lib.* 1. *de pęnit. cap.* 15. Baronius *anno* 56. Vuadingus *in notis ad epist.* 2. *D. Francisci*, Zypeus *lib.* 5. *consult. iur. Pontif. consult* 2. Crespetius *in summa, verbo Confessio*; Sotus *in* 4. *dist.*18 *q.*1. *art.* 1. Vega *de iustif. lib.* 3. *cap.* 28. Vnde D. Antoninus 3 *part. summæ, cap.* 18. *tit.* 14 dum ait, post præsentem Decretalem confessionem peccatorum fuisse necessariam non ita est accipiendus, quasi confessio sacramentalis ab hoc tempore Innocentij fuerit necessaria, vel tunc primùm instituta; sed tantùm, quòd per hanc celebrem decretalem nihil aliud, quàm tempus, in quo præceptum confessionis sit adimplendum, præfinitur: sicut enim absurdum est dicere, communionem sacram in hac ipsa Decretali institutam fuisse, quamuis in ea communicandi tempus statueretur; sic sanè à vero abhorret asserere, tunc fuisse institutam confessionem, quamuis ibi tempus confitendi fuerit determinatum. Nec fauent Nouatoribus D. Chrysostomus *homil.*2. *in Psalmum* 50. in illis verbis: *Peccata tua dicito, vt deleas illa: si confunderis alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua; non dico vt confitearis conseruo tuo, sed dicito Deo, qui curat ea.* Et *homil.*4. de Lazaro: *Cur igitur pudescis, & erubescis confiteri peccata tua? Cuae enim homini dixeris, ne tibi exprobret; nec enim conseruo confiteris, vt in publicum proferat; sed ei, qui Dominus est, qui medicus est, ostendis vulnera tua: nec enim ignorat, etiamsi ei non dixeris.* Cassianus *collat.*20. *c.* 8. ibi: *Quòd si verecundia retrahente reuelare coram hominibus erubescis, illi, quem latere non possunt, confiteri ea iugi supplicatione non desinas, ac dicere: Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Qui te absque vllius verecundiæ publicatione curare, & sine improperio damnare cõsueuit.* Nam hæc, & similia, tum Chrysostomi, tum Cassiani dicta, non sunt intelligenda de secreta, & sacramentali confessione, in qua homo confitetur sacerdoti, non vt homini, sed vt Deo, idest Dei vicario; sed de publica pœnitentia, quæ publicè fiebat in Ecclesia, iuxta ritus relatos suprà *in c.* 1 *hoc tit.* docent Sixtus Senens. *lib.*5. *Biblioth. annot.*165. Baronius *tom.*1. *anno* 56 Magister *in* 4. *sent. dist.*17. vbi postquam dixit, peccata primùm Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, subdit hæc verba: *Illud Ioannis Chrysostomi superiùs positum, non est ita intelligendum, vt liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit vbi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, & semel: nec oportet publicari coram multis, quod occultum est, quod notauit dicens: Non tibi dico, vt te prodas in publicum; sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita & occulta secreta confessione, & occulta satisfactione purgatur. Nec necesse est, vt quod sacerdoti semel confessi sumus, iterùm confiteamur; sed lingua cordis, non carnis apud verũ iudicem id iugiter confiteri debemus.* Magistrum sequitur Gazæus *in notis ad Cassian. d. collat.* 20. *c.* 8. Non ergo D. Chrysost. docere vult, confessionem perfectam sacramentalem soli Deo factam sufficere, sed vult Deo potissimùm confitendum esse, qui remittit peccata: vel etiam vt ostendat, quòd qui sacerdoti cõfitetur, Deo confitetur, ita vt nihil debeat timere: vel denique vt ostendat, hoc secretum iudicium non esse simile sæcularibus, quòd in hoc nulli sunt timendi testes, nulla pœna, nulla infamia; & tantùm abest, vt velit nos à sacerdotali confessione reuocare, vt magis hortetur ad eam, vtpote tanquam Deo factam, tanquam secretam, tutam, & minimè periculosam, vt docet Dartis *de pęnitentia cap.* 13.

C A P V T XIII.

Idem *in* a *eodem*.

CVm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente Domino languido, quem sanauerat: Vade, & ampliùs noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat: præsenti decreto statuimus, & districtè præcipimus medicis corporum, vt cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, quòd medicos aduocent animarum, vt postquam fuerit de salute animarum prouisum, ad corporale medicinæ remedium salubriùs procedatur; cùm cessante causa cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quòd quidam in ægritudinis lecto iacentes, cùm eis à medicis suadetur, vt de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, vnde faciliùs periculum mortis incurrunt. Si quis autem medicorum nostræ constitutionis, postquam per Prælatos fuerit *b* publicata, transgressor extiterit, tamdiù ab ingressu Ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione huiusmodi satisfecerit competenter. Cæterùm cùm anima sit multò pretiosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ conuertatur.

N O T Æ.

1 a EOdem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. c.*5. & extat textus hic in ipso Concilio, *can.* 21. Consonant Concil. Brachar. 4. *act.*5. *c.*31. ibi: *Præcipit sancta Synodus singulis huius Prouinciæ medicis sub excõmunicationis pœna, vt quo primùm die ægrotos decumbentes inuisunt, illos de salutari saltem confessione facienda admoneant, alioquin si cùm illos reuiserunt, id prętermissum fuisse compererint, denuò admoneant, addita comminatione, qua testentur, se ampliùs non reuersuros, nec decumbentiũ curam habituros, si cùm tertiò redierint, factam saltem ab ægrotis confessionẽ non reperient. Quod nisi re ipsa medici cõpleant, prædictam excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, & indicta ab Ordinarijs mulcta pijs vsibus applicanda puniantur.* Concil. Rauennat. 2. temporibus Clementis V. *rubric.*15. *Monemus insuper omnes medicos, quod quando vocati fuerint, ad infirmos non vlteriùs redire audeant, nec curare eosdem, nisi priùs eis constiterit, quòd ipsi infirmi prædicti medicum aduocauerint animarum, & eis*

fuerit

Digitized by Google

fuerit de animarum salute prouisum. Pius V. in constitutione, quæ incipit, *Super gregem*, edita die 8. Martij, anno 1566 & cùm ad gradus Doctoratus medici admittuntur, iurare debent, se seruaturos præsentem constitutionem. Illustrant eam Diana 2. *part. tract. 4. resol 93.* Sanchez *lib. 3. summæ, c. 16. n. 12.* Scortia *in select. Pont. constit. theorem.* 215 Gibalin. *de censur. in synopsi, verbo Medicus*, Barbosa *de potest. Episcop. alleg 91.* Diana *part. 11. tract. 1. resol. 22.* Azeuedus *in l. 5. tit. 1 lib. 1. recopil.*

b *Publicata*.] Quia lex non obligat ante promulgationem, vt probat Petrus Marcha *part. 1. concord. Sacerd. & Imp. lib. 2. c. 26.* & illustraui *in cap 4. de Prælat.* 2

C A P V T XIV.

Idem in a eodem.

CVm ex eo, &c. *Et infra*: Eleemosynarum quoque quæstores, quorum se quidam mentiendo alios, abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti, nisi Apostolicas, vel diœcesani Episcopi literas veras exhibeant, prohibemus: & tunc præter id, quod in ipsis continebitur literis, nihil populo proponere permittantur. Formam verò, quam communiter omnibus talibus Apostolica Sedes indulget, duximus exprimendam, vt secundùm eam diœcesani literas moderemur. Ea siquidem talis est: Quoniam, vt ait Apostolus, omnes stabimus ante tribunal Christi, recepturi prout in corpore gessimus, siue bonum fuerit, siue malum, oportet nos diem missionis extremæ misericordiæ operibus præuenire, ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cœlis: firmam spem, fiduciamque tenentes, quoniam qui parcè seminat, parcè & metet; & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam æternam. Cùm igitur ad sustentationem fratrum ad tale confluentium hospitale propriæ non suppetant facultates, vniuersitatem vestram monemus, & exhortamur in Domino, atque in remissionem peccatorum vobis iniungimus, quòd de bonis à Deo vobis collatis aliquas eleemosynas, & grata eis subsidia charitatis erogetis, vt per subuentionem vestram temporum inopiæ consulatur, & vos per hæc, & alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia peruenire. Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint, in tabernis, aut in alijs locis inhonestis non hospitentur, nec inutiles faciant, aut sumptuosas expensas, cauentes ne falsæ religionis habitum gestent. Ad *b* hæc quia per indiscretas, & superfluas indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claues Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio eneruatur: decernimus, vt cùm consecratur basilica, non extendatur indulgentia vltra annum, siue ab vno solo, siue à pluribus Episcopis dedicetur: ac demùm in anniuersario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis indulta remissio non excedat. *Et infra*: Ad hunc quoque dierum numerum indulgentiarum literas præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur; cùm Rom. Pont. qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueuerit obseruare.

N O T Æ.

1 a EOdem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* & extat textus hic in ipso Concilio *can. 62.* atque eius principium reperitur *in cap. 2. de reliquijs, & vener.*

b *Ad hæc*.] Hanc partem de indulgentijs exponemus sequenti commentario.

COMMENTARIVM.

2 VSus quæstorum eleemosynarum, seu potiùs abusus eorum, qui non sibi eleemosynas quærunt, sed potiùs conducunt eleemosynas piorum locorum, seu Sanctorum, perantiquus est, vt constat *ex cap. tuarum 11. de priuil.* Quia verò illi quæstores facultate sibi concessa abutebantur, pręsens Concilij Lateran. constitutio emanauit, prohibens ne huiusmodi quæstus fiant, & ne quęstores ad eleemosynas petendas sine Episcopi, vel Pontificis literis, quibus de eorum moribus, atque eleemosynę causa constet, admittantur. Et quia adhuc abusus dictorum quęstorum excresceret in maximum Christiani orbis scandalũ, dum in pręedicationibus multa de reliquijs, & indulgentijs mendacia cõfingebant, ideò Conc Viennense relatum *in Clem 2 hoc tit.* inhęrendo præsenti cõstitutionis addidit, quòd literæ Apostolicæ ad eleemosynarum quæstus faciendos examini ordinariorum subderentur, quæstoribus huiusmodi prædicationis officio penitus interdicto, cum sola facultate simpliciter exprimẽdi illud, quod in literis Apostolicis, aut Episcopi continetur. Faciunt Clemens IV. *in c vt officium 11. §. campescendi, de hæret. in 6.* Concil. Salesburg tempore Gregor. X. *can. 6.* Toletan. anno 1473. temporibus Sixti IV. *can. 13.* & de eis in Concil. Trident. *sess. 5 de reform. c. 2.* ita cauetur: *Quæstores eleemosynarij, qui etiam quęstuarij dicuntur, cuiuscunque conditionis existant, nullo modo nec per se, nec per aliũ prædicare pręsumant. Et contrà facientes ab Episcopis, & Ordinarijs locorum, priuilegijs quibuscunque non obstantibus, opportunis remedijs omninò arceantur*. Et in Concilio Pictauiensi 2. sub Paschali II. *can. 12.* ita cauetur: *Vt Sanctorum reliquias causa pecuniæ, & quæstus circumferentes ad prædicationem non admittantur*. Qui abusus & apud Gentiles irrepsit, dum Sacerdotes Idolorum suos Deos circumferebant, vt ipsorum nomine mercedem, & stipem exigerent. Apuleius *lib 8. Deam Syriam circumferentes mendicare compellunt*. Minutius in Octauio: *Mendicantes vicatim Deos ducunt* Halicarnass *lib. 2.* notauit Gibalinus *de negot. tom. 1. lib. 1. c. 4. art. 1. n. 3.* Quia verò huiusmodi remedia minimè profuerant, immò quæstorum huiusmodi malitia excrescente, ac per hoc data ansa hæreticis in fidem catholicam debacchandi, idem Concilium Trident. *sess. 22. de reform. c. 9.* statuit, vt illorum quæstorum nomen, atque vsus penitus aboleretur, nec ad huiusmodi officium exercendum vllatenus admitterentur, non obstantibus quibuscunque priuilegijs Nec minori odio hos improbos quęstores prosequuti sunt sæculares legislatores; nam præterquam quod *in l. vnic. C de mendicant. valid.* iubentur similes mendicantes in exilium mitti, de quibus in Concilio Coloniensi anno 1536. *can 5.* ibi: *Mendicantibus validis non solùm hospitalia clausa, sed & publicè, ac ostiatim mendicare penitus interdictum*. Trident. *sess 5. de refor. c. 2.* & *sess. 21. cap. 9.* & *sess. 25 ad fin.* plura Philippus Camerarius *tom. 1. oper. succes. c. 16.* & *cent. 2. c. 74.* etiam *in l. 21. tit. 18. partit. 3.* cauetur, vt cautè licentia ad eleemosynas petendas quæstoribus detur. Et apud Lusitanos *lib. 5. ordinat. tit. 103.* constitutum est, ne quæstores alicuius Sancti nomine petere eleemosynam permittantur, nisi ab eis Regiæ literæ ostendantur: quod si aliter factum fit, omnes pecuniæ ab illis quæsitæ quæstori Redemptionis Captiuorum tradantur. Simile apud nos cautum extat *in l. 1. & 2. tit. 8. lib. 1. ordin.* quæ hodie est lex *4. tit. 9. lib. 1. nouæ recopil.* & apud Galios idem Regij Senatus decretis dispositum refert Chopinus *de sacr. polit. tit. 5. n. 23.* Vnde de his quæstoribus eleemosynarum cognoscunt tam iudices ecclesiastici, quàm sæculares; exa-

Digitized by Google

minantque licentias, quas deferunt, an sint authenticæ, vel apocryphæ, vt probat Pereyra *par. 2. de manu Regin. c. 76.* nam si mendicantes validi, & similes, qui vt otiosam vitam agant, pauperem vitam affectant, eijciendi sunt à ciuitate, quia panem adimunt veris pauperibus, *cap. non omnis 5. q. 5. c. 1. 82. dist. l. 4 tit. 20 part. 2. l 40 tit. 5. partit. 1. l 1. cùm sequent tit. 11. lib. 8. Recopil.* probant latè Bobadilla *lib. 2. polit. c. 13. n. 31.* Petrus Greg. 3. *part. syntag. lib. 39. cap. 6 & de republica lib. 13. cap. 14. n 3. & lib. 1. partit. tit. 22 cap. 3.* Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 3. c. 25.* quanto magis qui fallaci ingenio eleemosynas extorquent falsa plerumque prædicantes. Licentias autem petendi eleemosynas personis miseris dare debere iudices ecclesiasticos, probat Barbosa *ad Trident. vbi suprà.*

C A P V T XV.

Honorius III. a *Abbati & Conuentui sancti Petri de Praxellis Lexou. diœcesis.*

NOstro postulasti certificari responso, vtrùm per tuam prouinciam possis concedere *b* remissionis literas generales. Nos igitur fraternitati tuæ breuiter respondemus, quòd per prouinciam tuam liberè potes huiusmodi literas concedere; ita tamen, quòd statutum generalis Concilij non excedas.

N O T Æ.

1 a ABbati.] In hac sexta collectione tantùm legitur *Honorius III.* & in MSS. codicibus inscriptionem huius textus desiderari refert Cironius *in not. ad 5. compil. ad hunc tit.* vbi præsens inscriptio legitur; sed malè, tum quia Pontifex Abbates, non fratres, sed filios appellare solet; tum etiam quia Abbates prouinciam non habent, & de Prælato prouinciam habente agit Honorius *in præsenti.*

2 b *Remissionis.*] Idest indulgentiæ peccatorum, vt etiam sumitur *in cap. cum ex eo, hoc tit.* & apud Tertul. *contra Marcionem c. 18.* ibi: *Diximus de remissa peccatorum, idest de remissione.* Apud Cyprianum *epist. 59.* ibi: *Grauissimis, & in Deum multùm antè peccantibus, cùm postea crediderunt, remissio peccatorum datur.* Notauit Cironius præsenti textu, & *in parat. ad hunc tit.*

C O M M E N T A R I V M.

3 *Conclusio traditur, & probatur.* EX hoc textu sequens communiter deducitur assertio: *Intra prouinciam suam concedere potest indulgentias Archiepiscopus, iuxta dispositionem Concilij Later. Generalis.* Non est alia similis decisio, qua probari possit præsens assertio: eam illustrant Suarez *tom 5. in 3. part. de pœn disp. 55. sect. 3* Barbosa *alleg. 88.* Petrus Gregorius *lib. 1 partit. tit. 17 c. 3* Cironius *ad hunc textum*, Iul. Lauor. *de indulg. 2. part c 11. n. 28.* Quarant. *in summa Bul. verbo Archiepiscopi auctoritas*, Boetius Epon. *in tract. de Iubil. & Indulg. n 119* Torreblanca *lib. 14 de iure spirit c. 14. in princip* Ioannes Dartis *de pœnit. cap. 61.* Bonacina *de Sacram. disp. 6 q. 1. & 3.* Corduba *q. 14* Fragoso *de regim. Christ Reipub. part. 2. lib. 2. disp. 4. §. 2. per totum.*

4 *Traditur dubitandi ratio.* Sed in præsentem assertionem pro dubitandi ratione ita argumentor. Indulgentiæ, quæ conceduntur à Prælatis alienis subditis nullæ sunt, *cap quod autem 4 hoc tit.* vbi ratio redditur, quia qui non potest ligare, nec absoluere: sed Archiepiscopus non est ordinarius iudex subditorum suorum suffraganeorum, *cap. pastoralis, de offic. ordin.* nec extra suam diœcesim habet contentiosam iurisdictionem, exceptis quibusdam casibus relatis *in d. c. pastoralis.* Igitur per totam suam prouinciam non potest Archiepiscopus indulgentias concedere. Etiam difficilis est alia pars ipsius assertionis, vbi docetur, Archiepiscopos seruata forma Concilij Lateranensis indulgentias concedere debere; nam forma præscripta in dicto Concilio, pro Episcopis fuit, non verò pro Archiepiscopis. Igitur non rectè in præsenti docetur, Archiepiscopos debere indulgentias concedere, iuxta Concilij Lateranensis formam.

5 *Indulgentia quid, & quotuplex.* Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, indulgentiam variè accipi in iure nostro. Aliquando indulgentia dicitur, quando aliquid fit ex mera liberalitate, vt de decimis noualiū dicitur *in c. ex parte, suprà de decimis:* vel cùm partibus conceditur tempus ad litem prosequendam, vt etiam elapsum non noceat, *c. dilecto, de V. S. c. 2 de eo qui mittitur in possess.* ibi: *Quatenus si est ita, indulgentia huiusmodi non obstante, negotio finem debitum imponas.* Plerunque sumitur pro relaxatione pœnæ, seu abolitione criminis, vt *in tit. Cod. de indulg. crimin. cap. 1. de treuga & pace, & in 1. compil.* ibi: *Si necesse fuerit per indulgentias secundùm quod vtilitati Ecclesiarum, & totius terræ, necnon & animarum saluti videris expedire.* In præsenti autem indulgentia accipitur pro remissione pœnæ temporalis debitæ pro peccatis actualibus iam dimissis, concessa homini existenti in gratia à legitimo Prælato per applicationem thesauri ecclesiastici. Corduba *de indulg. quæst. 1.* Torreblanca *de iure spirit. d. lib. 14. c. 53 n. 5* Fragoso *vbi suprà*, Barbosa *dicta alleg. 88. num. 1.* Pater Mendo *in Bullam, disput. 6. cap. 1. num. 2.* Indulgentia ita accepta duplex est, alia plenaria, temporalis alia. Plenaria est illa, qua remittitur tota pœna temporalis simpliciter, quę nimirum post peccata remissa per sacramentum pœnitentiæ expianda remansit, siue in hac vita, siue in purgatorio: & licèt cùm talis indulgentia conceditur, communiter addatur, *& remissio omnium peccatorum*, illis verbis potiùs effectus indulgentiæ explicatur, quàm quid nouū continetur. Indulgentia verò temporalis dicitur illa, qua non remittitur tota pœna, sed eius tantùm pars relaxatur, & sub duplici præsertim forma tribui solet. Aliquando enim conceduntur indulgentiæ tot dierum, vel annorum, & est remissio tantæ pœnæ, quanta solui in hac vita debuisset pro pœnitentia tot dierum, vel annorum; vel quanta in purgatorio luenda foret, si in hac vita peracta non esset: quandoque autem indulgentiæ conceduntur respectiuè ad certam partem peccatorum, veluti ad tertiam, seu quartam; & tunc remittitur tanta pœna, quanta persolui debuisset in hac vita, vel in purgatorio pro tertia illa, vel quarta parte peccatorum, vt explicant Suarez *de pœnitent. in disp. 50. sect. 4. & 5.* Bellarminus *tom. 3. controu. lib. 1 de indulg. cap. 9.* Iul. Lauor. *eod. tract. part. 2. c 10.* Torreblanca *d. cap. 14. in princ.* P. Gregorius *lib. 1. partit tit. 17. c. 2.*

Indulgentias concedere possunt primò Pontifex, qui tantùm plenariam dare valet, quia solus ipse in plenitudinem potestatis vocatus est, *c. cùm ex eo, hoc tit c. quocunque, 24. quæst. 1.* nam ex infinito thesauro Ecclesiæ, cuius administrator ipse est, plenarias, & plenissimas indulgentias concedere valet Lauorus *d. part. 2. c. 11.* Boetius Epon. *de iure iubilæi, num. 148.* In suis diœcesibus Archiepiscopi, & Episcopi indulgentias largiuntur, dummodo statutum generalis Concilij non excedant; nam *in c. antecedenti, c. 1. 3. & fin. hoc tit. in 6.* cauetur, ne claues Ecclesiæ contemnantur per indiscretas Prælatorum indulgentias; & ne pœnitentialis satisfactio eneruetur, decernitur, vt cùm dedicatur basilica, non extendatur indulgentia extra annum, & in anniuersario dedicationis vltra 40. dies: & ita Archiepiscopis, & Episcopis à iure ipso præscriptæ sunt indulgentiæ concedendæ; cùm enim hanc potestatem concedendi indulgentias habeant à Summo Pontifice, vt fert valde communis sententia, cui subscribunt Media *tract. 5. disput. 4. num. 2.* Macedo *de clauibus Petri, lib. 4. cap. 4.* Bellarminus *lib. 4. de Pontifice, cap. 24.* Suarez *tom. 4 in 3. part. sect. 1. n. 11. disput 25.* Magalian. *in proœm. epist. ad Timoth. sect. 12.* Malderus 2. 2. *tract. de Pontifice, disput. 4. dub. 1.* Ægidius 3 *part. disp. 8. dub. 3* Fagundez *in 2. Ecclesiæ præcept. lib. 7. cap. 1. num. 25.* Duuallius *tract. de Pontifice, part. 2. q. 2.* potuit eo modo à Pontifice restringi, & limitari. Legati etiam Apostolici in prouincia sibi designata indulgentias concedere valent, vt docent Glossa *in præsenti*, Petrus Gregorius *d. tit. 17. cap. 3.* Abbatibus verò, & similibus 6 *A quibus indulgentiæ permittuntur.*

Iose-

Digitized by Google

inferioribus Prælatis concedere indulgentias non licet, *cap. accedentibus 13. de priuil.* nisi speciali priuilegio, vel consuetudine legitimè præscripta suffulti fuerint. Barb *d. alleg.* 88. Petrus Gregor. *d. cap.* 3. Fragoso *vbi proximè:* nec absque causa similes indulgentiæ conceduntur; illa autem vel est spiritualis, vel corporalis. Spiritualis, veluti vt fideles à peccatis absoluti orent, pro conuersione infidelium, & pro pace Christianæ fidei, *extrauag. vnic. inter communes, de celebrat. Missar.* vel vt sanctius celebretur festiuitas alicuius Sancti, *Clement. vnic. de reliq. & venerat. extrauag.* 1. *eod. tit. inter communes.* Corporalis est velut in dedicationibus Ecclesiarum, vt fideles inuitentur ad eleemosynas elargiendas eidem Ecclesiæ conseruandæ, *c.* 1. *hoc tit. in* 6. ob restaurationem pontiũ, *cap. cùm ex eo, hoc tit. extrauag. fin. hoc tit.* vel ad sustentationem egenorum confluentium ad hospitale, *dicta extrauag. fin.* vel ad excitandam deuotionem visitando certas basilicas, *extrauag.* 1. *hoc tit.* inter communes.

7 De veritate indulgentiarum. Indulgentias vt nunc vocamus, quibus remissiones continentur minorum peccatorum, aut satisfactiones debitæ pro maioribus, impiè irridet Lutherus *in assertionibus, art.* 17. & sola extrauaganti Clementis VI. ex opinionibus D. Thomæ, vt ille ait, composita probari, falsò nobis obijcit. Sed incipiam à ratione D. Thomæ, quę grauior est quàm prima fronte videtur. Ab omnibus, inquit, ponitur indulgentias valere, & impium esset dicere, quod Ecclesia aliquid vanum facit: ergo sunt indulgentiæ. Perinde enim est, ac si diceret Sanctus, semper hactenus verum fuit in omnibus Ecclesijs fuisse indulgentias: ergo dari indulgentias Apostolicas est Ecclesiæ Catholicæ. Ex eo enim, quod ab omnibus Ecclesijs semper aliquid admissum sit, conuincitur traditio; sic enim probat Apostolus quod in epistola ad Corinthios docebat de ratione docendi Ecclesiæ, & de subiectione inferiorũ Prophetarum ad superiores, & ne mulier doceret in Ecclesia: *Sicut*, inquit, *& in omnibus Ecclesijs Sanctorum doceo, an à vobis processit verbum Dei, aut ad vos solos peruenit.* Quasi diceret, non processit à vobis, sed à vestris antecessoribus. In quo notatur origo, & antiquitas. Sic etiam dogma, indulgentias esse, non à nobis processit, sed ab ijs qui fuerunt ante nostra sæcula. Accepimus etiam à primis Ecclesiæ temporibus. Quod vt facilè constet, ascendamus supra sæculũ Clementis VI. cui indulgentiarum vsum tribuit Lutherus; extat enim Romæ in Ecclesia S. Sabinæ incisa in lapide marmoreo Gregorij IX. indulgentia concessa verè pœnitentibus, & confessis vnius anni, & quadraginta dierum: & ante Gregorium IX. extat Alexandri IV. relaxatio de iniunctis pœnitentijs, (sic enim vocat) incisa item in lapide marmoreo, concessa indulgentia omnibus pœnitentibus, & confessis in dedicatione sanctæ Marię del Campo. Sed si ascendamus adhuc superius, extat indulgentia Veronę in tẽpio Ecclesiæ Collegiatæ S. Helenæ, incisa in tabula lapidea ante annos 430. in solemni dedicatione illius Ecclesiæ, sub hac formula: *Annuam denique 30. dierum absolutionem, & tertiam partem minorum peccatorum, & fraudem pœnitentiarum venientibus ad sacri huius templi reuolutam dedicationem.* Est autem, vt hoc obiter admoneam, sic exponenda hæc formula, vt quia per indulgentias remittuntur tum pœnæ temporales debitæ pro peccatis venialibus, tum debitę pro mortalibus, de pœnis quidem debitis pro peccatis mortalibus remissis accipienda sunt illa verba, *triginta dierum absolutionem;* de debitis pro venialibus illa, *& tertiam partem minorum peccatorum;* id est tertiam partem pœnarum debitarum in purgatorio venialium peccatorum. Quod verò dicit, *& fraudem pœnitentiarum,* significat condonari insuper, ac remitti pœnas debitas pro peccatis maioribus remissis, quæ aliàs fuissent solutæ, ac deletæ per pœnitentias canonicè iniunctas, si fuissent persolutæ, vt postulabat ratio canonũ pœnitentialiũ, qui iusti & sancti fuerunt à principio secundùm iudicium Ecclesiæ constituti, postea verò propter infirmitatem nostram relaxati. Quod ergo non est solutum implendo canonicas pœnitentias in iudicio Ecclesiæ indictas, & præscriptas, vocat fraudem pœnitentiarum, & huiusmodi fraudem canonicarum pœnitentiarum condonat Summus Pontifex condescendens infirmitati nostræ, per œconomiam, & prouidentem dispensationem indulgentiæ. Deinde extat Bulla Vrbani II. de indulgentia plenissima in Synodo Claromontana, cùm erat suscipiendum bellum Hierosolymitanũ contra Sarracenos, Duce Godifredo Bullionensi: sed nec ab hoc Pontifice processit vsus indulgentiarum, sed ante eũ Gregorius VII. idest ante annos 500. multas huiusmodi indulgentias concessit, vt constat ex eius epistola ad Episcopos, & Clericos Britanniæ missa; immò & apud Gregorium Magnum legimus exemplum indulgentiæ, licèt formula sit alia, quàm nunc Patres vtuntur, *lib.* 7 *in epist. ad Recharedum,* vbi ait: *Clauem paruulam à sacratissimo B. Petri corpore pro eius benedictione transmisimus, in qua est ferrũ de catenis eius inclusum, vt quod collum eius ad martyrium ligauerat, vestrum ab omnibus peccatis soluat.* Indulgentiam vocat Sanctus benedictionem veteri verbo illo tempore vsitato. Simile exemplum est in eodem libro *in epist. ad Secundinum:* & aliud *lib.* 6. *in epist. ad Theonitum, & Andream.* Est autem obseruandum, in dicto primo exemplo Gregorij Magni, illum misisse clauem paruulam, quæ erat signum, & index indulgentiæ peccatorum per potestatem clauium concessæ, in qua auctoritate successit B. Petro: & nunc Pontifices alijs verbis idem significant, & alio modo testantur, cùm dicunt: *Auctoritate B. Petri, &c.* mittentes non clauem, sed literas, quas vocant *bullas* cum clauibus pictis: illud verò, quod ait hic Gregorius de ferro ex catenis Petri incluso in claui, non temerè factum est; potuit enim seorsim mittere, & non includere in claui: nisi aliquid spiritualiter, & spiritualibus significare voluisset; illud scilicet, indulgentias ipsas peccatorum, quæ sunt velut catenæ, & vincula, niti in meritis Christi, & passionibus eius, non solùm quas in se passus est, sed quas in sanctis suis: quod nunc ipsi Pontifices in huiusmodi bullis dicunt, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli meritis, & auctoritate confisi concedimus. Merita enim Petri fuerunt eius martyrium, quod significat ferrum de catenis eius Hoc autem exemplum B. Gregorij, non solùm imitatus, verùm & interpretatus est Gregorius alter VII. sic enim scripsit ad Alphonsum Hispaniæ, vt est *lib.* 7. *Regestri eius,* ibi: *Ex more Sanctorum misimus vobis clauiculam auream, in qua de catenis B. Petri benedictio continetur, vt omnipotens Deus, qui illum admirabili potentia nexibus ferreis liberauit, eiusmodi etiam intercessionibus vos ab omnibus peccatorum vestrorum vinculis absoluat, & ad gaudia perducat æterna.* Immò ante tempora Gregorij Magni ab ipsa Apostolorum doctrina processit vsus indulgentiarum; sic enim D Clemens *lib.* 3. *constit. c.* 10 scribit: *Immò nec laico permittimus facere aliquod opus sacerdotale, vt sacrificium, aut baptismum, aut impositionem manus, aut benedictionem, siue paruam, siue magnam.* Et *lib.* 8 *c.* 44. *Nec enim fas est Diacono sacrificium offerre, aut baptizare, aut benedictionem, siue paruam, siue magnã facere.* Non dubium est, quin hic benedictionem magnam vocet Pontifex remissionem peccatorum magnorum, quæ mortalia vocantur; & pœnarum inferni, quæ eis debentur; paruam verò benedictionem vocat remissionem reliquorum peccatorum, idest pœnarum, quę debentur pro peccatis magnis priùs remissis; & paruorũ peccatorũ, quæ dicuntur venialia. Probant etiam hanc potestatem concedendi indulgentias, non solùm viuis, verùm etiam defunctis, Bellarminus *d. tract. de indulg.* Dartis *in tract. de pœnit. cap.* 61. *per tot.*

Nec obstat prima dubitandi ratio suprà expensa, cui vt satisfaciant Doctores, varia adducunt. Abbas in præsenti (quem sequitur Cironius in præsenti) asserit, textũ hunc procedere, quando Archiepiscopus per prouinciam suam visitationis munus exequitur; nam tunc cùm & corrigere possit subditos suffraganeorum suorum, meritò & illis indulgentias concedere valet. Alij docent, Archiepiscopum semper indulgentias concedere posse, quia actus hic est voluntariæ iurisdictionis. Ita Suarez *d. tract. de pœnit. disp.* 49. *sect.* 3. Riccius *in praxi, resol.* 306. *num.* 5. Barb. *de potestate Episcopi, alleg.* 88. Sed hæc sententia expressè conuincitur ex dicto capite *Quod autem*, *hoc tit.* Quare magis placet prior solutio. Nec obstat secunda difficultas, nam verius est, Concilio Lateranensi relato *in c. antecedenti*, præscriptam fuisse formam seruandam in concessione indulgentiarum non solùm Episcopis, verùm & Archiepiscopis; siquidem illis verbis, *Quidam Ecclesiarum Prælati,* comprehenduntur etiam Archiepiscopi: vnde rectè notarunt Barbosa *d. alleg.* 88. *n.* 16. Fragoso *d. c.* 2. *lib.* 2. *disp.* 4. *§.* 2. *n.* 20. quod si concessit Archiepiscopus quadraginta dies indulgentiarum in perpetuũ, nihil amplius potest eius successor pro eadem causa concedere, quia reputantur vnus Prælatus. 8 Dissoluitur dubitandi ratio.

CAPVT XVI.

Gregorius a Nonus.

NE pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & alijs superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum & discretum sibi possint eligere confessorem.

NOTÆ.

1 a GRegorius IX.] Qui præsentem constitutionem edidit motu proprio in fauorem Prælatorum, tam regularium, quàm sæcularium: qui cùm non possint facilè adire suos superiores, illis conceditur, vt possint sibi eligere confessarium. Quod priuilegium latè illustrant Fagundez *in quinque præcepta, cap.2. n.15.* Bruno Chassaing. *in priuil. Regul. tract.3. cap.3. propos.8.* Diana *part.10. tract.16 resol.76.* Bard. *in Bullam, part.2 tract.5. cap.2. sect.2.* qui omnes rectè notant, priuilegium hoc non esse reuocatum per Tridentinum *sess.23 de reformatione, c.15.* quia cùm sit insertum in corpore iuris, & eius mentio specialis non fiat, non censetur derogatum: & varias illationes deducunt de Equitibus militaribus, & alijs personis exemptis.

TITVLVS XXXIX.

De sententia excommunicationis.

CAPVT PRIMVM.

Alexand. III. a *Senon. Archiepiscopo.*

SVper eo verò, quod consilium postulasti, vtrùm *b* Scholares, si se inuicem in plena, vel minore ætate, clerici, vel religiosi viri in claustro percutiant, secundùm *c* canonem illum, quo statutum est, vt illi, qui in clericos violentas manus iniiciunt, mittantur ad Apostolicam Sedem, pro sua absolutione debeant venire. Inquisitioni taliter respondemus, quòd si clerici infra *d* puberes annos se ad inuicem, aut vnus alterum percusserit, non sunt ad Ap. Sedem mittendi: nec clerici, si sunt plenæ ætatis, & non odio, vel inuidia, vel indignatione, sed leuitate *e* iocosa se ad inuicem percutere contingat: nec Magister si scholarem clericum intuitu *f* disciplinæ, vel correctionis percusserit; quia non potest in ipsis iniectio manuum violenta notari. Cæterùm si ex odio iidem scholares, vel sæculares clerici sese percusserint, pro sua absolutione debent ad Ap. Sedem venire.

NOTÆ.

1 a SEnonensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.1.* & post Concil. Lateran. *part.14. c.7.* legitur *Exoniensi:* & additur in dicto capite 1. *pars capitis Sicut dignum.* Vnde cognoscitur, in præsenti textu referri partem textus *in c. sicut dignum, de homicidio;* & ita inscriptionem restituendam esse, *Alexander III. Bartholomeo Exoniensi Episcopo.* Et ex eadem Decretali sunt textus sequentes. & ideò compilatores hanc epistolam in partes secarunt, & diuiserunt, non alia de causa, quàm vt casus in ea decisos separarent, & non ita diffusam decretalem compilarent.

b *Scholares.*] De scholaribus, & eorum varijs acceptionibus egi *in c.1. de celebratione Missarum.*

2 c *Canonem illum.*] Innocentij II videlicet, editum in Synodo Romana, transcriptum à Gratiano *in c. si quis suadente, 17. quæst.4.* quem innouauit Eugenius III. in Synodo Rom. *can.3* in hæc verba: *Nihilominus præsentis scripti serie prædecessoris nostri felicis memoriæ Papæ Innocentij statutum confirmantes decernimus, vt si quis suadente diabolo tanti sacrilegij reatum incurrerit, quod in clericum, vel monachum violentas manus iniiciat, anathemati subiaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absoluere, nisi mortis vrgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & eius mandatum suscipiat.* Refert Manrique *tom.2. annal. Cister. anno 1148. c.4.* Quæ constitutio firmari potest ex varijs Conciliorum canonibus congestis à Crespetio *in summa, verbo Clerici non sunt cædendi,* Antonio Augustino *in epit. iuris Pont. lib.35. tit.1. part.4.* Vighellio *in methodo iuris can. fol.49.* & latè exponunt priuilegium huius canonis vltra congestos à Cenedo *ad Decret. collect.24.* & Barbosa *in d. cap. si quis suadente,* Petrus Gregorius *lib.4. partit. tit.9. c.10.* & *tit.16 c.11.* Fragoso *de regim. Christ. Reip. part.2. lib.1. disp.2.* Delbene *de immunit. tom.1. c.3. dubit.4.* Scortia *in select. Pontif. constit. epit.29. theorem.69.* Saussay *in Panopl. cleric. 3. par. axiom.2.* Diana *part.9 tract.4. per tot.* Hieronymus Garcia *in summa, tr.1. diffic.3. per tot.* Gibalinus *de censur. in synop. verbo Iniuria.*

d *Puberes annos.*] De pubertate egi *in c. 1. de despons. impub.* Impuberes hoc casu ætas excusat, non à censura, si iam erant doli capaces, sed propter teneram ætatem excusantur pro absolutione adire Romanum Pontificem; & ita pueri qui nondum vsu rationis pollent, cùm nec peccare mortaliter possint, ideò nec excommunicationem contrahere, vt latè probant Narbona *de ætate ad actus humanos, anno 10. & dimidio, quæst.8.* Gibalinus *de censur. disquisit.3. quæst.4.* Si autem iam pleno rationis vsu pollent, etsi ad pubertatis annos non peruenerint, incidunt in censuram canonis: sed propter ætatem possunt ab Episcopo absolui, ex præsenti textu; immò etsi ob violentam manuum iniectionem iam puberes absolutionem petierint, possunt per Episcopum absolui, *cap. fin. hoc tit.* 3

e *Iocosa.*] Quia cùm eo casu non detur peccatum in ipso percutiente, non incurritur hæc censura. Villalobos *in summa, tom.1 tract.17. difficult.22. num.3.* Portel. *in dub. regul. verbo Manus violentæ, n.4.* Diana *part.9. tract.4. resol.43. per tot.*

f *Disciplinæ.*] Vnde Magister, vel Prælatus potest clericum subditum, vel discipulum etiam in sacris constitutum pro ratione culpæ punire, absque eo, quod incidat in censuram huius canonis, *c. ex tenore, c. ex voluntate, hoc tit.* docent Gibalinus *vbi suprà, num.5.* Castropalao *tom.6. oper. moral. disput.14. dub.15. num.190.* Diana *d. tract.4. resol.21.* dum tamen ipsa correctio modica sit, iuxta tradita *in c. presbyterum, de homicidio:* & etiam superior sua correctione ad sanguinis effusionem non perueniat, iuxta tradita *in c. 1. de calumn.* & tradenda infrà *in cap. vniuersitatis:* & an idem procedat in patre percutiente filium sacris ordinibus initiatum, dicemus infrà *in cap. cùm voluntate.* 4

C A-

CAPVT II.

a Idem.

MOnachi verò, & canonici regulares, quocunque modo se in claustro percusserint, non sunt ad eandem Sed. mittendi, sed secundùm prouidentiam, & discretionem sui Abbatis disciplinæ subdantur: & si discretio Abbatis non sufficit, ad eorum correctionem est diœcesani Episcopi prouidentia adhibenda.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.3.* & post Concil. Lateran. *part.14. c.8.* & refertur in præsenti pars textus antecedentis. Eius meminerunt Innocentius III. *in cap. cùm illorum 32.* Honorius III. *in cap. considerata, 50. hoc titulo.*

COMMENTARIVM.

2 LIcèt Abbates non possint absoluere monachos ab excommunicationibus incursis, quæ in iure reperiuntur statutæ, *Clement. 1. de priuileg.* quia etsi Episcopus, vbi Pontifex non reseruat sibi absolutionem, possit absoluere, quia absolutio illi censetur permissa, *c. nuper 29. hoc tit.* non tamen æquè hoc procedit in inferiori Prælato, vt est Abbas; & sic ipse monachos proprios non potest absoluere ab excommunicatione in iure statuta, vt in præsenti casu violentæ manus iniectæ à monacho in monachum; quia plerumque contingit, vt monachi suggerente humani generis aduersario se inuicem percutiant: quare illis prohibitum est deferre cultellos acutos. Arnulphus Episcopus Lexou. *epist. ad Alexand. Papam*, ibi: *Ac nisi de cultellis eorum pugionem prouida sustulisset antiquitas, sæpius vsque ad alternas etiam mortes intemperantia desæuisset.* Et ne ita facilè daretur monachis materia vagandi, vt rescripsit Bonifacius VIII. *in c.21. hoc tit. in 6* ideò conceditur Abbati, vt possit in præsenti casu beneficium absolutionis monachis impendere, *c. canonica, hoc tit. c. quoniam, de vita, & honest. cleric.* docuerunt Germonius *lib. 3. de sacror. immunit. c.9. n.26.* Suarez *de censur. disput. 22. sect. 1.* Tamburin. *de iure Abbat. tom.2. disp. 14. quæsit. 10.* Gibalinus *vbi suprà.* Itaque religiosus percutiens religiosum eiusdem ordinis, potest absolui à Priore, Guardiano, Præposito, seu eius Prælato; dum tamen percussio grauis, & enormis non sit, *c. canonica, hoc tit.* vbi restringitur generaliter præsens textus. Si verò Religiosus percusserit religiosum alterius Ordinis, poterit absolui à proprio Prælato, sed præsente Prælato religiosi offensi; atque ita vtriusque Prælati consensu imponi debet condigna satisfactio, *c. cùm illorum, hoc tit.* Religiosus verò, qui clericum sæcularem percussit, non à suo Prælato præsente Episcopo, sed ab Episcopo tantùm, si percussio leuis fuerit, absolui debet, *d. c. cùm illorum, c. religiosi, eod. tit. lib. 6.* quos, & alios casus prosequuntur Fragoso *d. lib. 1. disput. 2. §. 3.* Diana *d. tract. 4. resol. 49. cum quatuor seq.* Tamburin *dicta disp. 54.*

CAPVT III.

a Idem.

SI verò aliquis alicuius potestatis ostiarius sub prætextu officij sui malignatus clericum læserit, ab Episcopo suo potest absolui, nisi fortè eundem clericum vulnerauit grauiter. *b* Officialis verò pro iniectione manuum in clericum non potest sine mandato Romani Pontificis absolutionis beneficium promereri, quia nulli laico super clericum tanta datur auctoritas, nisi fortè turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, sed fortuito casu clericum lædet. Si verò clericum vim sibi inferentem vi *c* repellat, vel lædat, non debet propter hoc ad Apostolicam Sedem transmitti, si in continenti vim vi repellat, cùm vim vi repellere omnes leges, omniaque iura permittant. Nec ille compellendus est ad Apostolicam Sedem venire, qui in clericum cum *d* vxore, matre, sorore, vel filia sua propria turpiter inuentum manus iniecerit violentas. Cæterùm si in stupro, vel adulterio, quando ea, cum qua stuprum, vel adulterium committitur, ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut in eum violentas manus iniecit, non à sententia illius excommunicationis erit immunis.

NOTÆ.

a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 4.* & post Concil. Lateran. *part.14. c.9* & etiam textus hic spectat ad eandem Decretalem.

1 b *Officialis verò.*] Et ita Principum ianitores, ostiarij, & cæteri officiales, si arcendo turbam clericum leuiter percusserint, possunt à proprio Episcopo absolui; si autem sibi arrogando iurisdictionem, quasi id sibi permissum fuerit, non possunt ab Episcopo absolui, vt probant Suarez *dicta disp. 22. sect. 1.* Castropalao *tom. 6. disput. 3. puncto 23. §. 4.* Diana *d. tract. 4. part. 9. resol. 55.*

2 c *Repellat.*] Quia cùm ille, qui se defendit, nullam culpam admittat, vt probaui *in c. 2.* de homicidio, ideò nec præsentem canonis excommunicationem incurrit, *c. ex tenore, hoc tit.* ex quo principio varias illationes deducunt Castropalao *d. §. 3.* Molina *de iustitia, tract. 2. disp. 55. n. 3.* Gibalinus *in synop. verbo Iniuria, n. 4.* & qui in continenti, & in rixa, honoris defendendi causa clericũ percutit, censuram non incurrit, quia percutit per accidens vt talem, non suadente diabolo, sed percitus ira, vel honoris amore. Suarez *de censur. disp. 22. sect. 1. ex n. 33.* Sayrus *in claui Regia, lib. 3. c. 27. n. 20* Basseus *verbo Excommunicatio 2. §. vnico*, Barbosa *in c. si quis suadente, n. 56.*

3 d *Vxore.*] Quia grauis dolor iniuriæ acceptæ eum excusat, argumento legis *Gracchus, C. ad leg. Iul. de adult.* iunctis traditis *in c. 1. de his quæ vi:* quare desideratur, vt maritus excusetur ab hac censura, quod in ipso actu turpi clericum apprehendat, vt constat ex hoc textu, ibi: *turpiter inuentum.* Vnde dubitari solet, an maritus, qui non casu, sed data opera, & deliberato animo expectauit clericum adulterum, vt vindictam sumeret, excusetur ab hac excommunicatione? Et illũ non excusari, etiamsi turpiter cum vxore deprehendat, quia hoc non est illum inuenire, sed expectare, docuerunt Layman *lib. 1. summæ, tract. 5. part. 2. cap. 5. num. 8* Cartharius *decis. Mediolan. decis. 3. num. 5.* Emanuel Rodriguez *in summa, tom. 1. c. 144. n. 18.* Sed contrarium tenuerunt plures, quos refert & sequitur Barbosa *in præsenti, num. 7.* & alijs relatis Hieronymus Garcia *in summa, tract. 1. difficult. 3. dub. 1. puncto 4. num. 75.* Fragoso *d. 2. part. de regim. lib. 1. disp. 2. §. 1. num. 35.* Diana *part 9. tract. 1. resol. 2.* Gibalinus *vbi suprà.* In qua opinionum varietate distinguendum credo, an ex dolo viri, aut vxoris clericus adulter vocatus fuerit, aut detentus, vt ita vindictam sumere possint; nam eo casu, cùm non possit dici clericus inuentus, sed euocatus, & dolosè attractatus, excusari non potest ab excommunicatione; si verò absque dolo, licèt proditoriè, fuerit percussus, immunis est ab hac censura. Prosequuntur Belletus *part. 1. disquisit. cleric. pag. 181.* Castropalao *d. disp. 3. puncto 13. §. 3.* & textum hunc protrahendum esse ad percutientem clericum repertum cum sponsa de præsenti, non verò de futuro, docuerunt Molina *de iustitia, tract. 3. disp. 55. num. 5.* Diana *part. 4. tract. 4. resol. 32.*

C A P V T IV.

a Idem.

SI verò aliquis in clericum nutrientem comam manus iniecerit violentas, propter hoc non debet Apostolico præsentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum non nouerit: vel si hoc dubium fuerit, propria manu dumtaxat præstabit iuramentum, quòd eum esse clericum ignorasset. Ab illo autem (si præstare noluerit iuramentum) quia violentas manus constat eum in clericum iniecisse, sicut ab excommunicato, donec de mandato Summi Pontificis absoluatur, conuenit abstineri.

N O T Æ.

1 a IDem]Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 5.* & post Concil. Lateran. *part. 14. c. 1.* legitur *Batoniensi.* Vnde rectè deducit Aotonius Augustinus *in notis ad haac textam*, in præsenti referri partem textus *in c. de illis, de desponsf. impub.* vbi de Batoniensi diœcesi egi, & *in c. 1. de tempor. ordin.*

C O M M E N T A R I V M.

2 LIcèt ignorantia huius excommunicationis non excuset percutientem clericum ab eius incursu, vt nouissimè probat Arauio *in qq moral. 3. par. q. 31. per totam;* tamen si qui percutiunt, probabiliter ignorant, quem percutiunt, clericum esse, cessat iniuria facta ordini clericali, nec committitur formaliter sacrilegium; ideò excusantur ab hac excommunicatione. Sanchez *lib 9. de matrim disp. 32. n. 41.* Gibalin. *d. verbo Iniuria, in synopsi.* Vnde cùm nutrire comam clerici non sit, *c. si quis ex clericis, de vita & honest. cleric.* ideò qui clericum nutrientē comam percussit, non incidit in hanc excommunicationem, quia iustam causam habuit credendi, eum clericū non esse, cùm sine habitu clericali incessisset. Facit Concil. Tribur. *can. 26.* ibi: *Vt presbyteri non vadant absq; stola, vel orario indusi. & si in itinere spoliantur, vel vulnerantur aut occiduntur nō stola vestiti, simplici emendatione sua soluantur.* Anguianus *lib 4. de legibus, c. 4.* De clerico deserente habitum clericalem egi iam *in c. 1. de apostatis.*

C A P V T V.

a Idem *Abbatibus, Prioribus, & alijs ecclesiasticis viris per Eboracen. Episcopatum constitutis.*

NOn dubium est vobis, sicut credimus, vel incertum, quin ij, qui violentas manus in clericos, canonicos, aut cuiuslibet *b* religionis conuersos inijciunt, ex institutione Concilij sententiam excommunicationis incurrant: nec nisi in articulo mortis sine Rom. Pont. ab solutione possunt beneficium impetrare.

N O T Æ.

a IDem]In hac sexta collectione tantùm legitur *Idem*, sed inscriptio supplenda est ex prima collectione, vbi *sub hoc tit cap. 6.* repetitur textus hic.

1 b *Religionis conuersos.*]Consonat textus *in c. 11. hoc tit. in 1. collect.* vbi Alexander III. ita scribit: *Si fortè post conuersionem suam in aliquem de fratribus suis aliquis violenter manus iniecerit, licitum sit tibi eos ab excommunicationis sententia absoluere.* Et in *c. 13.* eiusdem collectionis, ibi: *Grauiter oculos diuinę Maiestatis offendunt, qui religiosos viros fatigant molestijs, & otiā suæ perturbant quietis. Sanè à sanctæ memoriæ prædecessore nostro Papa A. in Concilio Lateranensi constitutum est, vt qui violentas manus in clericos, vel monachos, hospitalarios, vel templarios, seu in viros alterius religionis immittunt, excōmunicationi subiaceant. Nos autem statutam prædecessoris nostri ratū, & firmum tenere volentes, f. v. m. quatenus si qui parochianorum vestrorum in fratres Hospitalis Hierosolymitani manus violentas iniecerint, eos appellatione remota publicè excōmunicatos denuncietis, & ab omnibus faciatis cautiùs euitari, donec prædictis fratribus de illata iniuria congruè satisfaciant, & cum literis Episcoporum suorum rei veritatē continentibus Apostolico conspectui se repræsentent.* Gaudent ergo hoc priuilegio canonis, primò clerici, non solùm sacris ordinibus initiati, verùm etiam qui minores, immò & qui primam tantùm tonsuram habent, quia illi clerici dicuntur, *c. clerici, 21. dist. c. cùm contingat, de ætate & qualit.* Et quamuis vt gaudeant priuilegio fori nouiter post Cooncil. Trident. *sess. 23. de reform. c. 6* desideretur, vt deferant habitum clericalem, & simul deseruiant alicui Ecclesiæ; tamen vt gaudeant priuilegio canonis tantùm desideratur, vt deferant habitum clericalem, ex veriori sententia, quam defendunt Molina *de iustitia tract. 3. disp. 54. n. 9.* Auila *de censur. 2. part. c. 1. disp. 2. dub. 9.* Barbosa *de potest. Episc. part. 2. alleg. 12. n 32.* & *lib. 1. iuris eccles. cap. 39. §. 1.* Diana *p. 3. tract. 5. resol. 82.* Hieronymus Garcia *in summa, tract. 1. difficult. 3. dub. 1 punct. 1.* Gibalinus *in synopsi, vbi suprà.* Nec interest, quòd tales clerici sint excommunicati, suspensi, irregulares, seu verbaliter depositi, immò etsi decesserint, adhuc cadauer gaudet hoc priuilegio. Item clerici coniugati cum vnica, & virgine, habitum deferentes gaudent hoc priuilegio, vt probat Diana *p. 9. tract. 4. resol. 6. per tot.* Si verò clerici, deposito habitu, enormitatibus dentur, non gaudent hoc priuilegio, *cap. perpendimus, cap. cùm non ab homine, hoc tit.* Quod ad assassinos protrahunt Couarr. *lib. 2. variar. cap.* 20. *num. 10.* Item ioculatores, & goliardi, de quibus *in cap. vnic. de vita & honest. lib. 6.* Item carnifices, & tabernarij ter moniti, si non desistunt, priuantur hoc priuilegio canonis, *Clement vnica, eod. tit. de vita & honest. cleric.* Item incorrigibiles realiter degradati hoc priuilegio spoliantur, *c. cùm non ab homine, de iudic.*

Secundò hoc priuilegio gaudent omnes religiosi vtriusque sexus conuersi, etsi aliqui non emittant professionem; immò & nouitij, *c. religiosi, hoc titulo in 6.* an quia appellatione clericorum veniant, an verò ratione priuilegij, disputant Hallierius *lib 4. in vindicijs, c. 1. §. 2.* Cellotius *contra ipsum de hierarch.* Hoc quoque priuilegio gaudent fratres tertij ordinis sancti Francisci in communi viuentes, & habitum gestantes: si verò in domibus proprijs habitent, etsi habitum deferant, & se, ac sua religioni tradant, non gaudent hoc priuilegio. Rodriguez *tom. 2 qq. regal. q. 65. art. 5.* Gibalinus *in synopsi, d. verbo Iniuria.* Similiter Eremitę sub certa regula degentes, ac proprium Prælatum agnoscentes, gaudent hoc priuilegio. Circa Equites militares, & eorum Commendatarios dubitant Molina *d. disp. 50.* Sanchez *lib. 1. summæ, c. 16. n. 11.* Azor *p. 1. instit. lib. 13. c. 4. q. 4.* Sed huius dubij resolutio pendet ex alia quæstione, an videlicet illi sint veri religiosi? Quam examinant plures, quos retuli *in c. 5. de statu monach.* Et ita dicendum est, Equites sancti Ioannis, quia emittunt tria vota substantialia, gaudere hoc priuilegio canonis, cæteros verò Equites in communi non degentes, non gaudere hac immunitate, etsi contrarium teneat Diana *d. tract. 4. resol. 7. per tot.* 2

C A-

Digitized by Google

C A P V T VI.

a Idem.

b MVlieres, vel aliæ personæ, quæ sui iuris non sunt, ab Episcopo diœc. absolui possunt, si manus in clericum iniecerint violentas. De his verò, qui magnæ non sunt potentiæ, & ita delicati, quod laborem veniendi ad Sed. Ap. nequeunt sustinere, respondemus, quòd status personæ priùs, & veritas negotij est intimanda Rom. Pont. & secundùm consilium eius tales erunt de commisso scelere corrigendi. c Illi verò, qui non per seipsos, sed eorum auctoritate, vel mandato violenter inijciunt manus in clericos, ad Sedem Apost. sunt mittendi; cùm is committat verè, cuius auctoritate, vel mandato delictum committi probatur.

N O T Æ.

a IDem B.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.7.* post Concil. autem Later. *p.14. cap.12* legitur *Batoniensi*; sed retineo præsentem inscriptionem, & verius credo, in præsenti referri partem textus *in cap.1. hoc tit.*

1 b *Mulieres.*] Consonant textus *in cap. quamuis, cap. ea noscitur, hoc tit.* Nam cùm in mulieribus periculosum sit vagari, & virorum cœtibus se immiscere, *l.1. C. Iustin. de offic. diuers. iudic. nouella* 124. *c.1.* (cuius constitutionis ansam tradit Baronius *anno* 316. *n.* 71.) vt probant Cassaneus *in catal. p.2. consider.* 30. Osualdus *lib.*24. *c.*22. *litera* G. Reuardus 4. *var.* 15. Ideò non sunt cogendæ Romanũ Pontificem adire, & ita generali consuetudine receptum est, vt etiam ob grauem percussionem possint ab Episcopo absolui, vt testatur, & probat Diana *d. cap.9. tract.4. resol. 59. per tot.*

c *Illi verò.*] Etiam hanc constitutionem ad consulentes, & qui auxilium, vel fauorem percussioni clericorum præstiterint, immò & ad ratam percussionem habentes, extendunt Doctores ex textu *in c. quantæ 47. cap. cùm quis, hoc tit.* Diana *d. tract.* 4. *resol.*14. Suarez *disp.22. de censur. sect.1. num.*55. Hieronymus Garcia *d. difficult.* 3. *puncto* 3. qui varios casus resoluunt circa mandantes similem percussionem. 2

C A P V T VII.

a Idem.

POrrò si aliqui violentas manus in fratres suos inijciunt, & ducti pœnitentia, non conuicti, sed priuatim à te veniam postulant, eos monere debes, & inducere, vt his, quos læserunt, congruè satisfaciant, & Apostolico se conspectui repræsentent, cùm à te, vel alio sine speciali mandato Rom. Pont. absolui non possunt.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Alex. sed credo etiam spectare textum hunc ad ipsius Pontificis Decretalem relatam *in c. 1. hoc tit.* Illud tantùm in præsenti deciditur, excommunicationem canonis, *Si quis suadente*, etiã incurri ex percussione occulta, & absolutionẽ ipsius excommunicationis Romano Pontifici reseruari, licèt hodie, vt videtur talis percussor clerici, debeat esse notorius, post extrauagantẽ *Ad euitanda.*

C A P V T VIII.

a Idem.

NVlli se possunt priuilegio Ap. Sed. tueri, quominus b excommunicatos vitare debeant, & pro violenta manuum iniectione in clericos, sicut excommunicati vitari.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur *in cap.10. hoc tit. in 1. collect.* vbi additur, *Pars capitis Significasti*: sed vt notauit Antonius Augustinus, non reperitur integra epistola in aliquo capite *Significasti*: quare credebam legendum esse, *Pars capitis Sicut*; & ita textum hunc spectare ad Decretalem Alexandri III. relatam *in d. cap. 1. & sequent.*

b *Excommunicatos vitari.*] Non quia Pontifex tale priuilegium communicandi impunè cum excommunicatis concedere nequeat, quia cùm hæc prohibitio sit iuris positiui, vt dicemus infrà *in c. significauit*, rectè potest priuilegio tolli, vt probat Balboa *in cap. 2. de except.* Auendaño *de metu lib. 2. cap. 31. num.* 28. 2

C A P V T IX.

a Idem *Episcopis, & alijs Prælatis per Galliam constitutis.*

PArochianos vestros, si qui in monachos, vel conuersos præfati Ordinis violentas manus iniecerunt, sublato appellationis remedio, secundùm tenorem generalis decreti excommunicatos publicè nuntietis, ipsosque faciatis sicut excommunicatos arctiùs euitari, donec b læsis congruè satisfaciant, & cum literis vestris Apostolico se conspectui repræsentent.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.14.* & post Concil. Lateran. *p.14. c.11.* nec ampliùs exprimitur: credo autem etiam textum hunc spectare ad Decretalem relatam *in c. 1. hoc tit.*

b *Læsis.*] Certum est, ad assequendam absolutionem ob crimen admissum desiderari satisfactionem parti læsæ factam, *c.2. hoc tit. in 6.* probant latè Ricciulus *de iure person. lib.4. c. vlt.* Gibalin. *de censur. disquisit. 9. quæst.4. num.6.* Gutierrez *qq. canon. c.5. num.29.* Illud in præsenti difficile videtur, quomodo videlicet in præsenti casu ob iniuriam illatam monachis, seu canonicis regularibus, ipsi conqueri possint; cùm certum sit, monachos ob iniuriam sibi illatam agere non posse, sed tantùm monasterium, exemplo Patrisfamilias, ob iniuriam filio irrogatam, *leg. si vnius, §. filiofamilias, ff. de iniurijs.* Sed respondendum est, Alexandrum in præsenti dum docet læsis congruam satisfactionem esse præstandam, accipiendum esse de satisfactione præstanda monachis, mediante ipso monasterio, vel eius syndico, vt docuit Balboa *in cap. causam 9. n. 10. de iudicijs.*

C A-

CAPVT X.

Idem a *Ianuensi Episcopo*.

EX tenore literarum tuarum nobis innotuit, quod B. Canonicus sanctæ Mariæ de *b* vineis, in quendam subdiaconum manus iniecit violentas, &c. *Et infra:* Mandamus itaque f. t. quat. recepto ab eo Canonico iuramento, quòd tuo debeat mandato parere, ipsum vice nostra à sententia, qua tenetur, absoluas, sibique in virtute iuramenti præcipias, quod de cæterò in clericum, monachum, hospitalarium, vel alicuius Religionis conuersum manus non inijciat violentas, nisi se *c* defendendo, aut de mandato fecerit suorum Prælatorum, vel nisi super eum prælationis ministerium, aut *d* magisterium habeat, aut cum ipso socius fuerit in eadem Ecclesia.

NOTÆ.

1 a IAnuensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap* 15. de Ianuensi, seu Genuensi Ecclesia egi *in cap. per vestras, de donat. inter.*

2 b *Sanctæ Mariæ de Vineis*. Monasterium sanctæ Mariæ in Vineis olim erat Canonicorum regularium in ipsa diœcesi Ianuensi membrum Congregationis Mortariensis, etsi postea Ecclesia Canonicorum regularium effectum sit, vt refert Pennotus *lib. 2. canonic. regul. c. 27. n. 2.*

c *Defendendo*.] Iuxta tradita suprà *in cap. si verò 3.*

d *Magisterium*.] Et ita intuitu disciplinæ, iuxta tradita suprà *in cap. 1.*

CAPVT XI.

Idem a *Cenomanensi Episcopo*.

DE cætero noueris, quòd laicus pro violenta manuum iniectione in clericum vinculo excommunicationis astrictus, si habeat capitales inimicitias, vel alias iustas excusationes, quibus abstinere rationabiliter excusetur, ita quod sine periculo Apostolico se nequeat conspectui præsentare, licet diœcesano Episcopo, recepto iuramento, secundùm morem Ecclesiæ absolutionis gratiam impertiri; sed est illi sub iuramento debito iniungendum, vt quamcitiùs habuerit opportunitatem Romanum Pontificem adeundi, adeat mandatum Apostolicum suscepturus.

NOTÆ.

1 a CEnomanensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 16* vbi additur, *Pars capitis Tua nos;* vnde cognoscitur in præsenti referri partem textus *in cap. 1. de clericis peregrin.* In hoc textu tantùm refertur casus, in quo ob legitimum impedimentum potest Episcopus absoluere ab excommunicatione incursa ob violentam percussionem; & contingit cùm ob difficultatem itineris non potest facilè adiri Rom. Pont. & ita cùm ob grauem necessitatem redditur difficilis accessus ad Sedem Apostolicam, posse Episcopum absoluere ab hac excommunicatione, docuerunt Barbosa *de potest. Episc. alleg. 4. n. 6.* Gibalinus *in synop. censur. verbo Iniuria, n. 16.*

CAPVT XII.

Vrbanus III. a *Cenomanensi Episcopo*.

AD hæc autem, cùm inter *b* parochianos tuos, vel inter eos, & alios controuersia coram delegatis iudicibus agitetur, sæpiùs à iudicibus ipsis, vt asseris, Apostolica auctoritate tibi iniungitur, vt alteram partium fortè iudicio parere contemnentem, vel ob aliam causam rationabilem, ecclesiastica districtione percellas: illi verò, qui subiacere excommunicationi mandantur, ad alios iudices literas ab Apostolica Sede impetrauerunt, à quibus nihilominus auctoritate tibi Apostolica mandatur, vt eos, qui de mandato iudicum priorum excommunicati fuerant, habeas absolutos. Super quo tua discretio dubitat, quid tibi in diuersitate huiusmodi sit agendum. Ad quod breuiter respondemus, quòd si literæ ad secundos iudices impetratæ *c* tacita veritate obtentæ non fuerint, eos ad mandatum eorum absolutos habere debes, præcipuè cùm Romana Ecclesia absolutionem sententiæ delegatorum iudicum nequaquam consueuerit aliis delegare, nisi in literis commissionis expresso de sufficienti cautione præstanda ab iis, qui absolui debent, quod iudicio Ecclesiæ debent obedire.

NOTÆ.

1 a CEnomanensi.] *Senonensi* legitur in hac sexta collectione; sed inscriptionem, & literam restituo ex prima collectione, vbi *sub tit. de rescript. c. 8.* ita habetur: & ex Concilio Lateran. *p. 6. c. 21.* vbi habetur, *M. Cenomanensi Episcopo;* & additur, *pars capitis Cùm Apostolica*, vt cognoscatur, in præsenti referri partem textus *in cap. cùm Apostolica, de sponsalib.*

b *Parochianos*.] Plerumque enim diœcesani appellantur parochiani, & diœcesis parochia, vt probaui *in c. 2. de pecul. cleric.* 2

c *Tacita veritate*.] Quo casu rescriptum ipso iure nullum est, iuxta tradita *in cap. super 20. de rescript.*

CAPVT XIII.

a Clemens III.

EA noscitur, &c. Quod vtique fraternitas tua diligenter attendens, certificari humiliter postulauit de eis, qui violentas manus in clericos aliqua temeritate inijciunt, nec eis suppetunt facultates, vt ad Sedem Apostolicam valeant laborare, quomodo his scilicet possit salubriter prouideri? Super quo taliter tibi duximus respondendum, vt *b* mulieres, quas sexus fragilitas non permittit ad Sedem venire Apostolicam, *c* senes, & *d* valetudinarij, seu alij membrorum destitutionibus impediti,

pediti, licèt ad Apoſtolicam Sedem non venerint, ab Epiſcopis valeant ſalutis remedium accipere, & ex eorum officio fidelium communioni reſtitui, ſatisfacto iuxta facultates ijs, quibus per eos conſtiterit iniurias irrogatas. Alios autem, ſiue pauperes, ſiue diuites, Sedi Ap. vel eius Legato, vt beneficium abſolutionis obtineant, neceſſe eſt præſentari. Si verò huiuſmodi infirmitatis tempore timore mortis beneficium fuerit abſolutionis indultum, per iuramentum eis iniungatur, vt poſtquam fuerint ſanitati reſtituti, ad Romanam Eccleſiam, vel eius Legatum accedant, mandatum ſuper talibus recepturi.

N O T Æ.

1 a CLemens III.] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 1. nullibi tamen exprimitur cui reſcribat Pontifex.

b *Mulieres*.] De quibus egi ſuprà *in c. mulieres*.

2 c *Senes*.] Qui autem dicantur ſenes quoad hanc abſolutionem promerendam, exponunt Barboſa *de poteſt. Epiſcopi alleg.* 41. *n.* 27. Diana *d. tract.* 4. *p.* 9. *reſol.* 60.

d *Valetudinarij*.] Ideſt quacumque corporis impotentia impediti, etiamſi non immineat periculum mortis: & in hac parte ſtandum eſt iudicio medicorum, vt reſoluit Barb. *d. alleg.* 41. *n.* 25. 3

C A P V T XIV.

a Idem.

CVm non ab homine. *Et infrà*: A nobis itaque fuit ex parte tua quæſitum; an tenearis à communione illius abſtinere, qui pro temeraria manuum iniectione, in ſententiam incidit, antequam excommunicatus publicè nuntietur; & an incidant in canonem latæ ſententiæ interfectores clericorum, aut Presbyterorum illorum, qui abiecto ſuſcepti ordinis miniſterio, in publicis *b* bellis, vel etiam præter bella ſe homicidijs polluere non verentur, cùm in comeſſationibus & ebrietatibus, atque rapinis, & alijs enormitatibus æquè ſunt, vt laici, vel deteriùs debacchantes. In ſecunda igitur conſultatione taliter reſpondemus, quod à communione eius, qui pro ſacrilega manuum iniectione in clericum antedictum in excommunicationem incidit, licèt denuntiatus non ſit, ob hoc debeas abſtinere, niſi fortè id tibi ſoli pateret, in quo caſu ipſum priuatè tantummodò euitabis, quamdiù ab Eccleſia toleratur; vt ſaltem verecundiæ rubore ſuffuſus, pro latenti exceſſu taliter ſatisfacere compellatur. In articulo verò quæſtionis tertiæ tale præbemus reſponſum, vt occiſores clericorum, vel Presbyterorum, qui vt dictum eſt, contempto clericali habitu, tyrannidi, & enormitati ſe inuerecundè commiſcent, in odium clericalis exceſſus, & in terrorem, atque correctionem ſimilium, canone latæ ſententiæ laici minimè coerceantur, iniungatur tamen eis pœnitentia competens aliquantulum aſperior, quàm ſi omninò in laicos talia commiſiſſent. Præterea, quia nemo deſperandus eſt, dum fuerit in mortali corpore conſtitutus, cùm id, quod differtur, aliquando conſilio poſtmodùm maturiore perficiatur; ad vltimum quoque, quod conſuluiſti nos, ſi de iure communi tibi liceat, ac ſuffraganeis tuis illos, qui pro temeraria manuum iniectione excommunicationis ſententia percelluntur, abſoluere; huic manifeſtiùs reſpondemus, quòd obſeruata exceptione quorundam, quæ in decretalibus *c* Alexandri III. continetur, hoc nemini liceat, niſi Apoſt. Sed. gaudeat priuilegio ſpeciali. Verumtamen volentes illis, qui in tam remotis partibus tuæ prouinciæ commorantur, diſpenſatione prouidere paterna, f. t. p. literis indulgemus, vt illos qui taliter excommunicati ſunt, ipſo iure, ſi *d* corporum impotentia, aut *e* paupertas eos impediat, aut aliqua ineuitabilis, & manifeſta neceſſitas, dummodò ſatisfaciant ijs, quos offenderint, & aliquam agant pœnitentiam, ad correctionem ſui, cæterorumque terrorem, à ſententia excommunicationis, auctoritate Apoſt. fretus abſoluas: ſi tamen ex perſequutione huiuſmodi læſio corporalis enormis, aut mors non fuerit ſubſequuta; nimirum in his omnibus, ſi quis Sanctorum Patrum ſtatuta diligenter perſcrutetur, nihil nouum nos reſpondiſſe reperiet; ſed quod antiquum eſt, quaſi quadam manu ſolicitudinis innouaſſe.

N O T Æ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. c.* 2. ſed veram inſcriptionem huius textus dedi *in cap. cùm non ab homine, de iudic.*

b *Bellis*.] Contra tradita ſuprà *in c. petitio, de homicid.*

c *Alex. III.*] Relatus *in c.* 1. 2. *& ſeqq. hoc tit.*

2 d *Corporum impotentia.*] Veluti ſi eſt nimia debilitas, de qua ſuperiori textu, ob infirmitatem, vel ob ætatem.

e *Paupertas*.] Pauperes enim poſſunt abſolui, ab Epiſcopo, *c. quod de his, c. quamuis, hoc tit.* non ſolùm mendicantes, verùm & non habentes congruam ſuſtentationem; qui tamen attento ſtatu perſonæ indigere videantur. Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg.* 41. *nu.* 24. Et qui dicantur pauperes quoad hoc beneficium abſolutionis, arbitrio Epiſcopi relinqui, cum alijs reſoluit Barboſa *ibi*. 3

C A P V T XV.

a Idem.

CVm deſideres, quid tua fraternitas obſeruare debeat ſuper ijs, quæ dubietatem continent, Apoſtolicæ Sedis reſcripto pleniùs edoceri; nos qui licèt immeriti ex accepto adminiſtrationis officio conſultationibus reſpondere cogimur ſingulorum, &c. *Et infra*: Fuit autem primæ quæſtionis tenor huiuſmodi, vtrùm alicui excommunicato, qui mandato Eccleſiæ ſtare iurauit, & ante abſolutionem Epiſcopus ei communionem reddidit, ſit communicandum ab alijs; & an Epiſcopus id facere debeat. Cui ſiquidem quæſtioni taliter duximus reſpondendum, quòd cùm cautio iuratoria, quam hodie qui excommunicati ſunt, præſtant, potiùs ad cautelam ex conſuetudine Eccleſiæ, quàm ex rigore canonum ſit inducta, neque momenti tam validi reputetur, vt niſi abſolutionis beneficium

neficium subsequatur, ille qui excommunicatur, debeat communioni aliorum restitui, præsertim cùm ex eo iuramento absolutionem consecutus non sit, & constet, eum excommunicatum fuisse, & verum sit, absolutum non esse, non potest *b* Episcopus, nec debet ei communionem dare; neque alij eidem *c* communicare, nisi fuerit secundùm formam ecclesiasticam post iuramentum præstitum absolutus; quia secundùm *d* Apostolorum canones, & *e* Fabiani statuta Pontificis, qui cum excommunicato scienter communicauerit, est communione priuandus; immò iuxta *f* Isidori statuta, cum eo excommunicationis contrahit pœnam. Secundæ quæstioni statuta canonum, & præcipuè piæ memoriæ Alex. III. prædecessoris nostri sequentes, hunc finem duximus imponendum, quòd si publica fama est, aliquem verberasse clericum, neque Episcopus, neque alij excommunicare debent, nisi ad arbitrium Episcopi de hoc se purgauerit, vel ad maiorem *g* cautelam beneficium absolutionis acceperit. Tertio loco tua discretio requisiuit, si clericus verberatus ab aliquo querimoniam apud suum Episcopum deposuerit, & testes producere paratus fuerit: sed Episcopo mediante, & communicante ei qui clericum verberauit, amicabiliter cum eo composuerit, & reconciliatus ei fuerit, an ei communicandum sit ab alijs? Super quo taliter respondemus, quod licèt ille qui violentas manus iniecerit, ei, quem læsit, satisfecisse videatur, Ecclesiæ tamen, quam offendit, ex hoc non satisfecisse dignoscitur, & nisi forma ecclesiastica, quæ pro absolutione talium, vt suprà dictum est, introducta est, obseruetur, non est ei communicandum. Vltimæ prætereà quæstionis omnes perplexitates resoluimus, quod cùm in pari stilo criminis conquadretur, qui clericum *h* captiuum retinet, licèt violentas manus in ipsum non iniecerit, vt is qui violentas manus iniecerit, est euitandus, nec est communioni fraternæ reducendus, nisi iuxta formam Ecclesiæ fuerit, vt suprà dictum est, absolutus.

NOTÆ.

a IDem.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. c.*4. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat

b *Communicare.*] Iuxta tradenda infrà *in c. significauit.*

1 c *Potest Episcopus.*] Immò nec ipse Romanus Pontifex potest cum excommunicatis communicare; & si sine iusta causa etiam in humanis communicauerit, grauem culpam incurrit, vt docuerunt Glossa verbo *Vitare*, *in cap. nulli* 8. *hoc tit.* Couarr. *in cap. alma*, *p.*1. *§.*1. *num.*2. Suarez *de censur. disp.*2. *sect.*1. *n.*11. & *disp.*6. *sect.*4. *nu.*5. Sayrus *in claui Regia*, *lib.*2. *c.*11. *n.*28. Henriquez *in summa*, *lib.*13. *c.*3. *n.*4. Albertus Pighius *lib.*4. *de Eccles. hierarch. c.*8. Barb. *in c.*1. *num.*2. 93. *dist.* Marius Alterius *de censur. lib.*1. *disp.*11. *c.*4. Theoph. *tom.*14. *de liter. monit. lib.*2. *c.*2. quia licèt præceptum hoc vitandi excommunicatos non sit iuris diuini, vt *ex c.* 6. *&* 18. *Matthæi*, *iuncto cap. sicut* 16. *cap. excommunicatos* 17. 11. *q* 3. vt nonnulli voluerunt relati à Gibalino *de censur. disq.*3. *q.*1. *consect.* 2. & tantùm sit iuris positiui, *c. nemo* 31. 11. *q.*3. ideòque nec in pœnam minoris excommunicationis Pontifex incidat, vtpote humanis legibus solutus, ex regula legis *digna vox*, *Cod. de legibus*, *cap. significasti* 4. *cap. innotuit*, *de elect. cap. proposuisti*, *de concess. præb.* tamen offendit eas leges, quarum iusto dictamine, & vi directiua alligatur, *l. digna* 4. *C. de legibus*, *cap. iustum* 2. 9. *dist. cap. cùm omnes* 6. *de constit.* Facit rationis, & honestatis præscriptum in summo Pontifice vitandi excommunicatos, ex Concilio Africano sub Cœlestino. & Bonifacio, *can.*105. qui est in Codice canonum Ecclesiæ Afric. *can.*138. vbi sic Africani PP. ad Cœlestinum: *Nec à nobis excommunicatos in communionem vltra velitis excipere, quia hoc etiam in Nicæno Concilio definitum facilè aduertit Venerabilitas tua.* Quæ tamen ne laberetur, admonitio supplex fuit, non præceptiua, vt obseruarunt Baronius *tom.*4. *anno* 419. Bellarmin. *lib.*2. *de Rom. Pontifice*, *c.*25. *vers. Addo* 4. Alanus Copius *dialog.*1. *c.*10. Faciunt tandem textus *in cap. cùm olim* 13. *vers. Illud*, ibi: *Quod cùm tu, fili Abbas*, *de priuil. cap. nulli* 8. *c. si aliquando* 41. *hoc tit. c.*1. *in fine*, *de except. lib* 6. Illustrat Præceptor meus D. Franc. Ramos *pro Episc. Lusit. propos.*3. §.2. *n.*106.

d *Apostolorum.*] *In can.*11. *Apost.*

e *Fabiani.*] *In cap. sicut Apostoli, quæst.*3.

f *Isidori.*] *In cap. cum excommunicato*, 11. *q.*3. 2

g *Cautelam*] Absolutio hæc ad cautelam impenditur, quoties dubitatur, an censura incursa sit, necne; & ita datur sub conditione, si valida sit censura, aut incursa fuit. Eius mentio fit *in c. ad præsentiam*, *de appellat. c. veniens*, *el* 2. *de testibus*, *c. Apostolicæ*, *de excep. c. per tuas*, *c. venerabili*, *hoc tit. c. præsenti*, *c. venerabilibus*, *hoc tit. in* 6 de qua. & eius effectu plura de censuris scribentes, & nouiter Gibalinus *de censur. disq.*9. *q.*2. *n.*6.

h *Captiuum retinet.*] In qua retentione cum ipsa percussione graue sacrilegium perpetratur, *cap. attendendum* 13. *in fine*, *cap. si quis deinceps* 22 17. *q.*4. *cap. constituimus* 9. 3. *q.*5. *cap. nulli* 11. 3. *q.*4. *cap. ita nos* 25. 25. *q.*2. *cap. venerabilem* 34. *vers. nunquid*, *de elect. cap. ad Apostolicæ* 2. *de re iudic. lib.*6. *Clement.*1. *de pœnis*: facit textus *in l. si quis in hoc genus*, *Cod. de Episcop. & clericis*. Punitur enim dicto canone *si quis suadente*, 17. *q.*4. quælibet violenta manuum iniectio in clericum, siue illa sit in personam eius, siue in eius res ipsi adhærentes, vnde fiat iniuriosa illa ipsi personæ violentia; eiusque violatio huiusmodi est occisio, mutilatio, vulneratio, percussio, quacumque ratione, aut instrumento fiat. exempli causa manu, pede, ense, fuste, loris, immò etiam veneno occultè propinato; quia illis omnibus modis illius personæ, ac corpori violentia infertur. Etiam violenta iniectio manuum est detentio, ne ex aliquo loco exeat, aut ad illum nemo accedat, vt docent alios casus iniuriosæ iniectionis manuum adducentes Gibalinus *in d. synopsi censur. verbo Iniuriam*, Diana *p.*9. *tr.*4. *resol.*19. 27 30. 36. 37. Hieronymus Garcia *in summa*, *tr.*1. *diffic.*3. *dub.*1. *puncto* 2. *&* 3. Suarez *de censur. disp.*22. *sect.*1. Fragoso 2. *p de reg. li.*1. *disp. cum seq.* 3

CAPVT XVI.

a Clemens III.

VEniens ad Sed. Ap. I. lator præsertim sua nobis assertione monstrauit, quod cùm *b* matutina officia celebraret, quædam *c* monialis Ecclesiam ingrediens cum alio clerico, ludendo impedimentum præstabat, quominus Deo diuinum posset obsequium exhibere. Vnde memoratus sacerdos commotus, vt liberiùs posset circa diuinorum celebrationem vacare, manibus in eam appositis, vt extra Ecclesiam *d* poneret, cùm nollet exire, in trahendo ipsam coegit eandem extra Ecclesiam residere: sed tum illum propter hoc tanquam excommunicatum euitasti, & facis ab alijs euitari. Ideòque mandamus, quatenus si res ita se habet, eum de cætero non euites, cùm ex hoc ipsum excommunicatum nullatenus videamus.

NO-

N O T Æ.

1 a CLlemens III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.5.* etsi nullibi exprimatur, cui rescribat Pontifex.

b *Matutina officia*]De quibus egi *in c.1. de celeb. Miss.*

2 c *Monialis.*] Quæ etiam gaudet priuilegio canonis *Si quis suadente*, vt probaui suprà *in cap. non dubium*.

d *Poneret.*] Quare is, cui incumbit turbantes diuina officia ab Ecclesia eijcere, potest etiam per vim clericos turbantes officia diuina impunè eijcere, *cap. cùm voluntate, §. fin. hoc tit.* quia talis percussio iniuriosa non est. Docent Gibalinus *in synop. d. verbo Iniuria, à n.3.* 3

C A P V T XVII.

a Clemens III.

PEruenit ad nos, &c. Illos autem, qui ægritudine præpediti pro absolutionis beneficio ad Sedem Ap. nequeunt laborare, recepto ab eis, sicut moris est, iuramento, potes absoluere, ita quod sanitati pristinæ *b* restituti Apostolico se conspectui repræsentent: sexui verò *c* fœmineo, ac pueris, & senibus satis super hoc te credimus posse liberè dispensare. De ijs etiam, qui clericis non enormem, sed modicam, vel leuem iniuriam irrogarunt, tuæ fraternitatis arbitrio duximus committendum.

N O T Æ.

1 a CLemens III.] In secunda collectione, *sub hoc tit. c.3.* legitur tantùm *idem*, & nullibi exprimitur cui Prælato rescribat Pontifex, sed veram huius textus interpretationem dedi, & illustraui *in cap. peruenit, de test. cogend.* Huic decisioni omninò consonat Innocent. III. in epistola missa Archiepiscopo Compostellano *lib.1. epist. apud Sirletum, fol 370.* vbi ita scribit: [Ad nostram noueris audientiam peruenisse, quod in diœcesi tua manus inijcientes in clericos violentas, cùm à Sede Apostolica nimiùm sint remoti, propter ætatem, & infirmitatem illuc nonnunquam vix accedere valent beneficium absolutionis petituri. Vt autem excommunicatos huiusmodi ad nos non valentes propter impedimenta, quæ præmisimus, proficisci, & mulieres clericos verberantes absoluere tibi liceat in diœcesi tua, fraternitati tuæ auctoritate præsentium indulgemus, nisi fortè ipsorum excessus ita grauis fuerit, & enormis, quòd propter hoc censura sit Apostolicæ Sedis requirenda. Nulli ergo, &c. Datum Laterani.

b *Restituti.*] Et ita etiam absoluti, cessante impedimento tenentur Romanum Pontificem adire. 2

c *Fœmineo, & pueris, ac senibus.*] De fœminis egi suprà *in cap. mulieres, de senibus, & in cap. ea noscitur 13.* 3

C A P V T XVIII.

a Idem III.

SIgnificauit nobis. *Et infrà:* Verùm clericos, qui scienter, & sponte participauerunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officijs receperunt, eadem sententia cum ipsis non dubitamus inuolui, quos etiam pro beneficio suæ absolutionis habendo, ad nos volumus cum insinuatione literarum tuarum transmitti.

N O T Æ.

a IDem] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit c.7.* sed nullibi exprimitur quibus Prælatis rescribat Clemens, nec integram huius textus literam habemus, etsi sint plures decretales huius Pontificis in hoc volumine compilatæ cum hoc principio, *Significauit nobis.*

C O M M E N T A R I V M.

1 IN præsenti textu agitur de effectibus maioris excommunicationis, qui præcipuè consistunt in priuatione communionis fidelium, & sacramentorum: quam vt pleniùs exponamus, sciendum est, communionem apud fideles multiplicem reperiri, aliam internam, qua per charitatem fideles vt Christi membra, & per fidem Christo vt capiti vniuntur, de qua psalmo 118. dicitur: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Et Ioannis *c.4 Hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit eum, diligat & patrem suum.* Et Apostolus *ad Romanos c.12.* ait: *Multi vnum corpus sumus in Christo.* Et *ad Corinth. c.12. Vos autem estis corpus Christi.* Et *ad Ephesios c.4. & cap. in scripturis, 18. q.1. c.2. vers. Quemadmodum, de summa Trinit.* Cuius vnionis ratione fideles iusti participes fiunt bonorum omnium, quæ alij iusti operantur; non ita vt ex his aliorum charitas augeatur, aut meritum; sed vt ex vnius meritis alteri Deus auxilium speciale conferat. Explicant D. August. *de doctrina Christ. c.22.* Magister Sentent *dist.27.* D. Thomas . *2. q.23. art.5.* Albaspineus *lib.1. obs. c.1.* Germon. *lib.3. sacr. c.14. nn.30.* Alia est communicatio politica, ciuilis, & externa, quæ consistit in mutua salutatione, mensa, & similibus. Alia est communicatio mixta, & per quam participes sumus sacramentorum, suffragiorum, & orationum generalium Ecclesiæ, cuius membra per baptismum efficimur. Dicitur autem mixta, quoniam actibus, & cæremonijs externis constat, & ad spiritualia bona ordinatur, nempè ad accipiendam, vel conseruandam gratiam: de qua communione intelligitur, quod in Symbolo fidei confitemur de communione Sanctorum, nempè fidelium; quia fideles plerumque sancti appellantur, iuxta illud Apostoli *ad Romanos c 1.* ibi: *Omnibus, qui Romæ sunt, dilectis Dei vocatis sanctis.* Illustrant Loaysas *in can.34. Concilij Illiber.* Couar. *in cap. alma. part.1. in initio, n.2.* Suarez *de censur. disp.8. sect.1. n.6.* Marius Alterius *eod. tract. tom.1. disp.2. c.3. §. Tria,* Seuerinus Binius *in notis ad can.11. & 12. Apost.* Albaspineus *d. lib.2. obs. c.8 & 21.* à priori quidem communione separat peccatum mortale, quia per illud charitas amittitur, & peccator satanæ traditur, *cap. audi 21. 11. q 3. cap. vnum orarium, §. crimina, 25. dist.* & ideò peccatum mortale, quia hac communione priuat, *cap. quia natis 36. cum sequenti, de pœnit. dist 1.* etiam excommunicatio appellatur à Gratiano *in d. cap. audi, §. cùm ergo.* Glossa *verbo Tantum, in cap. penult. hoc tit.* Gabriele *in 4. dist.18. q.2. art.1.* sed impropriè, & non secundùm vsum Ecclesiæ, quia priuat tantùm interna illa communione, quæ non pendet à voluntate Ecclesiæ; non autem priuat communione ecclesiastica, *d. cap. audi, §. cùm ergo, cap. nolite 22. cum seq. 11. q.3.* in qua Ecclesia potest ius, & potestatem habere: nec peccatum mortale censura est, quia censura non habet rationem culpæ, vt tradunt Couar. *in d. cap. alma, 1. part. in initio, n.5.* Suarez *de censur. disp 8. sect.1.* Marius Alterius *eod. tract. tom.1. disp.2. cap.3. §. Postremò.*

Deinde sciendum est, excommunicationem maiorem non priuare priori communione interna, quia iam Christianum illa priuatum supponit, *d. cap. audi, vers. Cum prædictis, 11. q.3.* eo quòd non nisi pro mortali crimine infligitur, *cap. nemo, cap. nullus, 11. q 3.* separat tamen à 2 Effectus excommunicationis.

com-

Digitized by Google

communione externa, ac politica, siue spirituali, *cap. excommunicatos* 17. *cap. cum excommunicato* 18. *cum duob. seqq.* 11 *q.* 3. *c.* 2. *de except. cap. is qui* 18. *cap. alma, hoc tit. in* 6. *cap. cùm olim* 12. *de priuil.* D. Paulus 1. *ad Corinth. c.* 5. ibi: *Cum huiusmodi nec cibum sume* Et ad *Thessalon. c.* 4 ibi: *Et ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* D. Ioannes *epist.* 2. *Nolite eum recipere in domum, nec aue ei dixeritis.* Item à communione sacramentorum, & à communi suffragiorum Ecclesiæ participatione, *cap. penult. hoc tit.* Tertul. *in apolog. c* 39. ibi: *Summumque futuri iudicij præiudicium, & si quis ita deliquerit, vt à communione orationis, & conuentus, & omnis sancti commercij relegetur.* Vbi notauit Pamelius, & *in tract. de pudicitia c.* 4. *n.* 110. & ad D. Cyprianum *epist.* 68. Adde insignem excommunicationis formulam apud Synesium *epist.* 38. *ad finem,* ibi: *Andronica, eiusque socijs; Thoanti, & eius socijs nullum Dei fanum aperiatur; omnis illis religiosa ædes, ac septa claudantur: nulla diobolo in paradiso pars est, qui si clam irrepserit, expellatur. At tum priuatis omnibus & Magistratibus præcipio eodem cum illo neque tecto, neque mensa vti; tum sacerdotibus in primis, qui nec viuentes, nec mortuos funebri pompa deducunt.* Est enim excommunicatio maior censura ecclesiastica, qua separatur homo ab Ecclesiæ communione, & Sacramentorum receptione, vt probant Couar. *in cap. alma,* 1. *part. in initio, n.* 3. Suarez *d. disp.* 8. *sect.* 2. *n.* 1. Vasquez *tom* 2. *in* 3. *tract. de excommun. c.* 1. *disp.* 1. Bonacina *de censur. disp.* 2. *q.* 1. *puncto* 1. Gibalinus *de censur. disq.* 2. per illam enim separatur à corpore Christi, quod est Ecclesia, *cap. fin.* 3. *q.* 4. *cap. audi* 21. 11 *q.* 3. *c.* 1. *de cleric. excom* & ideò cùm non sit eius membrum, non potest eius spiritu vegetari, *cap nihil* 33. 11. *q.* 3. de quibus communionibus accipi debent textus *in cap. omnis Christianus* 32. ibi: *Ab ecclesiastica communione,* 11. *q.* 3. *cap.* 2. *de cleric. excom.* ibi: *Modis omnibus excommunicetur.* Et *cap. penult. hoc tit.* vbi excommunicationis nomine, non tantùm minor, quę à participatione sacramentorum; sed etiam maior, quæ à communione fidelium separat, intelligitur: nam cùm communio omnes suprà relatas comprehendat, vt constat *ex d. cap. omnis,* vtique negatio communionis; quæ per verbum illud *Excommunico,* vel simile exprimitur, omnes absolutè excludit, & sic non tantùm minorem excommunicationem, quæ à perceptione sacramentorum; sed etiam maiorem, quæ à communione fidelium separat, vis verborum comprehendit; & ita vsus, & consuetudo obtinuit, ex rationibus relatis à Couar *d.* 1. *part.* §. 8. *n.* 5. Suarez *d. disp.* 8. *nu.* 3. Bonacina *de censur. disp.* 2. *q.* 1. *puncto* 2 Theophilus *tom.* 4. *de litteris monitorijs, lib* 1 *c.* 2. Et hæc communionis priuatio obumbrata fuit apud Iudæos in electione à synagoga eius, qui publicis peccatis detinebatur, *c.* 9. *Ioannis,* ibi: *Vt si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.* Cyrillus Alexandr. *lib.* 6. *in Ioan c.* 20. ibi: *Magnum apud Iudæos opprobrium deducebatur, siquidem de synagoga eiecissent; sicut enim nunc homicidæ, vel adulteri, vel cęteris capitalibus criminibus rei ab Ecclesia pelluntur, ita tunc Confessores Christi à synagoga Iudæorum eliminabantur.* Iosephus *lib.* 2. *de bello Iudaico, c.* 7. plura Delrio *in c.* 1. *Threnorum, vers.* 17. Drusius *lib.* 1. *qq. Hebraicar. q.* 9. Nouarinus *lib.* 7. *sched. c.* 10. Selden. *tom.* 2. *synedr. lib.* 1. *c.* 18 & *lib* 4. *de iure natur. c.* 8. Similiter & apud Gentiles impij, & contumaces à sacrificijs, & omnium aditu, & communicatione arcebantur, & diris, seu furijs infernalibus deuouebantur. Halicarnasseus *lib.* 2 Liuius *lib.* 6. *decad.* 3. ibi: *Qui victus acie excessisset, eum ne quis vrbe, tecto, mensa, lare reciperet, diram execrationem in populares, obsecrationemque, quam sanctissimam potuerunt.* Idem *lib.* 10. *decad* 4. Tul. *lib.* 1. *de diuin.* Lucanus *lib.* 3 *Pharsaliæ.*

——Cersè violato potestas
Inuenit ista Deos. Crassumque in bella sequutæ
Sæua Tribunitiæ vouerunt prælia diræ.

Ouidius.

Innocui veniant: procul, ò procul impius esto.

Plato *lib.* 9. *de legibus,* Plinius *lib.* 28. *c.* 2. Cæsar *de bello Gallico lib.* 6. ibi: *Si quis aut publicus, aut priuatus eorum decreto non exstitit, sacrificijs interdicunt: hæc pœna apud eos est grauissima: quibus ita est interdictum, in numero impiorum, ac sceleratorum habentur, ab ijs omnes decedant, aditumque, sermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiant: nec ijs petentibus ius redditur, nec honos vllus communicatur.* Et ita vmbram quandam excommunicationis fuisse ethnicis in vsu, confirmant Germonius *lib.* 1. *de sacr. immun. c.* 12. Duarenus *lib.* 1 *de sacris Eccles. c.* 3. Victorellus *ad lib.* 1. *Instit. Tol. c.* 4. Magallanus *in Iosue. vers.* 17. *annot.* 1. Ribadeneira *lib.* 1. *de Principe, c.* 33. Benzonius *de interdicto, cap.* 1. Et ita quidem, vt non puderet Philip Melanctonem, quem refert Turrianus *lib.* 2. *pro constis Apost. c.* 42 & *lib.* 2. *c.* 7. fabulari, christianam excommunicationem ex hoc Gentilium vsu fuisse deriuatam. Illustrant prædictam Gentilium execrationem Ambian *ad Tertul. in apolog. c.* 39. *obs.* 2. *puncto* 2. §. 2. Salmasius *in not ad Cap. fol.* 98. *nu.* 37. Elias Schedius *de Dijs Germā. fol.* 295. Auendaño *de metu lib.* 2. *c.* 31. Roussei. *lib.* 2. *hist. Pontif. c.* 1.

Minor verò excommunicatio priuat tantùm sacra communione, *cap. Presbyterorum* 23. 17. *q.* 4. hoc est à sacramentorum participatione, seu perceptione, *c.* 2 *de except. cap penult. hoc tit cap si celebrat, de clerico excom.* vnde minor excommunicatio communiter ita definitur, vt sit censura ecclesiastica qua baptizatus priuatur passiua participatione sacramentorum, vt probat Glossa verbo *non tantùm, in cap. penult. hoc titulo.* Couar. *in cap. alma,* 1. *p. in initio, n.* 4. & § 8 *n.* 1. Suarez *d. disp* 8. *sect.* 2. Marius Alterius *disp.* 4. *c.* 1. Vgolinus *tab.* 2. *c.* 7. Bonacina *d. disp.* 2 *q.* 1. & *q.* 3. *n.* 1. Illud tamen obseruare oportet ex Cassiano *de instit. monach.* quòd olim mos erat in Ecclesia, vt peccator primò priuaretur osculo pacis, posteà ingressu Ecclesiæ, deinde ne oraret cum alijs fidelibus, vlteriùs ne accederet ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, rursus perceptione aliorum sacramentorum, tandem suffragijs fidelium: quod etiam patet *ex cap. præsenti* 5. *q* 2. *cap. quisquis* 21. §. *si quis domum* 17. *q.* 4. *cap. nemo* 41. 11. *q.* 3 qui textus aliàs difficiles sunt; vnde ita aliqui accipiunt textum *in cap. Engeltradam* 3. *q.* 4. dum in eo asseritur. mulierem illam non solùm excommunicatione, quæ à fraterna societate separat, sed etiam anathemate. quod ab ipso Christi corpore, quod est Ecclesia, crebrò perculsam esse; aiunt enim per priuationem à fraterna communione non intelligi maiorem, aut minorem excommunicationem, sed illam priuationem communionis fraternæ, post quam sequi anathema, id est maior excommunicatio, solebat. Sed veram ipsius textus interpretationem iam dedi *in cap. cùm non ab homine* 10. *de iudicijs.* Erant etiam olim nonnullæ excommunicationes respectiuæ, seu partiales, quibus priuabantur fideles ecclesiastici, seu laici communione quorundā fideliū, respectu verò aliorū nulla cōmunione priuabantur, nec vsu, nec participatione sacramentorum, de quibus accipiendi sunt textus *in cap. placuit,* 18. *dist. cap. si quis* 2 58 *dist.* ibi: *Sua tantùm plebis communione contentus sit: cap quisquis* 13 2 *n* 6. Concil Meldense *can.* 10 de quibus plenè differit Morinus *lib.* 2. *exercit. ferè per tot.* in quibus casibus communionis priuatio censura ecclesiastica non erat. sed quædam pęnalis separatio, quę non constituebat diuersam speciem censuræ, vt notarunt Acuña *in d. cap. placuit.* Suarez *de censur. disp.* 24. *sect.* 1. *à n.* 2. Aliquando etiam Ecclesia vna tantùm ex pręductis communionibus priuabat peccatorem, veluti sacra communione, *cap. de Presbyterorum* 17 *q.* 4. *cap. de illicita* 6. 24. *q.* 3. participatione corporis, & sanguinis Domini, *cap. accedens* 10 50 *dist. cap. quidam maligni,* 5. *q* 1. communione sacerdotali, laica tantummodò concessa, *cap si quis Episcopus* 7. *cum sequent.* 50. *dist. cap. fin.* 55. *dist.* de qua egi *in cap.* 2. *de elect.* aut peregrina, *cap. contumaces* 21. *ead. dist. cap. clerici.* 13. *q* 2. aliquando ingressu Ecclesiæ, *cap. si quis deinceps* 16. *quæst.* 7. plerumque communione aliquorum fidelium, *cap.* 1. 34. *dist. cap placuit* 6. *q.* 2. *cap. vlt. cap fin* 5. *q.* 4. *cap. Episcopi* 8. 11. *q.* 3. *cap. fin.* 58. *dist. cap. placuit* 10. 18. *dist.* vnde apparet, quòd olim in Ecclesia priuatio à qualibet ex prædictis communionibus sæpiùs imponebatur ex varijs causis relatis in dictis iuribus, & alijs congestis ab Antonio Augustino *in epis. iur. lib.* 37. *per tot.* quare in Decreto Gratiani nulla extat mentio maioris, vel minoris excommunicationis.

3 De minori excommunicatione.

Manet ergo communis diuisio (insuper habitis illis pœnis) in maiorem, & minorem excommunicationem, quæ facilè probatur *ex c.* 2. *de except cap. penult. hoc tit.* Itaque minor excommunicatio à perceptione tantùm sacramentorum remouet, maior verò non solùm à perceptione sacramentorum, verùm etiam à communione

4 De communicante cum excommunicato.

com-

Digitized by Google

fidelium, *cap. penult. hoc tit. c. 2. de except.* ibi: *A communione fidelium sit remotus*, vbi probaui: quæ priuatio communionis efficit, vt nullus cum excommunicato habere possit colloquium, salutationem, conuictum, osculationem, seu orationem; item vt nec ipse excommunicatus se ingerat prædictis actibus societatis humanæ, & communionis; aliàs qui cum excommunicato communicauerit, minori excommunicatione ligatur, quam pœnam imposuerunt Apostoli *can.* 10. aliàs 11. quem ex Græco exemplari ita vertit Gentianus Herbertus: *Si quis cum excommunicato vnà precatus fuerit, segregetur.* Haloander verò, & Gothofredus ita legunt: *Si quis cum excommunicato, licèt in domo, preces coniunxerit, iste communione priuetur.* Dionysius verò ita: *Si quis cum excommunicato saltem in domo simul orauerit, iste communione priuetur.* Communiter autem hic ita conceptus creditur: *Si quis autem cum excommunicato, saltem in domo loquutus fuerit, vel simul orauerit, iste communione priuetur*; vt refert Fabianus in *cap. sicut Apostoli* 16. 11. *quæst.* 3. Idem posteà cautum fuit *in cap. excommunicatos*, *cap. cum excommunicato* 18. *cap. si quis laicus* 26. *c. si quis frater* 28. *c. fin.* 11. *quæst.* 3. Concil. Nicen. *can.* 5. ad quem canonem Apostolorum respexerunt Patres Concil. Antioch. *in can.* 2. ibi: *Excommunicatis communicare deprehensus fuerit, & tunc potest communione priuari, tanquam Ecclesiæ regulas confundens.* Canones namque Apostolorum etiam regulæ appellantur. Item Concil Tribur. sub Formoso, *can.* 2. ibi: *In canonibus Sanctorum Apostolorũ, quod cum excommunicatis non sit orandum.* Plura Ant August. *lib.* 36. *tit.* 2. Crespetius *in sum. verbo Excommunicatis non communicandum.* Petrus Greg. *lib.* 4 *partit. tit.* 16. *c.* 3. & *cap.* 7. Bosquetus *ad Innoc. lib.* 2. *epist.* 72. Guzeus *in not. ad Cassian. lib.* 2. *c.* 15. latè illustraui *in c. sacris, de his, quæ vi*, & nouissimè probat Illustrissimus Ramos *pro Episc. Lusit.* ad Alexand. VII. *propos.* 3. §. *fin. n.* 88. Hæc autem erat minor excommunicatio, quæ olim priuabat tantùm communione corporis, & sanguinis Domini, *c. qui verò* 38. 11. *quæst.* 3. nunc verò remouet à perceptione sacramentorum, *c.* 2. *de except. c. penult. hoc tit.* Quam excommunicationem communicans cum excommunicato statim incurrit, *d. c. cum excommunicato*, *c. si quis frater* 28. 11. *quæst.* 3. ideò excommunicatio à iure dicitur *in c. nuper* 29. §. 2. *hoc tit.* Et illa verba, quæ sunt *in d. c. excommunicatos*, 11. *q.* 3. *Simili excommunicationi subiacebit*; & *in d. c. cum excommunicato*: *Cum eo communem excommunicationis contrahet pœnam*; Concilio Aurel. apud Burchardum *lib.* 11. *c.* 5. ibi: *Et si quis ei sociauerit, & communicauerit operibus eius malignis, noaerit se simul percussum anathemate*; intelligunt Suarez *de censur. disp.* 24. *sect.* 3 *num.* 2 Marius Alterius *disp.* 13 *c.* 1. Couar. *in d. cap alma*, 1. *part.* §. 3. Menardus *ad Concord. regul. c.* 34. §. 1 de simili, vel communi excommunicatione in genere, non in specie, ita vt accipiantur de minori excommunicatione, quia simile non est idem, *l.* 1. §. *fit ergo. ff. quod iussu*; licèt verbum, *cum simili*, maiorem excommunicationem importet *in c.* 3. *hoc tit. in* 6. Aliquando tamen communicans cum excommunicato nullam excommunicationem incurrit, veluti in casibus relatis *in c. quoniam multos* 103. 11. *quæst.* 3. *cap. quod in dubijs* 30. *c. inter alia* 31. *c. responso* 43. *c. si verò*, *c. cùm voluntate* 54. *hoc tit. cap. antecessor* 104. *cum seqq.* 11. *quæst.* 3. & alijs in casibus, de quibus egi *in c. sacris*, *de his, quæ vi*. Aliquando verò ex communicatione cum excommunicato maior incurritur excommunicatio, veluti in casu deciso in præsenti textu, in quo specialiter constituitur, vt communicans cum excommunicato maiorem excommunicationem incurrat, concurrentibus scilicet quinque requisitis, de quibus in præsenti. Primò, quòd aliquis sit excommunicatus à Romano Pontifice: secundò, quòd communicans cum tali excommunicato sit clericus: tertiò, quòd ipse communicet in officijs diuinis: quartò, quòd communicet sciens esse nominatim excommunicatum à R. Pontifice: quintò, quòd communicet sponte: quorum si aliquod deficit, non incurrit maiorem, sed minorem tantùm excommunicationem. Notant Suarez suprà *disput* 10. *sect.* 2. *num.* 4. Couarruuias *d.* §. 3. *num.* 4. & alij plures. Vnde cauendum est à Glossa finali hìc falsò asserente simpliciter, & generaliter, eum qui communicat cum excommunicato à Papa, maiorem excommunicationem incurrere; nam eius doctrina ita demùm vera erit, si prædicta quinque requisita concurrant, & sic accipienda est lex 79. *tit.* 9. *partit.* 1. Item si communicet quis cum excommunicato in eodem crimine, pro quo fuit maiori excommunicatione ipse ligatus, *c.* 3. *e qui communicauerit* 19. *c. nago* 25. 11. *quæst.* 3. *c. Anastasius*, 19. *dist. c. nuper* 29. *c. inter alia* 31. *in fine*, *c. si concubinæ* 55. *de sent. excom. c. statuimus*, *hoc tit. in* 6 Couarr. *dicto* §. 3. *num.* 5. Suarez *de censur. disp.* 17. *sect.* 2. *num.* 3. Ratio est, nam communicans cum excommunicato in eodem crimine, damnatus censetur de ipso crimine, *d. c. nuper* 29. *hoc tit.* Item si quis fuerit cum suis fautoribus excommunicatus, *c. excellentissimus* 102. 11. *q.* 3. *cap. quod in dubijs* 30. *c. sacris* 38. *hoc tit.* Item in casibus relatis *in c. si quis Episcopus* 6. & 7. *c. qui meritò* 29. 11. *quæst.* 3. *Clement.* 2. *hoc tit. Clement.* 2. *de sepult.* Vgolinus *d.* §. 13. *n.* 5. Item maior excommunicatio illis imponitur, qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, nec commoniti desistunt ab eorum participatione. Hi enim contemnunt ecclesiasticam disciplinam communioni excommunicatorum pertinaciter se ingerendo, *d. c. excellentissimus* 11. *quæst.* 3. & ita grauiùs delinquunt, Couarruuias *d.* §. 3. *num.* 7. ideòque maiori excommunicatione feriuntur, *c. si quis laicus* 26. 11. *quæst.* 3. *cap. quod in dubijs* 30. *hoc tit. cap.* 2. iuncta eius integra, *de cleric. excom.* Sed hæc excommunicatio non est lata à iure, sed à iudice ferenda, vt constat *ex d. cap. si quis laicus*, ibi: *Abstineantur*; *d. cap. quod in dubijs*, ibi: *Innodandi*, *cap. si celebrat*, ibi: *Feriendus*, *de cleric. excom.* & ideò vt imponatur, oportet monitionem præmittere, aliàs nulla erit, *c. statuimus*, *c. constitutione*, *cap. statutum*, *hoc tit. lib.* 6. Alia de communicatione cum excommunicatis, & casibus, in quibus impunè cum eis communicatur, adduxi *in c. sacris*, *de his, quæ vi*.

C A P V T XIX.

a Clemens III.

TVa nos duxit fraternitas consulendos, an ij soli sint ad Sed. Ap. destinandi, qui in latæ sententiæ *b* canonem incidentes, manus in clericos iniijciunt violentas, & vtrùm non possint ab eadem sententia, nisi per Romanum Pontificem liberari. Vnde fraternitati tuæ breuiter respondemus, quòd non solùm ij, qui in clericos temerarias manus iniijciunt, sed etiam *c* incendiarij, ex quo sunt per ecclesiasticam sententiam publicati, pro absolutionis beneficio ad Sed. sunt Apost. destinandi, & non nisi per Romanum Pontificem absoluendi. Hi verò, qui ecclesiastica beneficia de manibus accipere præsumunt laicorum, non consueuerunt pro tali excessu ad Sed. Apost. *d* laborare.

N O T Æ.

1 a CLemens III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap.* 8. etsi nullibi exprimatur, cui rescribat Pontifex, vt sæpiùs in Decretalibus huius Pontificis contingit.

b *Canonem.*] *Si quis suadente*, 17. *quæst* 4. cuius verba retuli *in cap.* 1. *hoc tit.*

c *Incendiarij.*] De pœna incendiarij egi *in cap. intelleximus, de raptor.* In præsenti illud notandum est, ex hoc textu communiter deduci, incendiarios ipso iure excommunicationem incurrere, siquidē à Pontifice exæquantur percussoribus clericorum, qui etiam ipso iure excommunicationem incurrunt. Expendunt etiam pro hac sententia textus *in c. si quis membrum*, *c. pessimum*, 23. *q.* 8. Sed verè in his iuribus tantùm docetur, incendiarios excom-

excommunicandos esse, non verò ipso iure esse excommunicatos: & præsens æquiparatio incendiarij, & percussoris clerici tantùm procedit quoad absolutionis reseruationem, post denunciationem ipsius incendiarij: quare nullum incendiarium ipso iure esse excommunicatum, sed excommunicandum, docuerunt Caietan *in summa, verbo Excommunicatio* 22. Nauarrus *in manuali*, *c.27.n.94.* Tolet. *lib.1. summæ, c.36. n.5.* Suarez *de censur. disp.22. sect.2. nu 59.* Sayrus *eodem tract. lib.3.c.29. nu.8.* Gibalinus *in synopsi, verbo Incendiarius*, Barbosa *de potest. Episc. alleg.5. nu.89.* CastroPalao *disp.3. puncto 24. n.5.* tenentur tamen diœcesani, & ordinarij incendiarios excommunicare, atque excommunicatos denunciare; & tunc eorum absolutio Romano Pontifici reseruatur. Latiùs prosequitur expositionem huius excommunicationis Gibanus *verbo Incendiarius*.

d *Laborare.*] Etsi grauiter peccent beneficia de manu laici accipiendo, vt probaui *in cap. quisquis, de elect.*

C A P V T XX.

a Clemens III.

AD eminentiam Sedis Apostolicæ est recurrendum, quotiens articulus dubitationis emergit, vt tantò quis promptiori conscientia recipiat, & obseruet, quod super re dubia sibi fuerit à Sede Apostolica responsum, quantò prærogatiua dignitatis illius certiori noscitur ipsius sententia veritate roborata, quæ in beato Petro Apostolorum Principe præ omnibus alijs amplitudinem prælationis accepit. Sicut autem ex parte fraternitatis tuæ nostris est auribus intimatum, dubium tibi existit, vtrùm ij sint absolutionis consequuti beneficium, qui cùm pro iniectione manuum in clericos, vel alias religiosas personas excommunicationem incurrerint, à Legatis Cardinalibus, qui à *c* latere Rom. Pont. destinantur pro tempore, fuerint absoluti, cùm ijdem Legati mandatum sibi super hoc non ostendant expressum. Super quo id à te, ac tuis suffraganeis volumus obseruari, vt eos habeatis absque omni hæsitationis scrupulo absolutos, quos constiterit, à *d* talibus beneficium fuisse absolutionis adeptos.

N O T Æ.

a CLement III] Ita etiam legitur in secunda collectinne, *sub hoc tit. c.9.* etsi nullibi exprimatur, cui Prælato rescribat Pontifex.

b *Religiosas personas.*] Canonicos videlicet regulares, religiosos, aut conuersos, vt probaui *in cap. non dubium 5. hoc tit.*

1 c *A latere.*] Non tamen temporibus Clementis III. omnes Legati à latere ex Cardinalibus eligebantur, sed ex Episcopis, aut Archiepiscopis, vt probant Glossa *in cap. excommunicatis, de offic. Leg.* Souchetus *ad epist. 260. Iuonis Carnot.* Vnde ex præsentibus verbis, *Legatis Cardinalibus*, non inferas, his temporibus omnes Legatos à latere fuisse Cardinales, licèt posteà obseruatum sit, vt non nisi Cardinales Legati mittantur à latere, seu de latere.

d *A talibus.*] Legatis videlicet à latere, nam inter eos, & alios Legatos missos, seu natos magna versatur differentia; nam Legatus à latere à quacumque percussione poterit absoluere, tam eos qui sunt de sua prouincia, quàm alios omnes, qui ad eum recurrerint toto tempore suæ legationis, hoc est à die, quo à Curia Romana egredietur, vsque ad diem, quo ad ipsam regredietur. Glossa, & Panormit. *in cap. excommunicatis; de offic. leg.* Legatus verò missus, qui non est à latere, non potest absoluere nisi eos, qui sunt de prouincia sibi commissa, & quandiù in ea existit, vt facilè colligitur *ex d. cap. excommunicatis*. Tandem Legatus natus, qui Legati officium simul cum ipsa dignitate habet, non potest absoluere ab hac excommunicatione, nisi in casibus, in quibus alij ordinarij absoluere possunt. Molina *de iustit. tract.3. disp. 58.* Gibalin. *in synopsi, fol 466.* 2

C A P V T XXI.

a Clemens III.

A Nobis fuit ex parte tua quæsitum, vtrum si quis ita pronunciauerit: Qui *b* furtum fecerit, excommunicatus sit; hæc generalis clausula ad ipsius excommunicatoris subditos referatur, an generaliter extendatur ad omnes, qui non sunt de iurisdictione illius. Ad hoc vtique dicimus, quòd hac sententia non nisi *c* subditi obligantur, nisi fortè postea contulerit maior, & largior auctoritas delegantis.

N O T Æ.

a CLement III.] Ita etiam legitur in secunda colle-
1 ctione, *sub hoc tit. cap 10.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

2 b *Furtum fecerit.*] Quatenus pro futuris culpis possit excommunicatio proferri, pro conciliatione huius textus cum *cap. Romana, §. caueant, hoc tit. in 6.* exposui *in cap. præterea 40 de appellat.*

3 c *Non nisi subditi*] Glossa in præsenti explicat, quatenus per mortem Prælati, aut translationem ad aliam Ecclesiam cesset excommunicatio: quam tractationem prosequuntur vltra laudatos à Barbosa in præsenti. Suarez *de censur. disp 20. sect.2.* Gibalinus *eod. tract. disq.1. quæst 3. n.1.* Basseus *verbo Excommunicatio 5 nu.6* Corneio *tom.3 de censur. tract.5. disp 4. dub.3. quæst.3.* Diana *part.5. tract.9. resol.64.*

C O M M E N T A R I V M.

4 QVemadmodum per personas, ita etiam per loca distinctæ sunt iurisdictiones, ne alioquin turbentur, & confundantur; vnde administrationi, & territorio adhærere iurisdictionem, Iustinianus affirmat *in l. vlt. C. vbi & apud quem*, & notarunt Petrus Gregor. *lib.47. syntag. c.21. n.33.* Donellus *lib.17. comment. c 9.* vbi plures Osualdus *litera C*, Cuiacius *lib.1. Pauli ad edict. in l. vlt. ff. de iurisd.* vbi Faber, & Goueanus: Reuardus *lib 3. coniect. c.10.* Couar. *pract. c.10. n.7. & in cap. alma, 1. part §.10.* Suarez *de censur disp.5. sect.4. & 5. & disp.26. sect.5. n.9.* Hinc extra territorium ius dicenti impunè non pareri, Paulus affirmat *in l. fin. ff. de iurisd.* Hinc Præses prouinciæ in subditos suæ prouinciæ tantùm imperium habere, dum in prouincia est, affirmat idem Paulus *in l.3. ff. de offic. Præsid.* Hinc Proconsulem, & si vbique proconsularia insignia habere posse Vlpianus affirmet *in l.1. ff. de offic. Procons.* potestatem autem exercere non posse, nisi in ea prouincia sola, quæ ei decreta est, idem affirmat, *in d. l.s. vers. Potestatem*: inter quem, & Præsidem prouinciæ non contemnendam differentiam primus obseruauit Cuiacius *lib.5. obser. c.37* Hinc Duumuiris non licere extollere potestatem fascium extra metas territorij propriæ ciuitatis, Honorius, & Theodosius statuunt *in l. Duumuirum 53. C. de Decur. lib.10.* Hinc extra prouinciæ terminos non esse licentiam accusatori progredi, constituunt Imperat. *in l. vltra 10. l. extra 16.*

C. Theo-

C. Theodos. de accusat. Faciunt lex cùm vnus, *§. it, ff. de bonis auctorit. iudic. l. 1. in fine, ff. de offic. Præfecti Vrb.* & regulariter certum est, iurisdictionem contentiosam extra territorium exerceri non posse; à qua regula excipitur casus singularis relatus *in l. non tantùm 51. §. sed & Articaleiano, ff. de fideicommiss. libert.* Hinc etiam cùm inter Episcopos diœceses diuisæ essent, ita vt vnicuique & proprium territorium, & propria iurisdictio assignaretur, *cap. præcipimus, 16. quæst. 1. cap. licèt, §. hoc multipliciter, cap. inter memoratos, cap. dilectio, 16. quæst. 3.* varijs canonibus statutum est, in alienos subditos iurisdictionem exerceri non posse, *cap. nullus, cap. nullam, 9. quæst. 2. cap. Episcopum, cap. Episcopi, cap. non inuitati, cap. Episcopus 7. quæst. 1. cap. si quis Episcopus 11. quæst. 3. cap. nouit, de offic. Legat. cap. Pastoralis, de rescrip. cap. 2. de constit. lib. 6. cap. vt litigantes, de offic. Ordin. cod. lib.* probaui latè *in cap. nullus, de parochijs.* Vnde quæsitum fuit à Clemente III. in præsenti, an sententia promulgata à iudice ecclesiastico, vt quisquis furtum commisisset, excommunicationem incurreret, ligaret etiam non subditos ibi furtum committentes, & etiam subditos proprios in aliena diœcesi furtum perpetrantes? Et videbatur, vtrosque excommunicatione ligari. Primos, quia ratione delicti, hoc est furti perpetrati, sortiuntur forum, & subditi fiunt illius iudicis, in cuius territorio peccarunt, ex traditis *in cap. fin. de foro compet.* Secundos, quia subditi vbicumque sint, & vagentur, tenentur legibus proprijs. Sed adhuc decreuit contrarium Clemens III. asserens non subditos furtum perpetrantes non ligari prædicta excommunicatione: & similiter subditos extra diœcesim furtum committentes non incidere in eam excommunicationem, docetur *in c. 2. de constit. lib. 6.* quare Doctores variè præsentem textum accipiunt. Panormitanus, & Felinus *hic*, Ancharanus, & Francus *in d. c. Romana, §. caueant*, docent, præsentem textum procedere in excommunicatione lata per modum sententiæ, non verò per modum statuti: sed eos rectè refellit Basilius *de matrim. lib. 5 cap. 7.* Quare ea solutione omissa, & alijs traditis à Suarez *lib. 3. de legibus, cap. 32.* Petro Gregor. *lib 4. partit. tit. 16. cap. 5.* Couar. *in cap. alma, 1. part. §. 10.* Suarez *de relig. tract. de diebus festis, cap. 13.* Acuña *in cap. quæ contra 2, dist. 8* Thoma Benno *de immunit. eccles. tom. 2. c. 11. dubit. 1.* Balboa *in cap. 40. de appellat. num. 8.* dicendum est in præsenti casu, alienos subditos furtum committentes excommunicationem non contrahere, quia licèt ratione furti possent puniri ab Episcopo, in cuius territorio illud commiserunt, tamen excommunicationem ab eo statutam non contrahunt, quia cùm eius subditi non essent ratione loci, iustam ignorantiæ causam habebant, cùm nescirent, talem excommunicationem in fures latam esse. Tapia *tom. 1. Catenæ mor. lib. 4. quæst. 16. art. 4.* Ex eadem etiam ratione subditi proprij in aliena diœcesi furtum perpetrantes non ligantur simili excommunicatione, cùm etiam eius ignari furtum admisissent, immò & furtum hoc casu perpetrantem in loco exempto intra ipsam diœcesim, non incidere in excommunicationem, docet Marinis *lib. 1. resol. cap. 112.* alia prosequitur Theophilus Raynaud. *tom. 14. de literis monit. quæst. 9.*

C A P V T XXII.

a Clemens III.

Conquesti sunt nobis dil. fil. *b* Regin. Canonici, quòd I. de Malafrena, & I. filius Caluaca, & eorum sequaces Ecclesiam de Miliaton, & alias quasdam Ecclesias Regin. Episcopatus violenter fregerunt, easque spoliare minimè dubitauerunt, & quosdam homines Reginen. Ecclesiæ deprædari nullatenus dubitauerunt. Quoniam igitur hæc grauia sunt, nec clausis debent oculis pertransiri, mandamus, quatenus si ita est, memoratos sacrilegos publicè accensis candelis, ap. cess. excommunicatos *c* denuncietis, & faciatis sicut excommunicatos arctiùs euitari, donec passis iniuriam congruè satisfaciant, & illata damna data resarciant, & cum literis vestris rei veritatem continentibus se Sedis Apostolicæ conspectui repræsentent.

N O T Æ.

1 a Clement III.] Ita legitur In secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 11.* nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex.

b *Reginea.*] De Reginensi, seu Regiensi Ecclesia nonnulla adduxi *in cap. 22. de offic. delegati.*

2 c *Denuncietis.*] Consonat textus *in c. canonica 11. q. 3. cap. omnes, cap. quisquis, 17. quæst. 4.* in quibus omnibus iuribus non contineri excommunicationem latam, sed à iudice ferendam, docuerunt Azor *part. 1. instit. lib. 9. cap. 17. q. 12.* Toletus *lib. 1. summæ, cap. 36. nu. 6.* Suarez *de censur. disp. 22. sect. 2. nu. 12.* Sayrus *cod. tractata, lib. 3. c. 29. nu. 4.* Barbosa *de potest. Episcop. alleg. 50. nu. 90.* Bonacina *de censur. disp. 2. q. 3. puncto 12.* Castro Palao *disp. 3. puncto 24. num. 10.* Gibalin. *de censuris, in synopsi, verbo Immunitas, num. 6.* qui etiam docent in præsenti casu ad incurrendam excommunicationem, necessariam esse vtramque actionem, videlicet Ecclesiæ effractionem, & spoliationem, quia Pontifex in præsenti copulatiua vtitur: nec etiam hanc censuram esse reseruatam nisi post denunciationem specialem ipsius excommunicati. Et hoc casu specialiter contingit, vt qui aliquem excommunicatum denunciauit, non possit eum absoluere.

C A P V T XXIII.

a Clemens III.

Perpendimus ex literis tuis, quòd quidam sacerdos tuæ diœcesis, pro eo quod se filium Regis nominare præsumpsit, & armis acceptis seditionem fecit, & guerram, à dilecto filio H. Comite per vicos iussus est fustigari, qui posteà eius mandato traditus patibulo exspirauit. Quia igitur tam ipsum Comitem, quàm alios huius facti participes velle super hoc satisfacere intimasti, præsenti pagina duximus respondendum, quòd si memoratus sacerdos tali modo excessit, & arma ferens, non propulsando iniuriam, sed eam inferendo fuit occisus, non videtur nobis, quòd interfectores eiusdem propter hoc ad obtinendam absolutionem Ap. Sed. adire cogantur: tu verò, qui merita personarum bene nosti, eis pœnitentiam competentem iniungas.

N O T Æ.

1 a Clement III.] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. 12.* & difficultatem huius textus, quomodo videlicet iudex sæcularis possit punire clericum seditiosum nulla præcedente degradatione, varijs modis explicarunt Balboa *in cap. 2. de iudicijs nu. 131.* Anguianus *lib. 2. de legibus, controuers. 15.* Barbosa *tom. 6. in selcct. ad hunc textum*, Sausay *in Panopl. cleric. 2. part. lib. 7. cap. 2.* Fachineus *lib. 9. controu. cap. 23.* Martha *de iurisd. 4. part. casu 13.* sed veram interpretationem huius textus dedi *in cap. clerici, de iudicijs, cap. 1. de apostatis.*

Digitized by Google

CAPVT XXIV.

a Clemens III.

VNiuerſitatis veſtræ conſultationem accepimus, qua à nobis requiritis, vtrùm ille laicus inciderit in excommunicationis edictum, qui ad iuſſionem Abbatis, in cuius ſeruitio commoratur, in clericum, aut monachum, aut conuerſum manus temerarias præſumit inijcere, maximè vbi cauſa non ſubeſt, propter quam debent *b* verberari. Nobis autem videtur, quòd niſi cauſa regularis *c* diſciplinæ hoc faciat Abbas in propria perſona, vel vbi eum neceſſitas vrget, per clericum, aut monachum fieri iubeat; tam qui tales verberare præcipit, quàm illi, qui verberant, etiamſi cauſa ſubeſſet, excommunicationis ſententiam, donec ad Ap. Sed. veniant, nequaquam euadant.

NOTÆ.

1 a CLemens III.] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 13. etſi nullibi exprimatur, cui Prælato reſcribat Pontifex.

2 b *Verberari.*] Immò etſi iuſta cauſa verberum ſubeſſet, moderatè his vtendum erat, *cap. in Archiepiſcopatu, de raptoribus* : de qua verberum pœna plura adduxi *in cap.* 1. *de calum.*

c *Diſciplinæ.*] Correctionis videlicet, quam Prælatus impunè in ſubditos adhibere valet, iuxta tradita *in cap.* 1. *hoc titulo.* 3

CAPVT XXV.

a Clemens III.

IN audientia noſtra talis fuit ex parte tua conſultatio propoſita, vtrùm clerici, qui arma *b* militaria, etiam relicto habitu clericali, geſtare nullatenus erubeſcunt, ſi ei fuerit iniuria corporalis illata, vel ſe à captione redemerint, illa clericorum debeant immunitate gaudere, qua pro temeraria manuum iniectione facta in clericum excommunicatus quis ipſo iure notatur. Ad hoc tibi breuiter reſpondemus, quòd cùm fruſtra Eccleſiæ inuocet *c* auxilium, qui committit in ipſam, & lex ſæcularium Principum huic reſponſo ſatis efficax offerat argumentum, quia manifeſtè *d* cautum habetur, matronam, cuius pudicitia attentata fuerit, non poſſe iniuriarum agere, ſi fuerit in veſte meretricali deprehenſa; huiuſmodi clerici, ſi fuerint à Prælatis ſuis *e* tertiò commoniti, & noluerint arma militaria deponere, de priuilegio aliorum clericorum ſubſidium aliquod habere non debent.

NOTÆ.

1 a CLemens III.] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 14. nullibi tamen exprimitur, cui reſcribat Pontifex.

2 b *Militaria.*] Quod clericis valdè prohibitum eſt, vt probaui *in cap. clerici, cap. fin. de vita & honeſt. cleric.* & *in cap. petitio, de homicidio.*

c *Imploret auxilium.*] Hæc verba expoſui *in cap.* 2. *ne cleric. vel monac.*

3 d *Cautum.*] *In l. item* 15. *§. ſi quis virgines* 15. *ff. de iniurijs* : quam illuſtrant Pancirola *lib.* 2. *var. cap.* 117. Heraldus *lib. vnic. emend. cap.* 12.

e *Tertiò commoniti.*] Hæc verba variè expoſuerunt Couar. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 11. *nu.* 13. Petrus Gregor. *lib.* 2. *partit. tit.* 9. *cap. fin.* Vela *diſſert.* 45 Sed veram eorum interpretationem dedi *in cap. fin. de vita & honeſt. cleric.* Ante monitionem tamen, etſi non deferat habitum, nec inſeruiat Eccleſiæ, iuxta requiſita Concil. Tridentini, non priuatur beneficio canonis *c. Odoardus, de ſolut.* & ſimilibus; ſed tantùm priuilegio fori. Marinis *lib* 2. *reſolut. c.* 48. 4

CAPVT XXVI.

a Clemens III.

QVod de his etiam, de quibus non dubitas, & quid de his ipſis ſeruari debeat, plurimùm agnouiſti, Ap. Sed. reſponſa requiris, tantò fraternitatem tuam magis in Domino commendamus, quantò in ijs, quæ ſacrorum canonum inſtitutionibus ſunt expreſſa, noſtra auctoritate procedere deſideras, & diſponis. Sanè requiſiuit à nobis tua fraternitas, vtrùm qui ſe confitetur in latæ ſententiæ canonem incidiſſe, nec ad hoc poteſt induci, vt ad Sed. Ap. veniat abſoluendus, ab Epiſcopo, vel etiam ſimplici presbytero abſolutionis poſſit, vel debeat beneficium promereri; & vtrùm presbyteris bigamis, & viduarum maritis, eorum vxoribus viam vniuerſæ carnis ingreſſis, Miſſarum ſolemnia liceat celebrare. Verùm licèt quid de his obſeruari debeat, ſacris canonibus ſit diffinitum, hoc tamen tuæ fraternitati ad præſens duximus reſpondendum, quòd is, qui ſe aſſerit in canonem latæ ſententiæ incidiſſe, non niſi per Sed. Ap. vel eius *b* Legatum abſolutionis poteſt beneficium promereri, niſi fortè in mortis ſit articulo conſtitutus, vel *c* paupertate, vel infirmitate, vel ſenectute tanta grauetur, quòd ad Eccleſiam Romanam laborem ſubire non valeat veniendi, vel ab hoc alio impedimento canonico retrahatur. Cæterùm ab his in forma ſacramenti exigi conſueuit, vt reſumptis viribus, & opportunitate conceſſa, Romanam Eccleſiam in perſona propria debeant viſitare.

NOTÆ.

a CLemens III.] Ita etiam legitur in ſecunda collectione, *ſub hoc tit. cap.* 15. ſed nullibi exprimitur Prælatus, cui reſcribat Pontifex.

b *Legatum.*] Iuxta tradita ſuprà *in c. ad eminentiam.*

c *Paupertate.*] Vt probaui ſuprà *in cap. cùm non ab homine.*

CA-

CAPVT XXVII.

Idem a *Archiepiscopo, Decano, & Praecentori Lugdun.*

CVm pro causa, quæ inter G. & F. Cabilonensis Ecclesiæ Archidiac. vertebatur, eis concesserimus auditorem, procurator G. allegauit, quòd cùm Archidiaconus in Succentorem in communi dormitorio manus iniecisset temerè violentas, & eum traxisset verberando per claustrum, tu, frater Archiepiscope, eum ob violentam manuum iniectionem, & violationem immunitatis Ecclesiæ fecisti excommunicatum publicum nunciari: ipse verò ad Ap. Sed. accedens confessus est, quòd in clericum manus iniecerat violentas: supprimens autem, quòd immunitatem violasset Ecclesiæ, super absolutione sua literas impetrauit. Nos igitur causam ipsam vestro examini committentes, disc. v. mandamus, quatenus si vobis constiterit, dictum F. Archid. ob *b* duplicem causam excommunicatum fuisse, & expressisse tantùm alteram in literis, quas super absolutione sua impetrauit, ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa cogatis.

NOTÆ.

1 a ARchiepiscopo.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*1. sed veram inscriptionem huius textus, & integram dedi *in cap. cùm pro causa, de Procurat.*

2 b *Duplicem causam.*] Sicut censura potest iterari ex diuersis causis, vt probat latè Gibalinus *de censur. cap.6.* ita & potest absolutio contingere vnius censuræ, remanente alia, vt idem probat *disquisit.9. quæst.*14. Vnde rectè in præsenti docet Innocentius, quòd qui ex duplici causa excommunicationem contraxerat, & impetrauit absolutionem ex vna, non manet absolutus, cùm adhuc superfit alia causa alterius censuræ. In præsenti autem duplex fuit causa censuræ: verberatio, & violatio loci sacri, seu sacrilegium. Cæterùm verberatio, & protractio per claustrum vnum peccatum, & vnicam censuram important. Tapia *lib.3. catenæ mor. quæst* 4. *art.*2.

CAPVT XXVIII.

Innocent. III. *Abbati a S. Andreæ.*

A Nobis est sæpè quæsitum, vtrùm si aliquis excommunicatus, in quo indicia fuerint pœnitentiæ manifesta, nec per eum steterit, quominùs reconciliaretur ecclesiasticæ disciplinæ vnitati, non suscepto beneficio absolutionis decesserit, pro absoluto ab Ecclesia sit habendus; & vtrùm pro tali sit recipienda eleemosyna, & à fidelibus sit orandum. Vt autem, quod intendimus per suppositionem exempli apertiùs exprimamus, quidam presbyter, & canonicus regularis, sicut per tuas nobis literas intimasti, cùm publica laboraret infamia, quòd ad quandam coniugatam accederet, maritus eiusdem mulieris, & consanguinei eius in eum manus *b* iniecerunt temerè violentas: propter quòd per Episcopum denuntiati sunt excomunicationis sententiæ subiacere. Vnde ipsi postmodùm ad eundem Episcopum accedentes, præstito in manibus eius, quòd parerent iudicio Ecclesiæ, corporaliter iuramento, in mandatis receperunt ab ipso, quòd propter hoc Apostolico se conspectui præsentarent. Cùmque vnus eorum se ad iter accingeret veniendi, à quibusdam suis æmulis est peremptus, & extra cœmeterium Ecclesiæ tumulatus; & licèt contra interfectores amici, & consanguinei interfecti grauiter sint commoti, promiserunt eis tamen omnem rancorem remittere, & offensam, dummodo interfecti cadauer traderetur ecclesiasticæ sepulturæ. Videretur igitur in hoc casu forsan quibusdam, quod cùm *c* sacramentum, non necessitatis articulus, sed contemptus religionis excludat, & iudicium Ecclesiæ diuinum possit, & debeat imitari iudicium, cùm in interfecto prædicto manifesta pœnitentiæ signa præcesserant, propter hoc absolutus etiam ab Ecclesia sit habendus; sed è contrario, cùm ex sola culpa ligetur quis quoad Deum apud triumphantem Ecclesiam, ex sola verò sententia ligetur quoad hominem apud Ecclesiam militantem, quando vinculum culpæ remittitur, absoluitur apud Deum, sed apud homines non absoluitur, nisi quando vinculum sententiæ relaxatur: alioquin Ecclesiæ absolutio nullatenus necessaria videretur, si in sola cordis *d* contritione præter sacerdotale officium rigor relaxetur disciplinæ ecclesiasticæ. Nos ergo consult. tuæ de consilio fratrum nostrorum breuiter respondemus, quòd iudicium Dei veritati, quæ nec fallit, nec fallitur, semper innititur; iudicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur, quam & *e* fallere semper contingit, & falli: propter quod contingit interdum, vt qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus. Vinculum ergo, quo peccator ligatus est apud Deum, in culpæ remissionem dissoluitur. Illud autem, quo ligatus est apud Ecclesiam, cum sententia remittitur, & relaxatur. Quod in suscitatione Lazari sermo euangelicus manifestat, quem Dominus priùs suscitauit, & Apostolis præcepit postmodùm soluere suscitatum. Vnde quantumcunque se dictus vir iuramento præstito, quòd Ecclesiæ mandato pareret, humiliare curauerit; quantumcunque pœnitentiæ signa præcesserint: quia tamen morte præuentus absolutionis non potuit *f* beneficium obtinere, quamuis absolutus apud Deum fuisse credatur, nondum tamen habendus est apud Ecclesiam absolutus: potest tamen, & debet beneficio ei Ecclesiæ subueniri, sic vt cùm de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque soluendi homines super terram, tanquam non possit soluere, & ligare sub terra sepultos: & quod legitur, Non communicetur mortuo, cui non est *g* communicatum & viuo; cùm etsi communicatum non fuerit, communicandum ta-

men illi fuisset, quem non contemptus religionis, sed necessitatis articulus impediuit: & in certis casibus à canonibus denotatis ligasse legitur Ecclesia mortuos, & soluisse. Vt autem in vno pariter, & in eodem negotio feruemus rigorem, & mansuetudinem ostendamus, statuimus vt illius mortui absolutio à Sede Apostolica requiratur, qui cùm viueret, ab Ap. Sede fuerat absoluendus: aliorum autem absolutionem ex præmissa causa cæteris indulgemus, à quibus cùm viuerent, fuerant absoluendi. Absolutionis autem forma seruetur, vt fiat cum pœnitentiali psalmo, & tam oratione Dominica, quàm alia consueta. Hæredes tantùm ipsius ad satisfaciendum pro ipso, si commonitione præmissa noluerint, per districtionem ecclesiasticam compellantur. Datum Later. II. Non. Maij.

N O T Æ.

a S*ancti Andreæ.*] Ita etiam legitur in tertia collectio-
1 ne, *sub hoc tit. cap.* 2. & in epistolis Innoc. III Coloniæ editis *lib.* 2. *fol.* 308. nullibi tamen exprimitur, nec ex textu constat, vbi sit monasterium sancti Andreæ, cùm plura sint huius nominis, tam monachorum, quàm canonicorum regularium.

b *Manus iniecerunt.*] Moti tantùm fama, & rumore,
2 aliàs si in ipso actu turpi sacerdos deprehensus esset, non incideret maritus in hanc excommunicationem canonis, vt probaui *in cap.* 3. *hoc tit.*

c *Sacramentum.*] Idest iuramentum, vt plerumque accipitur in vtroque iure, vt probaui *in cap.* 1. *de ferijs.*

3 d *Contritione.*] Non enim contritio, aut resipiscentia facit, vt excommunicatus, quandiù manet excommunicatus, idest non sequuta absolutione, communibus suffragijs, & subsidijs Ecclesiæ gaudeat, *cap. sacris, hoc tit.* probant Sotus *in* 4. *dist.* 27. *quæst.* 1. *art.* 1. Suarez *de censur. disp.* 9. *sect.* 3 Bonacina *de excom. quæst.* 2. *puncto* 1. *num.* 6. Hurtado *eod. tract. disp.* 2. *difficult.* 5. Gibalinus *de censur. disquisit.* 7. *quæst.* 4 1. *part.* etsi contrarium teneat Couar. *in cap. alma* . 4. *part.* §. 6. *num.* 4. Tolerus *in Summa, lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. Auila *de censur.* 2. *part. cap.* 6. *disput.* 4. *dub.* 2. Villalobos 1. *part. Summæ, tract.* 17. *difficult.* 4. Per contritionem enim excommunicatus in gratiam cum Deo redit, vt communionem internam cum reliquis membris corporis mystici Christi habeat, vt probat Gibalinus *de censur. disquisit.* 1. *quæst.* 1. *num* 3. At verò ea communio longè diuersa est à participatione suffragiorum Ecclesiæ, quæ consistit in eo, vt Ecclesia directè oret pro aliquo, & illi fructum sacrificij, & cætera bona communia applicet. Quare cum durante excommuniaatione durent eius effectus, ideò non sequuta absolutione, excommunicatus decedens sepulturæ ecclesiasticæ tradi non debet.

e *Fallere.*] In negotijs videlicet priuatis, vbi Ecclesia aliquid non definit. Roa *de iurib. Princip. quæst.* 1. *nu.* 3.

f *Absolutionis beneficium.*] Declarando ipsum absolutum decessisse. Couar. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 11. *num.* 8. ex traditis *in cap.* 5. *de hæret.* vbi probaui.

g *Communicatum & viuo.*] *Cap. sacris.* vbi probaui, 4
de sepult. vt ita suffragijs, & orationibus Ecclesiæ iuuetur, *cap. sacerdos* 26. *quæst.* 7. ibi: *Pœnitentes verò, qui leges pœnitentiæ attentè exequuntur, si casu in itinere, vel in mari fuerint mortui, vbi eis subueniri non potest, memoria eorum & oblationibus, & orationibus commendetur.* Immò & ante hanc absolutionem in priuatis Missis posse orari pro contrito in excommunicatione decedente, constat *ex cap. sacris, hoc tit.* & probat Manrique *de different. quæst.* 3. *num.* 5.

C A P V T XXIX.

N. a *Vratislauiensi Episcopo.*

NVperà nobis tua fraternitas requisiuit, quid sit de illis laicis sentiendum, qui clericos violenter, sine læsione tamen, in custodia detinent publica, vel priuata, vel etiam detrudunt in vincula, vtrùm in canonem sententiæ latæ incidant, vt ipso facto sint vinculo excommunicationis innodati, sicut illi, qui manus in clericos iniiciunt temerè violentas; & vtrùm qui nominatim excommunicatis scienter communicant, absolui ab excommunicatione possint per confessionem à simplici sacerdote; vel Episcopi, seu Archipresbyteri sit ab eis absolutio expetenda: & si post actam pœnitentiam cum illis vales dispensare, qui etsi bigami de iure non sunt, de facto saltem bigami nominantur, eo quòd in sacris ordinibus constituti more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adiunxerunt. Nos igitur inquisitioni tuæ tali duximus ex ordine respondendum, quòd in primo consultationis articulo non credimus, laicos pœnam excommunicationis *b* euadere, quamuis eorum factum corporalis læsio non fuerit subsequuta, citrà quam violentiam sæpiùs circa clericos nequiter perpetratur. In secunda verò quæstione credimus distinguendum, an is, qui nominatim excommunicato scienter communicat, in crimine communicet *c* criminoso, ei consilium impendendo, auxilium, vel fauorem, aut aliàs in *d* oratione, vel osculo, vel orando secum, aut etiam comedendo. In primo quidem articulo, cùm talis & communicet crimini, & participet criminoso, ac per hoc ratione damnati criminis videatur in eum delinquere, qui damnauit, ab eo, vel eius superiore meritò delicti tunc erit absolutio requirenda, cùm iuxta canonicas sanctiones *e* facientes, & consentientes par pœna constringat. In secundo verò casu à suo Episcopo, vel proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamuis enim & tunc non iudicis, sed iuris sententia excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen conditor canonum solutionem eius sibi specialiter non retinuit, eo ipso *f* concessisse videtur facultatem alijs relaxandi. Isautem, qui iuxta primum modum excommunicat, cum iuramento debet absolui. Qui verò iuxta secundum modum illi participat, reconciliari poterit sine iuratoria cautione. Verùm si difficile sit ex aliqua iusta causa, quòd ad ipsum excommunicatorem absoluendus accedat, concedimus indulgendo, vt præstita iuxta formam Ecclesiæ cautione, quòd excommunicatoris mandato parebit, à suo absoluatur Episcopo, vel proprio sacerdote. *g* Tertius, & vltimus inquisitionis articulus videbatur habere non modicum quæstionis: quoniam cùm in matrimonijs contrahendis, non iuris affectus, sed animi destinatio attendatur, vnde illum comitatur infamia, qui duas simul habet vxores, quod partim ad factum conuenit retorqueri, sicut & quod in canone legitur de presbytero, qui non legalibus nuptijs detinetur, eadem censura tales inter bigamos videntur reputandi; licèt obijci possit ex aduerso, quòd opinioni sit veritas præferenda,

& quòd

Digitized by Google

& quòd iuxta præmissa, qui nullam vxorem habuit, foret bigamus reputandus: quod contingeret si quis de facto contraheret cum diuersis, quibus de iure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quòd cum huiusmodi clericis, qui quantùm in ipsis fuit, secundas sibi mulieres matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licèt in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsequuto. Datum Laterani XVII. Kal. Iunij.

NOTÆ.

1 a VRatislauien.] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. habetur *Vuineglaniensi*: sed retinenda est præsens inscriptio, quæ etiam habetur in ipso regestro epistolarum Innocentij III. correcto à Sirleto, *lib.* 2 *fol.* 311. ex quo integram huius textus restituo. Vratislauiensis ciuitas est in Silesia, prouincia Bohemiæ, cuius Ecclesia Cathedralis primùm fuit Smogræ, inde Leonardus Episcopus Sedem transtulit anno 1041. Viciniam; Hieronymus verò Episcopus anno 1062. Cathedram cum collegio Canonicorum Vratislauiam transuexit, vt refert Aubertus Mireus *de rebus Bohemicis*, *cap* 9. Iaroslao eius Episcopo, qui fuit Silesiæ Principis filius, rescribit in præsenti Innocentius, vt iam notaui *in cap. nuper*, *de bigamis*.

b *Euadere.*] Vt probaui suprà *in cap. cùm desideres*, *hoc titulo*.

2 c *Criminoso.*] Quo casu communicans cum excommunicato maiori excommunicatione ligato, in eandem incidit excommunicationem: exempli gratia si Petrus clericus iussus sit domo expellere concubinam intra sex dies sub pœna excommunicationis maioris; & quia non paruit, elapso eo termino, incurrit ipso facto in excommunicationem, qui deinde illi communicando auxilium, aut consilium dat concubinam vt retineat, incidit in eandem excommunicationem, vt probant Couar. *in cap. alma*, 1. *part.* §. 3. *num.* 5. Auila *de censur. disput.* 10. *dub.* 3. Hurtado *de excommunic. disput.* 9. *difficult.* 3. *num.* 12. Villalobos 1. *p. tract.* 17. *difficult.* 13. *nu.* 6. Ricciulus *de iure person. lib.* 4. *cap* 45. Gibalinus *de censur. disqu.* 7. *quæst.* 9. qui rectè docent, hoc in casu desiderari, vt excommunicatio sit in ipso crimine, cuius causa excommunicatio imposita est; non verò si quis communicauerit cum ipso excommunicato in alio crimine, etiam grauiori. Item desideratur vt talis excommunicatus sit denunciatus, vt probat Gibalinus *vbi proximè*.

d *Oratione*, *vel osculo.*] Quos communicandi modos, & alios exposui *in cap. sacris*, *de his*, *quæ vi*.

e *Facientes*, *& consentientes.*] Iuxta tradita *in cap.* 1. *de officio deleg.*

f *Concessisse videtur.*] Vnde generalem regulam DD. 3
proponunt, omnem iuris, & canonis excommunicationem non reseruatam posse à proprio sacerdote absolui; quia quamuis ex negatione prohibitionis nequeat fortassis in materia iurisdictionis colligi semper positiua concessio; in hoc tamen peculiari negotio excommunicationis negatio prohibitionis absoluendi infert concessionem potestatis absoluendi, vt indicat apertè Innoc. *in præsenti*, ex antiquo profectò iure, & vsu iam inducto, quem potiùs afferre, aut interpretari videtur Pontifex, quàm nouum ius condere: ex qua regula varias illationes ad diuersos casus deducunt Basilius *libro* 6. *de matrim. cap.* 8. Anguianus *de legib. libro* 2. *cap.* 3. Gibalinus *de censur. disquisit.* 9. *quæst.* 3.

g *Tertius.*] Verba, quæ sequuntur, extant *in cap. nuper*, *de bigam.* vbi ea exposui.

CAPVT XXX.

Idem a *Strigoniensi Archiepiscopo*.

QVod in dubijs. *Et infrà*: Respondemus, quòd excommunicato, licèt quod stet mandato Ecclesiæ, iuramento firmauerit, communicari non debet, donec per Ecclesiam fuerit absolutus, alioquin post iuramentum non esset absolutio necessaria. Nullus autem scienter nominatim excommunicato communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregor. Papæ capitulum, *b* *Quoniam multos*, specialiter excusantur. Illi autem qui nominatim excommunicatis præsumptuosè participant, præter personas dicto canone adnotatas, nisi ab eorum participatione commoniti fortè destiterint, *c* excommunicationis vinculo sunt innodandi: secus autem si scienter communicant ei, qui cum participibus suis est vinculo excommunicationis sententialiter innodatus; tunc enim & ipsi sententiam excommunicationis incurrunt.

NOTÆ.

1 a STrigoniensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 9. & *in cap. quod in dubijs*, *de pœnis*, vbi alias partes huius Decretalis congessi.

b *Capit. quoniam.*] 11. *quæst.* 3. Quem textum exposui *in cap. sacris*, *de his*, *quæ vi*.

c *Excommunicationis.*] Maioris videlicet, iuxta tradita suprà *in cap. significauit*, vbi & in dicto capite *sacris*, & *in c.* 2. *de exceptione*, egi de pœna communicantis cum excommunicatò. 2

CAPVT XXXI.

Idem *Doctoribus Decretorum* a *Bononiæ*.

INter alia, quæ ven. f. n. *b* Mendiosien. Archiepiscopus dudum Apostolatui nostro proponi fecit humiliter consulendo, etiam, si bene meminimus, requisiuit, vtrùm excommunicato communicare quis, & qui etiam teneantur? Cui super illo recolimus articulo respondisse, quòd nullus omninò nominatim excommunicato scienter communicare tenetur, nisi quædam personæ, quæ per illud Gregorij Papæ *c* capitulum, *Quoniam multos*, specialiter excusantur. Verùm ex hac nostra responsione magna quidem, sicut accepimus, orta est occasio disputandi, alijs concedentibus, quòd excommunicato communicare teneantur personæ in prædicto capitulo nominatæ, præsertim quæ priùs ex debito ad communicationem eorum tenebantur: alijs asserentibus, eos excommunicatis communicare licitè posse, si velint; non tamen ad hoc ex necessitate teneri. Vt igitur vnde ius prodijt, interpretatio quoque procedat, ambiguitatem huiusmodi taliter duximus absoluendam, quòd cùm quædam personæ in præmisso capitulo priùs denotatæ, illis, in quas lata fuerit excommunicationis sententia, subsequenter ante prolationem ipsius obsequio tenerentur familiariter adhærere, neque postmodùm ad contraria teneantur, cùm adhuc ipsum debitum duret, beneficio canonis

id agente, à priori non sint obnoxietate solutæ, sed ad familiare tenentur obsequium: & ita per consequentiam ad communicationem quoque tenentur, sine qua illud nequeunt exhibere. Id autem non ad omnes personas capitulum credimus referendum, vt videlicet obnoxietati huiusmodi sint subiectæ, cùm viatores, peregrini, & mercatores à communione talium personarum, nisi articulus necessitatis immineat, debeant abstinere, vt in fine colligitur manifestè; sed ad illas dumtaxat, quæ talibus arctiori tenentur obnoxietate constrictæ, de quibus tamen in ijs, pro quibus sunt excommunicatione notatæ, vt in criminibus, communicare non debent, sed ab eis penitus abstinere. Vnde prudenter in præmissa consultatione respondemus, non omnes personas, sed quasdam, quæ per illud Gregorij Papæ capitulum specialiter excusantur, ad communionem huiusmodi præmisso modo teneri. Vtrùm autem & illæ personæ propter atrocitatem facinoris seueriùs puniendæ, à communione talium per excommunicationis sententiam debeant aliquando prohiberi, quia quæsitum non extitit, responsum non fuit.

NOTÆ.

1 a *Bonon.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. capit.*4. & in præsenti scribit Innocentius Doctoribus Bononiensibus, vt etiam Professoribus Parisiensibus *in cap. ex literis, de constit.* Scholasticis Lutetianis *in cap. quia in causis, de procurat.* Bononiensis perantiqua, ac celebris Academia est in Italia, quam Theodosius Maior Imperator erexit, vbi floruerunt semper omnia literarum studia. Debitis encomijs illam extollunt Glossa in procemio huius voluminis, & *in l. fin. Cod. de testam.* Papirius Masonius *lib.*5. *de gestis Roman. Pontif. in Honorio VI.* Midendorpius *de Academijs, fol.*3. P. Mendo *de iure Academico, lib.*1. *quæst.*2. *num.*16. Ijsdem etiam Doctoribus misit Innocentius compilationem suarum epistolarum, vt refertur in principio tertiæ collectionis.

b *Mendiosiensis.*] Ita legitur in tertia collectione, sed rectiùs in sexta habetur *Strigoniensis*; nam in præsenti textu mentio fit textus antecedentis, vbi Strigoniensi Archiepiscopo rescribitur. 2

c *Capitulum.*] Relatum *in cap. quoniam multos,* 11. *quæst.*3. quem textum latè explicat Gibalinus *de censur. disquisit.*7. *quæst.*9. *consect.*3. 3

CAPVT XXXII.

a Idem.

CVm illorum absolutio, qui pro violenta manuum iniectione in clericos labem excommunicationis incurrunt, præterquam in quibusdam casibus à prædecessoribus nostris exceptis, Sedi dumtaxat Apostolicæ reseruetur, nonnulli Ecclesiæ sententiam negligentes, in excommunicatione positi ecclesiasticos ordines accipere non formidant: quid autem fieri debeat de his, Apostol. sæpiùs oraculum imploratur: circa quos credimus, sicut reperitur in subditis, distinguendum, quòd tales vel sciunt excommunicationis se vinculis irretitos; vel non recolunt factum, pro quo in latæ sententiæ canonem inciderunt; vel factum quidem scientes, iuris ignari nesciunt exinde se teneri. Primos, si fuerint sæculares, à subreptis ordinibus censemus in perpetuum *b* deponendos: in reliquis casibus tam Arhiepiscopi, quàm Episcopi absque mandato Sed. Ap. speciali dispensandi facultatem se nouerint non habere, quibus est etiam absolutio talium interdicta, vt maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sunt minora. Potuerunt tamen huiusmodi Rom. Pontificis auribus intimari, vt ab eo secundùm rigorem, vel æquitatem responsum prodeat, prout eius discretio viderit faciendum. Qui si claustrales huiusmodi fuerint, licèt à bonæ memoriæ Papa prædecess. nostro Alexandro fuerit constitutum, quòd monachi, & canonici regulares, quocunque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Ap. Sed. mittendi, sed secundùm discretionem, & prouidentiam Abbatis sui disciplinæ subdantur; & si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, prouidentia diœcesani Episcopi est adhibenda: & alibi dicat, quòd de sæculo fugientes, qui religionis habitum in monasterio receperunt, & inter cætera postmodum confitentur se tale commisisse delictum, per quod ipso actu excommunicationis sententiam incurrerunt, sine licentia Rom. Pontificis Abbas non potest eos, nec debet absoluere, quamuis præsumptionem delinquentium debita possit animaduersione punire. Nos tamen in religionis fauorem, vt euagandi materia subtrahatur, maiorem eis gratiam exhibere volentes, quòd in talibus absolutionis beneficium valeant impertiri, eorum Abbatibus indulgemus, nisi excessus ipsorum extiterit adeò difficilis, & enormis, vtpote si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis est processum, aut in Episcopum, aut in Abbatem violenter sit manus iniecta; cùm excessus tales, & similes nequeant sine scandalo præteriri: si verò claustralis aliquis in religiosum alterius claustri manus iniecerit violentas, per Abbatem proprium, & eius, qui passus est iniuriam, absoluatur. Quòd si clericum percusserit sæcularem, non nisi per Apostolicam Sedem, vt scandalum euitetur, absolutionis gratiam poterit promereri. Si autem & hos ad ordinem promoueri contingat, iuxta præmissam distinctionem, qui scienter in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ se fecerint ordinari, ab executione suscepti ordinis, & officij decernimus manere suspensos. Circà reliquos verò facti memoriam, vel iurisperitiam non habentes, monasterij vtilitate pensata, post iniunctam, & peractam pœnitentiam Abbates ipsorum poterunt dispensare, nisi graue fuerit, & notabile factum: aut is, qui fecit, adultus fuerit, & discretus, vt violenter, & validè contra obliuionem, vel ignorantiam præsumatur. Præcipimus autem Abbatibus, vt formam istam diligenter obseruent, ne priuilegium mereatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

NOTÆ.

1 a *Idem.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.*5. & cùm præsens epistola non reperiatur inter editas à Sirleto & Bosqueto, ideò non constat, cui Prælato rescribat Innocentius.

b *Deponendos.*] Suscipiens enim ordines, ligatus quacumque maiori excommunicatione suspenditur ab executione ordinis iam suscepti, & deponitur; si 2

verò

verò alia cenſura innodatus, videlicet interdicto, aut ſuſpenſione, ad ordines aſcendat, non punitur eadem pœna, vt docent Suarez *de cenſur. diſput.31. ſect.1.num.58.* Auila *de cenſur. 7. part. diſput.1.dub.6.* Bonacina *de cenſur. diſput.3.quæſt.1. puncto 6.* Gibalinus *eod. tract. in ſynopſi verba Ordo, num.3.*

COMMENTARIVM.

3 CVm certum principium iuris ſit, ignorantiam facti à pœnis legibus ſancitis excuſare, iuris verò ignorantiam excuſationem in delictis non præſtare, *cap. ignorantia, de regul. iuris lib.6. l. liberarum 11. ff. de his qui notant. infam. l. 20. tit.1. part.1.* quæri ſolet, an factum committens, cui cenſura, aut irregularitas adiuncta eſt, ignarus conſtitutionis, qua cenſura ſtatuta fuit, in eam incidat? In qua quæſtione aliqui docent, ignorantiam ſimilis conſtitutionis non excuſare reum à cenſura, moti ex præſenti textu, dum in eo docetur, ab excommunicatione propter violentam manuum iniectionem ſtatuta in canone *ſi quis ſuadente, 17. q.4.* abſoluere non poſſe Epiſcopum eos, qui ignari canonis in cenſuram inciderunt. Si enim abſolutio Pontificis neceſſaria eſt, iuris ignorantia ab excommunicatione non excuſat. Ita docuerunt Gloſſa *in cap. à nobis, el 1. verbo Niſi, hoc tit.* Sotus *in 4. diſt 6. quæſt.8. in princip.* Couarr. *in cap. alma, 1. part. §. 12. à num.9. vſque ad 12.* & alij, quos refert Sanchez *lib.9. de matrim. diſput 32. num 7.* Alij diſcrimen conſtituunt inter excommunicationem in iure expreſſam, & inter cenſuram ab homine prolatam, vt in illis iuris ignorantia non excuſet, quia legem generalem nulli licet ignorare, in iſtis autem ignorantia proſit, *ex cap.2. de conſtit. in 6.* ita Gloſſa *ibidem*, & alij laudati à Sanchez *vbi ſuprà, num.8.* Sed illis ſententijs omiſſis, veriùs docuerunt Salas *de legibus diſput.15. ſect.9.* Sanchez ſuprà *num.9.* iuris ignorantiam ab excommunicatione excuſare, ſiue illa lata ſit à iure, ſiue ab homine: quod ex eius natura peculiari procedit; nam ad eam incurrendam deſideratur ſpecialis contumacia, *capit. nemo contemnat, capit. audi denique, 11. quæſtion.3.* Vnde qui ignarus canonis incidit in caſum cenſuræ, non poteſt dici contumax; nam licèt culpabilis exiſtat, quatenus negligit ſcire canonis diſpoſitiones, non tamen dicitur illis contumaciter reſiſtere. Quam ſententiam abſolutè credo accipiendam, non ſolùm cùm noua cenſura fertur eo caſu, quo nulla præceſſerat prohibitio; ſed eo etiam, quo fertur in confirmationem antiquæ prohibitionis, nam & tunc ignorantia liberat à cenſura, vt reſoluit idem Sanchez, quia reſpectu canonis cenſuram imponentis non datur contumacia. Facit textus *in cap. propoſuiſti, 82. diſtinct.* dum ait, clericos incontinentes, ignorantes conſtitutionem Siricij Papæ, qua ſuſpenſionis pœna plectendos decreuit, ea non puniri, quamuis ante illud decretum continentia clericorum fuiſſet præcepta. Ignorantia enim excuſat eos à pœna ſuſpenſionis, vt ab alijs cenſuris, licèt lata ſit propter factum ante legem pœnalem inhibitum. Huic ſententiæ conſequens eſt, vt qui certus eſt de prohibitione iuris, ignorat autem pęnam excommunicationis eo decreto comprehenſam, cùm reſpectu cenſuræ contumax non ſit, licèt aliàs peccet, non incidat in excommunicationem, vt probant Suarez *tom.5. de cenſur. diſput.4 ſect.9. num.19.* Sanchez *diſput. 32. num.13.* quamuis multi ab eo relati *num.11.* contrarium teneant. Quod enim dicitur, conſenſum accommodantem ad delictum, videri ſe ſubijcere pœnæ illius, *l. Imperatares, ff. de iure fiſci*, procedit in pœna cognita, & delicto proportionata; non tamen in pœna extraordinaria, qualis eſt excommunicatio, quæ contumaciam petit. Nec tunc obſtat præſens textus, qui procedit in eo, qui manus violentas in clericum iniecit, ac poſteà ordinatus fuit per ignorantiam iuris, quæ in hac ſpecie culpabilis fuit. Sciendum enim eſt, excommunicatum priuari à ſacramentorum receptione, *cap. fin. de cleric. excom.* Couar. *in cap. alma, 1. part. §. 6. num. 5.* Suarez *de cenſur. diſput.10. ſect.1.* Vnde excommunicatus ſi ordinetur, non debet in gradu ſuſcepto miniſtrare, niſi conceſſa diſpenſatione à Pontifice, vt Innocentius in præſenti decidit. Rurſus ſciendum eſt, irregularitatis nota affici clericum, qui ignarus cenſuræ, tam ignorantia facti, quàm ignorantia iuris ordinatus eſt, vt idem Innocent. ait: cùm autem vtriuſque ignorantiæ idem ſit effectus in præſenti caſu, ignorantia autem facti excuſare ſoleat à cenſura, *c. ſi verò 4. hoc tit.* ſequitur vtramque ignorantiam culpabilem extitiſſe in præſenti caſu: quod euenire poteſt eo caſu, quo nimirum craſſa fuerit, aut ſupina, *ex c.2. de conſtit. in 6.* Si autem ignorantia probabilis fuiſſet, excuſaretur ab irregularitate, ſeu potiùs ſuſpenſione, vt docent Suarez, & Bonacina, & proximè Maiolus *lib. 4. de irregul. cap.34.* Marius Alter. *de cenſur. cap.6. dubio 1.*

C A P V T XXXIII.

Idem *Epiſcopo* a *Piſtorienſi.*

DE monialibus tua à nobis f. requiſiuit, per quem eis ſit abſolutionis beneficium impendendum, ſi vel in ſe inuicem, vel conuerſos, vel conuerſas ſuas, aut clericos etiam in ſuis monaſterijs ſeruientes manus iniecerunt temerè violentas. Super hæc igitur tuæ conſultationi taliter reſpondemus, vt auctoritate noſtra per Epiſcopum, in cuius diœceſi monaſteria fuerint, abſoluantur.

N O T Æ.

5 a PIſtorienſi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap 6.* & in præſenti tantùm deciditur, quis poſſit abſoluere moniales ab excommunicatione incurſa propter violentam iniectionem manuum in clericos; nam ſi mulieres regulariter abſoluendæ ſunt per proprium Epiſcopum, ex traditis *in cap. mulieres, hoc tit.* multò magis moniales, in quibus vltra rationem ſexus adeſt etiam impedimentum clauſuræ. Vnde rectè Innocentius in præſenti reſpondit, moniales manus inijcientes in clericos, abſolui poſſe à proprio Epiſcopo: quod etiam procedit in monachis percutientibus clericum ſæcularem, vt probaui ſuprà *in cap. monachi*.

C A P V T XXXIV.

Idem *Vniuerſis* a *Cruceſignatis.*

SI verè vos pœnitet de commiſſo, & plenè proponitis ſatisfacere de peccato, Dominum vobis credimus, immò nouimus iam placatum. Si ergo b Veneti potuerint ad ſatisfactionem induci, & abſolutionis beneficium meruerint c obtinere, ſecurè cum eis nauigare poteritis, & prælium Domini præliari. Quòd ſi nec ſatisfacere fortè voluerint, nec abſolui, vtpote qui

non dolere, sed gaudere velint diu de commisso, permittimus vobis, vt cum ipsis vsque in terram Sarracenorum, vel Hierosolymitanam prouinciam, iuxta quòd inter vos conuenit, & ipsos, vel honestè conuenerit, nauigio transeatis quantò minùs poteritis, cum dolore tamen & amaritudine cordis, & sub spe veniæ communicantes eisdem. Cùm enim iam à vobis maiorem nauli receperint quantitatem, nec ad eam possint restituendam induci, aut etiam coarctari, si aliter fieret, videremini vos damnum ex pœnitentia, ipsi autem præmium ex contumacia reportare: cùm ad hoc debitum exsoluendum ipsi vobis maneant obligati, & ab excommunicatis exigi *d* possit, & recipi quòd debetur. Est autem *e* cautum in iure, quòd si quisquam per terram hæreticorum, aut quorumlibet excommunicatorum transierit, necessària emere, ac recipere potest ab eisdem. Prætereà si paterfamilias domus excommunicationis sententia fuerit innodatus, à participatione ipsius familia excusatur. Licèt ergo Dux Venetorum, dominus nauium, tanquam paterfamilias domus in excommunicatione persistat: vos tamen tanquam ipsius familia, dum in nauibus eius fueritis, ipsius excommunicatio non continget, & excusabiles eritis apud Deum, si in excommunicatorum nauibus existentes, cum dolore cordis, sub spe *f* pœnitentiæ excommunicatis ipsis communicaueritis, in quibus communionem eorum nequiueritis euitare. Verùm cùm & in terram Sarracenorum, vel Hierosolymitanam prouinciam de nauibus vos descendere contigerit, nisi Veneti ad satisfaciendum, & recipiendum iuxta formam Ecclesiæ absolutionis beneficium inducti fuerint, vel compulsi, cum eis nullatenus præsumatis prælium Domini præliari. Ne si cum eis habentibus aliquid de anathemate in Crucis insurrexeritis inimicos, non præualeatis in eos, sed terga vertentes fugiatis potiùs, & cadatis.

NOTÆ.

1 a *Crucesignatis.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.13.* & refertur epistola hæc inter gesta ipsius Pontificis apud Bosquetum *fol.78.* vt autem eius sententia percipiatur, ex ipsis gestis Innocentij III. & alijs historicis casus repetendus est, qui ita contigit. Cùm pro recuperatione Terræ sanctæ, tam in Italia, quàm in Gallia ingens fieret apparatus, Galli crucesignati miserunt nuncios suos in Italiam ad Ducem, & populum Venetorum, vt ab eis conducerent nauigia opportuna, & simul cum eis tractarent de societate ineunda: & postquam diuersis pactionibus in eam conuenerunt, inter eos placuit, vt aliquot in Syriam destinatis, cæteri tenderent in Ægyptum, vt caperent Alexandriam, & finitimas regiones; sicque Terra sancta faciliùs liberaretur de manibus Paganorum. Vbi ergo Franci, & Veneti societatem huiusmodi firmauerunt, vtrique simul ad Sedem Apostolicam nuncios destinarunt, petentes ab Innocentio III vt pactiones inter se initas auctoritate Apostolica confirmaret. Ipse verò futura præsagiens cautè respondit se conuentiones illas confirmare, ita vt ipsi Christianos non læderent, nisi forsan iter eorum illi nequiter impedirent, aut alia iusta causa, vel necessaria forsan occurreret, propter quam aliud agere nequirent. Galli huiusmodi confirmationem admiserunt, Veneti verò confirmationem hoc tenore factam recipere renuerunt. Termino igitur constituto, Crucesignatorum exercitus ad partes Venetiarum accessit adeò magnus, fortis, & deuotus, vt facilè crederetur non solùm Terram sanctam esse recuperandam, verùm & Regnum Babylonicum occupandum. Nam & Veneti tam magnifica nauigia præparauerant, vt à longis retro temporibus nondum visus, sed nec auditus fuerit tantus nauium apparatus. Misit etiam Innocentius Petrum tituli S. Marcelli Presbyterum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, vt cum ipso exercitu proficisceretur nomine Redemptoris: sed Dux, & Consiliarij Venetorum timentes ne ipse impediret eorum propositum, quod conceperant de Iadera expugnanda, Legato proposuerunt, vt si vellet prædicationis munus obire, illum secum ducerent, aliàs tanquam Legatum illum respuebant: quare Cardinalis reuersus ad Innocentium illi prauam eorum intentionem retulit; quare Pontifex literas scripsit vniuersis Crucesignatis, districtiùs illis prohibens, ne terras Christianorum infestarent, nominatim Iaderam, quam Vngariæ Rex possidebat, qui similiter erat crucesignatus; alioquin scirent, se anathematis vinculo innodatos, hancque excommunicationem fecit per Abbatem de Locerio certiùs intimari. Verùm tam Galli, quàm Veneti Iaderam expugnarunt, spoliaque Iaderinorum inter se diuisere: sed Principes Francorum excessum agnoscentes, iurauerunt in manibus Episcoporum suorum, quòd mandatis Innocentij deinceps parerent, & fecerunt se ab illis absolui, mittentes Suessionensem Episcopum ad Innocent. III. vt illum consulerent qualiter essent de cætero processuri. Ipse verò per litteras suas præcepit eisdem, quatenus dignè de tanto pœnitentes excessu, & satisfacientes congruè de peccato, redderent vniuersa, quæ ad eos de Iaderinorum spolijs peruenerunt, & à similibus de cætero penitus se abstinerent. Quia verò sententiam Apostolicæ Sedis præter auctoritatem ipsius nullus potuit relaxare, quibusdam viris discretis iniunxit, vt ab eis, qui nondum iurauerant Apostolicis stare mandatis, reciperent iuramentum, ab eis autem, qui iam iurauerant, exposcerent vt in eorum præsentia recognoscerent taliter se iurasse; ac deinde iuxta formam Ecclesiæ munus absolutionis impenderent, vniuersis iniungentes Comitibus, & Baronibus sub debito iuramenti, vt per patentes litteras, tam se, quàm successores suos Sedi Apostolicæ obligarent, quod ad mandatum eius de tanta præsumptione satisfactionem exhibere curabunt: omnibus autem præciperent in communi, vt à similibus de cætero abstinerent. Porrò Comites, & Barones se obligarunt, sicut fuit illis iniunctum, & sic omnes absoluti fuerunt: & cùm adhuc Veneti nec ad pœnitentiam agendam, nec ad indulgentiam implorandam voluissent aliquatenus inclinari, consultationi factæ per Suessionensem Episcopum circa modum, quem obseruaturi erant Crucesignati in communione cum Venetis necessàriò habenda in ipsis nauigijs, respondet Innocentius in præsenti epistola, quam multis Scripturæ auctoritatibus illustrat, vt habetur *lib.6. epist.* 102. & inter gesta ipsius Pontificis à Bosqueto edita. Referunt latius prædictam Iaderæ obsidionem, spoliumque Sabellus *lib.9. Æneid.5.* P. Iustinian. *lib.2. histor. Venet.* Guntherus monachus Basileensis, qui extat apud Canisium *tom.5. antiq. lect.* Sanutus Torsel. *libro 3. part.11. capite 1.* Spondanus *in continuat. Baronij*, *anno* 1201.

b *Veneti.*] Veneti enim deuastata Aquilcia Sede Patriarchali, irruptione, & direptione Attilæ Hunnorum 2
Regis, orbis prædatoris potiùs quàm bellatoris, in insulam Gradum confugerunt, consederuntque, & inde ab incendio Attilæ parum tuti maritima loca, qua Padus mare superiùs subit, tenuerunt, ciuitatemque construxerunt, cui hodie, & tunc Venetiarum est nomen, vt referunt Carolus Sigonius *de Occidentali Imperio*, *lib.13. ad annum* 452. & sequentes Philippus Cluuerius *Halicarum antiquitatum lib.1. c.28.* Torselinus 3. *part. hist. lib.6. sub eodem anno* 452. Saabedra *cap.6. chron. Goth.* à qua occupatione dominium illius maris, libertatem, & exemptionem ab Imperio deducunt Veneti: quod & probant ex Iurisperitis Baldus, & Classici *in l.1. §. quòd si quis 18. ff. de noui oper. nunc.* alijque veteres, quos adducunt Tuschus *pract. lib.8. conclus.70.* Franc. Marcus 2. *p. decis.*110. *n.*11. D. Ioan. Solorz. *tom.1. de iure Indiar. lib.2. c.6. ex nu.19.* Valenzuela 1. *tom. consil.*100. *nu.*55. *vers. Quorum*, Osualdus *lib.4. Donel. c.9. litt. A*, Iacob. Vander. *de iure publico, ad l. non dubito, ff. de captiu. c.55. num.3.* Viuisembachius *disp.9. nu.3.* D. Ioannes Ramos *in apparatu ad leg. deprecatio*, ex alijs Marisotus *in orbe marit. lib.2. cap.18. & 19.* Besoldus *in differt. iurid. polit. de diuis. rerum, nu.7.* Salazar *in notis ad Gongoram, in Tabul. Pirami, fol.*181. & de eorum dominio in mari Adriatico, plura Solorzanus *tom.1. lib.3. cap.3. num.34.*

c *Obli-*

c *Obtinere.*] Vt postcà obtinuerunt Dux Dandulus, & alij Veneti post captam Constantinopolim per Petrum Cardinalem Capuanum tituli sancti Marcelli, vt constat *ex lib.7. regestr. ipsius Pontif. epist.*202. *&* 207. & refert Spondanus *d. anno* 1201. *num.*8.

d *Exigi possit.*] Vt probaui *in c.cùm inter, de except.*

e *Cautum.*] *In cap. quoniam multos*, 11. *quæst.*3.

f *Pænitentiæ.*] Si aliquando, videlicet voluntariè communicauerint; secus verò si ex necessitate, quia tunc nulla pœnitentia, aut absolutione indigent, vt docuerunt Suarez *de censur. disput.*5. *sect.*2. Balboa *in cap.*12. *nu.*27. *de except.*

CAPVT XXXV.

Idem a *Lundon. Episcopo.*

VT famæ tuæ consulas, & saluti, & sic malorum audaciam comprimas, vt ab eis bonorum innocentiam tuearis, super his nos humiliter consulis, quæ officium pastorale contingunt, vt de nostra responsione securus iniunctæ tibi solicitudinis debitum laudabiliùs exequaris. Sanè nos tua duxit fraternitas consulendos, vtrùm clerici grauiter excedentes, qui tutè non possent monasterij ad agendam pœnitentiam *b* deputari, quoniam cùm non pœniteant de commissis, opportunitate fugiendi captata, carcerem fugerent claustri, & prioribus se sceleribus celeriùs immiscerent, à te, vel alijs *c* Prælatis suis arctæ possint custodiæ mancipari; & vtrùm laici, si clericos in magnis sceleribus deprehendant, in canonem incidant sententiæ promulgatæ; cùm nec comprehendere, nec ad iudices trahere ipsos possint, nisi in eos manus iniecerint violentas. Ad primum igitur respondemus, quòd cùm Prælati excessus corrigere debeant subditorum, & publicæ vtilitatis intersit, ne crimina maneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui fuerant nequam, nequiores; non solùm possunt, sed debent etiam superiores clericos, postquam fuerint de crimine canonicè condemnati, sub *d* arcta custodia detinere, qui cùm sint *e* incorrigibiles, nec in monasterijs valeant custodiri, ad similia, vel peiora de facili laberentur. Laici verò citrà excommunicationis sententiam capere clericos, & ad iudicium trahere possunt, si oporteat, etiam violenter; dum tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi sunt iurisdictioni subiecti, & quorum est corrigere criminosos: cùm hoc non ipsi, sed illi, quorum auctoritate id faciunt, facere videantur; dum tamen non ampliùs eorum violentia se extendat, *f* quàm defensio, vel rebellio exigit clericorum.

NOTÆ.

1 a LVndon.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*8. De qua Ecclesia egi *in cap.*6. *de consuet.* Sed legendum est *Lundensi*, vt notauit Paulus Idumay *in notis ad Innoc. III. lib.*18. *epist.*118. de qua Ecclesia egi *in cap.*2. *de consuet.*

b *Deputari.*] Vt moris olim erat, *cap. tuæ*, vt probaui, *de pœnis.*

c *Prælatis.*] Iuxta tradita *in c.*1. *de offic. ordin.* 2

d *Sub arcta custodia.*] In carcere videlicet, vt dicemus *in cap. nouimus*, *§. fin. de V. S.*

e *Incorrigibiles.*] Et si tales verè sint, possunt degradari, tradique Curiæ sæculari, iuxta adducta *in cap. cùm non ab homine, de iudic.*

f *Quàm defensio.*] Et tunc laici ritè adiri possunt, vt probat Salgado *de Regia protect. part.*1. *cap.*2. *num.*285. Consonat textus *in cap.*1. *hoc tit. in* 4. *collect.* 3

CAPVT XXXVI.

Idem a *Bracharensi Archiepiscopo.*

COntingit interdum in partibus tuis, & de consuetudine regionis habetur, sicut tua nobis f. intimauit, quòd clerici, si quem offendant, & satisfacere velint offenso, secundùm morem patriæ, quem inter se laici iam obseruant, corpora sua sponte supponunt *b* xxx. vel xl. seu pluribus, aut paucioribus percussionibus fustium, quas frequenter non coacti suscipiunt, sed volentes, non solùm de aliorum clericorum manibus, sed etiam laicorum. Vnde nos humiliter consulebas, vtrùm huiusmodi percussores in canonem incidant sententiæ promulgatæ. Nos autem f. t. super his t. duximus respondendum, quod huiusmodi manus iniectio, etsi non violenta, tamen iniuriosa videtur, cùm ille canon non tam in fauorem clerici ordinati, quàm in fauorem ordinis *c* clericalis fuerit promulgatus: ideò volumus, & mandamus, vt id de cætero prohibeas attentari per prouinciam Bracharensem. Si quis autem clericus post prohibitionem huiusmodi spontè subierit, *d* excommunicetur vterque; prouiso, quòd clericus iniuriam passo sine iniuria clericali satisfaciat competenter, quatenus inter eos pax valeat rationabiliter reformari.

NOTÆ.

1 a BRacharensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.*10. De Bracharensi Metropoli nonnulla adduxi *in c.*2. *de in integr. rest.*

b *Triginta.*] Per quem numerum non creditur perueniri ad effusionem sanguinis, iuxta tradita *in cap.* 1. *de calumniat.*

c *Ordinis Clericalis.*] Vnde renunciari non potest, iuxta tradita *in cap. si diligenti, de foro compet.*

2 d *Excommunicetur.*] Clericum, qui percussioni suæ consentit, impunè percuti, docuerunt nonnulli, quos refert, & sequitur Barbosa in præsenti, quia talis percussio nequit dici violenta, iuxta verba canonis, *si quis suadente*, 17. *q.*4. sed rectiùs contrarium in præsenti deciditur; nam etsi non sit violenta talis manuum iniectio, est tamen iniuriosa, quia nequit ita offensus priuilegio clericalis ordinis renunciare, vel eam iniuriæ pœnam à iure expressam remittere, vt docuerunt Sayrus *de censuris lib.* 3. *cap.* 26. *num.*18. Suarez *eod. tract. disput.*22. *sect.*1. *numer.*58. Molina *de iust. tract.*3. *disput.*51. *numer.*3. Layman, Castropalao, & alij, quos refert & sequitur Gibalinus *in synopsi fol.*463. Quæ sententia facilè probatur ex eo, nam si clericus, qui seipsum vulnerauit, aut sui cædem, vulnusque alij consuluit, aut præcepit, incidit in hanc canonis excommunicationem, iuxta communem sententiam, multò magis qui clerico consentienti manus iniecit.

CAPVT XXXVII.

Idem a *London. Episcopo.*

RElatum est nobis, quod cùm aliqui serui tuæ prouinciæ propter iniectionem manuum in clericum violentam in canonem incidunt sententiæ promulgatæ, allegantibus dominis eorundem, quod carere mancipijs suis nolunt, venire ad Sedem Apost. absoluendi non curant, per occasionem huiusmodi eludentes ecclesiasticam disciplinam. Quocirca disc. v. per Ap. s. m. quat. eos venire compellas ad Sed. Ap. absoluendos, cùm plus sit Deo, quàm homini deferendum, nisi fecerint hoc in fraudem, vt subtrahant plus se ab osequio dominorum, aut ipsi propter hoc sine culpa sua incurrerent graue *b* damnum: & in vtroque casu poteris eos ex indulgentia nostræ permissionis absoluere, cùm nimis sint ab Ap. Sede remoti: sed in recompensationem laboris, quem in itinere sustinerent, aliam eis satisfactionem iniungas, dummodo non sit tam grauis, & enormis excessus, vt propter vitandum scandalum, & tollendum exemplum, huiusmodi serui ad Seruum seruorum venire debeant absoluendi.

NOTÆ.

1 a LOndon.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 11. in hac sexta legitur *Lugdun.* sed parum interest quamlibet ex eis retineas inscriptionem.

b *Graue damnum.*] Consonat textus *in cap. mulieres*, ibi: *Qui existunt in potestate alterius, hoc tit.* & docent Bonacina *de censur. d. quæst.* 4. *puncto* 5. *num.* 3. Molina *de iustitia, tract.* 3. *disp.* 64. *num.* 2. Barbosa *de potest. Episcop. alleg.* 41. *num.* 29. 2

CAPVT XXXVIII.

Idem a *Strigoniensi Archiepiscopo.*

SAcris est canonibus institutum. *Et infra*: Licèt autem is, qui voluntarius excommunicatis communicauerat, qui eum omnibus fautoribus suis, & participibus excommunicationis sententia sint astricti, ad cor postmodùm rediens, de mandato Ecclesiæ illos, quos fouerat, expugnaret; non tamen priùs, quàm absolutionis gratiam perceperit, habendus est absolutus; nec si occumbat in bello, oblationes sunt recipiendæ pro eo, vel orationes Domino porrigendæ: nisi cùm de ipsius viuentis pœnitentia per euidentia signa constiterit, iuxta cuiusdam *b* constitutionis nostræ tenorem, defuncto etiam absolutionis beneficium impendatur.

NOTÆ.

1 a STrigoniensi.] In tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 12. legitur *Indrosiensi*; sed vbique malè, veram enim huius textus inscriptionem dedi *in cap. sacris, de his, quæ vi*, vbi extat prior pars huius Decretalis.

2 b *Constitutionis.*] Relatæ suprà *in cap. à nobis*, & *lib.* 6. *regestr.* 16. *epist.* 49. vbi Abbatibus de Refloris, & Palmi ita Innocentius scribit: [Oblata nobis M. mulieris petitio continebat, quòd cùm olim S. frater suus vnà cum quibusdam alijs morti cuiusdam interfuisset presbyteri, diabolo suadente, tandem reuersus ad cor, humiliter suum regnouit excessum, & paratus vt iter acciperet ad Sedem Apostolicam veniendi, præueniente mortis articulo, exequi non potuit quod intendit: iuramento tamen promiserat, quod nostris staret super excessu sæpedicto mandatis. Vnde nobis dicta mulier supplicauit, vt cùm illum non religionis contemptus, sed necessitatis articulis impedierit, quominus ad Sedem accesserit Apostolicam absoluendus, super absolutione, ac sepultura ipsius dignaremur misericorditer prouidere. Quia verò, sicut in contumacia persistentibus rigidos esse nos conuenit, sic humiliatis ad pœnitentiam negare gratiam Ecclesiæ non debemus: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus si prædictus S dum adhuc viueret, satisfactionem condignam promisit, vel sufficiens de satisfactione mandatum, & aliàs manifesta in eo pœnitentiæ indicia præcesserunt, cum Psalmo pœnitentiali, oratione Dominica, & alijs consuetis defuncto absolutionis beneficium impendatis, tradi facientes corpus eiusdem ecclesiasticæ sepulturæ, dummodo contra terræ consuetudinem ex hoc graue non debeat scandalum generari. Quod si non omnes, &c. Duo vestrum, &c. Vos denique filij Abbates, &c. Datum Laterani III. idus Maij, Pont. nostri anno XVI.]

CAPVT XXXIX.

Idem a *Assininati Episcopo.*

SIcut nobis tuis litteris intimasti, cùm aliquos tuæ diœc. clericos, vel laicos, culpis suis exigentibus excommunicationi supponis, ipsi postmodùm ad te nulla satisfactione præmissa, sine testimonialibus literis redeuntes, dicunt se absolutionis beneficium recepisse, quibus si credi debeat in hac parte, per nos instrui suppliciter postulasti, cùm propter causam huiusmodi, sicut dicis, tuæ sententiæ à subditis contemnantur. Nolentes igitur hominum malitijs indulgeri, f. t. t. respondemus, quòd nisi excommunicati ad te super absolutione sua *b* literas, vel illius, cui vices nostras in hac parte commisimus, reportarint, aut alio modo legitimè de illorum absolutione tibi constiterit, tu de eorum absolutione fide non habita, ipsos pro excommunicatis, vt priùs habeas, & facias euitari. Datum Later. 2. idus Aug.

NOTÆ.

1 a ASsininati.] Ita legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 13. & in epistolis Innoc. III. *lib.* 2. *epist.* 157. ex quo regestro textum hunc restituo. In præsenti scribit Innocentius Vidoni Episcopo Assisiensi, de quo, & de ipsa Ecclesia agit Vghellius *tom.* 2. *Ital. sacræ*, *fol.* 540. Sed legendum est, vt in margine emendatur, *Assisinati*, seu *Assisiensi*, de quâ Ecclesia nonnulla adduxi *in cap.* 16. *de offic. Ordin.*

b *Literas.*] Veras, & non per obreptionem impetratas, vt probaui *in cap. super eo, de cohabit. cleric.* 2

CAPVT XL.

Idem a *Senonensi Archiepiscopo*.

PEr tuas nobis literas intimasti, quod cùm ven. f. n. *b* Altissiodoren. Episcopus in Altissiodorensem Archipresbyterum excommunicationis sententiam promulgasset, Archipresbyter se tuo conspectui præsentauit, & quòd staret mandato Ecclesiæ sufficientem obtulit cautionem, petens humiliter, vt ei absolutionis beneficium exhiberes: tu verò volens Episcopo mem. deferre, ipsum sæpiùs monuisti, vt absolueret Archipresbyterum memoratum: sed quia monitis non parebat, excommunicatum absoluere curauisti, quem Episcopus pro absoluto non habet, vtpote qui proponit, quod ad te illius absolutio non spectabat. Vnde quæris, quid in similibus sit agendum? videtur enim aliquibus, quòd cùm ad Metropolitanum per appellationem quæstio non defertur, excommunicatus autem vocem non *c* habeat appellandi, vtpote ab Ecclesia separatus, siue appellauerit, siue non, Metropolitanus ei non debet absolutionis beneficium exhibere. Verùm ex verbis cuiusdam epistolæ, quam dicunt Scholastici *d* decretalem, & à bonæ memoriæ Alex. Pap. prædecessore emanasse proponunt, habetur, quòd si ante appellationem in aliquem excommunicationis sententia fuerit promulgata, Metropolitanus ante litis ingressum, ab eo iuramento recepto, secundùm Ecclesiæ consuetudinem debet ipsum absoluere, nisi voluerit Episcopo diœces. deferre, ipsumque ad eum remittere absoluendum: vbi etiam consequenter infertur, quòd quia excommunicati audiendi non sunt priùs, quàm fuerint absoluti; nec sunt ad illos, à quibus appellauerant, remittendi. In *e* Sardicensi autem Concilio reperitur, vt is, qui ab Episcopo est abiectus, finitimos Episcopos interpellet, & causa eius audiatur, & diligentiùs pertractetur. Episcopus autem, qui iustè, vel iniustè abiecit, eundem patienter accipiat, vt discutiatur negotium, quatenus vel probetur eius à pluribus sententia, vel etiam emendetur: priùs tamen, quàm omnia diligenter, ac fideliter examinata fuerint, nullus ante cognitionem communioni eum sociare presumat, qui fuerat communione priuatus. Nos igitur credimus distinguendum, vtrùm proponat se post appellationem legitimè interpositam excommunicatione notatum, vel in forma excommunicationis intolerabilem errorem fuisse patenter expressum; in quibus casibus ad probationem eorum, etiamsi absolutionem non petat, debet admitti: sed donec de ipsis constiterit, in alijs euitari, quamquam Ap. Sed. etiam tales consueuerit absoluere ad cautelam. Verùm in alijs, nisi gratiam absolutionis imploret, non debet audiri, ne sententiam ecclesiasticam contemnere videatur, & propter hoc ampliùs in suo contemptu ligetur. Quòd si beneficium absolutionis humiliter postulauerit, Metropolitanus eum debet absoluere, nisi suo duxerit Suffraganeo deferendum. Cui tamen si suffraganeus absolutionis beneficium iuxta formam Ecclesiæ noluerit exhibere, ipse nihilominus ipsum absoluat, cautione recepta, quòd suo debeat parere mandato, ac deinde causam audiat, & quod canonicum fuerit, iustitia mediante decernat. Quòd si forsitan Episcopus subditum suum propter manifestum excommunicasset excessum, Metropolitanus non debet ipsum absoluere, nisi suffraganeus requisitus malitiosè sibi absolutionis beneficium denegaret.

NOTÆ.

a *SEnonensi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 14. De Senonensi Metropoli iam nonnulla adduxi *in cap. 6. de constit. cap. 1. de postulat. Prelat.*

b *Altissiodorensi.*] Qui est suffraganeus Archipræsulis, de cuius diœcesi nonnulla adduxi *in capite 14. de præscript.*

c *Non habeat appellandi.*] Quod diuersum est, quando excommunicatus appellare intendit in alia causa, quàm in ea, pro qua fuit excommunicatus, vt probat Balboa *in cap. dilecti* 10. *de except.*

d *Decretalem.*] Relatam *in cap. quæsitum, de offic. ordin.*

e *Sardicensi.*] *Can.* 17. relato *in cap. si fortè* 11. *q.* 3.

COMMENTARIVM.

1 Probatur assertio. EX hoc textu sequens communiter venit disputanda assertio: *Archiepiscopus potest absoluere subditum suffraganei sui ad eum appellantem, non aliàs.* Probant eam textus *in cap. Romana, cap. venerabilibus, hoc tit. in 6. cap. Romana, de pœnis, eod. lib. 1. cap. 1. de foro compet. eod. lib. cap. pastoralis, cap. duo, de offic. ordin. cap. seruetur,* 11. *quæst.* 3. Faciunt textus *in cap. conquestus, cum alijs, 9. quæst.* 2. Concil. Sardic. *can.* 13. Nicæn. *can.* 8. Illiberit. *can.* 53. Cæsaraugust. *can.* 5. Frisingen. anno 1440. habitum *can.* 25. & alij sacri canones, quos refert Ant. August. *in epit. lib. 37. tit.* 82. Petrus Gregor. *lib. 4. part. tit. 16. cap.* 7. Cæsar *de Eccles. Hierarch. disput.* 5. *§.* 2. Filesacus *in cap. ad reprimendam* 8. *de offic. Ordin.* Morinus *lib. 2. exercit. cap.* 28. Barbosa *de potest. Episc. alleg. 126. per tot.* Martha *de iurisd. 3. part. cap. 12. & 14.* Balboa *in cap. 1. de foro compet.* Altesserra *in præsenti.*

2 Impugnatur tradita assertio. Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam Archiepiscopus totius prouinciæ suæ moderator est, & iudex ordinarius, *cap. in apibus 7. quæst.* 1. adeò vt omnes clerici proponere possint omnes querelas coram ipso, *cap. quia cognouimus* 10. *quæst.* 3. vnde totius Metropolis curam, & solicitudinem ad Archiepiscopum pertinere, docetur *in cap. per singulas, 9. q.* 3. Igitur si iudex ordinarius est, poterit absoluere subditos suffraganeorum ab eis excommunicatos. Difficilis est etiam præsens assertio, dum in ea docetur, Archiepiscopum, ad quem appellatio interposita est, posse excommunicatos absoluere; nam excommunicatio ab homine prolata ab ipso debet relaxari, *cap. nuper, hoc. tit.* probaui latè *in cap. 8. de offic. Ordin.* & in eo loco, vbi quis à communione exclusus est, illi reconciliari debet. Concil Arelat. 1. *can.* 16. Ergò Archiepiscopus, qui sententiam excommunicationis non protulit, non potest eam relaxare. Accedit, nam iuxta veterem Ecclesiæ disciplinam desideratur, vt in ea Ecclesia, vbi quis ab Episcopo eiectus fuit, ibi reconcilietur, & iterùm admittatur. Concil. Sardic. *can.* 16. Ergo cùm Episcopus à propria Ecclesia subditum eiecit, non potest Archiepiscopus eum in sua Ecclesia reconciliare, & recipere.

3 De absolutione excommunicati. Adhuc tamen defendenda est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, in præsenti casu nouum ius statui circa absolutionem excommunicato impertiendam à superiore illius, qui excommunicationem protulit; nam iuxta veteres Ecclesiæ canones nulli concedebatur absolutio ante litem in Synodo, vel coram superiore dijudicatam. Concil. Nicæn. *can.* 5. ibi: *De his, qui à communione segregati sunt, siue clericorum, siue laicorum sint ordinis, ab Episcopis, qui sunt in vnaquaque prouincia, valeat sententia secundùm canonem, qui pronuntiat eos, qui ab alijs eiecti sunt, non esse ab alijs admittendos. Examinetur autem nunquid vel simulatè, vel contentione, vel aliqua eiusmodi Episcopi acerbitate è congregatione*

tione

tione ipsi sint. Antiochenum *can.* 12. *Si quis à proprio Episcopo fuit excommunicatus, ne priùs ab alijs suscipiatur, quàm fuerit à proprio Episcopo susceptus, vel facta Synodo accedens se defenderit, & persuasa Synodo aliam sententiam retulerit. Idem autem decretum aduersùs laicos, presbyteros, & diaconos, & eos, qui sunt in Cleri catalogo, obseruetur.* Sardicense *can.* 17. ibi: *Tamen priùs quàm omnia diligenter, & fideliter examinentur, eum, qui fuerit à communione separatus, ante cognitionem nullus debet præsumere, vt communioni societ.* Citatur à Grat. *in c. Episcopus*, 11. *q.* 3. Sed in præsenti Innocentius III. circa hanc absolutionem duplicem considerat excommunicationem; vel enim est manifestè iusta, vel manifestè iniusta, vel dubia, vel prætenditur nulla. Si sententia est manifestè iusta, vt lata propter manifestum excessum, Archiepiscopus per appellationem aditus excommunicatum, nisi facti illum pœniteat, & satisfaciat, absoluere nequit. Si manifestè iniusta sit, quia post appellationem, vel cum errore intolerabili sit prolata, mox excommunicatus erit absoluendus. Si dubia est, quod accidit, vt prætenditur, plerumque antequam absolutionem reus imploret, defensionis locus ei negatur: quæ absolutio ante causæ cognitionem ad cautelam, & sub conditione ei concedi debet, præstita cautione de parendo mandatis Ecclesiæ. Si tandem sententiam nullam esse excommunicatus conqueratur, licet illi aut absolutionem petere, aut ea non petita, causam nullitatis agere: si petat absolutionem ad cautelam, illi concedenda est; si non petat, sed sententiam nullam esse probaturum profiteatur, illi causam hanc prosequi licet, in alijs autem minimè audietur. Vnde apparet, ante cognitionem nouo iure ferè semper absolutionem excommunicato appellanti esse concedendam: quod etiam cauetur *in cap. sacro, §. caueant, hoc tit. cap. venerabilibus, §. sanè, hoc tit. in* 6. diligentius tamen antiquos canones perscrutanti, hoc absolutionis genus non omninò inusitatum constabit: ab eo enim propè abest absolutio à Domino Antiocheno Patriarcha quibusdam presbyteris concessa, quæ refertur actione 10. Concilij Chalcedon. inter acta Concilij Beryt. ibi: *Propter festinationem illos ab excommunicatione absoluit; sub ea tamen definitione, vt Antiochia non excederent, donec sententiam causa perciperet: si autem exirent, antequam finem causa perciperet, maiori pœnæ essent damnationis obnoxij.* Facit textus ad idem *in can.* 3. *Concilij Agath.* in illis verbis: *Episcopi si sacerdotali moderatione postposita innocentes, aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint, aut ad gratiam festinantes recipere fortasse noluerint, à vicinis Episcopis cuiuslibet prouinciæ literis moneantur; si parere noluerint, communio illis vsque ad tempus Synodi à reliquis Episcopis non denegetur, ne fortè propter excommunicatoris peccatum excommunicati longo tempore morte præueniantur.* Et si sententia euidenter iniqua erat, etiam iuxta antiquos canones, nec excommunicatus, nec alij illi deferebant, *cap. cui illata*, 11. *quæst.* 3. Concil. Sardic. *can.* 17. *Si quis Episcopus vim passus iniustè eiectus sit, vel propter scientiam, vel propter catholicæ Ecclesiæ confessionem, &c. effugiens periculum innocens execrationi subiectus in aliam vrbem venerit, ne prohibeatur illic tamdiù agere, donec reuertatur, vel à facta sibi iniuria possit liberationem inuenire. Durum enim est, atque adeò grauissimum, eum, qui iniustam eiectionem passus est, à nobis non suscipi.*

4 Traditur ratio decidendi.

His suppositis, ratio præsentis assertionis ex eo prouenit, nam cùm excommunicatus ab vno Prælato, ab alio suscipi non debeat, vt latè probaui *in cap.* 8. *de offic. ordin.* vt ita seruetur cuique sua iurisdictio illibata, & ab eo quisque communionem accipiat, à quo priuatus fuerat, *cap. seruetur*, 11. *quæst.* 3. & Archiepiscopus nullam habeat iurisdictionem in subditos suffraganeorum, nisi in casibus relatis *in cap. pastoralis, de offic. Ordin.* ideò excommunicatos à proprijs suffraganeis Archiepiscopus absoluere nequit, quia excommunicatus absolui debet à proprio iudice, *cap. cùm ad Ecclesiarum, de offic. Ordin.* Si autem ipse excommunicatus à proprio Episcopo ad Archiepiscopum appellauerit, quia in hac secunda instantia Archiepiscopus iurisdictionem in subditos suffraganeorum exercet, rectè poterit excommunicatum à suffraganeo absoluere causa cognita, iuxta distinctionem suprà relatam, etiamsi absolutio talis censuræ Pontifici esset reseruata. Marinis *lib.* 1. *resol. cap.* 17.

5 Nec obstat dubitandi ratio suprà expensa, nam licèt Archiepiscopus sit iudex ordinarius in tota sua prouincia, id tamen procedit in rebus pertinentibus ad generale prouinciæ regimen, & vt ad illum appellari valeat; non verò respectu subditorum suffraganeorum, *cap. scitote* 6. *quæst.* 3. *cap. peregrina* 3. *quæst.* 6. Vnde subditos suffraganei sui in prima instantia iudicare nequit, *dicto cap. duo*: & quia qui potest aliquem ordinare, potest & eum iudicare, *cap. nullus, de parochijs*; & quia Archiepiscopus non potest subditos suffraganeorum iudicare, ideò nec ad ordines promouere valet, *cap.* 1. *de offic. Ordin. in* 6. Nec obstat difficultas alia, nam procedit, quando à sententia excommunicationis appellatum non est, quia tunc ab eodem iudice debet quis absolui, à quo excommunicatus fuit, iuxta tradita *in d. cap* 8. *de offic. Ordin.* at verò cùm appellatum est, quia per appellationem causa deuoluta ad superiorem ipse plenam iurisdictionem habet, ideò tunc excommunicatum à suffraganeo absoluere valet. Dissoluitur dubitandi ratio.

6 Exponitur c. 8. de offic. ordin.

Sed suprà traditis obstare videtur textus *in cap. ad reprimendam* 8. *de offic. Ordin.* vbi refertur, Lexouiensem Episcopum conquestum fuisse coram Innocentio III. eo quòd à se excommunicatos Archiepiscopus Rhotomagensis, & alij comprouinciales absoluebant: & decreuit Innocentius, ne deinceps à Lexouiensi Episcopo excommunicatos cæteri Episcopi recipiant ad communionem; Archiepiscopus verò excommunicatos coram se conquestos de iniustitia excommunicationis absoluat, vel absoluendos remittat ipsi Episcopo, qui si eos ad communionem recipere renuat, simili pœna afficiatur. Ex quo textu apparet, Archiepiscopum nulla præmissa appellatione posse absoluere excommunicatos à suffraganeo. Pro cuius difficultatis solutione Glossa, & antiquiores repetentes *in cap. pastoralis, de offic. Ordin.* asserunt, Archiepiscopum posse supplere negligentiam suffraganei in absolutione impertienda excommunicato, & ita procedere textum *in dicto cap.* 8. Sed licèt hæc sententia vera sit, quam latè probat Barbosa *alleg.* 126. *per tot.* tamen non adaptatur decisioni textus *in d. cap. ad reprimendam*. Quare ea omissâ, pro vera expositione ipsius textus discrimen constituendum est inter eum casum, in quo de iniustitia excommunicationis agitur inter subditum suffraganei, & ipsum suffraganeum Episcopum, qui ex officio, & non ad partis petitionem ipsum excommunicauit; & inter eum casum, in quo causa iniustitiæ excommunicationis vertitur inter subditos suffraganei, inter quos lis agitatur, cuius causa excommunicatio prolata est. Primo casu Archiepiscopus cognoscere potest, etiam per modum querelæ, de iustitia excommunicationis, siue per simplicem querelam, siue per appellationem, *c. per singulas* 9. *quæst.* 3. *c. sacro, hoc tit.* quo casu procedit textus *in d. c. ad reprimendam*. Secundo verò casu vllo modo Metropolitanus, nisi mediante appellatione, excommunicatum à suffraganeo absoluere nequit, quia inter subditos suffraganeorum, nisi per viam appellationis, Archiepiscopus cognoscere nequit, *dicto cap. duo simul, cap. pastoralis, de offic. Ordin.* Docent Cæsar *de eccles. hierarch. disput.* 5. §. 2. Barbosa *d. alleg.* 126. *num.* 22. Sed adhuc manet non leuis difficultas in eo, quod docetur in eodem textu, Archiepiscopum debere ipsum excommunicatum remittere Episcopo, vt ab eo absoluatur, præcipuè cùm eo casu excommunicatum absoluendum esse ab ipso Archiepiscopo expressè doceatur *in cap. venerabilibus, §. sanè, de offic. ordin. lib.* 6. Sed vt hunc etiam scrupulum amoueamus, tres casus distinguendi sunt. Primus est, cùm excommunicatio ipsa ex tenore processus iusta apparet; tunc enim Archiepiscopus tenetur ipsum excommunicatum remittere Episcopo excommunicanti, vt ab eo absoluatur, nec ipsum absoluere valet, cùm iniuria fieret excommunicatori, si iustè ab eo excommunicatus per alium absolueretur, contra textum *in cap. seruetur*, 11. *quæst.* 3. *cap. cùm contingat, de offic. deleg.* Secundus casus est, cùm excommunicatio iniusta apparet, quo casu Archiepiscopus excommunicatum absoluere valet, quia nulla fit iniuria excommunicatori, cùm ipsa excommunicatio manifestam contineat iniustitiam. Tertius casus contingit, cùm adhuc dubitatur, nec apparet, iusta, an iniusta sit excommunicatio: quo casu potest Archiepiscopus eum absoluere, sed ex honestate debet eum remittere proprio Episcopo, vt ab eo absoluatur, *dicto §. sanè*; quo casu procedit textus *in d. cap. ad reprimendam*, vbi quia non constabat

Digitized by Google

bat adhuc de iniustitia excommunicationis, ideò docetur, Archiepiscopum Rhotomagensem posse absoluere excommunicatos à Lexouiensi Episcopo, aut eos illi remittere absoluendos. Etiam iuxta prædictum casum, in quo subditus suffraganei conqueritur de iniustitia excommunicationis prolatæ ab Episcopo ex officio, accipiendus est textus *in can. 9. Concil. Vernensis*, ibi: *Si quis ab Episcopo suo degradatus fuerit, & ipse per contemptum postea aliquid de suo officio sine commeatu facere præsumpserit, & posteà ab Episcopo suo correptus & excommunicatus fuerit, quicunque cum ipso communicauerit scienter, sciat se esse excommunicatum. Quòd si aliquis reclamauerit, quòd iniustè sit excommunicatus, licentiam habet ad Metropolitanum Episcopum venire, & ab eodem secundùm canonicam institutionem dijudicetur: interim suam excommunicationem custodiat.* Quem canonem exponit Filesacus *in d. cap. 8. de offic. ordin.*

C A P V T XLI.

Idem a *Vniuersis Christi fidelibus per Lombardiam constitutis.*

SI aliquando fortè contingat, quòd ab eis, qui auctoritate Apostolica sunt excommunicationi subiecti, nostræ literæ cum salutationis alloquio obtineantur, non propter hoc excommunicationis credatur sententia relaxata, cùm per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat huiusmodi literas impetrari: sicut in b Placentinis nuper dicitur contigisse, qui cùm sint propter iniquitatem, quam in Deum, & eius Ecclesiam commiserint, excommunicationis vinculo innodati, se quasi absolutos per huiusmodi literas, quas eis pro Templarijs misisse dicimur, gloriantur: quamuis non simus memores talium literarum, cùm etsi eis iam excommunicatis exhibitæ fuerint, forsan tamen priùs fuerant impetratæ. Quocirca vniuersitati vestræ per A. s. m. quat. eos sicut excommunicatos arctiùs euitetis, donec à suo resipiscant errore. In similibus, si quando fortè contigerit, simile iudicium obseruate.

N O T Æ.

1 a VNiuersis.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub tit. de rescript. cap. 2.* ex qua literam huius textus restituo.

b *Placentin.*] Iam enim per annos 1199. temporibus Innocentij III. Grumerus Episcopus Placentinus factiosos hæreticos Placentinos excommunicauerat: & cùm aduersùs eorum impietatem decertans non potuisset eos ad viam veritatis reducere, cum Clero Placentia excessit, Cremonamque profectus est, posteàque Innocentius III. Placentinos sæpe sæpius monitos diris censuris inuoluit, atque Episcopali Cathedra priuauit die 9. Octobris, anno 1206. vt refert Vghel. *tom. 2. Italiæ sacræ*, *fol. 277.* Vnde de his literis monitorijs ad Placentinos scriptis agit Innocent. *in præsenti.*

COMMENTARIVM.

2 EXcommunicatus non solùm verbis potest absolui solemnibus, verùm & factis, quibus gratiam, & indulgentiam illi facere Prælatum; qui eum absoluere valet, cognoscatur; veluti si Episcopus ab eo excommunicatum posteà ad diuina officia admittat, vt Innocentius III. rescribit *lib. 2 regestr.* ibi: *Cæterùm interrogatus in iudicio coram nobis procurator Gurcen. Episcopi, vtrum pro excommunicato idem Episcopus se haberet, respondit quod reuerà Salzeburgen. Archiepiscopus excommunicauit Episcopum, & Capitulum 4. feria, & post tertiam, vel quartam diem dedit ipsi licentiam audiendi diuina, & vt diuinis officijs interesset; quia ipse propter debilitatem manus celebrare non potest, & ex tunc diuina sibi fecit officia celebrari, & exercuit ea, quæ consueuerat exercere. Nos autem interloquendo respondimus, quòd si res taliter se haberet, Episcopus idem pro absoluto esset habendus.* Tria autem potissima signa sunt indulgentiæ, & reconciliationis erga benemerentes. Primum si à Principe admittantur ad adorationem: secundùm, si ad osculum: tertium si cum benedictione, aut salutatione Pontifex illis scribat. De primo indulgentiæ symbolo extat prophanum testimonium Ammiani Marcel. *lib. 15.* vbi de Vrsicino per admisionem ad purpuræ adorationem reconciliato ita scribit: *Perstringebatur Vrsicini mentio, vt consilijs rei bellicæ præstantissimi, frustraque graui iniuria lacessiti, & per admissionum Magistratum, qui mos est honoratior, accito eodem ingressu, consistorium offertur purpura multò quàm antea placidius, atque ita ante Principis pedes supplices statuerunt.* Cuius adorationis purpuræ mentio extat *in l. 1. Cod. de Comitibus & Tribun. lib. 12. l. 4. Cod. de Consul. l. 1. Cod. de præpos. sacri cubic. l. 1. Cod. de domestic. & protect. l. 1. Cod. de silent. l. si quis seruum 7. Cod. qui militare, l. fin. Cod. de Palatin. sacrar. largit. l. 2. Cod. de priuil. scholar. l. 1. Cod. de apparit. Præfecti Prætor. l. 1. Cod. de apparit. Præfecti Vrb. lib. 12. l. restituendæ 6. vers. Ad hæc, Cod. de aduocat. diuers. iudic. l. 2. Cod. de Fabric. lib. 11.* plura de ea congesserunt relati à Solorzano *de honorarijs Senator. num. 316.* Lipsius *lib. 2. elect. cap. 6.* Durantius Casel. *lib. 2. var. cap. 16* Salmasius *in notis ad histor. August. pag. 319. & 440.* Demsterus *ad Rosinum libro 3. antiquit. cap. vlt.* Salmut. *ad Pancirol. 1. part. memorab. tit. 46.* Grethserus *lib. 1. de cruce, cap. 53.* Nouarinus *1. tom. elect. sacr. lib. 2. cap. 70.* P. Pintus *in spicileg. sacr. tom. 1. cap. 40* Illustr. Ramos *pro Episcop. Lusit. propos. 2. ad fin. num. 90.* Vnde Legati Principum cùm admittendi sunt ad adorationem pedum Pontificis, priùs absoluuntur pro tempore legationis, ne ex ipsa admissione absoluti in perpetuum maneant, vt refert Panormitanus *in præsenti, num. 5.* ibi: *Et ideò Papa seruat, quòd cùm adsunt excommunicati Ambassiatores, facit eos priùs absolui, & explicata ambassiata, reducit eos in pristinam excommunicationem.* De absolutione per admissionem ad osculum extat textus disertus *in cap. cùm olim 12. de priuil.* ibi: *Te, licèt excommunicatus ab Eugubiensi Episcopo dicaris, tamquam non ligatum admisit ad osculum.* Vbi notaui, & plura de osculo pietatis, & charitatis adduxi *in cap. pro illorum, de præbend.* Tandem absolutio contingit per benedictionem cum salutatione in litteris excommunicatis missis, cuius formulæ initium illustrat Ferrarius *lib. 3. de epistol. Eccles. c. 2.* Vnde cùm Pontifex absoluere non vult excommunicatum, adijcit eam clausulam, *sine salutatione.* Innocentius III. *lib. 2. epist. 28.* ibi: *Potestati, & populis Taruisinis, sine salutatione.* Notauit Cironius *lib. 2. obseru. cap. 14.* & illustrat Dominus Ramos *vbi suprà nu. 93* Vnde si scienter Pontifex in præsenti excommunicato scriberet cum salutatione, absolutus crederetur; sed quia per obreptionem clausula illa adiecta credebatur, ideò ait Innocentius, eum absolutum non credi. Sed quia plerumque dubitabatur, an scienter, vel ignoranter Pontifex cum excommunicato communicans, illum absoluere intenderet, ideò statutum fuit *in Clement. 1. hoc tit.* vt etiamsi scienter Pontifex cum excommunicato communicauerit, non ideò eum absoluisse credatur.

CAPVT XLII.

Idem C. S. a *Laurentij in Lucina Presbytero Cardinali Apost. Sed. Legato.*

OFficij. *Et infra*: Postremò quæsiuisti, vtrum is, qui propter plures excessus à *b* pluribus Prælatis ius in ipsum habentibus, excommunicationis est vinculo innodatus, & vni Prælatorum de vno tantùm satisfacere vult excessu, ab eo sit absoluendus, de quo satisfacere vult eidem; & cùm de aliquo non satisfecerit, ab alijs absolutus valeat nunciari. Quia verò super hoc inter scholasticos diuersæ sunt sententiæ diuersorum; nos ad præsens nulli præiudicare volentes, id solummodò tibi super hoc articulo respondemus, quòd supprimenti veritatem absolutio *c* subrepta non prodest; & veritatem intelligens, absolutionem huiusmodi exhibere non debet.

NOTÆ.

a SAncti Laurentij.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 15. *& in cap. officij, de elect.* vbi alias partes huius Decretalis congessi.

b *A pluribus Prælatis.*] Posse quem iterùm, atque iterùm excommunicari, & tunc varijs egere absolutionibus, probaui suprà *in c. cùm pro causa.*

c *Subrepta.*] Probaui suprà *in cap. cùm pro causa,* & *in cap. super eo, de cohabit. cleric.*

CAPVT XLIII.

Idem a *Ferrariensi Episcopo.*

REsponso nostro postulas edoceri, cùm Ferrarien. ciues excommunicationis, & interdicti sententijs sint ligati, an liceat viros, & mulieres simul in hebdomada, vel in mense apud aliquam Ecclesiam conuocare, quibus prædices verbum Dei, & eosdem ad correctionem inducas. Super quo f. tuæ t. respondemus, quod sine scrupulo conscientiæ hoc facere *b* poteris, cùm videris expedire, dummodo contra formam interdicti nullum eis diuinum officium celebretur. Prætereà quæsiuisti, cùm Ferrarien. ciuitas interdicto sit, & *c* excommunicationi supposita, & ideò sint ibidem præter baptisma paruulorum, & pœnitentiam morientium, vniuersa sacramenta ecclesiastica interdicta, an liceat tibi baptizatos pueros in frontibus consignare. Super quo tibi taliter duximus respondendum, quòd sicut baptizari pueri possunt, sic & baptizati ad confirmationem in frontibus à te possunt sacro chrismate *d* deliniri.

NOTÆ.

1 a FErrariensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 16. Hugoni videlicet, qui floruit in Ecclesia ex anno 1196. vsque ad annum 1212. vt refert Vghel. *tom. 2. Italiæ sacræ, fol.* 576.

2 b *Poteris.*] Rectè, nam & olim nemo submouebatur ab Ecclesia tempore concionis, immò omnes admittebantur, tam catechumeni & hæretici, quàm Gentiles & Iudæi: Concil. Carthag. 4. *can.* 84. ibi: *Vt Episcopus nullum prohibeat ingredi Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue hæreticum, siue Iudæum, vsque ad Missam catechumenorum.* De catechumenis extat disertus locus Tertulliani *lib. 1. de præscript. aduers. hæretic. cap.* 41. ibi: *Quis catechumenus, quia fidelis, incertum est? pariter adeunt, pariter audiunt.* D. Augustinus *serm.* 116. *de tempore,* ibi: *Hodie, fratres charissimi, specialiter ad competentes humilitatis nostræ sermo dirigitur: & quamuis omnibus etiam fidelibus baptizatis admonitio nostra conueniat; peculiariter tamen eos, qui nunc baptismi sacramenta desiderant, volumus admouere.* De hæreticis constat ex Possidonio *in vita D. August.* ibi: *Libros eiusdem, siue tractatus mirabili Dei gratia procedentes, instructos omni rationis copia, atque auctoritate sanctarum Scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes cum Catholicis ingenti ardore audiebant.* De Gentilibus, & Iudæis constat ex dicto canone 24. Concilij Carthag. & ex Concilio Valentino Hispaniæ *can.* 1. ibi: *Antiquos canones relegentes censuimus obseruandum, vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in Missa catechumenorum in ordine lectionum post Apostolum legantur, quatenus salutaria præcepta Domini nostri Iesu Christi, vel sermones sacerdotis, non solùm fideles, sed etiam catechumeni, & pœnitentes omnes, qui è diuerso sunt, audire licitum habeant.* Gregorius Nyssenus *orat. de Sanctor. baptismate* D. August. *homil.* 49. ibi: *Audite, charissimi, membra Christi, & Matris Catholicæ filij: quod dico competentibus, audiant fideles, audiant & pœnitentes, audiant catechumeni, audiant, & omnes timeant.* Illustrant Ferrar. *lib. 2. de ritu concion. cap.* 13. Lantdmeter. *lib. 2. de veteri mon. cap.* 67. Albaspineus *lib. 2. obs. cap.* 29. Morinus *lib. 2. exercit. c.* 27. Gibalinus *de censur. disquisit. 7. quæst.* 5. qui rectè docent, quod licèt excommunicati possint adesse in Ecclesia, dum prædicatur verbum Dei, tamen ipse excommunicatus per se prædicare non valet, quia tunc daretur communicatio fidelium cum excommunicato. Nec interest, quòd in principio concionis recitari solet salutatio Angelica, atque ita si excommunicati adsint in Ecclesia, videtur dari cum eis communio. Nam rectè respondet Auila *de censur. 2. part. cap. 6. disput. 11. dub. 3. conclus.* 6. has preces priuatas esse, quæ etiam pro salute excommunicati, & coram illo recitari possunt, sicut Euangelium, aut Psalmi in eundem finem dici valent. Gibalinus *vbi sup.* Nauarrus *in Manuali, cap. 27. nu.* 36. Ad diuina autem officia audienda omninò ingressus Ecclesiæ excommunicatis denegatur. Tertul. *de pudic. cap.* 4. *Non modò limine, verùm omni Ecclesiæ tecto submouemus.* D. Isidorus relatus *in cap. 1. 25. dist.* Concil. Vernense, de quo *in cap. 1. vers. Ostiarij, 21. dist. Clement. 2. vers. Nonnulli, de sent. excom.* D. Thomas *in 4. dist. 18. quæst. 6. art.* 1. Illustrant Morinus *lib. 2. exercit cap.* 27. Illustriss. Don Franciscus Ramos *in syntag. pro Episcop. Lusitan. propos. 3. num.* 94. & plura de prohibita communitatis in Ecclesia, & diuinis officijs, congessi *in cap. sacris, de his quæ vi.*

c *Excommunicationi.*] Propter bellum ciuile, quia fauebant Othoni Imperatori; nam his temporibus Innocentij, anno 1209. Azo Marchio Salinguerrani Ferrariæ Prætorem cum valida Ferrariensium exulum manu Ferraria expulit: sed Otho Imperator Romæ coronatus, discedens Ferrariæ Hugonem Guarinosum Vicarium constituit, vt refert Bosquetus *ad Innocentium lib. 2. regest. 14. epist.* 74. Vnde quia Ferrarienses fauebant ipsi Othoni Ecclesiæ hosti, excommunicati fuerunt.

d *Deliniri.*] Quænam sacramenta tempore interdicti licitè administrari possint, iam exposui *in cap. quod in te, de pœnit. & remiss.*

C A P V T XLIV.

a Idem.

INquisitioni tuæ breuiter respondeo. Credimus distinguendum, vtrùm alter coniugum pro certo sciat impedimentum coniugij, propter quod sine mortali peccato non possunt carnale commercium exercere, quamuis illud apud Ecclesiam probare non possit, an impedimentum huiusmodi non sciat pro certo, sed credat; in quo vtique casu debet priùs excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quàm per carnale commercium peccatum operari mortale. In secundo verò casu distinguimus, vtrùm habeat conscientiam huiuscemodi ex credulitate leui, & temeraria; an probabili, & discreta; siquidem ad sui Pastoris consilium conscientia leuis, & temerariæ credulitatis explosa, licitè potest non solùm reddere, sed exigere debitum coniugale. Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili, & discreta, quamuis non euidenti, & manifesta, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet, ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam. Tu ergo iuxta responsionem præscriptam super illo procedas articulo, de quo nos consulere voluisti.

N O T Æ.

a IDem.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.* 17. sed nullibi exprimitur cui Prælato rescribat Innocentius, nec inter eius epistolas editas à Sirleto, & Bosqueto reperitur textus hic: illum tamen exposui *in cap. litteras, de restit. spol. cap. Dominus, de secundis nupt.* & videndus est Thomas Delbene *tract.* 2. *oper. mor disp.* 10. *sect.* 13.

C A P V T XLV.

a *Morinensi Episcopo.*

COntingit interdum, quod dum clericali charactere insigniti ad turpia lucra diuertunt, & sæcularibus negotijs se immiscent, clericale nomen abominabile redditur cordibus infirmorum. Sanè sicut accepimus insinuantibus nobili *b* viro Comite Flandrensi, ac nobili muliere M. relicta quondam Ph. Flandrensis Comitis, in diœcesi tua quidam existunt, qui nec in modo tonsuræ, nec in vestium forma, nec in qualitate negotiorum de clerico quidquam ostendunt, ad pœnæ subterfugium se clericos exhibentes. Quia cùm super excessibus, quos sæculari luxu committunt, ad publica iudicia pertrahuntur, circumcisis crinibus, vt possint circumuenire vindictam, se pro clericis repræsentant, clericalis fori priuilegium labijs allegantes, qui factis paulò antè negauerant clericatum: dumque repentina tonsura pœnas eludunt, quas in tonsi peruersis actibus meruerunt, per impunitatis fiduciam nutritur in eis audacia delinquendi, & dum impunè delinquunt, quibusdam efficiuntur in scandalum, & alijs in exemplum. Verùm quia priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, ac frustrà legis auxilium inuocat, qui committit in legem; volumus, & mandamus, vt tales, si tertiò à te commoniti, seipsos contempserint emendare; illius efficiantur immunitatis expertes, quæ pro clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda noscitur instituta. Tu denique, frater Episcope, &c. Datum Laterani v. Idus Ianuar. Pontif. N. anno xv.

N O T Æ.

a MOrinensi.] In nulla ex collectionibus antiquis reperitur textus hic: extat tamen inter epistolas editas à Bosqueto *lib.* 3. *regestr.* 15. *epist.* 200. ex quo regestro inscriptionem, & litteram restituo. De Morinensi diœcesi egi *in c.* 1. *de solut.* & textum hunc exposui *in cap. fin. de cleric. coniug. cap.* 1. *de apostatis.*

b *Viro.*] Balduino videlicet.

C A P V T XLVI.

a Idem.

IN præsentia dilecti filij, &c. *Et infrà:* Nec canonici suo Decano excommunicationem obijcere possint, cùm super hoc monitus, nec requisitus fuerit, nec ipse propter hoc eum duxerit euitandum; sed Episcopus in mensa, & Canonici communicauerint ei etiam in diuinis.

N O T Æ.

a IDem.] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. nullibi tamen exprimitur, cui rescribat Pontifex. Textum hunc exposui *in cap. cùm inter, cap. dilecti, de except.*

C A P V T XLVII.

a *Spiren. Argentin. & Vuarmacien. Episcopis, pro deliberatione Salernitani Archiepiscopi.*

QVantæ præsumptionis, & temeritatis existat in Rectores Ecclesiæ manus inijcere violentas, in Euangelio Dominus protestatur, qui se in ministris suis affligi asseruit, & in Apostolorum Principe alibi se perhibuit iterùm crucifigi. Hoc etiam pœnæ qualitas manifestè declarat, cùm excommunicationis sententia in ipso actu feriat delinquentes, si non solùm in fratres, & Coepiscopos nostros, sed etiam in minoris ordinis clericos violentiam præsumpserint operari. Ne autem solos violentiæ huius auctores aliquorum præsumptio crederet esse punitos, *b* facientes, & consen-

tientes

Digitized by Google

tientes pari pœna plectendos canonica censura condemnat, eos etiam delinquentibus fauere interpretans, qui cùm possint, manifesto facinori desinunt c obuiare. Quod bonæ memoriæ C. Papa prædecessor noster hactenus diligenter attendens, auctores, & fautores captionis, & detentionis ven. f. n. d Salernitani Archiepiscopi excommunicationis nunciasset vinculo innodatos, nisi per Imperiales nuncios sæpè fuisset ei, ac firmiter repromissum, quòd idem Archiepiscopus sine dilatione qualibet libertati pristinæ redderetur. Ne autem detentio eius nobis de cætero imputetur, si circa liberationem eius inuenti fuerimus negligentes, fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & strictè præcipimus, quatenus nobilem virum Vuicel. de Berc. ex parte nostra diligentiùs moneatis, vt eundem Archiepiscopum à detentionis suæ carcere absolutum ad nos cum honore remittat, nobilitatem eius gratiarum actionibus prosequentes, quod circa eum spiritum compassionis exhibuit, & quantum licuit, solatium ei humanitatis impendit. Quòd si (quod non credimus) ad monitionem vestram, & venerabilis fratris nostri e Sutrini Episcopi, & dilecti filij Abbatis sancti f Anastasij, quos ad hoc specialiter destinamus, eum dimittere noluerit, excommunicatum ipsum publicè g nuncietis: & si qua forsan ab aliquibus Ecclesijs beneficia possidet, ea ipsi per censuram ecclesiasticam auferri mandantes, totam terram eius, immò totam diœcesim, in qua idem Archiepiscopus detinetur, vel ad quam translatus fuerit detinendus, supponatis sententiæ interdicti. Nos enim dilectis filijs Capitulo Maguntin. dedimus in mandatis, vt sententiam vestram faciant inuiolabiliter obseruari. Volumus autem nihilominus, & mandamus, vt vniuersis Alemaniæ Principibus remissionem suorum criminum iniungatis, vt solicitudinis suæ studium efficaciter interponant, quod eis mediantibus Archiepiscopus ipse liberè ad nos quantocyùs reuertatur: significantes eis, quòd si id (quod absit) impletum non fuerit, in totam Alemaniam interdicti cogemur sententiæ promulgare. Quod si omnibus, &c.

NOTÆ.

1 a SPirensi.] In hac sexta collectione, & in quarta, *sub hoc tit. cap.* 4. tantùm legitur, *idem:* sed inscriptionem, & litteram restituo ex ipso Regestro epistolarum Innocentij correcto à Sirleto Cardinali, vbi *lib.* 1. *fol.* 10. reperitur textus hic. Spirensis Cathedralis Ecclesia est in Germania, suffraganea Archiepiscopi Moguntini, cuius Prælato, Othoni videlicet, qui fuit Comes Enemberg. in præsenti rescribit Innocentius. Argentina etiam Ecclesia est in eadem Metropoli, vt probaui *in cap. venerabili, de præb.* cuius Prælato, Conrado videlicet, missa est præsens Decretalis. Similiter & Vuormaciensis (ita legendum) est in Germania sub eodem Archipræsule, vt probaui *in cap.* 1. *de censibus*. Eius Episcopo Leopoldo in præsenti scribit Innocentius.

2 b *Facientes, & consentientes.*] Iuxta tradita *in cap.* 1. *de offic. deleg.*

c *Obuiare.*] Consonant textus *in cap. negligere* 55. 2. *quæst.* 7. *cap. qui potest* 8. 23. *quæst.* 4. *cap.* 1. *cap. error, cum sequent.* 83. *dist. cap.* 1. *cap. facientis* 3. 86. *dist. l. culpa* 50. *l. nullum* 109. *ff. de R. I. l.* 2. §. 1. *l.* 3. *&* 4. *ff. de noxal.* Et sanè parœmiale est, & decantatum illud Senecæ *in Troade:* Peccare qui non prohibet, cùm potest, iubet. Cui consentiunt Arnobius *lib.* 2. *aduers. Gentes*, ibi: *Cùm non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permiserit prius*. Saluianus *lib.* 7. *de Prouid. Potestas quippè magna, & potentissima, quæ inhibere scelus maximum potest, quasi probat debere fieri, si sciens patitur perpetrari: in cuius enim manu est, vt prohibeat, iubet agi, si non prohibet admitti*. Petrus Blesensis *epist.* 149. *Ipsa taciturnitas eius præsumitur ad consensum; videtur enim consentire, qui cùm possit, & deberet, non corripit: & dissimulatrix patientia societatis occultæ scrupulo non carebit.* Alia in eandem sententiam congesserunt Ritherursius *ad Saluianum, pag.* 323. Desider. Heraldus, & Bulengerus ad Arnobium *vbi suprà*, Petrus Faber, & Gothofredus *in dicta l. culpa, & dicto cap. nullum*, Amaya *in l.* 3. *Cod. de canone largit. num.* 16. Solorzanus *emblem. ad praxum;* notarunt Flores de Mena *lib.* 1. *q.* 18. P. Mendo *lib.* 3. *de iure Academ. quæst.* 37. & nos *in cap.* 3. *de hæreticis*.

3 d *Salernitani.*] Nicolai videlicet; nam anno 1192. defuncto Tancredo Rege Siciliæ, Henricus Imperator iniurias vlturus, & ut Regnum illud occuparet, copias parauit. Vuillelmus autem Tancredi filios vnà cum matre, & sororibus, viribus suis non fidens in prærupti montis Calcabilocte castrum confugit. Imperator Messana, alijsque vrbibus Siciliæ blandè allectis sub pollicitationum simulatione, idest, vt si Vuillelmus regno se abdicaret, ei Tarenti Principatum, eiusqoe matri Comitatum Lecij ipse elargiretur; Vuillelmom Regem, Siuiliam matrem, filiasque in potestatem suam redegit 3. Kal. Ianuarij, anno 1195. vt referunt Baronius *anno* 1194. Facel. *in decad. fol.* 472. Sed perfidus Imperator eos omnes cum Nicolao Archiepiscopo Salernitano, Richardo Comite Ayelli, Rogelio fratre Matthæi Cancellarij, Episcopo Ostrunensi, & Tranensi, alijsque Regni Proceribus in Germaniam veterem coegit, ibique supplicijs affectos carceri mancipauit. Sed Innocentius III. præsenti epistola, & alia missa Episcopo Sutriensi, & Abbati S. Anastasiæ, vt inde educerentur, curauit. Ergo excommunicationis minis per Episcopos intentatis, adnitente etiam Philippo Sueuiæ Duce, ipsius Imperatoris fratre, omnes pristinæ libertati sunt restituti, excepto Rege, qui Regno exauthoratus, oculis erutis, atque genitalibus recisis, carceri ad mortem vsque mancipatus fuit, vt refert D. Rochus Pirro *in chron. Reg. Siciliæ, anno* 1194.

e *Sutrini.*] De Ecclesia Sutriensi, seu Suttrina, egi *in cap. cùm Ecclesia, de causa possess. & propr.*

f *Sancti Anastasij.*] Legendum est sanctæ Anastasiæ, quod monasterium Ordinis est D. Benedicti in Sicilia, & ipsius Abbatiæ præsentatio spectat ad nostrum Monarcham, vt refert, & probat Barbosa *lib.* 3. *voto* 89. *in princip.*

g *Nuncietis.*] Quia manus violentas iniecisse creditur, qui clericum in carcere, aut simili loco detinet, *c.* 2. *hoc tit. in* 2. *collect.* vbi probaui *in c. desideret, hoc tit.* 4

CAPVT XLVIII.

Idem *in Concilio* a *Generali*.

SAcro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari monitio, promulgare præsumat; quia si contrà præsumpserit, etsi b iusta fuerit excommunicationis sententia, c ingressum Ecclesiæ per mensem vnum sibi nouerit interdictum, alia nihilominus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire. Caueat etiam diligenter, ne

Digitized by Google

ne ad excommunicationem cuiuſquam abſque manifeſta, & *d* rationabili cauſa procedat: ad quam, ſi fortè aliter proceſſerit, & requiſitus humiliter proceſſum huiuſmodi non curauerit abſque grauamine reuocare, grauatus apud *e* ſuperiorem iudicem deponat de iuſta excommunicatione querelam: quod ſi abſque periculo moræ poteſt, ad excommunicatorem illum cum ſuo mandato remittat, intra competentem terminum abſoluendum; alioquin ipſe vel per ſe, vel per alium, prout viderit expedire, ſufficienti cautione recepta, munus ei abſolutionis impendat. Cùmque aduersùs excommunicatorem de iniuſta excommunicatione conſtiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad intereſse, aliàs nihilominus, ſi culpæ qualitas poſtulauerit, ſuperioris arbitrio puniendus, cùm non leuis ſit culpa tantam infligere pœnam inſonti, niſi forſan errauerit ex cauſa probabili, maximè ſi laudabilis opinionis exiſtat. Verùm ſi contra excommunicationis ſententiam nihil rationabile fuerit à conquerente probatum, idem & ſuper iniuſta excommunicationis moleſtia per pœnam ad intereſſe, vel aliam ſecundùm ſuperioris arbitrium, niſi forſan & ipſum probabilis error excuſet, & ſuper eo, pro quo iuſta fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam ſatisfacere compellatur, vel in priſtinam reducatur ſententiam vſque ad ſatisfactionem condignam inuiolabiliter obſeruandam. Si verò iudex ſuum recognoſcens errorem, paratus ſit talem reuocare ſententiam; & is, pro quo lata fuerat, ne abſque ſatisfactione reuocet illam, appellet, appellationi non deferat in hac parte, niſi talis error ſit, de quo meritò debeat, vel valeat dubitari: & tunc ſufficienti cautione recepta, quòd coram eo, ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipſo iuri parebit, excommunicatum abſoluat, ſicque pœnæ ſubſcriptæ minimè ſubiacebit: cauens tamen omninò, ne voluntate peruerſa in alterius præiudicium mentiatur errorem, ſi diſtrictionis canonicæ vult effugere vltionem.

N O T Æ.

a GEnerali.] Lateranenſi videlicet, vt legitur in quarta collectione, *ſub hoc tit. cap.*1. & reperitur textus hic in ipſo Concilio, *canone* 47.

1 b *Iuſta.*] Ex cauſa videlicet; nam quoad ordinem iudicialem iniuſta eſt, vt ſtatim dicemus.

c *Ingreſſum Eccleſiæ.*] Quæ pœna etiam ſtatuta reperitur ex alijs cauſis *in cap. is, qui, hoc tit. in* 6. *cap. Epiſcoporum* 8. *de priuil. eod. lib. cap. præſenti, de offic. ordinand. eod. lib. cap. exigit, de cenſibus, eod. lib.* & hac pœna vſus fuit D. Ambroſius cum Imperatore Theodoſio *in cap cùm apud* 69. 11. *q.* 3. Et cùm hæc pœna ad tempus imponitur, vt in præſenti, & *in cap.* 1. *§. ſi quis, hoc tit. in* 6. Elapſo tempore, ab Eccleſiæ ingreſſu interdictus, ipſo iure reſtitutus cenſetur, *cap. ſi quis amodò* 81. *diſtinct. cap. non eſt vobis, de ſponſ.* docent P. Gregor. *lib.* 4. *partit. tit.* 15. *c.* 4.

2 d *Rationabili.*] Et graui videlicet; nam niſi pro peccato mortali excommunicatio imponi non poteſt, *cap. nemo, cap. Epiſcopi, cap. nullus,* 11. *quæſt.* 3. aut propter notoriam contumaciam in obediendo Eccleſiæ, vt *in cap.* 2. *de maiorit. & obedient. cap. ſacerdote, de conſecrat. diſt.* 2. *cap. ſi quis ex clericis, de vita, & honeſt. cleric.* Theophilus *de liter. mon. lib.* 2. *cap.* 9. Nec contrarium probatur *in cap. duo,* 96. *diſtinct.* in illis verbis: *Pro culpa, quæ alijs ſacerdotibus non adeò grauis videbatur.* Ex quibus videbatur, excommunicationem prolatam fuiſſe. Nam reſpondetur, illa verba non eſſe intelligenda, vt verè cauſa leuis fuiſſet, ſed quòd falsò ſacerdotibus talis videbatur. Nec etiam contrarium probat D. Auguſtinus *in cap. ſi habent,* 24. *quæſt.* 3. vbi cùm ageret de quodam presbytero, qui ex leui cauſa fideles anathematizabat, ait ſe illud non facturum, *niſi grauiſſimè commoueret*; nam ea verba, *niſi grauiſſimè commoueret*; ita accipienda ſunt, ideſt, ſi ita commoueretur, vt extra ſe eſſet. Nec etiam contrarium probat textus *in cap. qua fronte,* 26. *de appell.* vbi deciditur, poſſe proferri excommunicationem ob contumaciam, vel aliam cauſam. Igitur abſque contumacia dari poteſt cauſa, ob quam excommunicatio proferatur. Nam in eo textu non docetur, aliam cauſam præter contumaciam ſufficere ad proferendam excommunicationem, ſed tantùm aſſeritur, ad proferendam excommunicationem immediatè neceſſariam eſſe contumaciam, & mediatè aliam cauſam abſque contumacia ſufficere ad excommunicationem infligendam.

e *Superiorem.*] Qui abſoluere debet, aut excommunicatum remittere abſoluendum ipſi Epiſcopo, qui excommunicauit, iuxta tradita ſuprà *in cap. per tuas.*

C O M M E N T A R I V M.

3 Concluſio traditur, & probatur.

EX hoc canone talis communiter deducitur aſſertio: *Prælatus non debet excommunicare ſubditum, niſi competenti monitione præmiſſa.* Probant eam textus *in cap. Deus, §. omnipotens,* 2. *quæſt.* 1. *cap. canonica* 107. 11. *quæſt.* 3. *cap. indignum* 21. *§. debet,* 12. *quæſt.* 2. *cap. de illicita,* 24. *quæſt.* 3. *cap. conſuluit, de offic. deleg. cap. cùm ſpeciali, de appellat. cap. contingit, el* 2. *hoc tit. cap. Romana, cap. ſtatutum, cap. conſtitutionem, hoc tit. in* 6. Illuſtrant vltra congeſtos à Barboſa *in præſenti, & de poteſtat. Epiſc. alleg.* 126. Petrus Gregorius *lib.* 4. *partit. tit.* 16. *cap.* 6. & *lib.* 31. *ſyntag. cap.* 9. *num.* 9. Guttierez *lib.* 2. *canonic. cap.* 16. Fermoſinus *in cap.* 1. *de iudic. q.* 23. Hurtado *de excommunic. diſp* 9. *difficul.* 3. Suarez, Sayrus, Alterius, & alij de cenſuris ſcribentes, relati à Gibalino *de cenſur. diſp.* 6. *per tot.* Alteſſerra *in præſenti.*

Sed pro dubitandi ratione in præſentem aſſertionem ita inſurgo. Si monitio deſideraretur ad excommunicationem, non poſſet ignorans, aut abſens excommunicari: ſed tam abſens, quàm ignorans poteſt excommunicari: igitur quia trina monitio ad excommunicationem non deſideratur. Maior patet, minor autem probatur *ex cap. de manifeſta* 17. 2. *quæſt.* 1. *cap. cùm ſit Romana* 5. *§. vltim. de appell.* in quibus factum D. Pauli 1. *ad Corinth.* 5. refertur, qui Corinthium quendam abſentem, & irrequiſitum excommunicauit, ibi: *Ego præſens ſpiritu, abſens autem corpore iam iudicaui.* Ergo excommunicatio nulla præmiſſa monitione, in abſentem, & ignorantem proferri poteſt. Augetur hæc dubitandi ratio ex eo, nam excommunicatio, ſeu quælibet alia cenſura, ſtatim atque profertur, ligat, quia ſecum trahit executionem, *cap paſtoralis,* 53. *§. verùm, de appell.* & ideò in abſentem prolata eo animo vt ſtatim liget, habet effectum; quia excommunicatio pendet ab animo, & intentione proferentis, qui poteſt velle, vt ſtatim effectum habeat, vel cùm ad eius notitiam peruenerit, vt plerumque fit, *cap. viduum* 29. *§. aduerſus,* 2. *quæſt.* 6 & ignarum excommunicatione affectum fuiſſe, ſupponitur *in cap. Apoſtolicæ* 9. *de cleric. excommunicat.* Ergo quia abſque vlla monitione excommunicatio proferri poteſt. 4 Impugnatur tradita aſſertio.

Qua dubitandi ratione non obſtante vera eſt præſens aſſertio, pro cuius expoſitione ſcire oportet, eſſe in Eccleſia poteſtatem ordinatam ad ipſius regimen in foro exteriori per cenſuras, & pœnas, quæ ad bene regendam fidelium Rempublicam neceſſariæ ſunt: quæ poteſtas iuriſdictionis appellatur, ad quam pertinet non tantùm vis directiua ad ferendam legis obligationem, verùm etiam vis coercitiua, quæ propterea vocatur poteſtas fori contentioſi: quam quidem poteſtatem à Chriſto Domino Eccleſia accepit, *Matthæi cap.* 16. & 18. ibi: *Quodcumque ligaueris ſuper terram, &c.* Et *cap. ſolicitè, de maiorit. & obed.* Ex quibus, & alijs auctoritatibus congeſtis ab Hallierio *lib.* 4. *de iuriſd. hierarch. art.* 7. § 5. cognoſcitur, Eccleſiam habere poteſtatem ferendi cenſuras; nam verbum, *ligaueris*, eccleſiaſticam cenſuram magnoperè importat, quæ eſt vinculum quoddam, ſeu ligamen, vt probant Suarez *de cenſur. diſput.* 1. *ſect.* 2. *num.* 3. Gibalin. *eod. tract. diſquiſ.* 3. *q.* 1. & ſæpè vſos fuiſſe D. Petrum, & Paulum hac poteſtate cenſurarum, conſtat ex canone 28. aliàs 30. Apoſtolorum, *ex epiſtola* 1. *ad Corinth. cap.* 5. ibi: *Tradi ſathanæ.* Et *epiſtola* 16. 5 De poteſtate excommunicandi.

Si quis uoa amat Dominum nostrum Iesum Christum, sit anathema. Et ita hanc potestatem ex Ecclesiæ institutione agnouerunt Cœlestinus Papa *epist.* a. Vrbanus *epist.* 1. Fabianus *epist.* 1. *&* 2. congesti à Suario, & alijs de censuris agentibus.

6 De trina monitione.

Vt autem excommunicatio non solùm validè, verùm & iustè proferatur, non solùm causa grauis præcedere debet, verùm & monitio in omnibus sententijs ab homine proferendis: quod non procedit in excommunicationibus à iure impositis, qoia lex ipsa quotidie monet, *vt in c. Apostolicæ, §. fin. de re iudic. lib. 6. c. penult. de immun. Eccl. eod. lib. c. 2. § si quis autem, ne clerici, vel mon. eod. lib. Clem. 1. in princ. de sequestr. possess. Clement. in fine de pœn.* Circa hanc autem monitionem nonnulla obseruanda sunt. Primum, vt trina sit, idest vt reus ter moneatur, *cap. contingit, 2. hoc tit.* idque appellant Domini præceptum Patres Concilij Rhotomag. *in c. omnes, 16. q. 7.* & Nicolaus *in cap. presbyterorum, 16. q. 4.* & PP. Concilij Parisiensis *in cap. de illicita, 24. q. 3.* eandem trinam monitionem repetunt ex Euangelica auctoritate, qoia nempe Christus Dominus docuit apud Matthæum *c.* 18. vt peccantem fratrem primò moneamus secretò, deinde duos testes adhibeamus, demum deferamus ad Ecclesiam, quam si non audierit, habeamus illum pro Ethnico, & Publicaoo. Ad exemplar igitur illius ordinis, quem seruandum Christus Dominus præcepit in correctione fraterna, voluit Ecclesia trinam monitionem præmitti ante censuram, quæ ad emẽdationem quoque rei dirigitur. Accedit exemplum iuris ciuilis, iuxta quod in casibus, in quibus monitio necessaria est, trina præscribitur, *l. 4. ff. de pignor. act. l. contumacia, ff. de re iudic. l. 8. & 9. C. qaomodo, & quando, l. vlt. C. Theodos. de SC. Claudiano, nouel. 117. §. penult.* Cuiac. *lib. 20. obseru. cap.* 11. Quare monitio, quæ trina vice fit, canonica, & legitima dicitur *in c. fin. de vit. & honest. cleric. c. contingit, el 2. hoc tit.* quasi in vtroque iure probata. Hæc autem trina monitio fieri debet per distincta interualla aliquot dierum, vt ita reus tempus habeat sese emendandi: non est tamen necessariò realiter trina, immò satis est, si formaliter multiplex sit, & realiter vna, quæ simul plura interualla assignet, veluti si quindecim dies præscribantur, quinque pro prima monitione, totidem pro secunda, & residui pro tertia, & peremptoria, vt docetur *in c. constitutionis, hoc tit. in 6.* quod & iure ciuili obseruatur in tribus edictis à Prætore proponendis; nam potest eam coniunctim, vel disiunctim proponere, *l. ad peremptoriam 68. l. & tertium 70. ff. de iudic.* probant Vulteius *discept. iur. c. 2.* Pichardus *in tract. de primo, & secundo decreto.* Deinde canonica hæc monitio debet continere nominatim eos, qui monentur vel nomine proprio, vel indubitabili signo, *c. licèt, de testib. c. 2. hoc tit. in 6.* argumento legis *certum, ff. de rebus credit. l. 2. ff. de liber. & posth.* Debet etiam fieri personaliter ei, qui monetur, nisi fraudulenter latitet, ita vt personaliter moneri nequeat, vt latiùs prosequuntur Couarr. *in cap. alma, 1. p. §. 9. n. 4.* Gibalin. *de censur. disquis. 6. q. 1.* Item debet fieri præsentibus idoneis personis, vt probari possit iuxta præsentem textum. Tandemque fieri debet auctoritate, & iussu ipsius iudicis, qui sententiam profert, vt docet alia de hac monitione, adducens Gibalinus *d. disquis. 6. per totam.*

7 Traditur ratio decidendi.

His suppositis apparet ratio præsentis constitutionis, quæ ex eo prouenit, nam cùm finis principalis excommunicationis sit emendatio peccati commissi, & euitatio futuri, nec eo duplici fine sublato maneat ampliùs censura, atque ex eo fine intrinseco proficiscatur necessitas alicuius monitionis præuiæ, ideo PP. Concilij Lateran. statuerunt, vt semper competens monitio præcederet ipsam excommunicationem. Facit, quòd Seruius *ad Virgil. 8. Æneid.* ait, fulmen aliud esse ostentatorium, quo metus incutitur; aliud peremptorium, quo puniuntur nocentes. Et Seneca *lib. 2. natur. qq.* fulgurationem à fulmine distinguit, quòd fulguratio ostendat ignem, fulminatio emittat: illa vt comminatio est, & tonatio sine ictu; ista iaculatio cum ictu. Sic etiam in excommunicatione eam debet præcedere aliqua comminatio; sed si excommunicatio proferatur nulla præmissa monitione, erit quidem iniusta, vtpotè prolata contra iuris ordinem, sed valida. Couarruu. *d. §. 9. n. 7.* si aliquos casus excipias. Primus est, si iudex delegatus iussus sit excommunicationem proferre, monitione præmissa, quia cùm forma literarum seruanda sit, *c. cùm dilecta, de rescript. c. Pisanis, de restit. spol.* ideo excommunicatio prolata contra formam ipsius delegationis nulla est. Couarr. *d. §. 9. n. 8.* Gibalin. *d. disquis. 6. q. 4.* Alius casus est, cùm excommunicatio profertur in participantes, siue communicantes cum excommunicato; quia debent priùs moneri, vt à tali participatione se abstineant, alioquin eiusmodi excommunicatio defectu præuiæ monitionis non solum iniusta, verùm & nulla est, quia ita specialiter cautum est *in cap. statuimus, hoc tit. in 6.* Docuerunt Nauarr *in man. cap. 27. n. 4.* Hurtado *de excommun. disp. 9. difficult. 3.*

8 Dissoluitur dubitandi ratio.

Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta, nam licèt Suar. *de censur. disp. 4. sect. 12. n. 2.* docuerit, quòd Apostolus potuit Corinthum excommunicare absentem, ita vt censura non ligaretur, quousque ei nota fuisset, & intimata; & ita factum fuisse sibi persuadeat ex eo, quòd antequam excommunicatio ad eius notitiam perueniret, non poterat illum effectum operari, qoem Apostolus intendebat, scilicet vt spiritus eius saluus fieret; nec alium moralem, vt ipse alios vitaret, & ab alijs vitaretur. Tamen omissa hac sententia veriùs est, ex facto D. Pauli, & ex dicto capite *de manifesta*, apertè probari in absentem, & ignorantem excommunicationem proferri posse, vt docuerunt Glossa *in cap. Apostolicæ, verbo Probabilis, de cleric. excomm.* Hostiens. *ibi, n. 1.* Anchar. *n. 2.* Couarr. *in c. alma, 1. p. §. 10. n. 7.* Vgolin. *de censur. tabul. 1. c. 9. §. 8. n. 1.* Nec obstat consideratio P. Suarez, namque si Apostolus potuit Corinthum ita excommunicare absentem, vt censura non ligaretur, quousque ei nota fuisset, potuit etiam illum ignorantem excommunicare; & ita fecisse, magis suadent verba ipsius Apostoli, quæ satis innuont, Corinthum per excommunicationem iam traditum fuisse satanæ, vt factum illud refertur *in cap. quid crudele 44. c. quos Christus §. fin. 23. q. 4.* quia eius crimen erat ita notum, vt nulla tergiuersatione celari posset, vt inquit D. Ambros. *ibi*. Oportet tamen, vt iustè in absentem, & ignorantem excommunicatio proferatur, quòd priùs legitima monitio præcedat; namque absens, & ignorans, si legitimè priùs commonitus nolit resipiscere, verè contumax redditur, & vt talis iustè excommunicatur. Nec obstat textus *in d. c. cùm sit Romana, §. fin.* ibi: *Irrequisitam*. Nam eo verbo non significatur, Corinthum non monitum excommunicatum fuisse, sed non vocatum, quia talis vocatio in notorijs non est necessaria, vt explicant Glossa ibi, & Cuiacius, Suarez *d. sect. 11. n. 1.* Marius Alter. *de cens. lib. 3. disp. 3. c. 4.* Vgolin. *tabul. 1. c. 18. n. 1. vers. 3.* & ita Corinthum Apostolus monuit, licèt postea non vocatum, sed irrequisitum excommunicauit, quia notorium erat illius peccatum. Suarez *d. sect. 11. n. 1.* Balboa *in c. 1. de iudic. num. 28.* Quo modo etiam procedunt textus *in d. c. de manifesta 2. q. 1. c. inter querelas, 23. q. 4. c. eos qui, 32. q. 5.*

9 Expenditur c. Guilisarius c. 23. q. 4. c. ill. d. de cler. exc.

Sed suprà traditæ assertioni obstat textus *in c. Guilisarius 23. q. 4.* vbi refertur, Siluerium Pontificem excommunicasse Guilisarium Patricium, nulla monitione præmissa. Igitur quia non desideratur monitio, vt excommunicatio proferri possit. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Siluerium Pontificem non excommunicasse Guilisarium Patricium, sed potiùs declarasse ipsum in excommunicationem incidisse, & ita excommunicatum anathematizasse propter horrendum, & immane scelus capiendi, detinendique ipsum Pontificem, vt explicant Turrianus *pro epist. Clement. lib. 8. c. 36.* Couarr. *in c. alma, 1. p. §. 8. n. 6.* Balboa *in c. 10. de iudic. n. 42.* Etiam opponi solet textus *in cap. illud, de clerico excom.* ibi: *Non crediderat, quòd monitione præmissa*, &c. Ex quibus deducitur, excommunicationem absque monitione ritè prolatam fuisse. Ergo etiam monitione non præmissa excommunicatio rectè profertur. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, in eo textu non agi de hac monitione permittenda ante excommunicationem, sed de monitione, quam facere tenetur quilibet iudex delegatus ante exercitium suæ iurisdictionis, de qua egi *in cap. cùm in iure peritus, de offic. deleg.*

C A-

Printed in Google

CAPVT XLIX.

Honorius III. a *Bononiensi Episcopo*.

Nouerit fraternitas tua, quòd nos in Basilica Principis Apostolorum, præsente Reuerendissimo in Christo fil. N. Illustri Romanorum Imperatore, & semper Augusto, in celebratione Missarum, postquam capiti suo imposuimus Imperij diadema, de consensu fratrum nostrorum, accensis *b* candelis excommunicauimus ex parte Dei omnipotentis, auctoritate quoque Apostolorum Petri, & Pauli, & nostra omnes hæreticos vtriusque sexus, quocunque nomine censeantur, & fautores, receptatores, & defensores eorum, necnon & qui de cætero seruari fecerint *c* statuta edita, & consuetudines, vel potiùs abusiones introductas contra Ecclesiæ libertatem; & nisi ea de *d* capitularibus infra duos *e* menses post huius publicationem sententiæ fecerint amoueri. Item excommunicauimus statutarios, & Scriptores statutorum ipsorum, necnon Potestates, Consules, & Rectores, & Consiliarios locorum, vbi de cætero huiusmodi statuta, vel consuetudines editæ fuerint, vel seruatæ; necnon & illos, qui secundùm ea capitularia præsumpserint iudicare, vel in publicam formam scribere iudicata.

NOTÆ.

1 a *Bononiensi.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. de constit. c. 2.* ex qua collectione restituo integram textus. In præsenti scribit Honorius Henrico Episcopo Bononiensi; nam cùm eius tempore Bononienses, Narnienses, Spoletani, & Ferrarienses, assumpto vexillo libertatis, contra Ecclesiam Romanam, & libertatem Ecclesiasticam varia statuta fecissent, vt refert Anonymus *in vita* Gregorij XI. ideò præsentem edidit constitutionem Honorius III. vt ea cassaret, & Fridericus Imperator statim ac coronatus fuit, libertates Ecclesiæ restituit: quòd priuilegium refert Vghell. *tom. 2. Ital. sacræ, in serie Præsulum Ecclesiæ Bononiensis:* & ipso die inaugurationis suæ, anno 1220. constitutionem edidit, quæ extat *in authent. cassa, C. de sacros. Eccles.* & in quinta compilatione, *sub tit. de constit.* qua Fredericus irrita esse iubet omnia statuta, & consuetudines introductas contra Ecclesiæ libertatem. Ex qua constitutione lucem accipit præsens textus, vt iam notauit Petr. Marcha *lib. 2. concord. cap. 11. num. 7.*

2 b *Candelis accensis.*] Iuxta solemnitatem, quæ adhiberi solet in pronunciatione anathematis, de qua *in c. non debent, 11. q. 3.* & in Concil. Lemouic. 2. qua vsi fuerunt Innocent. IV. aduersus Imperatorem Fridericum II. & in Concil. Lugdun. 4. & anteà Alexander III. cùm ageretur de pace inter ipsum, & Fridericum Oenobarbum, vt refertur *in chron. Romualdi Salernitani,* ibi: *Papa excommunicauit eos, qui pacem infringebant; & sicut hæ candelæ extinguuntur, sic eorum animæ æternæ visionis lumine priuentur: cùmque candelæ essent proiectæ de manibus, Imperator alta voce cum alijs, Fiat, exclamauit.* Plura de hoc ritu adducit Theophilus *tom. 14. de litt. monit. lib. 2.*

c *Statuta.*] Similiter etiam de statutis à Pisanis editis scribit Honorius *in cap. grauem, hoc tit.* & latè de his statutis egi *in cap. Ecclesia, de constit.*

d *Capitularibus.*] Capitulare est collectio capitulorum, qualis illa Anseguisi est, & canones, ac leges appellari solent capitula. Lupus Ferrariensis *epist. 42. Canones eosdem, siue vt vos vocatis, capitula.* Hadrian. Pontifex *ad Carolum Magn. epist. 3. Inter quæ edidit nobis capitulare aduersùs Synodum, quæ pro sacrarum Imaginum erectione in Nicæna acta est.* Illustrat Gerard. Vossius *lib. 3. de vitijs, serm. c. 3.* Etiam capitulare dicitur liber ciuitatis, in quo decreta, statuta, & consuetudines inseruntur, quo modo in præsenti capitularia accipiuntur, vt notarunt Glossa *in præsenti,* Ciron. *in notis ad hunc textum.* 3

e *Duos menses.*] Nam regulariter leges non obligant, nisi post promulgationem, & aliquod tempus elapsum, vt omnis ignorantia vitetur, *cap. non magnopere 3. ne clerici, vel monachi, c. cùm infirmitas 13. de pœnit. & remiss. cap. 1. de concess. præbend. lib. 6.* pluribus relatis illustrat Vela *dissert. 45. num. 47.* 4

CAPVT L.

Idem a *Magistro, & Fratribus hospitalis Hierosolymitani*.

b Canonica constitutione cauetur, quòd monachi, & canonici regulares quocumque modo se in claustro percusserint, non sunt ad Ap. Sed. mittendi, sed secundùm prouidentiam, & discretionem sui Abbatis disciplinæ subdantur: quòd si Abbatis discretio ad eorum correctionem non sufficit, prouidentia est diœcesani Episcopi adhibenda, nisi excessus difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò sit ad Rom. Ecclesiam recursus habendus. Nos ergo vestris supplicationibus inclinati, ad vos statutum huiusmodi duximus extendendum, auctoritate præsentium statuentes, vt in tali casu, nisi maioris sit prouidentia requirenda, per Priorem vestrum, qui sicut audiuimus, presbyter esse debet, fratribus vestris absolutionis beneficium impendatur.

NOTÆ.

1 a *Magistro.*] Guarino videlicet, vulgò de Montegaudo, qui fuit Magister huius inclytæ Religionis, vt referunt Vossius *in historia Melitensi, cap. 14.* Scasio *in propugnaculo huius religionis, discept. 2. c. 2. n. 26.* Textum hunc restituo ex quinta collectione, vbi *sub hoc tit, c. 1.* reperitur, prout hic transcribitur.

b *Canonica.*] Relata *in cap. 2 supr. hoc tit.* vbi textum hunc exposui. 2

c *Presbyter.*] Qui magis idoneus ex omnibus capellanis, & clericis eligitur, vt illis præsit, vt referunt P. Gregor. *lib. 15. syntag. c. 34. n. 5.* Scasius *in propugn. discept. 2. c. 4.* qui *ex n. 11.* agit de huius Prioris officio, & iurisdictione.

CAPVT LI.

Idem *H. tit. S. Praxedis Presbyt.* a *Card. Ap. Sed. Legato*.

Super eo, quòd monachi Græci, & Eremitæ propter inobedientiam suam suspensionis, & excommunicationis vinculo ligati, nolunt ad mandatum Ecclesiæ, nisi per manualem *b* pro-

Digitized by Google

missionem redire, hoc tibi duximus respondendum, quòd si nullatenus possunt induci ad præstandum iuxta formam Ecclesiæ iuramentum, ipsos hac vice cùm promissione poteris recipere manuali, cùm vndique consideratis locorum, & temporum qualitatibus, seueritati sit aliquid detrahendum.

N O T Æ.

1 a *Cardinali.*] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. ex qua transcribo textum hunc.

2 b *Manualem promissionem.*] Licèt quilibet excommunicatus ante absolutionem teneatur iuramento promittere se pariturum Ecclesiæ mandatis, *c. cùm desideres, c. ad hæc, c. nuper, c. de cætero, hoc tit.* tamen in præsenti casu ob duritiam Græcorum Honorius permisit, vt illi ad Ecclesiam redeuntes tantùm manualem promissionem facerent, idest simpliciter absque iuramento promitterent stare mandatis Ecclesiæ; vt etiam obedientia manualis accipitur *in cap. is, de maiorit. & obed.* Vnde optimè deduxerunt Hostiensis, & Abbas in præsenti, tantùm Pontificem dispensare posse, vt absolutio impendatur excommunicato, non adhibitis requisitis, & cæremonijs à iure præscriptis: & peccatum lethale esset absoluere excommunicatum non adhibitis cæremonijs in cæremoniali Romano statutis, præcipuè vbi adest scandalum. Docuerunt Suar. *de censur. disp.* 19. *sect.* 2. Reginald. *lib.* 9. *in praxi fori, c.* 4. *sect.* 3. Turrian. *de censur. lib.* 3. *disp.* 14. *dub.* 3. Nauarr. *in man. c.* 26. *n.* 9. *& in c.* 1. *de pœnit. dist.* 6. *n* 3. Hugolin. *de cens.* 3. *p.* §. 1. *n.* 4. Coninch *de sacram. & censur. disp.* 14. *q.* 116. *n.* 203. Auila *de censur. lib.* 2. *disp.* 2. *dub.* 2. Henriq. *in summ.* 2. *p. lib.* 3. *c.* 29. *n.* 4. Filliuc. *in summa, to.* 1. *tract.* 11. *cap.* 10. *n.* 333. Peyrinis *in opusc. mor. tract. de formul. Prael. regul. c.* 1. *n.* 2. *&* 7. Villalob. *in summa, to.* 1. *tract.* 17. *difficul.* 24. *n.* 7. Bonac. *de censur. disp.* 1. *de censur. in communi, puncto vlt. propos.* 3. Quare caueant iudices ecclesiastici, ne absolutionem facilè concedant iudicibus sæcularibus effractoribus, seu violatoribus immunitatis ecclesiasticæ, nisi adhibitis prædictis cæremonijs, vt exemplo faciendum docuerunt S. Anton. Archiep. Florent. referente Episcopo Monopol. *in histor. S. P. Dominici, lib.* 1. *c.* 146. F. Barthol. à Martyribus Archiep. Brachar. vt tradit Muñoz *in eius vita, lib.* 3. *c.* 10 S. Thom. à Villanoua, referente Michaele Salon. *in eius vita, c.* 5. Abulensis dum esset Cancellarius Salmantinus, vt refert Ægidius Gonzal. *in theatr. ipsius Eccles. Præsul.* Tolet. referente Mariana *lib.* 18. *hist. Hispan. c* 18. & hoc anno 1669. D. Gabriel Esparza Episcopus Salmanticensis.

C A P V T LII.

Idem a *Bituricensi, & Carnot. Decano, & Subdecano Aur.*

VEnerabili fratre nostro Cenomanensi *b* Episcopo & dil. filio H. canonico Turonensi, procuratore venerabilis fratris Turonensis Episcopi in nostra præsentia constitutis, pro quadam suspensionis sententia in præfatum Episcopum ab eodem *c* Archiepiscopo promulgata Nos auditis, & intellectis, quæ super hoc fuerunt ab eis proposita coram nobis, qua partes dissentiebant in facto, ita quòd de illo plenè constare non potuit, sententiam ipsam de gratia relaxauimus ad cautelam, ipso Episcopo in præsentia dicti procuratoris præstante corporaliter iuramentum, quòd parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit, si constiterit, ipsum Episcopum in eo, pro quo fuit lata suspensio prædicta, culpabilem extitisse.

N O T Æ.

1 a *Bituricensi.*] Ita legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 4. ex qua inscriptionem, & litteram huius textus transcribo. De Ecclesijs Bituricensi, Carnot. & Aurel. iam egi *in cap.* 31. *de rescriptis.*

2 b *Episcopo.*] Mauritio videlicet, qui fuit 39. Episcopus Cenomanensis Ecclesiæ, & ex ea translatus in Archiepiscopum Rhotomagens. anno 1231. vt refert Chenu *in serie Præsulum ipsius Ecclesiæ.*

c *Archiepiscopo.*] Iuello videlicet de Maiesellon: sed non intelligas Archiepiscopum solùm suspensionis sententiam in Episcopum protulisse, sed simul cum alijs Episcopis ipsius Prouinciæ; nam causæ Episcoporum tantum in Concilio Prouinciali disceptari poterant, *cap. si quis Episcop.* 6. *q.* 4. probant Ciron. *in notis ad hunc textum,* P. Marcha *lib.* 4 *concord. c.* 3. probaui *in c.* 2. *de iudic. & in c.* 3. *de accusat.* 3

C A P V T LIII.

Idem *Episcopo* a *Senensi.*

GRauem venerabilis fratris nostri Pisani Archiepiscopi recepimus quæstionem, quòd A. B. & quidam alij ciues Pisani deputati à Potestate, ac populo ad statuta ciuitatis edenda, tanquam peruersè sapiant, in derogationem Apostolicæ Sedis, & subuersionem Ecclesiasticæ *b* libertatis edere præsumpserunt; quòd si quis clericus, vel laicus contra quemcunque laicum Pisani districtus ad iudicem Ecclesiasticum litteras Apostolicas impetrauerit, in mille solidis, nisi huiusmodi renunciauerit literis, condemnetur; nec redditus possessionum suarum reddantur eidem, vel agri excolantur ipsius, sed *c* banno potiùs subiaceant Potestatis, quæ nullum ad regimen ciuitatis suscipiet, nisi hoc se iurauerit facturum: & hæc, & quælibet alia Potestatis, quæ pro tempore fuerit, successores suos iurare faciet supradicta. Statuerunt illi prætereà, vt clerici suis sumptibus castrum Ripæfactæ faciant custodire: quod si renuerint, contra eos Potestas procedere teneatur iuxta quod dictauerit concilium ciuitatis. Quæ omnia is, qui nunc præest ciuitati prædictæ, obseruaturum se firmiter iureiurando firmauit. Cùm autem tota ciuitas Pisana, quæ aliàs tamdiù Dei *d* timorem abiecit, quòd infecto iam errore, vel infectioni proxima præsumatur, & tam statutarios, quàm Potestatem eandem non sit dubium propter hoc excommunicationis sententiam, præter notam infamiæ, incurrisse: fraternitati tuæ mandamus, quatenus eos excommunicatos publicè nunties, & facias ab omnibus arctiùs euitari, donec absolutionis beneficium per Sedem Apostolicam mereantur: contra Consiliarios, & Officiales ciuitatis ipsius, nisi statuta ipsa de capitularibus deleri fecerint, & idoneè, sicut exigit res, caueri, quòd similia de cætero non debeant attentare, similiter processurus. Cæterùm cùm ijdem statutarij multa de bonis Ecclesiæ tenere dicantur in feudum, ipsos nihilo minus fore priuatos feudis huiusmodi nuntiare procures.

NO-

Digitized by Google

NOTÆ.

1 a SEnenſi.] Ita legitur in quinta collectione, *ſub hoc tit. cap.5.* ex qua reſtituo inſcriptionem, & literam huius textus: in præſenti reſcribit Honorius Benſilio preclaro viro, de quo plura refert Vghellius *tom.1. Italiæ ſacræ, fol.360.*

2 b *Eccleſiaſticæ libertatis,*] Quare ſimilia ſtatuta nulla ſunt, vt probaui *in cap. Eccleſia, de conſtit.* vbi commentarium huius textus dedi.

c *Banna.*] Banni varias acceptiones adduxi *in cap.2. de purgat. canonic.*

3 d *Timorem abiecit.*] Piſana ciuitas felix olim fuit, non modò florente Romano Imperio, verùm & poſt eius ruinam; ſiquidem ſubegit inſulam Sardiniæ: quare Romani Pontifices eius inſulæ iuriſdictionem Piſanis conceſſerunt. Piſani etiam Carthaginem, atque Baleares inſulas in ſeruitutem reduxerunt, Panormumque à Sarracenis occupatam recuperarunt, profugoſque Romanos Pontifices hoſpitio exceperunt. Felicior rerum fortuna hanc ciuitatem prouexit, donec cum Friderico II. Imperatore contra eccleſiaſticos inito fœdere, captiſque ad Lomellum duobus Cardinalibus, ac quampluribus Præſulibus, quia Gregorio IX. mandante ad Concilium indictum proficiſcebantur, diuini Numinis non ſeram prouocauit vindictam, paulò enim poſt eodem in loco à Genuenſibus nauali prælio Piſani ſuperati cum 49. triremibus duodecim millia ſelectorum militum amiſerunt, præteritarum victoriarum amiſſo decore, tandemque ſub iugo Florentinorum miſſa in eum ſtatum redacta eſt, vt penè deſerta fuerit, vt refert Vghell. *tom.3. Italiæ ſacræ, fol.393.*

CAPVT LIX.

Gregorius *a* Nonus.

CVm voluntate, ac propoſito maleficia diſtinguantur, excommunicationis ſententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad abſolutionem, vel aliàs ad ſalutem animæ pertinent, in loquutione participat, licèt etiam alia verba incidenter (vt apud eum magis proficiat) interponat. Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores in prædicationibus, & confeſſionibus quaſi gerunt cauſam (vel curam) eorum, ad quos res ipſe ſpectare noſcuntur, eleemoſynas licitè poſſunt ab illis recipere, præſertim ſi aliàs non valeant in illo loco ſuſtentationem habere. Si qui verò ratione officij, quod in Eccleſia obtinent, aut etiam alij clerici ſeniores zelo deuotionis pueros, vel adoleſcentes in minoribus ordinibus conſtitutos turbantes diuinum officium, & hi, qui obtentu prælationis, vel magiſterij ſubditos, & ſcholares *b* correctionis cauſa leuiter fortè percuſſerint, excommunicationis ſententiam non incurrunt. Quod & de his dicendum eſt, qui aliquos de *c* familia ſua, vel propinquos inferiorum graduum ſimili modo vt cohibeantur à ſuis inſolentijs, & ſcientia boniſque moribus informentur, duxerint corrigendos.

NOTÆ.

1 a GRegorius IX.] Qui præſentem edidit conſtitutionem motu proprio, à nemine conſultus, pro explicatione cenſuræ, quæ incurritur ob iniectionem manuum in clericos ex canone *ſi quis ſuadente*, 17. q.4. de qua egi *in cap.1. & ſeqq. hoc tit.* & etiam excommunicationis minoris, quæ incurritur ob communicationem cum excommunicato, de qua egi *in c. ſignificauit, hoc tit.*

b *Correctionis.*] Modicæ tamen, vt probaui *in cap.1. hoc tit.*

c *Familia ſua.*] Sed an pater poſſit filium ſacris initiatum impunè corrigere, atque caſtigare, abſque eo quòd incidat in excommunicationem canonis, dubitatur. Et id illi licere docuerunt Sylueſter *in ſumma, verbo Excommunicatio 6. caſu 8.* Bonacina *de cenſur. diſp.2. quæſt.3. puncto 6. ſect.4.* Nauarrus, Filliucius, & alij congeſti à Gibalino *de cenſur. in ſynopſi, fol.464.* Sed rectiùs negarunt Molina *tract.2. de iuſtitia, diſp.228. & tract. 3. diſput.56.* Layman *lib.1. ſummæ, tract.5. cap.5. num. 9.* Caſtropalao *diſput.3. puncto 23. §.3.* Gibalin. *vbi proximè.* 2

CAPVT LX.

Idem a *Aſtoricenſi Epiſcopo.*

SI concubinæ publicæ clericorum Eccleſiaſticæ cenſuræ diſtrictione notentur, eoſdem concubinarios non eſt dubium ſententia maioris excommunicationis inuolui, qui poſt latam ſententiam communicant in eodem crimine criminoſis.

NOTÆ.

a ASToricenſi.] De Eccleſia Aſtoricenſi egi *in c.17. de re iudicat.* & textum hunc expoſui ſuprà *in cap. ſignificauit.*

CAPVT LXI.

a Idem.

DVobus collata poteſtas, vt à minori excommunicatione, ſi in ipſam inciderint, inuicem ſe abſoluant, vtroque ligato vinculo excommunicationis, huiuſmodi non exſpirat.

NOTÆ.

1 a IDem.] Gregorius IX. videlicet, qui præſentem conſtitutionem edidit pro deciſione illius caſus, quando videlicet duobus conceſſa eſt facultas ſe ad inuicem abſoluendi à minori excommunicatione, vtrùm videlicet ſi ambo in eam incidant, poſſint ad inuicem ſe abſoluere? Et aſſerit Gregorius, poſſe; quia cùm excommunicatus minori excommunicatione tantùm prohibitus ſit à ſuſceptione Sacramentorum, non verò ab eorum collatione, vt probaui *in c. ſi celebrat, de cleric. excomm c. ſignificauit, hoc tit.* ideò qui excommunicatione minori ligatus eſt, poteſt ſocium eadem cenſura ligatum abſoluere.

C A P V T LVII.

a Idem.

PErmittimus Ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, Missarum solemnia celebrare causa conficiendi Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

N O T Æ.

a IDem.] Gregorius IX. videlicet Textum hunc exposui *in cap. quòd in te, de pœnit. & remiss.*

C A P V T LVIII.

a Idem.

QVamuis incidens in canonem latæ sententiæ propter violentam manuum iniectionem, iuxta proprias facultates eis satisfaciat, quibus iniurias irrogauit: non tamen aliter quàm per Sedem Apostolicam, vel eius *b* Legatum absolutionis potest beneficium obtinere, nisi imminenti mortis articulo, infirmitate, *c* inimicitia, aut inopia, *d* puerili, vel senili ætate, fragilitate, *e* sexus, seu alia corporis impotentia, siue quolibet impedimento canonico retrahatur, quo minùs Romanum Pontificem possit adire: vel nisi iuris beneficio à labore huiusmodi excusetur. Cæterùm quibusdam prædictorum, videlicet qui temporali impedimento laborant (exceptis pueris) sub debito iuramenti (quod secundùm Ecclesiæ formam præstare tenentur) consueuit iniungi, vt impedimento cessante ad Apostolicam Sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.

N O T Æ.

a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui etiam hanc
1 constitutionem edidit pro explicarione canonis: *Si quis suadente*, iuxta suorum prædecessorum decisiones.

b *Legatum.*] A larere videlicet, iuxta tradita suprà *in cap. ad eminentiam.*

c *Inimicitia.*] Vt probaui suprà *in cap....*

d *Puerili.*] Iuxta tradita *in cap.1. hoc tit.*

e *Sexus.*] Consonat caput *mulieres*, vbi probaui, *hoc tit.*

C A P V T LIX.

a Idem.

SI quem sub hac forma verborum: Illum excommunico, vel simili à iudice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantùm minori, quæ à perceptione sacramentorum; sed etiam maiori excommunicatione, quæ à communione fidelium separat, esse ligatum.

N O T Æ.

a IDem.] Gregorius videlicet IX. qui hanc nouam edidit constitutionem; nam cùm olim excommunicatio simpliciter prolata tantùm de minori acciperetur, *c. Engeltrudam 3. q.4. c. cùm excommunicato 11. q.3.* tamen ipse nouiter statuit, vt si simpliciter excommunicatio proferatur, intelligatur de maiori, quæ fidelium communione priuat, & magis timetur; nam quælibet dictio in potiori eius significatione accipienda est. Glossa *in l.1. ff. de V.O.* probant, atque explicant latè Balboa *in cap.2. de except. à num.98.* Gibalinus *de censur. disquis.1. q.2.* Nec tunc obstat textus *in cap.1. de except. lib.6.* vbi statuitur, reum excipientem aduersus actorem de excommunicatione, exprimere debere speciem ipsius excommunicationis. Igitur quia simpliciter excommunicatio non accipitur pro maiori. Cui difficultati, omissis traditis à Couarruu. *in cap. alma, 1.p. §.8. num.8.* dicendum est cum Gibalino, & Balboa *vbi suprà*, Fermosino *in cap. cùm non ab homine, quæst.31. de iudicijs*, in eo textu non affirmari, necessariò exprimendam esse speciem excommunicationis à reo excipiente, siquidem id superfluum esset, tum in præsenti textu, tum ex eo, quia tantùm excommunicatio maior repellit actorem à iudicio, vt probaui *in c. intelleximus, de iudicijs, cap.2. de except.* sed tantùm decerni, allegandam esse causam specialem excommunicationis, quia cùm *in §. si verò*; Ipsius textus dicatur, probandam esse exceptionem intra octiduum apertis documentis, id nulla ratione fieri poterat, allegata tantùm excommunicatione in genere, nisi illius causa specialis, quæ intra illum terminum probari possit, exprimeretur. Latiùs prosequuntur Balboa, & Primarij nostri *in d. c.2. de except.*

C A P V T LX.

a Idem.

PVeris, qui in canonem inciderunt sententiæ promulgatæ, siue ante, siue post pubertatem postulent se absolui, potest diœcesanus Episcopus absolutionis beneficium impertiri: cùm propter defectum ætatis, in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

N O T Æ.

a IDem.] Gregorius videlicet IX. Textum hunc exposui suprà *in cap.1.*

Digitized by Google

TITVLVS XL.

De verborum significatione.

CAPVT PRIMVM.

a Hieronymus *super Osee*.

INnouate nouale. Nouale est ager nunc primùm præcisus.

NOTÆ.

1 a Hieronymus.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* sed non reperiuntur hæc verba in commentarijs ipsius S. Doctoris super Prophetam Oseam: extant tamen in Glossa, quæ vulgò interlinearis dicitur, vbi ad ea verba Prophetæ Oseæ *cap.* 10. *Seminate vobis iniustitiam, & metite in ore misericordiæ: innouate vobis nouale*, legitur: *Nouale est ager nunc primùm præcisus*.

CAPVT II.

Idem *super* a *Danielem*.

NAm & Rex Nabuchodonosor pater tuus, idest proauus, more *b* Scripturæ, quæ auos, & deinceps patres appellat.

NOTÆ.

1 a Danielem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. & priora illa verba reperiuntur *in capite* 1. *Danielis*, videlicet: *Nam Rex Nabuchodonosor pater tuus*; vbi ea D. Hieronymus ita exponit: *Quòd autem Balthasaris patrem Nabuchodonosor vocat, non facit errorem scientibus Sacræ Scripturæ consuetudinem, qua patres omnes proaui, & maiores vocantur.* Et ad illa verba: *In diebus patris tui*, ait: *Et in diebus patris tui. Patrem vocat Nabuchodonosor, vt suprà diximus, proauum eius, secundùm consuetudinem Scripturarum.*

2 b Scripturæ.] Et etiam iure ciuili attento, iuxta communem interpretationem, patris nomine auus quoque continetur, *l. iusta* 201 *ff. de V. S.* vbi Gentilis, & Fornerius. Nec tantùm auus paternus, verùm & maternus, *leg. vlt. in fine*, *C. communia vtriusque iudic.* immò & omnes ascendentes, vt docent Chassaneus *in consuet. Burgundię*, *rubr.* 751. Acacius Ripol. *de priuil. parent. in prolog. n* 36. qui inde explicant textus in lege Iulia, *ff. de ritu nupt. leg. filium habeo*, *ff. ad Maced.*

CAPVT III.

Idem a *in Parabolis*.

NAm & egò vnigenitus fui coram matre mea. Quare vnigenitum se nominat, quem fratrem vterinum præcessisse Scriptura testatur? nisi quia ille mox natus, sine nomine, quasi *b* nunquam esset, de vita decessit.

NOTÆ.

1 a IN Parabolis.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.* 2. & priora illa verba, *Nam & ego vnigenitus fui coram matre mea*, reperiuntur *in c.* 4. *Prouerbiorum*; sequentia verò sunt D. Hieronymi. Hanc eandem difficultatem, quare videlicet Salomon dicatur vnigenitus filius, cùm *ex lib* 1. *Paralip. c.* 3. *vers.* 5. appareat, Dauidem tres alios filios suscepisse ex Bethsabe, videlicet Simmaa, Sobab, & Nathan? agnouerunt PP. & Theologi Expositiui. Salian *to.* 3. *ann. mundi* 2989. *n.* 3. Abulensis, Lira, & Vatablus *in d. c.* 3. *Paralip.* Hugo Card. *in lib.* 2. *Regum*, Salmeron *to.* 3. *tract.* 28. existimant, tres illos filios à Bethsabe ex Vria, non verò Dauide conceptos fuisse, sed posteà à Dauide adoptatos. Verum eos fuisse Dauidis filios naturales expresse constat *ex d. c.* 3. *Paralip.* & probarunt Theodoretus, & Procopius *ibi*, Pineda *lib.* 1. *de reb. Salom. c.* 8. *n.* 3. *& lib.* 7. *c.* 26. Barrad. *to.* 1. *lib* 5. *c.* 9. Quare ea interpretatione omissa, veriùs dicendum est, Salomonem appellari filium vnigenitum, quia vnicè dilectus erat à matre sua: quare non dicitur *in d. c.* 4. vnigenitus matris suæ, vel patris sui; sed vnigenitus coram matre sua, idest, vt Septuaginta vertunt, *dilectus in facie matris suæ*, idest vnicus per singularem amorem, curam, & solicitudinem, perinde ac si esset solus, & vnigenitus: quare ad eum mater ait *c.* 31. *vers.* 2. *Quid dilecte mi? Quid dilecte vteri mei? Quid dilecte votorum meorum.* Probant, & illustrant expositionem hanc Pineda *d. lib.* 1. *c.* 8. Cornel. à Lapide *in d. c.* 4. *Prouerb.*

2 b Nunquam esset.] Hinc aliquando filij, qui iam decesserunt, tanquam si non fuissent, habentur: quare nec patri prosunt ad excusationem munerum publicorum, nisi in bello amissi sint, *l.* 2. *§. oportet*, *ff. de excusat. tut. l.* 2. *§. qui ad munera*, *l. communia*, *ff. de vacat. mun.* Quoad alia verò, veluti ad liberationem præstationis operarum, amissi filij etiam prosunt, *l. libertinus* 37. *§. amissi*, *ff. de oper. libert. l. nec patronus* 6. *C. eod. tit.* Prosequitur Bertranus Maurus *de iure liberorum cap.* 44.

CAPVT IV.

Idem *super* a *Matthæum*.

QVod dicitur, Antequam conuenirent; non sequitur, vt posteà conuenirent: sed Scriptura, quòd factum non sit, ostendit.

NOTÆ.

a SVper Matthæum.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. & verba hæc reperiuntur apud D. Hieronymum in expositione illorum verborum Matthæi *cap.* 1. *Cùm esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* Vbi propositio illa *ante*, eam continet difficultatem: Ergo posteà conuenerunt; vt quidam Hæretici Antidicomarianitæ apud Epiphanium *hæresi* 78. deducebant, asserentes Beatam Mariam

post Christi partum à B. Ioseph cognitam fuisse. Sed rectè ea verba Diui Matthæi exponit S. Hieronymus *ibi*, dum ait, quòd non quoties dicitur aliquid non antè factum esse, significatur posteà factum esse; cùm enim dicimus, hæreticos non acturos pœnitentiam priùs quàm moriantur, non significamus eos post mortem pœnitentiam acturos, sed tacemus, quod est certum, dicimus, quod est dubium. Certum est, post mortem neminem agere pœnitentiam, quia in inferno quis confitebitur tibi? Sed dubium est, an ante mortem acturus sit. Certum quoque erat post Christi partum Ioseph Mariam non cognouisse, cùm non alium filium, quàm Christum habuisset; an autem Christus ex Ioseph, an verò ex Spiritu sancto conceptus esset, dubitari poterat, & necessariò erat explicandum. Hoc ergo explicauit Euangelista, quod dubium, quodque necessarium erat; illud prætermisit, quod nec quærebatur, nec dictu erat necessarium. Alij docent hæc verba, *antequam conuenirent*, idem importare atque, in eadem domo habitarent. Ita Simon Cassianus *in comm. lib.2. cap.16.* Abulcosis *in cap.1. Matthæi*, Baronius *to. 1. annal. im Apparatu*, Caietanus *in 3. par. D. Thomæ, q.29. art.2.* quos refert, sed quod non sequitur Barradas *tom.1. lib.8. cap.5.* ibi: *Non de cohabitatione, sed de coniugali congressu hæc verba cum plerisque Interpretibus sunt intelligenda.* Quibus sic intellectis Heluidius Deiparæ perpetuam virginitatem labefactare conatur: sed stupeus est aries, nec enim vim vllam habet hæc consequutio. Antequam conuenirent, concepit virgo ex Spiritu sancto: ergo posteà conuenerunt. Quemadmodum nec illa: Antequam morbum agnosceret medicus, animam efflauit ægrotus: ergo posteà morbum medicus agnouit.

C A P V T V.

a Hieronymus *super Matthæum*.

IOseph non cognouit Mariam, donec peperit filium suum primogenitum. Ex hoc quidam loco peruersissimè suspicantur & alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum: cùm primogenitus non debeat dici, nisi qui habeat fratres; cùm hic mos diuinarum sit Scripturarum, vt primogenitum non eum vocent, quem fratres sequantur, sed eum, qui primò natus sit.

N O T Æ.

a IN *eodem*.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.4.* idest D. Hieronymus *in eodem cap.1. Matthæi*. Priora illa verba, *Ioseph non cognouit, donec peperit filium suum primogenitum*, sunt D. Matthæi; cætera verò D. Hieronymi exponentis verbum illud *Primogenitum*.

C A P V T VI.

a Hilarius.

INtelligentia dictorum ex causis est assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.

N O T Æ.

a HIlarius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.5.* Sanctus Hilarius Pictauiensis Episcopus floruit per annos 355. & quamuis iam prouectæ ætatis baptizatus fuisset, tamen breui in ecclesiastica doctrina ita profecit, vt Doctor maximus, & Ecclesiæ Catholicæ columna meritò habitus sit. Scripsit varia opera, quæ refert Bellarminus *de Scriptur. Ecclesiast. d. ann.* 355. & scripsit de Trinitate, vbi *lib.4.* reperiuntur verba in præsenti à Raymundo transcripta, quæ, vt faciliùs intelligantur, altiùs repetenda sunt. Ait Hilarius: *Sequamur ergo aduersùs irreligiosas, & impias adeò institutiones, ipsas illas diuinorum dictorum auctoritates, & vnumquemque eo ipso, de quo quæritur, auctorem tractabimus, non ad fallendam audientium imperitiam, & malè imbuendam, quasdam verborum enunciationes, subtractis eorum causis, coaptantes. Intelligentia enim dictorum ex causis est assumenda dicendi: quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus.* Quæ vltima verba compilauit Raymundus *in præsenti*, quia canones propriam habent verborum significationem', quam ex causis ipsis, & rebus depromunt; ideò non tam proprietas, quàm sensus plerumque attenditur. Exempla extant *in cap. secundo 41. de appellat. cap. ex literis, de sponsal. cap. ad audientiam, de decimis*. Quòd de iure ciuili plerumque admittitur, siquidem tuendæ voluntatis gratia, vt captio omnis vitetur, verba ipsa contra propriam significationem accipiuntur, vt in *l. ex conducto 15. §. Papinianus, ff. locati, l.13. ff. de excusat. tutor.* Plura de ambiguo sermone congesserunt Petr. Faber, & Iacob. Gothofred. *in l. in ambiguis, ff. de R. I.* Doctor Leon *in l. Paulus, ff. de reb. dub.* D. Ioseph. de Retes *lib.7. opusc. c.3. n.21.*

C A P V T VII.

Augustinus *super* a *Matthæum*.

NIhil obstat narrandi diuersitas, vbi eadem dicuntur, maximè cùm quisque Euangelistarum eo ordine credat se dicere, quo Deus voluit.

N O T Æ,

a IN *Matthæum*.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.6.* vbi notat Ant. Aug. verba hæc forsan transcripta fuisse ex D. Augustino *de consensu Euangelist. lib.2. c.12. 21. & 28.*

C A P V T VIII.

a Gregorius.

AD explendum affectum meum, fateor, lingua non sufficit: sed quidquid de vobis sentio, noster vobis meliùs affectus dicit. Quibusdam verò vos aduersitatibus laborare audiui. Sed non hac de re valdè contristor, quia plerumque nauis, quæ peruenire ad altas pelagi tempestates per prosperitatem poterat, in ipso nauigationis initio vento aduersante repellitur,

sed

sed ad portum repulsa reuocatur. Propterea si prolixam epistolam ad interpretandum accipere fortasse contigerit, rogo non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferre: quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensus veritatis amittitur.

NOTÆ.

a GRegorius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 7. & repetitur textus in regestro epistolarum D. Gregorij, *lib.*1. *epist.*28. ex quo illum transcribo.

CAPVT IX.

a Isidorus.

QVamuis omnes, qui præsunt, præpositi ritè vocentur; vsus tamen obtinuit, eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam super alios gerunt.

NOTÆ.

a ISidorus.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. capite* 8. & reperitur textus hic *libro* 10. *etymolog. D. Isidori*, & hanc etymologiam Præpositi, atque eius officium, & dignitatem illustraui *in capite* 1. *de ætate, & qualit.*

CAPVT X.

a Isidorus.

FOrus exercendarum litium locus, à *b* fando dictus. Qui locus & Prorostra vocatur, ideò, quòd ex bello Punico captis nauibus Carthaginensium rostra ablata sunt, & in foro Romano præfixa, vt essent huius insigne victoriæ. Constat autem forus causa, lege, & iudice. Causa vocatur à casu, quo euenit. Est enim materia, & origo negotij, necdum discussionis examine patefacta, quæ dum proponitur, causa est; dum discutitur, iudicium, dum finitur, iustitia. Vocatur autem iudicium, quasi iurisdictio; & iustitia, quasi iuris status. *c* Iudicium autem priùs inquisitio vocabatur. Vnde & actores iudiciorum, præpositos, questores, vel quæsitores vocamus. Negotium multa significat, modò actum rei alicuius, cui contrarium est otium, modò actionem causæ, quod est *d* iurgium litis, & dictum est negotium, quasi nec otium, idest sine otio. Negotium autem in causis, negotiatio in commercijs dicitur, vbi aliquid datur, vt maiora lucrentur. Iurgium dictum, quasi iuris garrium, eo quòd ij qui causam dicunt, iure disceptent. *e* Lis à contentione limitis priùs nomen sumpsit. De quo Virgilius. Limes erat positus, litem vt discerneret agri. Causa aut argumento, aut probatione constat. Argumentum nunquam testibus, nunquam tabulis dat probationem, sed sola inuestigatione inuenit veritatem: vnde & dictum argumentum, idest argutum inuentum. Probatio autem testibus, & fide tabularum constat. In *f* omni autem iudicio sex personæ quæruntur. Iudex, accusator, reus, & tres testes. Iudex dictus quasi ius dicens populo, siue quòd iure disceptet. Iure autem disceptare est iustè iudicare. Non est autem iudex, si non est in eo iustitia. Accusator vocatur, quasi adcausator, quia ad causam vocat eum, quem appellat. Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quia quamuis sceleris conscius non sit, reus tamen dicitur, quamdiù in iudicio pro re aliqua petitur. Testes antiquitus superstites dicebantur, eo quòd super statum causæ proferebantur. Nunc parte ablata nominis, testes vocantur. Testis *g* autem consideratur conditione, natura, & vita. Conditione, si liber, non seruus: nam sæpè seruus metu dominantis testimonium supprimit veritatis. Natura, si vir, non fœmina: nam varium & mutabile semper fœmina. Vita, si innocens, & integer actu. Nam si vita bona defuerit, fide carebit, non enim potest iustitia cum scelerato habere societatem. Duo sunt autem genera testium; aut dicendo id, quod viderunt; aut proferendo id, quod audierunt. Duobus autem modis testes delinquunt, cùm aut falsa promunt, aut vera silentio obtegunt.

NOTÆ.

1 a ISidorus.] Ita legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.*10. & extat textus hic *lib.*8. *etymolog. D. Isidori*, *c.*15. ex quo Codice correcto à D Garcia à Loaysa transcribo textum hunc.

2 b *Afando.*] Hæc etymologia displicuit Polleto *lib.* 1. *hist. fori*, *cap.*1. & Aleiato *lib.*2. *disp. cap.* 24. qui sequuntur etymologiam, quam tradit Marcus Varro *lib.*4. *de lingua Latina*, his verbis: *Quò conferrent suas controuersias, & quæ vendere vellent, & quò quæque ferrent, forum appellarunt; vnde à ferendo veteres forum dixere.* Lucilius *lib.*3. *Romanis ludis forus olim ornatus lucernis* Probant Philip. Brodeus *ad Polet. d. c.*1. Gibalin *de negot. tom.*1. *lib.*2. *cap.*3. *art.*1. Inde forenses dicuntur, qui in foro versantur. Vitruuius *lib.*6. *c.*8. ibi: *Forensibus autem, & disertis elegantiora, & spatiosiora ad conuentus excipiendos.* Et controuersiæ ipsæ, quæ ibi disceptantur, forenses appellantur. Vuipertus *l.*1. *vitæ Leonis IX. c.*4. *Nempè vt primùm competit rudibus, decurso artium triuio, non solùm claruerunt prosa & metro, verùm & forenses controuersias acuto, & viuaci oculo mentis deprehensas expediebant, seu remouebant sedulò.* Notauit Bosquetus *ad Innoc. III. l.*2. *epist.*105.

c *Iudicium.*] Varias acceptiones iudicij adduxerunt Abbas, Ripa, & alij repetentes ad rubricam suprà *de iudic.* 3
Marant. *de ordine iudic.* 1. *part. dist.*14. D. Perez *in rubric. tit.*1. *lib.*3. *ordin.* Scaccia *de iudic. lib.*1. *cap.*1. *num.*3. Brisson. Caluinus, & alij Lexicographi *verbo Iudicium*. Communiter accipitur pro litigantium conflictu, & forensium disceptantium certamine, vt probat Cuiac *ad tit. suprà de iudic.* Explicant Abbas *in præsenti*, *num.*1. Decius *lectura* 1. *num.*5. Ripa *num.*50. Sotus *de iustitia*, *lib.*3. *qu.*4. *n.*1. Scaccia *d. lib.*1. *cap.*2. *à num.*2. à qua etymologia non multum discrepat alia Cuiacij *vbi suprà*, vt iudicium dicatur quasi iurisdictio; cui fauere videtur Marcus Varro *lib.*5. *de lingua Latin.* dum iudicium à iure dicendo deriuat, vt prosequuntur Osualdus *in not. ad Donel. lib.*17. *comment. cap.*3. *litter. A.*

d *Iurgium.*] Festus ait: *Iurgium iuris actio est, & agere iurgare est.* Ammianus Marcel. *lib.*18. *Cùm iurgando contra potentes se magis magisque iniustitia frangi contemplaretur.* Verbum vsitatum in iure, *l. vnic. C. de dilat.* Hinc iurgare pro litigare, *l.*6. *C. Theodos. de iurisd. l.*14. *eod. C. de accusat. l.*2. *eod. C. de offic. iudic. mil.* notauit Sauarus *ad Sidonium lib.*2. *epist.*7. 4

e *Lis.*] Vt probaui *in cap.* 1. *de lit. contest.*

f In

f *In omni.*] Consonat Fabianus *in cap. in omni* 1.4. *quæst.* 4.

5 g *Testis autem.*] Rectiùs D. Isidorus quàm Seruius *ad illud Virgilij 3. Æneid. superestne, & vescitur aura*, inquit: *Superstes præsentem significat*. Et Festus Pompeius ait: *Superstites testes præsentes significat, cuius rei testimonium est, quod superstitibus præsentibus ij, inter quos controuersia est, vindicias sumere iubentur*. Notauit D. Garcias à Loaysa *in notis ad D. Isidorum, in præsenti*.

CAPVT XI.

a Idem.

PActum dicitur inter partes ex pace conueniens, scriptura, legibus, aut moribus probata. Dicitur pactum quasi ex pace factum.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 12. & reperitur textus hic *d. lib. 5. etymol. cap.* 24. & præsentem etymologiam exposui *in cap. 1. de pactis*; præsentemque diffinitionem congruam esse probat Fornerius *lib. 5. rer. quotid. cap.* 14. si ab ea expungatur mentio scripturæ, quæ non tam ad substantiam pacti, quàm ad probationem pertinet, *l. pactum 17. l. cùm proponas 21. C. de pactis*.

CAPVT XII.

a Idem *in eodem*.

IVs dictum est à iustè possidendo; hoc enim iure possidetur, quod iustè: hoc iustè, quod benè: quod autem malè possidetur, alienum est: malè autem possidet, qui vel suis malè vtitur, vel aliena præsumit.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 12. & reperitur textus hic *d. lib. 5. etymolog. cap.* 25. videturque sanctum Doctorem etymologiam hanc desumpsisse ex D. Augustino relato à Gratiano *in cap. 11. 14. quæst.* 4. Latè iuris etymologiam illustraui in principio Apparatus ad hæc commentaria.

CAPVT XIII.

a Paschalis Papa II. *Canonicis S. Martini*.

CAusa Carpen. plebis, &c. *Et infra*: Cæterùm b primitiæ, decimæ, c oblationes in solis Ecclesiarum bonis præcipuè numerantur: oblationes verò dicimus, quæcunque de proprijs, & d licitis rebus Ecclesiæ à e fidelibus offeruntur. Quicunque igitur eas per manum, vel f potestatem obtinet sæcularem, proculdubio contra Domini, & contra Sanctorum Patrum nititur institutiones, quin immò & qui accepit, & qui tradit, raptor, & sacrilegus iudicatur.

NOTÆ.

1 a PAschalis.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap.* 13. Paschalis II. anteà Renatus, vel Raynerius dictus, Bledanus patria, monachus Benedictinus, creatus fuit Pontifex anno 1099. Scripsit varias epistolas, inter quas forsan extat præsens textus; sed eum illis caremus, integram reddere non possumus.

b *Primitiæ, & decimæ.*] De quibus, & earum origine egi in *cap. 1. de decimis*.

2 c *Oblationes.*] Oblatio est quædam donatio bonorum temporalium facta Deo, vel Ecclesiæ, *c. qui oblationes, cap. clerici*, 13. *q.* 2. & sicut omne, quod hominibus donatur, dicitur donatio, ita quod Deo offertur, appellatur oblatio. Si initium oblationum repetamus, constat in lege veteri earum præceptum extitisse, *Exodi c. 23. vers.* 15 ibi: *Non apparebis in conspectu meo vacuus*. Numerorum *cap. 6. vers.* 11. ibi: *Dixitque Dominus ad Moysen, singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicatione altaris*. Docuerunt Suarez *de religione, lib. 1. cap.* 4. Barbosa *de iure eccles. lib. 2. c. 23. nu* 4. An etiam hoc præceptum repetitum sit in lege gratiæ, disputant Interpretes, & affirmant Azor *1. p. instit. moral. lib. 7. cap.* 17. plures relati à Leandro *in præcept. Eccles. tract. 6. disp. 10. q.* 4. Mouentur ex textu *in cap. omnis Christianus, de consecr. dist.* 1. vbi repetuntur ipsa verba Exodi suprà relata. Deinde fauet eis textus *in c. præter*, 32. *dist.* vbi eadem formula verborum refertur præceptum de decimis, primitijs, & oblationibus. Ergo sicut decimæ, & primitiæ sunt sub præcepto Ecclesiæ, ita & oblationes. Faciunt etiam textus *in c. de his, c. antiquos*, 10. *q. 1. cap. statuimus*, 16. *q.* 1. ibi: *Diebus Dominicis, & Sanctorum festis, vigilijs, & orationibus insistendum, & ad Missas cuilibet Christiano cum orationibus est currendum*. Sed contraria sententia verior est, videlicet, non dari præceptum in Ecclesia de oblationibus: quæ expressè probatur in Concil. Cabilon. sub Carolo, *cap.* 16. ibi: *Animarum salutem inquirere sacerdos, non lucra terrena debet, quoniam fideles ad res suas dandas non sunt cogendi; oblatio enim esse debet spontanea, iuxta id, quod ait Rex Psalmista: Voluntariè sacrificabo tibi.* Facit Tertull. *in apolog.* ibi: *Modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, etiamsi modò velit, & si modò possit, apponit.* Docet D. Thom. 2. 2. *qu. 86. art.* 1. Deinde quia de ratione oblationis est, vt fiat sponte, iuxta illud Exodi *c. 25. Ab omni homine, qui offert vltroneus, accipietis eas.* Deinde quia nullum extat præceptum in iure de similibus oblationibus, sed tantum monitio, vt in canonibus pro contraria sententia adductis, & in Concilio Moguntino sub Carolo *can. 44. Oblationem, & pacem in Ecclesia facere iugiter admoneatur populus Christianus, quia ipsa oblatio sibi, & suis magnum est remedium animarum.* Quare hanc sententiam probarunt D. Thom. 2. 2. *qu. 86. art.* 1. Couarr. *lib. 1. var. cap. 17. n.* 3. alij relati à Leandro *d. tr. de oblat. disp. 10. qu* 4. Sunt tamen casus, in quibus adhuc fideles tenentur ad oblationes faciendas. Primus est, si consuetudo adsit, vt adest in quibusdam regionibus; talis enim consuetudo omninò est seruanda, *c. ad Apostolicam, de simonia*: probat latè Leander *vbi proximè, qu.* 8. Secundus est, quando quis ex voto proprio, aut iussu testatoris facere tenetur, *c. clerici, c. qui oblationes*, 13. *q* 2. Concil. Aurel. 2. *can. 16. & 22.* ibi: *Qui oblationes defunctorum legaliter dimissas quolibet ordine assignare tardauerint, vel detinere præsumpserint, à communione ecclesiastica suspendantur* Matiscon. *can.* 4. plura Ant. Augustinus *in epit. iuris, lib. 15. tit.* 22. Trulleneh *lib. 3. in Decalogum, cap. 13. n.* 2. Tertius est, si Parochus illis egeat ad commodam sustentationem; quo casu, quia parochiani tenentur proprium paro-

Digitized by Google

parochum alere, possunt cogi ad oblationes faciendas. Barbosa *lib.3.iuris Eccles.c.13.n.3.* Olim tamen rarò, aut nunquam fideles ad altare diebus Dominicis,& alijs festiuis accedebant sine oblatione 6.Synodus Trul.*can.*8. ibi: *Deueniendum est sabbato die cum oblationibus ad Missarum solemnia.* Matiscon.*can.*4. probant Haephtenus *ad vitam sancti Benedicti,c.*23. Albaspineus *lib.1.obser.c.*4. Mendoza *lib.2.Concil. Illiber.c.*55. Et cùm tempore Quadragesimæ in Ecclesia Orientali tantùm Sabbato, & Dominica Missæ sacrificium offerre liceret, ideò in canone 49.Synodi Laodic.prohibentur oblationes fieri alijs diebus, quàm sabbato,& Dominica. Oblationes autem panis, vini, aliarumque rerum, quæ in Ecclesia fiebant, non statim altari apponebantur, sed adducebantur ad locum specialiter deputatum, quem veteres gazophylacion dicebant. Concil.Carthag 4.*can.*92.*c.oblationes,90.dist.* Possidius *in vita D.Augustini,cap.*24.vbi exquirebat Diaconus, an oblationes dignæ essent, vt ab Ecclesia reciperentur;& tunc in Ecclesia Latina sacris altaribus apponebantur, in Græca verò antequam ad altare deferrentur, in tabula minori ponebantur, quam propositionum appellabant. Germanus *in histor.ecclesiast.tom.2.Biblioth.veterum Patrum*: & cùm sacerdos offerebat,& benedicebat eas, benedictiones simul offerebat, & recitabat nomina eorum, tam viuorum, quàm mortuorum, qui oblationes faciebant, aut pro quibus fiebant, vt probaui in canone 19. Concilij Illiber. Etiam illis prioribus sæculis fideles ex oblationibus proprijs panis, & vini communicabant, immò erubescebant de aliena oblatione communicare. Vnde D. Cyprianus *epist.*10.increpat cuiusdam diuitis parcimoniam, qui nihil offerens, de oblationibus pauperum communicabat, his verbis: *Locuples, & diues Dominicum celebrare te credis, qui corbonam omninò non respicis, qui in Dominico sine sacrificio venis, qui partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis.* D.Augustinus *sermone* 215.ibi: *Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit.* Plura de his oblationibus congessi in canone 28. Concilij Illiberit.

3 d *Proprijs, & licitis.*] Quædam enim res offerri, aut in altari poni olim propter earum superstitionem prohibebantur, & in canone 3. Apostolorum, dum prohibetur Episcopis & presbyteris in sacrificio offerre mel, aut lac, statim aiunt Apostoli: *Propterea licitum non esto aliud quidpiam admouere ad altare, quàm oleum in candelabrum, & incensum oblationis tempore.* Excipiuntur tamen canone sequenti oblationes nouarum spicarum, & vuæ recentis, vt benedicerentur; mos enim vetus fuit Ecclesiæ vuam maturam, & fabas benedicere ex institutione Eutichiani Pontificis, vt constat ex Pontificali Damasi. Concil.Carthag.3.*can.*3.6.Synodus Trul.*can.*28.ibi: *Primitiæ vuæ, & frumenti offerantur in altari benedicendæ sua peculiari benedictione.* Consuetudinem hanc Græcorum, & formam ipsius benedictionis referunt, atque illustrant Lemaistre *de bonis eccles.lib.1.de decimis, c.*13. Menardus *in notis ad libr.sacram. D.Gregorij,fol.*173. Etiam in Ecclesia Orientali mos inoleuit, vt diebus, in quibus sacra mysteria pro infantibus offerebantur, liceret mel, & lac ad altare deferre, & benedicere. Synodus 6.in Trullo *can.*57 ad quem morem respexerunt Patres in Concilio Carthag. sub Honorio, & Theodosio, *c.*40.ibi: *Primitiæ autem mellis, & lactis (vt mos est) offerantur vno die consuetum ad infantium mysterium.* In eadem etiam Synodo *can.*99.damnatur quædam Armenorum consuetudo, solebant enim Armeni dissectarum pecudum membra in templum inferre, & coram sacris altaribus partem vnicuique distribuere. Verba hæc sunt: *Hoc quoque in Armenorum regione fieri didicimus, quod quidam intus in sacris altaribus carnium membra coquentes, frusta offerunt sacerdotibus, ea iudaicè distribuentes: quocirca Ecclesiam immaculatam seruantes statuimus, nulli licere sacerdoti separata carnium membra ab offerentibus accipere, sed ijs sint contenti, quæ offerenti visa fuerint, eiusmodi oblatione facta extra Ecclesiam.*

4 e *Fidelibus.*] Plures enim sunt Christiani, quorum oblationes non recipit Ecclesia. Concil. Lateran. sub Alexandro III. *c.*25.ibi: *Vsurariorum manifestorum oblationem ne quis accipiat, qui autem acceperit, reddere compellatur.* Et *c.3.de vsuris.* Concil. Trosleian.*can.*7. *Generaliter pauperes vexantium, aut opprimentium oblationes non recipiantur.* Et *c.oblationes,90.dist.* vbi reijciuntur oblationes fratrum diffidentium. Etiam non admittuntur oblationes hæreticorum, *c.excommunicamus 13.de hæretic.* raptorum rerum Ecclesiæ, *c.2.de raptoribus*, vbi notaui; nec eorum, qui presbyterum in testamento filijs suis tutorem inscripserunt. D.Cyprianus *epist.*27. Nec eorum, qui neglecto pietatis officio filios suos exhæredarunt, *c.fin.17.qu.*4. D. Augustinus *epist.*2. ibi: *Profiteor me suscipere oblationes bonas, oblationes sanctas: si quis autem irascitur filio suo, & moriens eum exhæredat, si viueret, non eum placarem, non eum reconciliare deberem. Quomodo ergo filio suo volo, vt habeat pacem, cuius appeto hæreditatem.* Idem D.Augustinus *epist.*187. similiter fatetur se non admisisse oblationes eius, qui contra immunitatem ecclesiasticam aliquem ex Ecclesia abstulerit, ibi: *Oblatio domus tuæ à clericis ne suscipiatur.* Tandem impiorum oblationes ab Ecclesia reijciuntur, *c.non est putanda,1.q.1.c.miror,17.q.*4. Petrus Damianus *epist.*36.ibi: *Enim verò dona ab iniquis suscipere quid aliud est, quàm propriam animam ex dantis squallore fœdare.* Nec etiam oblatio admittitur eius, qui non communicat, *can.* 28.*Concil.Illiber.*ibi: *Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munera accipere non debere.* Nec illius, qui pœnitentiam solemnem facit, *cap.de viro,12.q.*2.ibi: *Secundo verò anno ante fores Ecclesiæ sine communione maneant: tertio verò anno Ecclesiam ne ingrediantur, & inter audientes adsistent sine oblatione.* Et *cap.eos quos, de consecrat.dist.*4.Concil.Ancyran *can.*5. Illerdense *can.*9. plura dedi *in d.cap.*28 *Concilij Illiber.* Nec etiam excommunicati. D.Clemens *lib.3.constit.cap.*8.& *lib.4.cap.*6. Nec etiam eius, qui à sacerdote aliqua censura ligatus fuerit. Synodus Nicæna *can.*27.in editione Pisana, ibi: *Quicumque fuerit à sacerdote ligatus, quamuis calumniam passus sit, non est ab eo accipienda oblatio.* Item nec eius, qui sibi mortem consciuit. Concil. Altissiodorense *can.*17. ibi: *Quicumque se propria voluntate in aquam iactauerit, aut collo ligato se suspenderit, aut de arbore præcipitauerit, aut qualibet occasione voluntariè se morti tradiderit, istorum oblata non recipiantur.* Concil.Brachar.1.*can.*34. Nec etiam mulieris, quæ menstrua patitur. Concil. Moguntin. *cap.* 6. Omnium enim istorum oblationes non recipiuntur, quia vt ait Cicero *lib.2.de legibus*, donis impij nec placare audeant Deos.

f *Per potestatem.*] Oblationes enim fidelium ritè factas in Ecclesia olim Episcopus recipiebat. Symmachus Pontifex in 6.Synodo Romana, ibi: *Oblationes fidelium à nemine percipiantur absque consensu, & voluntate Episcopi, in cuius dignoscuntur esse parochia, & potestate.* Et *cap.in canonibus* 57.16.*qu.*1.Concil.Aurelian.3.*can.*5. ibi: *Si quæ oblationes in quibuslibet rebus, atque corporalibus collatæ fuerint Basilicis in ciuitatibus constitutis, ad potestatem Episcopi redigantur.* Plura Antonius August.*in epit.lib.* 15.*tit.*21. Et post diuisionem parochiarum ad proprium parochum oblationes spectant. Synodus Bituricensis 1. *can.*12.*Presbyteri oblationes, vel luminaria, quæ eis ad manus offeruntur, tanquam propria sua habeant.* Et *cap.quia sacerdotes, cap.sanctorum,10.qu.*1 Leander *d.disp.de oblationibus,qu.*9. Laici verò eas accipientes grauiter puniuntur in Concilio Romano sub Calixto, *cap.*14.ibi: *Sanctorum Patrum canonibus consona sentientes, oblationes de sacratissimo, & reuerendissimo altari Beati Petri, & Saluatoris, & Sanctæ Mariæ Rotundæ, aut de alijs Ecclesiarum altaribus, siue crucibus à laicis auferri penitus interdicimus, & sub pœna anathematis prohibemus.* Et *cap perueniens,16 quæst.*7. Circa religiosos, an videlicet oblationes in suis monasterijs factas recipere possint, non consentiunt Interpretes. Et eas ad parochos spectare, docuerunt Trullench *lib.3.in Decal.cap.3 num.*13. Azor *tom.1.instit. lib.2.cap.*17. Sed contraria sententia verior est, probaturque expressè *in cap.1.de statu monach.cap.nimis, de excessibus Prælat.* & varijs priuilegijs id ferè omnibus religionibus concessum fuisse, probat Leander *vbi suprà, quæst.* 10. Ex oblationibus tamen factis occasione funeris, quartam partem parocho deberi, iam probaui *in cap.1.de sepultur.* Vnde patet rectè in præsenti doceri, oblationes in Ecclesia factas non posse per Potestatem sæcularem vsurpari. 5

C A-

C A P V T XIV.

a Alexander III.

QVæsiuit à nobis tua fraternitas, vtrùm sacerdos vno clerico tantùm præsente b infirmum debeat vngere, & quando festum beati Mathiæ in anno bissextili debeat obseruari: præsertim cùm quidam inter vigiliam, & festum velint diem interponere. Nos itaque tibi duximus respondendum, quòd Sacerdos vno præsente clerico, & etiam solus infirmum vngere potest.

N O T Æ.

1 a Alexander III.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 9.* & post Concilium Lateran. *p. 50 cap. 21.* nullibi tamen exprimitur, cui Prælato rescribat Pontifex. Concius addit, *Carnotensi Episcopo*, cui assentire videtur Antonius Augustinus *in præsenti*, qui *ex lib. 14. Regestri* ipsius Pontificis citat textum hunc *lib. 27. epit. iuris Pontif. tit. 1. cap. 8.* De diœcesi Carnot. nonnulla adduxi *in cap. 11. de offic. deleg.*

2 b *Infirmum.*] Subiectum enim capax huius sacramenti est tantùm fidelis infirmus de vita periclitans, vt constat ex epistola canonica D. Iacobi, *c. 5. Infirmatur quis in vobis.* Et epistola 1. Innoc. Papæ ad Decentium, *cap. 8. c. vnic. de sacra vnctione*, Concil Mogunt. relatum *in cap. ab infirmis, 26. qu. 7.* Aquisgran. 2. sub Ludouic. *p. 3. c. 5.* Concil. Cabilon. sub Carolo *can. 48.* ibi: *Secundùm B. Iacobi Apostoli documentum, cui etiam decreta Patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopo benedicetur, à presbyteris vngi debent.* Florent. *in decret. de sacrament. vers. 5.* ibi: *Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Trident. *sess. 14. de sacram. cap. 3. & can. 2.* vbi ideò hoc sacramentum appellatur sacramentum exeuntium. Probant Theologi Scholastici *in 4. dist. 23.* vbi D. Thomas *q. 2. art. 2.* Paludanus *q. 4.* Richardus *art. 2. q. 6.* Suarez *tom. 4. in 3. part. disp. 42.* Summistæ de hoc sacramento agentes. Vnde cognoscitur, quàm absurdè nonnulli hæretici sacramentum hoc contulerint defunctis, vt tradit Serarius *in opuscul. de hoc sacramento, cap. 3. nu. 56.* & constat ex Epiphanio *hæresi 35.* qui descripsit Sireneum *lib. 1. epist. 18* vbi docet, eos oleum aqua mixtum capiti defuncti immisisse, ex quo fieri aiebant, vt defunctus à dæmonum potestate eriperetur: sed esse apertam stoliditatem, iam probauit Theophilus *tom. 15. in Heteroc. spirit. 2. p. sect. 1. punct. 10. in fine.* Nec cuilibet infirmo administrari debet hoc sacramentum, sed grauiter periclitanti febri, vulnere, vel alia infirmitate naturali: non tamen conferri debet alijs etiam existentibus in vitæ discrimine, veluti vltimo supplicio damnatis, nauigantibus, prægnantibus, & similibus. Vnde improbanda est falsa pietas quorundam Græcorum, qui hoc sacramentum conferunt benè valentibus, si illum flagitauerint in remissionem peccatorum, vt tradit Franc. Richardus *lib. de expedit. ad insulam S. Irenæi, cap. 12.* quam heteroclesin refert, & reprehendit Theophilus Raynaud. *tom. 16. in heterocl. punct. 12 fol. 164.* qui etiam reprehendit nimiam tarditatem aliquorum, qui ne mors acceleretur territo ægro, illud conferunt penè iam mortuis: cùm vt sacramentum hoc ritè administretur, debeant esse infirmi in eo statu, vt possint effectum vitæ, si illis expediat, consequi, aliàs si ita morti proximi reperiantur, vt naturaliter viuere nequeant, erit tunc petere miraculum à Deo.

COMMENTARIVM.

3 *Conclusio traditur, & probatur.* EX prima parte huius textus talis communiter deducitur assertio: *Presbyter etiam vnus potest ministrare sacramentum extremæ vnctionis.* Probant eam textus *in cap. illud, 95. dist. cap. vnic. in princip. de sacra vnct. cap. 2. de offic. Archipresb. cap. presbyteri 4. 95. dist. cap. presbyteri 123. cap. omnis 124. de consecr. dist. 4. cap. ab infirmis, in fine 27. q. 1.* Concil. Cabil. sub Carolo *can. 48.* cuius verba suprà retuli, Concil. Aquisgran. 2. sub Ludouico *part. 1. cap. 8. & p. 3 cap. 5.* Alia iuris testimonia congerit Ant. Augustinus *in epit. iuris Pont. p. 1. lib. 27. tit. 1.* Illustrant vltra congestos à Barbosa in præsenti, Layman *tom. 2. moral. lib. 5. tract. 8.* Bellarmin. *tom. 3. de extrema vnct. cap. 8.* Suarez *de sacram. disp. 43. sect. 1.* Bonacina *eod. tract. disp. 7. quæst. vnic. punct. 4.* plures congesti à Diana *part. 8. tract. 1. resol. 56* Leander *tom. 1. de sacram. disp. 4. qu. 1. & 7.* Mendo *de clauibus Petri, lib. 4. cap. 4. fol. 557.* Arcud. *lib. 5. de Sacram. cap. 3* Casal. *de ritu Eccles. cap. 32.*

Verùm hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam plures presbyteros debere sacramentum hoc administrare, constat ex epistola B. Iacobi, *cap. 5.* ibi: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ.* Quare in Ecclesia Orientali consuetudo est, vt septem presbyteri sacramentum hoc extremæ vnctionis infirmis conferant, vt ex Simeone Thessalonicensi *epist. 3. cap. 3.* & alijs probat Serarius *in opusc. de hoc sacramento, cap. 12. num. 123.* Igitur non rectè in præsenti asseritur, presbyterum tantum vnum posse sacramentum hoc administrare. 4 *Impugnatur tradita assertio.*

Qua dubitandi ratione non obstante, vera est præsens assertio, pro cuius expositione sciendum est, præmissis quæ de hac vnctione extrema adduxi *in cap. vnic. de sacra vnct.* ministrum proprium huius sacramenti esse presbyterum. Riculfus Senon. Episcopus in sua constitutione, quæ extat *tom. 24. Concil. can. 10.* ibi: *Item oportet vt presbyteri infirmos suos post confessionem, & reconciliationem oleo sancto perungant, & tunc eos communicent.* Et quamuis nomen presbyteri apud Græcos idem sonet, quod apud Latinos senior, vt probat Cæsar *de Eccles. hierarch. disp. 8. §. 1. num. 2.* & propterea sit æquiuocæ significationis, *cap. 2. de cohabit. cleric.* ibi: *Si quis sacerdotum, id est presbyter, Diaconus, & Subdiaconus, &c.* quia tamen ab Ecclesia determinatum est, vt presbyteri appellatione sacerdos comprehendatur, ideò dicendum est, ministrum ordinarium huius sacramenti esse tantùm sacerdotem, vt diffinitum est à Tridentino *vbi suprà*. Nihil tamen interest, an presbyter sit maior, veluti Episcopus; vel minor, vt simplex sacerdos: quippe sacerdotum ordo bipartitus est, vt scribit Anacletus Pontifex *epist. 3. cap. 1.* maiorum scilicet, & minorum, *cap. legimus, 93. dist. cap. presbyter 5. 95. dist.* Trident. *sess. 23. cap. 7.* Sic competit presbyteris maioribus, idest Episcopis, huius sacramenti administratio, *cap. illud, 95. dist.* Leander *de sacram. vbi suprà, qu. 3.* & quamuis Glossa *in d. cap. illud, verbo Chrismate*, existimet, Episcopos debere infirmos vngere cum chrismate, ad differentiam aliorum sacerdotum, qui oleo tantùm vtuntur, verius tamen est, Episcopos potius ministrare debere hoc sacramentum oleo tantum, vt materia ordinaria. Vander. *de sacram. tr. 4. disp. 4. q. 9.* Vnde quamuis magna detur necessitas, si non adsit sacerdos, qui infirmum vngat oleo sancto, non poterit alius etiam Diaconus sacramentum hoc administrare, vt post D. Thomam *in supplement 3. p. q. 33 art. 1. ad 2.* docent Nuño *ad D. Thomam, qu. 31. art. 2.* quicquid dicat Vualdensis *de sacram. lib. 2. cap. penult.* Sed licèt quilibet sacerdos validè conferat hoc sacramentum, licitè tamen solus Parochus, aut de eius licentia tacita, vel expressa, alius sacerdos illud administrare valet. Ratio est, nam hoc sacramentum per modum medicinæ, non per modum iudicij administratur. Trid. *sess. 14. de extrem. vnct. cap. 1. 2. & 4.* Ergo ad illud validè conferendum non desideratur iurisdictio in ministro, sed potestas ordinis: ideo autem licitè tantum illud administrat Parochus, quia administratio sacramentorum ad eum tantùm spectat, *Clem. 1. de privil. Clement. dudum, de sepultur.* Barbosa *de offic. Parochi, cap. 22* Trullench *eod. tr. cap. 7.* Ergo simplex sacerdos peccabit grauiter ministrando sacramentum hoc absque prædicta Parochi licentia vera, vel interpretatiua. Vrgente autem necessitate, & absente Parocho licitè quilibet sacerdos etiam religiosus hoc sacramentum ministrare valet, quia tunc datur licentia interpretatiua Parochi, cum credibile non sit, Ecclesiam velle infirmum priuare tanto sacramento. Sotus *in 4. dist. 23. q. 2. art. 1.* Caietanus *in summa, verbo Extrema vnctio.* Immò etiam Parocho præsente, & iniustè nolente hoc sacramentum conferre, poterit illud quilibet sacerdos etiam religiosus ministrare; nam tunc censetur concessa ab Episcopo licentia. Docent Suarez *de sacram. disp. 54. sect. 2. nu. 3.* Torriblanca *de iure spirit. lib. 2. cap. 11. num. 28.* Nec interest, quòd Parochus excommunicatus sit, aut suspensus, vt huiusmodi licentiam concedat. Syluester *in summa, verbo Extrema vnctio, qu. 4.* Possevinus *de offic. curat. cap. 9. qu. 7. num. 17.* 5 *De presbytero ministro sacramenti.* 5

Digitized by Google

*num.*17.Suarez *d.sect.*3. An verò vrgente necessitate possit ipse parochus excommunicatus licitè sacramentum hoc administrare, quærunt Moralistæ. Negant Suarez *d.sect.*3. *num.*6.Bonacina *de hoc sacramento, qu.vnic.punct.*4.*num.* 4.Villalob.*in summa, difficult.*6.*num.*6.Torreblanca *d.cap.* 11.*num.*28.Affirmant Nuño *ad D.Thomam dist.qu.*31.*art.* 3.*difficult.vnic.*Zambrana, Posseuinus, & alij, quos refert, & sequitur Diana 5.*part.tr.*3.*resol.*81.*&* 89. qui mouentur ex eo, nam in mortis articulo sacerdos etiam excommunicatus potest licitè à peccatis absoluere: ergo & extremam vnctionem ministrare. Accedit, nam tempore interdicti licitè administratur hoc sacramentum, *cap.quod in te, de pænit. & remiss.* Ergo facilius vrgente necessitate poterit ministrari à Parocho, etiam suspenso, vel excommunicato.

6 Traditur ratio decidendi. His suppositis ratio præsentis assertionis ex eo prouenit, nam cùm sacerdos sit verus, & legitimus huius sacramenti minister, non indiget alijs presbyteris de necessitate sacramenti ad eius administrationem: docuit D.Thomas *contra Gentes cap.*83. *in fin.* dum scribit: *Quia hoc sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ, competit huic sacramento, vt multi sacerdotes intersint, & vt orationibus Ecclesiæ ad effectus huius sacramenti coadiuuent: vnde D.Iacobus dicit, inducat presbyteros Ecclesiæ, & oratio saluabit infirmum. Si tamen vnus solus presbyter adsit, intelligitur hoc sacramentum perficere in virtute ipsius Ecclesiæ, cuius minister existit, & cuius personam gerit.* Hactenus D.Thomas. Accedit & alia ratio ab eodem Angelico Doctore adducta 3.*p qu.*67.*art.* 6. nempè quòd sicut principalis auctor sacramenti, qui Christus Dominus est, vna persona existit, ita minister, qui ipsum repræsentat, vna tantùm persona esse debet: non tamen potest minister huius sacramenti adhibere fœminam, vt sibi respondeat, vt probat contra Quintanaduenas Leander *tom.*1.*de sacram.q.*22.*disp.*4.

7 Dissoluitur dubitandi ratio. Nec obstat dubitandi ratio suprà adducta ex illis verbis D.Iacobi, *Inducat presbyteros.* Nam in sacra pagina frequenter sub plurali numero, non pluralis, sed singularis persona, vel personarum qualitas significatur, vt apud D.Lucam *cap.*17.ibi: *Ite, & ostendite vos sacerdotibus*; id est cuilibet de sacerdotibus. Et D.Paulus *ad Hebræos cap.* 11.*vers.*83.ait: *Obturauerunt ora leonum.* Et tamen qui obturauit ora leonum, vnus fuit, videlicet Daniel. Sic D. Matthæus *cap.*17.& D.Marcus *cap.*15. referunt latrones cum Christo crucifixos imbecillitatem illius exprobrasse; cùm tamen D.Luc.*cap.*23.*vers.*39.disertè scribat: *Vnus autem de his, qui pendebant, blasphemabat eum.* Notarunt Caietanus *ibi*, D.August.*de consensu Euangelist.cap.*56. Ioannes de Payua *in doctrin.sacr.Script.lib.*3.*cap.*2.& *lib.* 55.*cap.*41.& *lib.*17.*cap.* 40. Vnde intelligitur locus aliàs difficilis D.Matthæi, *cap.*26.ibi: *Videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes.* Vbi pluralis stat pro singulari, siquidem vnus tantùm, videlicet Iudas, indignatus fuit. Vnde cùm D.Iacobus *d.epist.*5.ait, *Inducat presbyteros*, accipiendus est, vt vocet vnum ex presbyteris. Docuerunt Soarius *in d.opusc.cap.*4.*num.*71. Suarez *de sacram.d.disput.* 43 *sect.*2.*num* 1.Filliucius *eod.tr.cap.*50.*num.*90. Nec etiam obstat mos Ecclesiæ Orientalis; nam vt rectè considerant DD. *vbi suprà*, cæteri sacerdotes præter vnum vngentem, & formam proferentem, superflui sunt, si intendant exequi, conficere, aut iterare sacramentum; quo casu grauiter peccabunt. Cæterùm si non intendant simul conficere, aut iterare, sed vnus faciat vnam, pluresue vnctiones proferendo formam, alius verò sacerdos compleat, quod defuerit, poterit tunc validè ministrari sacramentum hoc à pluribus, & quandoque licitè, veluti vrgente necessitate infirmi, vel deficiente sacerdote, qui priorem fecerat vnctionem, vt docent Henriquez *lib.*3.*Summæ, cap.*12.§.4.& *cap.*13.§.3.Suarez *d.disp.*43. *sect.*2. Macedo *de clauibus Petri, lib.*4.*cap.*4 Diana *part.*5.*tr.*3.*resol.*87.*cum seq.* post D.Thomam *in* 4 *dist.*23.*qu.*2.*quæstiunc.*2.*ad* 3. Quo modo accipi potest Græcorum consuetudo, vel potiùs, vt plures intersint, vnus quidem vt ministret, cæteri verò vt respondeant.

Sed suprà traditis obstare videtur Innocent. I. in epistola 1.ad Decentium, *cap.*8.in illis verbis: *Sanè quoniam de hoc, sicut de cæteris, consulere voluit dilectio tua, accepit filius meus Cœlestinus Diaconus, esse à dilectione tua petitum illud, quod in Apostoli Iacobi epistola conscriptum est: Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum: quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, non solùm sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua, aut suorum necessitate ad vngendum.* Hucusque verba Pontificis, quæ inueniuntur 1.*tom.Concilior.Seuerini, pag.*752.& referuntur à Beda *in cap.*6.*Marci*, & in Concilio Vuormac. *can.*62. Ex quibus deduci videtur, laicum etiam posse vngere infirmum: ergo quia presbyter tantùm non est minister huius sacramenti. Pro cuius difficultatis solutione dicendum est, Innoc. dum affirmat omnibus Christianis vti licere oleo illo in sua, aut suorum necessitate, accipiendum esse passiuè, non actiuè; ita vt mens Innocentij sit, Christianos omnes vti posse oleo in sua necessitate, non vt ministri, qui sacramentum conficiant; sed vt personæ, quibus sacramentum à sacerdotibus ministretur. Ita docuerunt Iansenius *ad caput* 6.*D.Marci*, Cornel.à Lapide *in d.epist.D.Iacobi*, Bellarm.*de extrema vnct.c.*9. Nuño *ad d.q.*35.*D.Thom art.*2.*ad* 4.Serarius *in opusc. cap.*4.*num.*72. Granados *de extrema vnct. disp* 8.*num.*2. Becanus *eod.tr. cap.*27.*qu.*9. quamuis alij minùs rectè accipiant verba illa de vnctione extra sacramentum, quos refert Arcudius *de extrema vnct.cap.*2.*&* 4. 8 Exponitur epist. Innocentii I.

§.

FEstum beati Mathiæ iuxtà consuetudinem ecclesiasticam *a* vigilia eatenus præcedat; vt nec pro bissexto, nec quolibet alio modo inter se, & solemnitatem aliam diem admittat. In qua vtique, nisi vigilia venerit in *b* Dominica die, ieiunium celebretur. Ipsum autem festum, siue fiat in præsente die, vel in sequenti, qui duo quasi pro vno reputantur, nullus error, sed Ecclesiæ consuetudo teneatur.

NOTÆ.

a *Vigiliæ.*] De qua egi *in capite* 1. *de obseru. ieiun.*

b *Dominica.*] Quo die ieiunari non potest, vt probaui *in d.cap.*1.*cap.*3.*de obseru.ieiun.*

COMMENTARIVM.

1 PRo huius textus expositione sciendum est, annum naturalem iuxta Astronomicam indagationem diuidi in menses, dies, horas, puncta, momenta, vncias, & atomos: constat verò naturalis annus, qui secundùm diuersos diuersa principia habuit, vt tradunt Ioannes de Sacrobosco *in computo ecclesiastico, tit.de anno solari*, Couarr. *lib.*4.*variar.cap.*18.*num.*4. (qui & solaris dicitur, eo quòd spatium temporis sit, quo sol circumiens totum Zodiacum, motu proprio regreditur ad idem punctum, à quo digressus fuit) 365.diebus, & vnius diei quadrante. Achilles Tacius *cap.*19.ibi: *Annus solis appellatur ab eodem signo ad idem redeuntis conuersio in* 365.*diebus, & exigua insuper parte.* Plato *in Timæo*, Censorinus *de die natali, cap.*22.Cicero *de natura Deorum*, Plutarchus *in Numa*, Galen.*ad lib.*1.*Hippocratis*, id est sex horis, quæ confusionis vitandæ gratia integræ supponuntur, cùm reuerà naturalis cursus solis eas integras, & completas non absumat, auctore Sacrobosco *vbi suprà.* Ex hoc autem sex horarum spatio, quoniam difficile erat eas cuilibet anno continuare, singulis quadriennijs dies integer collectus, & insertus fuit: quod instituisse Imperatorem Caium Iul. Cæsarem constat ex Suetonio *in eo, cap.*40.Solino *in Polihistor.cap.*3.Plutarch. *in Numa*, & *in Cæsare*, Censorino *de die nat.cap.*20.Macrob.*lib.*5.*Saturn.cap.*13.& probant Alciatus *in l.cùm bissextus, de V.S.* Bened.Ægidius *in l. Titiæ*, 3.*part.num.*33.*ff.de condit.& demonstr.* Itaque vbi quadrantes diem faciebant, quod contingit quarto quoque anno,

Digitized by Google

anno, hic dies intercalabatur, idest interserebatur, & cum praecedenti confundebatur, vt eius ratio non haberetur. Quae intercalatio hodie seruatur ex ritu Apostolico, & ex constitutione Gregorij XIII. Pont. Max. *de ordinat. tempor.* quae est 74. in ordine, *tom.* 2. *Bullarij Magni*. Intercalatio autem fiebat ex constitutione Caesaris circa festum Terminalium, nempè die 24. Mensis Februarij, vt prodit Macrobius *d. cap.* 23. qui dies 24. computatione Latina ita denotatur, *6 Kalendas Martias*. Cùm ergo additiuus dies cum illo 24. confunderetur, ita computabant veteres, cùm annus bissextilis erat, *bissexto Kal. Mart.* ex quo bissexti appellatio fluxit post intercalationem Iulij Caesaris, vt colligitur ex Macrobio, & Censorino *vbi proximè*. At verò ante Iul. Caesarem, cùm annus constaret ex statuto Numae 354. diebus, quatuordecim integri dies intercalabantur ad finem mensis Februarij, & ita eueniebat, vt cuncti hi dies cum vltimo pro eodem die supputarentur, nec numerum augerent: tunc verò non dicebatur bissextum, sed mensis intercalaris, duplici ratione. Prima, quia non fiebat intercalatio in sexto die antè Kalendas Martias, sed in posteriori die Februarij. Secunda, quia non vnus dies cum alio intercalabatur, qui efficiunt binarium numerum; sed aliquando 14. aliquando plures. Itaque bissexti appellatio fluxit à computatione Iulij Caesaris, nec ab antiquioribus Consultis cognita fuit. Quae latiùs prosequuntur Budaeus *in notis prioribus ad Pandect. in l.* 3. *§. minorem, ff. de minor.* Rosinus *lib.* 4. *antiquit. cap.* 1. Anton. Clarus Siluius *ad ll. Regias, cap.* 5. Cuiacius *in l. in vsucapionibus, ff. de vsucap.* Alber. Gentil. *de var. tempor. appellat. cap.* 4. Carranza *de partu, cap.* 12. *§.* 5. *à princip.* Aegidius Boss. *tom.* 1. *oper. moral. tit.* 2. §. 25. ex quo principio explicandi sunt textus *in l. cùm haeres* 4. *§. Stichus, ff. de statulib. l. ita* 51. *vers. aestimatio, ff. ad leg. Aquil. l. cùm bissextum* 98. *l. anniculus* 134 *ff. de V.S. l.* 2. *ff. de diuers. & tempor. l. in vsucapionibus, ff. de vsucap.* quas perdoctè illustrat D. Ioseph de Retes *in praetermissis ad tit. de vsucap.*

2 Ex suprà traditis apparet verus sensus praesentis textus; nam cùm dies S Mathiae dicata sit 24. mensis Februarijs, quaesiuit Carnotensis Episcopus ab Alexandro, cùm in anno bissextili in ea die intercalatio fiat, qua in die esset ieiunandum? Et respondit Alexander III. die 23. ieiunandum esse, non 24 siue 6. Kalend. Martij, quia illa dies festiua est, nec propter bissextum mutatur. De ipso etiam festo celebrando consuluit Episcopus Alexandrum, quonam videlicet die celebrandum esset, sexto, an bissexto, an vtroque, quia hi duo dies pro vno computantur, & in vtroque sistitur in vna, eademque littera Kalendarij, & nihil de solemni computatione immutatur, vt notatur in Martyrologio Romano? Et respondet Alexander, sublato omni computationis errore, posse celebrari alterutro ex his duobus diebus, quia pro vno reputantur; sed in hoc piae Ecclesiarum consuetudini standum esse. Ecclesia Hispana semper celebrat festum hoc die 24. forsan Ecclesia Italiae his temporibus illud celebrabat, vt hodie celebrat, die 25. quando annus est bissextilis. Vnde manarunt versus, quos adducit Glossa in praesenti.

CAPVT XV.

a Clemens III.

IN ijs, quae in se ambiguitatem continent, ad Sed. Apost. ex debito recursus habetur, ad quàm reuerà, tanquam matrem, & caput omnium Ecclesiarum, maiores, & difficiliores quaestiones ab antiquis patribus constitutum est, & moribus vtentium rectè approbatum, vsquequaque conferri debere. Innotuit siquidem Apostolatui nostro, quòd cùm de controuersia, quae inter Magistrum Matth. & conuersos Hospitalis sancti Simpliciani super eodem hospitali habebatur in praesentia V. fratris nostri O. Archiep. Mediolanen. concertatio verteretur, ipse Archiepiscopus post cognitionem causae in prolatione sententiae his verbis non fuit vsus, vt secundùm iusciuile diceret: Talem partem condemno, & talem absoluo; sed pronunciauit ita: Statuo, & praecipio, ne de caetero, & reliqua: & infra, vt expressim continetur in instrumento. Quoniam igitur, sicut ex relatione dilectorum filiorum nostrorum Corinth. tit. S. Laurentij in Lucina, & Ioann. sanctae Priscae presbyteror. Cardinalium didicimus, quos ad hoc concessimus auditores, super hoc fuit in prolatione sententiae dubitatum: Nos attendentes, quòd hoc verbum, Statuo, secundùm legem rem perfectam significat, & cum effectu, non verbo tenus accipitur: item secundùm *b* Gregorium, quod praecipitur, imperatur; & quod imperatur, necesse est fieri; & aliquando si non fiat, poenam habet: considerantes nihilominus, quòd iuxta eundem Gregorium non debet aliquis verba considerare, sed voluntatem, & intentionem, quia intentio non debet verbis deseruire, sed verba intentioni: interpretamur in praesenti articulo, & de fratrum nostrorum consilio, procuratoribus vtriusque partis praesentibus diffinimus, quòd praefati Archiepiscopi verba tali forma prolata perpetuò valiturae sententiae obtineant firmitatem. Nos itaque sententiam ipsam, licèt appellationis obstaculo hucusque fuerit impedita, praesenti pagina, cessante appellatione, confirmamus, & huius scripti patrocinio communimus, statuentes, & auctoritate Apost. praecipientes, vt ipsius hospitalis praefati fratres Abbati, eiusque successoribus obediant in perpetuum, tanquam Praelatis illis, & Dominis, sicut ipse Archiepiscopus praecepit.

NOTAE.

1 a *Clemens III.*] Ita legitur in secunda collectione, *sub hoc tit. cap. vnic.* & fuisse textum finalem illius collectionis notauit Albericus Gentil. *de libris iuris canonici, fol.* 8.

b *Gregorium.*] *In cap. quod praecipitur,* 14. *q.* 2.

COMMENTARIVM.

2 CErtum est, sententiam non aliter finem controuersiae imponere, quàm si iudex pronunciando absoluerit, vel condemnauerit reum, alioquin sententia diffinitiua nullius momenti est, *l.* 3. *C. de sent. & interl. cap. ei qui* 41. §. *diffinitiua,* 2. *qu.* 6. Hac de causa olim non aliter concipiebatur sententia, quàm per verbum condemnandi, aut absoluendi, cùm acceptis tabellis, iudex qui de causa cognoscebat, si absoluturus erat, litteram A, in vrnam mittebat; si verò condemnare intendebat, litteram C, vt iam probaui *in cap. de muliere, de sponsal.* Sed postquam tabellae sententiarum in desuetudinem abierunt, etiam sententiae concipi coeperunt non ex formula, sed liberè, prout iudicantibus meliùs visum fuit, & quibus verbis commodiùs exprimere valerent iudicium suum: & ita non sunt necessaria verba absoluo, & condemno, sed sufficiunt aequipollentia, quibus sopiatur lis, & omninò à iurgio discedatur, *l. Pomponius* 12. *§. recepisse, l. quale* 19. *§.* 1. *ff. de recept. l. in sententijs* 59. *in princip. & §.* 1. *ff. de re iudic.* vnde infertur, valere sententiam, si iudex dixerit, Scium nummos debere; licèt non dixerit, Eumque condemno vt soluat, *l. si Praetor* 75. *ff. de re iudic.* vel si dixerit, quantum ei debes reddere, *l. qui tamen* 21. *§. Pomponius, ff. de arbitr.* vel seruum in causa redhibitionis esse, *l. quaero* 58. *ff. de aedilit. edict.* vel rem alicuius esse, *l. Pomponius* 40. *§. sed & his, ff. de procurat. l. si inter me* 15. *ff. de except. rei iudic. l. vlt. ff. de haered. instit.* vel non probasti, aut calumniatus es, *l.* 1 *§. quorum, ff. ad*

Turpil.

Turpil. vel si cùm præcessisset certa præfinitio summæ petitæ, iudex pronunciauerit, Solue, quod debes, *l. quod petitum, juncta l. quid tantùm 21. §. Pomponius, ff. de arbitr. l. in sententijs 59. §. 1. ff. de re iudic.* vel si dixerit, Restitue illi, quod in codicillis, vel in testamento accepit, *l. ait Prætor 5. §. 1. ff. de re iudic.* vel si pronunciauit, nullam iniuriam Lucium Titium à Gaio Seio passum fuisse, *l. Lucius 21 ff. de his qui not. infam.* vel iniuriam aliquam fecisse, *l. Decuriones, C. ex quibus caus. infam. irrogetur*; vel falsum testamentum non esse, *l. nec tale 24. ff. ad leg. Corn. de falsis*; vel non posse ampliùs de falso testamento agi, *l. cùm Titia 18. ff. de accusat.* vel si vtatur verbo, *statuo*, vt in præsenti specie, vel verbo *videtur*, vt *in l. quid tamen 21. §. 1. ff. de arbitr. l. 3. ff. de his, quæ in testam. delent. l. Diui 27. §. vlt. ff. de lib. caus. l. cùm quidam 26. ff. de iure fisci, l. 1. §. quæri potest, ff. ad Turpil. cap. de cætero, de re iudic.* Probaui in apparatu ad hæc commentaria; immò si iudex pronunciet absoluendum aliquem esse, vel condemnandum; licèt non adiecerit, *illumque condemno, vel absoluo*, tamen optimo iure sententia tenet, vt deducitur ex lege *Æmilius 38. ff. de minoribus*, ibi: *Quia tamen lex commissoria displicebat ei, pronunciauit in integrum restituendam*. Et probatur ex validissima ratione; nam illa verba, *condemnandum pronuncio*, non significant sequi posteà debere condemnationem ab alio iudice faciendam, sed talia esse merita processus, vt reus debeat condemnari: quam opinionem tenuerunt antiquiores cum Glossâ, quos refert Grassus *in l. 1. n. 19. ff. de re iudic.* Sarmiento *lib. 1. select. in cap. 14. num. 2.* Osualdus *lib. 27. Donel. cap. . littera E*: quamuis contrariam sententiam defendant plures classici apud eundem Sarmientum *vbi proximè*, Marant. *in specul. tit de sent. 6. part. num. 15. & 125.* Vantius *de nullit. ex defectu processus, num. 91.* qui audent asserere, plures sententias nullas declaratas fuisse ob prædictum defectum: quare forsan hodierna praxis obseruat, vt in sententijs addatur: *Fallo que le debo condenar, y condeno.* Quasi non sufficerent priora, nisi posteriora quoque sequerentur. Quæcunque enim verba significantia condemnationem, vel absolutionem, sufficiunt ad valorem sententiæ, vt ex præsenti textu constat, & ex *§. curare*, vbi Iaso, *Instit. de act. l. 2. 5. & 15.* vbi Greg. *gl. 8. tit. 22. part. 3.* latiùs prosequuntur Duar. *in l. in sententijs 59. ff. de re iudic.* Donel. & Osualdus *vbi suprà*, Treutl. *volum. 2. select. disp. 23. thesi 2. litter. A*, Pichardus *in manud. in prælud. § 2. num. 17.* Matienzo *in dialog. relat. 3. part. ex cap. 36.* Azcuedo *in l. 10. tit. 17. lib. 4. Recopil.* vnde apparet, rectè in præsenti Clementem docuisse sententiam prolatam per verbum *statuo*, validam fuisse.

C A P V T XVI.

Idem *Patriarchæ* a *Gradensi*.

OLim tibi scripsisse recolimus, vt si dil. f. Archipresbyter, & Canonici Paduani, quibus super hoc scripta nostra direximus, dil. f. M. G. Canonico Paduano præbendam, quæ tantùm residentibus de communi confertur, sicut vni ex alijs de communibus prouentibus, & *b* manualia beneficia, omni dilatione postposita non conferrent, tu eos ad id appellatione cessante compelleres. Verùm quia, sicut nostro Apostolatui referatum est, quidam mandatum nostrum interpretari aliter, quàm deceat, moliuntur, cùm beneficia principalia sint interpretanda largissimè: volentes à mandato nostro dubietatem auferre, non quæstionis scrupulum reseruare, vt quæ mandamus, diligentiùs, & liberiùs exequaris, nostrum tibi in eo aperiendum duximus intellectum. Videlicet, quòd præbendam, quæ tantùm residentibus in victu, & vestitu de communi confertur, ipsi Mag. G. plenè, sicut vni ex alijs residentibus, iniunximus conferendam. Quocirca f. t. per A. s. m. quat. in negotio ipso malitiosam interpretationem aliquam non attendens, sic quod de præfato Magistro tibi præcipimus, sublato cuiuscumque appellationis obstaculo, exequi studeas diligenter.

N O T Æ.

a GRadensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub *tit. de rescript. cap. 7.* De Gradensi Patriarcha egi *in cap. ex litteris, de offic. deleg. cap. antiqua, de priuileg.*

1 b *Manualia.*] Idest distributiones quotidianas, vt *in cap. vnic de cleric. non resid. lib. 6.* & probaui *in cap. licèt, de præbend.* Sed tunc obstat illa non leuis difficultas; nam quod potest concedi priuilegio, potest induci consuetudine, & è contrà, *cap. duo, de offic. Ordin. cap. super quibusdam, §. præterea, de V. S.* iunctis latè traditis à Felino *in cap. accedentes, à num. 6. de præscript.* Couarr. *lib. 1. variar. cap. 10. num 14.* Sed consuetudine introduci non potest, vt absens, & non residens in propria Ecclesia, lucretur distributiones quotidianas, *d. cap. vnico, de cleric. non resid.* igitur nec priuilegio concedi potest absenti ius percipiendi distributiones. Cui difficultati succumbens Probus *in d. cap. vnic. num. 1. vers. Ex quibus*, docet Summum Pontificem non posse dispensare cum absente à propria Ecclesia; vt percipiat distributiones quotidianas, quia talis dispensatio, vtpotè contra naturam ipsarum distributionum, repugnantiam includeret, iuxta textum *in cap. cùm ad monasterium, de statu monach.* Verùm hæc sententia facilè refellitur, siquidem huiusmodi distributiones non sortiuntur prædictam naturam ex iure diuino, aut naturali; sed tantùm ex Ecclesiæ constitutione, vt probaui *in cap. cùm omnes, de constit.* quo casu plenissimam habet Pontifex dispensandi facultatem, *cap. proposui, de concess. præbend.* Vnde concessum legimus à Paulo III. & Pio V. Inquisitoribus hæreticæ prauitatis, eorum ministris, & commissarijs, vt non solùm fructus suarum præbendarum, verùm & distributiones quotidianas, dum rebus fidei inseruiunt, percipiant, vt referunt, & explicant Roias *de priuil. Inquisit. num. 420.* Spino *in speculo, gloss. 3. princip. n. 78.* Barbosa *ad Concil. Trident. sess. 24. de reform. cap. 12.* & *de canonicis, & dignit. cap.* . Solorzanus *tom. 2. de iure Indiar. lib. 3. cap. 24. num. 78.* Villaroel *tom. 1. regim. Eccles. qu. 5. art. 5.* Azor, Castropalao, Garcia, & Lother. quos refert Thomas Hurtado *part. 1. de resid. resol. 3. per tot.* Idemque Auditoribus Sacræ Rotæ concessum esse à Clemente VII. refert Barbosa *ad Trident. d. num. 48.* Quare omissa prædicta sententia, vt difficultati satisfaciamus dicendum est, principium illud, videlicet parem vim habere priuilegium, & consuetudinem, procedere data æqualitate rationis; in præsenti verò casu magnam adesse differentiæ rationem, quia scilicet quando priuilegium conceditur contra naturam alicuius actus à lege instituti, quædam cognitio solet præcedere, quæ ad id faciendum inducat, *cap. requiritis, vers. Nisi rigor, 1. qu. 7.* quæ manifestè cessat in consuetudine contra naturam actus, ac proinde non decebat, hanc vim consuetudini deferre, prout in alijs multis denegata est, vt *in cap. Messana, de elect. cap. clerici, de iudic.* In quibus tamen casibus licitum est priuilegium, exponit glossa communiter recepta *in cap. Imperium, 10. dist. cap. præter 26. verbo Duabus, 32. dist.*

C O M M E N T A R I V M.

CVm Innocentius III. mandasset Capitulo Paduano, vt Magistro G. præbendam, & manualia (quæ tantùm residentibus dari solebant) conferrent, ipsi malitiosè gratiam ipsam interpretantes, asserebant se non teneri mandatum adimplere, quia ipse Magister non residebat, & in ipso rescripto expressè caueбatur, vt illi præbendam conferrent, quæ vni ex residentibus assignari solebat. Et cùm consultus fuisset Innocent. pro explicatione ipsius gratiæ, rescribit, quòd cùm beneficium Principis latissimè sit interpretandum, dicto Magistro præbenda, quæ tantùm residen- 2 Conclusio traditur, & probatur.

residen-

residentibus in victu, & vestitu assignatur, erat conferendai ex qua decretali sequens communiter deducitur assertio: *Beneficium Principis latissimè est interpretandum.* Probant textus *in cap. si quem, §. præuaricator, 2. qu. 3. cap. frater, 16. qu. 1. cap. 1. de auctor. & vsu pal. cap. cùm dilecti, de donat. cap. ex parte, de decimis, cap. quia circa, de priuil. cap. si quem, §. notandum, 2. qu. 3. cap. visis, 16. qu. 2. cap. pastoralis, de donat. l. beneficium, ff. de const. Princip. l. 1. ff. de iure immunit.* Illustrant vltra congestos à Barbosa *in præsenti*, Duarenus *ad tit. de constit. Princip. cap. 3.* Donel. *lib. 1. comment. cap. 29.* Connanus *lib. 1. comment. cap. 16. num. 6.* Rebuffus *de priuil. schol. priuil 32. num. 12.* Menochius *lib. 3. de præsumpt. præsumpt. 97. num. 19. & præsumpt. 103. num. 21.* Mantica *de coniect. lib. 8. tit. 6. num. 11. & de tacit. tit. 4. num. 57.* Valascus *consult. 58. num. 11.* Sanchez *lib. 2. de matrim. disput. 4. num. 33.* Rebellus *de iustit. 2. part. lib. 1. de contract. qu. 2. sect. 1.* Suarez *lib. 8. de legib. cap. 27. n. 9.*

3 Impugnatur tradita assertio.

Sed hæc assertio difficilis redditur sequenti iuris consideratione; nam beneficium, seu priuilegium contra ius concessum, non latè interpretari, immò restringi debet, *cap. 1. & 2. de filijs presbyt. lib. 6. cap. quod dilecto, de consanguin. & affin.* Sed beneficium, de quo in præsenti, contra ius commune concessum fuit; siquidem secundùm ius commune præbendæ, quæ in victu, & vestitu consistunt, tantùm diuinis officijs interessentibus, non verò absentibus assignari possunt, *cap. vnic. de cleric. non resid. lib. 6.* igitur in præsenti casu beneficium Pontificis latè interpretari non poterat. Accedit, nam collatio præbendarum ad Capitulum spectat, vt probaui *in cap. 1. ne Sede vacante.* Igitur cùm ex ampliatione præsentis beneficij magnum præiudicium irrogaretur Canonicis, non ampliandum, immò potiùs restringendum beneficium videbatur, iuxta legem *quoties, Cod. de precib. Imper.* Deinde principium illud ab Innocentio adductum, videlicet beneficium Principis latissimè esse interpretandum, difficile videtur, siquidem varijs iuris testimonijs docetur, beneficium Principis strictè interpretari debere, vt *in l. 2. §. si quis à Principe, & §. meritò, ff. ne quis in loco publico, l. si quando 35. in princip. Cod. de inoffic. cap. final. de præb. l. sæpè, ff. de officio Præsid. Authent. de non alienandis, §. quia verò, collat. 2.* Ergo non rectè in præsenti docetur, beneficium Principis latissimè esse interpretandum.

4 Traditur ratio decidendi.

Qua difficultate oppressi repetentes in præsenti, varias interpretationes adduxerunt præsenti decisioni. Glossa *in præsenti* recurrit ad voluntatem Pontificis, asserens ideò in terminis huius textus latissimè fuisse factam interpretationem, quia sic Innocentius voluit. Verùm hunc Glossæ intellectum meritò improbauit Panormitanus hic, quia Summus Pontifex ferè semper respondet iuxta ius commune, *cap. in causis, de re iudic.* Vnde in præsenti casu, si beneficium ab eo concessum repugnabat iuri communi, ab eo non ampliari, immò restringi debebat: quare ipse Panormit. sequitur alium Glossæ intellectum, videlicet in præsenti casu beneficium non iuri communi contrarium, immò secundùm ius fuisse, quia Magister hic absens erat in seruitio Episcopi, vel Pontificis, & sic iuxta ius commune debebat pro præsente iudicari, iuxta tradita *in cap. 7. de cleric. non resid.* & ita cum iuri communi conforme esset, debebat ampliari potiùs quàm restringi, *ex l. fin. ff. de const. Princip.* Deinde Glossa, & Abbas fatentur, priuilegium, de quo in præsenti, esse quidem contra ius commune; ideo autem in eo fieri latissimam interpretationem, quia constabat de intentione Pontificis volentis huic Magistro, etsi non resideret, prouidere tanquam residenti, vt apertè colligitur ex illis verbis, vbi Pontifex iubet isti canonico prouideri sicut vni ex alijs residentibus. Sed ijs sententijs omissis, veriùs dicendum est, in præsenti specie ideò latissimam fieri interpretationem, quia non agebatur de priuilegio, sed de mandato de prouidendo, quod ex motu proprio Summi Pontificis emanauit, ideò latissimè est interpretandum, iuxta textum *in cap. si pluribus, de præbend. in 6.* Aliter dicendum est, si mandatum illud simpliciter concessum esset, quoniam tunc vt odiosum strictè erat interpretandum iuxta textum *in cap. quamuis 4. eodem tit. de præbend.*

Vnde non obstat dubitandi ratio suprà adducta, siquidem in præsenti non de priuilegio, sed de mandato de prouidendo agitur, in quo interpretatio non est strictè facienda. Nec obstat, quòd etiam in hoc mandato præiudicium Canonicorum versatur, quia ipsi de iure communi poterant præbendam conferre, ideòque mandatum esse odiosum: quoniam respondetur hoc non esse considerabile, quando Summus Pont. concedit simile mandatum, quia ipsi Pontifici competit suprema beneficiorum dispensatio secundùm idem ius commune, *cap. 2. de præb. lib. 6.* Nec obstat augmentum ipsius difficultatis deductum ex varijs vtriusque iuris locis, in quibus docetur, priuilegium Principis strictè esse interpretandum. Pro quorum solutione, & concordia cum alijs, in quibus contrarium docetur, dicendum est, discrimen esse constituendum inter priuilegium, seu beneficium, quod alicui conceditur cum tertij præiudicio; & inter illud priuilegium, quod aliquid præter ius continet, ex quo nulli præiudicium sequitur. Primo casu quodlibet beneficium, seu priuilegium strictè interpretandum est, *l. penult.* cum alijs suprà adductis, *de constit. Princip.* Secundo verò casu amplè, & plenissimè interpretandum est in eodem casu, vel persona, de qua loquitur, non verò extra casum, vel personam in beneficio expressam, vt iam notaui *in cap. 7. de priuil.* 5 Dissoluitur dubitandi ratio.

CAPVT XVII.

Idem *Colubriensi, & alijs Episcopis in Regno Portugalliæ constitutis.*

CVm in partibus vestris, peccatis exigentibus, sæpè contingat diuersa loca interdicto supponi, quando generale, vel particulare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium reuocari; cùm illi, qui ab Ecclesia Romana decorari priuilegio meruerint, videlicet vt cùm generale interdictum terræ fuerit, liceat eis clausis ianuis, non pulsatis campanis, exclusis excommunicatis, & interdictis, suppressa voce diuina officia celebrare, interdicto particulari se asserant non arctari, asserentes illud interdictum generale dumtaxat, quando regnum, vel saltem prouincia tota subijcitur interdicto, propter quod & iustitia sæpiùs deperit, & Prælatorum sententiæ contemnuntur, cùm in alijs prouincijs interdictis diuina celebrent, & suspensis organis aliorum, ipsi pulsatis campanis, & apertis ianuis, quoslibet passim recipiant ad diuina. Ne autem diuersa interpretatio discordiæ causam inter vos vlteriùs, & odij fomitem valeat ministrare, vel quod interdictum dici debeat generale, amodò in dubium reuocetur, significatione vobis præsentium intimamus, quòd cùm in priuilegijs de regno, vel prouincia nihil expressè dicatur, nomine terræ non solùm regnum, vel prouinciam intelligi volumus, verùm etiam *b* villam, & castrum, vt & in his locum habeat, quod de generali dicitur interdicto, videlicet, vt cùm villa, vel castrum generali subijcitur interdicto, præscripta priuilegij forma debeat obseruari.

NO-

NOTÆ.

a *COlubrienſi.*] Ita etiam legitor in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.1.* & in ipſo regeſtro epiſtolarum correctū à Sirleto, *fol.266.* De Colubrienſi Eccleſia egi *in c.8. de procurat.*

b *Villam, & caſtrum.*] Conſonant textus *in cap. præſenti, cap. ſi autem, hoc tit. in 6.* & probat Gibalinus *de cenſur. diſq 1. q 2. n.24.* Et hanc, & alias diuiſiones interdicti adduxi *in cap. cùm inter, de conſuet.* vbi, & *in c.2. de his, quæ fiunt à Prælatis,* & *in cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.* plura de interdicto adduxi.

CAPVT XVIII.

Idem a *Altiſſiodorenſi Epiſcopo.*

CVm tibi de benignitate Sed. Ap. ſit indultum, quòd ordinatio rerum clericorum ab inteſtato decedentium liberè in tua poteſtate, ac diſpoſitione permaneat, volens omnem materiam ſcandali remouere, quod aliquando inter te, & tuos eſt ſubortum, ſuper duobus nos conſulere voluiſti. Primò, an appellatio vocabuli clericorum, tam ad canonicos, quàm ad non canonicos extendatur. Secundò, an illi, qui in voluntate, & diſpoſitione alterius ſuam committunt vltimam voluntatem, nihil per ſe penitus ordinantes, vel determinantes quid cui loco, vel perſonæ conferri debeat, dicantur decedere inteſtati. Primæ igitur conſultationi tuæ duximus reſpondendum, quòd appellatio clericorum non ſolùm alios, ſed & canonicos comprehendat. In ſecunda verò dicimus, quòd qui extremam voluntatem in alterius diſpoſitione committit, non videtur decedere inteſtatus.

NOTÆ.

a *ALtiſſiodorenſi.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. cap.2.* & *in cap. tibi, de teſtam.* vbi extat alia pars huius textus, vbi de hac conceſſione facta Epiſcopo Altiſſiodorenſi, egi *in cap. cùm tibi, de teſtamentis.*

CAPVT XIX.

Idem *Capitulo, & Præpoſito* a *Placentino.*

CVm clerici Placentini iuramentum præſtant ſub hac forma verborum: Ego talis ab hac hora in antea fidelis *b* ero & obediens ſanctæ Placentinæ Eccleſiæ, & Domino meo Placentino Epiſcopo; per veſtras nos litteras conſulere voluiſtis, verùm intelligi, debeat Clerus totius diœc. an Capitulum tantùm Eccleſiæ Cathedralis? Nos igitur diſc. v. reſpondemus, quod per Eccleſiæ Placen vocabulum in forma iuramenti præſcripti non debet intelligi totius diœceſis Clerus: & ſi Capitulum intelligatur Eccleſiæ Cathedralis, is tamen, qui præſtat huiuſmodi iuramentum, Epiſcopo tanquam capiti principaliter obligatur.

NOTÆ.

a *PLacentino.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.3.* De Eccleſia Placentina nonnulla adduxi *in c. fin. de iuram. calum.*

b *Fidelis ero.*] Iuxta formam fidelitatis, & obedientiæ, quam debent clerici proprio Epiſcopo præſtare, de qua egi *in cap. ego, de iureiur. cap. ex diligenti, de ſimonia.*

CAPVT XX.

Idem *Priori ſancti* a *Fridiani Lucan.*

QVærenti quid per cenſuram eccl. intelligi debeat, cùm huiuſmodi clauſulam in noſtris litteris apponimus: reſpondemus, quòd per eam non ſolummodò *b* interdicti, ſed ſuſpenſionis, & *d* excommunicationis ſententia valeat intelligi, vt iudex diſcretus, rerum, & perſonarum circumſtantijs indagatis ferat, quam magis viderit expedire.

NOTÆ.

1 a *SAncti Fridiani.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.4* & *in cap. quærenti, de offic. deleg.* vbi extat alia pars huius Decretalis, vt iam notaui.

2 b *Interdicti.*] De qua cenſura egi *in cap. cùm inter, de conſuet. c.2. de his quæ fiunt à Prælat. cap. quod in te, de pœnit. & remiſſ.*

c *Suſpenſionis.*] De qua cenſura egi *in c.1. & 3. de cleric. excom.*

d *Excommunicationis.*] Tam minoris quàm maioris, de quibus egi *in c. ſignificauit, de ſent. excom.*

COMMENTARIVM.

3 PRo huius textus expoſitione ſciendom eſt, irregularitatem cenſuram noo eſſe, quia irregularitas in genere ſuo non eſt vinculum, ſententia, nec pœna, ſed inhabilitas, & canonicum impedimentum contractum aliquando ſine culpa: *c. ſi quis viduam, 50. diſt.* & ex præſenti textu deducitur, probaturqne ex eo, quia cenſura in productione eſt ſententia, & medicina reſpiciens vt ſuum vltimum finem obſtinatis ſanitatem, & reditum in ſemitam rectam, *c. audi 11. q.3. c.1. de ſent excom. lib.6.* Irregularitas verò non dicitur medicina, cùm non præſupponat opus peccaminoſum, immò aliquando meritorium, quo gratia acquiritur; io eſſe tamen deducta cenſura ſeparat à participatione ſacrameotorum, & communione fidelium, *c. Engeltrudam, 3. q.4. c.1. de re iudic.* Hæc irregularitas tantùm priuat ab Ordinum ſuſceptione, exercitioque. Differt in remotione, quia cenſura tollitur abſolutione, irregularitas verò diſpenſatione. Trid. *ſeſſ 14. c.7.* & *ſeſſ.24 de reform. c.4.* Nec contrarium probat textus *in c. nuper, de bigamis,* vbi cùm agatur de irregularitate, quæ prouenit ex bigamia, dicitur, clericum de facto contrahentem matrimonium eadem cenſura credi irretitum; nam verbum illud *cenſura,* accipitur pro rigore ſacrorum canonum, vt docent Butrius, & Anania *in præſenti.* Circa eam verò irregularitatem, quæ ex delicto naſcitur, dubium eſt apud Doctores. Negant omnes repetentes *in præſenti,* Suarez *de cenſur. diſp.1. ſect 3.* Sylueſt. *verbo cenſura,* & alij apud Dianam *p.1. tract.11. reſol.27.* Mouentur

primò ex præsenti textu, vbi cùm omnes censuræ species referantur, nulla irregularitatis mentio fit. Deinde quia irregularitas tantùm priuat ordinis susceptione, censura verò etiam receptione aliorum sacramentorum Rursus quia irregularitas non parit aliam, si irregularis celebret; sed qui alia censura ligatus celebrar, irregularis manet, *c.1. c.si celebrat, de cleric. excom.* Ergo quia irregularitas censura non est. Tandem, nam censura tollitur absolutione, irregularitas verò dispensatione: ergo quia censura non est. Contrarium verò, scilicet irregularitatem ex delicto prouenientem esse censuram, tenuerunt Thomistæ, Bañes, & Aragon *ad 2.2. D Thomæ, q 64. art.8.* Sotus *in 4. dist.22. q.3.* alij, quos laudat, & sequitur Gibalinus *de irregul. c.1. q.2.* Cùm enim similis irregularitas sit pœna ob delictum inflicta, & priuet vsu bonorum spiritualium, quid mirum si appelletur censura. Qua sententia retenta, etsi contrariam non improbabilem dicat Diana *suprà, tract.11. resol.27.* non obstant fundamenta prioris sententiæ; nam ea omnia tantùm probant irregularitatem esse diuersam speciem censuræ, non tamen non esse censuram. Nec etiam obstat præsens textus, in eo enim tantùm asseritur, in rescriptis Pontificijs irregularitatem non comprehendi nomine censuræ, quia licèt censuræ species sit, tamen nunquam censetur appellatione censuræ venire, nisi specialiter id exprimatur ob grauitatem pœnæ, & quia ex stylo Curiæ obseruatũ fuit. Deinceps, nam in præsenti textu, iuncta alia eius parte, quæ extat *in cap. quærenti, de offic. deleg.* agitur de censuris imponendis ab homine, hoc est à iudice delegato. Sed irregularitas ab homine imponi non potest. Igitur Innocentius accipiendus est ita, vt appellatione censuræ, quæ ab homine imponi potest, irregularitas non comprehendatur, quia illa à iudice delegato imponi non valet. Nec obstat, quòd irregularitas non priuat his, quæ alijs censuris irretitis denegantur; illud enim tantùm probat, non dari eosdem effectus in irregularitate, ac in alijs censuris; non tamen inde infertur, irregularitatem censuram non esse; nam suspensio licèt non priuet nisi tantùm rebus spiritualibus, vt excommunicatio; est tamen censura, vt in præsenti textu docetur. Nec obstat, quòd irregularitas non producat aliam irregularitatem, vt parit censura: nam id non prouenit ex eo quod irregularitas censura non sit, sed quia ligatus alia censura priuatus est tantùm rebus spiritualibus, & adhuc capax manet recipiendi sacros ordines: qui verò irregularis est, iam non habet ampliùs quod amittat, quamuis ex alijs causis possit etiam fieri irregularis, quia hæc tota res moralis est. Vnde ex varijs causis proficisci potest hoc impedimentum, vt probat Gibalinus *de irregul. dicto c.1. q.2.* Nec quod de solutione irregularitatis DD. contrariæ sententiæ adducebant, aliquid facere potest, fatemur enim irregularitatem dispensatione superioris tolli, non tamen concessa tempore alicuius iubilei facultate absoluendi à quibuscumque censuris, confessarius potest absoluere ab irregularitate, quia id expressè inhibitum est à Gregorio XIV. anno 1590. & Clemente VIII. anno 1592. & anno 1597. vt referunt, & probant Trullench *in bullam, lib.1. c.2. §. 7. dub. 7.* P. Mendo *eod. tract. disp.25. c.19.* Cuius differentiæ ratio ex eo prouenit, quia cùm irregularitas sit maior pœna, & ita difficilior in solutione, *cap. cùm illorum,* iuncta glossa *verbo Minori, de sent. excomm.* ideò concessa generali facultate absoluendi à censuris, non censetur concessa potestas dispensandi in irregularitate, vt docet Borgasius *de irregul. c.6. n.19.* Regulares verò Prælati possunt virtute suorum priuilegiorum in ijs irregularitatibus, quæ ex delicto occulto proueniunt, præcipuè in illis, quæ ob violationem censuræ contrahunt, dispensare, vt probant Fragoso *de regim. Christ. Reip. tom.2. lib.11. disp.24. §.7.* Basseus *in floribus Theolog. verbo Casus reseruatus, §. 7. num. 29.* Bordonus *in consil. regul. tom. 1. resol. 6. n.10.* Diana *part.9. tract.8. resol.50.*

CAPVT XXI.

Idem a *Cæsaraugustano Episcopo.*

QVid per noualis vocabulum intelligi debeat, à no bis tua fraternitas requisiuit. Licèt autem quidam dixerint, quòd nouale sit terra præcisa, quæ anno cessat, alijs asserentibus, quòd ex silua, quæ arboribus exstirpatis ad cultum redigitur, fieri nouale dicatur, quarum vtraque interpretatio ex ciuilibus legibus colligitur: Nos tamen inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod eam credimus prędecessorum nostrorum intentionem fuisse, cùm pijs locis indulgentiam de noualibus concesserunt, vt nouale intellexerint agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, quòd aliquando cultus fuisset: sed nec de quolibet tali nouali credimus eis indulgentiam fore concessam, nisi de illo dumtaxat, cuius decimas religiosus potest conuentus absque graui detrimento parochialis Ecclesiæ detinere, cùm talis sit sæpè locus incultus, de quo parochialis Ecclesia magnos percipit decimarum ratione prouentus.

NOTÆ.

a CÆsaraugustano.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. 5.* de Cæsaraugustana Metropoli egi *in cap. dudum 31. de priuil.*

CAPVT XXII.

Idem *Abbati de* a *Alcobatia, & F. & P. Monachis Alcobatiæ.*

VEnerabili fratre nostro N. Colimbriensi Episcopo didicimus conquerente, quod cùm fratres sanctæ *b* Crucis monasterium de Arganil sub protectione sua nuper receperint, quod suis prædecessoribus Episcopalia iura consueuerat ab antiquis temporibus exhibere, nunc quodam de Canonicis suis sine suo consensu ibi facto Priore, occasione cuiusdam priuilegij à bonæ memoriæ Clem. Papa prædecessore nostro veritate tacita impetrati, eidem Episcopo debitam obedientiam denegat exhibere, inde sumpta occasione, quòd per matricem Ecclesiam non *c* Cathedralem intelligunt, sed Romanam. Quia verò non est nostræ intentionis, vt iura fratrum nostrorum temporibus nostris indebitè minuantur, causam ipsam vobis duximus committendam, per scripta Apostolica mandantes, quatenus si vobis aliud non occurrerit, propter quod dictus Prior non debeat diœcesano Episcopo respondere, eum ad præstandam dicto Episcopo debitam reuerentiam, sicut prędecessoribus Episcopis præstiterunt, appellatione remota, per censuram Ecclesiasticam compellatis. Nos enim per matricem Ecclesiam Cathedralem intelligere volumus, non Romanam, non obstante priuilegio in præiudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quòd si non omnes, &c. Datum Romæ, &c. III. Kal. Iunij.

NOTÆ.

a ALcobatia.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap.6.* & in Regestro epistolarum Innocentij edito à Sirleto, *fol.101.* De hoc monasterio Alcobatiæ egi *in cap. de rescr.*

b *Fratres sanctę Crucis.*] De quibus Canonicis regularibus,

laribus, & controuersijs cum Colimbriensi Episcopo egi *in c.14. de priuil.*

2 c *Cathedralem.*] Ecclesia Cathedralis propriè appellatur matrix, quia mater, magistraque est omnium Ecclesiarum dioecesis; vnde lato modo Ecclesiæ, quæ sub se alias habent, dicuntur matrices, vt probant Azor *p.2. instit. lib.3 c.12 q.13.* & *lib.9. c.3.* Barb. *in c. ad audientiam, num.7 de decimis:* quomodo Ecclesia matrix accipitur *in c. ad audientiam, el 2. de Eccles. ędific. c. ex transmissa, de prescript. cap. prętere a, el 2. de transact. Clement. s de sent. excom.* Propriè tamen, & strictè Ecclesia matrix tantùm Cathedralis dicitur, nisi qualitas materiæ aliud expostulet, vt in præsenti docetur, & *in c. ex transmissa, de prescript.* Illustrant Rebuffus *de decimis quęst. 6. num. 6* Moneta *eod tract. c.7. n.3.* Sayrus *in thesauro, lib.3 c.33.* Tondutus *part. s. resol. canonic. c.46 num.10.* Barbosa *in clement. 1. de sent. excom.* Frances *de Eccles. Cathed. c.15 n. 175.* Et Romana Ecclesia, quæ omnium est mater, prima matrix appellatur, Cathedrales verò respectu illius secundæ matrices, respectu verò totius Episcopatus, primæ appellantur. Glos. *in l. decernimus 15. verbo Matrices, C. de sacr. Eccles.* Prosequitur Frances *vbi proximè.*

C A P V T XXIII.

Idem *Abbati Sanctæ a Genouefæ, Decano, & Cancellario Parisiensi.*

EX parte in Christo dilectæ filiæ nobilis mulieris Comitissæ *b* Blesenen. nuntij ad nostram præsentiam destinati sibi postulauerunt audientiam exhiberi, vt audiremus iniurias, quas ei, & suis infert Ecclesia Carnotensis, quibus, & dilecto f. S. Beco Canonico Carnotensi, qui pro ipsa stabat Ecclesia. dil. fil. R. tituli S. Anastasiæ Præsbyt. Cardin. dedimus auditorem, in cuius præsentia proposuerunt nuntij Comitissæ, quòd cùm ipsius Comitissæ *c* Præpositus de Firmitate de Villanoua quendam latronem ceperit, qui furtum commiserat, & iustitia fuerit inde facta, latro fuit à Comitissæ *d* Balliuis per Capitulum Carnotense post factam iustitiam requisitus, quia Capitulum in terra sua captum fuisse dicebat; asserentibus Balliuis è contrà, ipsum fuisse captum in terra, in qua ius capiendi latrones, & alios malefactores habet eadem Comitissa; quoniam vir eiusdem antequam signaculum crucis assumeret, erat in possessione iuris illius, vt in illo loco, in quo captus ab ipso Capitulo dicebatur, huiusmodi iurisdictionem haberet: quod erant probare parati. Verùm cùm super hoc parendi iuri sufficientem cautionem offerrent, canonici Carnotenses nihilominus terram eiusdem Comitissæ fecerunt per Diuien. Archid. interdicto supponi, qui postmodùm requisiti, vt ab eis sufficienti cautione recepta iuri parendi, terram absoluerent, eam recipere noluerunt, nisi prius solueretur emenda. Consequenter ven. f. n. Carnotensis Episcopus super hoc requisitus, & per litteras Metropolitæ sui monitus diligenter, vt terram Comitissæ taliter absolueret, sicut de iure poterat, & debebat, idem à Capitulo iamdicto prohibitus hoc facere recusauit: dicebat enim Capitulum, hoc in Carnotensis Ecclesiæ *e* priuilegio contineri, quòd nemini liceat excommunicatis, vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus, absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere. Videntes autem nuntij Comitissæ, quod data cautione absolui non poterant, vt deberent, tam super hoc, quàm alijs causis inter Comitissam, & Capitulum agitatis, Metropolitani audientiam appellarunt, tam ipsam Comitissam, quàm terram, & Balliuos eius sub eius protectione ponentes. *Et infra:* Metropolitanus autem cùm partes essent in die præfixa præsentes, priuilegio diligenter inspecto, testes hinc inde recepit, quibus ab officiali examinatis ipsius, & die partibus iterùm assignato, procurator Comitissæ cum instantia postulabat publicari attestationes receptas, ex abundanti de iure parendo sufficientem offerens cautionem, vt relaxaretur sententia interdicti: sed procurator Capituli è contrario allegabat, quòd iamdicti priuilegij ratione ab ipso terra non poterat, nec debebat absolui, nisi priùs Capitulo facta fuisset emenda, interpretando verbum illud, quod in priuilegio continetur, videlicet, satisfactione congrua, pro emenda. Litigato igitur diutiùs super huiusmodi clausula, interloquutus est Metropolitanus iamdictus, se velle huiusmodi expositionem Ap. examini reseruare, & super hoc diem partibus assignauit. *Et infra:* Ad intelligentiam autem clausulæ priuilegij memorati credimus distinguendum, vtrùm in aliquem interdicti, excommunicationisque sententia sit prolata ex contumacia tantùm, quia scilicet citatus stare noluit iuri; vel etiam pro offensa, quia videlicet iussus noluit maleficium emendare. In primo casu credimus congruè satisfieri, vt huiusmodi sententia relaxetur, si sufficiens standi iuri cautio tribuatur. In secundo verò casu, si offensa est manifesta, non credimus congruè satisfieri, vt huiusmodi relaxetur sententia, nisi sufficiens priùs præstetur emenda. Si verò dubia est offensa, sufficere credimus ad relaxandam eandem, si parendi mandato competens cautio præbeatur.

N O T Æ.

a SAnctę Genouefę.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.7.* De hoc monasterio adduxi nonnulla *in c. P. & G. de offic. deleg.*

5 b *Prępositus.*] Iudex videlicet, seu gubernator; nam etiam Magistratus sęculares Præpositi appellari solent, vt probaui *in c.5. de ętate & qualit.*

c *Blesenensis.*] Rectiùs in hac sexta collectione legitur *Blesensis:* Carnotensis enim Prouincia olim suos habuit Comites; nam Theobaldus Ledgardis Viromandensis maritus, eorum stirpem propagauit, ex cuius posteris defuncto sine liberis Theobaldo iuniore Comite Blesensi & Carnotensi, Mathildis Ambasiæ Domina in Comitatu successit, de qua in præsenti agitur; & ea sine prole obeunte, Comitatus deuenit ad Ioannem Castilioneum Comitem Blesensem, ipsius hæredem, vt refertur *in Gallia Christ. tom.2. fol.480.*

d *Balliuis.*] Balliuus apud Gallos idem significat ac officialis, & plerumque accipitur pro Prætore, seu iudice; quare & officium ipsum ballinia solet appellari. Probant, & illustraot Lindembrog. *in Glossario legum antiq. verbo Balliuus,* Ioannes Vossius *de vitijs serm. lib.2. c.3* & notaui *in c.8. de confirm. vtili.*

e *Priuilegio.*] Carnotense enim Capitulum eximijs est decoratum priuilegijs à Sede Apostolica, inter quæ illud refertur, quòd nemini licet anathemate damnatum absoluere, nisi priùs damni æstimatione pensata, ac danno satisfacto ipsi Capitulo, vt refert Renatus Chopin *lib.1. sacr. pol. tit.2. n.4.* Cuius priuilegij mentio fit in præsenti textu. 3

C A P V T XXIV.

Idem *Comitissæ a Blesensi.*

CVm olim pro Canonicis Carnotensibus quoddam Capitulum contra te fuerat allegatum, quod dicebat in Ecclesiæ suæ priuilegijs contineri, vt videlicet nemini liceat excom-

Digitized by Google

municatis, vel nominatim interdictis pro Canonicis Carnotensibus, absque congrua satisfactione absolutionis beneficium indulgere. *Et infra*: Quia verò dum aniam soluimus, nodum dicimur ligauisse, propter hoc, quod eisdem Canonicis, velut asseris, proponentibus, illam esse offensam manifestam, non quæ iudici, nec quæ alij, sed sibi tantummodò manifesta videtur, maior ex illa dictione, videlicet Manifesta, scrupulus quæstionis emersit. Tuis igitur humilibus precibus inclinati, offensam nos rescribimus intelligere manifestam, quæ vel per confessionem, vel probationem legitimam nota fuerit, aut euidentia rei, quæ nulla possit *b* tergiuersatione celari.

NOTÆ.

a *Omitissa Blesensi*,] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. c.* 8. Textus hic spectat ad casum textus præcedentis.

b *Tergiuersatione.*] Vt probaui *in cap. euidentia, de accusat.* vbi exposui, quando quid dicatur manifestum, vel notorium.

CAPVT XXV.

Idem *Episcopo, & Cantori a Atrebatensi.*

ABbate Sancti *b* Siluani Altiacen. olim viam vniuersæ carnis ingresso, cùm eiusdem loci monachi elegissent quendam de ipsius gremio in Abbatem, & eiusdem confirmationem electionis à bon. mem. Morinen. Episcopo nequiuissent aliquatenus obtinere, per procuratorem suum confirmationem ipsius à Sede Apost. petierunt. Cæterùm procurator monasterij S. *c* Bertini proposuit ex aduerso, quòd cùm secundùm approbatam consuetudinem, & priuilegia Rom. Pont. Abbates Altiacen. debeant de monasterio S. Bertini semper assumi, huiusmodi electio erat non immeritò reprobanda, vtpotè contra consuetudinem diuturnam, & priuilegia Sed. Ap. attentata; & Altiacen. monachi debeant de iure compelli, vt de monasterio beati Bertini personam idoneam sibi eligant in Abbatem. *Et infra*: Nos igitur depositionibus testium coram delegatis à nobis iudicibus productorum diligenter inspectis, inuenimus sufficienter esse probatum, quod à 40. annis, & infrà, monachi Altiacen. Abbatem sibi de S. Bertini monasterio elegerunt, ita quod infrà præscripti temporis spatium de præfato Cœnobio 7. fuerunt in Altiacenses Abbates assumpti *Et infra*: Et cùm quadam vice Garmum Altiacen. monachum elegissent, eius electio robur habere non potuit, donec apud monasterium S. Bertini possessione facta, post aliquantulum temporis, quando scilicet eiusdē loci Abbati, & conuentui placuit, in Altiacen. extitit Abbatem assumptus. Ex priuilegijs quoque Rom. Pont. monasterio S Bertini concessis argui poterit euidenter, Altiacen. Abbatem fore de S. Bertini collegio eligendum. Nimirum priuilegio fel. rec. Paschalis Pap. præd. n. huiusmodi capitulum apparet insertum: Subrogationem Abbatis penes monasterium S. Siluani apud Altiacen. iuxta præteriti temporis morem, in vestra semper concedimus dispositione persistere. Cuius verbis bon. mem. Innocentius Pap. præd. n. prorsus inhæsit. In priuilegio quoque *d* Calixti II. Papæ huiusmodi capitulum inuenitur: Porrò iuxta Domini præd. n. sanctæ mem. Paschalis Pap. decretum, Abbatis subrogationem penes Altiacen. non aliunde, quàm de vestro monasterio fieri, Ap. auctoritate decernimus. Ad hæc autem pars aduersa respondit, quod si euidenter per depositiones testium probaretur, quòd infrà prædicti temporis spatium de monasterio S. Bertini semper fuerit Altiacen. assumptus; ex hoc tamen nullum Altiacen. monachis præiudicium parabatur, cùm hoc non necessitate aliqua factum fuerit, sed ex libera voluntate. *Et infra*: Sed nec dici poterat, quod ex eo consuetudo aliqua quasi contradicto iudicio fuerit introducta, si de prædicto mon. extitit in memorati Guarini electione processum, cùm illud pro bono pacis factum extra iudicium dignoscatur. *Et infra*: Præterea cùm Pasch. Pap. subrogationem Abbatis S. Siluani monasterio S. Bertini iuxta morem præteriti temporis concedendam, nec de præteriti temporis more, seu consuetudine fiat fides, per eius priuilegium, & similia, super hoc nullum Altiacen. monasterio poterat præiudicium generari. Contra quod fuit ex aduerso responsum, quod hæc determinatio secundùm præteriti temporis morem, & casualis, & conditionalis potest intelligi; & tam ad personale, quàm impersonale verbum referri. Si enim impersonale verbum determinet, conditionalis intelligitur, & talis est sensus: Concedimus subrogationem Abbatis sancti Siluani apud Altiacen. in vestra semper dispositione consistere, secundùm præteriti temporis morem, idest si mos præteriti temporis talis fuit. Si verò verbum determinet personale, causaliter debet intelligi, vt sit sensus: Concedimus secundùm præteriti tēporis morem, idest quia mos præteriti temporis sic obtinuit, subrogationem videlicet Abbatis sancti Siluani apud Altiac. in vestra semper dispositione consistere. Hic autem sensus rectior esse videtur, quia cùm priuilegium sit lex *e* priuata; & lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta; nec esset priuata, nisi aliquid *f* specialiter indulgeret: profectò sic intelligenda sunt illa verba, vt res, de qua agitur, valere possit potiùs, quàm perire, maximè cùm supradictus Calixtus Papa, qui eidem Paschali è vicino successit, verbis æquioribus vsus, determinationem illam prorsus amouerit, vt ambiguitas tolleretur; & quod dicebatur in concessione Paschalis, videlicet, vt subrogatio Abbatis S. Siluani apud Altiacen. in dispositione Abbatis, & fratrum sancti Bertini semper existeret, ipse mutauerit, decernens subrogationem illius Abbatis non aliundè, quàm de sancti Bertini monasterio faciendam, vt electio ad ius commune posset ex vna quidem parte educi; eadem quoque verba sic esse interpretanda subsequens consuetudo declarat, quæ perhibetur esse legum interpres. His igitur, & alijs ad eandem causam spectantibus diligenter auditis, & perspicaciter intellectis, de consilio fr. n. monasterio sancti Bertini adiudicauimus huiusmodi dignitatem, vt quotiescumque in Altiacensi monasterio Abbatis electio imminet facienda,

Altia-

Altiacen. monachi de cœnobio ſancti Bertini perſonam idoneam ſibi eligant in Abbatem, ita videlicet, vt tamdiù monaſterium ipſum hac honoris debeat prærogatiua gaudere, *g* donec ibidem viguerit obſeruantia regularis, vt idoneę perſonę inueniantur in illo, quę poſſint in Abbates aſſumi.

NOTÆ.

1 a *ATrebatenſ.*] Ita etiam legitur in tertia collectione, *ſub hoc tit. c.* 10. De Atrebatenſi diœceſi iam nonnulla adduxi *in cap.* 13. *de arbitr*

b *S. Siluani.*] Monaſterium hoc S. Siluani Altiacenſe eſt in Germania, in diœceſi Morinenſi, cuius initium, & erectionem refert Iperius *in chronico ſuo Bertinenſi*, ibi: *Lambertus Abbas noſter* (Bertinenſis videlicet) *Ordinis D. Benedicti, duabus primarijs Eccleſijs huius diœceſis, ſcilicet Morinenſi, & Sitbienſi reformatis, ad vicinas Eccleſias reformandas mentem intendit, opportunitatem nanciſcens nunc ex Eccleſiarum vacationibus, nunc ex monachorum diſſenſionibus, Anno itaque* 1101. *Eccleſiæ Altiacenſi conſtructæ anno* 1072. *(cui de iure, conſuetudine, ac priuilegio conſueuit, & debet ex iſto monaſterio Abbas prouideri,) Lamberto Abbate defuncto, Odonem Cluniacenſem monachum, virum exemplarem, ad ordinem hunc reformandum pridem miſſum, Abbatem præfecit.* Vnde conſtat, monaſterium hoc Ordinis D. Benedicti, olim diœceſis Morinenſis, nunc Audomarenſis fuiſſe; & ſimul eius Abbatem eligendum eſſe ex monaſterio ſancti Bertini, vt refertur in Gallia Chriſt. *tom.* 4 *liter. A. fol.* 27. & refert Mireus *de cœnobijs Belgicis, c.* 40.

c *Sancti Bertini.*] Etiam monaſterium hoc Ordinis eſt D. Benedicti, in vrbe Audomacopolitana Artheſiæ, olim Morinenſis diœceſis, antiquitus Sitienſe monaſterium dictum, cuius originem, & progreſſum referunt Aubertus Mireus *de cœnobijs, c.* 4. auctores Galliç Chriſt. *tom.* 4. *litera B, fol.* 171. 2

b *Calliſti II. Alexandri III.*] Nam cùm ab Abbate monaſterij S. Bertini fundatum, & reformatum fuiſſet monaſterium ſancti Siluani, meritò tam conſuetudine, quàm priuilegijs Romanæ Eccleſiæ introductum fuit, vt ex monaſterio ſancti Bertini Abbas ſancti Siluani eligeretur, cùm in vtroque monaſterin eadem Regula D. Benedicti obſeruaretur; quod & in alijs monaſterijs frequentiùs obſeruatur, vt iam notaui *in cap.*. 3

e *Lex priuata.* Probaui *in c.* 1. *de priuil.*

f *Specialiter indulgeret.*] Conſonant textus *in cap. de bis, de priuil. cap. ſi Papa, eod. tit. in* 6. aliàs eſſet inutile, & ſuperuacaneum, & quaſi otioſus actus: quod de Principis beneficio præſumendum non eſt. Vnde fit, debere priuilegij effectum eſſe aliquo modn diuerſum ab effectu iuris communis, vt explicat Suarez *de legibus, lib.* 8. *c.* 22. 4

g *Donec ibidem.*] Vnde ceſſante diſciplina regulari in monaſterio Berthinenſi, ceſſaret & priuilegium hoc, iuxta tradita à Suarez *de legibus, lib.* 8. *c.* 33. *per totum.*

CAPVT XXVI.

Idem *Comiti a Toloſano.*

SVper quibuſdam mandutorum articulis tibi à bon. mem. Milone notario noſtro, tunc temporis Ap. S. L. factorum apud quoſdam dubitatione ſuborta, tua deuotio explicari poſtulauit à nobis, qui ſiot dicendi hæretici manifeſti? Super quo tibi duximus reſpondendum, illos in hoc caſu manifeſtos hæreticos intelligendos, qui contra fidem catholicam publicè prędicant, aut profitentur, ſeu defendunt errorem; vel qui coram Prælatis ſuis *b* conuicti ſunt, aut confeſſi, vel ab eis ſententialiter condemnati ſuper hæretica prauitate: quorum bona propria *c* confiſcantur, & ipſi iuxta legitimas ſanctiones *d* puniuntur. Præterea cùm pedagia, guidagia, & ſalioaria tibi Legatus interdixerit memoratus, auctoritate præſentium duximus declarandum, illa eſſe *e* pedagia, *f* ſalinaria, & guidagia interdicta, quæ non apparent *g* Imperatorum, vel Regum, vel Lateran Concilij largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine, à tempore cuius non extat memoria, introducta. *Et infra*: Cùm autem à Legato receperis in mandatis, vt de te conquerentibus ſecundùm ſuum, vel alterius Legati, vel iudicis ordinarij, vel delegati arbitrium iuſtitiam exhiberes: hoc taliter intelligendum eſſe cenſemus, vt in omni cauſa, quæ ratione *h* perſonarum, vel rerum, quæ ad eccleſiaſticum forum pertinent, ac ſuper vniuerſis capitulis, quæ pro *i* pace ſeruanda ſunt per dictum Legatum ſtatuta, vel auctoritate Apoſtolica ſtatuenda, item k viduis, pupillis, orphanis, & perſonis miſerabilibus tenearis in iudicio eccleſiaſtico reſpondere.

NOTÆ.

1 a *TOloſano.*] Ita etiam legitur *in c.* 1. *hoc tit. in* 4. *collect.* Raymundo videlicet; Toloſæ enim Comitum dignitas apud Hiſtoricos illius Regni celebratus vſque ad annum 1249. quo defunctus eſt Raymundus vltimus Comes, pater Ioãnę vnicę filię ex Sancia Aragonia, hæredi Alſonſi Comitis Pictauienſis, ſancti Ludouici fratris nuptæ, quibus ſine prole defunctis, Toloſæ comitatus Gallicæ coronæ adcreuit, vt refertur in Gallia Chriſtiana *tom.* 1. *fol.* 671. De hoc Raymundo in hæreſim lapſo egi *in cap. fin. de hæreticis.*

b *Conuicti, aut confeſſi.*] Vt probaui *in cap.*. *de hæreticis.*

c *Confiſcantur.*] Iuxta tradita *in cap. vergentis, de hæreticis.*

d *Puniantur.*] Vt probaui *in c. ad abolendam, de hæreticis.*

e *Pedagia.*] Pedagia, quæ tributa dicantur, expoſui *in cap. innouamus, de cenſibus*, vbi huius textus caſum retuli.

2 f *Salinaria.*] Vt hoc vectigalis genus cognoſcamus, ſciendum eſt, ſemotis Regnorum inſtitutis, ſalinas ex iure communi poſſe ad priuatos iure dominij ſpectare, *l. magis puto* 5. §. 1. *ff. de rebus eorum*, ibi: *Sed & ſi ſalinas habeat pupillus, idem erit dicendum.* Loquebatur de oratione Seueri, quæ prohibuit alienationem prædij ruſtici vel ſuburbani, quod proprium eſt pupilli. Sic *in l. generali* 32. *§. vxori* 2. *de vſufruct. legat.* ex facto proponitur, maritum legaſſe vxori ſuæ vſumfructum domorum, & omnium rerum, quæ in his erant, fundorum, & ſalinarum: ergo in teſtatoris iure, & dominio erant ſalinę, non minùs quàm fundi, & ædes. Nec minùs expreſſus eſt textus *in l. forma* 4. §. *ſalinæ* 7. *ff. de cenſibus*, in illis verbis: *Salinæ ſi quæ ſunt in prædijs, & ipſæ in cenſum deferendæ ſunt.* Ergo ſalinæ in prædijs priuatis exiſtentes priuati iuris ſunt. Facit ea ratio, nam commoda naturæ, & locus, vbi ſal conficitur, impedimento non ſunt, quo minus in dominio priuatorum conſiſtat, ſi in poſſeſſione propria creſcat. Deinde cùm ex aqua plerumque efficiatur, quæ communis eſt, & per ius naturale occupanti cedit, conſequens eſt, vt in loco nullius inuentum cedat illi, qui priùs occupauit: natum verò, coctum, aut confectum in loco priuato, priuati fit; in loco publico, Principis maneat.

E conuerſo *in l. inter publica* 17. *§.* 1. *ff. de verb. ſignific.* docemur ad publicum pertinere vectigal ſalis: & *in l. ſed & ij* 13. *de publicanis*, publicanos appellari, qui conductum habent hoc vectigal ſalis, vel ſalinas pacto 3

vectigali: & *in l. liber homo 59. §. 1 ff. de hæred. instit* proponitur ex facto Titius hæres institutus, ex qua parte socius erat in vectigali salinarum: videturque institutus ex illa ipsa parte, quam habebat in societate vectigalis, veluti 46. &c. Igitur negari non potest, etiam iure Digestorum, quando minus subactum erat ius gentium, salinas publicas fuisse, & publicos redditus inde collectos. Cuiacius *lib. 3. obs. c. 31.* notauit salinas, & publici, & priuati iuris fuisse: multi Authores apud Alexandrum *in l. diuortio 8. num 4. ff. solut. matrim.* Barbosam ibi, *ex num. 27. vers. Iuxta hæc*, & Georgium Cabedum *decis. Lusit. 53. tom. 2* & *decis. 81. num. 2.* Græphium *de iure publico cap. 36.* & cum pluribus Solorz. *polit. Ind. lib. 6. cap. 3. pag. 945.* distingunt salinas natas in priuato loco, à natis in publico, vt illæ priuati, hæ publici iuris sint: quæ distinctio rationem habet, & ex textibus Digestorum explicandis concinna est, cùm perfectè non sciamus, an aliquid specialiter receptum, vel introductum fuisset circa publicandas salinas, vel vectigal imponendum priuatis: sed quatenus inde perpetuum ius deducunt ad omnia tempora, & regna, commentitium est: quare decidenda res erit speciali iure, vbi illud viguerit, vel vbi consuetudine contrarium receptum sit.

4 Sed vt ab historia salis, & salinarum ius apud Romanos deducamus, in primis constat, Ancum Martium Regem sex millia modia salis populo in congiarium dedisse, & primùm salinas instituisse, vt refert Plinius *lib. 31. natural. histor c. 7.* Nihil aliud narrat Plinius, sed ex Dionysio *lib. 2. antiquit. c 88 ex partit. Syluargij*, dicere possumus, salinas has fuisse, quas ad ostia fluminis Vejentes habuere, quasque victis ademit Romulus Pater Gentis vnà cum agro Tiberi contiguo, qui vocabatur *Septempagui*; cum quibus iterùm rebellantibus Ancus conflixit, & easdem salinas, & oppida cepit, retinuitque, vt idem est auctor *lib. 3. c. 134. in fine*. Tributum verò salis fuisse sub Regibus, & sub nascente libertate, disertè probatur ex Liuio *lib 2. ab V. C. c. 9.* ex partitione Godelebæi, vbi mouente pro Tarquinijs bellum Larte Porsena, Rege Clusino, Romamque infesto exercitu veniente, ex quo terror magnus PP. Inuasit, ne plebs metu percussa Reges reciperet, multa blandimenta eis Senatus dedit: inter alia placuit, portorijs, & tributo plebem liberari, vt soli diuites conferrent, qui oneri ferendo essent. *Salis quoque vendendi arbitrium, quia impenso pretio venibat in publicum, omni sumpta ademptum priuatis*. Sententia ex loco non facilè constat, quia malè habet vitio librariorum. Hadrianus Turnebus *lib. 4. aduers. cap. 2.* tentat, & ita legit. *Omni sumptu adempto concessam priuatis*. Vel ita interpungit: *Venibat in publicum omni sumptu ademptum priuatis*. Nonius, quem sequi videntur illustratores Liuij apud Godelebæum, addit, *sine omni sumptu*. Ego sine tantorum Criticorum opinionum præiudicio sic leuiter muto, *in publicum omne sumptum*, vt sit sensus, quia propolæ salis magno vendebant, arbitrium vendendi salis ademptum omninò fuit priuatis, & sumptum in publicum, vt Respublica, quæ portoria, & vectigalia non pendebat, liberaliùs viliori pretio, aut gratis plerùmque salem plebi daret. Non ergo possumus negare vectigal, aut portorium antè solutum fuisse à priuatis ex venditione salis. Noto ex hoc loco, Publio Valerio iterùm, & T. Lucretio Coss. monopolion salis primùm Romæ institutum fuisse, non compendij causa, sed in plebis vtilitatem. Posteà M. Cornel. & P. Sempronio Coss. exhausto ærario bello Carthaginensi, quo Annibal Italiam pressit & ferè oppressit, alter ex Censoribus Marcus Liuius, cui ob hoc facinus Salinatoris inditum cognomen fuit, vectigal etiam nouum ex salinaria annona statuit: sextante sal, & Romæ, & per totam Italiam erat: Romæ pretio eodem, idest sextante, locauit: pluris locauit in foris, & conciliabulis, & alibi alio pretio mancipibus locauit. Quo vectigali valde oneratæ fuerunt tribus, præsertim rusticæ. Hæc ex eodem Liuio *lib. 29. ad finem*, siue *cap. 37.* Noto per Censores locatas fuisse salinas mancipibus, siue conductoribus publicis, vt præstituto pretio venderent. An monopolium duraret, an hæ salinæ fuissent natæ in locis publicis, pro certo non ausim affirmare. Paulus Æmilius profligato bello Macedonico, licèt Macedonia nondum in formam prouinciæ redacta, Dardanis commercium salis permisit, Macedonibus vti sale inuecto vetuit. Idem *lib. 45. cap. 29.* Durauit forsan, aut perseuerauit Liuij Salinatoris commentum vsque ad Iulij Cæsaris tempora, qui vt plebem sibi deuinciret, lege agraria de diuisione agri Campani lata, omnia portoria, omnia tributa toti Italiæ remisit, præter vicesimam rerum venalium, vt colligitur ex Cicerone *lib. 2. ad Atticum, epist. 16* incipit: *Cœnato mihi*. Inde apud eundem in oratione de lege Manilia, siue pro Pompeio ad Mithridaticum bellum Imperatore deligendo, cùm sæpe queratur de interceptis à Rege vectigalibus, quæ Respublica opulentissima in Asia habebat, sic ait: *Quo tandem animo, Quirites, esse existimatis, aut eos, qui vectigalia vobis pensitant, aut eos, qui exercent, atque exigunt; cùm duo Reges cum maximis copijs prope adsint? cùm vna excursio equitatus perbreui tempore totius anni vectigal auferre possit? cùm publicani familias maximas, quas in salinis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodijs, magno periculo se habere arbitrentur*. Turnebus, & Hothomanus tentant hunc locum emendare, sed immeritò: vulgarem literam retinet Buleng. *de vectig. cap. 21* ex quo loco deducere licet, salinas Asiæ omnes omninò in prouincijs vectigalibus existentes, ad ærarium populi relatas, redactasque fuisse, & per publicanos administratas: quod forsan & in alijs prouincijs præter Italiam vsuuenit, siue in agris, siue in portubus; idest, siue in locis priuatis, siue in publicis, nullasque dominio priuatorum fuisse permissas. Per contrarium in Italia fortè post legem agrariam Iulij Cæsaris in solo priuato natas priuati iuris fuisse non malè probat allusio Ciceronis *lib. 7 famil epist. penult.* omnis enim allusio, siue metaphora de vero venit. Ita ergo scribit: *Quibus in literis omnia mihi periucunda fuerunt, præter illud, quod parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur*. Et hæc sunt, quæ possum dicere de iure salis à primordio Vrbis vsque ad Gentilium Imperatorum sæcula, & Iurisconsultorum, quorum responsa in Pandectis habemus, vt secundùm hæc scire possimus, qualiter sal ad priuatos pertinuisset, vel publici iuris esset.

5 Successit Christianorum Principum tempus, sub quo Arcadius, & Honorius AA relati *in l. si quis 11. Cod. de vectigal. & commissis*, monopolium salis instituere, & sibi reseruarunt hoc regale, vt nemo priuatus emendi, vendendiue salis facultatem haberet, nisi mancipes salinarum, publicani, & publici salis conductores, pœna pretij, & salis amissionis imposita, si contrafecerint, vt censuit Pancirola *lib. 3. var. c 31. tit. de vectig. salin.* distinctiùs quàm Buleng. *lib de vectig cap. 21.* & quàm Cuiac. *lib. 3. obseru. cap. 31* Quod etiam in Italia valuisse disertè mihi probat synchronus Symmachus *lib. 10. epist. 58.* vbi queritur, quòd publici salis mancipes ad paucos redacti, necessitatis publicæ molem ferre non possent; & consultatio est de Vrbis, Italiæque mancipibus. Notemus inde, quàm alio animo monopolium hoc salis institutum fuisset, quàm primum sub nascente libertate: illud introductum fuit ad leuandam, deliniendamque plebeos; hoc ad fisci compendia augenda. Arcadij constitutionem comparat Alciatus *in l. inter 17. §. 1. de V. S.* Liuij Salinatoris locationi in censura factæ; nescio tamen an tunc omne commercium salis priuatis fuisset interdictum, an Salinatoris prouidentia tantùm ad salinas publicas spectauerit: vtut sit, & antiquissimum esse apud aliquas gentes hoc institutum, & receptum sequentibus sæculis, docent veteres relati à Barbosa *in d. l. diuortio 8 §. si vir, num. 29. ff. solut. matrim.* Brecheus *in d. l. 17. §. 1. num. 35.* In Galliaque seruari tradunt Prateius *de verb. iuris, verbo Salinæ publicæ*, Cuiacius *d. lib. 3. obseru. cap. 31.* ex quo Bernardus Gomez *tract. de sale, 2. part. c. 37.* Paulus Castr *lib. 1. consil 63. in fine*, Regnerus Sixtinus *de regal. lib. 2. cap. 19.* Cabedo *2. tom. decis Lusit 53.* Solorzanus *d. lib 6. cap. 3. pag 945.* & *2 tom. de iure Indiar. lib. 1. cap. vnic. ex num. 19 & 34.* Larrea cum multis *alleg. fiscali 77. num 7.* meritò docent, salinas ad patrimonium Principum pertinere, siue vt ipsi soli monopolium salis exerceant, siue vt priuatis vendere salem, vel efficere permittant, imposito tributo, quod secundùm consuetudines receptas, vel municipales leges intelligendum est de facto potiùs, quàm de iure naturæ; nempe quia in plerisque regionibus, & apud plerasque gentes ita obseruatur, non quia natura salis ea sit, vt præcisè cedat Principibus vbicumque efficiatur, vel inueniatur. Nec

con-

contrarium probat textus *in c.1. quæ sint regalia in vsibus feudorum*, vbi ad regalia pertinere dicitur sal: nec Innocentius III. in præsenti, dum rescribit, salinarias ad Reges, & supremos Principes pertinere, vbi Comites, Barones, & cæteri vassalli specialem concessionem non ostendunt; quia vterque textus intelligendus est suppositis consuetudinibus, quæ in partibus vigent; & legibus, per quas salinariæ redactæ sunt in patrimonium Principum, etiam quæ non nascuntur in fundis publicis, vel principalibus; nulla enim naturalis ratio est, quæ Principibus attribuat iure proprietatis ea, quæ in priuato fundo nascuntur, vel quæ per naturam communia sunt cuicumque occupanti. Idem in nostro Regno obseruatur. Elegans primò extat constitutio Alphonsi Sapientis *in l. 11. tit. 28. part. 3.* vbi transcribens textum *in d. cap. 1. quæ sunt regalia*, sancit, vel docet Rex vectigalia ex salinis ad patrimonium regale spectare: ex quo existimo, textum Friderici eodem modo accipiendum esse, & de eodem vectigali salinis imposito, quia non valdè tempore distat constitutio Alphonsi à Friderici constitutione: & Partitarum compositores Azonis discipuli non ignorarunt mores retrò anteacti sæculi. Ergo non constat ex his duobus locis, monopolium salis inductum fuisse in Imperio, vel in nostro Regno, nec interdictum priuatis fuisse salis commercium. Posteà Alphonsus XI. in comitijs Regni apud Complutum, quorum caput hodie extat *in l. 8. tit. 1. lib. 6. Ordin.* quæ est lex 2. *tit. 13. libro 6. Compil.* salinas omnes in publicum patrimonium redegit; quæ lex adeò generaliter loquitur, vt intelligi non possit de natis in locis publicis, sed de natis vbiuis, vt censet cum iudicio Azeuedus *in l. 3. tit. 18. lib. 6. Recopil. ex num. 10.* quidquid aliter distinxerint Gregorius, & Didacus Perez in præcitatis textibus. Postmodùm Philippus Prudens *in l. vlt. tit. 8. lib. 9. compil.* priuatis commercium salis interdixit, & monopolium instituit, vt ex textu ipso liquet. In Gallia non solùm per Reges exactum fuit vectigal salis, Continuator Vrspergensis *anno* 1343. ibi: *Hoc tempore Philippus Galliarum Rex intelligens lucri bonum odorem in quauis re esse, tributum salis instituit, argutum inuentum, quo nemo liber à tributo esset: hinc enim Regibus quotannis pecunia ingens penditur.* Verùm & per Comites, in quorum ditionibus salinæ erant, vt de Raymundo Comite Tolosano in præsenti refertur; & constat, eum huius vectigalis tenacissimum fuisse exactorem, ex priuilegio emunitatis Castro Belicardi ab eo concesso anno 1217. in quo oppidanis omnia vectigalia remittuntur, dempto pedagio salis. Refert Altesserra *de Ducibus, cap 3.*

6 g *Imperatorum, vel Regum.*] Quorum proprium est tributa indicere, vt vltra congestos à Barbosa in præsenti, probant Suarez *de legibus lib. 5. cap. 18.* Alfaro *de offic fiscal gloss 20. § 3. n. 48.* Solorzanus *embl. 82.* vbi eruditè probat modum in tributis seruandum, & causas, ex quibus tributa indici valent. Et licèt illi tantùm olim saluumconductum concederent, Symmachus *lib. 10. epistola 36.* Cassiodorus *lib. 4. var. c. 41.* & *lib. 7. c. 39.* Duces tamen, ac Comites etiam saluumconductum, quod nomine guidagiæ in præsenti ponitur, concedere solebant, vt de Comite Engolismensi refert Guillelmus Britto *Philip. 6.*

Nec saluum præstare viris, pendente querela
Conductum, iuris vt postulat ordo, volebat.

Et Ildebertus Cenomanensis profecturus ad Concilium prouinciale, conductum exposcit à quadam Comitissa apud Carnotensem *epist. 26. Conductum, sicut fertur, prouidisti ad Concilium profecturo; quod si ita est, præfatæ gratiæ beneficium mihi communices exoro.* Iuxta quem morem saluumconductum suis præstabant Comites Tolosani, vt ex præsenti textu probat Altesserra *de Ducibus lib. 3. cap. 16. per totum*, dum accipit verbum *guidagia*, pro securitate viarum præstanda.

h *Personarum.*] De quarum immunitate egi *in cap. clerici, de iudic.*

i *Pace seruanda.*] Quo casu etiam inter supremos Monarchas Ecclesia iurisdictionem exercere valet, *cap. nouit*, vbi probaui, *de iudic.*

k *Viduis.*] Iuxta tradita *in c. ex diligenti, de foro compet.*

CAPVT XXVII.

Idem *Episcopo a Parisiensi.*

Nouimus expedire, vt verbum illud, quod in antiquis canonibus, & in nostro quoque decreto contra falsarios *b* edito continetur, vt videlicet clericus per ecclesiasticum iudicem degradatus sæculari tradatur *c* Curiæ puniendus, apertiùs exponamus; cùm & quidam antecessorum nostrorum super hoc consulti diuersa responderint, & quorundam sit opinio à pluribus comprobata, vt clericus, qui propter hoc, vel aliud *d* flagitium graue, non solùm damnabile, sed damnosum, fuerit degradatus, tanquam exutus priuilegio clericali, sæculari foro per consequentiã applicetur, cùm ab ecclesiastico foro fuerit proiectus: eius enim est degradatio celebranda præsente sæculari potestate, ac prænuntiandum est ei, cùm fuerit celebranda, vt in suum forum recipiat degradatum: & sic intelligitur Curiæ tradi sæculari, pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter *e* intercedere, vt citrà mortis periculum circa eum sententia moderetur. Pro illo verò falsario clerico scelerato, quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi duximus consulendum, vt eum in perpetuum carcerem ad agendam pœnitentiam includas, *f* pane doloris, & aqua angustiæ sustentandum, vt commissa defleat, & flenda vlteriùs non committat.

NOTÆ.

1 a *Parisiensi.*] Ita etiam legitur in quarta collectione, *sub hoc tit. cap. finali.* De diœcesi Parisiensi egi *in cap. finali de constit.*

b *Edito.*] *In cap. ad falsariorum, de crimine falsi:* cuius ipse Innocentius meminit in epistola statim referenda.

c *Tradatur Curiæ.*] De qua traditione Curiæ sæculari facienda egi *in c. cùm non ab homine, de iudicijs.*

d *Flagitium.*] Ob quod degradandus est clericus, etiamsi incorrigibilis non sit, veluti ob crimen hæresis, seu assassinij, vt exponit Fachineus *lib. 2. controu. cap. 29.*

2 e *Intercedere.*] Cuius pij moris intercedendi pro eis brachio sæculari tradendis, rationem retuli *in cap. ad audientiam, de hæretic.*

3 f *Pane doloris, & aqua.*] Consonat idem Innocentius III. *lib. 4. regestr. 16. epist. 10.* vbi Lundensi Archiepiscopo A. S L. ita scribit:] Per tuas nobis literas intimasti, te quendam falsarium in vinculis detinere, qui Sedis Apostolicæ mentiens se Legatum, nomine, ac officio Episcopi vsurpatis, in multis Pontificale præsumpsit officium exercere. Super quo tibi rescribi desideras nostræ beneplacitum voluntatis. Nos igitur solicitudinem tuam in Domino commendantes, fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus quidquid factum est taliter ab eodem, denuncians habendum illud pro infecto, ipsum sicut charam habes gratiam diuinam, & nostram, perpetuo carceri facias mancipari, pane doloris, & aqua angustiæ sustentandum. De alijs verò, qui sicut asseris, suspecti habentur de crimine falsitatis, diligenter inquiras, & quos inueneris esse tales, punias appellatione remota secundùm constitutionem à nobis editam ad falsariorum malitiam confutandam.] Quamuis enim carcer ad custodiendos reos introductus sit, *cap. quamuis, de pœnis lib. 6* probant plura de carceribus cumulantes Pantoxa *in l. 1. n. 5.* & in

& *in l. fin. nu.21. de aleator.* Pancirola *lib.1. var. cap.41.* Amaya *in l.2. Cod. de exact. tribut.* Pinto *in spicileg.c.26. n.1.* Sauarus *ad Sidonium lib.7. epist.1. verbo Carceres*, Poletus *lib.5. hist. for. Rom. c.11.* Lara *de capel. lib.1. c.22. n.26.* Petrus Greg. *lib.31 syntag. c.33.* & *lib.4. partit. tit. 15. c.4.* Zerda *de visit. carcer. c.3.* Bobadilla *lib.3. polit. c.15.* Salgado *de Regia protect. 2. part. c.4. n.122.* tamen Ecclesia consueuit aliquando homines sceleratos carceri in perpetuum, vel ad tempus mancipare, *cap. excommunicamus, §.1. de haereticis, Clement.1. ff. porrò, eod. tit.* Concil. Matiscon.1. *can.5.* vbi de clericis profanas vestes induentibus ita cauetur: *A seniore ita coerceatur, vt 30. dierum inclusione detentus, aqua tantùm, & pane modico diebus singulis sustentetur.* Aquisgran. *can.134. Sit locus intra claustra canonicorum, sicut in multis locis noscitur esse, quò ad tempus retrudantur, & secundùm modum culpae castigentur.* Probant Salcedo *in praxi, c.124.* Lantdmeter. *lib. . de veteri monac. cap. fin* Gibalin. *de clausur. regul. disq.2. c.4. ff.7.* etsi iure ciuili attento liber homo ad perpetua vincula damnari non possit, *l. mandati 35. ff. de poenis: l. incredibile est, l. seruus 10. Cod. eod. tit. l. si quis filio 6. vers. de Decurione, ff. de iniusto rupto:* vbi ratio assignatur, & probant Cuiacius *lib.14. obs. c.34.* Faber *in Iurisprud. tit 11. princip.5. illat.5.* Petrus Gregor. *lib.31. syntag. c.33. n.24.* Simanc. *de Catholicis, tit.16. num.14.* Valenzuela *contra Venetos part.3. n.22.* & carceres, quibus clerici includebantur, peculiari nomine Diaconicae, vel Decanicae appellabantur, *l.2. Cod. Iust. de haeret. l.30. Cod. Theodos. eod. tit. Nouel.79. cap.3. in fine: lib 5. Cap. c.225.* legitur: *In Decanicis Ecclesiae recludantur.* Notarunt Filesac. *in c.1. de offic. ordin. §.16.* Cironius *lib.2. obs. c.51.* & *in rubric. de offic. Ord.* Iacob. Gothofr. *in dicta l.30.* Nec tantùm illi carceris squallore puniebantur, verùm & ieiunijs, ac vigliijs affligebantur, *cap. de his 36. 50. dist. cap. fin. 82. dist.* ibi: *Tantùm autem diebus Dominicis, & praecipuis festis modico vino, & pisciculis, atque leguminibus recreentur.* Concil. Tarracon.2. *can.1. Si verò religiosus, vel monachus in cella monasterij inclusus poenitentiae lamentis incumbat, qui singulari afflictione panis & aquae victum ex Abbatis ordinatione percipiat.* Matiscon.1. *can.5. Quod si post hanc definitionem clericus aut cum indecenti veste, aut cum armis inuentus fuerit, à seniore ita coerceatur, vt triginta dierum inclusione detentus, aqua tantùm, & pane modico diebus singulis sustentetur.* Hic appellatur panis doloris in praesenti, & *in c. Guilisarius 23. q.4.* & panis hic erat hordeaceus. Gregorius Turon. *lib.9. c.11.* ibi: *Iussit nihil aliud in vsu vescendi, nisi panem hordeaceum cum aqua munda assumi.* Notauit Cironius *in c.2. de apostatis, in 5. compil.* Panis sordidus dicitur *in l.5. Cod. Theodos. de anonis ciuil.* pessimus *in l.1. Cod. Theodos. de can. frument.* vilis à Iul. Polluce *lib.6. c.1.* ibi: *Panes, qui viliores sunt, furfuracei.* His panibus sordidis opponuntur panes mundi, qui lautiores sunt, & puriores. Lampridius *in Alexand. Medius ab eo vnus Palatinus salarium accepit; caeteri qui vsque ad sex fuerunt, qui annonas binas, aut ternas accipiebant, ita vt mundas singulas consequerentur, aliàs aliter.* Quae verba non nisi de annona panis accipi posse notauit Salmasius *in obser. ad ius Atticum.* De illis etiam panibus agit Theodoretus de Abrahamo: *Et panes mundi, selectique offerebantur, & vinum odoriferum, & pisces, & olera, & quaecunque his adiungi solent.* Lampridius *in Alex.* annonam mundam dixit puram, & lautam. Obseruauit Cironius *lib.4. obseru. c.4.* Samuel Petitus *lib.3. obser. c.3.*

CAPVT XXVIII.

Archiepiscopo a *Tyren.*

Dilecto filio I. *b* Barbo procuratore Ecclesiae sancti Marci de Venetijs olim nobis humiliter supplicante, vt cùm paratus esset tibi iustitiae plenitudinem exhibere super Ecclesia sancti Marci de Tyro, & rebus alijs, de quibus inter te, & Venetos, ac *c* vicarium Venetorum quaestio mota fuit, possessionem ipsius Ecclesiae, quae per felicis memoriae I. Papam praedecessorem nostrum tibi fuit causa custodiae assignata, sibi restitui faceremus, quia te pro causa necessaria tunc absente, ei assignari non poterat possessio postulata, Nos eidem indulsimus, vt sibi lapsus *d* temporis non obsisteret, quominus possessionem ipsam recuperare valeret. Quoniam verò tantùm temporis ante concessionem ipsius indulgentiae dicitur effluxisse, quod tibi sufficere possit ad verae possessionis effectum secundùm statuta Concilij generalis, etsi fortè tempus ipsum tantùm ante praedictam indulgentiam non effluxerit, videtur, quòd eadem ad veram possessionem viam tibi praecludat, cùm simpliciter contineatur in ipsa, quod de caetero ipsi procuratori lapsus temporis non obsistat quominus possessionem recuperare valeat memoratam: Nos, quorum fuit intentio iuri dicti procuratoris, & ipsi Ecclesiae sine tua, & Ecclesiae tuae iniuria subuenire, auctoritate praesentium declaramus, quod nostrae intentionis non fuit per ipsam indulgentiam ius perimere, quod tibi competebat ex possessione praeterita, vel post reditum tuum competierat ex futura; sibi enim imputare poterit pars aduersa, si negligens fuit in sua iustitia prosequenda, cùm, absentiae tuae impedimento cessante, te conueniendi habuerit facultatem.

NOTAE.

1 a *Tyrensi.*] In hac sexta collectione legitur *Turonensi*, sed malè; quare tam inscriptionem, quàm literam restituo ex quinta compilatione Honorij, vbi sub titulo *de eo, qui mittitur in possessionem, c.1.* reperitur textus hic, & eius historiam retuli *in cap. accedens, el 1. vt lit non contest.*

b *I. Barbo.*] Illustrem esse hanc familiam apud Venetos, iam notauit Cironius *in praesenti.*

c *Vicarium Venetorum.*] Magistratum videlicet, de cuius officio agit Iustinus *in hist. Venet. lib.1.*

d *Lapsus temporis.*] Videlicet ne tempus elapsum noceat; quòd Principis beneficium appellari solet reparatio temporis, *l.11. C. de tempor. appel.* ibi: *A nostro numine reparationem peti praecipimus.* Symmachus *lib.10. epist.32. & 49.* ibi: *Cùm vellet infelicem causae lapsum reparatione sancire.* Et imperator *in l.1. C. Theodos. de reparat. appel.* dixit: *Exhausti spatij redintegrationem.* 2

CAPVT XXIX.

Idem *Priori, & clericis S. Ioannis & Pauli* a *Tudertin.*

Cvm inter vos dudum ex parte vna, & Abbatem sancti Petri de *b* Monte Spolet. dioec. ex altera, super tertia parte oblationum, & possessionum capellae sancti Hilarij, & cellarum ipsius, & quibusdam alijs coram bonae memoriae Angelo sancti Andreae Diacono *c* Cardinali, tunc Subdiacono, & Capellano felicis recordationis I. Papae praedecessoris nostri, ab eodem praedecessore partibus auditore concesso, quaestio verteretur, & eidem constiterit auditori à vobis probatum fuisse, per quadraginta annos, & ampliùs, tertiam partem oblationum eiusdem

capel-

capellæ vestram Ecclesiam recepisse à clericis institutis per Abbatem de Monte, tuisque, fili Prior, eandem tertiam te commisisse aliquando colligendam: prædecessor præfatus ipsam terram Ecclesiæ sanctorum Ioannis & Pauli adiudicans, statuit vt tibi, Prior, liceret per eosdem clericos (sicut fuerat consuetum) partem colligere memoratam, prout in eiusdem prædecessoris literis perspeximus contineri. Verùm quia postmodùm sacerdos prædictæ capellæ asserens oblationum nomine minimè contineri ea, quæ ipsi capellæ in festiuitate omnium Sanctorum mittuntur, vel portantur ad illa, seu ad domum sacerdotis eiusdem intuitu *d* defunctorum, necnon quæ in *e* cimilini ponuntur, quod de altari suscipit, facit per Ecclesiam in fraudem ab aliquo deportari; & quæ ante Crucem, & in Missa Trinitatis, & ea, quæ pro *f* desponsatis canitur, & lampades cum oleo, quę prędictę capellę ab aliquibus offeruntur, vel quę dantur nuntio, qui ad recipienda talia per pręfatæ capellæ parochiam destinatur, & de his omnibus vobis tertiam denegans exhibere, de alijs nomine tertiæ persoluendis pro rata partis vestram Ecclesiam contingentis retinere nitebatur ad expensas capellæ ipsius necessarias faciendas: dictus prædecessor, vt omnis materia scandali tolleretur, tam de omnibus supradictis, quàm oblationibus alijs, absque subtractione aliqua integrè persolui voluit, & mandauit tertiam portionem. At capellani prædictæ capellæ volentes adhuc alterius defensionis fomitem suscitare, ac dicentes primitias, & decimas, vel ea, quæ offeruntur pro Missis mortuorum sacerdotibus, quæ pro septimis, & *g* tricesimis, & anniuersarijs, pannos, & alia, quæ infra hebdomadam offeruntur, & mortuorum iudicia, oblationum nomine minimè contineri, de his omnibus partem tertiam soluere vobis nolunt. Vt igitur huiusmodi scandalorum materia toties pullulantium radicitus euellatur, volumus, & mandamus, vt per clericum vestrum à vobis in eadem Ecclesia institutum de omnibus supradictis, & de alijs oblationibus, quocumque titulo ad Ecclesiam ipsam peruenerint, sine diminutione aliqua integrè tertia vobis portio persoluatur.

N O T Æ.

1 a TVdertin.] Ita legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 1. ex qua textum transcribo. Ecclesia hæc est parochialis, & eius clerici vitam regularem seruant.

2 b *Sancti Petri de Monte.*] Quod monasterium est Ordinis D. Benedicti in diœcesi Spoletana, vt refert Tamburinus *in serie Abbat. verbo Spoletum.*

3 c *Cardinali.*] Tituli sancti Adriani potiùs legendum est, quem creauit Innocent. III. *anno* 1212 vt refert Ciaconius *in eius vita.*

d *Defunctorum.*] De quibus egi *in cap. fin. de testam.*

e *Cimilini.*] Legendum esse *in cimelio*, iam notauit Ioannes Vossius *de vitijs serm. lib.* 2. *cap.* 2 De cimelio, & cimeliarcha egi *in cap.* 3. *de offic. Archid.*

f *Pro desponsatis.*] De qua egi *in cap. ad Apostolicam, de simon.*

g *Septimis, & tricesimis.*] De quibus Missis, & officijs defunctorum egi *in cap. fin. de testamentis.*

C A P V T XXX.

Idem *Episcopo F. P. Betrandi Archid.* a *Cæsaraugust.*

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd dilecti filij Præpositus, & Canonici *b* Aretin. sententiam, quam felicis memoriæ I. Papa prædecessor noster super Ecclesia sancti Gregorij, quibusdam terris, & parte molendinorum Cupreue, ac Castri Saxi, & molendino posito supra montem de Caliano, ac alijs diuersis articulis in eadem sententia comprehensis, inter vos, & eorum canonicam promulgauit, per interpretationem sinistram in recidiuæ quæstionis scrupulum reducere molientes, asserunt illud capitulum eiusdem sententiæ, quo dicitur, ne canonica ipsa impediat, quominus monasterium vestrum præfatum molendinum de Caliano reædificare valeat in eo statu, in quo fuisse dignoscitur tempore motæ litis, esse referendum ad tempus, quo *c* lapillus in denunciationem noui operis iactus fuit; vobis è contrario asserentibus, illud esse intelligendum de tempore, quo lis super hoc inter vos, & præfatam canonicam extitit contestata: quare humiliter supplicastis, vt altercationem huiusmodi per interpretationem capituli supradicti decidere dignaremur. Nos ergo considerata eadem sententia diligenter, quod in præfato capitulo dicitur de tempore motæ litis, interpretamur esse referendum ad tempus, quo litis *d* contestatio facta fuit.

N O T Æ.

1 a CÆsaraugustano.] Ita legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 2. sed valdè corrupta est hæc inscriptio, tam in hac quinta, quàm in sexta collectione, cùm in præsenti agatur de canonicis Aretinis, qui sunt in Italia; vnde non poterat præsentis causæ cognitio committi Præsuli Cæsaraugustano, qui est in Hispania in Regno Aragoniæ. Restituenda ergo est inscriptio ex ipso regestro Honorij III. ad hunc modum, *Abbati, & conuentui monasterij S. Floræ*, vt notauit Cironius in appendice ad notas huius quintæ compilationis, *in fine*. Monasterium hoc S. Floræ est Ordinis D. Benedicti in ipsa vrbe Aretina, ingentibus redditibus, amplissimisque priuilegijs Imperatorum, ac Regum ditatum, vt refert Vghel *tom.* 1. *Ital fol.* 450.

b *Aretin.*] De Aretina Italiæ diœcesi egi *in cap.* 2. *de ordin. cognit.*

c *Lapillus.*] De hac nunciatione per lapilli iactum egi *in cap.* 1. *de noui oper. nunc.* 2

d *Litis contestatio.*] Quia licèt post nunciationem noui operis per lapilli iactum nihil sit innouandum, sicut post nunciationem in iudicio factam, vt probaui *in cap.* 1. *de noui oper. nunc.* tamen in præsenti casu in ipsa sententia specialiter cautum fuerat, molendinum reædificandum esse in eo statu, ac fuerat tempore motæ litis: vnde ad litis contestationem ea verba referri debebant, cùm in hoc casu tunc diceretur lis mota, licèt in alijs casibus lis incipiat à citatione, vt docet Felic. Vega *in rubric. de iudicijs, num.* 44. & *in cap. proposuit, numero* 67. *de foro competenti*, & probaui *in cap. vnic. de litis contest.*

CAPVT XXXI.

Idem *Prælatis, & Capitulis vniuersitatis* a *Constantinopol.*

EX parte vestra fuit propositum coram nobis, quòd venerabilis frater noster Patriarcha vester, occasione constitutionis cuiusdam, quam venerabilis frater noster *b* Albanensis Episcopus, tunc Apostolicæ Sedis Legatus in partibus *c* Romaniæ super legatis edidit defunctorum, & dil. frater I. tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, dum ibidem legationis fungeretur officio, innouauit, de quibusdam, quæ vobis, & Ecclesijs vestris leganturà decedentibus, tertiam indebitè à vobis exigit portionem. Cùm igitur Episcopus, & Cardinales prædicti (sicut ex eorum interpretatione accepimus) non intellexerint, quòd de his, quæ in ornamentis ecclesiasticis, vel ad fabricam Ecclesiæ reparatione indigentis, aut ad Ecclesiæ luminaria; necnon & de his, quæ pro anniuersario *d* septimo, trigesimo, ac vigesimo faciendis; vel de his, quæ personis specialiter, nisi fortè id fiat Ecclesiæ ratione, à quocunque legantur, aliqua deberet solui portio Ecclesiæ Cathedrali: Nos interpretationem eorum ratam habentes, secundùm ipsam constitutionem præfatam præcipimus obseruari, firmiter inhibentes, ne in prædictis aliquid fraudulenter in præiudicium Cathedralis Ecclesiæ procuretur.

NOTÆ.

a COnstantinopolitanæ.] Ita etiam legitur in quinta collectione, *sub hoc tit. cap.* 3. De hac Imperiali vrbe egi *in cap.* 4. *de consuet.*

1 b *Albanensis.*] Pelagius videlicet, creatus Episcopus Cardinalis Albanus anno 1211. qui ab Honorio III. in Orientem Legatus missus est anno 1218. cum prævalido exercitu, à quo post diuturnam obsidionem Damiata nobile Ægypti oppidum captum est, vt referunt Iacobus de Vitriaco *lib.* 3. *hist. Orient.* Vghel. *tom.* 1. *Ital. in Alban. Præsul. fol.* 297.

c *Romaniæ.*] Idest Thraciæ, cuius caput est Constantinopolis; duæ enim fuerunt prouinciæ hoc nomen sortitæ. Prima fuit Flaminia, cuius Metropolis Rauenna erat; alia in Oriente, translato Imperio in Constantinopolim, sicut ipsa ciuitas noua Roma dicta fuit, vt probat Bosquetus *ad Innoc. III. lib.* 1. *regestr.* 13. *epist.* 33. 2

d *Septimo, trigesimo.*] De omnibus his obuentionibus egi *in cap. fin. de testam.*

CAPVT XXXII.

Idem *Episcopo* a *Tullensi.*

TVa nobis fraternitas intimauit, quod cùm tibi pro reuelatione oneris debitorum, quo premeris, duxerimus indulgendum, vt fructus beneficiorum, quæ interim in diœcesi tua vacare contigerit, tibi liceat biennio retinere; quidam Apostolicæ gratiæ priuilegium sinistra interpretatione restringere molientes, asserunt præbendas, & maiora beneficia nequaquam beneficiorum nomine contineri: super quo interpretationem Apostolicam postulasti. Nos igitur interpretum huiusmodi sententiam reprobantes, auctoritate præsentium declaramus, quòd præbendæ, ac alia beneficia generali beneficiorum nomine continentur.

NOTÆ.

1 a TVllensi.] Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. fin.* idest Odoni, qui cùm esset cantor ipsius Ecclesiæ, in Prælatum proprium electus fuit, vt refert Alberic. *in chron. ad annum* 1218. ibi: *Gerardus Metensis Primicerius, frater Comitis Hugonis, in Episcopum Tullensem electus moritur, Cantor Odo in Episcopum promouetur.*

CAPVT XXXIII.

Gregorius IX. *Decano, & Sacristæ* a *Engo.*

TRansmissæ nobis literæ continebant, quòd significantibus Episcopo, & Capitulo Xanton. quod quadragenarius Canonicorum numerus institutus in eorum Ecclesia non poterat obseruari, pro eo, quia non sufficiebant Ecclesiæ facultates, vobis dedimus in mandatis, vt Canonicorum, & præbendarum numerum iuxta facultates Ecclesiæ *b* moderantes, statueretis eundem firmiter obseruari: vos verò inuenistis prædictæ Ecclesiæ facultates à tempore statuti numeri adeò excreuisse, quòd absque mutilatione præbendarum maior haberi posset numerus in eadem: quare quæsijstis, an per moderationis verbum literis nostris appositum, eundem numerum augmentare, vel minuere deberetis. Quocirca mandamus, quatenus si veteres non sunt minutæ præbendæ, cùm moderatio locum non habeat, ipsarum, & Canonicorum numerum dimittatis in eodem statu, in quo hactenus dignoscitur exstitisse, in vtilitatem eiusdem Ecclesiæ conuertentes augmentum suorum redditNuum, donec duxerimus aliter disponendum.

NOTÆ.

1 a ENgo.] Engolimensi videlicet, quæ est Ecclesia Cathedralis in Gallia in Comitatu Burdegalensi, vbi etiam est Ecclesia Xantonensis, de quibus egi *in cap. fin. de corpore vitiat.*

b *Moderantes.*] De numero Canonicorum augendo, vel minuendo iuxta prouentus, & redditus Ecclesiæ, egi *in cap. cùm M. de constitut.*

TITVLVS XLI.

De regulis iuris.

CAPVT PRIMVM.

Ioannes a Chryſoſtomus.

OMnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur.

NOTÆ.

1 a CHryſoſtomus.] Ita etiam legitur in prima collectione *ſub hoc tit. c.1.* & in Decreto Iuonis *part.8. c.233.* & ſub nomine Paleæ citatur textus hic à Gratiano *in c. omnis 4.27. quæſt. 2.* & in margine huius textus additur *homil.32. in Matthæum, in opere imperfecto:* & extant verba hæc *volum. 2. eiuſdem D. Chryſoſtomi*, vbi aliæ 27. homiliæ extant, vt iam notauit Antonius Auguſtinus *in præſenti*.

COMMENTARIVM.

2 REgula hæc in iure ciuili expreſsà traditur *in l. nihil tam naturale 35. ff. de R. I. l. prout, ff. de ſolut.* & magna nititur ratione, quoniam generationes, & corruptiones ex contrarijs in contraria fiunt. D. Thomas *1. part. quæſt. 7. art. 6.* Vnde iura ciuilia ciuili commento ſoluuntur, *§. minùs, Inſtit. de hæredit. quæ ab inteſt.* naturalis obligatio naturali ratione ſoluitur, *l. Stichum 95. §. naturalis, de ſolut.* pactum pacto abrogatur, *l. ſi vnus 27. §. pactus, ff. de pactis:* lex lege tollitur, *§. penult. Inſtit. de iure natur.* teſtamentum teſtamento rumpitur, *l. 1. & 2. ff. de iniuſto rupto:* obligatio verbis contracta contrarijs verbis tollitur, *l. an inutilis 8. §. acceptum, ff. de accept. l. debitor 36. ff. de iure dot.* ſimiliter obligatio ex conſenſu orta contrario conſenſu diſſoluitur, *l. ſi vnus 27. §. pactum, ff. de pactis, l. 1. 2. & 4. Cod. quando liceat ab emptione, l. 72. ff. de contrah. emptione:* & ſic hypotheca, quæ nudo conſenſu contrahitur, *l. ſi tibi 17. §. de pignore, ff. de pactis*, nudo pacto tollitur, *l. 2. C. de remiſſ. pignor. l. 10. C de pignor.* Sic etiam quia ſerui manu capiuntur, vnde mancipia appellantur, *l. 4. in fine, ff. de ſtat. hominum*, Varro *lib. 5. de lingua Latina*, vt à poteſtate liberentur, è manu emittuntur, *l. 4. ff. de iuſt. & iur.* & ſicut inter ſolemnitates teſtamenti teſtes ſignatorij adhibebantur, ita in eius apertura eoſdem teſtes vocari oportuit, *l. 4. l. ſed ſi maior 6. ff. teſtamenta quemadmodum*, Paulus *libro 4. ſentent. tit. 6.* & ſicut clericus, cùm ordinatur, calicem & cætera ornamenta eccleſiaſtica accipit, ita & eadem illi auferuntur, cùm degradatur, *c. Epiſcopus 11. quæſt. 3. cap. 2 de pœnis, lib. 6* quod & in exauthoratione militis obſeruatur, *l. 2. § ignominiæ, ff. de his qui not. infam.* Illuſtrant Petrus Faber *lib. 1. ſemeſtr. cap. 17.* Langleus *lib. 13. ſemeſtr. cap. 1. & 2.* immò iure ciuili attento hæc regula valde vigebat in matrimonijs diſſoluendis; nam ſicut in matrimonio flaminis contrahendo conſarreatio intercedebat, Vlpianus *tit. 9.* Plinius *lib. 18. hiſt. c. 3.* Tacitus *lib. 4. annal.* ſic in eo diſſoluendo diffarreatio deſiderabatur. Feſtus *verbo Diffarreatio*; & ſicut in contrahendis nuptijs claues tradere moris erat, ita etiam in diſſoluendis earumdem ſolemnis fuit ademptio Tul. *philip. 3.* D. Ambroſius *epiſt. 75.* & ſicut in contrahendo matrimonio certæ verborum formulæ vſurpari conſueuerant, *Vbi tu Caius, & ego Caia*, Tul. *in oratione pro Murena*, Quintilian. *lib. 1. cap. 7.* & *lib. 5. c. 10.* ſic in dirimendo certæ fuerunt etiam verborum conceptiones vſitatæ, *l. 2 ff. de diuortijs:* probaui *in c. 1. eod. tit.* & vt nuptiæ teſtato fiebant, hoc eſt præſentibus teſtibus, *l. vxor, C. de repud.* Iuuenal. *ſatyr. 10.*

—— *Veniet cum ſignatoribus auſpex.*

Apuleius *libro 6. de aſino*; ita repudium ratum eſſe non poterat, niſi ſeptem teſtibus adhibitis, *leg. nullum, ff de diuort.* Et tandem ſicut mulier cùm nubebat, deducebatur in domum viri, *l. mulierem 5. ff. de ritu nupt. l penult. ff. de donat. inter*; ita in caſu diuortij mulier de domo expellebatur Quintilianus *declamat. 262.* Illuſtrat Forner. *libro 1. rer. quotid. c. 9* proſequuntur alia exempla Petrus Faber, Gothofr. Bronchorſt. & Cuiac. *in d. l. nihil tam naturale 35. ff. de R. I.* Gibal. *in præſenti*.

CAPVT II.

a Beda *in homilijs*.

EStote miſericordes, &c. Hoc loco nobis nihil aliud præcipi exiſtimo, niſi vt ea facta, quæ dubium eſt, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. Quod enim eſt ſcriptum: Ex fructibus eorum cognoſcetis eos; de manifeſtis dictum eſt, quæ non poſſunt bono animo fieri; vt ſtuprum, blaſphemiæ, furta, ebrietas, & ſimilia, de quibus nobis permittitur iudicare.

NOTÆ.

a BEda.] Ita etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. c. 7.* & hæc verba reperiuntur inter opera ipſius Venerabilis Bedæ *in Lucam lib. 2. c. 24.* & Raymundus hanc regulam tranſcripſit ex dicta prima collectione, vbi *c. 2.* extat alia D. Auguſtini ad idem ſignificandum, his verbis: *Innuit, quòd ambigua debemus in ambiguam partem vertere.*

CAPVT III.

a Idem.

QVi ſcandalizauerit, &c. Vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur.

NOTÆ.

1 a IDem.] Sic etiam legitur in prima collectione, *ſub hoc tit. cap. 9.* & verba hæc extant apud ipſum Bedam *ad caput 9. D. Marci:* & hanc eandem regulam anteà expreſſerat, deduxeratque ex euangelico textu D. Matthæi, *cap. 15.* D. Gregorius *lib. 1. in Ezechielem, homil. 7.* ibi: *Ex qua re nobis conſiderandum eſt, quia in quantum ſine peccato poſſumus, vitare proximorum ſcandalum debemus; ſi autem de veritate ſcandalum ſumitur, vtiliùs permittitur naſci ſcandalum, quàm veritas relinquatur.* Idem Gregor. *lib. 9. regeſtr. epiſt. 39. ad Theoctiſtam Patriciam*, à quo acceperunt D. Bernard. *in apolog. ad Guillelmum Abatem*

batem, §. iam verò, in fine, ibi: *Ipsis itaque illud Gregorianum respondeo, Melius est vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur*. Et in epistola 34. ad Drogonem, & *tract. de pręcept. & dispens. capite* 12. D. Thomas 2. 2. *quęstione* 43. *art*. 7. Consonant etiam textus *in c. nisi* 10. *vers. Pro graui, de renunc. cap. inter verba* 55. *vers. Si autem*, 11. *quæstione* 3. *cap. si illa* 23. 1. *quæst*. 7. *cap*. 2. *de noui oper. nunc*. & rectè ea iura de scandalo passiuo, pro quo veritas nunquam deserenda est, acceperunt Couar. *in regul. peccatum*, 1. *part. num*. 4. Mancinus *genial. cent*. 1. *cap*. 113. Vasquez *in opusculo de scandalo, ad quæst*. 43. *D. Thomæ, art* 2. 3. *vsque ad* 8 Facit Tertul. *de velandis virginibus, c*. 3. ibi: *Bonę res neminem scandalizant, nisi malam mentem: agnoscant malum suum, quæ de tali bono scandalizantur*. Plura de scandalo vitando, vel non, congessit Salgado *de retent. Bullar. part*. 1. *c*. 4. Gibal. *in præsenti*.

CAPVT IV.

a Idem *super Marcum*.

QVod non est licitum in lege, *b* necessitas facit licitum; nam & sabbathum custodiri præceptum est: Machabæi tamen sine culpa sua in sabbatho *c* pugnabant. Sic & hodie, si quis ieiunium fregerit *d* ægrotus, reus voti non habetur.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c*. 12. & reperiuntur hæc verba inter opera ipsius Bedæ *ad cap*. 2. *D. Marci*.

b *Necessitas facit*.] Vt probaui *in cap. si propter necessitatem, de furtis*.

c *Pugnabant*.] Factum hoc Machabæorum exposui *in cap*. 1. *de treug. & pace*.

d *Ægrotus*.] Lege enim ieiunij non tenentur ægroti, & senes, vt probat Narbona *de ætate ad actus humanos, anno* 60. Gibal. *hîc*.

CAPVT V.

a Gregorius VII.

QVod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere.

NOTÆ.

1 a GRegorius.] Malè in hac sexta collectione, & in prima *sub hoc tit. c*. 4 legitur *Greg VII* cùm sit D. Gregorij Magni, & reperiatur in Regestro epistolarum ipsius, *libro* 2. *indict*. 11. *epist*. 54. Ioanni Episcopo Rauennati missa, in qua reprehendit ipsum Ioannem, quia pallio extra Missarum solemnia vtebatur, cùm tantùm intrà, & certis diebus eo vti posset, iuxta tradita *in cap*. 1. *de auctorit. & vsu pallij*: & quia consuetudinis prætextu excusabatur, ita post alia ait: *Nam & de ipsa consuetudine tuæ, quam opponis, Ecclesiæ, quæ vobis olim, vt à patribus vestris probaretur, scripsimus, iam non satis solicitudinem gessisse cognoscite, inquirentes filios nostros Petrum Diaconum, atque Gaudiosum Primicerium, necnon & Michaelium defensorem Sedis nostræ, vel alios, qui pro diuersis responsis Rauennam à nostris decessoribus sunt transmissi, & hæc te in præsentia sua egisse districtissimè negauerunt. Apparet igitur secretò non potuisse geri, nisi quod vsurpabatur illicitè: vnde quod latenter subintroductum est, nulla debet stabilitate persistere*. Gibalinus *hîc*.

CAPVT VI.

a Idem Gregorius *Narsi Patricio*.

DVm contemplationis dulcedinem altè descripsistis, ruinæ meæ mihi gemitum renouastis; quia audiui quid intus perdidi, dum foris ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, vt vix loqui sufficiam: oculos enim mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quicquid aspicitur, quicquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim, ab alto quietis meæ culmine corruens, ad quantum deiectus exterioris prouectus culmen ascendi: & pro culpis meis in occupationis exilium à facie dominantis missus, quasi destitutæ viduæ vocibus cum Propheta dico: Qui consolabatur me, longè recessit à me. Quòd verò causæ, & nominis similitudinem faciendo, per scripta vestra clausulas, declamationesque formatis, certè frater charissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo nos scabiosos sæpe catulos, pardos, vel tygrides vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidi, quia per terrenas curas recta opera amisi. Nolite ergo me vocare Noemi, idest pulchrum: sed vocate me Maram, quia amaritudine plenus sum. Quòd autem me dicitis scribere non debuisse, vt in agro Dominico cum bubalis non arares, quia in ostenso Beato Petro linteo, & bubali, & omnes feræ oblatæ sunt; scis ipse quia subiunctum est: Macta, & manduca. Tu ergo, qui easdem bestias necdum mactaueras, cur iam manducare per obedientiam nolebas? Aut nescis, quia easdem, quas scripsisti bestias oris tui gladius occidere recusauit? Quas ergo per compunctionem occidere potueris, de illis necesse est, vt in tui desiderij fame satieris. De causa autem fratrum nostrorum, vt scripsisti, ita futurum, si Deus adiuuet, æstimo: de qua modò serenissimis rerum Dominis scribere omninò non debui; quia in ipso initio non est à *b* questibus inchoandum: Sed dilectissimo filio meo Honorato Diacono scripsi, vt opportuno tempore eis congruè suggerat, & mihi responsum sub celeritate indicet. Domnum Alexandrum, domnum Theodorum, filium meum Marinum, domnam Eusiriam, domnam Eudoxiam, & domnam Dominicam, mea peto vice salutari.

NOTÆ.

1 a IDem.] In hac sexta collectione legitur *Variensi*. Gibalinus hic retinet *Viuariensi*. In prima verò collectione, *sub hoc tit. cap*. 5. legitur *Pamei*: sed veram inscriptionem, & integram literam restituo ex ipso Regestro Gregorij Magni, vbi *lib*. 1. *epist*. 6 reperitur textus hic.

b *Que-*

b *Questibus.*] Tam in prima, quàm in hac sexta collectione legitur *questionibus;* vnde communiter repetentes in præsenti docuerunt, non esse à questionibus, idest à tormentis in iudicijs incipiendum: sed vera mens Gregorij Magni est, non esse à questibus, idest à querelis, inchoandum, vt ex ipsa epistola apertè deducitur.

CAPVT VII.

a Stephanus Papa.

STephanus sanctæ Apostolicæ, & vniuersalis Romanæ Ecclesiæ Episcopus: omnibus per diuersas prouincias constitutis Episcopis, in Domino salutem. Plurimùm gaudemus in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur, quòd fides vestra per bona opera crescit magnificè, & dilatatur amplissimè. Sed nimis affligimur, & tribulamur de vestra oppressione, super qua crebrior commeantium vsque ad nos fratrum sermo perlatus est. Non oportuerat quidem ab illis, à quibus sustentari, & portari, atque honorari debueratis, tantis vos oppressionibus concuti. Quapropter necessarium est, vt remotis talium tergiuersationibus, quibus venenosa malitia reuelari, atque obscurari bonitas, & veritas solet, adminiculum non modicum vobis à fidelibus impendatur, atque ab hac Apostolica Sede suffragetur, quos per diuinam gratiam Christi auxilio dignum est adiuuari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat intentio, & ea, quæ à sanctis prædecessoribus nostris, & reliquis sanctis Patribus dudum fuerant prohibita, denuò reuiuiscant. Loci namque nostri consideratione compellimur ea quæ ad notitiam nostram emendanda peruenerunt, propter Dominum non derelinquere, sed digna emendatione corrigere. Et si sæcularibus officijs ordo suus, & tradita à maioribus disciplina seruanda est, quis ferat ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, & emendanda non opem ferendo postponere? Audiuimus enim vos à quibusdam accusari, non tam pro vestra culpa, quàm pro eorum libitu, vt vestra rapere possint: & ideò vos nimis affligi, & concuti in tantum, vt etiam à sedibus proprijs pellamini, & tali occasione Ecclesiæ, facultatesque vestræ vastentur, ac deprædentur. Ista, charissimi, non oportet fieri, nec denuò replicari. Tamen necesse est, vt quę toties vsurpantur, sæpiùs replicentur, & prohibeantur. Nam quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniustè agitur, pro *b* sacrilegio reputabitur, quia sacra sunt, & violari à quoquam non debent.

NOTÆ.

1 a STephanus.] In prima collectione, *sub hoc tit. c. 7.* legitur *Idem,* sed malè, cùm textus hic sit Stephani I. Pontificis, & non Bedæ. Verba quæ in præsenti referuntur, reperiuntur in epistola 2 ipsius Pontificis omnibus Episcopis missa, ex qua integram clausulam transcripsi. Stephanus hic I. Rom. Pontifex, creatus fuit die 9. Aprilis, anno 257. martyrioque coronatus fuit die 2. Augusti, anno 260. vt referunt Baron. & Coriolanus *eo anno.* Scripsit duas epistolas, quæ extant *tom. 1. Concilior. Binij,* & apud Baronium *tom. 11. annal.* ex secunda transcripta fuit præsens regula. Similis reperitur *in c. nulli, 12 q. 2.*

b *Sacrilegio.*] Sacrilegium quot modis committatur, exposui *in c. cùm sit 8. de foro compet.*

CAPVT VIII.

a Augustinus.

QVi ex timore facit præceptum, aliter quàm debeat, facit; & ideò iam non facit.

NOTÆ.

a AVgustinus.] Ita etiam legitur in prima collectione *sub hoc tit. cap.* 10. vbi notauit Ant. Augustinus adhuc neminem indicasse, vbi verba huius textus reperiantur. Gibalinus credit, sententiam esse D. Augustini *in lib. de vera & falsa pœnit. cap. 4.*

CAPVT IX.

a Idem *in libro de Sapientia.*

DEfleat peccator, quia offendens in vno præcepto, factus est *b* omnium reus.

NOTÆ.

1 a IDem.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit c. 21.* & apud Gratianum *in cap. 1. de pœnit. dist. 1.* & extant verba hæc apud ipsum sanctum *in lib. de vera & falsa pœnit. c. 14.* Facit D. Gregorius *in præsenti.*

b *Omnium reus.*] Hæc verba sunt D. Iacobi *in epist. canon. c. 2.* vbi ait: *Si autem personam accipitis, peccatum operamini redarguti à lege, quasi transgressores. Quicumque autem totam legem seruauit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Quæ sententia, quatenus vera sit, difficile est, siquidem multi vnum præceptum violant, cætera verò seruant: ergo illius tantùm rei fiunt. Aliqui apud D. August. *de vera & falsa & pœnit. c. 14.* asserunt fieri omnium reum, quia omnia peccata dimissa, per ingratitudinem quodammodo redeunt. Glossa, Lyra, & alij in dicta epistola D. Iacobi affirmant, fieri omnium reum, quia eandem pœnam damni incurrit, scilicet priuationem gratię, charitatis, virtutum moralium infusarum, ac ipsius gloriæ, perinde atque si omnia præcepta violaret D. August. *epist. 29.* Qui in vno, ait, offendit, factus est omnium reus, quia contra charitatem facit, vnde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium faciendo contra eam, à qua pendent omnia. D. Chrysostomus *homil. 35.* ait: Fit omnium reus, quia perdit Dei amicitiam, gratiam & vitam spiritualem animæ, atque incurrit mortem spiritualem, & reatum gehennæ, perinde atque qui toto corpore armatus, excepta vna parte, in illa lethalem plagam accipit, quę illum occidit ęquè ac si in cæteris omnibus plagam lethalem accepisset. Cornel. à Lapide *in d. epist. D. Iacobi,* refert ex Burgensi, & alijs S. Iacobi tempore fuisse hæresim Pharisæorum, qui censebant vnum, aut alterum legis præceptum transgredi non esse graue peccatum, quo Deus offenderetur, nisi omnia

omnia præcepta, aut potior eorum pars transgrederetur: contra quos asserit Apostolus, eum, qui in vno offendit, fieri omnium reum, Deique offensam, & iram incurrere, vtpotè qui tam vnum, quàm alterum præceperit; qui enim vniuersam legem condidit, singula quoque eius præcepta dedit. Etiam textus hic accipi potest de reatu pœnæ damni, quæ respondet auersioni, in qua conueniunt omnia peccata, licèt non comitentur inter se. Tapia *tom.1. catenæ mor. lib.3. art.5.* vbi in fine etiam aliter explicat cum D. Augustino *serm. 60. de tempore*, & *epist.29.* quoad detractionem charitatis, quæ est plenitudo legis.

C A P V T X.

a Gregorius *Ioanni Episcopo Constantinop.*

QVamuis causæ consideratio me mouet ad scribendum, tamen charitas impellit, quia & semel, & bis sanctissimo fratri meo domno Ioanni scripsi, sed non eius epistolas recepi. Alter enim mihi sæcularis quidam sub eius nomine loquebatur, quæ si epistolæ eius fuerint, ego vigilans non fui, qui longè de eo aliter credidi, quàm inueni. De causa enim Reuerendissimi viri Ioannis presbyteri scripseram, atque de quæstionibus monachorum Isauriæ, quorum vnus, & in sacerdotio positus, in Ecclesia vestra fustibus cæsus est: & rescripsit mihi, sicut ex nomine epistolæ agnosco, sanctissima fraternitas tua, quia nescierit, de qua causa scriberem. Ad quod scriptum vehementer obstupui, mecum tacitus voluens, si verum dicit, quid esse deterius potest, quàm vt agantur talia contra seruos Dei, & ipse nesciat qui præsto est? Quæ enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, & pastor nescit, &c.

N O T Æ.

1 a GRegorius.] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c.14.* & reperitur textus hic in ipso Regestro epistolarum D. Gregor. *lib.2. epist.52.* ex qua restituo præsentem regulam; non tamen integram epistolam transcribo, quia verba, quæ sequuntur, parum, aut nihil faciunt ad præsentem regulam, in qua tantùm intendit Gregorius docere, non excusari Prælatum proprium prætextu ignorantiæ, si oues pereant, cùm regulariter pastores vigilare debeant, *c. tres, 33. q. 4.* & ideò omnem custodiam præstant, *l. qui mercedem, ff. locati;* ideòque Prælatum ex negligentia teneri docetur *in c. dictum, 81. dist.* & in his, quæ ad officium spectant, teneri Prælatos, & officiales sese diligenter gerere, ex hoc textu, & multis instantijs probat Alber. Gentil. *lib.1. Hispan. aduocat. cap.19.*

C A P V T XI.

a Lucius III. *Eborac. Archiep. & London. Decan. & Abbati de Filien.*

REtulit nobis dil. fil. noster I. Archidiaconus *b* Cistren. quod Episcopus eius pro eo, quòd Decanatum, tanquam quem sibi de iure credit competere, vindicare laborat, ipsi prorsus infestus, iura ipsius minuere, & quæ ad Archidiaconum de consuetudine, & de iure spectare noscuntur, turbare, & subtrahere post appellationem ad Sedem Apostolicam factam non desistit. Prætereà homagium, & fidelitatem nouam ab eo pro sua requirit voluntate. Volentes itaque patientiæ, & iustitiæ ipsius Archidiaconi paterna dilectione prouidere, d. v. per A. s. m. quat. inquisita diligentiùs veritate, si eum prædecessori Episcopo, & successoribus eius fidelitatem iurasse constiterit, iamdictum Episcopum ex parte nostra moneatis, & ecclesiastica censura, nullius ap. ob. auctoritate nostra cogatis, vt iura Archidiaconatus integrè possidere sine contradictione, & ap. cess. permittat, & ab exactione homagij, & fidelitatis omninò desistat: indignum siquidem est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, vt pro spiritualibus facere *c* homagium quisquam compellatur.

N O T Æ.

1 a LVcius III.] Ita legitur in hac sexta collectione in prima autem, vbi *sub hoc tit. cap. penult.* reperitur præsens textus, nulla inscriptio ponitur; eam tamen, & integram litteram restituo *ex cap. 2. de excessib. Prælat. in 2. collect.*

b *Cistren.*] De Cistrensi, seu Cicestrensi Angliæ Ecclesia egi *in cap. 2. de corpore vitiat.* 2

c *Facere homagium.*] Textum hunc exposui *in c. ex diligenti, de simonia, c. 2. de iureiur.*

Finis libri quinti Decretalium.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE